

J. DUNS SCOTUS

OPERA OMNIA

XII



GEORG OLMS HILDESHEIM

JOHANNES DUNS SCOTUS · OPERA OMNIA XII

JOHANNES DUNS SCOTUS

OPERA OMNIA

XII



1969

GEORG OLMS VERLAGSBUCHHANDLUNG
HILDESHEIM

Die Originalvorlage für diesen Faksimiledruck ist im Besitz
der Niedersächsischen Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen.
Signatur: 2° Patr. Lat. 1842/3

Die falsche Paginierung sowie die teilweise
schlecht ausgedruckten Passagen der Originalvorlage
wurden beibehalten.



Reprografischer Nachdruck der Ausgabe Lyon 1639
Printed in Germany
Herstellung: fotokop W. Weihert, Darmstadt
Best.-Nr. 5101866

R. P. F.
IOANNIS DVNS SCOTI,
DOCTORIS SVBTILIS,
ORDINIS MINORVM,

Quæstiones Quodlibetales, à mendis expurgatæ, Annotationibus marginalibus, Doctorúmque celebriorum ante quamlibet Quæstionem citationibus exornatæ, Scholiísque per textum insertis illustratæ.

Per R.P.F. HVGONEM CAVELLVM *Hibernum, Lectorem Iubilatum, & in Conuentu S. Mariæ de Ara-cœli in Vrbe S. Theologiæ primarium Professorem,*

Cum Commentariis Reuerendissimi P. F. FRANCISCI LYCHETI Brixiensis, Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ olim Ministri Generalis.

ADDITÆ SVNT CONCILIATIONES LOCORVM Quodlibetalium apparenter aliјs Scoti locis repugnantium.

ITEM GVIDI BARTOLVCCII SOLVTIONES Contradictionum in doctrina eiusdem Doctoris apparentium.

TOMVS DVODECIMVS.



LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII DVRAND.

M. DC. XXXIX.



PRÆFATIO
AD LECTOREM.



AVDABILIS, & antiqua fuit Vniuersitatis Parisiensis, nec adhuc esse desiit consuetudo, quam Salmaticensis, & aliæ celebriores Scholæ mutuatæ sunt, vt cuilibet ad lauream Doctoratus, vel Magisterij in Theologia promouendo, varia proponerentur dubia ad varias spectantia materias, in vna disputatione generali ventilanda, & in vtramque partem disputanda, ad quorum quodlibet tenebatur respondere. Hinc talis disputatio, Quodlibetica, seu Quodlibeta, vel Quodlibet, quia de quolibet proposito dubio respondebatur, vocari consueuit. Quædam proponi solebant cum argumentis alia sine illis: quod in Salmaticensi celeberrima Academia obseruatum vidi. Laureandi aut postea, qui volebant proposita dubia fusiùs pertractantes, & exactiùs examinantes, libros de eisdem componebant, addentes de suo varias quæstiones; quia verisimile non est tot fuisse proposita dubia D.Thomæ, Henrico, Ægidio, & Richardo, quot in suis Quodlibetis tractant, & resoluunt. Doctor subtilis communem Scholæ morem sequutus, de propositis sibi dubiis, seu quæstionibus, cùm lauream Doctoratus Parisiensis accepturus esset (iam antea Doctor erat Oxoniensis) præsens opus Quodlibeticum composuit; quod colligi potest ex quæst. 14. vbi explicans titulum, *De intellectu* (inquit) *fuerunt quæsita duo, primum fuit*, &c. quo loquendi modo, vel simili. nempe, *quærebantur à nobis tria, proponebantur* (vtuntur in suis Quodlibetis) Diuus Thomas, Henricus, Ægidius, Richardus. Quot autem in hoc Opere numerari debeant Quodlibeta, incertum est: quidam duo ponunt, primum priores 11. Quæstiones quæ de Deo. Secundum, reliquas quæ de creatura, complectens. Alij septem esse volunt, nullo solido fundamento nixi. Mihi videtur cùm nullus hîc, vel in manuscriptis, vel in impressis habeatur Quodlibetorum numerus, vel distributio, & apud alios, Quodlibetorum Authores longè plures quæstiones quàm iste tractatus habeat, vnico Quodlibeto comprehendantur, (habet Henricus Quodlibeto primo, 42. quæst. & Ægidius Quodlibeto secundo 80.) opus istud vnicum tantùm esse Quodlibetum, & omnes istas quæstiones vnica disputatione generali Doctori subtili propositas, & ab eo resolutas. Nec multum refert quòd à quibusdam citatis Quodlibeto tertio, vel quarto, &c. iuxta numerum quæstionum, quia vel decepti sunt, vel per *Quodlibetum* intelligunt quæstionem quodlibetalem. Vt vt sit, opus est pretiosissimum suum, & medullam doctrinæ, quam Doctor in Sententiis tradidit, maiori claritate, faciliori methodo, & solidiori argumentorum fundamento complectens, in omnibus subtilis, hîc subtilissimus extitit Doctor, vbi aliis aliæ speculationis leuauit se supra se. Vltimum omnium opus istud scripsit; vt igitur posterius generatione, ita prius perfectione inter omnia eius opera habendum est. In Scholiis cito loca, quibus in Sententiis de hîc tractatis agit, vt eò recurras, benigne Lector, quando libuerit. Adiunxit Conciliationes locorum, quæ in hoc opere cum aliis eiusdem Doctoris locis dissentire videbantur, vt semper sibi consentientem nunquam contradicentem, Doctorem cernas. VALE.

INDEX



INDEX QVÆSTIONVM.

R. P. F.



R. P. F.
IOANNIS DVNS SCOTI
DOCTORIS SVBTILIS ORDINIS MINORVM
Quæstiones Quodlibetales.

Cum Commentariis R.[mi] P. F. FRANCISCI LYCHETI.

PRÆFATIO.



VNCTÆ [a] *res difficiles*, ait Salomon, *Eccleſ.* 1. & cur intelligat eas eſſe difficiles, ſubdit: *Non poteſt eas homo explicare ſermone.* Secũdùm igitur diſtinctionem rerum poteſt accipi diſtinctio difficilium quæſtionum. *Res* autem prima ſui diuiſione diuidi poteſt in rem creatam & increatam, ſiue in rem à ſe, & in rem ab alio habentem *eſſe*, ſiue in rem neceſſariam, & rem poſſibilem: Siue in rem finitam, & infinitam. Res autem increata, à ſe, infinita, & neceſſaria, Deus eſt. Res autem creata, ab alio, poſſibilis, & finita, communi nomine dicitur creatura. De vtraque re propoſitæ ſunt aliquæ quæſtiones. *Plato in Timæo c.* 1. *Ariſt.* 11. & 12. *Meta.* *Auicen.* 2. *Meta. c.* 5.

Iterum, in diuinis [b] *res* accipitur eſſentialiter & notionaliter, iuxta illud Auguſtini 1. de Doct. Chriſtiana, c. 2. *Res, quibus fruendum eſt, ſunt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, eadémque Trinitas, Vna quædam ſumma res, communis omnibus fruentibus ea.* In prima parte auctoritatis accipitur *res* perſonaliter, in ſecunda, eſſentialiter. Fuerunt igitur [c] aliqua quæſita in diuinis de re eſſentiali; aliqua de notionali, ſiue perſonali. Vnicum autem quæſitum erat de ordine eſſentialium ad notionalia. Illud vnicum primò ponitur, vtpote ex cuius ſolutione patebit ordo procedendi circa alia quæſita.

SCHOLIVM.

Sumit rem *pro ente dicente perfectionem: non pro ente vt ſic, quia hoc non diuiditur primò infinitum & infinitum, ſed in ens quantum, & non quantum, vt habet* Doctor *infrà quodlib.* 5. *ad argum. princip.*

COMMENTARIVS.

a .1 *Prima diuisio rei.*



VNCTÆ *res difficiles.* Quia Doctor in præsenti opere intendit loqui de rebus diuersimode, secundùm quod diuersimè tractatur de eis in quatuor libris Magistri, vt patet in quæstionibus. Ideò primò distinguit de re, dicens, quòd *res* prima sui diuisione diuidi potest in rem creatam, &c. Hæc non est prima diuisio entis etiam realis, vt infrà patebit, *q.* 3. Sed est diuisio entis quanti in sua diuisa. Ens enim quantum primò diuiditur in ens creatum, & in ens increatum, accipiendo tamen *creaturam* vt ipse accipit *in* 3. *d.d.*11. Creatura enim ibi potest accipi propriè, & sic accipitur vt tantùm est immediatè causata à prima causa, nulla secunda causa concurrente. Potest etiam accipi impropriè, siue generaliter, & hoc modo accipitur pro omni causato, etiam secundis causis concurrentibus. Accipitur etiam *creatura* pro omni re, quæ potest esse terminus creationis, propriè, vel impropriè, mediatè, vel immediatè, quia relatio creaturæ ad Deum non terminat creationem immediatè vt patet, terminat tamen mediatè, quia concomitatur ad aliquid immediatè creatum. Accipit etiam *creaturam* pro omni re quanta, alia à Deo, cui non repugnat *esse* actualis existentiæ, quia omnis talis est ens creabile mediatè, vel immediatè, vt suprà dixi. Et omnis creatura est res habens *esse* ab alio, possibilis, & finita: Deus verò est res necessaria increata, habens *esse* à se, & infinita.

Creatura potest accipi multipliciter.

b *Iterum in diuinis.* Accipit hîc Doctor *essentiale* pro perfectione diuina. Quoddam enim est essentiale, quod est formaliter perfectio, vt Deitas, & omnia attributa, & quoddam nullam perfectionem formaliter dicens: vt essentiale dicens formaliter respectum ad extrà, vt creare, causare, prædestinare, &c. Nota etiam, quòd *personale*, siue *notionale* non accipitur hîc pro personale, constituta in diuinis, sed accipitur pro personalitate siue pro ratione formali constituente personam, siue pro proprietate hypostatica, quia primo modo semper includit essentiale dicens formaliter perfectionem; secundo modo non, nisi tantùm per identitatem realem vt patebit infrà, quæst. 3. & 5.

Arist. secundo Met. c. 5. Quomodo hic accipitur personale, *siue* notionale.

c *Fuerunt igitur aliqua quæsita*, &c. De re essentiai satis patet in primo dist. 1. 2. 4. & alibi. De secundo, scilicet *personali*, patet in primo vbi suprà, & præcipuè distinct. 26. 28. & alibi sæpè. De tertio hîc facit specialem quæstionem comparando essentialia, & notionalia ad essentia diuinam.

QVÆSTIO I.

Vtrùm in diuinis essentialia sint immediatios essentiæ Diuinæ, vel notionalia.

Henr. *sum. art.* 27. *q.* 6. 7. Hærueus *quodl.* 3. *q.* 3. *&* *q.* 4. *q.* 2. *art.* 51. *&* 52. *&* *quodl.* 3. *qu.* 3. Scotus 1 *d.* 2. *q.* 2. *&* *clarius dist.* 8. *q.* 4. *n.* 6. *&* 2. *d.* 1. *q.* 1. Goffred. *quodl.* 7. *q.* 1. D. Thom. 1. *part. d.* 2.



VÒD notionalia, probatur. Quæ constituunt supposita alicuius naturæ, sunt immediatiora ipsi naturæ, quàm illa, quæ sunt proprietates naturæ; notionalia autem in Diuinis constituunt supposita naturæ diuinæ, essentialis non, sed sunt quasi proprietates illius naturæ: igitur, &c. Probatio maioris: natura immediatè se habet ad suum suppositum proprium, quia de illo dicitur in primo modo dicendi per se, non autem de aliqua proprietate; nec è conuerso, sed tantùm secundo modo: igitur illud, quo suppositum constituitur formaliter, immediatius se habet ad naturam, quàm proprietas aliqua. Probatio minoris. Essentialia sunt communia tribus personis, & per consequens per nullum essentiale constituitur suppositum: igitur per notionale, sunt etiam essentialia proprietates naturæ secundùm Damascinus c. 12. *si bonum*, inquit, *si iustum, si sapiens, si quodcunque aliud dicas, non naturam dicis Dei sed quæ circa naturam.* Et Augustin. 15. de Trin. c. 5. † *Si dicam æternus, immortalis, iustus, bonus, beatus, spiritus: horum omnium nouissimum quod posui videtur significare substantiam, cætera verò huius substantiæ qualitates.* 1.

Nota pro distinctione formali in Deo.

Ad oppositum ipsi essentiæ immediatiora sunt illa, quæ sunt perfectiones simpliciter, quam quæ non sunt huiusmodi; essentialia sunt perfectiones simpliciter, Notionalia nõ ergo, &c. Probatio maioris. Primæ perfectioni immediatiora sunt illa, quæ magis habent rationem perfectionis simpliciter, quàm quæ non habent: essentia autem diuina est prima perfectio, perfectiones autem simpliciter habent magis rationem perfectionis quàm illa, quæ non sunt perfectiones simpliciter. Probatio minoris. Ansel. Monol. 15. *essentiale est in quolibet melius ipsum, quam non ipsum*, sed tale dicitur, perfectio simpliciter: Notionale est huiusmodi, quia cum quælibet persona careat aliquo notionali, careret aliquo, quod esset in quodlibet melius ipsum, quam nõ ipsum, & ita quælibet persona nõ esset simpliciter perfecta, quod est incõueniens.

Arg. simile facit in 4. d. 49. q. 4.

Quid perfectio simpliciter simplex.

COM

COMMENTARIVS.

3. a  ITVLVS quæstionis clarus erit in secundo articulo. Et primò arguit quòd notionalia sint immediatiora, & argumenta soluentur potest. Demùm arguit quòd essentialia sint immediatiora,& hoc argumentum tenet loquendo de essentialibus formaliter dicétibus perfectionem, & sic argumentum concludit, vt patet in litera. Omnia enim essentialia in diuinis, quæ formaliter dicunt perfectionem, sunt perfectiones simpliciter, quia ibi nulla est perfectio, nisi formaliter infinita, vt patuit *in primo, dist.2. & 8. quæst.penul.*& talis perfectio est immediatior essentiæ diuinæ, vt suprà patuit *in primo dist.8. & 28.* Notionale verò ex sua ratione formali nullam dicit perfectionem, quia tunc aliqua perfectio esset formaliter in vna persona, quæ non in alia,quod est impossibile. Tum etiam, quia si aliquam perfectionem formaliter includeret,illa perfectio esset formaliter infinita, cuius oppositum improbatur à Doctore infrà *quæst.* 5. Et quod dicit de illa propositione Anselmi de perfectione simpliciter, exponetur infrà, *qu.*5. & exposita est suprà *in primo dist.* 2. *parte* 2. *quæst.*1.

SCHOLIVM.

Posita ratione difficultatis ad vtramque partem quæstionis, præmittit aliqua: quorum primum est, dari in diuinis aliquam entitatem primam, realem, existentem, aliàs nulla esset posterior: de quo latè, 1. *dist.*2. *q.*2. *& hanc esse absolutam probat ex Augustino, cuius loca hic adducta probant dari distinctionem ante opus intellectus inter essentiam diuinam & personas, de quo Doct.*1.*d.*1. *qu.*4.*n.*17.*& d.*2.*qu.*7.*ad qu.*4.*n.*41.*& d.*13.*n.*23.*&* 26.

2. RЕspondeo primò, ad intellectum quæstionis sunt aliqua necessaria præmittenda. Secundò, quæstio soluenda. Tertiò, contra solutionem quæstionis dubia occurrentia excludenda.

De primo, hîc queritur de ordine immediationis istorum duorum, *essentialis*, & *notionalis* in comparatione ad essentiam diuinam. Videatur ergo primò intellectus istorum quatuor terminorum, qui ponuntur in titulo quæstionis, scilicet *essentia*, *essentiale*, *notionale*, & *immediatias*.

De primo, in diuinis [b] necessariò est aliqua entitas realis, siue ex natura rei, & hoc in existentia actuali, alioquin nihil esset ibi reale in actu. Illa entitas realis actualis, [c] siue ponatur omnino vnica, siue ponatur aliquo modo distinctio rei, vel rationis, semper erit ibi ponere de necessitate aliquam entitatem realem, primam, vnicam, quæ non præexigat aliquam priorem. Si enim quælibet præexigeret priorem, nulla esset prima, & per consequens nec aliqua alia esset posterior. Illam etiam primam entitatem [d] oportet esse absolutam, siue ad se, quia secundùm Augustinum 7. de Trinit. cap.1. *omnis essentia, quæ relatiuè dicitur, est aliquid, excepto relatiuo.* Et secundùm ipsum ibidem: *Si pater non est aliquid ad se, non est omnino quod relatiuè dicatur.* Habetur ergo ista conclusio, quòd in diuinis oportet ponere aliquam entitatem realem, in existentia actuali, & aliquam vnicam, primam, & illam esse ad se.

In diuinis est realis entitas.

2.Met.t.10

Ex hoc loco multi eliciunt existentiā esse de quiditate Dei. vide infrà q. 6.

3. Ista realis entitas, [e] quæ est in Deo, cùm sit prima ratio essendi simpliciter: rationabiliter à Sanctis vocatur *essentia*. Vnde August. 7. de Trinit. cap. 1. in fin. *quod est sapientiæ sapere, & quod est potentiæ posse & æternitati æternam esse; & iustitiæ iustam esse: hoc est essentiam ipsum esse.* Et infrà cap. 4. *ab eò, quod est esse, appellatur essentia; propter quod Deus ipse cui propriissimè & verissimè cōuenit esse, verissimè dicitur essentia.* Et hoc primò dicente Aug.ibid c.5. *Manifestū est Deum abusiuè vocari substantiā: vt nomine visitatiori intelligatur essentia, quod verè ac propriè dicitur: ita vt fortasse solū Deū oporteat dici essentiam. Est enim verè solus, quia incommutabilis, idque nomen suum suo famulo enunciauit Moysi cùm dixit: Ego sum, qui sum: sed tamen siue essentia dicatur, quod propriè dicitur, siue substantia, quod abusiuè dicitur vtrumque ad se dicitur, non relatiuè ad aliquid.* Hæc ille.

Entitas in diuinis est essentia diuina.

Essentia sic dicitur ab esse.

Lib.5. Tr. cap.2.

De ista essentia; [f] siue minùs propriè substantia, quòd ipsa sit sola ratio simpliciter essendi in diuinis cuicunque, habetur ibid. c. 6. *Substantia patris ipse pater est, non quo pater est, sed quo est.* Hæc ille. Et intelligit quòd essentia non est ratio formalis patri essendi patrem, sed essendi simpliciter. Huic concordat Damas.lib.1. c.12.dicens sic: *Videtur quidem principalius omnium, quæ de Deo dicuntur nominum, esse qui est.* Et hoc probat per illud Exod.3. *Qui est*, &c. Et subdit: *Totum enim in se comprehendens habet esse velut quoddam pelagus substantia infinitum, & interminatum.* Hæc ille. Rectè ergo in diuinis, in comparatione ad essentiam, tanquam ad entitatem, simpliciter primam & absolutā, cōsideratur omnis ordo cuiuscunque, siue quorūcūque, quæ in diuinis sunt.

Substantiā minùs propriè dicitur de natura diuina.

COMMENTARIVS.

b **D**E *primo*, &c. In isto primo articulo intendit principaliter declarare quatuor terminos, videlicet, *essentiam, essentiale, notionale, & immediatiùs*. De primo, in diuinis necessariò est aliqua entitas ex natura rei, & in existentia reali actuali. Hoc est probatum *in primo d.2.par.1.q.1.* vbi probatum est quòd si est aliquod effectũ actu existens, prima causa erit actu existens. Idem de primò fruitiuo, primò in eminentia. Vide quæ ibi exposui.

c *Illa entitas realis actualis*, &c. Et quod dicit de distinctione ex natura rei, vel rationis, vide quæ dicit in primo, *dist.2.par.2.q.1.& dist.8. q.penul.* Hîc enim non habet disputare quomodo relationes distinguantur ab essentia, vel quomodo attributa ab inuicem, vel ab essentia distent. Sed quomodocunque distinguantur, dicit quòd est necesse ponere in diuinis vnicam entitatem primam, &c. quia si nulla esset prima, nulla esset posterior: patet per Philosophum 2. *Metaph. tex. comm.* 10. *Illud*, inquit. *cuius primum non est, quod consequitur illud primum non est.* Vide Cóment.

d *Illam etiam primam entitatem oportet esse absolutam, quia 7. de Trin.* Hanc auctoritatem suprà exposui in primo di.1.q.2.art.1. vide ibi. Cùm enim dicit, *omnis essentia, quæ relatiuè dicitur.* &c. nó debet intelligi, quòd essentia relatiuè dicatur, quia essentia diuina non dicitur relatiuè, vt suprà patuit in primo *dist.5. qu.* 1. sed sic intelligitur, quòd omnis essentia, quæ est ratio fundamentalis, secundùm quam aliquid relatiuè dicatur, est aliquid excepto relatiuo, id est, excepta relatione, secundùm quàm aliquid dicitur formaliter referri, & non fundamentaliter. Sic in proposito essentia diuina cùm sit proximum, & immediatum fundamentum relationis diuinæ, est ratio fundamentalis, secundùm quàm, puta, Pater fundamentaliter refertur ad filium, & paternitas in patre est ratio formalis, secundùm quam Pater formaliter refertur ad filium. Similiter auctoritas sequens, scilicet, *si non est aliquid ad se*, &c. Sic exponitur, id est, si non est aliquid vt proximum fundamentum relationis, quod sit ens ad se, quod est ratio fundamentalis, vt suprà, non est omnino, quod relatiuè dicatur, quia relatio secundùm quá aliquid formaliter refertur ad aliud, fũdatur in aliquo absoluto existéte in illo, quòd refertur.

Aug.7.de tri. cap.1. vel.3.

5. e *Ista realis entitas vocatur à Sanctis essentia.* Hîc probat per auctoritates Augustini 7. de Tri. c.1. in fine, &c.5. circa finem, vbi vult, quod *sapientia* dicitur à *sapere*, siue *sapere* à *sapiẽtia*, parũ est curandũ, siue ista denominatio accipiatur Grãmaticè, siuè Logicè, nó curo: sufficit quòd *esse* propriissimè conuenit essentiæ, siue essentia dicatur ab *esse*, siueècontra; nihil enim immediatiùs cõpetit essentiæ, quàm *esse* existẽtiæ, & præcipuè primæ essentiæ conuenit prima existentia; imò ipsa existentia conuenit essentiæ diuinæ in primo modo dicẽdi per se, vt suprà patuit *in primo dist. 2.par.1.q.2.& in ista q.* Omne enim illud potest dici essentia, cui potest competere existẽtia, vt patet à Doctore in pluribus locis, & essentia, & existẽtia etiã in creaturis, nó differũt realiter, vt patet à Doct. *in 2.dist.1.& in 3.d.2.* & cui repugnat *esse* existẽtiæ, repugnat sibi essentia, loquendo de essentia propriè. Non credo tamẽ generaliter esse verum quòd cui conuenit *esse* existentiæ, quòd sibi cõueniat *esse* essentiæ. Multa enim dicũt propriam existentiam, quæ fortè non dicunt propriã essentiã. De hoc aliàs, fortè enim ratio indiuidualis vt hæcceitas, puta Francisci, dicit propriam existentiam: cùm dicat propriam entitatem super additam naturæ specificæ, vt patet à Doct. *in primo dist.5.q.2.& dist.26.& in 2. dist.3.* Hoc idem posset dici de entitatibus hypostaticis, sustinendo quòd dicant aliquid positiuum, vt exposui super primo Doctoris. *di.28.* & super tertio *di.1.* & tamen istæ entitates tam indiuiduales, quàm suppositales non sunt essentia, nec pertinẽt ad essentiam, nec ad quiditatem, vt patet à Doctore *in primo di.5.q.2.di.26.& alibi.* Sequitur. *Manifestũ est Deum abusiuè vocari substantiam*, &c. Quomodo hoc intelligatur vide Doctorem in primo dist. 8. qu.2. & ea quæ ibi exposui. Loquẽdo enim de substantia transcendenter, Deus dicitur propriè & non abusiuè substantia.

Vnde dicatur sapientia.

Quomodo sit vera propositio. Cui conuenit esse existentiæ conuenit esse essentiæ.

f *De ista essentia, siue minus propriè substantia.* Hîc Doct. probat per auctoritates, quòd essentia diuina est ratio simpliciter essẽdi in diuinis cuicunque. Aduerte benè hãc literã, vult Doct. quòd quidquid habet *esse* in diuinis suo modo est originatum ab essentia diuina. Nam perfectiones attributales pullulant ab essentia diuina, & in essẽtia diuina. Similiter, prima proprietas personalis immediatè est ab essentia diuina, aliæ verò proprietates sunt ab essẽtia vt à ratione formali producendi personas. Similiter est verùm quòd omnis perfectio diuina posterior suo modo essentia diuina suo modo oritur ab essentia diuina, & hoc mediatè, vel immediatè, quòd dico propter operationes intellectus, & voluntatis, quæ sunt in essentia mediantibus potentiis. Intelligendo ergo originatiuè, vel pullulatiuè, sola essentia diuina est ratio simpliciter essendi, &c. formaliter autem non est *simpliciter ratio essendi*, quia bonitas infinita est formaliter existens, licèt realiter sit essentia diuina. De hoc vide quæ exposui super primo Doct. *di.8. q.penult.* His præmissis patent auctoritates. Prima, quæ habetur 7. de Tri. c.6. vel 14. scilicet. *Substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est Pater, sed quo est*, id est, quòd essẽtia, quæ est in Patre, est id quo simpliciter Pater habet *esse*, siue essentiæ, siue existentiæ, id est, quòd totum *esse* essentiæ, & existentiæ in Patre est ipsa essentia diuina. 6.

Aduerte hãc litteram.

Sola diuina essentia est ratio simpliciter essendi

Si quæratur, nonne etiã Pater habet *esse* existẽtiæ à paternitate? Et videtur quòd sic: quia Pater constituitur in *esse* personali per paternitatẽ, sustinẽdo cõmunẽ opinionem scilicet quòd personæ constituantur in *esse* personali per relationes. Tum etiam, quia per Paternitatem realiter distinguitur, à Filio, & per consequẽs videtur, quòd paternitas dicat propriã existentiam, cùm ipsa formaliter distinguatur ab essentia, vt patet à Doct. *in 1.di.8.q.penul.* Quòd enim est ratio distinguẽdi realiter actualiter, actu existit, quia si actu nó existeret, nó esset ratio realiter distinguẽdi actualiter.

Respondeo, quòd paternitas dicit propriam existentiã, & aliam ab existentia Deitatis; nó aliã realiter, sed aliã vel ex natura rei, vel formaliter, vt suprà exposui *in primo di.1.par.2.* & sic Pater dicitur existere paternitate, quia tamen paternitas non dicit entitatem perfectam, sed tantùm entitatẽ hypostaticam. Illa Pater nó dicitur simpliciter habere *esse*, sed sola essentia diuina, quæ est ratio perfectissimè essẽdi, dicit perfectionem essentialem, & quiditatiuam; & sic debent exponi auctoritates Augustini, & aliorũ Sanctorum.

SCHOLIVM.

Arguit essentiam non esse primam entitatem, & quia ad secundum, quo probat existentiam esse priorem essentia, non respondet, videtur innuere existentiam esse de quiditate Dei, & non modum intrinsecum vt in creaturis. Et idem videtur insinuare 1. d 2. q.1. Et ita censent Leuchet. & Tartaret. hic, vel volunt inter hæc nullam dari distinctionem. vide eiusdem dicta q.2. Et Trombetam, & VVallonem in Formalitatibus.

4 CONtra ista; g quæ dicta sunt de isto termino *essentia*, potest obiici dupliciter. Primò sic, per auctoritatem Damasceni adductam, *Totum in se*, &c. ergo secundùm istam auctoritatem, *essentia* includit totam perfectionem diuinam: sed tota perfectio diuina consistit in omni perfectione simpliciter, quia quacunque non inclusa, non habetur totalis perfectio; non ergo essentia est præcisè ista prima entitas distincta qualitercunque contra essentialia: imò est vna totalis entitas vnitiuè includens omnia essentialia, cui videtur concordare illud vocabulum, quod dicit, *Pelagus*, propter immensitatem continentiæ vnitiuè. *Arguit quòd entitas in diuinis non sit essentia.*

Hoc confirmatur per illud Anselmi *Deus est, quo maius excogitari non potest*, sed quacunque vnica perfectione simplici, non includente omnem perfectionem simpliciter, potest aliquid maius excogitari, vt puta entitas aliqua, omnem perfectionem continens vnitiuè: ergo essentia diuina est talis entitas, includens vnitiuè omnem perfectionem simpliciter. Proslo 2.

Secundò, ad idem arguitur sic: h in omni creatura essentia, eo modo quo distinguitur ab existentia, videtur esse prior illa, sicut potentiale & susceptiuum, est prius actu suscepto: ergo videtur similiter in Deo: sed secundùm dicta Augustini & Damasceni iam adducta, essentia accipitur pro existentia actuali, sicut apparet per illam auctoritatem Exodi, qua ambo vtuntur, *Qui est*, &c. ergo secundùm istas auctoritates existentia est prima entitas, & non essentia, vt essentia, vel saltem illæ auctoritates hoc non ostendunt.

Ad primam, quære solutionem *super primum distinct.* 8. *quæstio.* 3. *de Attributis.*

Ad primum dici potest, quòd essentia includit totam perfectionem diuinam vnitiuè, & identicè, licèt non formaliter comprehendat omnes perfectiones diuinas, & sic intelligendum est dictum Damasceni, vt patet in 1. dist.8. quæst.3. principali, circa finem quæstionis, perfectiones illæ etsi sint identicè essentia, tamen distinctæ sunt ex natura rei & formaliter. ADDITIO

Ad confirmationem de Anselmo, patet pariter quòd essentia est vnitiuè & identicè omnis perfectio: non tamen formaliter, & ex natura rei. Vnde licèt quælibet perfectio simpliciter sit formaliter infinita: non tamen radicaliter, cuiusmodi est essentia & existentia Dei.

Ad secundum dici potest k quòd essentia, & eius existentia in creaturis se habent sicut quiditas & modus: ideò distinguuntur. In diuinis autem existentia est de conceptu essentiæ, & prædicatur in primo modo dicendi per se, sic, quòd propositio illa per se est prima: & immediata, ad quam omnes aliæ resoluuntur, vt patet in primo d.2.q.2. Quære in 4.46.d.q.3.& primo Reportationum d.45.q.2. & d.2. part.2.q.2. & infrà q.5.ar.3.& 2. dist.1.q.2. plura ad propositum harum obiectionum.

Aliter dicitur, l quòd ista ratio, si quid valet, videtur esse contra illud, quod quæstio supponit, scilicet aliquam esse immediationem essentialis ad essentiam, & quærit quanta. Pro isto autem supposito arguitur, quia omnis perfectio simpliciter est simpliciter simplex. Probatur: si est aliquo modo resolubilis in distincta, sint *A*, & *B*, neutrum potest esse perfectio simpliciter simplex: quia tunc vnum non faceret per se vnum cum reliquo: quia non est per se vnum ex quibuscunque distinctis, nisi vnum sit sicut actus, & aliud sicut potentia. *Al. quo supposito quærit. quæ & quantæ.*

COMMENTARIVS.

g *Contra ista quæ dicta sunt.* Hîc Doctor intendit probare per duo argumenta, quòd essentia non præcisè illa prima entitas distincta ab aliis attributis, & perfectionibus simpliciter, sed quòd sit omnis perfectio simpliciter. Et probat sic: Primò per Damascenum, dicentem *totum in se continens*, &c. sic videtur includere omnem perfectionem diuinam; ergo non datur talis entitas sic præcisè distincta ab aliis perfectionibus.

h *Secundò ad idem arguitur sic*, & ratio stat in hoc: existentia diuina est prior essentia; ergo essentia non est prima entitas. Antecedens probat, quia secundùm Augustinum essentia diuina accipitur pro existentia, contrarium videtur esse in creaturis, quia essentia est prior existentia, sicut potentiale, & susceptiuum existentiæ.

Respondet Doctor ad primam rationem, & eius confirmationem, quòd essentia est vnitiuè & identicè omnis perfectio diuina, non autem formaliter, & quiditatiuè, vt clarè patuit in primo *dist.8. q.penult.*

Expositio quæ includit aliqua, dubia Nota tamen pro clariori intelligentia, quòd essentia diuina priùs naturâ est essentia in vltima actualitate, & formaliter infinita, & in illo priori non includit nec formaliter, nec vnitiuè perfectiones attributales, cùm in illo priori non præ intelligantur habere *esse* in se formaliter. In secundo verò signo naturæ sunt illæ perfectiones attributales, quæ pullulant ab essentia diuina. Cùm ergo Doctor dicit, quòd est necesse ponere aliquam entitatem absolutam omnino primã, cui comparantur essentialia, & notionalia in ratione prioris, & posterioris, ita quòd vnum illorum immediatiùs insit essentiæ diuinæ, & perconsequens priùs, &c. Est quærendum an illa entitas prima sit pelagus, &c. Et sit id quo maius cogitari non potest, &c. Si sic, contrà, in illo priori non continet omnem perfectionem simpliciter, vt patet. Si non, ergo est perfectissima entitas, & auctoritates non sunt veræ. Et vltrà, ergo non continet vnitiuè, & sic responsio Doctoris non soluit rationes. Dico, quòd in illo priori non continet vnitiuè, & tamen est perfectissima entitas. quia vt sic, non tantùm est formaliter infinita, sed etiam virtualiter, & originatiuè infinita, vt patet à Doctore *in 1.dist.8.q.penul.* & talis infinitas originatiua non conuenit perfectionibus aliis diuinis, vt patet à Doctore *vbi suprà.* *An essentia sit pelagus.*

9. Cùm dicitur, si non continet omnem perfectionem simpliciter non est pelagus, nec id quo maius cogitari, &c. Dico, quòd sufficit quòd in tali priori sit talis entitas, à qua possit originari, vt sit idem sibi realiter omnis perfectio attributalis, & sic in secundo instanti naturæ (in quo originantur, vel pullulant ab essentia diuina) identificantur realiter cum illa. Dico vltrà, quòd est maioris perfectionis esse in se talem entitatem, propter cuius perfectionem necessariò pullulant perfectiones formaliter infinitæ quã continere illas tantùm formaliter. Hoc posset probari per dictã Doctoris *in primo d.2.part.1.q.1.* Vbi probat quod maioris perfectionis est in prima causa continere virtualiter causalitatem secundæ causæ, quàm continere formaliter. Hoc idem in *Attributa pullulant ab essentia.*

proposito per illam propositionem famosam Doctoris, videlicet *Qualis est ordo inter aliqua, vbi realitèr distinguuntur, talis est ordo, ratione distinguuntur.* Si ergo per possibile, vel impossibile perfectiones illæ realiter distinguerentur ab essentia diuina, adhuc ipsa esset id quo maius, &c. quia nihil esset, quod posset originatiuè continere huiusmodi perfectiones. De facto tamẽ cõtinet illas vnitiuè propter infinitatẽ, quia infinitũ identificat sibi realiter quicquid bi potest esse, vt patet à Doct. *in 1.d.2.dist.5.q.2.*

Si iterum dicatur, videtur enim quòd etiam attributum aliquod, puta bonitas in diuinis possit dici prima entitas, quia talis bonitas propter suã infinitatem identificat sibi omnem aliam perfectionem simpliciter: patet, quia infinitum continet vnitiuè realiter quidquid ibi potest esse, vt patet à Doctore *vbi suprà.* Respondeo. quòd quamuis bonitas diuina sit formaliter infinita, non tamen continet vnitiuè realiter essentiam diuinam, sed benè ècontra, quia essentia diuina originat suo modo illas perfectiones simpliciter, vt idem sibi realiter. Sicut etiam dicimus, quòd anima intellectiua continet per identitatem realem intellectum, & voluntatem, & non ècontra, vt patet à Doctore in 2. *dist.16.* Dico ergo, quòd essẽtia diuina est sic prima entitas absoluta, quòd ex sua infinita perfectione ex necessitate naturæ emanãt omnes perfectiones attributales in summo, quia vt infinitas formaliter, vt suprà patuit à Doctore in primo *di. 8. q. penul.* & illas perfectissimè sibi vnit inquantùm sibi vniri possunt, hoc est, in perfectissima identitate reali. 10. *Attributa sunt infinita formaliter per se, ad se sed non à se.*

K *Ad secundùm dici potest.* Respondet ad illud de existentia, concedendo quòd existentia in creaturis est posterior essentia, & distinguitur ab illa, cùm sit modus eius. Sed fortè hoc non dicit secundùm intentionem propriam, sed secundùm Thomæ, qui ponit existentiam esse aceidẽs essentiæ, secundum verò Doctorem existentia non distinguitur realiter ab essentia, vt patet *in secundo dist.1.* & *in tertio dist.6.* est enim gradus intrinsecus essentiæ. Sed quidquid sit, in diuinis non ponitnr existentia distingui ab essentia, (cùm ipsa sit de ratione formali essentiæ diuinæ; vt etiam patet à Doctore *in 1.d.2.parte1.q.2.* &quæ ibi notaui considera) & per consequens in quocunque priori intelligitur essentia diuina, in eodem intelligitur sua existentia, & sic non sequitur quòd existentia diuina sit prima entitas, circunscripta essentia diuina. *Existentia est accidens secundùm S. Thomam non secundum Scotum, sed modus intrinsecus.*

Aliter dicitur hîc, &c. Hæc responsio videtur esse ad primum argumentum, & ad confirmationem, quod patet, quia in primo argumento probat quòd essentia sit omnis perfectio simpliciter, & per consequens non est vnica talis entitas sic prima in diuinis, cui comparentur essentialia, & notionalia, vt mediatiùs, & immediatiùs, quia vbi non est aliquod primũ, ibi non potest esse immediatius, & mediatius, vt suprà patuit. Et quòd sic intelligat Doctor, patet per hoc, quod dicit, quòd ratio illa si quid valet, videtur esse contra illud, quod quæstio supponit. Quæstio autem supponit aliquam immediationem essentialis ad essentiam. 11.

Cùm

Cùm quæritur in principio quæstionis, an essentialia sint immediatiora essentiæ diuinæ quàm notionalia? ergo quæstio supponit, quòd essentialia, & notionalia in sunt essentiæ immediatè.

Et quærit quæstio quanta sit talis immediatio, an scilicet essentialia insint immediatiùs quàm notionalia.

Et sic patet quomodo primum argumentum est contra illud, quòd quæstio supponit, quia si essentia est simpliciter omnis perfectio essentialis, ergo non erit ibi immediatio aliqua. Probat ergo Doctor ibi. *Id quod quæstio supponit*, videlicet, quòd essentialia insint immediatè diuinæ essentiæ, vt vni entitati omnino primæ, & vnicæ, & non sint vnum totum cum illa, quia omnia essentialia in diuinis dicentia perfectionem sunt perfectiones simpliciter & simpliciter simplices, ergo cui insunt, immediatè insunt, quia non per partes cùm non habeant.

Si enim perfectio simpliciter haberet partes, vna esset potentialis, & alia actualis, & sic inesset priùs per partem potentialem. Patet in simili à Doctore *in primo, dist.* 3. *q.* 2. de cognitione habituali, & virtuali, *dist.* 5. *&* 27. de essentia vt quasi materia, & *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. Cùm ergo pars potentialis secundùm rationem sit prior actuali, ita constitutum ex illis priùs perficit secundùm partem potentialem. De hoc vide Doctorem *in* 2. *dist.* 16. contra opinionem sancti Bonauenturæ. Si ergo perfectio simpliciter est simpliciter simplex, sequitur cui inest immediatè inest, & sic stat suppositum quæstionis.

12. *Difficult.* In litera tamen Doctoris occurrunt aliqua dubia. Primò in hoc, quod dicit, quòd perfectio simpliciter sit simpliciter simplex. Hoc non videtur. Tum, quia resoluitur in plures conceptus quiditatiuos. Nam sapientia Dei resoluitur in sapientiam transcendentem, vt videtur innuere Doctor *in primo, dist.* 8. *quæst.* 2. respondendo ad vltimum argumentum principale. Tum, quia sapientia in communi prædicatur de sapientia creata, & increata in *quid* vt patet à Doctore *in primo dist.* 3. *q.* 1. in tertia ratione, quam facit pro vniuocatione entis. Tum, quia ens prædicatur in *quid* de sapientia increata, & sic resoluitur in ens quiditatiuè, quod habet rationem determinabilis, & per consequens erit potentiale, & entitas contractiua habebit rationem actus.

Secundò dubitatur, quia posito quòd sapientia diuina, quæ est perfectio simpliciter sit simpliciter simplex, non tamen sequitur quòd insit immediatè, quia diceretur secundùm primum argumentum, quòd essentia est omnis perfectio simpliciter, & non est talis entitas prima, cui vt priori insit perfectio essentialis immediatè, sed est simpliciter illa.

Respondeo ad primum dubium, est opinio aliquorum, quòd perfectio simpliciter non est composita ex rebus realiter distinctis, quia tunc partes constituentes non essent perfectiones simpliciter. quia nihil habens rationem partis est perfectio simpliciter, cùm necessariò pars includat imperfectionem, vt patet à Doctore *in primo, dist.* 2. *&* 5. *&* 8. Perfectio enim simpliciter non potest componi nisi ex perfectionibus simpliciter. Aliter tameu dico, quòd omnis perfectio simpliciter in diuinis est formaliter infinita, & in vltima actualitate, & est simpliciter simplex, ita quòd non est resolubilis in priores conceptus quiditatiuos. Et dico, quòd nec ens, nec sapientia communis, nec transcendens prædicatur in *quid* de sapientia diuina, accipiendo *in quid* vt sit de quiditate illius, & prius ex natura rei. Et de hoc vide quæ notaui in primo *dist.* 2. *parte* 1. *q.* 1. exponendo illud argumentum Doctoris, quò probat, quòd non possunt esse plura necesse esse. Vide etiam quæ dixi super primo Doctoris *dist.* 3. *q.* 3. de conceptu simpliciter simplici. Vbi declaraui quomodo Deus dicit conceptum simpliciter simplicem, & quomodo non. *Responsio ad difficultatem primam.*

Ad secundum dubium fortè posset dici non asserendo tamen, quòd Doctor loquitur ibi de essentia diuina, quæ ex quo est perfectio simpliciter, ideò non est constituta ex omnibus perfectionibus simpliciter, quia tunc vna haberet rationem actus, & alia rationem potentiæ, & sic non essent perfectiones simpliciter; ergo in illo priori, quo essentia est essentia, scilicet in suo essentiali, & quiditatiuo non includit huiusmodi essentialia, & per consequens si insunt essentiæ diuinæ, insunt immediatè vt entitati vnicæ sic primæ, & sic patet primus articulus. *Responsio ad secundam difficultatē.*

SCHOLIVM.

Explicat essentiale *apud Phil sophos esse id, quod opponitur accidenti, communi, & proprio: Theologicè autem id dicitur* essentiale, *quod realiter conuenit tribus personis, & opponitur notionali, quod omnibus personis non conuenit, sed facit ad notitiam distinctionis personarum.*

5. DE altero [m] termino, scilicet *essentiale*, duplex distinctio videtur. Vna, quòd aliter vtuntur communiter hoc nomine *essentiale* Philosophi, & aliter Theologi, specialiter in diuinis. Nam in Philosophia accipitur communiter *essentiale*, vt distinguitur contra *accidentale*: prout *accidentale* continet sub se omne accidens per accidens; siue accidens commune: & accidens per se, siue proprium. Vnde ibi, *essentiale* dicitur quod per se includitur in essentia, quemadmodum in composito reali materia & forma dicuntur sibi essentialia, & in composito rationis, vel in ipso definitio, genus & differentia dicuntur partes essentiales rationis, siue rei definitæ. Theologi verò [n] aliter vtuntur hoc nomine *essentiale*, in diuinis. Cùm enim essentia sit omnino *De significatu huius termini Essentiale.*

primum.vt iam dictum est:& similiter est commune,communitate reali, quia dicitur de qualibet persona, & de omnibus singulariter, & ideò quodcunque etiam aliud prædicetur simili modo in diuinis, dicitur essentiale, quia simile essentiæ in modo prædicandi,siue in communitate reali.

Notionale quid significat. Et per oppositum, *notionale* dicitur illud, quod nec sic prædicatur, nec habet talem communitatem,sed quod pertinet ad notitiam distinctionis personarum Sic ergo distinguit Theologus *essentiale* contra *notionale*.De hoc Augustinus 5.de Trin.c.5 *In rebus creatis,atque mutabilibus, quod non secundum substantiam dicitur, restat vt secundùm accidens dicatur: In Deo autem nihil secundùm accidens dicitur, nec tamen omne quod dicitur secundùm substantiam dicitur;dicitur enim ad aliquid,sicut patet ad Filium,& Filius ad Patrem.* Hæc ille. Vult ergo quòd in creaturis distinguitur *essentiale* contra *accidentale*,in diuinis autem non distinguitur contra *accidentale*, sed contra relatiuum ad intra, quod scilicet dicit relationem personæ ad personam, & per consequens pertinet ad distinctam notitiam personæ à persona:& ideò vt datur regula *ibi.c*: 4. de dictis de Deo substantialiter,& relatiuè, communiter dicitur *notionale*: licèt Augustinus hoc vocabulo non est vsus,sed sit vsus vocabulo,*relatiui* vel *ad aliquid*. 6.

COMMENTARIVS.

m DE altero termino, *scilicet,essentiale.* Hic Doctor exponit se de quo essentiali intendit loqui, cùm quærit an essentialia sint immediatiora,&c. & litera est satis clara. Nota tamen cùm dicit de composito reali, & rationis, &c. accipit *compositum reale* quod est compositum ex rebus habentibus verum *esse* reale, quod est *esse* existentiæ. Compositum verò rationis, quod est compositum tantùm conceptibiliter, sicut conceptus hominis componitur ex conceptibus omnium superiorum, & omnium quæ essentialiter includuntur in illo, quod tamen compositum non dicitur compositum rationis, vt secunda intentio dicitur ens rationis. Et quod dicit de definitio, quòd est compositum rationis,non debet sic absolutè intelligi.vnde est notandum, quòd definitio potest multipliciter accipi. Vno modo formaliter vt est declaratiua distinctè,quid sit res, puta quid est homo, quæ vt sic, fundatur in conceptibus, in quos est diuisus conceptus definiti, & sic est præcisè ens rationis, quia huiusmodi declaratio obiecti distincta non est nisi relatio rationis, sicut etiam dicit Doctor *in primo,dist.2.parte 2.q.2.& d.27.*quòd declarare obiectum est relatio rationis, vt sic definitum, vt tantùm habet *esse* declaratum est ens rationis,vt patet.

Distinctio potest multipliciter accipi.

Definitum quomodo accipitur.

Aliquando accipitur definitum pro illa re, quæ est fundamentnm declarationis passiuæ, siue quæ est terminus declarationis actiuæ: & sic difinitum erit ens reale, licèt definitio formaliter sumpta, scilicet pro declaratione, sit ens rationis. Potest etiam accipi definitio fundamentaliter, & sic accipitur pro illis conceptibus, ex quibus constat definitum, vt cùm homo priùs cognoscitur confusè, siue concipitur, postea intellectus diuidit ipsum, formando duos conceptus de eo, scilicet animalis, & rationalis, qui conceptus distinctè declarant quid sit homo, & fortè illi duo conceptus declarantes hominem, non sunt ens merè rationis.

14. Aduerte tamen, quòd licèt homo vt confusè conceptus, sit tantùm ens rationis, quia concipi passiuè est tantùm relatio rationis, in se tamen etiam vt præscindit ab omni singularitate, est ens præter actum intellectus, vel ens, cui non repugnat actualis existentia vt in suis singularibus.Pariformiter dico quòd animal, & rationale vt sunt concepta ab intellectu, sunt tantùm ens rationis:vt verò in se considerantur, sunt præter omne opus intellectus, vt verò definiunt formaliter, siuè vt distinctè declarant, quod homo confusè importat, sunt tantùm ens rationis; huiusmodi enim declaratio non potest fieri, nisi per actum intellectus. Et de hoc vide aliqualiter Doctorem *in* 1. *dist.* 36. soluendo argumenta Henrici. & vide quæ ibi exposui, & notaui. *& dist.* 8. *primi, quæst.*3. Et sic patet ista litera.

Quomodo homo sit ens rationis.

n *Theologi verò vtuntur*, &c. quia essentialia habent similem modum prædicandi essentiæ diuinæ, quia sicut essentia diuina est communis tribus, communitate reali, sic & quælibet perfectio essentialis, quia sicut ista est vera, tres personæ sunt realiter Deus, & sic & istæ, tres personæ sunt sapientes realiter, & simpliciter eadem sapientia numero. Et nota quòd commune communitate reali est tantùm singulare existens, quod verè, & realiter prædicatur de pluribus, & includitur in illis, cuiusmodi est sola essentia diuina: commune autem, quod non est singulare, non potest realiter communicari, nec vt *quo*, nec vt *quod*. Et quomodo vniuersale dicatur commune pluribus, vide Doctorem *in secundo d.* 3. *qu.* 1. & ibi quæ notaui in exponendo rationes Doctoris.

SCHO

SCHOLIVM.

Ponit duplex essentiale *in diuinis; alterum, quod dicit respectum ad extrà, vt creator, conseruator, supponit tamen pro absoluto in Deo, connotans dictum respectum, quia non æquè primò dicit vtrumque, alioquin non diceret vnum conceptum, nec ille respectus conuenit Deo, nisi per aliquid sibi intrinsecum, & commune tribus.*

7. EX isto secundo patet breuiter de tertio vocabulo, quid sit *notionale*, quia omne *notionale* ° est relatiuum ad intrà, quia tunc esset commune, & non commune.

Secũda distinctio huius vocabuli, quod est *essentiale*, prout in diuinis specialiter accipitur, potest poni talis, quòd aliquod est essentiale quod importat respectũ ad extrà & aliquod non. Istius distinctionis primò primũ membrũ exponatur. Postea secundũ probatur, quia forsitan ab aliquibus posset negari. De primo certum est: quiasi Deus dicatur relatiuè ad extrà, oportet aliquod quòd illa relatio conueniat Deo secundùm aliquod fundamentum proprium, quia non comparatur Deus ad extrà, nisi secundùm aliquod intrinsecum sibi, & illud potest dici fundamentum. Ex isto fundamento intrinseco, cùm sit reale, & respectu ad extrà, cùm sit rationis, non potest esse aliquid habens conceptum per se vnum; ergo si aliquod nomen simul importat illud intrinsecum Deo, quod est fundamentum comparationis ad extrà, & cum hoc, illam comparationem ad extrà; Illud nomen vel non significabit conceptum per se vnum, vel non significabit ambo illa, sed tantùm alterum significabit, & alterum connotabit. *essentiale* ergo in Diuinis, quod scilicet habet conceptum per se vnum, non includit simul, & per se absolutum, & respectum ad extrà: & per consequens si includat respectum ad extrà, non per se illum includit: sed principaliter, & primò, & per se includit absolutum, quod est fundamentum: illum autem respectum connotando includit, & hoc modo intelligitur primum membrum huius distinctionis. *Essentiale ad intrà & ad extra.*

COMMENTARIVS.

15. o OMne notionale est relatiuum ad intra, Hìc loquitur Doctor de relatiuo, vel pertinente ad originem, vel quod est ibi ratione personarum, & non ratione essentiæ diuinæ; quod dico propter relationem identitatis, & similitudinis & æqualitatis in diuinis quæ non sunt notionalia. Dubium tamen est de spiratione actiua, an dicatur relatio notionalis, quia per illam nõ cognoscuntur personæ distinctè, cùm sit communis Patri, & Filio. De hoc vide in primo *dist.* 28. & si non ponit inter notiones, non erit verum quòd omne relatiuum ad intrà sit notionale, nisi fortè intelligatur sic, quòd omne relatiuum ad intrà constituens personam. Si etiam dicatur innascibile, est notionale, vt patet, quia per innascibilitatem cognoscitur distinctè prima persona, & tamen non est relatiuum, vt patet, imò nec fortè ens positiuum, vt videtur tenere Doctor, *in primo dist.* 28. Potest dici, quòd loquitur de notionali, vel pertinente ad originem, vel constituente personam in tali *esse* personali. *Quid dicatur notionale.*

p *Secunda distinctio huius vocabuli, quod est essentiale*, &c. Primum membrum probat, quæ probatio est satis clara in litera. Non enim intendit Doctor quòd aliquod sit essentiale in diuinis, quod per se, & quiditatiuè includat respectum ad creaturam, quia nullum est tale, vt patet in litera. Si dicatur quòd respectus creationis in Deo conuenit tribus, ergo essentiale, & tamen ille respectus rationis, qui necessariò terminatur ad aliquid extrà, dicit vnum conceptum per se vnum. Dicit Doctor, quòd nullus talis respectus immediatè conuenit tribus personis, sed tantùm mediante aliquo fundamento, quod conuenit tribus, in quo immediatè fundatur, vt patet de respectu creationis, qui immediatè fundatur vel in actu voluntatis diuinæ, vel in voluntate diuina; & quia ista sunt in tribus personis, respectus talis erit similiter in tribus. Dicit igitur Doctor quòd tale essentiale vt puta *creare*, vel simul includit respectum ad extrà, & fundamentum absolutum, & tunc non erit vnus conceptus per se, sed tantùm per accidens, quia constans ex ente reali absoluto, & ente rationis, dicit tantùm conceptum per accidens. Si verò tale essentiale significat aliquem vnum conceptum per se, non potest significare nisi absolutum in diuinis, connotando respectum ad extrà, qui fundatur in tali absoluto. *Essentiale an importet respectum ad extra.*

SCHOLIVM.

Probat contra alios quatuor rationibus dari alterum essentiale, *quod nullum respectum ad extrà includat. Prima, quia perfectio simpliciter non includit aliquid, cui repugnat esse perfectionem simpliciter; de quo 1.d.2. quæst. 1. & confirmat primò, quia respectus ad*

ad extrà est relatio rationis.Secundò, quia nulla relatio potest esse perfectio simpliciter. Secunda, essentia non dicit respectum ad extrà: ergo nec intellectualitas, quæ includitur in illa sicut rationale in homine. Tertia, intellectus diuinus,& essentiale & prior omni respectu ad extrà, quia hic fit per actum intellectus, qui necessariò supponit intellectum esse. Quarta, actus comprehensiuus Dei est infinitus, quia comprehendit obiectum infinitum:ergo non includit respectum ad extrà, cui repugnat infinitas, quæ etiam omni respectui repugnat. Quod ait in secunda ratione intellectualitatem esse de quiditate Dei, & non attributum, intelligit de natura intellectuali (quia si Deus definiri posset, hæc in definitione poneretur) non de potentia, quia secundùm eum intellectus & voluntas sunt principia formalia diuersarum rationum, quæ non possunt esse de quiditate eiusdem, cùm neutrum sit determinabile: ita habet 1. distinct.13. & distinct.2.q.7.ad q.4. & infrà, quodl.2. num. 10. 19. Nec tamen istæ potentia sunt attributa propriè, quia non perficiunt quasi per modum actus secundi, ex Doct. 1. dist.26.num. 54.& distinct. 5. quæst. 4. vide hîc Leuchet.

Vide Herueum quolibeto prin.q.2 & quol.3.q.3. & alios antiquos.

DE secundo membro huius distinctionis, dices fortè: quòd nullum est *essentiale* non includens respectum ad extrà, sed sola essentia est huiusmodi, quodcunque autẽ aliud cõmune tribus, vel est respectus ad extrà, vel includẽs respectũ ad extrà. 8.

Quia verò [q] solutio quæstionis dependet ab ista dictinctione *essentialis* priùs posita, quòd scilicet aliquod essentiale est absolutum ad intrà, aliquod verò dicit respectum ad extrà; Ideò probatur secundum membrum, quod negandum forsitan alicui videretur, scilicet quòd aliquod essentiale non includit aliquem respectum ad extrà, primò per rationem fundatam in auctoritate sumpta ex ratione perfectionis simpliciter; Secundò per rationem sumptam ex ratione diuinæ essentiæ; Tertiò per rationem sumptã ex ratione intellectus diuini: Quartò ex ratione actus, vel operationis diuinæ.

al. quia tũc esset in quolibet meliùs cùm sit perfectio simpliciter, & non esset in quolibet, &c.

Prima ratio talis est: quod est perfectionis simpliciter non includit per se relationem ad creaturam; sed aliquod essentiale in diuinis est perfectionis simpliciter: ergo, &c. Probatio maioris. Perfectio simpliciter non includit aliquid per se, cui repugnat per se ratio per se perfectionis simpliciter: † quia tunc non esset in quolibet, meliùs, cùm includat aliquid, cui repugnat ratio perfectionis simpliciter: Sed relationi ad creaturam repugnat, quòd sit perfectio simpliciter, cùm sit ad terminum imperfectum, & potentialem: quod autem necessariò coëxigit aliquod ens potentiale, eo modo, quo relatio coëxigit terminum, tanquam scilicet aliquid secum simul natura, vel prius; illud sic coëxigens non est simpliciter necessarium: nec per consequens simpliciter perfectum. Minor patet ex intentione Anselmi, monol 15. vbi ponit talem distinctionem, *quicquid est præter relatiua, aut est tale, vt omnino melius sit ipsum, quàm non ipsum, aut tale, vt non ipsum in aliquo sit melius quàm ipsum.* Et expositâ & declaratâ istâ distinctione, concludit, *Sicut nefas est putare, vt substantia sũma naturæ sit aliquid, quo melius sit aliquo modo non ipsum, quàm ipsum; sic necesse est, vt sit omnino quicquid melius est ipsum, quàm non ipsum.* Et posteà infert in speciali quid non est; *Non est ergo*, inquit, *corpus, nec aliquid eorum, quæ corporei sensus discernunt.* Et pòst subdit in speciali, quid vel quale est: *quare*, inquit, *necesse est ipsum esse viuentem, sapientem, omnipotentem, verum, iustum, æternum, & quicquid absolutè est melius ipsum, quàm non ipsum.* Planum est autem, quòd multa istorũ sunt essentialia in diuinis. Habetur ergo ista minor, quòd aliquod essentiale in diuinis est perfectio simpliciter: quia melius est in quolibet ipsum, quàm non ipsum. Ista sententia Anselmi videtur posse accipi ab Augustino 15. de Trin. c. 4. *Viuentia non viuentibus, intelligentia non intelligentibus, iniustis iusta, beata miseris præferenda † iudicamus. Ac per hoc, quoniam rebus creatis creatorem sine dubitatione præponimus, oportet vt per summè viuere & cũctaintelligere, iustúmque & benignißimum & beatißimum fateamur.* Hæc ille. Tenet autem hæc consequentia per propositionem hanc: necesse est vt creator sit quicquid in entibus præfertur ipsum non ipsi: vel vt Anselmus dicit: *Melius est ipsum quàm non ipsum.*

Idem 11. ci. c. 16. & 12. Met. text. com. 39. & de Gener. anim. lib. 2. cap. 1.

Pro ista sententia [r] potest adduci Hilarius 12. *de Trin c. penult.* qui loquens ad Patrem ait. *Perfecti Dei, qui & verbum tuum, & sapientia, & virtus est, absoluta generatio est: vt inseparabiliter à te sit semper, qui in his æternarnm proprietatum tuarum nominibus, ex te natus est.* Hæc ille. Nihil autem Dei Filius per natiuitatem accepit, quod dicat respectum ad extrà. 9.

Relatio nõ est perfectio simpliciter.

Item secundò, ex eodem medio potest argui accepta pro maiori extremitate hoc quod est relatio rationis: vt sit maior ista, perfectio simpliciter non includit relatio-

nem

nem rationis:minor, quæ priùs: & sequitur conclusio, quòd aliquod essentiale non includit relationem rationis: omnis autem respectus Dei ad creaturam est rationis tantùm, *ex 2.d.30 primi*: ergo aliquod essentiale non includit respectum ad extrà. Maiorem istam de respectu rationis probo, sicut primam de respectu ad extrà: quia relationi rationis repugnat perfectio simpliciter: quia est ens diminutum minùs habens de entitate, quàm quodcunque reale: quia tantùm in consideratione intellectus est habens suum *esse*.

Item tertiò, ex eodem medio potest argui, accipiendo pro maiori extremitate, relationem in communi, sic: perfectio simpliciter non est relatio aliqua, nec includit per se relationem aliquam vltrà vt priùs. Hæc maior probatur: quia relatio originis non est perfectio simpliciter: si tamen aliqua relatio esset perfectio simpliciter, maximè de illa videretur.

Ad istas rationes, quæ procedunt ex eodem medio, potest sic responderi, quòd aliud est dicere aliquid esse perfectionem simpliciter: & aliud, aliquid esse perfectionis simpliciter. Primum importat quòd illud essentialiter, siue quidditatiuè sit perfectio simpliciter. Secundum importat, non quòd essentialiter sit perfectio, sed quòd omne tale denominatiuè soli perfectioni simpliciter conueniat.

Ipsum ergo perfectionis simpliciter est quam requirit in illo, de quo prædicatur denominatiuè, & quam ostendit sibi inesse: vtpote † quam vniuersaliter consequitur, & sic est perfectionis simpliciter triplici modo, scilicet præexigendo: ostendendo, siue manifestando: & perfectionem simpliciter consequendo.

Consimiliter exponatur illud Anselmi sic: *In quolibet est melius ipsum quàm non ipsum*, quia hoc verum est intelligendo de prædicatione denominatiua, & præexigendo, ostendendo, & consequendo, vel, *in quolibet est melius ipsum, quàm non ipsum*, quemadmodum esse ipsum denominatiuè ponit illud esse simpliciter perfectum, non quidem sicut aliquid esse album ponit idem esse coloratum, sed sicut aliquid esse album, vel coloratum ponit idem esse superficiatum. Vnde si in aliquo non est melius ipsum esse superficiatum, nec per consequens erit melius ipsum esse album.

Consimiliter exponatur dictum Augustini de *præferri*. Quæ autem sit intentio Anselmi quære cap. 17. vbi ait: *Eodem modo, & vna consideratione est quicquid est, & omnia illa nomina idē significant*. Nomina, inquam, de quibus locutus est priùs: *bonus, iustus*, &c. *Quære à d. 1.q.7.*

¶ Itē, instatur contra rationem: quia concludit quodcunque essentiale esse ad se: quia quodcunque illorum est perfectionis simpliciter, sed illud illarum est falsum: vt patet in exēplis Anselmi & Augustini, quia Augustinus ponit, *potentissimum, iustißimū*, & Anselmus ponit *omnipotentem, iustum*, &c. & tamen ista dicunt respectum ad extrà.

10. Secunda ratio ad considerationem talis est. In Deo est essentia sub completa actualitate essentiæ, & hoc merè ex natura rei, sic intelligendo quòd nec essentia, nec aliquid per se inclusum in illa, vel actualitate eius, sit ibi præcisè ex consideratione cuiuscunque intellectus. Hæc propositio sic intellecta satis patet ex dictis in principio istius articuli, exponendo quid intelligendum sit per istū terminum, qui est *essentia*.

Ex hac propositione sequitur ista, quæ est maior rationis, scilicet quòd si aliquid est idem essentialiter essentiæ, illud est actu in Deo merè ex natura rei, & hoc siue sit idem essentialiter identitate adæquata, sicut in creaturis est illud idem, quod intelligitur per definitionem, ei, quod intelligitur per definitum: siue sit idem tanquam inclusum essentialiter in illo, quomodo illud quod intelligitur per partem definitionis posset dici idem ei quod intelligitur per definitum. *Identitas adæquata, & inadæquata.*

Nam contradictio videtur esse, quòd aliquid sit realiter actu, & quòd illud, quod est idem sibi essentialiter, hoc modo, vel illo, non sit realiter in actu. Nunc autem intellectualitas, siue vita intellectiua, vel intellectualis, est idem essentialiter essentiæ diuinæ, sic intelligendo, quòd non tantùm est idem realiter ipsi essentiæ: & hoc identitate simplici: sicut fortè quodcunque attributum ponitur idem ipsi essentiæ: sed hoc modo est idem sibi, quod si ipsa essentia diuina definiretur, vita intellectualis, siue intellectualitas, non esset extra eius definitionem, sicut *sapiens*, vel *bonum*. *Intellectualitas est de qualitate Dei.*

11. Maior patet: nam, secundùm iam dicta in principio istius articuli, essentia est ibi ex natura rei: ergo quicquid includitur in ratione essentiæ. Minor sic intelligitur, quòd intellectualitas quidem non habet rationem attributi quasi secundi aduenientis ipsi: sed rationem perfectionis omnino intimæ, quemadmodum vita etiam in Deo est actus non attributus, siue adueniens, sed omnino intimus, & idem essentiæ. Ista etiam vita perfecta, quæ soli Deo cōuenit, cuiusmodi est vita intellectualis, est idē essētialiter

Vide 12. Met.tex. com.39. & 35. ipsi primæ essentiæ. Hæc minor sic intellecta probatur auctoritate & ratione: auctoritate Augustini 15. de Trin. c. 5. *Quæ vita*, inquit, *dicitur in Deo, ipsa est essentia eius, atque natura: hæc autem vita non talis est, qualis inest arbori, nec qualis inest pecori, quod habet sensum, sed nullum habet intellectum: at illa vita, quæ Deus est, sentit atque intelligit omnia, & sentit mente, non corpore: quia spiritus est Deus.* Hæc ille. Vult ergo dicere, quòd illa vita, quæ est essentia diuina est per se intellectualis.

Idem 2. de Anima t.c.32. Item, *6. de Trin. c. vlt.* loquens de Deo, ait sic *Vbi est prima, & summa vita, cui non est alind viuere, & aliud esse: sed idem esse, & viuere*: & quale sit illud *viuere*, quia intellectuale, subdit, *primus ac summus intellectus, cui non est aliud viuere, aliud intelligere*, hæc ille. Minor etiam ista ratione probatur sic: Cuicunque non repugnat esse idem alicui substantiæ essentialiter, illud non conuenit verissimè † alicui substantiæ, nisi conueniat sibi essentialiter: sed intellectualitati repugnat esse idem (cui conuenit) essentialiter, sicut patet in creaturis: quia quæcunque substantia est intellectualis: intellectualitas est intra rationem essentialem eius. Sicut etiam in speciali patet in homine, in cuius ratione ponitur *rationale*. Et per consequens ista intellectualitas, quæ per se intelligitur per *rationale*, est idem homini essentialiter, imò vt actualissimum & conpletissimum in essentia: ergo cùm Deus verissimè sit intellectualis, eius intellectualitas erit idem essentialiter eius essentiæ.

Al. illi.

Tertia ratio [t] sumitur ex parte intellectus diuini sic: Nullus intellectus habet *esse* actuale proprium, & primum intellectus per aliquem actum intelligendi conuenientem sibi, vel supposito secundùm ipsum. Hoc patet: quia omnis actus intelligēdi, vel naturaliter præexigit intellectum, cuius est, habentem proprium actuale *esse* intellectus, vel saltem coëxigit, ita quòd nullo modo tale *esse* actuale proprium intellectus, nec aliquid per se inclusum in tali *esse* actuali, per actum intelligendi ipsi intellectui attribuitur. Quia omnis actus est posterior; & ideò præexigit suum prius; ergo in Deo intellectus, vt intellectus suum primum *esse* actuale, nec aliquid per se inclusum in illo *esse*, non habet præcisè per *intelligere* diuinum; sed comparatio essentiæ diuinæ ad quodcunque extrà habet proprium & primum *esse* suum actuale per *intelligere* diuinum: ergo intellectus in Deo, vt actu intellectus, non includit aliquam comparationem ad extrà. Probatio minoris: comparatio cuiuscunque intrinseci in Deo ad quodcunque extrinsecum, cùm sit respectus rationis, habet *esse* suum primum, & proprium per actum alicuius intellectus comparantis; sed quodcunque intrinsecum potest ad quodcunque extrinsecum per quemcunque actum intellectus creati comparari, illud ad idem comparari potest per actum intellectus diuini, quia intellectus ille potest obiectum illud sub omni ratione ex parte obiecti intelligere, sub qua est intelligibile [u] cùm sit ei adæquatus, & eius comprehensiuus; sed quicquid intellectus diuinus potest ad quodcunque comparare [x] intelligendo, hoc actu intelligendo comparat, quia nulla est ibi potentia sine actu ad quodcunque intrinsecum, ergo per actum intellectus diuini actu comparatur quodcunque intrinsecum ad quodcunque aliud, ad quod potest intelligendo comparari, & per consequens comparatio cuiuscumque talis ad quodcunque tale, habet *esse* suum proprium actuale per actum intellectus diuini comparantis: non dico quæcunque comparatio huius ad hoc, quia non formaliter illa: quia intellectus creatus comparabit, sed aliqua comparatio huius extremi ad hoc extremum. 12

Intellectus Dei potest comparare ad extrà.

3. Phy. t.31.

Ex hoc vlteriùs patet secunda pars minoris, scilicet quòd comparatio alicuius intrinseci ad aliquod extrinsecum habet suum primum *esse* & proprium per illud *intelligere*: quia illud *intelligere* est primum *intelligere* respectu huius obiecti, & primitate essentiali, siue perfectionis: & primitate durationis: quia æternum. Nec enim est simul perfectione cum *intelligere* creato, nec posterius: quia vtroque modo sequitur quòd esset limitatum, & mensuratum, nec est simul, nec posterius duratione quocunque *intelligere* creato, quia tunc sequeretur quòd *intelligere* in Deo, vt *intelligere*, esset nouum.

ADDITIO. *Vel sic potest formari ratio: nulla potentia habet suum primum* esse *per operationem suum. Hoc patet de se: quia nihil seipsum producit ad* esse, *vt sit.* 1. de Trin. *nec per consequens aliqua potentia per operationem, quæ est ab ipsa, accipit suum* esse *primum: sed omne* intelligere *est operatio intellectus, vt intellectus: ergo intellectus, vt intellectus, non habet primum* esse *in Deo per operationem suam: sed quicquid est in Deo per comparationem ad extrà, inquantùm huiusmodi, habet suum* esse *per intellectus operationem, siue intellectionem, quia* esse *eius consistit in consideratione intellectus: cùm sit* esse *relationis rationis*: ergo, &c.

Quarta

13. Quarta ratio sumitur y ex parte operationis, seu actus intelligendi, & hoc sic. Actus ille, quo Deus comprehendit essentiam suam, vt obiectum beatificum, sub ratione, qua talis, est in Deo ex natura rei: sed per *intelligere*, vt *intelligere*, comprehendit essentiam suam vt obiectum beatificum, ergo. Maior probatur, quia infinitas intensiua non competit alicui enti rationis, sed solùm enti reali, quod arguo, quia omne ens rationis est sola relatio rationis, sed nulli relationi infinitas competit, etiam reali: vt patebit *infrà q.5.* Illud autem quo Deus comprehendit essentiam suam, vt infinitam, sub ratione, qua est comprehensiuum, est infinitum, quia infinitum obiectum, vt infinitũ, comprehēdi nō potest aliquo actu nisi infinito, vt infinito; ergo cùm infinitum simpliciter in perfectione nō includat per se aliquid, cui intrinsecè repugnat infinitas: sequitur, quòd infinitum simpliciter non est ens rationis, nec includit per se primò ens rationis. *2. de Anima t.42. c.1.* *Infinitum non includit ens rationis.*

Istas propositiones expositas, & probatas coniungendo loco maioris, & minoris in syllogismo, arguitur sic. Illud quod est essentiæ diuinæ idem essentialiter est actu in Deo merè ex natura rei: sed intellectualitas, siue vita intellectualis est huiusmodi, ergo est in Deo merè ex natura rei.

14. Ex hoc vlteriùs: quicquid est actu intellectuale, siue viuens vitâ intellectuali, & hoc merè ex natura rei, habet actu, vel potest habere actu intellectum, vt intellectum, & *intelligere*, vt *intelligere*, Deus autem est actu intellectualis, siue viuens vitâ intellectuali merè ex natura rei; sicut conclusum est in primo syllogismo; ergo Deus habet actu, vel actu potest habere intellectum, vt intellectum, & *intelligere* vt *intelligere*: sed non potest habere actu aliquod ens reale, siue ex natura rei, quod iam non habet ex natura rei, quia hoc esset contra eius simplicitatem: ergo Deus actu habet intellectum, vt intellectum, & *intelligere*, vt *intelligere*, & hoc merè ex natura rei: sed nullus respectus Dei est ad extrà, nec aliquid per se includens talem respectum est in Deo actu ex natura rei, quia respectus eius ad extrà non potest esse nisi relatio rationis: ergo aliquod essentiale, puta *intelligere* est sic absolutum, quod nec est respectus ad extrà, nec per se talem respectum includens. Maior secundi syllogismi probatur sic, natura viuens verè habet realiter, vel habere potest operationem vitalem, quæ sit ens reale, sic intelligendo, quòd nec sit ens rationis, nec per se tale ens includens: quia operatio talis est propria perfectio naturæ intellectiuæ, vnde & in ista ponitur consistere beatitudo talis naturæ. Propria autem perfectio, & præcipuè beatifica naturæ habentis *esse* viuum ex natura rei, non potest esse ens rationis, nec per se includens ens rationis: quia ens rationis est ita diminutum, quòd nō potest esse perfectio per se entis realis, nunc autem intellectio, vt intellectio, est propria operatio naturæ viuentis vita intellectuali. *Nullus respectus ad extrà est in Deo ex natura rei.*

Et si proteruiendo negetur hoc in Deo, Philosophus videtur specialiter hoc concedere de ipso 12. Met vbi tractans quæstionem de Intellectu & *intelligere* diuino, ait sic: *si non intelligat*, supple Deus, *actu, sed habet se quemadmodum sit dormiens, quid vtique*, inquit, *esset insigne & venerabile, siue intelligat? non est autem hoc, quod sua intelligentia, sed potentia. Non erit itaque optima substantia: per* intelligere *enim ei honorabile inest.* Ideo 10. Ethic. c. 10. *Perfecta felicitas, quoniam speculatiua quædam est operatio, apparet, & hinc vtique apparebit. Deos enim maximè suspicati sumus beatos & felices esse: actiones autem quales attribuere debitum est ipsis*, & post exclusis ab eis actionibus virtutum moralium, subdit: *sed tamen viuere omnes suspicati sunt eos, & operari, non enim oportet dormire.* Et paulò pòst concludit; *quare Dei operatio beatitudine differens speculatiua vtique erit, & humanarum vtique, quæ huic cognatissima felicissima.* *Tex. 51.*

COMMENTARIVS.

16. q QVia verò solutio, &c. Hîc Doctor intendit probare quòd sint multa essentialia in Deo, quæ nullum respectum includunt ad extrà, & probat quatuor rationibus.

r *Prima ratio talis est, quod est perfectionis simpliciter.* De hoc vide quæ exposui in primo, d.2. parte secunda q.1. art.1. Quidquid enim per se includitur in perfectione simpliciter, est perfectio simpliciter: patet, quia tota entitas perfectionis simpliciter est ex omnibus per se, & quiditatiuè inclusis. Sequitur in litera: *Sed relationi ad creaturam repugnat quòd sit perfectio simpliciter*, &c. Tota probatio huius stat in hoc, quia si relatio ad sui *esse* de necessitate coëxigit secum ens imperfectum, vel potentiale, quod scilicet natum est esse subiectum accidentium, vel possibile, quod potest esse, & non esse, necessariò erit imperfecta, patet. Tum, quia dependet ad ens imperfectũ. Tũ, quia tali termino destructo necessariò destruitur relatio, cùm in suo *esse* necessariò depen-

deat ab illo, & sic non erit necesse esse, nec per consequens perfectio simpliciter. Et quod dicit de coëxigētia secum simul, vel priùs. Aliqui exponunt simultatem respectu relatiui, quia relatiua sunt simul naturâ, & prioritatem exponunt de absoluto correlatiui. Sed hæc expositio non videtur ad mentem Doctoris, quia tam *simul*, quàm *prius* debet referri ad terminum talis relationis, & non ad correlatiuum, patet per literam Doctoris cùm dicit: *Eo modo quo relatio coëxigit terminum tanquàm scilicet aliquid secum*, &c. Dicit ergo quòd si relatio coëxigit ad sui *esse* terminum potentialem, siue quòd ille terminus necessariò sit simul, siue sit prius ipsa, &c. Sequitur ibi, *Minor patet ex intentione Anselmi.* Ista minor est: sed aliquod essentiale est perfectio simpliciter. Quæ minor probatur auctoritatibus & Anselmi Monol. 15. & Augustini 15. de Trin. c. 4. vel 5. quæ probatio clara est in litera.

17. *Difficultates notandæ.* In ista tamen litera occurrunt aliquæ difficultates. Prima in hoc, quod dicit, quòd perfectio simpliciter non includit aliquid per se, cui repugnat ratio perfectionis simpliciter, & hoc videtur dubium. Tum, quia essentia diuina includit per se propriam hæcceitatem, cui tamen repugnat ratio perfectionis simpliciter, vt patet. Quòd autem sic per se includat, patet à Doctore *in primo, d. 2. d. 5. q. 2. & alibi*, vbi dicit quòd Deitas est formaliter de se hæc. Tum etiam, quia vltimæ differentiæ ex quo non sunt ens quiditatiuè, nec passiones entis, non videntur perfectiones simpliciter, & tamen per se videntur includi in aliquibus perfectionibus simpliciter, vt vltima differentia, quâ bonitas infinita differt à sapientia diuina infinita. Et quòd talis differentia vltima per se includatur in entitate cuius est, videtur innuere Doctor *in 1. d. 3. q. 3.* Tum, quia conceptus entis vt huiusmodi, non dicitur quòd sit perfectio simpliciter, quia vt sic, non includit infinitatem, & tamen per se includitur in perfectione simpliciter: patet, quia per se primo modo prædicatur de Deo, & de intellectu diuino, vt probat Doctor *d. 3. q. 1. & 4. & d. 8.*

Secundò dubitatur circa hoc, quod dicit, quòd *illi repugnat perfectio simpliciter, quod coëxigit secum, vel simul, vel priùs naturâ terminum imperfectum*, quia intellectio diuina est perfectio simpliciter, & tamen necessariò est ad terminum imperfectum, quia ad obiecta secundaria. Est enim impossibile esse intellectionem diuinam quin ad obiecta secundaria terminetur, vt posset patere à Doctore *in 1. d. 3. quæst. 4. dist. 35. 36. 43. & in Quodlib. quæst. 13.*

Tertiò dubitatur in hoc, quod dicit, quòd *illud quod non est simpliciter necessarium non est perfectio simpliciter*: quia aut loquitur de necessariò formaliter, & ex sua ratione formali; aut quia realiter identificatur alicui, quod ex sua ratione formali est necesse esse. *An attributa sint perfectiones simpliciter.* Si intelligatur primo modo, non videtur esse verū, quia attributa multa in diuinis sunt perfectiones simpliciter, & tamen non videntur formaliter necessaria. Non enim bonitas Dei formaliter sumpta, videlicet pro sua ratione formali, videtur formaliter necessaria. Tum, quia in diuinis essent plura necesse esse actu existentia, quià *necessitas* est conditio existentis. Tum, quia ratio formalis bonitatis non videtur formaliter necesse esse, quia tunc (cùm differat formaliter à sapientia diuina, vt patet à Doctore *in primo, d. 8. q. penult.*) id in quo conueniret quiditatiuè cum alio attributo, & id quo differret, esset necesse esse, & sic in bonitate diuina essent duæ rationes necessariò essendi, etsi, per possibile, vel impossibile, circunscripta alia ratione necessariò essendi esset necesse esse, & non necesse esse, vt faciliter potest deduci per argumentum Doctoris *dist. 2. par. 1. primi Sententiarum.*

Respondeo ad difficultates. Et ad primam dico, quòd omne inclusum per se primo modo in perfectione simpliciter est perfectio simpliciter propter rationem Doctoris. Ad instantias, cùm dicitur de hæcceitate Dei. Dico quòd hæcceitas Deitatis nullo modo differt à Deitate, cùm Deitas sit ex sua ratione formali *hæc*, ita quòd hæcceitas non dicitur propriè de formali ratione Dei, cùm nullo modo differat. Non enim est aliquo modo actus essentiæ diuinæ, vt patet à Doctore *in primo, d. 5. q. 2.* Essentia enim diuina vt essentia, est in vltima, & perfectissima actualitate, vt patet à Doctore in pluribus locis. Posito etiam per impossibile, quòd differret ab essentia, & esset de essentia ipsius, dico quòd hæcceitas illa esset perfectio simpliciter, quia etiam in creaturis diceret perfectionem additam naturæ creatæ, vt patet à Doctore *in primo, d. 5. q. 2. & in 2. d. 3. q. 6.* Si ergo in diuinis diceret perfectionem, non posset dicere nisi perfectionem simpliciter, cùm omnis perfectio diuina sit perfectio simpliciter. Non est autem sic de actu personali, quia talis nullam perfectionem includit, vt patet à Doctore *in primo, d. 26. & alibi sæpè.* 18. *Responsio ad difficultates.* *Ad primam difficultatem.*

Ad secundā. Ad secundam instantiam de vltimis differentiis, &c. Dico, quòd bonitas diuina fortè seipsa differt à sapientia diuina, quia fortè non habet quo conueniat, & quo differat, etsi conueniunt in aliquo conceptu communi in quid, non tamen fortè conueniunt in aliqua realitate quiditatiuè. Posito etiam quòd in bonitate includeretur per se ex natura rei aliqua vltima differentia, dico, quòd illa esset perfectio simpliciter, nec enim est necesse quòd omnis perfectio simpliciter sit ens quiditatiuè, aut passio entis, sufficit enim quòd sit entitas, cui ex sua ratione non repugnet infinitas. Quæcunque enim entitas dicens perfectionem, vel cui ex ratione sua formali non repugnat perfectio, si ponitur formaliter in diuinis, erit necessario perfectio simpliciter, cùm ibi nulla sit perfectio nisi in summo.

Ad tertiam. Ad tertiam instantiam de conceptu entis, &c. Dico primò, quòd ens in communi est perfectio simpliciter, saltem permissiuè, quia potest esse in aliquo actu perfectio simpliciter. Dico secundò, quòd etsi conceptus entis prædicetur in *quid* de Deo, adhuc non sequitur quod infertur, quia distinguo de *prædicari in quid.* *Aliquid dicitur prædicari in quid duobus modis.* Aliquid enim prædicatur in *quid* de alio, ita, quòd est verè de quiditate, & essentia illius, & per se includitur in intellectu eius, de quo prædicatur. Aliquid verò dicitur prædicari in *quid* tantùm conceptibiliter, non tamen est de essentia illius, sed ex hoc dicitur prædicari in *quid*, quia abstrahitur ab entitate quiditatiua. Hoc secundo modo conceptus entis prædicatur in *quid* de Deo, non autem primo modo. Et de hoc vide quæ exposui super primo Doctor. *d. 2. p. 2. q. 1. ar. vlt. & d. 25. q. vnica.* Dico tertiò, quòd accipiēdo entitatē quæ dicitur de Deo, pro entitate ex natura rei, illa erit perfectio simpliciter.

Ad secundum dubium principale est facilis responsio,

Ad secundū dubium. responsio, quia etsi actus intellectus diuinus terminetur ad obiecta secundaria, non tamen sic coëxigit illa secum, nec simul, nec in aliquo priori naturæ, cùm illa sint producta in tali *esse* ab actu illo. Simpliciter enim est prior actus intellectus diuini quàm sint obiecta secundaria, imò intellectio diuina est etiam prior personis diuinis, cùm sit perfectio essentialis, & personæ sunt simpliciter priores obiectis secundariis, cùm personæ intelligantur esse in primo instanti naturæ, & obiecta secundaria sunt tantùm in secundo instanti naturæ, vt subtiliter probat Doctor *in secundo, d.* 1. *q.* 1. & ibi vide quæ singulariter notaui de istis ordinibus *prioris*, & *posterioris*. Dico secundò, quòd Doctor limitatè loquitur, & non sic absolutè: intelligit enim sic, quando *A*, coëgit secum *B* ad sui *esse*, vel simul, vel priùs naturâ, ita quòd *B* non existente impossibile est *A* esse, &c. Et quòd sic intelligat, patet cùm ibi dicit: *Quod autem necessariò coëxigit aliquod ens potentiale, eo modo quo relatio coëxigit terminum,* &c. Sed relatio sic coëxigit terminum, quòd est impossibile ipsam esse, termino non existente. In proposito autem intellectio diuina ad sui *esse* non coëxigit secum aliquam creaturam, &c. patet, quia in se est prior, etsi, per impossibile, nulla creatura esset, nec in *esse* simpliciter, nec in *esse* secundùm *quid*, esset necessariò intellectio diuina.

Ad vltimum dubium. Ad vltimum dubium dico, quòd esset formaliter necesse esse, ita, quòd entitas bonitatis diuinæ esset simpliciter necessaria formaliter, licèt originatiuè ab essentia diuina. Et cùm dicitur, quòd tunc essent plura *necesse esse*. Dico, quòd non est inconueniens esse plura *necesse esse*, tantùm formaliter distincta, esset benè inconueniens, si essent realiter *distincta*. Et cùm vltimò dicitur, quòd essent in illa plures rationes formales necessariò essendi, Patet responsio ex his quæ notaui in primo d. 1. parte 1. q. 1. art. vlt.

20. r *Pro ista sententia potest adduci Hilarius,* &c. Hoc est extra literam Doctoris vsque ibi: *Secunda ratio ad conclusionem*, &c. Non tamen credo illam literam continere aliquid falsi, rectè intelligendo. Et quia illa tres rationes, quæ sumūtur ex prima ratione videntur concludere de omni respectu ad extrà, quòd non sit perfectio simpliciter, cuius tamen oppositum patet per Anselmum & Augustinum, quia Augustinus ponit *potentissimum, iustissimum*, &c. & Anselmus ponit *omnipotentem, iustissimum*, &c. & tamen ista dicunt respectum ad extrà.

Aliud est esse perfectionis simpliciter, & aliud est esse perfectionem simpliciter. Respondet distinguendo de perfectione simpliciter. Quia aliud est esse *perfectionis simpliciter*, & aliud esse *perfectionem simpliciter*. Secundum importat esse essentialiter, & quiditatiuè perfectionem simpliciter, ita quòd illud tale præcisè sumptum in suo *esse* formali, siue essentiali, circumscripto omni eo, quod non est de intellectu eius, dicit perfectionem simpliciter. Et hoc modo nulla relatio, siue ad intrà, siue ad extrà; siue realis, siue rationis, est perfectio simpliciter; & sic illæ rationes concludunt. Primum verò importat, non quòd tale sit perfectio simpliciter quiditatiuè, sed quòd tale denominatiuè soli perfectioni simpliciter quiditatiuè acceptæ conueniat. Et hoc modo sunt multæ perfectiones simpliciter in Deo, sicut respectus omnipotentis, qui terminatur ad obiectum possibile, qui tantùm fundatur in aliquo absoluto, in Deo dicente perfectionem omnino illimitatam, siue perfectionem simpliciter: patet, quia talis respectus non potest fundari in aliqua creatura, quamuis perfectissima. Hoc idem dico de multis aliis relationibus ad extrà, & hoc modo illæ rationes non procedunt. Hoc etiam modo aliquid potest dici perfectionis simpliciter tripliciter. Primò, præexigēdo, vt creatio respectus præexigit necessariò aliquid, in quo fundetur quod sit perfectio simpliciter, puta, voluntatem diuinam Secundò, ostendendo, siue manifestando, & sic cognito isto respectu, qui est *creare* manifestatur nobis aliqua ratio formalis absoluta, quæ sit ratio formalis creandi, quæ erit perfectio simpliciter. Tertiò, consequendo perfectionem simpliciter, sicut relatio creatoris ad creaturam consequitur potentiam creatiuam, quæ necessariò est perfectio simpliciter, accipiendo potentiam creatiuam tantùm fundamentaliter. His ergo tribus modis potest concedi respectum aliquem, siue rationis esse perfectionis simpliciter. *Aliquid potest dici perfectionis simpliciter tripliciter.*

21. s *Item instatur contra rationem.* Hîc Doctor instat contra primam rationem principalem, quia si nulla perfectio simpliciter includit respectum ad extrà, ergo nullum essentiale includit respectum ad extra, cùm omne tale sit perfectio simpliciter. Hoc autem est falsum, & contra Anselmum, & Augustinum, qui ponunt multa essentialia includere respectum ad extrà, quæ, secundùm eos, dicunt perfectionem simpliciter, vt patet de *omnipotente & iustissimo*.

Respondeo, quòd si accipitur essentiale illud, puta *omnipotentem*, pro respectu solo ad creaturam, sic non est perfectio simpliciter, licèt possit esse perfectionis simpliciter, modo præexposito. Si verò accipiatur pro immediato fundamento, quia omnis talis respectus immediatè fundatur in aliquo absoluto, vt suprà patuit, tunc erit perfectio simpliciter, quia fundamentum illud erit aliqua perfectio absoluta in Deo; & omnis talis est perfectio simpliciter. Si verò accipiatur pro fundamento, & respectu simul, tunc non dicunt vnum conceptum per se, vt suprà patuit à Doctore Et sic patet ad instantiam.

Secunda ratio principalis. Hæc est secunda ratio principalis, quâ Doctor intendit probare, quòd aliquod attributum, siue aliquod essentiale non includat per se respectum ad extrà, & accipit in ista ratione *essentiale*, non tantùm pro essentiali attributo, vt bonitas, quæ non est de essentia Dei, & tamen est essentiale. Sed etiam accipit hîc *essentiale* pro eo, quod est de essentia Dei, cuiusmodi est intellectualitas, &c. Et licèt in ista quæstione principaliter intendat loqui de essentiali, quod non est de quiditate Deitatis, cùm quærit an essentialia sint immediatiora essentiæ, quàm notionalia, incidentaliter tamen probat hîc de essentiali quiditatiuo, quòd non includat respectum ad extrà, vt vult Thomas vbi suprà, & Gotfredus, quòd in Deo sunt ibi intellectus, & voluntas, tantum per comparationem ad extrà, contra quam opinionem etiam subtiliter arguit Doctor *in primo, d.* 8. *q. penult.* & vide quæ ibi exposui. Hoc præmisso, expono rationē Doctoris. Cùm dicit, quòd in Deo est essētia merè ex natura rei, quæ ex se nullū includit respectū ad extrà. Et hoc statim intendit inferre, quòd omnia quæ sunt de cōceptu quiditatiuo essētiæ, sint ibi ex natura rei. Et ab omnibus communiter conceditur, quòd in Deo est essentia sub ratione absolutissima, sic quòd *Nota.*

quòd nullum includit respectum ad extrà, sequitur quòd habent hoc idem concedere de intellectu, & voluntate.

His præmissis formatur ratio: Quidquid est idem alicui habenti *esse* ex natura rei, idem dico essentialiter illud, quod est sic idem, est ibi merè ex natura rei: sed intellectualitas est idem essentialiter essentiæ diuinæ habenti verum *esse* ex natura rei; ergo intellectualitas est in Deo merè ex natura rei. Maior declaratur quomodo intelligatur, & postea probatur. Dicit enim, & hoc siue sit idem essentialiter identitate adæquata, id est, conuertibili, vt etiam exposui in primo, *dist.2. par.2.* sicut in creaturis definitio est idem definito. Siue sit idem tanquam inclusum essentialiter in illo, quomodo illud quod intelligitur per partem definitionis posset dici idem ei, quod intelligitur per definitum. Hoc præmisso, probat maiorem sic; quia videtur contradictio quòd aliquid sit realiter in actu, & quòd id quod est idem essentialiter, siue adæquatè, siue non adæquatè non sit realiter in actu. Minor patet, quia intellectualitas sic est idem essentiæ diuinæ, quòd si essentia diuina definiretur, non esset extra definitionem eius, sicut sapiens, vel bonum esset extra definitionem essentiæ diuinæ, si definiretur. Et post declarat quomodo vita, & intellectus sunt idem essentiæ, quia non habent rationem attributi, quasi actus secundi aduenientis ipsi, sed rationem perfectionis omnino intimæ, & hoc probat tam de vita, quàm de intellectualitate per auctoritates 15. de Trin. cap. 5. vel 7. quæ sunt claræ in litera.

Intellectualitas ponitur de essentia Dei similiter vita.

23. Ponitur vnum *Extra*. Paulò ante ibi: *Nam licèt aliquid possit esse in re ex natura rei, licèt eius definitio, vel pars definitionis non sit actu completo in re, sed tantùm in intellectu considerante, tamen id quod intelligitur per definitionem, vel partem definitionis, sicut significatum per ipsum signum, necessariò est in re actu, si id quod intelligitur per definitum sit in re actu.* Sed quomodo hæc litera intelligatur, vide quæ suprà exposui de definitione in præsenti quæstione, quomodo definitio potest dici ens rationis, & quomodo non.

Opinio aliquorum Scotistarum.

Aliqui tamen Scotistæ arguunt, probando quòd vita intellectualis non sit de essentia Deitatis. Et arguunt sic: Intellectus & voluntas non sunt idem formaliter essentiæ diuinæ: sed vita intellectualis sumitur ab intellectu; ergo non est idem perfecta identitate essentiæ diuinæ. Respondetur, præmittendo vnum, quòd prædicata quædam sumuntur à composito, puta ab homine, genus, & differentia secundùm aliquos Scotistas, sumuntur á parte, puta rationale ab intellectu, & genus à parte materiali, puta ab anima sensitiua. Isti tamen dicunt quòd prædicatum formale tantùm sumitur à tertia entitate, puta ab humanitate, & sic est de essentia, & quiditate ipsius. Et sic dicunt quòd vita intellectualis non sumitur ab intellectu diuino, sed ab essentia diuina.

24. *Isti non loquuntur secundum intentionem Scoti.*

Dico primò, quòd isti non loquuntur secundùm intentionem Scoti scilicet quod differentia sumatur tantùm à tertia entitate. Doctor enim expressè vult *in primo, dist.3. quæst.3.* quòd sumatur à parte formali, vbi sic dicit ad literam: *Distinguo*, inquit, *de differentiis, quia aliqua potest sumi à parte essentiali vltima, quæ est res, & natura alia ab illo, à quo sumitur conceptus generis. Sicut si ponatur pluralitas formarum, & genus dicatur sumi à parte essentiali priori, & differentia specifica a forma vltima: tunc sicut ens dicitur in* quid *de illa parte essentiali, à qua sumitur differentia talis specifica, ita dicitur in* quid *de tali differentia in abstracto, ita quòd sicut hæc est in quid,* Anima intellectiua est ens, *accipiendo eundem conceptum entis, secundùm quem dicitur de homine, vel de albedine, ita hæc est in* quid, *Rationalitas est ens.* Hæc Scotus. Item in primo, dist. 8. quæst. 2. sic dicit: *In aliquibus*, inquit, *creaturis genus, & differentia accipiuntur ab alia, & alia re, sicut ponendo plures formas in homine, animal accipitur à sensitiua, & rationale ab intellectiua, & tunc illa res, à qua accipitur genus, verè est potentialis, ab illa re, à qua accipitur differentia. Aliquando ibi non sunt res, & res, sicut in accidentibus, saltem in vna re est aliqua prima realitas, à qua sumitur genus, & alia realitas, à qua sumitur differentia.* Hæc ille ad literam. Hoc etiam idem patet in pluribus aliis locis, sed ista sufficiant pro nunc. Posset etiam probari ratione ostensiua, & ratione ducente ad impossibile, quòd vltima differentia in composito reali non potest sumi à tertia entitate. Sed quia hoc esset multùm declinare à principali proposito, ideò ad præsens omitto. Et faciliter potest responderi ad rationem illius, & dico, quòd intellectualitas est de essentia Deitatis, quicquid sit de intellectu, quia vt sic, fortè non ponitur de essentia, & similiter quiditas voluntatis est de essentia, etsi fortè voluntas, vt sic, nō sit de essentia, & tunc si vita intellectualis sumitur ab istis, patet quòd erit de essētia Deitatis.

Intellectualitas est de essentia deitatis.

Sed occurrunt aliquæ non paruæ difficultates. 25.
Difficultates notandæ.

Prima est de hoc, quod dicit Doctor quòd intellectualitas est de essentia Deitatis, quia si sic, sequitur quòd voluntas erit similiter de essentia, cùm non sit maior ratio de vno, quàm de alio, & sic videntur sequi aliqua falsa. Primò, quia tunc essentia esset necessaria duplici ratione formali necessitatis, & nunc per argumentum Doctoris *in primo, d.2. p.1. q.1. art. vlt.* per impossibile circunscripta vna ratione formali, necessariò essendi, essentia diuina esset simpliciter necesse esse, stante vna ratione formali necessariò essendi, & tunc esset necesse esse alia circunscripta. Sed intellectus, & voluntas sunt duæ entitates distinctæ in essentia diuina, & formaliter necessariæ, vt patet: ergo. Secundò, sequitur quòd intellectus, & voluntas si ponantur de essentia Dei, dicunt duas existentias alias ab existentia essentiæ diuinæ, quod videtur inconueniens. Patet consequentia. Tum, quia existentia ponitur de essentia Dei, ergo quæcunque sunt de essentia Dei, verè existunt, & vt existunt sunt de essentia Dei, & sic duæ existentiæ ab inuicem distinctæ sunt de essentia Dei, quod videtur omnino absurdum. Tum, quia per Doctorem *præsenti quæst.* qui facit hanc consequentiam, essentia est in diuinis simpliciter ex natura rei; ergo quicquid est de essentia eius, est ibi ex natura rei, supple in actuali existentia; ergo. Tum, quia ponuntur principia formalia perfectissima, tam operatiua, quam productiua, vt patet à Doctore in pluribus locis; ergo propriam includunt existentiam.

Secunda difficultas est, quia ponendo intellectualitatem de essentia Dei, statim videtur cōtradicere dictis suis, quia ponit intellectum dici vniuocè de intellectu creato, & de intellectu diuino; ergo cùm intellectus creatus non sit de essentia animæ, sed tantùm eius potentia, vt patet ab ipso *in 2. d. 16.* sequitur quòd etiam intellectus diuinus non erit de essentia Dei. Patet consequē- 26.
tia,

tia, quia intellectus creatus, & diuinus sunt eiusdem rationis, cùm conueniât quiditatiuè in intellectu communi: ergo si vnus non est de essentia alicuius, nec alius similiter erit.

Respondeo, & primò suppono aliqua. Primum, quòd quicquid est in diuinis ex natura rei, sic est in vltima, & perfectissima actualitate, vt sibi omnino repugnet posse determinari, vel contrahi ad aliquam maiorem actualitatem. Hoc satis patere potest ex multis dictis Doctoris *in primo, dist. 2. par. 1. quæst. 1. & par. 2. q. 1. d. 5. q. 2. d. 26.* & sic intellectus, & voluntas sunt ibi ex natura rei in vltima actualitate. Secundò suppono, quòd aliquid esse de essentia alicuius, potest multipliciter intelligi. Primò, quòd sit de essentia constitutiuè; ita quòd sit realis quiditatiuè constituens aliquid in *esse* essentiali, vel quiditatiuò. Secundò aliquid potest dici de essentia, quòd licèt non constituat, tamen est ita intimum illi, quòd non distinguitur ab illo, nec vt quasi passio, sed circunscripta omni passione adhuc est intimum, & sic intimum, vt ipso circunscripto esset impossibile perfectè intelligere illud, cui ponitur sic intimum: sic vt nec perfectè essentialiter, siue quiditatiuè intelligi pollet, & hoc ex natura rei. Tertiò, aliquid potest dici de essentia; non quòd quiditatiuè constituat, nec sit ex natura rei distinctum, sed quòd sit talis entitas, à qua per intellectum possit abstrahi aliquis conceptus dictus in *quid*, eo modo quo exposui *in primo, d. 2. par. 2. q. 1. ar. vlt. d. 25. q. vnica.* Vide ibi aliqua valde notabilia. Quartò aliquid potest dici de essentia alicuius, ex hoc, quòd est talis entitas, quæ si realiter, vel ex natura rei distingueretur ab illo, cuius ponitur de essentia, verè includeretur quiditatiuè, & ex natura rei constitueret quiditatiuè. Dico tunc, quòd primo modo nihil potest poni de essentia Dei, quia tunc esset ibi saltem quasi compositio, quæ omnino sonat imperfectionem. Et ideò Doctor *in primo, dist. 5. quæst. 2. & dist. 26.* negat in diuinis omnem compositionem, vel quasi compositionem. Secundo modo potest aliquid esse de essentia Dei, quia hoc modo nullam ponit compositionem, nec quasi compositionem, nec sonat imperfectionem aliquam: & hoc modo intellectualitas ponitur de essentia Dei, vt patet à Doctore *præsenti quæst.* Tertio modo fortè potest poni aliquid de essentia, quia conceptus entis potest abstrahi ab aliqua realitate, qui dicitur in *quid* de Deo: sed ille conceptus est simpliciter posterior; nec tamen sic intelligo, quòd possit abstrahi ab aliqua realitate essentiæ diuinæ, ita quòd talis realitas possit ex natura rei intelligi prior ipsa essentia, quia hoc sonat imperfectionem. Non enim ibi poni potest talis realitas ex natura rei. De hoc vide quæ exposui in primo, *dist. 2. dist. 8. & 25.* Quarto modo potest poni aliquid esse de essentia Dei, quia sibi intellectualitas esset distincta ex natura rei, ibi constitueret, vel quasi constitueret quiditatiuè, quia constitutiuum quiditatiuè distinguitur à constituto, & hoc si sit constitutiuum ex natura rei, vt patet de anima intellectiua, & vbi communiter est talis constitutio, est compositio.

Aliquid esse de essentia alicuius potest multipliciter intelligi.

27. Ex his patet responsio per ordinem ad rationes factas pro illis difficultatibus. Ad primam, cùm arguit, quia tunc essent ibi duæ rationes primales necessariò essendi. Dico, quòd si intellectus, & voluntas essent ibi vt constitutiuæ quiditatiuè essentiæ diuinæ, & inter se formaliter distinctæ, argumentum concluderet, sicut etiam concludit argumentum Scoti *in primo, dist. 2.* quia si duo essent dij, non differrent specie, sed essent eiusdem speciei specialissimæ, & sic haberent ex natura rei quo conuenirent quiditatiuè, & quo differrent numeraliter, & per consequens essent ibi duæ formalitates ex natura rei, ex quibus constitueretur vnus Deus, vt suprà exposui. Sed intellectus, & voluntas non sunt huiusmodi, vt patet. Et posito quòd intellectus, & voluntas distinguantur in Deo ex natura rei, vel etiam formaliter, adhuc non sequitur, quia nullo modo essentia diuina, nec secundùm rem, nec quasi secundùm rem dicitur constitui ab eis, sed omnino sunt intimæ essentiæ diuinæ. Dico secundò, quòd quando Doctor loquitur de intellectualitate, quòd non loquitur de intellectù, vt est potentia, sed loquitur de natura intellectuali, siue de entitate intellectuali, ad quam immediatè suo modo pullulant intellectus, & voluntas, sicut dicimus, quòd anima est natura, siue entitas intellectualis, includens suo modo intellectum, & voluntatem, quæ anima propriè est de essentia hominis, non tamen intellectus, nec voluntas. patet, quia non sunt de essentia animæ intellectiuæ, nec è contra. Sic dico in proposito, quòd entitas intellectualis est de essentia Dei, non tamen constitutiuè, cùm ex natura rei sit omninò idem essentiæ, & si definiretur; definiretur per huiusmodi entitatem, quæ entitas est realiter, & vnitiuè intellectus, & voluntas, vt sunt potentiæ. Et si in aliquibus inueniatur dictum quòd intellectus, & voluntas sunt de essentia Dei, exponatur, vt hîc. Et quòd Doctor non intelligat quòd sint de essentia Dei, patet, quia vult *in primo, d. 2. par. 2. q. 4. & alibi*, quòd sint principia formalia omnino diuersarum rationum. Vnde *in quodl.* vult, quòd generatio, & spiratio omnino sint alterius rationis, quia sunt à principiis productiuis alterius rationis. Hoc idem patet *d. 13. primi.* Tunc vltrà, si sunt duæ potentiæ ex natura rei formaliter distinctæ, & certum est quòd vna non est determinatiua alterius, cùm sint ibi in summa actualitate, nec sunt tales entitates in quocunque, quòd vna sit determinabilis ab alia. Tum etiam, quia tunc sequeretur quòd distinguerentur formaliter ab essentia, si ab inuicem distinguerentur formaliter, & sic non essent de essentia eius. Si dicatur, ergo videretur quòd si intellectus, & voluntas non sunt de essentia Dei, quòd sint attributa, cuius oppositum patet *hîc, & in primo, d. 8. q. penult.* Dico, quòd non sequitur, sed sunt sic intimæ, quòd circunscripto omni attributo, adhuc intellectus, & voluntas essent ibi ex natura rei; attributa enim quasi perficiunt in actu secundo, vt patet à Doctore *in primo, d. 8. q. penult.* Nam infinitas non ponitur de essentia Deitatis, & tamen non est attributum, vt patet à Doctore, *in primo, d. 3. q. 1. & in quolib. q. 5.*

Responsio ad difficultates.

Quomodo intellectus, & voluntas distinguantur in Deo.

Quomodo intellectus, & voluntas non sint de essentia Dei.

Ad aliud de existentia, patet quòd si essent formaliter distinctæ, & de essentia Dei, quòd dicerent duas existentias ab inuicem formaliter distinctas, & hoc non habeo pro inconuenienti, ponere plures existentias formaliter distinctas in Deo, non tamen realiter, quia tantùm est vna. Dico tamen, vt suprà, quòd intellectus, & voluntas non sunt de essentia Dei, vt sunt potentiæ.

Ad secundam difficultatem. Dico, quòd posito, quòd sint de essentia Dei, non sequitur quòd intellectus

intellectus noster sit de essentia animæ,nec è cōtra,si intellectus noster nō est de esséntia,ergo nec diuinus,vt patuit in primo,*d.2.p.1.q.2.*exponendo quomodo existentia Dei sit de essentia Dei, & existentia creata non sit de existentia creaturæ, sed tantùm gradus intrinsecus. Vide ibi. Dico etiam, quòd ista propositio non est absolutè vera, scilicet, *Quæ sunt eiusdem rationis, quod conuenit vni conuenit & reliquo*; sed est vera de his, quæ conueniunt secundùm illam rationem, secundùm quam conueniunt; patet, quia albedo, & nigredo sunt eiusdem rationis in colore, sed albedini conuenit disgregare: ergo & nigredini. Non sequitur, sed benè sequitur, quod competit albedini secundùm rationem coloris, competit etiam nigredini. Dico tertiò, quòd si illa propositio est vera, erit tantùm vera quando illa quæ dicuntur eiusdem rationis, sunt eiusdem rationis in aliqua re, vel realitate,non autem vt sunt eiusdem rationis tantùm in aliquo conceptu. Modò intellectus creatus, & diuinus, etsi sint eiusdem rationis in conceptu intellectus, non tamen in aliqua realitate,vt suprà exposui in primo, *dist.2. par.1. quæst.1. artic.vlti.& dist.8.qu.2.& dist.25.* Et sic patet responsio ad difficultates, quas benè nota.

29 t *Tertia ratio sumitur ex parte intellectus diuini,* quâ probat quòd in Deo est intellectus ex natura rei, & nullo modo per respectum ad extra, ita quòd per se includat talem respectum, & formatur sic ratio: Nullum prius includit per se posterius, vt patet; sed intellectus diuinus est prior respectu, quo aliquid intrinsecum Deo comparatur ad extrà; ergo intellectus nullum respectum per se includit. Minor probatur. Tum, quia quod est prius priore, est prius posteriore: sed intellectio est prior omni respectu ad extrà, patet, quia respectus ad extrà causatur per actum intellectus diuini comparantis aliquid intrinsecum ad extrà. Et probat Doctor ibi: *Quodcunque intrinsecum potest ad quodcunque extrinsecum per quemcunque actum intellectus creati comparari,* &c. Sed intellectus est prior actu suo, & ille est prior respectu; ergo intellectus erit in Deo, vt prior omni respectu ad extrà, & per consequens est ibi ex natura rei, non includendo respectum ad extrà Et sic patet ista ratio.

30. u In ista tamen litera pro maiori declaratione occurrunt aliqua dubia. Primum est in hoc, quod dicit, quòd *intellectus diuinus potest obiectum sub omni ratione ex parte obiecti intelligere sub qua est intelligibile.* Hoc non videtur verum. Tum, quia est intelligibile abstractiuè, & per speciem intelligibilem, vt etiam patet à Doctore *in secundo, d.3. q. 10.* vbi habetur quòd Angelus potuit cognoscere Deum sub ratione Deitatis per speciem intelligibilem creatam:Tum, quia potest cognosci sub ratione entis, & sic abstractiuè. Tum, quia hoc specialiter non videtur verum de obiectis creatis,quia compositum natum est cognosci confusè. Tum, quia natum est cognosci præcisè sub conceptu entis, quæ omnia repugnant intellectui diuino.

Respondeo, quòd dictum Scoti debet sanè intelligi, videlicet, quòd possit cognoscere illud sub omni ratione non includente imperfectionem.Omnia enim cognoscit perfectissimè:modò cognoscere abstractiuè est huiusmodi. Sed cognoscere essentiam diuinam, vt comparabilem ad creaturam, puta inquantùm est imitabilis ab omni creatura, nullam includit imperfectionem. Et quomodo relatio rationis cognoscatur ab intellectu diuino,vide glossam quam feci,credo,in Doctore *dist.8.q.3.*Dico secundò,quod Doctor multùm limitatè loquitur, cùm dicit *sub omni ratione ex parte obiecti*, &c. Quia habita præsentia perfecta obiecti, illud perfectissimè cognoscit sub omni ratione,& vt sic,non est natum cognosci abstractiuè. Cùm ergo intellectus diuinus habeat omnia intrinseca in perfectissima præsentia secundùm omnem rationem, quâ sunt intelligibilia:& similiter sic habet omnem creaturam, quia essentia diuina est perfectissima ratio repræsentandi intellectui diuino omnia obiecta secundaria, vt patet à Doctore *in primo, d.2. par.1.q.1. & d.39. & in quolib. q.14. & alibi.* sequitur quòd intellectus diuinis cognoscit secundùm omnem rationem,&c.

Quomodo relatio rationis cognoscatur ab intellectu diuino.

Secundum dubium est ibi: *Quicquid intellectus diuinus potest ad quodcunque cōparare intelligēdo.* 31.
Primò dubitatur,quia aut loquitur de intrinseco ex natura rei;aut de intrinseco non ex natura rei. Si primo modo, non videtur quòd possit comparare diuinam voluntatem ad creaturam quo ad suum *esse* existentiæ, nisi priùs talis creatura habeat *esse* volitum à voluntate diuina:quia ante determinationem voluntatis diuinæ, nulla creatura existit pro aliquo tempore, vt patet à Doctore in pluribus locis;ergo si intellectus diuinus sic coparat, talis conparatio erit contingens: patet, quia intellectio diuina sequens determinationem voluntatis diuinæ est contingens, quia sicut voluntas diuina contingenter determina,ita intellectus diuinus contingenter intelligit,vt patet à Doctore *in primo, dist.39.* Et vide quæ ibi exposui, & sic talis comparatio non erit intrinseca Deo, & per consequens non sequitur quòd quicquid potest ibi esse hoc modo,actu ibi sit.Si verò loquitur de intrinseco non ex natura rei, tunc non sequitur quòd quicquid potest esse ibi, actu sit,quia respectus rationis,quo dicitur Deus dominus,tantùm inest ex tempore, vt suprà patuit *in primo, dist. 30.* Prætereà,aut loquitur de omni comparatione, quæ potest fieri ab intellectu diuino comparando intrinsecum ad extrà; aut tantùm de aliquibus,puta de illis, quæ præcedunt omnem actum voluntatis diuinæ ad extra.Si primò,hoc non videtur, quia illa propositio: *Quod potest esse in Deo, actu ibi est*, tenet ex alia propositione,scilicet, quòd *omne, quod est in Deo est simpliciter necesse esse.*Hoc patet à Doctore *in primo,dist.2.par.1.q.1.& par 2.quæst.1.& in quolib.q.2.& alibi.*Sed non omnis comparatio intellectus diuini est necessaria,quia non illa,quæ tantùm sequitur actum voluntatis ad extrà,vt dixi suprà. Si secundò, adhuc non videtur sequi, quia talis comparatio non est simpliciter necessaria,quia necessitas est conditio existentis.

Respondeo ad omnia ista, vnica responsione, videlicet, quòd in proposito tantùm 32.
loquitur de comparatione, quæ fit per actum intellectus diuini, & non creati, illa enim semper actu est. Et ideò Doctor sic dicit circa finem rationis, *comparatio cuiuscunque talis*, puta intrinseci, *ad quodcunque tale*, videlicet extrinsecum, *habet esse suum actuale per actum intellectus diuini comparantis,non dico quecunque comparatio huius ad hoc, quia non formaliter illa,quâ intellectus creatus comparabit,* supple habet *esse* actuale, & necessariò formaliter in

Deo; *sed aliqua huius extremi* intrinseci *ad hoc extremum* extrinsecum. Dico secundò, quòd loquitur de omni comparatione intellectus diuini, siue sequens actum voluntatis ad extrà, siue præcedens, quia intellectus diuinus necessariò comparat, & ab æterno. Non enim potest comparare ex tempore, vt probat Doctor *in primo, dist.* 30. Quamuis ergo voluntas diuina determinet contingenter ad extrà, tamen quia quicquid vult, ab æterno vult, vt probat Doctor *in primo, dist.* 39. & specialiter *in* 45. intellectus diuinus, qui agit de necessitate naturæ, ab æterno comparat quicquid comparat. Et concedo quòd talis comparatio sequens actum voluntatis diuinæ est necessaria, quia præsupposita determinatione tali, intellectus diuinus necessariò comparat, & non potest non comparare, licèt dicatur contingens pro quanto sequitur determinationem contingentem.

Nota illa verba, quando dicit, quòd *intellectus diuinus intelligendo comparat*, debet sic intelligi, quòd comparatio præsupponit extrema cognita actu, quando actu comparat illa ad inuicem. Nisi enim præcognosceret, nõ posset comparare. An modò comparatio illa sit actus intellectus, aut intelligendi, aut alius? Dico, quòd non est actus intelligendi, vt patet; nec est propriè actus causatus, nec ab intellectu, nec ab actu intelligendi, quia omne tale esset necessariò ens reale, vt exposui in primo, *dist.* 3. *quæst.* 7. approbando opinionem Gothofredi in fine improbationis, vide ibi. Dico ergo quòd comparatio est quidam respectus rationis derelictus ab actu comparatiuo intellectus comparantis duo obiecta cognita ad inuicem, qui est in obiectis cognitis comparatis. Sed an talis comparatio sit etiã subiectiuè in creatura comparata? Dico, quòd si comparat creaturam ad Deum, quòd erit ibi, & non erit inconueniens vnum respectum rationis fundari in alio, vt patet de secundis intentionibus.

Comparatio quid.

y *Quarta ratio sumitur ex parte operationis,* Hic Doctor intendit probare quòd actus intellectus diuini sit in Deo ex natura rei, nullum per se includendo respectum ad extrà. Et ratio stat in hoc: Nullum formaliter infinitum in Deo includit per se aliquid, cui formaliter repugnet infinitas: hoc patet, vt suprà in prima ratione, vbi probatum est, quòd nulla perfectio simpliciter includit per se aliquid, cui repugnet perfectio simpliciter, &c. Sed relationi rationis, & præcipuè ad extrà, repugnat infinitas; patet, vt suprà in prima ratione, quia formaliter infinitum est simpliciter necessarium, & tale non includit per se aliquid, quod non est necessarium, vt vbi patuit. Probat etiam Doctor per argumenta à fortiori, quia relationi reali repugnat formaliter infinitas etiam relationibus diuinis, vt probat *quæst.* 5. *quodlib.* ergo multò fortiùs repugnabit relationi rationis: sed *intelligere* diuinum est formaliter infinitum. Tum, quia perfectio simpliciter. Tum, quia est actus comprehensiuus obiecti formaliter infiniti, quia obiectum infinitum est natum intelligi infinita intellectione; ergo non perfectè comprehenditur, nisi actu intelligatur infinita intellectione, & nulla potest esse nisi diuina; ergo si per se non includit respectum ad extrà, erit ibi ex natura rei: & sic patet ratio. Et tota litera sequens vsque ad declarationem quarti termini, clara est, nec indiget alia expositione: tota enim dependet ex superiùs declaratis in quatuor rationibus. 35.

Intelligere diuinum est formaliter infinitum.

SCHOLIVM.

Explicat hic terminum immediatius *& quomodo dupliciter sumitur: positiuè, id est, quando ipsum est medium inter aliqua, & negatiuè, id est, quòd magis excludit media, quàm aliud, vt in exemplis patet. Epilogat doctrinam datam de quatuor terminis quæstionis: pro cuius resolutione attendendum est ad duplicem distinctionem datam, de* essentiali *&* immediatiori.

15. DE Quarto termino, [a] scilicet *immediatius*, est distinguendum, quia dicitur immediatius aliquid dupliciter: vel ita quòd ipsum sit medium inter primum, & vltimum, & tunc est immediatius positiuè. Vel ita quòd inter ipsum, & primum non sit medium, aut pauciora sint media, quàm inter tertium & primum, & sic est immediatius negatiuè. Exemplum: superficies est immediatior substantiæ, quàm color: ita quòd habet rationem medij positiuè inter illa: sed risibile est immediatius homini, quàm color negatiuè. Non enim mediat inter illa extrema positiuè, sed magis excluditur medium inter hominem; & risibile, quàm inter hominem, & colorem: vt sic breuiter dicatur esse immediatius positiuè, quod tanquam medium inter extrema includitur: & illud immediatius dicatur negatiuè, vbi aliquid tanquam medium magis excluditur.

Al. Vel ita quòd ipsum non sit mediũ inter illa, tamen magis excluditur medium inter ipsum & primum quã inter aliud & primum & tunc est immediatius negatiuè.

Posset autem alio modo distingui de *immediatiori*, secundùm rem, & rationem: quia immediatius, & minus immediatum, vel mediatius non sunt sine ordine. Ordo autem non videtur posse intelligi sine distinctione. sed quia hic non quæritur, qualis est distinctio essentialium à notionalibus, vel vtrorumque ab essentia, ideò ista distinctio *immediationis* non tractatur ad præsens: sed qualiscunque sit distinctio essentialium à notionalibus, vel vtrorumque ab essentia, secundùm ista dicetur, quod istorum sit immediatius ipsi essentiæ, puta *essentiale*, & *notionale*.

de hoc 1. d. 8. q. 4. n. 17. & d. 2. q. 7. n. 41. & d. 13. n. 23. 26

Epilogatio dictorum. Itaque recolligendo de isto primo articulo, *essentia* est illud, ad quod fit eorum comparatio, quorum quæritur ordo: *essentiale* autem & *notionale* sunt illa, quorum quæritur ordo in comparatione ad essentiam: de immediatione autem istorum ad illud primum, est quæstio & principaliter requiritur, propter solutionem, duplex distinctio posita in hoc articulo: vna de *essentiali*, alia de *immediatiori*. Prima de *essentiali* talis est: alicuius essentialis ratio, siue actualitas totalis, est merè ad intrà, alicuius autem ad extrà. Secunda de *immediatiori* talis est, quòd aliquid dicitur esse immediatius positiuè, ita quòd ipsum ponitur medium. Aliquid priuatiuè, ita scilicet quòd non requiritur medium aliquod inter ipsum, & primum, sicut inter aliud extremum, & primum.

COMMENTARIVS.

34. a DE *quarto termino, scilicet* immediatius *est distinguendum, quia dicitur immediatius aliquid dupliciter. Vel quòd sit medium inter primum, & vltimum.* Exemplum, superficies est immediatior substantiæ quàm color, ita quòd habet rationem medij positiui inter illa. Secundò dicitur *immediatius* negatiuè ex hoc, quòd inter ipsum, & primum non sit medium, aut pauciora sunt media, quàm inter tertium, & primum exemplum, risibile est immediatius homini, quàm color negatiuè. Non enim mediat inter illa positiuè, sed magis excluditur medium inter hominem, & risibile, quàm inter hominem, & colorem. Et breuiter immediatius positiuè est, quod includit tanquam medium inter extrema, & immediatius negatiuè est vbi aliquid tanquam medium magis excluditur. Et dicitur immediatius positiuè, quia tertium non posse inesse primo, puta color substantiæ, nisi mediante superficie, quæ est ratio recipiendi colorem; priùs enim recipitur color in superficie, quàm in substantia. Immediatius negatiuè, quando ibi non requiritur medium vt ratio recipiendi, sed dicitur immediatius per carentiam plurium, quia inter hominem, & risibile plura excluduntur, quàm inter hominem, & colorem. patet, quia risibile sic inest immediatè homini, quòd fortè nihil mediat, saltem vt ratio receptiui, ita quòd immediatè recipiatur in aliquo alio ab homine, color verò non inest, nisi immediatè recipiatur in quantitate, Et ideò inter hominem, & risibile plura media excluduntur, quàm inter hominem, & colorem.

Immediatius dicitur aliquid dupliciter. *Exemplum.* *Immediatius positiuè quid* *Immediatius negatiuè quid.*

SCHOLIVM.

Prima conclusio, nullum rationale est essentia primo modo immediatius aliquo essentiali, alioquin essentiale non posset inesse nisi præsupposito notionali. Secunda conclusio. Essentiali ad extrà aliquod notionale est immediatius secundo modo, quia hoc conuenit essentiæ ex natura rei, illud non. Tertia conclusio. Omni notionali est aliquod essentiale immediatius essentiæ vtroque modo. Primò, quia si memoria fœcunda realiter differret à dicere, *immediatior esset ipsi quàm* dicere. *Secundò, potentia immediatior est essentiæ, quàm actio eius productiua, &* esse *notionale est talis actio, vel supponit illam.*

Cóclusio 1 DE Secundo articulo b dico tres conclusiones, quarum duæ sunt breues, tertia principalis. 16.

Prima est ista: nullum notionale est immediatius ipsi essentiæ diuinæ aliquo essentiali, & hoc loquendo de immediatione primo modo. Hoc probatur sic: Quod est immediatius primo non exceditur à tertio, cùm sit per se medium inter ipsum primum, & tertium: sed omne essentiale excedit quodcúnque notionale, quia essentiale est commune tribus: notionale verò non: ergo, &c.

Nullũ notionale mediatius positiuè, essẽtia vllo essentiali.

Cóclusio 2 Secunda conclusio est talis: omni essentiali includente respectum ad extrà immediatius est essentiæ aliquod notionale, & hoc loquendo de immediate secundo modo. Hoc probatur, quia tale essentiale non conuenit ipsi Deo, nisi per operationem intellectus comparantis ad extrà: notionale autem conuenit essentiæ ex natura rei absque omni comparatione intellectus ad extrà: ergo requiritur medium inter essentiam, & notionale, quàm inter essentiam, & essentiale, vbi necessariò mediat actus intellectus.

Notionale negatiuè, quandoque mediatius aliquo essentiali, ipsi essentia.

Tertia conclusio est. c omni notionali est aliquod essentiale immediatius essentiæ vtroque modo immediationis. Hoc probatur dupliciter. Primò sic: Qualis ordo d per se realis esset inter aliqua, si essent distincta realiter, talis per se ordo est, inter illa, correspondens illi distinctioni, quam habent, vt potè rationis, si distinguantur ratione, & hoc siue ratione sumpta ex parte rei, siue merè causata per actũ intellectus. Nunc

Nunc autem, si esset distinctio realis inter ista, scilicet *essentia*, *memoria perfecta*, & *dicere perfectum*, memoria esset per se in ordine reali immediatior ipsi essentiæ, quàm *dicere*; ergo, & quocunque modo sit distinctio inter illa, eo modo est immediatio correspondens. Maior probatur à posteriori, sic: Vbi est distinctio rationis, siue vno modo, siue alio, accipiendo *rationem*: ibi concludimus ordinem sic distinctorum ex hoc, quòd illa sic distincta haberent talem ordinem realem, vbi essent distincta realiter. Memoria est immediatior essentiæ, quã dicere.

17. Secundò probatur à priori maior: [e] Per se ordinem intelligo, qui est ex per se rationibus extremorum: & hoc accipiendo *per se rationem* essentialem siue quiditatiuam, non denominando illud, cuius est ratio ad *esse* in re, vel in intellectu, si quidem illud, quod indifferenter potest habere vtrunque *esse*, videtur habere rationem quiditatiuam intelligibilem non † determinando ad hoc, vel illud *esse*. Ex hoc patet maior. Nam vbi manet per se ratio similis ordinis, ibi manet similis ordo, sed in istis distinctis in tali, vel in tali *esse*, manet per se eadem ratio consimilis ordinis, quia ratio quiditatiua *A*, & ratio quiditatiua *B*: ergo, &c. non enim *esse* in intellectu dat ipsi *A* rationem quiditatiuam. Minor patet, quia si illa ibi posita essent realiter distincta, esset talis ordo realis, quòd quia esset essentia, natura intellectualis perfecta, ideò haberet intellectum perfectum, & vlterius haberet, vel habere posset obiectum actu intelligibile proportionabiliter sibi præsens. Et vltra; ideò esset, vel esse posset memoria perfecta. Nam hæc est ratio memoriæ perfectæ, intellectus habens obiectum intelligibile proportionatum actu sibi præsens. Et ex hoc vlterius, si ipsa esset, vel esse posset supposito habenti eã perfectè principium exprimendi, ergo exprimeret, vel exprimere posset notitiam declaratiuam correspondentem illi memoriæ; nunc autem primum notionale, saltem quod includit primum respectum positiuum ad aliquam personam, est *dicere*; ergo primum notionale habet essentiale aliquod immediatius essentiæ vtroque modo, & per consequens quodcunque aliud notionale. Sicut autem argutum est de *memoria* & *dicere*, similiter posset argui de voluntate & obiecto sibi præsente & actu spirandi. *Al.* Determinatam, vel determinatem. Memoria perfecta quid est? Primum notionale est *dicere*.

Secundò ad idem sic: [f] Essentiæ immediatior est potentia, quàm actio realiter productiua secundùm illam potentiam. Omne autem notionale est actio productiua secundùm aliquam potentiam in natura diuina, vel supponens illam: quia est productio alicuius suppositi, vel supponens productionem: omnis autem talis actio est alicuius potentiæ, quæ habet rationem essentialis, vel quia est ipsius intellectus, vel quia est ipsius voluntatis, ergo, &c.

Sic igitur quantùm ad istum articulum, patet quòd essentiali ad extrà notionale est immediatius secundo modo. Nullo autem essentiali est aliquid notionale immediatius vtroque modo, quolibet autem notionali est aliquod essentiale ad intra immediatius vtroque modo, quia saltem intellectus est immediatior, quàm *dicere*, quod est primum notionale: & ita per consequens quocunque notionali: voluntas etiam immediatior est ipso *spirare*, & per consequens quocunque pertinente ad processionem Spiritus sancti. Nullũ notionale est immediatius vtroq; modo vllo essentiali.

COMMENTARIVS.

35. b DE *secundo articulo principali. Dico tres conclusiones.* Et nota, quòd immediatius primo non exceditur à tertio, quia tertium præsupponit secundum, & non econtra, ideò non sequitur è conuerso, albedo inest substantiæ, ergo quantitas necessariò inest, sed non sequitur quantitas inest, ergo & albedo: Si ergo notionale esset medium positiuè, essentiale non posset inesse, nisi præsupposito notionali, vt medio, quod est falsum.

Secunda conclusio. Omni essentiali, &c.

Sed occurrunt aliquæ difficultates. Primò circa hoc quod dicit, quòd *nullum notionale est immediatius positiuè aliquo essentiali ipsi essentiæ.* Hoc non videtur ex dictis Doctoris supponendo aliqua. Primò essentiale ad extrà pro nunc accipitur pro respectu ad extrà, vt respectus creationis, & talis respectus est necessariò posterior personis, quia omnis productio ad extrà, siue simpliciter, siue secundum quid de necessitate præsupponit productioné ad intrà, vt extat probatum à Doctore *in secundo, dist.* 1. *qu.* 1. Et vide quæ ibi exposui. Secundò suppono, quòd proprietates hypostaticæ sunt immediatè in essentia diuina, quæ est immediatum fundamentum proprietatum personalium, vt patet à Doctore *in primo, dist.* 2. *par.* 2. *q.* 1. *dist.* 5. *quæst.* 2. *dist.* 26. & 28. Et tales proprietates sunt entitates positiuè, vt patet à Doctore expresè *in tertio, dist.* 1. *q.* 1. licèt dubitatiuè de hoc loquatur *in primo, dist.* 28. An persona dicat positiuum an negationem. Tertiò suppono, quòd etsi essentiale ad extra sit communius notionali, quia ipsum prædicatur de omni persona, non autem notionale, si tamen accipiatur

accipiatur *communius*, à quo non conuertitur subsistendi consequentia, notionale potest dici communius, quia benè sequitur, essentiale ad extrà est, igitur notionale ad intrà est, non èconuerso, vt patet. Istis præsuppositis sequitur, quòd notionale sit immediatius positiuè aliquo essentiali ad extrà. Tum etiam, quia paternitas in diuinis priùs inest essentiæ diuinæ, quàm respectus ad extrà, vt conceditur à Scoto *in secundo. dist.1. quæst.1.* si priùs, ergo immediatiùs, & positiuè, cum sit entitas positiua. Tum, quia quando aliqua duo sic se habent, quòd vnum est idē realiter alteri ex natura rei, & intrinsecè, & aliud non est idem realiter, & intrinsecè, & ex natura extremorum, quod est idem, est immediatius positiuè illo, quod non est sic idem: patet, quia non idem realiter non potest esse immediatius eo, quod est idem realiter. Sed paternitas propter infinitatem essentiæ diuinæ est idem realiter, & ex natura propria essentiæ, sed respectus ad extrà: & si non possit separari ab essentia diuina, saltem aliquis tamen non dicitur idem realiter essentiæ, quià talis inseparabilitas non est ex natura extremorum, vel alterius extremi, sed tantùm est ab extrinseco, scilicet à causa necessariò causante talem respectum, vt patet à Doctore *in secundo. dist.1.*

36. *Dubium.* Secundò dubitatur circa secundam conclusionem, quia videtur quòd essentiale ad extrà sit immediatius essentiæ diuinæ notionali, loquēdo de immediatè secundo modo. Tum per rationes, quas feci super secundo Doctoris *dist.1.q.1.art.2.* probando quod productio ad extra secundùm *quid* est prior productione ad intra, quas rationes vide. Tum, quia posito per impossibile, quod nullum notionale esset, quia & Philosophi hoc expressè negauerunt, sed posuerunt primam causam esse vnum ens perfectissimum ex natura rei, & singularissimum, vt patet à Doctore *in primo* in pluribus locis. Et tunc si poneretur tantùm absolutum Dei, adhuc posset producere ad extrà, etiam per impossibile circunscripta productione ad intrà, vt patet à Doctore *in secundo, di.1.q.1. art. 2.* ergo talis respectus posset inesse immediatiùs notionalibus. Si tamen Doctor hîc intendat loqui, quòd sic notionale est immediatius, & prius essentiali, quòd per se possibile, vel impossibile, circunscripto notionali, tale essentiale non posset inesse.

Responsiones ad difficultates. Respondeo præmittendo aliqua. Primò, quòd per immediatius positiuè non intelligo illud, quod est medium inter primum, & tertium, & positiuum, quia vt sic, paternitas inter essentiā, & essentiale ad extrà dicitur immediatior, quia prius inest, probatum est *in secundo, dist.1.qu.1. artic. 2.* Sed voco *immediatius positiuè*; quòd sic de necessitate prius inest primo positiuè, sic quòd est simpliciter impossibile tertium inesse medio ipso non existente, & hoc, siue illud medium requiratur vt principium formale productiuum respectu tertij, sic quod est omninò impossibile tertium inesse, nisi sit productum à principio formali productiuo, & hoc modo intellectus diuinus est immediatior actu intelligendi ipsi essentiæ diuinæ. Siue ponatur *immediatius*, vt ratio formalis sic recipiendi tertium, sic est absolutè impossibile tertium inesse primo, ipso secundo per possibile, vel impossibile circunscripto, & sic color inest superficiei, & actus volendi inest voluntati; nam voluntas non tantùm est ratio formalis producendi velle, sed est immediatum receptiuum ipsius. Et si per possibile, vel impossibile non esset voluntas, nullum *velle* posset esse in aliquo supposito. Ex his ergo patet responsio ad obiectiones. Ad primam, concedo omnia illa præsupposita, & cum vltimò infertur ergo notionale est immediatius positiuè: si intelligatur, quod sic sit medium inter essentiam, & essentiale ad extrà, quòd per impossibile notionali circunscripto, tale essentiale nullo modo posset inesse essentiæ diuinæ, negatur quia per impossibile, circunscripta omni productione ad intrà, adhuc Deus posset producere aliquid ad extrà, non tantùm in esse secundùm *quid*, sed etiam in esse simpliciter vt patet à Doctore *in secundo, dist.1.q.1.* Si verò intelligatur quòd de facto medium, non tamen necessariò requisitum, concedo, sed hoc non est contra Doctorem quia tantùm loquitur de medio primo modo non secundo modo. *Nota.* Et similiter concedo, quòd paternitas inest priùs essentiæ diuinæ, quàm essentiale ad extrà, & est entitas positiua, non tamen propter hoc dicitur immediatior positiuè modo præexposito, quia non requiritur de necessitate, vt medium positiuum, vt tertium non possit inesse, tali medio non existente.

Ad aliud quando dicitur, quòd paternitas est idem realiter essentiæ diuinæ ex natura extremorum, vel alterius extremi, & quod essentiale ad extra (accipiendo ipsum pro solo respectu rationis ad extra) non est sic idem: totum concedo, & cùm infertur, illud quod est idem in primo modo est immediatius positiuè illo; quod est idem tantùm secundo modo, negatur, quia illud, quod est sic idem, non dicitur immediatius, nisi requiratur vt medium necessarium modo quo præexposui. Et hoc patet euidenter, quia risibile est idem realiter homini, & color non: non tamen dicimus risibile esse immediatius positiuè, quia per possibile, vel impossibile, circunscripto risibili, adhuc color posset inesse homini, quia color non inest ratione risibilitatis, sed ratione corporis, mediante superficie. 37.

Ad rationes factas pro secundo dubio, solue illas eo modo quo solutæ sunt illæ, quæ factæ sunt in secundo, dist. 1. quæst.1. Et vide quæ ibi notaui.

Ad secundam specialiter dico, concedendo, quod si per possibile, nullum esset notionale, sed tantùm natura absoluta singularissima, talis natura posset habere respectum ad extrà, & ille respectus esset immediatè fundatus in tali natura absoluta. Et cùm infertur, ergo paternitas non est immediatior negatiuè tali essentiali. Dico, quòd si inesset paternitas de necessitate esset immediatior, quia si inest de necessitate priùs inest, & de necessitate plura media excludit, vt patet à Doctore in secundo *vbi suprà.* Et si, per impossibile, non inesset talis respectus, inesset, & ex hoc apparet, quòd notionale non ponitur immediatius positiuè, quia ipso circunscripto essentiale tale posset inesse, & sic patet responsio.

c *Conclusio tertia est*, &c.

Pro intelligentia maioris suppono aliqua: Primò, quòd ratio terminorum non variatur in se, nec per hoc, quod vnus realiter distinguitur 38

ab

ab alio, nec per hoc, quòd vnus realiter identificatur alteri, quia rationes formales terminorum abstrahuntur ab istis conditionibus, quod est esse idem realiter, vel distingui realiter, & quodammodò accidit eis sic esse idem, vel distingui. Posito enim quòd homo realiter distinguatur à risibilitate, adhuc stat perfectissima ratio, tam hominis, quam risibilitatis, sicut & modò stat cum perfecta identitate reali vtriusque. Secundò præsuppono, quòd si duo termini ad inuicem realiter distinguantur ex rationibus terminorum, est impossibile, quòd duo alij termini eiusdem rationis cum primis, ex rationibus terminorum realiter non distinguantur, aliter non essent eiusdem rationis cum primis. Et sic si in nobis intellectus, & actus intelligendi ex rationibus terminorum realiter distinguuntur, in quocunque erunt, erunt realiter distincta, ex rationibus terminorũ, nisi aliud addatur, & si in aliquo erunt realiter, distincta & in alio realiter idẽ, sed sola ratione distincta, erit propter aliquid aliud præter formalem rationem terminorum, & sic in nobis actus intelligendi est realiter distinctus, quia est verè productus, & vltra quia est in intellectu limitato, & formaliter finito, cui vt sic, repugnat habere operationem propriam eandem sibi realiter, quia omnis operatio finita, & limitata necessario est accidens, & fortè qualitas absoluta, vt infrà patebit, *quæst.* 13. In diuinis verò intellectus, & operatio sunt idem realiter, quia intellectus est simpliciter illimitatus, & formaliter infinitus, cui vt sic, repugnat habere formaliter aliquid quod non sit realiter idem: patet, quia aliter esset perfectibilis, quod repugnat infinito intensiuè. Tertiò præsuppono, quòd quãdo duo termini ex rationibus formalibus sic se habẽt, quòd vnus necessariò præsupponit alium, vel in ratione principij formalis productiui, sicut necessariò, & adæquatè, est simpliciter impossibile, quòd secundus terminus sit, nisi à primo, vel à supplente perfectè vicem illius primi, vel quòd præsupponat in ratione principij immediatè receptiui, ita quòd sit impossibile secundùm terminum posse in aliquo recipi, nisi immediatè recipiatur in primo; vel quod alio modo præexigat primum terminum, vbicunque similes termini, siue termini eiusdem rationis reperiuntur, de necessitate talem ordinem habebunt, quòd secundus præexiget primum, & vbi realiter distinguuntur, realiter præexigunt, & vbi ratione tantùm distinguuntur, secundus præexigit primum secundùm rationem, & simpliciter eodem modo, quo distinguuntur, vnus præexigit alium, quia talis ordo consequens de necessitate entitatem extremorum, nunquam variatur per quodcunque posterius, puta per realem identitatem. Et sic patet illa maior Doctoris.

39. d Nec ista maior inuenitur habere instantiam, nisi fortè in aliquo, quod non est ad propositum, & illud sufficienter excluditur per exceptionem istam si addatur in maiori sic: *Qualis est ordo realis, talis, & rationis, nisi fortè in distinctione reali, illud quod est posterius aliquo, in distinctione minori haberet verius esse illo, & illo, quod sibi correspondet*, &c. Ista litera ab aliquibus excellentissimis Scotistis sic exponitur, nisi fortè in distinctione reali id, quod est posterius aliquo, (& fiat hîc punctus) in distinctione minori haberet verius esse illo, & illo quod sibi correspondet,

Expositio quorumdam Scotistarum.

id est, sicut albedo in pariete realiter distincta ab illo est posterior pariete, in distinctione minori, quâ differunt in *esse* cognito in intellectu diuino, ipsa albedo haberet verius *esse* simpliciter illo, videlicet pariete, vt paries existit in se, & illo, quod sibi correspondet, id est, albedine realiter existente. Vel fiat punctus ibi, *nisi fortè in distinctione reali*, punctus, *illud quòd est posterius aliquo in distinctione minori haberet*, &c. id est, sicut albedo in distinctione minori, scilicet rationis quâ differt à pariete, vt est in esse cognito, &c. Et licèt propter reuerentiam tanti viri non intendam contradicere, videtur tamen hîc non euacuare instantiam Doctoris quia comparatio tantùm fit inter distincta realiter, & distincta ratione, id est, quòd qualis ordo est inter *A*, & *B*, vbi realiter distinguuntur, talis est vbi *A* & *B* tantùm ratione distinguuntur. Ideò alij exponentes dixerunt quòd Doctor cùm dicit, *nisi fortè*, &c. id est, quòd si posset dari talis casus, vbi *A*, & *B* in reali distinctione, *B*, esset posterior *A*, & in minori distinctione, id est, vt tantũ habent *esse* cognitum in intellectu diuino, *B* haberet verius *esse A* in *esse* cognito, & etiam ipso *A*, in *esse* reali, vel ipso *B*, in *esse* reali, non curo. Exemplum esset ad propositum, quia *B* in *esse* cognito non haberet ordinem posterioris ad *A* vt ad prius in *esse* cognito, & tamen *B* in *esse* realis existentiæ, vt realiter distinctum ab *A* esset posterius ipso *A*. Sed casus est impossibilis, quia si *B* habet posterius *esse* in esse reali de necessitate, vbi *A* & *B*, in minori distinctione habebit simile *esse*. Aliqui tamen textus habent illam literam extra literam Doctoris & sic non pertinebit quouis modo ad propositum.

e *Secundo probatur illa maior à priori. Per se ordinem intelligo*, &c. Siquidem illud vtrunque *esse* videtur habere rationem quiditatiuam intelligibilem, non determinando ad hoc, vel illud *esse*, & litera sequens est clara vsque ibi · *Secundo ad idem sic.* 40.

f Secunda ratio principalis ad probandum aliquid essentiale esse immediatius tam positiuè, quàm negatiuè ipso notionali: & ratio stat in hoc, quia essentiæ est immediatior potentia, quã actio realiter productiua, (quæ dicitur realiter productiua, vel quia terminatur ad realiter productum, vel quia est via inter producens, & productum, quæ realiter distinguuntur) secundùm illam potentiam: omne autem notionale est actio productiua secundùm aliquam potentiam in natura diuina, vel supponens illam, quia est productio alicuius suppositi, ergo. Et quod dicit, quòd *omne notionale est actio productiua secundùm aliquam potentiam*, debet sanè intelligi, quia filiatio non est actio productiua, nec spiratio passiua, nec similiter paternitas quæ vt sic, vltimatè abstracta non dicitur actio productiua. Dico quòd actio productiua, quæ in proposito accipitur tantùm pro actione respectus, potest dupliciter intelligi, scilicet vel formaliter, vel consequutiuè. Primo modo generatio actiua dicitur formaliter actio, siue productio. Secundo, generatio passiua dicitur actio productiua concomitanter, eo quòd sequitur ad actionem productiuam formaliter. Primo modo est secundùm aliquam potentiam, id est, quòd est actus alicuius potentiæ, & accipit hîc *potentiam* non formaliter pro respectu, sed fundamentaliter, puta

Actio productiua potest dupliciter intelligi.

puta pro intellectu, vel voluntate, vel supponit illam, quia est productio alicuius suppositi, quod potest dupliciter intelligi, vel quia est actus suppositi producentis, vel quia terminatur ad aliquod suppositum productum.

41. Et loquitur hîc Doctor dubitatiuè, quia hîc non determinat, an productio sit tantùm ipsius suppositi, vel etiam possit esse ipsius memoriæ fœcundæ. De hoc inferiùs. Sufficit enim quòd siue sic, siue sic, de necessitate præsupponit potentiam, vt aliquod absolutum. Sequitur in litera, ibi: *Vel supponens productionem.* Hoc nullo modo potest referri ad actionem actiuam formaliter, patet, quia esset processus in infinitum, quod est inconueniens, sed debet referri ad actionem passiuam, siue ad generationem passiuam, vel spirationem passiuam, quia omnis talis generatio, vel spiratio de necessitate præsupponit actionem productiuam formaliter. Dicit ergo, ex quo actio passiua præsupponit de necessitate actiuam formaliter, & actiua formaliter, de necessitate præsupponit potentiam, quæ est perfectio essentialis, sequitur quod omne notionale præsupponat aliquid essentiale, vt immediatius vtroque modo. Et quod dicitur de paternitate, hoc nihil est, quia ibi tantùm est differentia rationis. Concretum, enim & abstractum sunt penitus idem præter omne opus intellectus, vt patet à Doctore *in primo, distinct.* 2. *parte* 2. *quæst.* 1. *dist.* 8. *quæst.* 3.

42. Sed occurrit dubium, primò in hoc, quod dicit, quòd *esse* quiditatiuum conuenit rei, non determinando, neque ad *esse* in intellectu, neque ad *esse* extra intellectum, quia si intendit hoc etiam comparando ad intellectum diuinum, videtur sibi contradicere, quia ipse vult *in primo, dist.* 3. *qu.* 4. quòd omnia obiecta secundaria tantùm habeant *esse* per actum intellectus diuini, ita quòd ante actum illum *esse* habent. Hoc idem dicit *dist.* 36. contra Henricum & *in dist* 43. & diffusè *in secundo, distinctione* 1. *quæst.* 1. & *in quodlib. quæst.* 14.

Difficultates notandæ cum earum respõsionibus.

Dico breuiter, quòd Doctor loquitur hîc de *esse* quiditatiuo formaliter, non originatiuè; benè verum est quòd tale *esse* tantùm originatur ab actu intellectus diuini. Et hoc etiam apparet, quòd *esse* quiditatiuum hominis non est *esse* cognitum, quia vt sic, tantùm haber *esse* in intellectu diuino, sed est *esse*, vt præscindit secundùm intellectum à tali *esse* cognito.

Secundò dubitatur in hoc, quòd dicit, quòd per se ordo aliquorum, puta posterioris, & prioris essentialiter, accipitur secundùm esse quiditatiuum extremorum. Si intelligitur, quòd talis ordo includatur quiditatiuè in extremis, hoc non potest esse, quia tunc relatio includeretur quiditatiuè in ente absoluto. Si verò intelligitur, quòd esse prius quiditatiuè includitur in entitate, quæ dicitur prior essentialiter, & similiter esse posterius, hoc non videtur, quia prius est in se quiditas talis, quàm dicatur prior, vel posterior. Dico ergo, quòd ordo talis consequitur naturam extremorum præcisè consideratorum secundùm *esse* quiditatiuum, & non prout talia extrema habent *esse* in intellectu, vel extra intellectum.

Tertiò dubitatur in hoc, quod dicit, quòd aliqua actio productiua, accipiendo passiuè, vt exposui, præsupponat productionem actiuam, imò magis videtur ècontra. Tum, quia vult ipse *in primo, dist.* 3. *quæst.* 5. contra Henricum de illa ratitudine, quòd relatio creaturæ est posterior ente absoluto producto, & in tali priori comparatur causa, & in *esse* absoluto, & post sequitur relatio productionis, quæ formaliter dicitur productio respectus. Tum, quia *in secundo, dist.* 1. *quæst.* 2. expresſè dicit quòd ad absolutum in causa, sequitur absolutum in causato, & postea sequitur relatio causati ad causam, & ècontra, imò expresſè dicit *in secundo, distinct.* 1. *quæst.* 2. quòd prior est respectus causati, quàm respectus causæ.

Respondeo, quòd secus est in Deo, quia ibi personæ constituuntur per relationes, quia generatio actio est constitutiua Patris, vt patet à Doctore *infra, quæst.* 4. *& in primo, dist.* 28. & vide quæ ibi exposui. Et ideo generatio actio est prior saltem origine. Et de hoc vide quæ notaui in primo in pluribus locis, præcipuè *dist.* 1. *qu.* 2. ibi: *Pater prius origine est beatus, quàm generet filium,* &c.

Guillemus Ocham in prologo, quæst. principali, improbare nititur hanc propositionem, videlicet: *Qualis est ordo inter distincta realiter,* &c. Primò arguit, quia non semper est similis ordo in rebus, & in conceptibus correspondentibus. Exemplum, homo, & albedo ordinantur sicut obiectum, & accidens, non tamen sic ordinantur conceptus correspondentes. Similiter homo, & animal, si distinguerentur realiter, vnum esset potentia, & aliud actus, & neutrum esset de altero prædicabile in primo modo, sed tantùm in secundo modo, nec vnum esset de intellectu alterius, & tamen vbi modo non distinguuntur realiter, sed tantùm ratione, non habent ordinem talem, quia vnum prædicatur de altero, non secundo modo, sed primo modo. Eodem modo est de ente, & Deo, quòd si distinguerentur realiter, vnum esset verè potentia, & aliud actus, & tamen non est ita modò vbi distinguuntur ratione. Similiter si Deus, & Deitas distinguerentur realiter, vnum esset perfectius, & aliud imperfectius, nec alterum de altero prædicaretur prædicatione dicente hoc esse hoc, & tamen isti conceptus non sic ordinantur. Et ideò ex ordine rerum, vel de facto, vel de possibili, non ex ordine rerum posita positione impossibili includente contradictionem, debet accipi ordo conceptuum. Non ergo etiam in illo casu est semper consimilis ordo inter res, & conceptus, vel rationes. Patet etiam falsitas illius propositionis, quia si corpus, animal, homo, & iste homo, distinguerentur realiter, inter ea non esset ordo secundùm superius, & inferius, quia sicut aliàs declarabitur, inter res non est ordo inferioris, & superioris, & tamen inter istos conceptus est ordo inferioris, & superioris. Eodem modo de ente, & Deo, quia modo habent ordinem isti conceptus secundùm superius, & inferius, & tamen tunc non haberent talem ordinem.

43. *Opinio Ochã contra Scot.*

Addit dicens, quòd illo casu imposſibili posito, natura intellectualis perfecta, & intellectus perfectus se haberent sicut subiectum, & accidens, quia cùm illa positio includat contradictionem, ideò non oportet quòd sit consimilis ordo nunc inter conceptus; nec oportet nunc quod vnum posſit esse medium concludendi aliquid de aliquo, sicut si Deus, & Deitas distinguerentur realiter, vel includerent distincta realiter,

realiter, vnum esset pars alterius, vel subiectum alterius, & per consequens vnum posset esse medium demonstrandi aliquid de reliquo, & tamen modò non est sic.

44. Respondeo dupliciter. Primò, quòd casus illi sunt omnino impossibiles, & ideò nihil sequitur contra propositionem Doctoris. Dico secundò respondendo ad singulas instantias. Cùm dicit primò de homine, & albedine, &c. Dico, quòd non intelligit mentem propositionis, quia non dicit Doctor quòd qualis est ordo inter realiter distincta, talis est inter conceptus eorum, sed dicit quòd *talis est ordo vbi sola ratione distinguũtur.* Sicut dicimus qualis est ordo inter intellectum, & actum intelligendi, vbi intellectus, & actus intelligendi realiter distinguuntur, talis est vbi intellectus, & actus intelligendi sola ratione distinguuntur, quia hîc ordo sumitur ex ratione quiditatiua terminorum, vt suprà exposui, & hîc est sensus propositionis, & non debet inferri quòd talis sit inter conceptum intellectus, & conceptum actus intelligendi. Dico secundò, & quæro ab eo quid intelligit per *conceptũ*? aut accipitur *conceptus* pro actu cõcipiendi quo aliquid concipitur, & hoc modo non est ad propositum, quia Doctor non accipit in propositione distincta ratione pro conceptibus correspondentibus rebus realiter distinctis, quia etsi albedo dependeat in *esse* reali, puta à pariete, tamen cognitio albedinis non dependet à cognitione parietis, vt patet. Aut accipit *conceptum* pro re, vt concepta, siue vt habente *esse* cognitum: nec etiam hoc modo intelligit Doctor, quia etsi albedo dependeat in *esse* reali à pariete, & nata sit realiter inesse, tamen *esse* cognitum albedinis, non dependet à pariete in *esse* cognito, nec vt sic, nata est inesse secundùm rationem parieti habenti *esse* cognitum. Aut accipitur *conceptus* pro quodam idolo fabricato per actum intellectus, vt etiam ipse Ocham aliquãdo accipit. Et hoc similiter modo non est ad propositum propositionis, quia vnum idolum non sic dependet ab alio, vt patet. Aut accipitur conceptus pro entitate conceptibili, & sic propositio Doctoris debet intelligi, quia qualis est ordo inter albedinem, & parietem, vbi distinguuntur realiter, talis est vbi sunt idem realiter, & distinguuntur sola ratione, quia sicut albedo secundùm suum *esse* quiditatiuum, nata est inesse parieti, & dependere realiter ab eo quando distinguuntur realiter, sic similiter si in aliquo subiecto tantùm ratione distingueretur secundùm suum *esse* quiditatiuum nata esset secundùm rationem inesse, & dependere.

Responsio ad rationes Ocham.

45. Ad aliam instantiam de animali, & homine si realiter distinguerentur, &c. Dico primo, quod casus est impossibilis. Dico secundò, quòd etiam hoc posito, aliud istorum sequeretur, vel si distinctũ realiter non esset de quiditate hominis, etiã quando non distinguerentur realiter, non esset de quiditate hominis: vel si vt realiter distinctum esset de quiditate hominis, esset etiam vbi sunt idem realiter. Et ratio istorum est, quia quæcunque mutuò se respiciunt secundùm *esse* quiditatiuum terminorũ, ordo talis non variatur per quodcunque posterius, vt suprà exposui. Et sic sequitur de facto, quòd qualis est ordo inter aliqua vbi realiter distinguuntur, talis est etiam vbi sola ratione distinguuntur, & ècontrà, stante semper ratione formali terminorum, & sic accidit animali, quòd sit idem realiter homini, vel quòd sit distinctum realiter. Nec talis ordo competit, vt quia idem, vel diuersum, sed præcisè ex ratione quiditatiua terminorum. Sicut posito quòd albedo sit idem realiter homini, & tantùm ratione distinguatur ab homine, si vt realiter distincta, habet ordinem dependentis, & informantis tantùm accidentaliter, sequitur quòd talem ordinem habebit, vbi realiter identificatur, cùm nullo modo varietur ratio quiditatiua terminorum ex hoc, quòd termini sunt idem realiter.

Ad aliam instantiam de Deo, & ente. Dico primo, quòd si ponatur ens de conceptu quiditatiuo Dei, quòd statim sequitur quòd vbi realiter distinguuntur, ens est in potentia reali ad Deum, sic vbi sola ratione distinguuntur secundum rationem, ens est in potentia, quia vt sic, non variatur formalis ratio terminorum. Dico secundò, quòd conceptus entis non potest poni esse de quiditate Dei, vt exposui *in primo, dist. 2. parte 1. q. 1.* Est enim conceptus entis posterior ipso Deo, licèt, sit prior prioritate communitatis, vt ibi exposui. Est enim essentia diuina de necessitate naturæ in perfectissima actualitate, & in perfectissima existentia, ita quòd existentia est de quiditate eius, vt suprà patuit, & in illo priori, quo est in vltima actualitate, nullus cõceptus entis est, quia vt sic tantùm est essentia vt essentia, vt patuit in primo articulo. 46.

An conceptus entis sit posterior ipso Deo

Ad aliam instantiam de Deo, & Deitate. Dico, quòd est falsa imaginatio, supponendo quòd idẽ distinguatur à seipso, Deus enim, & Deitas tantùm ratione differunt. Et posito, per impossibile, quòd distinguerentur realiter, adhuc nihil sequitur contra Scotum, quia hoc posito, ipsa Deitas esset tota perfectio quiditatiua huius concreti *Deus*, quia Deus esset Deitate Deus, & si Deitas non esset, Deus nihil esset. Nam cuique *quo* adæquatè correspondet aliquod *quod*, vel *quis*, quod est simpliciter tale tali *quo*, siue entitate sic abstracta, vt patet *in primo, dist. 2. parte 2. quæstione prima, distin. 4. quæst. prima, & 2. & dist. quinta, quæst. 2.* Si tamen essent distincta, &c. Dico, quòd seruata ratione quiditatiua terminorum, quòd semper esset talis ordo vbi sola ratione distinguuntur, qualis esset vbi realiter distinguerentur. Ex his patet responsio ad vltimam instantiam.

Deus, & deitas quomodo differant

SCHOLIVM.

Adducit contra duas rationes pro tertia conclusione impugnationes Henrici, & statim hoc, quòd ante verbum productum nulla est distinctio inter essentiam, & memoriam: quia omnis distinctio rationis sequitur verbum, ergo memoria meaiat inter essentiam, & dicere, *nec est principium ipsius* dicere.

Adducit duas instantias.

DE tertio g articulo instatur contra istas duas rationes positas *in 2. art.* pro tertia conclusione. Contra primã sic. Vbi non manet eadem ratio ordinis non oportet ponere eundem, vel consimilem: sed in diuinis, vbi istorum essentia, scilicet *memoria, dicere*, est sola distinctio rationis, non manet eadem ratio ordinis, quæ est, vbi ista sunt distincta realiter: ergo, &c. Probatio minoris, in creatura rationali ideò *memoria* præcedit *dicere*: quia ipsa est principium dicendi, non sic autem in Deo, loquendo de memoria, vt memoria, siue vt distincta ab essentia, imò ratio principiandi emanationem personalem, est essentia diuina sola sub ratione essentiæ, vt ei coniungitur respectus realis. Quod probatur dupliciter: Primò sic: Verbum est expressiuum omnium illorum, quæ in essentia diuina quasi inuolutè continentur: ergo in Verbo diuino intelligit Deus, quodcunque distinctè intelligit, ergo non potest aliqualis distinctio actualis accipi in intellectu diuino inter essentiam & memoriam præcedens quodammodo productionem Verbi. Primum probatur per Augustin. 6. *de Trin. cap. vlt.* vbi dicit, quòd Verbum est ars Patris, plena omnium rationum viuentium. 18.

Hen. ar. 27 q. 67. & ar. 51. & 52. & quodl. 3. q. 3. 15. tri. c. 14. scilic. iam producto.

h Item, distinctio secundùm rationem non potest esse nisi secundùm actum intelligendi: in Deo autem primus actus intelligendi est principium emanationis verbi supposita proprietate personali, cùm verbum producitur naturaliter: & actu naturali ipsius intellectus: ergo nullo actu, quasi præcedente productionem verbi potest haberi distinctio ad extrà, vel ad intrà. Et si quæratur i ab eis, quomodo ergo distinguitur in Deo intellectus, & voluntas, si non præsupponitur in Deo distinctio productionibus personarum?

Dicunt, quòd positis illis productionibus, *dictione, & spiratione*, & hoc per solam essentiam vt principium formale respectu vtriusque productionis, potest intellectus diuinus comparare eas ad aliqua similia in creaturis. Vni autem similis est productio intellectus in creatura: quia ipsa est, nulla præsupposita, alteri similis est productio voluntatis: quia ipsa est altera præsupposita: & ita, ex tali comparatione ad extrà, intellectus concipit istas productiones: vnam quasi intellectus, & aliam quasi voluntatis, propter similitudinem istarum ad istos actus, & propter istud istarum productionum principium productiuum, concepit intellectus sub ratione istorum duorum principiorum, scilicet intellectus & voluntatis. Per hoc impeditur secunda ratio, quia memoria, vt memoria, vel intellectus, non habet rationem principij respectu *dicere*: sed ipsa essentia: & benè conceditur quòd essentia, vt essentia, prior est notionali: sed non habetur per hoc, quòd aliquod essentiale, aliquo modo distinctum ab essentia, est immediatius, quàm aliquod notionale.

COMMENTARIVS.

47. g DE *tertio articulo*. Hic Doctor adducit duas rationes Henrici contra duas rationes factas pro tertia conclusione. Contra primam: sic arguit Henricus, probando quòd non sit similis ordo inter memoriam diuinam, & gignere, quæ ratione distinguuntur, qualis est inter memoriam creatam, & *dicere* respectu verbi creati, quæ realiter distinguuntur. Et tota ratio stat in duobus, primò, quòd memoria creata est principium dicendi, siue principium productiuum verbi creati. Secundò, quod memoria diuina, vt memoria est; & vt aliquid distinctum, ab essentia diuina, non est principium dicendi, siue non est principium productiuum Verbi diuini, & per consequens non est similis ordo inter memoriam, & *dicere*, qualis est inter memoriam creatam, & *dicere* creatum. Et quòd memoria diuina vt memoria est, (quæ vt sic, includit intellectum, & obiectum in ratione obiecti) non sit principium dicendi, probat, quia intellectus paternus non habet essentiam diuinam præsentem in ratione obiecti actu intelligibilis, nisi vt in filio, siue vt in Verbo, sicut patuit *in primo, dist. 1. q. 2.* Et hoc probat; quia Verbũ est expressiuum, siue declaratiuum eorum quæ in essentia diuina quasi inuolutè continentur, & per consequens intellectus paternus nec essentiam, nec aliquid contentum in essentia, nec actu, nec habitu intelligit ante productionem verbi. Cum ergo intellectus paternus non habeat essentiam dininam, nec aliquod contentum in essentia vt obiectum præsens in ratione obiecti intelligibilis, nisi vt in Verbo, Sequitur quod memoria Patris vt memoria (quæ vt dixi includit intellectum paternum, & essentiam præsentem tali intellectui) præexigit ipsum Verbum, & per consequens gignitionem Verbi. Et sic sequitur quòd est principium gignendi Verbum. Sequitur etiam, quòd gignitio Verbi sit immediatior essentiæ diuinæ quàm memoria diuina vt memoria. Et quòd Verbum sit sic expressiuũ, &c. probat auctoritate Augustini 9. *de Trin. cap. vlt.* qui dicit quòd *Verbum est ars Patris plena omnium rationum viuentium.* Vult ergo Henricus quòd sola essentia diuina sub ratione essentiæ, vt tamen coniungitur ei respectus realis, sit

Opinio Henrici quodl. 27 qu. 6.

principium

principium emanationum, ita quòd sola essentia diuina est ratio formalis tam dicendi, quàm spirandi. Sed per generationem actiuam determinatur ad dicendum, & per spirationem actiuam determinatur ad spirandum Spiritum sanctum. Et de hoc vide *in primo, dist.* 18. Et cùm dicit Henricus ibi: *Quod probatur dupliciter, primò sic. Verbum expressiuum*, &c. debet referri ad hoc scilicet, quod memoria diuina, vt memoria non est principium dicendi.

48. h *Item distinctio secundùm rationem*.&c. Per istam rationem probat Henricum quòd per productionem Verbi nullo modo memoria diuina distinguitur ratione ab essentia diuina, quia distinctio secundùm ratione est tantùm per actum intelligendi. Sed primus actus intelligendi in Deo, supposita proprietate personali, siue supposita prima persona, est principium productionis Verbi, quia Verbum producitur naturaliter, & actu naturali ipsius intellectus, & per consequens per nullum actum quasi præcedentē productionem Verbi potest haberi aliqua distinctio rationis, & sic tam memoria quàm ipsum *dicere* æquè immediatè insunt essentiæ diuinæ, imò ante productionem Verbi sunt præcisè ipsa essentia diuina, quia in illo priori nulla est distinctio rei, nec rationis. Et sic patet quomodo ista secunda ratio impedit secundam rationem Doctoris.

i *Et si quæratur ab eis*. Hîc Doctor quærit, si ante productionem Verbi nulla est distinctio, nec re, nec ratione, quomodo ergo in Deo intellectus, & voluntas distinguuntur, qui præcedunt productionem Verbi? Dicit Henricus quod positis productionibus diuinis, scilicet dictione, & spiratione, & hoc per solam essentiam vt principium formale productiuum respectu vtriusque productionis, potest intellectus diuinus comparare eas ad aliqua similia in creaturis. Vni autem similis est productio intellectus in creatura, quia ipsa est, nulla alia productione præsupposita, alteri similis est productio voluntatis, quia ipsa est altera præsupposita, scilicet productione per intellectum. Et ita intellectus diuinus ex tali comparatione ad extrà concipit istas productiones, & hoc modo distinguuntur ratione.

SCHOLIVM.

Refutat impugnationes Henrici. Primo, quia duarum productionum diuersæ rationis non potest esse vnum formale principium, quale est essentia, sed generatio, & spiratio sunt diuersæ productiones, quarum vna supponit aliam ex 1.*dist.*6. *&* 13. *Secundò, quia non daretur determinata pluralitas in productionibus necessariis: & dicit rationes Henrici ad oppositum, infertque ex eo secundam personam non magis produci per intellectum, quàm per voluntatem, quia essentia non minùs est hoc, quàm illud. Vide Doctorem* 1. *dist.*6. *&* 12. *&* 2. *dist.*1. *quæst.*1. *Ad* 1. *pro Henrico explicat quomodo Pater intelligat omnia Verbo, de quo latè agit* 1. *dist.* 32. *q.*2.

19. Contrà [k] ista ratio posset multipliciter improbari: quia duarum productionum alterius rationis non videtur posse poni idem principium formale productiuum; & specialiter talium productionum, quarum vna non potest poni, nisi iam altera ponatur. Non videtur etiam ratio [l] quare productiones sint alicuius determinatæ pluralitatis, respectu quarum vnum est principium formale eiusdem rationis, & hoc in productionibus necessariis: tamen ista vsque ad proximam quæstionem differatur, & hîc tantùm ratio prima confirmatur. Cùm enim accipitur, [m] contra maiorem primæ rationis, quòd non manente eadem ratione ordinis, non manebit idem ordo: conceditur de illa, quæ est prima & per se causa, & ratio ordinis: sicut vniuersaliter tenetur de prima per se ordine quorumcunque. Et iuxta hoc arguendo ad oppositum assumo hanc maiorem. Vbi manet prima per se ratio ordinis, eadem, ibidem manet idem per se ordo: sed prima per se ratio istorum ordinis scilicet *memoriæ*, & ipsius *dicere*, est ex per se rationibus istorum, scilicet quòd memoria est memoria, & *dicere* est *dicere*; in quocunque ergo *esse* reali, siue diminuto, ista concipiuntur: statim habetur ex rationibus istorum, quòd memoria est immediatior ipsi essentiæ quàm *dicere*: ergo manentibus per se rationibus istorum duorum extremorum occurrentium intellectui, siue habentium *esse* reale, siue rationis quodcunque, semper manet eadem vel similis per se ratio ordinis.

Et vlterius [n] cùm dicitur in minori quòd in diuinis non manet ista ratio memoriæ & *dicere*, quæ in creaturis, quia non est ibi ratio principij ad principiatum: esto quod illa esset ratio ordinis, scilicet ratio principij formalis agendi, & actionis, adhuc habebo propositum: quia secundùm Augustinum 15. de Trin. c.14. *Sic hoc verbum nostrum de nostra scientia nascitur, quemadmodum illud Dei verbum de scientia Patris natum est.* Et vbique vult, quòd de ratione Verbi est nasci de scientia quæ est in memoria, & sic vbique dicitur Verbum nasci de memoria, filius autem cuius *produci* est *dici*, secundùm ipsum, Verbum est. 83. *qu. quæst.* 63. vbi vult quòd optimè positum est illud: *In principio erat verbum*, quantùm ad translationem nominis

Verbũ nascitur de scientia & quomodo? Memoria est principium productiuum secũdæ personæ.

minis ſecundæ perſonæ: eſt ergo memoria principium productiuum ſecundæ perſonæ: & ita manet illa ratio ordinis inter memoriam & *dicere*.

Confirmo hoc o quia ſi non procedat ſecunda perſona per memoriam, vt memoria, ſed per memoriam, vt eſſentia: Non magis ergo producitur per ſe per actum memoriæ, quàm per actum voluntatis: quia eſſentia, vt eſſentia, non magis eſt hoc, quàm illud; ergo productio eius, in ſua realitate, non eſt magis dictio, quàm ſpiratio, nec ipſa magis eſt ex realitate ſuæ productionis filius, ſiue Verbum, quàm Spiritus ſanctus, quod eſt patenter contra intentionem Auguſtini.

p Ad argumenta probantia, quòd eſſentia ſub ratione eſſentiæ, vt tamen coniungitur ei reſpectus realis, eſt principium formale proximum producendi filium.

Ad primum, cùm dicit: Deus quodcunque intellectu diſtinctè intelligit, Verbo iam producto intelligit, verum eſt, quòd Verbum eſt æternaliter productum: ſed non quæritur hîc de ordine durationis, ſed originis. Sic autem intelligendo, quòd Pater non intelligat quæcunque diſtincta in ſe, vt eſt prior origine Verbo, falſum eſt: & contra rationem, & contra Auguſt. 15. *de Trin. cap.* 7. vbi vult, quòd quælibet perſona ſibi meminit, ſibi intelligit, ſibi diligit; & ſic infert, quod *ſi Filio intelligeret Pater: Pater non eſſet ſapiens de ſeipſo, ſed de filio.* 20.

Deus verbo intelligit explicatur de quo 1.d.32. *qu.* 2.

Ex hoc formatur prima ratio ſic: Quamcunque perfectionem Pater habere poteſt, habet eam vt eſt origine prior Filio: quia habet eam in ſe: nullam enim perfectionem poteſt habere niſi à ſe: ergo nec Filio, ergo ſi Pater poſſet noſcere diſtinctè actu omne intelligibile, nouit vt eſt prior Filio origine, non nouit ergo aliqua intelligibilia diſtinctè præciſè in Filio. Hoc etiam patet per Auguſtinum 15. de Trin. cap. 14. *Nouit Deus Pater omnia in ſe, nouit & in Filio: in ſeipſo tanquam ſeipſum*

Omnis perfectio eſt prior origine filio. de quo.1.d.12. qu. 2.

Ex hoc formatur ſecunda ratio. Pater, vt eſt prior origine Filio, nouit ſeipſum: non tantùm per memoriam ſiue actu primo: ſed per intelligentiam ſiue actu ſecundo: quod probatur, quia conſimilis eſt ordo originis Patris ad Filium in habendo intelligentiam perfectam, qualis eſt in habendo memoriam perfectam, quia vniuerſaliter eiuſdem per ſe eſt habere intelligentiam perfectam, cuius eſt habere memoriam perfectam: ſicut ergo Pater non præciſè in Filio nouit ſeipſum, quaſi per memoriam, ſed per ſe ipſum vt eſt prior Filio: ita & de notitia actuali per intelligentiam: & tunc vltrà: ſicut ergo actuali notitia, ſiue intellectione per intelligentiam nouit Pater ſeipſum priùs origine, quàm in Filio, ita actuali intellectione per intelligentiam ingenitam nouit omnia diſtincta in ſe priùs, quàm in Filio.

Pater eſt prior origine filio tam per memoriam, quã per intelligentiam.

q Ad probationem, cùm dicitur, quòd Verbum eſt expreſſiuum omnium, quæ in eſſentia diuina quaſi inuolutè continentur, concedo: ſed non præciſè Verbum, nec ipſa præciſè relucent in Verbo: ſed æquè diſtinctè relucent in intelligentia Patris, vt Patris eſt. Quando autem probatur illa præciſè eſſe relucentia in Verbo, per illud 6. *de Trin. de arte.* Ad hoc reſpondet Auguſtinus 7. *de Trin. c.*1. Ita eſt verbum ars Patris quomodo ſapientia Patris, & qualiter hoc eſt; ita, inquit, *dicitur filius ſapientia Patris quomodo lumen Patris eſt, ſcilicet vt quemadmodum lumen de lumine, & vtrumque idem lumen, ſic intelligitur ſapientia, de ſapientia & vtraque vna ſapientia.* Hæc ille.

Vide 27.d. 1.q.3. & d. 28.

Si quæratur, quare Verbum dicitur magis ars Patris, quàm ipſemet Pater.

Reſpondeo, ſecundæ perſonæ ex vi ſuæ productionis competit, quòd eſt notitia declaratiua, quia eſt producta per actum memoriæ exprimentis talem notitiam. Et ideò appropriatè dicuntur de ea, quæ pertinent ad perfectionem cognitionis actualis, magis tamen propriè dicitur ſapientia, ſicut loquitur Apoſtolus, quàm ars, ſicut loquitur Auguſtinus, quia ex productione ſua magis eſt notitia declaratiua æternorum, quàm factibilium.

1. Cor. 1.

r Secunda ratio innititur iſti propoſitioni: Primus actus intelligendi in diuinis eſt principium proprium producendi Verbum. Iſta eſt falſa propter duo. Primò, quia nullus actus intelligendi eſt propriè principium producendi Verbum. Secundò, quia non eſt primus actus intelligendi, ſicut ipſe intendit loqui de illo. Primum probo, quia actus intelligendi cõmuniter accipitur pro ipſa operatione, quæ eſt intellectio: Si ergo primus actus intelligendi eſt principiũ emanationis, vt ipſe accipit, hoc intelligitur altero iſtorum duorũ modorũ: aut ita videlicet quòd eſt principiũ formale, quo Verbum producitur, ſicut calor in calefaciente reſpectu calefactionis, eſt principium, aut

Ad 2. Hẽr. 5. nu. 18.

de hoc 1. d.2.q.7. ad 4. & d. 6.

aut ita, quòd est principium emanationis, sicut actus productiuus, sicut calefactio, dicitur principium productiuum caloris producti; neutro autem modo potest intelligi: quia omne *intelligere* est ipsius intelligentiæ, secundũ Augustinũ 14. *de Trin. c. 7. Intelligentiam dico, qua intelligimus cogitantes*: producere autem Verbum, siue habere principium formale producendi, non competit nisi ratione memoriæ.

11. Secundum patet ex dictis, quia productionem Verbi præcedit origine intellectio distincta, quæ conuenit Patri secundùm intelligentiam propriam ingenitam non ergo producitur Verbum primo actu intelligendi, loquendo de prima origine: sicut ipse accipit: cùm probatur per hoc, quòd Verbum naturaliter producitur, cõsequentia nõ valet; quia quorumcũque actuum intellectus est principium omnium illorum per modum naturæ. Vel potest breuiter dici ad istam secundam probationem, quòd licèt Verbum producatur in diuinis per primum actum intellectus: loquendo de primo actu productiuo, qui tamen non dicitur propriè actus intelligendi, licèt sit actus intellectus: non tamen primo actu operatiuo, qui propriè dicitur actus intelligendi: sed prior est origine actu intelligendi, vt est intelligentiæ paternæ, & isto, vt sic priori, intelligit pater essentiam propriam distinctè: non autem in Verbo producto. Ista distinctio de actu productiuo, & operatiuo patebit post *q.* 13. Actus enim operatiuus non habet terminum productum: sed est vltimus terminus: vt patet *ex* 1. *&* 10. *Ethic.* Actus autem productiuus semper est alicuius termini per se, qui per ipsum accipit *esse*.

Hæc respon. supponit duplicẽ actũ intellectus, productiuum, & operatiuũ de quo infr. qu. 13.

Cap. 1. & 9. c. 3. & inde. Idẽ 9. mit. to. c. 16

Respondeo ad secundam rationem, positam ab ipso: exclusa est per hoc, quod probatum est, essentiam vt essentiam, non esse immediatum principium formale productionis, excludendo memoriam, vt memoriam, à ratione totalis principij.

COMMENTARIVS.

49. k Contra. Doctor improbat hanc rationem multipliciter, scilicet, quòd sola essentia diuina est ratio formalis productionum ad intra. Et primo sic: *quia duarum productionum alterius rationis non videtur posse poni idem principium formale productiuum, & specialiter talium productionum, quarum vna non potest poni, nisi iam altera ponatur.* Cùm ergo generatio, & spiratio sint alterius rationis, imò simpliciter primò diuersæ, vt probat Doctor *in primo dist. 7. &* 13. & spiratio necessariò præsupponat generationem, Sequitur quòd respectu illatum non potest poni idem principium formale productiuum, quale esset si sola essentia esset principium formale respectu illarum productionum. Nam ab istis ponitur, quòd sola essentia est sic principium, vt tamen determinatur per alium, & alium respectum, non quòd respectus sit aliquo modo ratio formalis producendi, sed sola essentia. Et hoc satis patuit in primo *dist. 6. &* 13. vide ibi.

Scotus arguit cõtra Henr.

l Secundò arguit, quia *non videtur ratio quare productiones sint alicuius determinatæ pluralitatis, respectu quarum vnum est principium formale eiusdem rationis, & hoc in productionibus necessariis, tamen ista vsque ad proximam quæstionem differatur.* Nam ibi probat quòd si sit idem formale productiuum eiusdem rationis, loquendo de productione necessaria, quòd productiones ab eodem principio, necessariò essent eiusdem rationis, & dicit *de necessariis*, quia plures alterius rationis contingentes possunt esse ab eodem principio, vt patet de productionibus creaturarum specie distinctarum, quæ differunt specie, & tamen sunt ab eadem voluntate diuina sub eadem ratione formali, vt patet à Doctore *in* 2. *dist. 1. q. 1.* & infrà *in quodl. q. 8.* Secus est si productio est *simpliciter* necessaria, vt ibi exposui. Et si productiones sunt eiusdem rationis non apparet determinata pluralitas, vt ibi prolixè probatur.

50. m *Cùm accipitur contra maiorem primæ rationis*, &c. Nam ratio prima, & per se ordinis aliquorũ adinuicem, scilicet ordinis prioris, & posterioris, mediatioris, & immediatioris accipitur ex præcisa ratione formali terminorum: sicut dicimus quod causa est prior effectu, quia acceptis rationibus formalibus causæ, & effectus, causa est prior effectu. Sic in proposito, accipiendo memoriam vt memoria, & *dicere* vt dicere, vt scilicet considerantur sub suis præcisis rationibus formalibus, memoria est prior ipso *dicere*: patet, quia necessariò præsupponitur ipsi *dicere*. Nam non est intelligibile quòd sit *dicere*, & quòd non sit memoria, vel quòd non præsupponat memoriam, sequitur ergo quòd memoria ex sua ratione formali sit immediatior naturæ, cuius ponitur memoria quàm ipsum *dicere*, vbi memoria & *dicere*, distinguuntur realiter, sicut in nobis, & cùm eadem ratio ordinis sit in memoriam diuinam, & *dicere* diuinum, sequitur quòd memoria diuina erit immediatior essentiæ diuinæ ipso *dicere* diuino. 51.

n *Et vlteriùs cùm dicitur in minori quòd in diuinis non manet ista ratio ordinis, scilicet memoria, & dicere quæ in creaturis, quia non est ibi ratio principij, & principiati*, sicut est in creaturis, vbi memoria est principium dicendi, siue producendi album. Dicit Doctor quòd etiam posito quòd ista esset ratio ordinis, scilicet ratio principij formalis agendi, & actionis, adhuc habebo propositum, scilicet, quòd in Deo memoria est principiũ formale dicendi Verbum, & probat per auctoritates Aug. Nam secundũ August. 15. *de Tri. c. 25.* Sic hoc verbum nostrum de nostra scientia nascitur, quemadmodũ illud Dei Verbũ de

Quomodo memoria sit principium formale dicendi verbũ.

de scientia Patris natum est,& vbique vult quòd de ratione Verbi est nasci de scientia, quæ scientia est in memoria. Nam Augustinus accipit ibi *scientiam* pro memoria, siue pro obiecto relucente in memoria, vt prolixè exposui in primo, *d.4.& 26.* & dicitur obiectum esse in memoria, pro quanto ipsum est præsens intellectui sub ratione obiecti actu intelligibilis, & est pars memoriæ. Et hoc est quod dicit, scilicet, *quæ scientia est in memoria*,id est, obiectum actu intelligibile est pars memoriæ. Et hæc omnia prolixiùs patent in primo d.2.parte 2.q.3.& d.6.q. vnica.

o *Confirmo hoc*, &c. Nam dicitur spiratio, quia producitur per modum voluntatis, & libertatis,& dicitur generatio,siue dictio,quia producit per modum naturæ, siue per modum intellectus,vt patuit in primo,&c.

52. p *Ad argumenta probantia*, &c. Dicit Doctor quòd hoc est verum, scilicet quòd Verbum est æternaliter productum, tamen cum hoc stat, quòd sit posterius origine Patre, vt clarè patet à Doctore *in primo,d.2.6.12.26.in secundo, dist.1. q.1.& in quodl. q.* 8. & sic Pater vt prior origine filio, in seipso distinctè intelligit omnia, vt patet per Augustinum 15.de Trin.c.7.quòd quælibet persona sibi meminit,sibi intelligit, sibi diligit,& infert,quòd si filio intelligeret Pater,Pater non esset sapiens de seipso,sed de filio. Vult dicere, quòd Pater habet in se formaliter memoriam,quæ est principium formale intelligendi.Et similiter habet formaliter in se actualem intelligentia, siue intellectionem omnium. Et hoc est idem,cum dicit, *Intelligit sibi*, id est, quòd habet formaliter intellectionem quasi sibi inhærentem,quâ formaliter dicitur intelligere. Et sic patet quomodo Pater formaliter intelligit per memoriam formaliter sibi inexistentem, Intelligit,dico,per memoriam habitualiter,& per actualem intellectionem sibi formaliter inexistentem actu,dicitur formaliter intelligere, & non dicitur formaliter intelligere nec habitualiter, nec actualiter,per Verbum productum, quia tunc esset sapiēs nō formaliter,sed tantū sapiētia genita, scilicet Filio, quod est contra Augustinum vbi suprà. Ex hoc ergo formatur ratio sic prima: Qualemcunque perfectionem Pater habere potest,habet eam vt est prior origine filio,quia habet eam à se,nullam enim perfectionem potest habere nisi à se,ergo nec à filio;ergo si Pater posset noscere distinctè actu omne intelligibile, nouit id vt est prior origine filio, & sic sequitur quòd non nouit distinctè aliqua intelligibilia præcisè in filio, sed formaliter in seipso vt exposui. Vnde Augustinus 15. de Trin. c. 14. *Nouit Deus Pater omnia in se, nouit & in filio, & in seipso tanquam seipsum.* Vult dicere, quòd nouit omnia in se tanquam seipsum, id est, quòd sicut habet formaliter in se notitiā quâ seipsū nouit,ita habet formaliter in se notitiam, quâ nouit omnia alia Et cùm dicit, quòd *nouit omnia in filio*, hoc debet intelligi, quia filius habet eandem notitiam in se formaliter, quam habet Pater, etsi per filium intelligit omnia,siue in filio, debet intelligi non formaliter,sed tantùm denominatione extrinseca, & hæc prima ratio procedit de notitia habituali,quâ Pater nouit se, & alia formaliter, pro quanto habet formaliter in se memoriam, quæ est principium formale producendi, siue quasi producendi actualem intelligentiam, siue intellectionem.Ex hoc dicto pariformiter formatur secunda ratio, quæ est de actuali notitia, qua Pater nouit formaliter omnia,quia consimilis est ordo originis Patris, & filiis in habendo intelligentiam perfectam, id est, actualem intellectionem, qualis est in habendo memoriam perfectam.Sicut ergo Pater non præcisè in filio nouit seipsum quasi per memoriam, sed per seipsum vt est prior filio,ita & de notitia actuali per intelligentiam. Sicut ergo actuali notitia siue intellectione per intelligentiam nouit Pater seipsum prius origine, quàm in filio, ita actuali intellectione per intelligentiam in genitam nouit omnia distinctè in se, priusquam in filio, & accipitur *actualis intellectio* pro illa operatione præcisè, & *intelligentia* accipitur pro intellectu habente formaliter actualem intellectionem. Et vult dicere, quòd Pater per intellectum vt perfectum actuali intellectione intelligit omnia.

Quomodo Pater intelligat formaliter per memoriam.

Quomodo Pater nouerit omnia in filio.

q *Ad probationem* qua Henricus probat quòd Pater intelligit omnia præcisè in Verbo, quia Verbum est expressiuum, &c. Dicit,quòd benè est expressiuum,siue declaratiuum omnium, quæ virtualiter continentur essentia, sed non præcisè Verbum, quia etiam Pater vt habens formaliter notitiam omnium,est per illam declaratiuus omnium.Nam per memoriam formaliter inexistentem Patri est habitualiter declaratiuus omnium, quæ virtualiter continentur in essentia diuina, quæ est pars memoriæ;& per actualē intellectionem formaliter sibi inexistentem est declaratiuus actualiter omnium, ita quòd omnes creaturæ vt actu non intelliguntur, sed vt sunt præcisè obiecta secundaria virtualiter contenta in essentia diuina, habitualiter dicuntur relucere in memoria diuina, pro quanto, scilicet est productiua illorum in *esse* cognito, sicut sunt nata cognosci. Vt verò ipsæ creaturæ actu intelliguntur à Patre, dicuntur relucere in intelligentia Patris, id est, in intellectu Patris formaliter perfecto actuali intellectione illarum, quia sic cognitæ actu dicuntur declaratæ & manifestatæ, quia tunc actu intelliguntur, secundùm quòd erant intelligibiles.Et cùm probatur, quòd præcisè relucent in Verbo, quia Verbum est ars Patris per Augustinum 6.de Trin. Dicit Doctor quòd ita Pater est formaliter pars sicut & Verbum. Et probat per Augustinum 7. de Trin. c. 4. Nam ars est notitia factibilium, sicut sapientia notitia æternorum, modo vt suprà dixi,ita Pater habet formaliter in se notitiam omnium factibilium, sicut & Verbum,& ita Pater est ita formaliter ars omnium, sicut & filius. Appropriatè tamen filius,siue Verbum dicitur ars,quia Verbo ex vi suæ productionis competit notitia declaratiua, quia est productum per actum memoriæ exprimentis talem notitiam,& ideò appropriatè dicuntur de ea quæ pertinent ad perfectionem cognitionis actualis, magis tamen propriè dicitur Verbum sapientia quàm ars, quia ex vi productionis suæ magis est notitia declaratiua æternorum,quam factibilium, quia propriè producitur de essentia diuina secundùm suum *esse* simpliciter, & de aliis tantum secundùm *quid*.Et de hoc vide in 2. d.5.q.2. d.27. in 2.d.1.q.1.& infrà in quodl.q.8. 53.

Filius appropriate dicitur Ars patris, non propriè.

r *Secunda ratio innititur isti propositioni* falsæ,scilicet: *Primus actus intelligendi in diuinis est principium proprium producendi Verbum*.Et propter duo est falsa.Primò,quia nullus actus intelligendi est propriè principium producendi Verbum,cùm sit finis potentiæ operatiuæ, cui vt sic, non 54.

Primus actus intelligendi quod in diuinis quid.

non correspondet aliquod productum. Et hoc prolixè probatum est à Doctore *in 1.d.2.parte 2. q.4.& d.6.* Secundò quia non est primus actus intelligendi principium producendi, sicut ipse Henricus intendit de illo,quia actus intelligendi est operatio,quæ est ipsa intellectio. Si talis actus est principium, &c. aut est principium formale productiuum fundamentale, sicut calor est principium formale calefaciendi;aut est actus tantùm productiuus,sicut calefactio,siue sicut generatio, vel productio formaliter. Nullo alio modo potest intelligi quòd actus intelligendi sit principium producendi Verbum. Non primò, quia actus intelligendi tantùm attribuitur intelligentiæ,id est, quòd tantum accipitur pro intelligentia,quâ formaliter dicimur intelligere,sed intelligentiæ non attribuitur productio Verbi, sed tantum attribuitur memoriæ,quæ propriè est principium producendi, vt patet per Augustinum 14. *de Trin.c.7.* Non secundò, patet, quia intellectio in diuinis est prior origine productione Verbi, quia omne essentiale dicens perfectionem est prius origine notionali; vt suprà patuit; ergo actus intelligendi non est formaliter actus productiuus siue formaliter productio Verbi. Et cùm probatur per hoc,quòd Verbum naturaliter producitur, hoc non valet, quia intellectus est principium per modum naturæ, respectu cuiuscunque actus,siue sit actus intelligendi,siue actus producendi. Et quamuis actus producendi præsupponat actum intelligendi, non tamen ex hoc sequitur quòd actus producendi non sit per modum naturæ. Nec est simile de actu producendi voluntatis,quia ille non dicitur liber ex hoc solo, quia præsupponit productionem per modum naturæ,sed dicitur liber, quia à potentia liberè producente.Et addit responsionem breuem, cùm dicitur,Verbum producitur per primum actum intellectus,verum est,quòd per primum actum productiuum. Nam intellectus diuinus habet duplicem actum productiuum; vnum, quo producit Verbum diuinum, & hic est primus: & alium, quo producit creaturam in *esse* obiectiuo, & in *esse* cognito. Verbum ergo producitur per primum actum productiuum, & non per primum actum simpliciter,qui est actus intelligendi.Nam intellectus est prius operatiuus quàm productiuus,vt satis patuit *in 1. d.2.parte 2. q.3.* & infrà patet *q. 13. Quodl.* modò actus operatiuus non habet terminum productum,sed est vltimus terminus potentiæ, vt patet *ex primo, & 10. Ethi.* Actus verò productiuus semper est alicuius termini per se,qui terminus per ipsum actum productiuum accipit *esse.*

Intellectus diuinus habet duplicem actum.

Responsio ad secundam rationem posita ab ipso exclusa est per hoc,quod probatum est,essentia vt essentia, non esse principium formale producendi,excludendo memoriam,vt memoria est, à ratione talis principij productiui. Ista responsio Henrici posita est ibi; *Et si quæratur ab eis,quomodo ergo distinguitur in Deo intellectus, & voluntas,* & parum infra respondet ibi*: Dicunt, quòd positis istis productionibus dictione,& spiratione, & hoc per solam essentiam, vt prius formale vtriusque productionis,*&c. vide ibi.

55. *Dubium.* In hoc articulo occurrunt aliqua parua dubia. Primo in hoc, scilicet quòd *idem non potest esse principium formale productiuum respectu duarum productionum alterius rationis, & specialiter talium productionum, quarum vna non potest poni,nisi prius altera ponatur.* Instatur sic primò, quia productio ad intrà, & productio ad extrà sunt alterius rationis,quia & termini alterius rationis,& productio ad extrà non potest poni,nisi priùs posita productione ad intrà,vt probat Doctor *in secundo,d.1.q.1.* & tamen vtraque productio est ab eodem principio formali. Patet, quia productio Verbi est ab intellectu diuino, & productio creaturæ in *esse* intelligibili, siue in *esse* cognito est ab eodem intellectu. Similiter productio Spiritus sancti est à voluntate diuina, & productio creaturæ tam in *esse* volito quam in *esse* realis existentiæ est ab eadem voluntate.

Secundò, quia volitio diuina, qua Deus vult essentiam,& Spiritus sanctus, sunt alterius rationis. Patet, quia Spiritus sanctus est persona incommunicabilis, volitio communicabilis, tum, quia persona Spiritus sancti est relatiua, volitio absoluta;ergo & productio Spiritus sancti,& productio, siue quasi productio volitionis diuinæ, sunt alterius rationis,& productio Spiritus sancti præsupponit volitionem essentiæ diuinæ, & tamen sunt ab eodem principio formali, quia ab eadem voluntate diuina. *Nota.*

Tertiò, quia volitio finis in nobis, & volitio entis ad finẽ,sunt alterius rationis,quia & obiecta volita sunt alterius rationis;& volitio entis ad finem,volendo illud propter finem, præsupponit volitionem finis, & tamen vtraque est ab eadem voluntate.Similiter notitia conclusionis demonstratæ; & notitia principij sunt alterius rationis. quia notitia conclusionis est euidens propter principium, & notitia principij est euidens non propter aliud, & notitia conclusionis præsupponit notitiam principij, & tamen vtraque notitia est ab eodem principio, scilicet intellectu, & ab eodem obiecto virtualiter continente tales notitias vt exposui in primo ergo,&c.

Quartò. Ab eodem principio potest esse productio dispositionis ad formam substantialem, & productio ipsius formæ, quæ differunt non tantùm specie, sed etiam genere, vt patet de forma ignis,quæ est substantia, & de dispositione præuia,quæ communiter est qualitas; & productio formæ substantialis præsupponit productionem dispositionis necessariò requisitæ:ergo. Et sic de multis aliis posset instari.

Quintò; instatur specialiter, probando quòd productio Spiritus sancti non necessariò præexigit productionem Verbi,probatur sic: Voluntas habens essentiam diuinam perfectè præsentem in ratione obiecti amabilis amore infinito,est verè productiua Spiritus sancti: hoc patet à Doctore *in primo,d.2.parte 2.q.3. d.10. & in secundo, d.1.q.1.* natura habens essentiam sic præsentem est verè operatiua,& productiua. Sed essentia diuina est sic perfectè præsens,vt actu cognita ab intellectu diuino, fit enim præsens per solum actum intelligendi,quia voluntas non fertur nisi in obiectum actu cognitum.Posito ergo per possibile,vel impossibile, quòd Pater non genuisset filium,& haberet essentiam præsentem voluntati suæ vt actu cognitam, tunc posset verè esse operatiuus, volendo eam in se, & verè productiuus Spiritus sancti, siue amoris infiniti spirati; ergo productio Spiritus sancti non præexigit necessariò productionem Verbi, quasi esset impossibile ipsam esse, circunscripta productione Verbi. 56.

Posset etiam instari, probando generationem

Verbi, & spirationem Spiritus sancti non esse productiones alterius rationis, quia nec Verbum, nec Spiritus sanctus sunt personæ alterius rationis. Sed de hoc diffusè dictum est *in primo*, *d.7. q.vnica & d.13.q.vnica.*

57. *Responsio ad instantias.* Respondeo ad istas instantias. Ad primam dico, quòd etsi productio ad extrà de facto præsupponat productionem ad intrà, tamen si productio ad intrà, per possibile, vel impossibile, non esset, adhuc posset esse productio ad extrà tam in *esse* cognito, & volito, quàm etiam in *esse* reali, vt prolixè patet à Doctore *in secundo, dist.1. quæst.1.*

Dico secundò, quòd Doctor non intelligit de productionibus alterius rationis, qualitercunque accipiatur *alterius rationis*, sed specialiter loquitur de productionibus alterius rationis pro quanto distinguuntur penes alium, & alium modum producendi, quia vna est per modum naturæ, & alia per modum voluntatis: tales enim productiones non possunt esse ab eodem principio formali productiuo vt clarè patet à Doctore *in 1. d. 2. parte 2.q.2.& d.10.*& infrà *q. 2. quodlib.* Et loquendo de talibus, illa quæ est per modum voluntatis non potest poni, nisi priùs ponatur illa, quæ est per modum naturæ: nam prima simpliciter motio, & prima simpliciter productio est per modum naturæ, vt clarè patet à Doctore *in quodl.quæst.14.*

Et per hoc patet responsio ad alias tres instantias. Vnde ad secundam dico primò, quòd illæ duæ productiones non distinguuntur per alium, & alium modum producendi, vt patet. Dico secundò, quòd illæ productiones non sunt alterius rationis, quia si amor essentialis esset realiter distinctum à persona spirante, esset amor verè spiratus, sicut patet de notitia ingenita, siue essentiali, & de notitia genita, vt diffusè dictum est à Doctore *in primo, dist.2. parte 2.quæst.4.* & vide quæ ibi exposui. Et soluta est illa difficultas de relatiuo, & absoluto.

58. *Nota.* Ad tertiam dico primò vt dixi, quòd non distinguuntur penes alium, & alium modum. Dico secundò, quòd quamuis productio dispositionis sit alterius rationis à productione formæ, tamen productio formæ non præsupponit productionem dispositionis. Si enim agens esset perfectum sicut primum agens, statim induceret formam. Ad illud de volitione finis, &c. Dico, quòd quis absolutè potest velle ens ad finem, absque hoc, quòd velit ipsum finem, licèt non possit velle sub isto respectu, scilicet propter finem. Ad vltimum Dico primò quòd productio, quæ est per modum voluntatis, necessariò est posterior productione per modũ naturæ, & sic spiratio non potest poni, nisi priùs ponatur productio per modum naturæ, licèt productio per modum naturæ non necessariò præexigatur ad *esse* ipsius spirationis, scilicet quòd circunscripta generatione Verbi, quòd sit simpliciter impossibile spirationem esse, sed dicitur necessariò præsupponi, quia productio per modum naturæ necessariò est prior, & sic Doctor intelligit secundò, non asserendo tamen, quòd fortè generatio Verbi sic necessariò præexigitur spirationi, quòd si illa non esset, esset impossibile ipsam esse, quia sicut est simpliciter impossibile principium liberum esse operatiuum circa aliquod obiectum, nisi principium per modum naturæ, quale est intellectus, non sit prius operatiuum circa idem obiectum, ita videtur impossibile quòd tale principium liberum sit productiuum circa obiectum, quin principium per modum naturæ, quale est intellectus; non sit prius productiuum circa idem obiectum. Prima tamen responsio videtur melior, & magis ad mentem Doctoris & magis consona veritati, & sic patet.

Secundò principaliter dubitatur de illa propositione, quæ est de ratione ordinis, quia in creaturis accipiendo quiditatem, puta lapidis, & existentiam eius, vt præcisè considerantur sub rationibus formalibus terminorum, existentia necessariò est posterior essentia, cùm sit gradus intrinsecus eius. Ergo similis ordo erit inter essentiam diuinam, & eius existentiam, quod tamen est falsum, quia existentia in Deo est de essentia eius, vt patet à Doctore *in primo, d.1.parte, 1.q. 2. & q.præsenti art.1.* 59.

Respondeo, quòd non est similis ratio ordinis, quia essentia diuina est de se *hæc*, & ex sua formali ratione est de se existens, & ideò existentia eius nullo modo est posterior sua essentia, sed è contrario est de essentia & existentia creata. *Existentia est de essentia Dei.*

Posset etiam dubitari in hoc, quod dicit, quòd Pater vt prior origine Filio intelligit omnia distinctè, quia obiecta secundaria nullo modo habent *esse*, nisi Filio iam producto; ergo Pater in illo priori, in quo intelligitur Filius productus, non intelligit illa. Dico breuiter, quòd accipit *prius origine*, pro quanto Pater non habet *intelligere* omnium ab alio, sed præcisè à se. Non ergo intelligit, quod Pater in aliquo priori intelligat omnia distinctè, in quo priori non intelligitur Filius iam productus, imo in quocunque instanti Pater intelligit omnia obiecta secundaria, in eodem etiam Filius intelligit eadem, & cùm hoc stat quòd Pater intelligat illa à se, & sic vt prius origine, & Filius à Patre, & sic vt posterius origine. De hoc vide super secundo, dist.1.quæst.1.

SCHOLIVM.

Ad argumentum principale dat bonam rationem, quare attributa sunt immediatiora naturæ, quàm supposita in Diuinis, secus in creatis. Supponit supposita diuina constitui per respectus: quod latè tractat 1.d.26.à num. 2. Et dat hîc rationem, quare non possunt constitui per aliquid eiusdem generis cum natura; tamen ibi num.23.24. suadet posse sustineri constitui per absoluta, & soluit argumenta in contrarium num.31. & seqq. Neque illa sententia quidquam habet periculi, quidquid dicant nonnulli ad censurandum nimis procliues.

23. AD argumentum principale, [f] supponit quòd persona diuina constituitur per aliquod notionale, & pro nunc supponatur.

Ad

Ad maiorem ergo respondeo per distinctionem, quòd aliquando suppositum constituitur per aliquid eiusdem generis cum ipsa natura, & tunc videtur posse concedi maior, quia non solùm natura immediatius se habet ad suppositum, sed etiam ad illud formale, quo constituitur suppositum & hoc aliquâ immediatione.

In creatis personalitas immediatior natura, quam proprietates in diuinis non, & quare.

Si autem suppositum constituatur per aliquid alterius generis, quod esset remotius à natura, quàm genus illius quod est proprietas naturæ, tunc maior esset falsa. Si enim Socrates constitueretur per relationem: cum relatio plus distet à genere substantiæ quàm qualitas, vel quantitas, falsum esset quod constitutum Socratis esset immediatiùs humanitati, quàm qualitas, vel quantitas.

Nunc autem, suppositâ ista opinione, quòd relatio constituit personam siue suppositum diuinum, oportet dicere, quòd suppositum ibi non constituitur per aliquid eiusdem generis cum natura, eò modo, quo ponitur ibi genus: sed per illud quod est ad alterum, & natura est ad se.

Illud autem constitutiuum, aliquo modo magis distat à natura, quàm proprietas naturæ, quia si ibi proprie essent genera, sapientia pertineret ad genus qualitatis, & paternitas ad genus relationis; ergo ibi, suo modo, proprietas potest esse immediatior ipsi naturæ illo, quod est constitutiuum suppositi.

24. Si quæratur, quare non potest hoc suppositum constitui per aliquid, quod est eiusdem generis cum natura? Hæc quæstio est de eo, quod quæstio supponit: nec per consequens est ad propositum: sed ad quæstionem de constitutiuis personarum pertinet: tamen concedo ad præsens, suppositum: & tunc potest dici, quòd vbi est aliquid de se, & tamen non est incommunicabile non potest intelligi aliqua determinatio vlterior nisi ad incommunicabile: Essentia autem diuina est de se hæc, & tamen communicabilis. Si ergo debet intelligi aliqua determinatio ad suppositum cùm suppositum sit incommunicabile, oportet quòd hoc sit per aliquid, quod est primò incommunicabile: tale non potest esse quod est ad se, quia quicquid est ibi ad se, secundùm istud suppositum, est perfectio simpliciter, & sic communicabile, & ita oportet constitutiuum suppositi differre à natura genere, non qualitercunque, sed ea differentia, quæ est inter rem ad se, & rem ad alterum. Probatio autem maioris principalis, non procedit, nisi de constitutiuo suppositi pertinente ad idem genus cum natura.

Dist. 26. p. a nu. 2. & à ad obiectiones n. 41.

Quare suppositum diuinum non potest esse absolutum.

Viso de ordine essentialium, & notionalium in Diuinis, patet ex hoc ordo procedendi in quæstionibus de Deo, quia si aliqua fuisset mota de essentia, vel essentiali ad intrà, illa esset tractanda ante quæstiones de notionalibus. Nulla autem est mota de essentiali nisi quòd importat respectum ad extrà, & quodcunque notionale, suo modo est prius quocunque tali essentiali ideò primò tractandæ sunt quæstiones motæ de notionalibus. Notionalia autem, vel sunt relationes, vel productiones, siue illa sint idem, siue non, non curo Est ergo primò quæstio talis de notionalibus, siue productionibus.

Ordo quærendorum.

COMMENTARIUS.

60. AD argumentum principale. Arguit probando quòd notionalia sint immediatiora essentialibus, patet, quia natura immediatiùs se habet ad suppositum proprium, quàm ad proprietatem, quia de supposito prædicatur in primo modo, & de proprietate tantùm in secundo modo: ergo constitutiuum suppositi, quale est notionale, immediatiùs se habet ad naturam quàm proprietas naturæ. Respondet Doctor quòd hæc ratio supponit, quòd suppositum diuinum constituatur per notionale, quod supponitur pro nunc, & vocat hic *notionale* proprietatem relatiuam, vt paternitas & filiatio, &c. quia per illa notionalia innotescunt personæ diuinæ, & an modò constituātur per proprietates relatiuas, an per absolutas, prolixè disputauit in primo *dist. 26.* vbi, vt dixi, videtur tenere magis quòd per absolutas proprietates constituantur, quàm per relatiuas. Supponendo tamen hic quòd constituantur per relatiuas. Respondet ad rationem, quòd maior est vera, quando suppositum est eiusdem generis cum natura, sicut Ioannes qui est eiusdem generis cum natura humana, quia vtrumque pertinet ad genus substantiæ, non tamen intelligendo Ioannem prout includit illam negationem duplicis communicabilitatis, scilicet vt *quo*, & vt *quod*, vt notat Doctor *in primo, dist. 2. parte 2. q. 1.* siue vt includit negationem duplicis dependentiæ ad aliud suppositum, de qua per Doctorem patet *in 3 d. 1. q. 1.* quia talis negatio nullo modo pertinet ad genus Substantiæ, cùm sit nihil; sed accipitur *suppositum* pro illo singulari constituto ex natura, & singularitate, nato per se stare, cui inest talis negatio, vt prolixè exposui super 3 *d. 1. q. 1.* & etiam alibi. Et sic de tali supposito natura prædicatur in primo modo vt aliàs exposui. Loquendo ergo de tali supposito in nobis, conceditur quòd natura immediatiùs se habet ad illud, & ad positiuū constitutiuum illius, & mediatiùs ad proprietates naturæ, puta ad risibilitatem. Sic etiam constitutiuum

Quid sit notionale nam notionale est illud, quòd dicit respectū ad intrà.

tiuuum suppositi diuini esset eiusdem generis, quod est falsum,quia est relatio, & essentia substantia absoluta.Et licèt multæ proprietates diuinæ,vt bonitas, sapientia,& huiusmodi, non pertineant formaliter ad genus Substantiæ imò dicunt quasi qualitatem, adhuc tamen sunt immediatiores, quia sicut genus Qualitatis est immediatius Substantiæ quàm genus Relationis, sic quasi genus Quantitatis est immediatiùs naturæ diuinæ quasi genere Relationis.

61. Si quæratur quare non potest hoc suppositum constitui per aliquid eiusdem generia cum natura:Hoc est de eo, quod quæstio supponit, nec per consequens est ad propositum, sed ad quæstionem de constitutiuis personarum pertinet, tamen concedendo pro nunc suppositum, scilicet quòd non constituatur per aliquid eiusdem generis. Et ostendit quomodo non constituatur suppositum idem per aliquid eiusdem generis, quia vbi est aliquid de se hoc,& tamen communicabile, non potest intelligi aliqua determinatio vlterior,nisi ad incommunicabile:patet, quia singulare non potest vlteriùs determinari, nisi quod determinetur per incommunicabile, & cùm suppositum sit simpliciter incommunicabile, sequitur quòd vltimatè constitutiuum illius sit simpliciter incommunicabile, quia suppositum per tale constitutiuum habet quòd sit incommunicabile. Cùm ergo natura diuina sit de se *hæc*, & tamen vere communicabilis, suppositum naturæ diuinæ sit simpliciter incommunicabile, ergo constitutiuum talis suppositi erit omnino. incommunicabile, ergo erit relatiuum, quia supponitur hîc quòd omne absolutum in diuinis sit perfectio simpliciter, & omnis talis est communicabilis. Si ergo constitutiuum suppositi diuini esset eiusdem generis cum natura diuina,esset verè absolutum sicut, & natura diuina,& per consequens incommunicabile,ex quo patet quòd suppositum diuinum non est eiusdem generis cum natura diuina. Tenendo tamen quòd suppositum diuinum constituatur per absolutum, diceretur quòd tale constitutiuum non esset perfectio simpliciter,vt dicit Doctor *in primo, d. 26.* Tenendo etiam quòd sic constituatur per entitatem absolutam, adhuc diceretur quòd essentiale dicens perfectionem esset immediatius naturæ diuinæ,quàm talis entitas absoluta.Et ad rationem, diceretur ad minorem quòd talis entitas non esset eiusdem generis cum natura diuina, quia tunc esset perfectio simpliciter sicut etiam hæcceitas in Ioanne per quam Ioannes est singularis, & ens per se, si sibi relinquatur, non est eiusdem generis cum natura Ioannis vt patet à Doctore *in 2.d.3. q. 6.* & talis dicit etiam perfectionem additam naturæ, vt patet à Doctore *in primo,d.5.q.2.& d.26.* Sic similiter si constitutiuum suppositi diuini esset eiusdem generis cum natura diuina diceret perfectionem simpliciter, quia omnis perfectio diuina, quæcunque sit illa, est perfectio simpliciter. Sed tale constitutiuum nullo modo esset perfectio simpliciter, licèt esset entitas absoluta. Et in hoc non oportet multùm insistere. Possent tamen adduci aliqua dubia in hac litera, quæ scilicet breuitatis causa relinquo ingeniosiori,& subtiliori me.

Suppositum est simpliciter incommunicabile.

QVÆSTIO II.

Vtrùm in Deo poßint a esse plures productiones eiusdem rationis?

Alens. 1. *p.q.*17. *m.* 7. D.Thom. 1. *p.q.*2.*art.*1.*&* q.42.*art.6.& q.*30.*art.* 2. Scot.1.*d.*2.*q.7. num.*34. Rich.*ib.art.*2.*q.*2.Henr.*quodl.6.q.*1. Suarez *tract.*3.*lib.*4.*c.*10. Bellar.*lib.*1. *de Christo c.* 1. *& lib.* 2. *cap.6.&* 8.



*Arg.1.*Væritur, Vtrùm in Deo possunt esse plures productiones eiusdem rationis. Arguo,quòd sic. Productio suppositi in *esse* naturæ substantialis, est generatio:sed in Diuinis est duplex productio per modum naturæ;ergo duplex generatio, & per consequens duplex productio eiusdem rationis.Minor patet, quia omnis productio suppositi in natura diuina est in *esse* naturæ substantialis.Probatio maioris,nam per hoc distinguitur generatio ab aliis mutationibus,per Philosophum 5.*Phy.*quia ipsa est ad substantiam,siue ad *esse* substantiale:ergo,&c. 1.

Tex.2.

Ratio ad opp. Contrà,si possunt esse plures productiones eiusdem rationis,vel ergo plures generationes:vel plures spirationes,& per consequens plures filij, vel plures Spiritus sancti;consequens falsum,quia plures essent personæ,quàm tres,ergo,&c.

COMMENTARIVS.

1. a  *Trum in deo possint esse plures productiones eiusdem rationis.* Titulus quæstionis sic intelligitur de productione eiusdem rationis,accipiendo *eiusdem rationis*,vt eiusdem speciei specialissimæ,quia licèt in Deo non sit aliqua species, si tamen poneretur, paternitas & filiatio specie distinguerentur, plus enim differt paternitas à filiatione, quàm paternitas à paternitate:titulus quæstionis sic

ſic intelligitur, an in Deo poſſint eſſe plures generationes,& per conſequens plures Filij, vel plures ſpirationes, & per conſequens plures Spiritus ſancti.

SCHOLIVM.

Supponitur, ſecundùm fidem non dari plures productiones eiuſdem rationis: ad quod ratione probandum adducuntur quatuor argumenta D.Thom.& aliorum. Primum, Forma eiuſdem rationis non multiplicatur niſi per materiam, quæ in diuinis non datur. Secundum, Deus omnia intelligit vno actu, ergo productio per intellectum eſt tantum vna. Tertia, perſonæ procedunt naturaliter, determinatur autem natura ad vnum. Quartum, alioquin Filius non eſſet perfectus.

HIc concordant [b] omnes Theologi in concluſione negatiua, ſed oportet videre an iſta ſolà fide teneatur, an per rationem. Ad ipſum autem diuerſi diuerſas afferunt rationes. Primò ergo tangentur rationes aliquorum, quæ ad concluſionem iſtam ponuntur. Secundò dicetur, quid magis circa hoc videtur eſſe tenendum. Tertiò quædam dubia occurrentia excludentur. *Auctor in Theorem.c. propoſitionum credicarum.*

De primo apponuntur [c] ad hoc quatuor rationes.

Prima eſt iſta. Forma eiuſdem ſpeciei, ſiue quod magis propriè dicitur in diuinis, eiuſdem rationis, non multiplicatur niſi ſecundùm materiam: materia autem in Diuinis eſſe non poteſt. Vnde in diuinis non eſt niſi vnica filiatio ſubſiſtens, ſicut albedo ſubſiſtens non poteſt eſſe niſi vna. *D.Thom. 1.p.q.2.ar. 1.& q.44. art.1.& q.40.art.4. & ſecundi ſcripti d.3. q.4. & de potẽtia 2.q.*

Secunda ratio. Deus omnia intelligit & vult vno actu ſimplici: ergo non poteſt eſſe ibi, niſi vna perſona procedens per modum verbi, & vna per modum amoris.

Tertia ratio, quia perſonæ procedunt naturaliter: natura autem determinatur ad vnum: ergo, &c.

Quarta ratio. Ex hoc eſt perfectus Filius, quia tota filiatio diuina in eo continetur; non ergo poteſt ibi eſſe aliqua alia. *Aug. quol.2.q.7. 12. Met. 1.30.2.de gen.t.com. 56. 3.Phyſ.5.*

COMMENTARIVS.

2\. [b] HIc concordant omnes Theologi in concluſione negatiua, ſcilicet quòd non poſſunt eſſe plures productiones eiuſdem rationis, ſed oportet videre, an hoc ſola fide teneatur, an per rationem. Et diuerſæ à diuerſis adducuntur rationes. Prima opinio eſt Thomæ *prima parte ſummæ, q.4..art.6.* & quatuor adducit rationes. Vnde in iſta quæſtione ſunt videnda, per ordinem. Primò tangentur rationes aliquorum ad hanc quæſtionem. Secundò dicetur quid ſit magis tenendum. Tertiò, quædam dubia excludentur & quarto erit ſolutio principalis argumenti.

Prima ratio. [c] *De primo ad hoc ponuntur quatuor rationes* à Thoma vbi ſuprà. Prima, quia forma eiuſdem rationis non multiplicatur, niſi ſecundùm materiam; materia autem in diuinis eſſe non poteſt, vt patet 12. *Met.tex.c.* 30. ſecundùm aliam tranſlationem vbi ſic habetur: *Oportet* (inquit) *vt iſtæ ſubſtantiæ ſint exiſtentes extra materiam, cùm neceſſe eſt vt ſint æternæ.* Et ibi Commentator, *id eſt, & quia iſtæ ſubſtantiæ ſunt mouentes ſine aliqua potentia, neceſſe eſt vt ſint ſine omni materia, cùm neceſſe eſt vt ſint æternæ, omne enim æternum eſt actio pura.* Hæc ille.

Secunda ratio, Deus omnia intelligit, & vult vno actu ſimplici, ergo, &c. Antecedens patet 12. *Met.te.c.* 51. vbi probatur quòd *intelligere* primi non eſt aliud à ſubſtantia primi, & per conſequens eſt ibi tantùm vna intellectio. *Secunda ratio.*

Tertia ratio, quia perſonæ procedunt naturaliter; ergo tantùm eſt vna vnius rationis. Conſequentia patet, quia natura tantùm determinatur ad vnum, vt patet ſecundo de Generatione *tex. cap.* 56. vbi ſic habetur: *Idem enim & ſimiliter ſe habens, ſemper idem natũ eſt facere.* & loquitur ibi de agente naturali, vt patet in textu. *Tertia ratio.*

SCHOLIVM.

Impugnat primam rationem D.Thom. quatenus ait formas ſpirituales non poſſe multiplicari niſi per materiam. Primò, quia contradictio eſſet intelligere naturam Angelicam, niſi vt indiuiduam. Secundò ex Damaſ. Tertiò per tres articulos Pariſienſes. Quartò, quia anima prius eſt hæc & creata, quàm infundatur corpori; de hoc agit Doctor latè 2.diſt.3.quæſt.7 per totum. Vide eum 3.diſt.8. quæſt.1. num. 6. vbi docet plura accidentia eiuſdem ſpeciei poſſe eſſe in eodem ſubiecto, ac per conſequens non indiuiduantur per ſubiectum, vel materiam. Probat hìc num. 6. dari vniuerſale à parte rei, quod latè probat 2. diſtinct. 3. quæſt. 1. & 6. Et 1. diſtinct. 3. quæſt.6. num. 8. Et 4. diſtinct. 1. quæſt. 2. num. 6. & diſtinct. 43. quæſt.2. num. 11.

Prima

PRima [d] ratio videtur esse transcendẽs propositum,& assumere dubium, siue falsum,secundùm multos.Illa enim propositio maior, scilicet quòd forma eiusdem rationis non multiplicatur nisi secundùm materiã,quæ secundùm eos, æquè haberet locũ de Angelo,sicut de Deo;aut intelligitur sic,quòd forma quæcũque immaterialis sit de se hæc,siue ex ratione suæ quiditatis, sicut Deus deitate est hic, ita quod nihil aliud intelligendo nisi deitatem,est contradictio formalis,Deum non esse hunc. Aut intelligitur sic , quòd quamuis forma immaterialis aliqua non sit hæc formaliter sua quiditate,tamẽ ipsa in re multiplicari non potest,quia vnica forma talis singularis , & signata habet in se totã entitatẽ illius formæ,& intẽsiuè,& extẽsiuè,vt patet de Sole. Si intelligitur primo modo, sequitur quòd ratio formæ specificæ in Angelis includit repugnantiã , imò contradictionem ad plurificari realiter , & ita , sicut non stat cum conceptu hominis,quòd cõcipiatur irrationalis,vel cum conceptu Dei,quòd cõcipiatur tanquam indifferens ad plures Deos;ita non stat cum conceptu talis speciei,quòd concipiatur plurificabilis; & per consequens quicunque posuerunt speciem Angelicam posse plurificari,habuerunt in intellectu suo conceptus formaliter repugnantes, quia conceptum talis speciei,& pluricabilis,& per consequens quicunque conceperunt ibi esse rationem vniuersalis simpliciter, scilicet dicibilis de pluribus : imò concipiendo naturam in tali vniuersalitate,includitur in illo intellectu repugnantia formalis inter obiectum , intellectum,& modum concipiendi. Istud consequens nõ videtur probabile, cùm multi Theologi & Catholici, sic concipientes naturam Angelicam, & speciem , sicut alij, sine omni repugnantia conceptuum , concesserunt ibi plurificationem, & vniuersalitatem prædictam. Sancti etiam videntur ad hanc partem declinare, sicut Damascenus Elementario cap. 12. dicens , quòd *vnicum est incommunicabile & † communicabile : ipsius autem quod vnius speciei communicatio , & ipsa beata natura in tribus consistit hypostasibus.*Et sequitur post hoc:*Secundùm vnumquemque ordinẽ Angelorũ & virtutum differentes hypostases condi lit,non solum,hoc sed etiam secundùm vnamquamque speciem, vt vtique communicantes adinuicem naturam,gaudeant adinuicem,& naturali beatitudine copulati adinuicem securè, & amicabiliter disponantur.* Hæc Damascenus.

Arg efficacissimum contra aduersarios.

Et articuli damnati tres videntur istum † articulum prima facie reprobare. Vnus est à Domino Stephano condemnatus,quid dicit sic , quòd *quia Intelligentiæ non habent materiam,Deus non posset eiusdem speciei facere plures,error.*

al. *intellectum Est* 16.c.17.

Secundus,quòd *Deus non potest multiplicare indiuidua sub vna specie sine materia,error.*

Est.40.c.6.

Tertius , *quod formæ non recipiunt diuisionem nisi secundum diuisionem materiæ , error, nisi † intelligatur de formis eductis de potentia materiæ :* ergo de formis non eductis de potentia materiæ hoc dicere,est error.

Est.1.c. 13. al. *non intelligitur de formis, &c.*

Si videtur secundus intellectus [e] propositionis:tunc sequitur,quòd natura specifica Michaelis de se non est hæc,ergo non repugnat sibi contradictoriè non esse hanc; & non esse in hoc,per illam ergo potentiam,quæ potest in quodlibet , quod non includit contradictionem,potest natura illius fieri,& non in hoc.

Dicetur fortè [f] quòd non posset stante illo. Hoc non excludit propositum , & tamen est falsum Primum patet,quia destruatur iste,& tunc fiat natura in alio:non ergo omnino est necesse Michaelem esse hunc vnicum.Secundum patet, quia quæ simul sunt in potentia actiua agentis , nec inter se repugnant, illa possunt simul esse in effectu,huiusmodi sunt,iste Michael,& ille Michael,si natura non est de se hæc.

Simul in potentia, si non repugnant , esse possunt simul in actu.

Esto etiam [g] quòd secundus intellectus esset verus , saltem ad propositum habemus,quòd ista propositio , *Forma eiusdem rationis non potest purificari nisi per materiam,* non concludit omnimodam impossibilitatem plurificationis filiationis in Diuinis, cùm tamen illa plurificatio sit impossibilis simpliciter includens contradictionem. Ista ergo propositio [h] non concludit propositum , scilicet conclusionem , quam tenemus,sicut ipsa est vera,nisi accepta secundùm primum intellectum qui rationabiliter videtur multis esse falsus,vt dictum est.Non enim est doctrina conueniens , conclusionem certissimam , & summè necessariam tenere propter rationem nimis generalem,quæ videtur multis habere plures instantias.

Præterea,Instatur de anima intellectiua,quæ priùs natura est terminus creationis, quàm infundatur.Primus autem terminus creationis,vt talis, formaliter est hic : ergo anima naturaliter priùs est hæc, quàm vnitur materiæ , & pari ratione de alia anima, priùs natura est hæc,quàm vniatur materiæ.Vnde ista anima est hæc sua propria singularitate,& inde est hæc,& nõ illa,& per consequens prima distinctione singularitatis distinguitur

Anima prius hæc, quàm vnita.

distinguitur à singulari distincta ab illa; ergo distinctæ sunt istæ animæ priùs natura quàm vniantur materiæ, non ergo per se & primò distinguuntur sua materia. Prima propositio probatur: quia illud quod sine contradictione potest esse sine alio, & non è conuerso, est prius naturaliter illo: hoc accipitur 5. Metaph. c. de Priori. *Aliqua* inquit, *secundùm naturam, & substantiam sunt priora, quæcunque contingit esse sine aliis, & illa non sine illis:* & in fine capituli ad istum modum reducit omnes modos Prioris, & in 2. Metaph *Esse*, inquit, *substantia est primum omnium*, & hoc probat; *aliorum enim nullum est separabile à substantia*, id est, potens esse sine substantia, hæc autem sola, supple potest esse sine aliis, quantùm est de se. Concludit ergo, secundùm Philosophum, separabilitas ista prioritatem secundùm naturam: anima autem non solùm secundùm substantiam & essentiam, sed secundùm existentiam, & vt terminus creationis diuinæ potest esse sine materia: ergo potest esse sine hoc, quòd vniatur materiæ: nullo modo autem potest esse in materia, nec per creationem, nec aliquo modo qualitercunque: nisi ipsa sit hæc propria singularitate, sequitur ergo ista propositio prima, quæ fuit hìc probanda. Tex. 6. Idē 8. Phy. tex. com. 56 Tex. com. 4.

6. Si dicatur [k] quòd non est hæc sic per materiam, scilicet per vnionem actualem, vel per *esse* actuale in ipsa, sed per aptitudinē essēdi in ipsa materia, & ipsa nō est prior illa aptitudine. Istud nō euadit argumētū, quia natura ipsa absoluta est prior natura ipsa aptitudine, & hæc anima habet aptitudinē hāc ad corpus, & illi animæ repugnat aptitudo huiusmodi ad corpus hoc, & conuenit sibi alia aptitudo ad aliud corpus. Vide Auic. 6. naturaliū p. 5. c. 3.

Tunc arguo sic: Quod conuenit huic, & repugnat alij eiusdem speciei, non conuenit huic per se secundùm illud, quod est commune istis, vel saltem præexigit distinctionem in istis necessariò, scilicet huius ab illo; hæc aptitudo conuenit huic, & repugnat illi: ergo necessariò præexigit distinctionem huius ab illo: ergo prima distinctio non est per aptitudinem, nec prima singularitas huius, & illius.

Confirmatur: Ratio aptitudinis, formaliter loquendo, non est ad se, nec est ratio entis in actu. Primum probatur, quia si intelligeretur ad se; ergo posset intelligi, & non ad aliud vt ad terminum. Secundum etiam ex hoc patet, quia aptitudo posset esse ad terminum non existentem; quòd autem necessariò exigit aliquid non existens; ipsum est non existens in actu: nunc autem hæc anima est singulare absolutum, & singularitate absoluta, & singularitate in actu, & singularitate actuali: ergo aptitudo non est ratio formalis suæ singularitatis.

Ex ista instantia de anima hìc habetur, quòd non est omnino necessarium, hoc est cuius oppositum includit contradictionem, quòd forma eiusdem rationis non potest plurificari sine materia, & licèt habeat aptitudinem ad materiam, tamen priùs natura habet plurificationem; ergo prima ratio plurificationis non est materialitas generaliter. Et quòd immaterialitas [m] non sit prima ratio formæ eiusdem rationis essendi hanc, nec materialitas prima ratio plurificationis in forma, Probatur, quia quò aliquid est in actu extra causam, & intellectum, eo est hoc primò, quia sic esse non competit nisi huic: imò vniuersalitas [n] siue non hoc, non potest alicui competere nisi in intellectu; nunc autem [o] quæcunque entitas, præcipuè absoluta, seipsa primò est in suo *esse*, quia seipsa [p] primò recedit à *non esse* ad *esse*, quia licèt multa concurrāt ad suum *esse*, sicut materia ad *esse* formæ, & forma ad *esse* materiæ, tamen nullum concurrens est sibi prima ratio essendi in suo *esse*: ergo seipsa primò est hæc, & per consequens filiationem diuinam esse hanc, accipietur primò ex ratione filiationis talis, non ex immaterialitate, quæ tantùm aliquid ponit; vel excludit aliquid annexum propriè singularitati. Immaterialitas nō indiuiduat, nec materialitas plurificat.

7. Confirmatur [q] hoc per auctoritatem. Quia materia non est per se causa formæ, licèt sit materia formæ, secundū Auicennam & nullo modo videtur aliquid esse hoc per illud, quod non est per se eius causa, & hæc est intentio Phylosophi 12. *Met. c.* 5. vbi vult, quòd tam causa materialis quam formalis, & efficiens habent vnitatem & distinctionē specificam & numeralem proportionatam ipsis principiatis: *Horū*, inquit, *quæ sunt in eadē natura, diuersa, non specie, supple, sunt principia*, & subdit, *sed quia singulariū aliud tua materia, & mouēs, & species, & mea, ratione autē vniuersali eadē.* Hæc ille. Vtrumque enim per se principiū compositi oportet habere indifferentiā consimilem indifferentiæ cōpositi, & determinationē similem denominationi cōpositi; quia neq; indifferens constat ex determinatis, neq; determinatum ex indifferentibus indifferētia vniuersalitatis: ergo frustra quæritur ratio singularitatis; & hæc prima ratio singularitatis determinatæ, per aliquid extrinsecū, tanquā per principium formale, quomodocunq; extrinsecū sit causa aliqualis cōcomitās, quia semper oportet quòd prima ratio formalis singularitatis signatæ sit per aliquid per se intrinsecum singulari. 12. Met. c. 5. Tex. c. 17.

COMMENTARIVS.

3. *Discussio prima rationis S. Thomæ.*

d PRima ratio videtur esse transcendens. Hîc Doctor ostendit quomodo istę rationes nō concludunt propositum. De prima patet, quia est nimis transcendens. Illa enim propositio, *Forma eiusdem rationis non multiplicatur, nisi per materiā*, potest habere duplicem sensum. Primò, quod forma immaterialis sit de se *hæc* ex ratione suæ quiditatis, sicut Deus deitate est *hic*. Secundò, quòd forma immaterialis non sit hæc formaliter sua quiditate, tamen ipsa in re multiplicari non potest, quia vna forma talis singularis, & signata, habet in se totam entitatem illius formæ, & intensiuè & extensiuè, vt patet de Sole. Si intelligatur primo modo, tunc formæ specificæ in Angelis includunt contradictionem ad plurificari realiter, quòd est contra multos, & contra Damascenum *in Elem. c. 12.*

Vnus articulus dānatus.

e *Si detur secundus sensus propositionis*, scilicet quòd quamuis forma, puta Michaelis, nō sit hæc formaliter sua quiditate, in re tamen multiplicari non potest. Et hoc intendit probare Doctor: talis natura specifica Michaëlis ex quo non est de se hæc, non repugnat sibi contradictoriè non esse in hoc puta in Michaële. Vult dicere, quòd si de se non includit hanc hæcceitatem, nec illam, erit indifferens ad plures, & sic plurificabilis. Sicut ergo natura Michaëlis non est de se hæc. Sequitur quòd per diuinam potentiam possit fieri, & non in hoc indiuiduo, sed in alio.

4. f *Dicetur fortè, quòd non posset esse stante illo.* Dicit Doctor quòd hæc responsio non excludit propositum, quin videlicet talis natura specifica multiplicari possit, & addit, quòd *est falsum* supple, quòd stante tali natura in vno indiuiduo, nō possit esse simul in alio: & probat primum per hoc, quia si destruatur Michaël, & tunc fiat natura in alio, & sic non necesse Michaëlem esse hunc vnicum. Secundùm probat, quia *quæ simul sunt in potentia actiua agentis, nec inter se repugnant*, hoc dicit propter illa quæ inter se formaliter repugnant, quæ licèt simul sunt in potentia actiua primi effectiui, ex parte tamen eorum repugnant simul esse: sed naturam esse in pluribus indiuiduis non repugnat ex parte naturæ, & sic habens hoc in potentia sua potest illam simul facere esse in pluribus indiuiduis.

g *Esto etiam, quòd secundus intellectus esset verus.* Dicit Doctor quòd posito quòd sensus illius propositionis sit verus, ex quo tamen non est simpliciter impossibilis, scilicet includens contradictionem, sequitur quod non erit simpliciter impossibile duas filiationes esse in diuinis, quod tamen est simpliciter impossibile. Si dicatur, quòd secundus sensus est sic necessariò verus, quòd eius oppositum est simpliciter impossibile, & si hoc, non sequitur quod duæ filiationes possint esse in diuinis. Dico, quòd secundus sensus est tantùm necessarius secundùm *quid*, quia natura vt in tali singulari existens, non potest esse in alio singulari, quia tale singulare, vt dictum est suprà, includit totam entitatem huius naturæ, non tamen est simpliciter repugnātia ex parte naturæ, vt possit esse in alio singulari, etsi non simul cùm alio. Sed filiatio in diuinis sic ex natura sua est tantùm vna, quòd non possunt esse plures, & ita simpliciter de necessitate est tantùm *hæc*, quòd si per impossibile illa non esset, nulla esset, vt infrà patebit præsenti quæstione, & sic est simpliciter maius impossibile filiationem in diuinis plurificari, quàm talis natura.

h *Ista propositio* scilicet forma eiusdem rationis non multiplicatur nisi secundùm materiam, 5.
non concludit propositum, scilicet conclusionem, *quam tenemus* (videlicet quòd est simpliciter impossibile esse plures filiationes in diuinis) *sicut ipsa est vera*, &c.

Quomodo anima intellectiua est hæc, prius quam corpori vniatur.

i *Præterea instatur de anima intellectiua.* Hîc Doctor instat contra illam propositionem, scilicet *Forma eiusdem rationis*, &c. Et ratio stat in hoc, quia anima intellectiua prius est *hæc* quàm vniatur corpori; patet, tum quia est terminus creationis, quæ non terminatur primo nisi ad singulare actu existens: tum, quia realiter perficit corpus, & non potest realiter perficere nisi vt actu existens singularis: Erit ergo *hæc* hæcceitate sibi intrinseca, & non per materiam, cui vnitur. Sed omnes animæ intellectiuæ sunt eiusdem rationis: ergo anima intellectiua, quæ in se nullam includit materiam, est multiplicabilis in plures animas eiusdem rationis, & non per materiam. Quòd autem ipsa anima sit priùs natura terminus creationis quàm infundatur, probatur per Aristotelem libro quinto Metaphysicorum *tex. comm.* 16. qui vult, quòd illud, quòd sine contradictione potest esse sine alio, & non ècontra, est prius naturaliter illo. Vbi sic ait: *Alia verò secundùm substantiam & naturam, quæcunque contingit esse sine aliis, & illa nō sine illis, qua diuisione vsus est Plato.* Hæc ille. Et ibi Commentator: *Quædam*, inquit, *dicunt priora naturaliter, & sunt illa quæ cùm fuerint, non sequitur vt posteriora sint, & si posteriora fuerint, illa non erunt.* Hæc ille. Hoc idem in 7. Met. tex. com. 4. *Substantia*, inquit, *esse omnium primum ratione, & notitia, & tempore, & natura, aliorum enim categorematum nullum est separabile, hæc autem sola separabilis est.* Hæc ille. Vult dicere, quòd substantia est prior aliis Prædicamentis, quia potest esse sine illis, & non ècontra. Et vide Commentatorem ibi: modò in proposito anima intellectiua non solùm secundùm substantiam, & essentiam, sed secundùm existentiam, & vt terminus creationis diuinæ potest esse sine materia: ergo potest esse sine hoc, quòd vniatur materiæ.

Anima quomodo possit esse sine materia.

k *Si dicatur*, quòd est *hæc* per vnibilitatem in ipsa materia. Sed hoc nihil est, quia natura ipsa absoluta est prior ipsa vnibilitate, quia hæc anima habet aptitudinem ad hoc corpus, & hæc aptitudo repugnat alij animæ ad idem corpus, sed conuenit sibi alia aptitudo ad aliud corpus: Si ergo hæc aptitudo cōuenit vni animæ, & repugnat alteri, necessario præexigit distinctionem animæ ab anima.

l *Confirmatur.* Hîc Doctor cōfirmat rationem 6.
de aptitudine per hoc, quòd aptitudo illa non dicit entitatem absolutam: anima autem est entitas absoluta: ergo erit *hæc* per entitatem absolutam, vt satis patere potest ex dictis à Doctore in secundo, dist. 3. q. 6. de ratione indiuiduali.

m Et *quòd immaterialitas non sit prima ratio formæ eiusdem rationis essendi hanc, nec materialitas prima ratio plurificationis in forma.* Probatur ratione, & auctoritate, & ratio stat in hoc, quia

quia quo aliquid est in actu extra causam & intellectum, eo est hoc primo, quia sic esse non competit nisi huic. Vult dicere, quòd illud, quod habet *esse* extra causam, & intellectum, id est, quòd actu existit, est *hoc* sua propria hæcceitate, quia sic habere *esse*, tantùm competit singulari actu existenti. Et sic si aliquod absolutum habet aliquod *esse* extra suam causam, quo modo ponitur habere *esse* extra causam, eo modo ponitur esse singulare, terminat autem actionem causæ vt ens absolutum: ergo erit singulare tantùm per entitatem absolutam. Et hæc est sententia huius literæ, quam tamen aliqualiter declaro: Cum dicit, *quo aliquid est extra causam, & intellectum*, id est, illud quo mediante habet verum *esse* actualis existentiæ, eo est *hoc* primò. Patet, quia si Franciscus per entitatem actu existentem, & singularem, habet simpliciter *esse* extra causam, per eandem erit hoc singulare, non enim habet *esse* primò extra causam, nisi inquantùm singulare actu existens.

Declaratio literæ.

7. n Sequitur, *imò vniuersalitas, siue non hoc, non potest alicui competere, nisi in intellectu.* Vult dicere, quòd nunquam vniuersale, vt prædicatur de suis singularibus habet *esse* extra intellectum. Licèt enim natura sit prior singularitate præter omne opus intellectus, quod tamen dicatur vniuersalis non potest *esse* nisi per intellectum, vt patuit in secundo dist. 3. q. 1.

o Sequitur, *nunc autem quæcunque entitas, præcipuè absoluta seipsa primo est in suo esse*, id est, quòd entitas, puta Francisci, seipsa supple formaliter est in suo *esse*, licèt illud *esse* sit ab alio originatiuè.

p Sequitur, *quia seipso primò recedit* à non esse *ad esse*, id est, quòd entitas Francisci, seipsa formaliter recedit à *non esse* ad *esse*, id est, quòd priùs non habuit *esse*, puta existentiæ, & essentiæ, & tunc habet *esse* essentiæ, & existentiæ, & habet illud seipsa formaliter, id est, quòd *esse* essentiæ, & existentiæ conuenit sibi formaliter, licèt illud *esse* sit originatiuè ab alio, sicut etiam dictum est in simili *in primo dist. 2. parte. 2. q. 3. in responsione ad primum arg. principale*, quomodo aliquid dicitur ex se necesse esse formaliter, licèt ab alio originatiuè. Sequitur, *quia licèt multa concurrant ad suum* esse, *sicut materia ad* esse *formæ, & forma ad* esse *materiæ*, quia materia non existit nisi sub forma, nec forma existit nisi in materia, *tamen nullum concurrens est sibi prima ratio essendi in suo* esse, hoc est, nec materia dat *esse* formæ, nec è contra. Materia enim

Nota.

sua propria hæcceitate, & existentia est *hæc*, & similiter forma. Sequitur, *& per consequens filiationem diuinam esse hanc, accipitur primò ex ratione filiationis talis, non ex immaterialitate, quæ tantùm aliquid ponit, vel excludit aliquod annexum propriæ singularitati*, id est, quod si filiatio in diuinis est *hæc*, erit simpliciter *hæc*, quia talis filiatio, & non, quia immaterialis, quæ supple immaterialitas tantùm ponit aliquid annexum propriæ singularitati, vel excludit aliquid annexum.

q *Confirmatur hoc per auctoritatem*, & confirmatio stat in hoc, si forma est hæc per materiam ergo materia erit aliquo modo causa formæ: patet, quia hæcceitas constituit singulare vltimatè, & intrinsecè, vt patet in secundo dist. 3. q. 6. Sed materia non est per se causa formæ secundùm Auicennam & quòd forma non sit *hæc* per materiam, probat ex intentione, per Philosophū. 12. Metaphys. tex. c. 27. vbi sic habetur: *Principium enim singularium singulare, homo quidem hominis vniuersaliter, sed non est nullius, verùm Peleus Achillis, tui verò pater; & huius syllabæ BA, B. & A. siue totaliter, siue particulariter.* Vult dicere, quòd principium entium singulariū est singulare, sicut & principium vniuersalium erit vniuersale: homo enim vniuersalis est principium hominis vniuersaliter, sed non nullius, id est, quòd nullus est homo vniuersaliter subsistens, & ideò non est aliquod principium vniuersale hominis vniuersalis, sed singulare singularis, & hoc realiter loquendo, quia omnes actus, & generationes sunt circa singularia *ex primo* Met. in proœmio vt Peleus est supple pater siue principium Achillis & *B* particulare huius particularis syllabæ *BA*. Sequitur in textu parum infrà, *Et eorum* (inquit) *quæ sunt in eadem specie, diuersa non specie, sed quia singularium aliud tua materia, & species & mouens*, & vide ibi Commentatorem. Ex ista auctoritate patet, quomodo vtraque pars compositi sit de se *hæc*: & nulla est *hæc* per aliam, & quod dicit Doctor, quòd vtrumque per se principium compositi oportet habere indifferentiam consimilem indifferentiæ compositi, & determinationem similem determinationi compositi, id est, quòd si compositum est indifferens ad plura, ita & principia intrinsecè componentia. Et si compositum est determinatum, puta ad vnum singulare, ita quòd sit tantùm vnum singulare, & componentia intrinsecè, erunt de necessitate singularia, & sic patet litera.

Auic. 1. met. cap. 4.

Quomodo materia non est per se causa formæ, & vtraque pars compositi est de se hæc.

SCHOLIVM.

Reiicit secundam rationem D. Thomæ positam nu. 2. quia ideò in nobis vnitas intelligere infert vnitate dicere, quia est terminus formalis eius; quod in Deo locum non habet; in quo prius est intelligere *quàm* dicere. *Præterea licet non sit in aliquo nisi vna ratio absoluta producendi, potest habere plures actiones, vt patet de luce Solis.*

8. DE Secunda ratione. Consequentia est enthymematica, & videtur isti propositioni inniti, vbi non potest esse nisi vnicus actus intelligendi, ibi non potest esse nisi vnicū verbum, siue vnicū *dicere*. Hæc propositio, gratiâ materiæ, veritatē habet in intellectu creato, non quia illo actu intelligendi producitur verbum, sicut aliàs dicetur: imò actu dicendi, qui non est aliquis actus intelligendi; sed quia omne *intelligere* in nobis, expressum est per actum dicendi, & per omne *dicere*, exprimitur

Omne intelligere in nobis est per aliquod dicere, secus in Deo.

aliquod *intelligere*, & per aliud *dicere*, aliud *intelligere*: ideò si vnicum est *intelligere* vnicum est *dicere*: sed ista propositio omnino non habet rationem veritatis in Deo: quia non omne *intelligere* diuinum est per aliquod *dicere*: imò *intelligere* paternum respectu cuiuscunque obiecti, non est per aliquod *dicere* & ideò posset Pater, quantùm ad hoc, habere *intelligere* vnicum respectu omnium obiectorum, licèt haberet singula *dicere* respectu singulorũ obiectorũ, si sigula obiecta haberent propria verba. Vel breuiter, hęc propositio nõ videtur necessaria gratiâ formæ: quia licet in vno nõ sit nisi vna forma absoluta eiusdẽ rationis, ipsum tamen potest habere plures productiones actiuas plurium terminorum. Exemplum: licèt Sol vna luce sit luminosus: tamen potest habere plures actus illuminandi. *Intelligere* autem [r] est perfectio intelligentis, & fortè forma absoluta, saltem est perfectio existens operanti: non autem productio alicuius termini: *dicere* autem dicitur actio productiua termini: non ergo gratia formæ sequitur: si *intelligere* non plurificatur; ergo nec *dicere*.

5. Phy. c. 38

Intellectio est forma absoluta 1. d. 3. q. 6. n. 31. & 6. nu. 20.

Sed dices, [t] quòd *dicere* non est actus transiens, sicut *illuminare*: imò terminus eius etiam manet in eodem intellectu: Si ergo *intelligere* quia immanens, non est nisi vnicum in intellectu diuino; pari ratione non erit nisi vnicum *dicere*. Istud quidem verum est, quòd est vnum *dicere* in intellectu diuino, sicut vnum *intelligere*, sed quærenti rationem, oportet probare consequentiam: qui enim poneret Filium in diuinis *dicere*: poneret duo *dicere*, vnum Patris, & alterum Filij: quia non eodem actu dicendi Filius producitur, & producit, & tamen non poneret nisi vnum *intelligere*: quia intelligere est communicabile in diuinis, sicut & quodlibet essentiale: & ideò per † quoscunque actus notionales communicaretur, semper ipsum esset indistinctum & tamen † ibi actu notionales essent distincti: sicut modò essentia est omnino eadem, quamuis communicetur pluribus productionibus, magis distinctis, quàm essent duo dicere, quia distinctis secundùm rationem formalem. Ista tamen propositio, *intellectus habens vnum* intelligere *habet vnum* dicere; vera est in intellectu creato gratia materiæ, pro tanto, quòd *intelligere* est ibi terminus formalis actus dicendi, & ita verum est ibi quòd alterius actus exprimendi alius est terminus formalis, propter limitationem ipsius termini: ista autem ratio non tenet in diuinis, quia terminus formalis actus exprimendi, est illimitatus, & ideò non oportet quòd distinguatur secundùm distinctionem actuum exprimendi, qui sunt actus personales. Tamen videtur [u] quòd ista propositio: *vbi est vnum* intelligere, *ibi est vnum* dicere, posset habere aliquam euidentiam, comparando ad obiecta: quia ille intellectus, qui potest vno actu intelligendi comprehendere plura: pari ratione potest vno actu exprimendi exprimere notitiam declaratiuam plurium: & tunc tantummodò ex illa consequentia habetur quòd in diuinis non est aliud, & aliud *dicere* propter distinctionem obiectorum, sicut nec aliud *intelligere*. Sed vltrà, ad habendum totum propositum, oportet probare quòd non est ibi aliud *dicere* respectu eiusdẽ obiecti, & hoc vel alterius personæ dicentis: vt pote si ponatur Filium dicere suum verbum, vel eiusdem personæ dicentis, vt pote si ponatur Patrem dicere aliud Verbum.

9.

Vnũ intelligere *in nobis infert vnum* dicere, *secus in Deo.*

COMMENTARIVS.

8. r *De secunda ratione.* Hîc Doctor ostendit secundam rationem propositum non concludere, quia ista consequentia non tenet gratiâ formæ, videlicet, est tantùm vnum *intelligere*, ergo tantùm vnum *dicere*: sed tenet tantũ gratia materiæ, quia si in creaturis esset tantùm vnum *intelligere*, esset tantùm vnum *dicere*, quia *intelligere* in creaturis exprimitur per actum dicendi & quodlibet *intelligere*, est verbum in creaturis, ita quod si *intelligere* est perfectum, verbum est perfectum, & si imperfectum, verbum erit imperfectum, vt patet à Doctore *dist. 27. primi.* Et ideò si in creaturis esset tantùm vnum *intelligere*, esset tantùm vnum *dicere*, quia illud non posset produci, nisi per actum dicendi, qui actus dicẽdi non est aliquis actus intelligendi, siue aliquod *intelligere*, sed est actio de genere Actionis, vt patet à Doctore *in primo dist. 3. quæst. 7. & dist. 27. & alibi.* In diuinis autem *intelligere*, quòd est commune tribus personis non exprimitur per actum dicendi, quia omne tale realiter distinguitur à persona dicente, vt patet à Doctore *distinct. 27.* & per consequens vltra *intelligere* potest esse aliquod verbum, quòd verè exprimitur per actum dicendi, ideò dicit Doctor quòd ista propositio non habet veritatem in Deo, quia non omne *intelligere* diuinum est per aliquod *dicere*, propter causam superiùs dictam. Sequitur, *imò* intelligere *paternum respectu cuiuscunque obiecti non est per aliquod* dicere, quia tunc tale intellegere esset realiter distinctum à Patre: Sequitur, *& ideò posset Pater quantum ad hoc habere* intelligere *vnicum respectu omnium obiectorum*,

rum, licet haberet singula dicere respectu singulorum obiectorum, si singula obiecta haberent verba propria. Vult dicere, quòd si singula obiecta haberent verba propria, quòd est intellectio propria, vel *esse* cognitum proprium, quòd haberet singula dicere respectu talium obiectorum. Nam aliud, & aliud obiectum habet aliud, & aliud *esse* cognitum ab actu intellectus diuini, & respectu illorum est aliud, & aliud *dicere*, accipiendo ly *dicere*, non pro actione reali, quâ producitur in *esse* reali, sed pro alio respectu, & sic idē *intelligere* diuinum licèt sit vnicum in se, tamen vt transit super aliud, & aliud obiectum cognitum, dicitur diuersificari secundùm alium, & aliū respectum secundùm quod transit super aliud, & aliud obiectum, vt satis patuit in primo *dist.* 39. Vel melius ad intentionem literæ. Pater posset habere vnicum *intelligere* respectu essentiæ diuinæ, & aliorum obiectorum, puta respectu hominis, lapidis, &c. licèt haberet singula *dicere* respectu singulorum, si singula haberent propria verba, id est, quòd si lapis, homo, & sic de aliis obiectis possent esse pars memoriæ Patris in diuinis (quæ memoria includit intellectum Patris, & obiectum Patris) & per consequens possent habere singula verba, tunc ibi esset tantùm vnum *intelligere* respectu omnium obiectorum, & etiam aliud, & aliud *dicere* respectu alterius verbi hominis, & respectu alterius verbi lapidis, &c.

9. ſ *Intelligere autem est perfectio intelligentis, & forte forma absoluta.* Hìc dicit *fortè*, quia adhuc non determinauit an intellectio sit forma absoluta, quia hoc habet declarari infrà. q. 13. vbi probat quòd est forma absoluta.

Quomodo dicere dicatur actio productiua.

Et posito quòd non sit forma absoluta, vel quod sit forma absoluta, saltem ipsa non est productio alicuius termini, vt suprà patuit in primo *dist.* 2. *p.* 2. *qu.* 3. *Dicere* autem dicitur actio productiua termini, non quòd terminus producatur ab ipsa, nec quòd sit ratio formalis producendi, sed quia respicit aliquod productum, ad quod terminatur, imò priùs intelligitur absolutum productum quàm intelligatur relatio producentis, quia ad absolutum in causa priùs sequitur absolutum in effectu, vt dicit Doctor *in* 2. *dist.* 1. *q.* 2. *&* 5. & vide quæ ibi diffusè exposui. Non ergo gratiâ formæ sequitur, si intelligere non multiplicatur, ergo nec dicere. Sed esset bona difficultas circa hoc, quòd dicit Doctor quòd intellectio non est productio alicuius termini. Nam obiecta secundaria producuntur ab actu intellectus diuini, vt patet à Doctore *in primo d.* 3. *q.* 4. *dist.* 35. 36. 43. & alibi. Tum etiam, quia per actum intelligendi, vt per causam partialem producitur habitus, vt patet à Doctore *in primo dist.* 17. & tamen intellectio est vera qualitas absoluta, vt patet ab ipso infrà. q. 13. Est etiam difficultas, quia dicit, quòd *intellectio inexistit ipsi operanti.* Nam vnus Angelus loquens alteri Angelo de aliqua re producit intellectionem illius rei in altero Angelo, vt patet à Doctore *in* 2. *dist.* 9. Similiter quando Angelus superior illuminat inferiorem de aliqua re, causat intellectionem illius rei in altero Angelo, vt patet à Doctore *in* 2. *d.* 11. Sed solutio harum difficultatum, & multarum aliarum ad hoc propositum pertinentium dimittatur vsque ad quæst. 13.

t *Sed dices, quòd dicere non actus transiens sicut illuminare.* Patet, quia terminus eius, puta *intelligere* est in eodem intellectu: ergo si tantùm est vnicum *intelligere* intellectu diuino, erit tantùm vnum *dicere*. 10.

Respondet Doctor, quòd de facto est tantùm vnum *intelligere* in intellectu diuino, & tantùm vnum *dicere*, sic tamen intelligendo, quòd illud *dicere*, non sit respectu ipsius *intelligere*, quia *intelligere* diuinum non dicitur, sed ponitur tantùm vnum *dicere* respectu Verbi producti, quod sicut est tantùm vnum, ita est tantùm vnū *dicere*. Et addit auctor, quod quærenti rationem, quare sit tantùm vnum *dicere*, si tantùm esset vnum *intelligere?* Oportet allegare rationem, quia si per impossibile, Verbum diuinum posset producere aliud Verbum, de necessitate essent ibi duo *dicere*. Vnum respectu primi Verbi, & aliud respectu secundi Verbi, & tamen vnicum tantùm esset *intelligere*, quia cum sit perfectio essentialis, est idem in omnibus suppositis.

Vnum est intelligere in intellectu diuino.

Dubium

Sed occurrit parua difficultas in hoc, quod dicit, quòd *si Verbum diuinum produceret aliud Verbum, esset ibi aliud* dicere, *scilicet Filij, & dicere* Patris. Nam Doctor *in* 1. *d.* 12. vult quòd Pater & Filius eadem spiratione spirent Spiritum sanctum propter eandē rationem formalem spirandi, quæ est in Patre, & Filio, & *in secundo d.* 1. *q.* 1. vult quòd tres personæ eadem creatione creent propter eādem rationem formalem creandi existentem in eis. Sic videretur dictum in proposito, quia eadem memoria fœcunda, quæ est ratio formalis dicendi, est in Patre, & Filio, quòd etiam sit idem *dicere* Patris, & Filij.

Respondeo, quòd respectu secundi Verbi est simpliciter idem *dicere* respectu Patris, & Filij dicentis. Sed dico, quod dicere Patris respectu primi Verbi, quod tantùm competit Patri, est aliud à *dicere* respectu secundi Verbi, quod dicere est commune Patri, & Filio.

Resp onsio.

u *Tamen videtur quòd ista propositio, &c.* Hæc litera præsupponit vnum, quòd scilicet Doctor loquitur de notitia vera expressa per actum dicendi, oportet, (quâ realiter distinguitur à dicente) quòd sit expressa per actum dicendi, non tantùm de memoria fœcunda, sed etiam de omnibus intelligibilibus ad hoc vt dicatur expressiua, & declaratiua omnium intelligibilium. Et de hoc vide quæ prolixè exposui in secundo dist. 1. q. 1. Vel si accipitur notitia declaratiua, prout dicit relationem rationis respectu omnis obiecti intelligibilis, tunc accipitur pro ipso *intelligere*, vt patet à Doctore *in primo dist.* 27. *& in secundo dist.* 1. *qu.* 1. & sic poterit esse tantùm vnum *dicere*, quia tantùm, & vnum intelligere. Sed tunc adhuc habetur propositum, videlicet quòd si in diuinis sit tantùm vnum *intelligere*, quòd tantùm sit vnum *dicere*. Ad habendum ergo propositum oportet probare, quòd non est ibi aliud *dicere* respectu eiusdem obiecti, & hoc vel respectu alterius personæ dicentis, vt pote si ponatur Filium dicere suum Verbum, vel eiusdem personæ, vt pote si ponatur Patrem dicere aliud Verbum. 11.

Vnum est dicere in diuinis.

SCHOLIVM.

Reiicit tertiam rationem suprà allatam, explicans benè illud; Natura determinatur ad vnum, *id est, ad vnum modum producendi, non ad vnum productum; Reiicit quartam rationem, quia Filius est perfectus Deus, licèt non habeat Deitatem omni modo habendi eam; quia non est à se, nec per actum voluntatis.*

Natura determinatur ad vnũ exponitur.

DE tertia ratione, [x] ista propositio: *Natura determinatur ad vnum*, non concludit quòd tantùm posset vnica persona naturaliter, siue per modum naturæ produci: quia non solùm natura specifica eadem; sed natura vnica in vno singulari potest esse principium productiuum plurium naturaliter, sicut patet de igne producente plures ignes naturaliter. Est ergo intellectus huius propositionis; *natura determinatur ad vnum*, non quidem ad vnum producibile, vnum, inquam, numero, siue singulare; sed determinatur ad vnum determinatum modum producendi; quia non est ibi principium indeterminatum respectu oppositorum, sicut est voluntas. 10.

Si dicatur, quòd ideò natura potest esse principium plurium productorum per modum naturæ; quia producit de pluribus materiis, & ideò præexigit plura opposita, de quibus producit. Hoc autem producens non producit de aliquo opposito, nec etiam possunt plures esse materiæ, de quibus fiant productiones.

Hoc non obstat, quia si agens naturale, quod habet in virtute sua actiua effectum suum partialiter, quantùm ad formam, potest in plura producibilia, multò magis agens illud quod in virtute sua actiua habet effectum totaliter, nullam materiam præsupponendo potest in eadẽ, vel in tot producibilia: quia perfectio virtutis actiuæ, in habendo effectum totaliter, non limitat ipsum respectu producibilium: nunc autem, per te, agens naturale, quod habet in virtute sua actiua effectum suum partialiter, scilicet inquantùm ad formam, potest idem manens plura producibilia vnius speciei producere: ergo similiter posset si haberet effectum suum totaliter in virtute sua actiua: nullâ, scilicet materiâ præsuppositâ. Et illud patet manifestè: quia sicut agens vnius speciei potest generare multa simul, ita & Deus creare, non ergo solùm per hoc est possibilitas respectu plurium possibilium ab eodem productiuo ad eadem producenda, quia producit vel producere potest de pluribus principiis passiuis, sed propter rationem ipsius potentiæ actiuæ, & propter communitatem siue pluralitatem termini producibilis Oportet ergo, ad probandum vnicum esse terminum productionis, vel etiam vnicam esse productionem vnius rationis, probare quòd terminus productionis non potest competere pluribus † productionibus eiusdem rationis, siue productio fuerit de aliquo, siue de nullo, siue principium sit natura, siue non.

Agens vnius speciei potest generare multa simul.

a. l. producibilibus.

Filius est perfectus, at non habet deitatem omni modo habendi eam.

De quarta [y] ratione Filius est perfectus Deus: & tamen non habet diuinitatem omni modo habendi eam: imò potest diuinitas haberi etsi non alia, tamen in alio supposito: & alio modo habendi eam: ergo ex hoc quòd est perfectus filius intensiuè, sicut est perfectus Deus: non sequitur, quòd non habeat omnem filiationem possibilem extensiuè, vel saltem non omni modo possibili. In filiatione autem cùm non sit eadem communicabilis pluribus, non oportet distinguere inter alietatem filiationis & alium modum habendi: imò sicut diuinitas potest esse perfecta in aliquo, & tamen alio modo haberi in alio: ita filiatio potest esse perfecta in aliquo, & tamen alia haberi in alio. 11.

COMMENTARIVS.

12. X *Ratio Sancti Thom. non concludit.*

DE tertia ratione. Hîc Doctor ostendit, quòd tertia ratio facta à S. Thoma non concludat propositum, quia illa propositio, scilicet quòd *natura determinatur ad vnum*, non debet intelligi, quòd sit determinata ad vnum numero, vel vnum specie: patet, quia idem Sol potest esse principium productiuum non tantùm plurium numero, sed etiam plurium specie. Intelligitur ergo, naturam determinari ad vnum, scilicet ad vnum modum producendi, quia non est ibi principium indeterminatum respectu oppositorum sicut voluntas.

Quomodo natura determinatur ad vnum.

Si dicatur quòd ideò natura potest esse principium plurium, quia producit de pluribus materiis, & ideò præexigit plura opposita, de quibus producit, Exemplum de igne, qui quamuis agat per modum naturæ, non posset tamen producere plures ignes, nisi de pluribus materiis, vt de materia ligni, & de materia aëris, & huiusmodi. Quæ materiæ insunt compositis productis, & sic

ſic præexigit plura oppoſita, de quibus producit. Natura ignis producit ignem de aëre, vt de oppoſito, quod ideò dicitur producere dé oppoſito, quia agit in aërem, corrumpendo formam aëris, quæ opponitur formæ ignis, introducendo formam ignis ſibi ſimilem. Modò in diuinis non ſunt plures materiæ, nec producens producit de aliquo oppoſito.

Dicit Doctor quòd hoc non obſtat, & hæc reſponſio ſtat in hoc, quia agens, quod habet in poteſtate ſua totum effectum, nullam materiam præſupponendo, poteſt in illum, quia ſi agens naturale tantùm habet in virtute ſua actiua plures effectus partialiter, quantùm ad formam, poteſt in plura producibilia, quantò magis agẽs, quod habet totum effectũ in virtute ſua poterit producere? ſed de hoc vide clariùs quæ dicta ſunt in ſecundo, diſtinct. 18. & vide, quæ ibi expoſui, & quomodo paſſum oppoſitum, de quo agens producit, non neceſſariò requiritur ad actionem agentis naturalis, & iſta litera eſt ſatis clara.

13. *De quarta ratione, filius eſt perfectus Deus, &c.* dicit Doctor quòd ex hoc, quòd Filius eſt perfectus Deus intenſiuè, non ſequitur quòd habeat omnem filiationem poſſibilem extenſiuè, vel ſaltem non omni modo poſſibili; quia ſicut eſſentia diuina alio, & alio modo habetur in Filio, & Spiritu ſancto, ita ſi eſſent plures filij, eſſentia diuina haberetur à primo filio à ſolo Patre, & à ſecundo Filio, à Patre, & Filio.

Quomodo filius ſit perfectus Deus.

In filiatione autem cùm ſit eadem communicabilis pluribus, id eſt, quòd cùm vna filiatio non ſit communicabilis pluribus, non poteſt diſtingui in alia, & alia perſona, ſecundùm alium, & alium modum habendi, quia vna filiatio tantùm habetur in vna perſona vno modo habendi, & tamen habens illam eſſet perfectus Filius, & ſi alia haberetur in alio Filio, illa eſſet perfectus Filius, ſicut habens eſſentiam alio, & alio modo habendi eſſet perfectus Deus, &c.

14. Super prima parte ſummæ S. Thomæ *qu.* 41. *art.* 6. Thomas Caiet. nititur ſaluare S. Thomam & ſoluere inſtantias Doctoris contra ſanctum Thomam. Et primò præmittit aliqua. Et ſecundò ſoluit inſtantias Doctoris: vnde ſic dicit ad literam.

Thomas Caiet. arguit contra Scot.

Ad horum euidentiam nota primo, quòd *materiæ* nomine hoc in loco intelligitur omne receptiuum. Nam conſtat quòd charitas forma eſt vnius ſpeciei multiplicata ad multitudinem beatorum Angelorum, & hominum, & tamen nulla eſt in voluntate materia, quæ eſt pars compoſiti, ſed receptiua tantùm potentia. Vnde ſenſus propoſitionis eſt, quòd forma ſpecifica non multiplicatur, niſi ſecundùm receptiuum, & intendit quòd ſi eſt forma receptibilis, plurificatur ad plurificationem receptiuorum actu, vel potentia: quòd dico propter animam intellectiuam. Si autem eſt irreceptibilis, eo ipſo eſt implurificabilis. Aduerte ſecundò, quòd vt patet 5 Metaph. vbi fundamenta omnis ſcientiæ traduntur, dum omnium ſeminum rationem habemus, *vnum numero ſunt, quorum materia eſt vna.* Identitas igitur numeralis penes vnitatẽm attenditur materiæ, nec cum vnitate materiæ ſtat pluralitas numeralis formæ eiuſdem ſpeciei. Et propterea Ariſtotelem ſequentes, negamus omnia in inſtantiis aſſumpta, quoniam ſtat formam eſſe vnam in eſſendò, & multiplicem in dependendo, vel repræſentando, vel reſpiciendo, vel aliis huiuſmodi, & ſic ſimilitudo albi ad omnia alba vna eſt relatio id eſt, eſſendo, & multiplex in reſpiciendo. De defectu autem relationis ad defectum termini diſtingue, quòd relatio deficit ad defectum termini adæquati, non autẽ inadæquati, cuiuſmodi ſunt ſingula reſpecta ab vno, ſingulum enim inadæquatur extenſiue, & ideò altero remanente non ſufficit ad hoc, vt deſit relatio, quæ erat ad ipſum, ſed ad hoc, quòd deſinat ipſum reſpicere, ſpecies quoque in medio etiam reſpectu obiectorum intenſi, & remiſſi vnica eſt ſecundùm *eſſe*, multiplex autẽ in repręſentando; & dependendo. Et propterea, vt intenſio eſt huius, ducit ad hoc, & vt illius ad hoc, & vt illius ad illud, & ſimile eſt de lumine, eſt enim vnum lumen ſecundùm *eſſe*, & multiplex in dependentiis. Et propterea conceduntur multæ illuminationes, & conceditur, quòd eſt multiplex ſecundùm vias, ſeu pendentias, & obſtacula. Et propterea apparent multæ vmbræ. Stat igitur in ſuo robore aſſumpta propoſitio in tractatu de Angelis ſtabiliendo.

Rationes Thomæ Caietani contra Scotum.

Ad primam autem rationem Scoti dicitur primò, quod ipſe non intellexit propoſitionem tanto ſtudio à ſe impugnatam, non enim immaterialitas, id eſt, carentia materiæ, quæ eſt altera pars compoſiti, ſed immaterialitas, id eſt, carentia materiæ. id eſt, potentiæ receptiuæ, eſt, de qua actor loquitur, vt manifeſtauimus, & etiam litera inſinuat hic in exemplo de albedine, ſi ſubſiſteret. Et propterea vane articulos Pariſienſes, qui de materia, vt materia loquuntur, affert, cùm ſecundùm veritatem materia, vt potentia receptiua formaliter loquendo in hac propoſitione intelligatur. Verùm ne eadem argumenta fierent contra irreceptibilitatem, reſpondetur ad ſingula. Ad primum quidem, falſa eſt maior; quia vnumquodque eſt primò extra cauſam, & intellectum eſſe ſignificato per ſecundum adiacens, & tamen non eſt illo *hoc*. Probatio verò illa valet etiam ſecundùm apparentia. Ex hoc quòd non niſi ſingularia aliqua duo, ſcilicet eſſe extra intellectum, & cauſam, & eſſe hoc conueniunt inferens identitatem formalem vtriuſque. Quo ad ſecũdùm verò, quòd nec ſomniauimus, quòd forma in materia exiſtẽs ſit *hæc* per materiam intrinſecè, ſeu formaliter, ſed cauſaliter, & licèt materia ſecundùm Auicennam non ſit cauſa materialis formæ, ſed compoſiti; quia cauſa materialis nominat cauſã intrinſecam, eſt tamen materia cauſa formæ in genere cauſæ materialis. Educetur enim de ea, vt materia, & hoc ſufficit. Ad ea verò, quæ de Angelis tanguntur, ſuo loco dicetur, & dictum eſt in commentariis de Ente, & Eſſentia, vbi etiam articulos Pariſienſes gloſſauimus. Et aduerte, quòd hæc doctrina modò tradita non eſt noua, ſed fortè aſcendens ad altitudinem intenti D. Thomæ. Nominauit autem irreceptibilitatem immaterialitatem. Tum, quia in ſubſtantiis ſeparatis irreceptibilem, non niſi immaterialitatem ſubſiſtentem in ſpecie ſignificat, tum quia potentia receptiua ex parte materiæ ſe tenet, & facilè propterea erat ex hac illam intelligere, & ſic patet prima ratio ſumpta ex communibus omnibus omnino in materialibus formis ſubſiſtentibus: nec inconuenit eam adduxiſſe ad proprietates perſo- 15.

Ad primam rationem Scoti.

 nales,

nales, imò necesse fuit quoniam ipse de talium numero sunt, & non cognoscimus eas secundùm seipsas, sed ex creaturis, vt possumus ad eas ascendimus, vt teneamus conclusionem certam,& necessariam ex propositione certissima communi omnibus Philosophis, imò communi animi conceptione sapientum.

16. Ad secūdam rationem. Secunda ratio sumitur ex modo specificante processiones, scilicet per modum verbi, & amoris, & fundatur super vnitate actus intelligendi, ac vnitate actus amandi in diuinis, contra quam rationem instant quidam sic: Si vnitas actus intelligendi infert vnitatem Filij, aut intendis de vnitate reali, aut secundùm rationem. Si reali, ergo vnitas realis actus intellectus, & voluntatis infert in Deo vnitatem personæ productæ. Si secundum rationem, ergo distinctio secundùm rationem inferret distinctionem personarum, sicut enim vnitas ad vnitatem, sic distinctio ad distinctionem se habet. Scotus autem *in quodl. vbi suprà* contra hanc rationem dicit, quòd non est valida, quia fundatur super hac positione, vbi non potest esse nisi vnicus actus intelligendi, non potest esse nisi vnicum *dicere* & vnicum verbum: hæc autem propositio vera est in nobis gratiâ materiæ, quia in nobis omne *intelligere* est expressum per actum dicendi non sic autem est in diuinis, &c. Et breuiter, inquit, ex vnitate formæ eiusdem rationis non potest inferri vnitas productionis, & termini vniuersaliter, & in omni materia: ergo ex vnitate intellectionis non sequitur gratiâ formæ vnitas dictionis, & Verbi.

Ad hoc breuiter dicitur, quòd hîc est sermo de vnitate numerali, quæ supponit vnitatem formalem, vt patet 5. *Metaph. c. de Vno*, quoniam de multiplicatione numerali tantùm personarum est quæstio. Ita quod ratio consistit in hoc: intellectio Dei est vna numero: ergo Verbum est vnum numero, & si essent intellectiones Dei plures secundùm numerum, essent plura Verba secundũ numerũ. Ad argumentum ergo dicitur, quòd intendit de vnitate numerali formali, idest, quæ infert vnitatem formalem, non autem de vnitate numerali identifica, qualis est inter actũ intellectus, & voluntatis diuinæ, & propterea negatur sequela. Quomodo autem ex distinctione formali secundùm rationem inter intellectum, & voluntatem inferatur distinctio personarum *in quæst.* 27. declaratum fuit, & dictum, quòd hoc non sequitur immediatè, sed mediatè ordine originis. Ad obiectionem verò Scoti dicitur, quòd ratio literæ non fundatur super illa propositione, sed super hoc, quòd vbi est vnũ tantùm *intelligere*, & *dicere* adæquatum illi, ibi non est nisi vnum *dicere*, & vnum Verbum, quod patet esse verum, superflueret namque aliud *dicere*, & similiter ex vnitate formæ absolutæ optimè infertur vnitas formæ respectiuæ, seu actionis adæquatæ. Et ad hanc adæquationem insinuandam dicitur in litera, quod Deus omnia simplici actu intelligit ac per hoc dicit.

17. Ad tertiam rationem. Tertia ratio sumitur ex communi modo procedendi, qui verè est modus, quo scilicet procedunt naturaliter, vt distinguitur contra *liberè*, & fundatur super hoc, quòd natura determinatur ad vnum. Contra quam rationem instant quidam: aut intendis, quòd natura determinatur ad vnum numero, & hoc est falsum, etiam in naturis limitatis: aut in vnum modum producendi, & hoc est falsum in natura infinita. Neutro igitur modo ratio valet aliquid.

Ad hoc breuiter dicitur, quòd intendit tertio modo, quod natura determinatur ad vnum formaliter sub hac, nisi subsumatur, & rectè de natura eadem pluribus modis communicabili, quòd secundùm vnumquemque modum est determinata ad vnum formaliter illius modi, & consequenter, quòd hæc non secundùm hunc modum est determinata ad hoc vnum: sic concluditur vnitas numeralis producti vno modo. Et inducta est hæc ratio ad ostendendam differentiam inter naturale, & voluntarium agens in largiendo vnitatem numeralem effectui vnica simul actione agendo. Ab agente enim voluntario possunt simul plura produci, vt inquit Auerroës *cap.* 44. 12. *Metaphys.* A naturali autem non, nisi vnum ab vno. Et ex his patet responsio ad obiectionem Scoti vbi suprà, infringentis, quoque hanc rationem, quia natura non determinatur ad vnum numero.

Quarta verò ratio ex perfectione diuina sumitur, & fundatur super hoc, quòd omnis res diuina habet quicquid inuenire potest infra latitudinem illius rationis formalis. Ex hoc enim manifestè sequitur, quòd non compatitur sui partionem, & consequenter nec pluralitatem. Sed contra hanc quoque rationem instatur, quòd nihil valeat, quia sic sequeretur quòd esset vnum tantùm productum in diuinis, & probatur sequela, quia productum est res diuina, ac per hoc habens quicquid infra latitudinem inueniri potest, & sic excludit multiplicationem sui, quòd si hîc non valet, ergo nec in ratione tua. Ad quartam rationem.

Ad hoc breuiter dicitur, quòd fundamentum illud intelligendum est de re diuina, quæ est vna per modum speciei specialissimæ, & non de re diuina, quæ est vna per modum generis: quoniam sub specie non nisi materialis restat differentia: sub genere autem latent multa, & sic directè deseruit proposito, quoniam de pluritate numerali, vt iam dictum est, quæritur, & cessant obiectiones, productum enim nõ specificam, sed genericam rationem significat. Filius autem specificam, & ideò de filiatione tenet ratio, de productione autem non. Et nota hanc rationem, quoniam concludit vniuersaliter nullum prædicatum specificum, siue absolutum, siue respectiuum in Deo, plurificari. Vnde patet quòd nulla sit instantia Scoti vbi suprà, contra hanc rationem, quia Filius est perfectus Deus, & tamen non habet Deitatem omni modo habendi, ergo filiatio potest esse perfecta, & tamen haberi alia ab alio. Similitudo, enim nulla est, vt patet, quia est à modo habendi ad diuersitatem numeralem, imò quia filius est perfectus Deus, sequitur, ergo habet quicquid est infra latitudinem Deitatis, & consequenter est multiplicabilis secundùm deitatem. Hæc ille. 18.

Contra hanc opinionem Thomæ Caiet. multa essent dicenda, sed pro nunc aliqua improbabo in suis præsuppositis. Secundò, ostendam quomodo instantiæ Doctoris contra Thomam minimè soluuntur, etiam accipiendo *materiam*, vt ipse exponit. Primò, quando ipse dicit quod Thomas accipit *materiam* tantùm pro receptiuo, sic intelligendo, quòd omnis forma receptibilis in aliquo 19. Lychetus cõtra Caietanũ

in aliquo receptiuo plurificatur ad plurificationem receptiuorum. Sed an hæc expositio, sit ad mentem Thomæ difficile est iudicare. Dicit enim sic Thomas vbi suprà: *Cùm enim personæ diuinæ sint ipsæ relationes subsistentes non possunt esse plures Patres vel plures Filij in diuinis, nisi essent plures paternitates, & plures filiationes. quod quidem esse non posset, nisi secundum materialem eorum distinctionem. Formæ enim vnius speciei non multiplicantur, nisi secundùm materiam.* Hæc ille, Sed quicquid sit de intentione Thomæ non oportet amplius explicare. Secundò dicit, quod distinctio numeralis est tantùm pro diuersa receptiua, adducendo Aristotelem pro fundamento in 5. *Metaphy. cap. de Vno. tex. commen.* 12. sic dicit: *vnum numero sunt, quorum materia est vna*, sed certè in ista parte non rectè intelligit Aristotelem, & quomodo Aristoteles intelligatur, vide Doctorem *in secundo, dist.* 3. *quæst.* 6. & quòd materia non sit causa indiuiduationis ipsius formæ, patet per Philosophum *primo Metaphy. tex. commen.* 27. *In fundamento naturæ nihil est distinctum.* Vnde secundùm translationem Arabicam sic habetur: *Quoniam autem in fundamento naturæ non est aliquid distinctum, manifestum est, quia non verè dicitur in illa substantia, quod est alicuius dispositionis.* Hæc ille. Et ibi Commentator sic ait: *Quoniam autem manifestum est, quòd in principio ex quo est generatio, scilicet principium secundùm naturam non debet esse aliquid eorum, quæ generantur ex eo actu, manifestum est, quod illud principium non debet esse in aliqua dispositione eorum, quæ fiunt ex eo, neque secundùm qualitatem accidentalem.* Hæc ille. Sed de ista materia vide diffusè Doctorem *in secundo, vbi suprà.* Et quòd tertiò dicit, quod similitudo albi ad omnia alba, vna est tantùm relatio in essendo, sed multiplex in respiciendo, & hoc est manifestè falsum, & subtiliter improbatum à Doctore *in tertio, dist.* 8 & vide quæ ibi prolixè exposui. Et quòd quartò dicit de specie in medio respectu obiectorum est tantùm vnica secundùm *esse*, & multiplex in repræsentando, & dependẽdo, hoc etiã reputo manifestè falsum. Et quia hoc improbare nõ est præsentis speculationis, nec pertinens ad intentionem principalem, ideò pro nunc admittatur, non est inconueniens plures species colorum esse in eodem puncto aëris distinctæ realiter: & similiter plura lumina, vt patet à Doctore *in* 5. *Metaphysicæ suæ.*

20. Cùm dicit ad primam instantiam Doctoris quòd Doctor non intellexit Thomam. Dico, vt apparet ex litera Doctoris quòd si Thomas intellexit tantùm de materia receptiua, perfectè intellexit Thomam, nec est verisimile Doctorem meritò subtilem positionem Thomæ in hac parte ignorasse. Nam cùm probat, quòd anima multiplicetur, ostendit ipsam multiplicari, nõ per aliud, & aliud receptiuum, vt patet ex litera Doctoris. Et quod dicit de articulis damnatis, quòd non loquuntur de materia receptiua: Hoc patet manifestè falsum, nam in tertio articulo vbi habetur sic: *formæ non recipiunt diuisionem, nisi secundùm diuisionem materiæ.* error, quòd non intelligitur, nisi de materia receptiua. Et tenendo, quòd Thomas tantùm loquitur de materia tantùm receptiua, & quòd forma omnino irreceptibilis sit implurificabilis, rationes datæ ab isto ad instãtias Doctoris minimè soluit illas, & doleo quod sic sicco pede transit illas, nec verba, nec sensum verborum adducit, quasi si rectè intelligeret, aut illa approbaret, aut non sic expeditè, & quodammodo superficialiter transiret. Non enim verba Doctoris sunt præmittenda, cùm ipse inter omnes Doctores resolutissimus fuerit & ideò volens improbare tantum Doctorem oportet fideliter adducere ea quæ dicit contra Thomam, sicut & ipse Doctor fideliter opinionem Thomæ, adducit. Quòd ergo dicit, quòd illa maior est falsa, scilicet, *quo primo aliquid est in actu extra causam, & in intellectum, eo est hoc primo*, illa propositio si rectè intelligatur, vt ipsam suprà exposui, nullam patitur instantiam: quod ergo dicit, quod vnumquodque est primo extra causam & intellectum, esse significato per secundum adiacens, & tamen non est illo *hoc*. Sed ad hoc videtur implicatio, quòd Franciscus sit extra causam, & intellectum, & quòd non tantùm sit, sed quòd etiam non sit singulare, & indiuiduum, videtur omnino impossibile.

Et si dicatur, quòd illud est singulare per materiam receptiuam. Contra hoc est ratio Doctoris quam ipse non adducit, videlicet, quòd ipsa anima intellectiua in aliquo priori naturæ, quàm infundatur corpori est verè terminus creationis, & vt sic, terminata de necessitate erit *hæc*, & singularis, quia creatio non terminatur primò, nisi ad ens reale actu existens, & singulare. Et quòd dicit de *esse* significato per secundùm adiacens, videlicet, quòd vnumquodque extra causam, & intellectum, est primò ipso *esse* significato per secundùm adiacens, quia quæro si *A* vt est terminus creationis est ipso *esse* primo significato, &c. Aut *A* tantùm includit ipsum *esse* quiditatiuè; aut *esse* existentiæ: aut *esse* essentiæ, & existentiæ, & *esse* singulare. Non primò, quia *esse* quiditatiuum, vt præcedit omnem existentiam non est terminus creationis. Si secundò habetur intentum, quia nihil primò habet *esse* existentiæ, nisi singulare, & per consequens dicere quod *A* est ipso *esse* primo significato per secundum adiacens, & quod non sit singulare, est implicatio. Et quod dicit quòd *A* non est illo *esse* hoc, id est, quòd *A* non est singulare per *esse* significatum per secundum adiacens, in ista parte. sicut & in aliis intelligit Doctor sicut nec in multis aliis locis, non enim dicit quòd *A* sit hoc ipso *esse*. Dicit enim sic Doctor *quo aliquid est in actu extra causam, & intellectum, eo est hoc primò. quia sic esse non competitur, nisi huic.* 21.

Ista litera debet sanè intelligi, potest enim habere multiplicem sensum, quia ly *esse* potest multipliciter intelligi, in proposito tamen intelligitur tantùm de *esse* existentiæ primò, quia *esse* existentiæ primò cõuenit singulari, ita quòd *esse* existentiæ primò de necessitate includit singularitatem, prius enim intelligitur natura singularis, quàm intelligatur actu existens, vt patuit *in secundo, dist.* 3. imò *esse* existentiæ primò conuenit singulari, vt gradus intrinsecus, licèt inter *esse* existentiæ, & singularitatem sit aliqualis distinctio. Intelligitur ergo ista propositio sic, *quo aliquid est in actu extra causam & intellectũ*, scilicet in actuali existentia, *eo est hoc primo*, id est, quòd *esse* actuale existentiæ primò, conuenit singulari, quia cui conuenit *esse* actualis existentiæ, primo ei conuenit esse. Hoc non dicit ergo Doctor, quòd eodem 22.

eodem formaliter sit actus existens, & sit hæc, sed est actu existens sua existentia, & est *hæc* sua propria hæcceitate, sed quia *esse* existentiæ primò conuenit singulari, ideò illud quod est tali *esse* primò est primò singulare. Et hic sensus huius literæ, quem ipse non adducit, qui enim vult habere sensum Doctoris oportet per multum tempus illi doctrinæ vacare omnibus aliis prætermissis propter eminentes sensus in verbis eius contentos. Et quòd dicit, quòd probatio Doctoris nihil valet, etiam secundùm apparentiam, verum dicit, quia non intelligens propositionem, minùs etiam probationem percipit. Elicit enim iste ex probatione minoris Doctoris quòd esse extra intellectum, & causam, & esse *hoc* dicant eandem formalitatem, quod Doctor non dicit, vt suprà patet, declarando illam propositionem. Et posito etiam, quòd esse extra causam; & intellectum, & esse *hoc* sint idem formaliter adhuc inter illa potest stare distinctio ex natura rei, & per consequens *A* non erit eodem esse, & esse *hoc*, licet eodem sint realiter *esse*, & esse *hoc*, cum *esse* hoc, & esse sint simpliciter realiter idem, vt supra patet à Doctore *in secundo, distinct. 3. quæst. 6.*

Nota.

23. Ad aliud, quod dicit, quòd nec somniauimus, quod forma in materia existens sit *hæc* per materiam intrinsecè, seu formaliter, sed causaliter, quia materia est causa formæ in genere causæ materialis. Dico, quòd hoc est minùs benè dictũ, & fortè enim esset minus inconueniens dicere formam esse *hanc* per materiam intrinsecè, cum forma maximè materialis habet tantùm *esse* existens in materia, quàm dicere esse *hanc* causaliter per materiam, cùm materia nullo modo sit causa formæ, nisi tantùm receptiua. Et vltrà si forma est *hæc* per materiam causaliter, quæro an hæcceitas per quam est *hæc*, quæ est entitas positiua, etiam secundum ipsos, sit causata à materia in ipsa forma, aut sit ipsa materia; aut tantùm ipsa forma? Non primò, quia materia nihil causat in forma: quam recipit. Tum etiam, quia secundùm ipsos, materia est tantùm ens in actu per formam, & per consequens ipsa forma erit hæc intrinseca, & non per aliquid causatum à materia, aliter ipsa materia per formam non esset in actu. Tum etiam, quia forma verè perficit materiam, & realiter, quòd non esset, nisi esset intrinsecè singularis, quod enim dat *esse* alicui priùs includit proprium *esse*, & propriam hæcceitatem. Non secundò, quia & ipsi negant quod materia sit hæcceitas formæ. Non tertiò, quia forma non est formaliter hæc seipsa, sed aliqua hæcceitate ipsam contrahente. Et posito quòd esset *hæc* seipsa, adhuc habeo intentum, quia non erit *hæc* per materiam, nec intrinsecè, nec causaliter. Et quod dicit, quòd per materiam non est *hæc* intrinsecè, sed tantùm causaliter, aut hoc dicit ex propria intentione, aut ex intentione S. Thomæ. Si primò eadem facilitate contemnitur, qua & probatur, nec minimam adducit probationem. Si secundò, hoc non habetur ex verbis sancti Thomæ. Præterea ista expositio contradicit priori expositioni. Dixit enim primò, quòd Thomas accipit materiam tantùm pro receptiuo. Receptiuum autem inquantùm huiusmodi, nullam causalitatem dicit respectu recepti.

Ad rationes Doctoris de Angelis pro nunc nullum dat responsum, sed remittit se alibi, & in hoc optimè facit.

Responsio ad secundam instantiam Doctoris patet expresse, quòd non est ad mentem S. Thomæ sic exponendo Thomam quod sic intelligit, quòd vbi est tantùm vnum *intelligere*, & *dicere* adæquatum illi, ibi non est nisi vnum *dicere*, & vnum verbum. Hæc expositio non videtur posse dari ex verbis diui Thomæ, dicit enim sic in litera, vbi suprà *Secunda verò*, supple ratio, *est ex modo processionum, quia Deus omnia intelligit, & vult vno, & simplici actu, vnde non potest esse nisi vna persona procedens per modum Verbi, quæ est filius, & vna tantùm per modum amoris, quæ est Spiritus sanctus.* Hæc Thomas. Si enim intelligeret de *intelligere*, & *dicere* adæquato illi, nulla est probatio. Nam apud omnes in Deo est tantùm vnum *intelligere* numero: & cùm infertur, ergo tantùm vna persona per intellectum, & cùm probatur, quòd tantùm sit vna, quia ibi est tantum vnum *dicere*, transeat: sed adhuc remanet difficultas quomodo ibi est tantùm vnum *dicere*. Si probatur per hoc quia ibi est tantũ vnũ *intelligere*, ergo tantùm vnum *dicere*. consequẽtia est enthymematica, nec est vniuersaliter vera, vt suprà patuit. Et cum dicit iste nouus expositor, quòd Thomas tantùm loquitur de *intelligere*, & *dicere*, quæ ad inuicem adæquantur, oporteret eum probare quòd ipsum *dicere* adæquetur ipsi *intelligere*, quod non probat, sed tantùm supponit. Et vltrà si sic exponit Thomas tunc videtur petere principium, supponendo quod probare debet. Et vltrà, quæ consequentia est ista, si *intelligere* est vnum, & *dicere* adæquatur illi, ergo tãtùm est vnum Verbum. Non enim consequentia formali potest sequi consequens verum ex antecedente falso, vt patet *primo Priorum.* Nam hoc antecedens, scilicet *intelligere, & dicere adæquantur*, non est vniuersaliter verum. Tum etiam, quia nullum consequens potest sequi verum ex antecedẽte includente falsum, licet sequatur ex vna parte illius antecedẽtis, & sic in proposito, verbum tãtùm esse vnum, sequitur ex ista parte antecedentis, ex hoc, quòd *dicere* est vnum: sed non ex hoc, quòd *intelligere* est vnum, vt suprà patet à Doctore: quia si Verbum produceret aliud Verbum, esset simpliciter vnum *intelligere* in vtroque Verbo, & tamen essent duo Verba, & duo *dicere* correspondentia. Et quod dicit iste expositor, quòd ex vnitate formæ absolutè, optimè infertur vnitas formæ respectiuè, seu actionis adæquatè. Si absolutè intelligit, hoc patet esse manifestè falsum. Nam eadem res absolutè sumpta potest habere plures actiones, quia etiam plura producta, vt patet de Sole, qui secundùm suum *esse* absolutum potest esse causa plurium.

24.

Quomodo in Deo sit vnũ intelligere.

Deinde quæro quid intelligit, cùm dicit actionem adæquari formæ absolutæ? si intelligit quòd ab vna forma absoluta non potest esse, nisi vna actio, hoc patet manifestè falsum, & hoc etiam posito, adhuc non probat intentum, quia *dicere* non est actio ipsius *intelligere*, cùm *intelligere*, etiam secundùm Thomam non sit ratio formalis producendi Verbum in diuinis. Vult enim ipse *in prima parte summæ. q. 41. art. 5.* quòd essentia diuina sit ratio formalis producendi filium, vbi sic ait: *Sic igitur dicendum est quòd potentia generandi principaliter significat diuinam essentiam, vt Magister dicit septima dist. primi, non autem tantùm relationem, nec etiam, essentiam inquantum est idem relationi* 25.

relationi. Et infrà, *idem*, inquit, *quo Pater generat est natura diuina, in qua sibi Filius assimilatur. Et secundũ hoc Damascenus dicit quòd generatio est opus naturæ, non sicut generantis, sed sicut eius quo generans generat. Et ideo potentia generandi significat in recto naturam diuinam, sed in obliquo relationem*. Hæc ille. Et licèt iste nouus expositor exponat ibi Thomam, quòd accipit *diuinam naturam* pro omni absoluto in diuinis. Sed quicquid sit, parum est curandum; præcipuè cùm verba diui Thomæ sint ita clara, & aperta, quòd non oportet ea retorquere ad alium sensum.

26. Ad illud, quod dicit ad tertiam instantiam Doctor contra Thomam, quòd natura sumendo secundùm vnum modum communicandi, secundùm illum modum est determinata ad vnum numero. Sed hoc patet esse falsum, quia eadem natura numero, etiam secundùm modum naturalem agendi, non tantùm potest in plura numero distincta successiuè, sed etiam simul, licèt fortè non æquè perfectè, vt patet de Sole applicato diuersis passis, patet etiam de intellectu, qui simul plura intelligit. *Nota.* Et quòd dicit, quòd in hoc differt agens naturale ab agente voluntario. Agens enim naturale simul vnica actione vnum tantùm producit effectum. Agens verò voluntarium potest simul plura producere, & allegat Commentatorem 12. *Metaphys. cap.* 44. Sed certè hæc non est differentia agentis naturalis, & agentis voluntarij. *Differentia inter agens naturale, & volũtarium.* Sed hæc ponitur differentia, videlicet, quòd agens naturale numquam potest esse ad contradictoria, licèt possit esse ad disparata, quia agit per modum naturæ, & de necessitate naturæ, & ideò stante dispositione agentis, & passi sic de necessitate agit, quòd non potest non agere. Agens verò voluntarium possit in opposita contradictoriè. Et hæc est differentia quam ponit Aristoteles 9. Metaph. tex. comm. 3. *Palam*, inquit, *quia & potentiarum aliæ erunt irrationales, aliæ cum ratione, quapropter omnes artes, & scientiæ factiuæ potentiæ sunt*, id est, quòd practicæ scientiæ, vt puta mechanicæ, & morales potentiæ sunt, scilicet rationales. Et parum infrà. *Et quæ quidem cum ratione omnes contrariorum sunt eadem. Et quæ irrationales vna vnius, vt calidum calefaciendi solum, medicatiua autem infirmitatis, & sanitatis*. Et vult dicere, quòd potentiæ rationales se habent ad opposita, irrationales autem non, sed ad alterum oppositorum tantùm. Et potentia rationalis non tantùm dicitur ad opposita positiuè, sed etiam priuatiuè, & contradictoriè, vt patet in eodem tex. Vide ibi. & quæ exposita sunt à Doctore *super primo, dist.* 2. Et sic patet quod illa non differentia inter agens naturale, & voluntarium, quam ipse assignat. Et quod adducit de Cõmentatore 12. *Met. comm.* 44. patet in illo commento, quomodo, nec ex intentione Commentatoris, nec per verba eius præcisè addetur talis differentia inter agens naturale, & voluntarium.

Ad illa, quæ dicit respondendo ad instantiam Doctoris contra quartam instantiam Sancti Thomæ, non oportet aliter improbare, cum nec verè nec apparenter soluant rationem Doctoris. Et sic patet, quomodo responsio istius noui expositoris minimè euacuat rationes Doctoris contra Thomam.

SCHOLIVM.

Ratio Henrici, quod repugnet dari plures productiones eiusdem rationis, est, quia productum est adæquatum, & semper manet idem actus producendi, & sic exhauritur tota fœcunditas producentis, pro quo adducit Philosophum. Refutat Doctor hanc rationem, qua supponitur fœcunditatem exhauriri, quod probandum erat. Secundò, si potentia posset producere alium actum, si hic actus non esset, non est contradictio quod producat illum, quia quod non repugnat priori, id est, potentiæ, nisi per posterius, id est, per actum, non repugnat ei simpliciter, & declarat exemplo. Tertiò, quod ait de producto adæquato, si sumat adæquatum *intensiuè, non tollit quin fiat alia productio; si extensiuè, petit principium. Circa has rationes habet pulcherrimam, & subtilissimam doctrinam.*

12. AD Conclusionem a negatiuam opponitur ratio talis à quibusdam: Si tota fœcunditas ordinata ad generationem Filij sit exhausta in vnius Filij generatione, impossibile esset cum illo alium generari, quia ille alius generaretur sine omni fœcunditate ordinata ad Filij generationem: sed in Deo tota fœcunditas ordinata ad Filij generationem exhauritur in vnius Filij generatione; quia vnico actu generandi, semper manente, producitur vnus Filius semper manens, & ex eodem semper vniformiter se habente: non posset ergo restare fœcunditas ad alterius Filij generationem, nisi possent simul esse duæ productiones omnino eiusdem rationis, & ex eodem, quod est impossibile: sicut impossibile est vnam & eandem materiam simul moueri pluribus motibus generationis, vel alterationis in idem secundùm speciem, differentibus autem secundùm numerum: & hoc iuxta artem Philosophi, qui determinat 5. *Phys.* non esse possibile, quòd idem simul moueatur pluribus motibus secundùm

12. Henric. quodlib. 6. q. 1.

Tex. 32. & circiter. Idem 3. Phys. t. 19.

ſecundùm eamdem ſpeciem motus. Habetur ergo minor, quòd in diuinis in generatione Filij exhauritur tota fœcunditas ad generationem Filij, quia actus ille ſemper manens eſt ex eodem ſemper vniformiter ſe habente.

Confirmatur per exemplum. Si vnus homo haberet vnicum ſemen, & non eſſet poſſibile aliud quo ad generationem hominis, & de illo † ſemine ſemper eſſet iſte filius genitus, impoſſibile eſſet alium filium generari.

Al. homine

Hîc breuiter formando arguitur ſic. Actus adæquatus principio, & ſemper vniformiter ſtans, non compatitur ſecum alium eiuſdem rationis ab eodem principio actiuo; actus vnicus generationis in diuinis eſt adæquatus ſuo principio, & ſemper ſtat, ergo, &c.

De prima ratione, verbum illud *exhauritur*, ſi propriè accipiatur in corporalibus, denotat nihil illius quod exhauritur remanere in illo in quo præfuit, vt patet de aqua in puteo: iſto modo non poteſt intelligi in propoſito, quia fœcunditas non exhauritur ſic per productionem filij, quin tota ipſa eadem ſemper maneat in patre; ergo oportet quòd ſecundùm alteram ſimilitudinem intelligatur, vt videlicet, dicatur exhauriri, pro quanto, ſcilicet quòd manet in patre ad alium actum productionis vel generationis alterius filij: ſicut ſi non maneret aqua in fonte quantùm ad alium actum potationis, poſſet aliquo modo dici exhauſta per actum potationis. Conceditur ergo maior: quia exhauſta iſto modo tota fœcunditate ordinata ad generationem filij, non poſſet alius generari: ſed illam minorem, quod in diuinis ſic exhauritur in generatione vnius Filij tota fœcunditas, quæ eſt in diuinis ad generationem Filij, oportet probare. Innuitur autem probatio eius per hoc, quòd generatio iſta ſemper ſtat, & eſt de eodem principio quaſi de quo, & de eodem principio quaſi paſſiuo, & ideò non poſſunt eſſe ſimul plures productiones, ſicut nec plures motus. 13.

Ehauriri dupliciter ſumitur.

Contra iſtam rationem, quòd non concludit ſufficienter propoſitum, poteſt argui ſic. 14. Quæcunque potentia poſſet habere alium actum, ſi ille actus non ſtaret ſemper, illa ſimpliciter poteſt habere alium actum: ſed potentia generatiua in diuinis, per te, ſolùm ex hoc non poteſt habere alium actum, quia ille actus ſemper ſtat: ergo illa potentia abſolutè poteſt habere alium actum, ita quòd in hoc non eſt contradictio: ſed ſi poteſt habere alium actum: ergo neceſſariò habet: nihil enim eſt ibi poſſibile, ſcilicet, quòd non includit contradictionem, quin ſit in actu: ergo ibi ſunt in actu plures generationes. Conſequentia eſt falſa, ergo altera præmiſſarum; non maior, ergo minor, quæ videtur eſſe accepta ex ratione argumenti tui. Probatio maioris, ratione, & exemplo. Ratione ſic. Potentia naturaliter prior eſt actu, quicquid autem non repugnat priori naturaliter niſi per illud, quod eſt poſterius naturaliter, ſimpliciter non repugnat ſibi, quia contradictio ſimpliciter non eſt alicuius, ad prius per hoc, quod illud habet contradictionem ad poſterius natura: ſi ergo actus alius non repugnat potentiæ, niſi quia potentia ſemper eſt ſub iſto actu, abſolutè non repugnat potentiæ illius actus, & ita ſine contradictione ſimpliciter, poteſt alius actus ſibi competere.

9. Metaph Tex. 13. & inde.

Quod repugnat priori per poſterius tantù ſimpliciter ei nõ repugnat.

Exemplum huius eſt, ſi Sol illuminaret vniuerſum vna illuminatione adæquatâ ſibi intenſiuè, quia ſcilicet ita perfectè ſicut poſſet illuminare, & extenſiuè, quia ſcilicet illa illuminatio eſſet totius illuminabilis, quod poſſet eſſe illuminatum à Sole, ſi ille actus ſemper ſtaret, ita quòd Sol non poſſet habere aliam illuminationem, hoc non eſſet, quia ſimpliciter repugnat Soli, vt eſt principium illuminatiuum, quòd ſit principium alterius illuminationis, imò ſolummodò ex hoc, quòd totale ſuum paſſiuum eſt proportionabiliter actuatum: abſolutè ergo Soli eſt compoſſibilis alia illuminatio, & per conſequens ſi Sol neceſſariò cauſaret omnem illuminationem, quam poſſet cauſare, Sol haberet illam illuminationem in actu. Nunquam eſt ergo neceſſitas ſimpliciter illius vnicæ productionis, nec eſt neceſſitas iſtius vnitatis, ex hoc quòd vna productio ſemper ſtat.

Confirmatur iſta ratio, b quia ſi potentia ex ratione ſui non neceſſario determinatur ad iſtum actum, ſed tantummodo ex hoc, quod iſte actus ſemper ſtat elicitus à potentia; illa potentia abſolutè vt prior actu, poſſet extendere ſe ad alium actum', ergo irrationabile videtur quod ille actus magis eſſet ab iſta potentia quam iſte, & per

per consequens cum neuter posset esse minus necessarius altero, vel vterque simul est à potentia vel neuter

Videtur ergo breuiter [c] quantùm ad istam rationem, quòd nec per hoc quòd actus semper stat, nec per hoc quòd vna potentia non potest simul perfici diuersis actibus, habetur conclusio rationis sufficienter probata, sicut ipsa est vera: imò oportet probare, quòd sic est necessitas ad vnam productionem vnius rationis, quòd si per impossibile illa non semper staret, vel nunquam esset, adhuc nulla alia posset haberi in Diuinis eiusdem rationis, vt quemadmodum si hic Pater non esset in Diuinis, omnino contradictio esset dicere Patrem in Diuinis. Ita si hic pater hac generatione non generaret, vel per impossibile generaret, actu transeunte, & non stante nullam aliam generationem posset habere, quia non posita absoluta, & omnimoda necessitate ad vnicam productionem, ibi possibilitas ponitur ad aliam, & per consequens necessitas, quia quicquid est ibi possibile, est necessarium.

Si per impossibile hic filius non esset à patre, nec alius esse posset.

Ex hoc patet quòd secunda ratio de adæquatione, abbreuians istam, non concludit, quia aut maior accipit adæquationem intensiuam tantùm, vel extensiuam, & intensiuam. Si intensiuam tantùm, ex tali adæquatione non concluditur quòd sit vnica productio possibilis, imò alia potest esse possibilis, licèt non simul stans. Habetur ergo tantùm, quòd vnica est possibilis simul, sed vbi non habetur de vnica productione possibili nisi sic, quòd alia non sit simul possibilis, ibi non habetur quin alia sit simpliciter possibilis, & per consequens in proposito necessaria simpliciter. Si accipiatur adæquatio secundo modo, minor non probatur, nisi forte innitatur isti, quòd vnica productio semper stat, & de hoc tactum est suprà.

Generatio in Deo non ideò vnica, quia adæquata.

COMMENTARIVS.

27. *Opin. Henr. quodl. 6. q. 1.*

a Ad *conclusionem negatiuam.* Hic Doctor ad probandum quòd non possunt esse plures Filij in diuinis, adducit vnam rationem Henrici & ratio stat in hoc: Actus, siue productũ adæquatum principio productiuo intensiuè, & semper stans sic, quòd semper producitur, vt adæquatum principio productiuo, non compatitur secum alium actum, siue aliud productum eiusdem rationis, supple quòd sit productum ab eodem principio productiuo. Sed actus generationis in diuinis, siue filius, qui est totalis terminus adæquatus illius generationis, est adæquatus memoriæ fœcundæ, vt principio productiuo, & semper stat: ergo in diuinis est tantùm vna generatio, & tantùm vnus Filius. Maior videtur nota, & minor probatur, quia in Deo tota fœcunditas ordinata ad Filij generationem est exhausta in vnius Filij generatione. Patet, quia vnico actu generandi semper manente, producitur vnus Filius semper manens, & ex eodem semper vniformiter se habente. Et confirmatur, quia sicut est impossibile vnam, & eandem materiam simul moueri pluribus motibus generationis, vel alterationis ad plura solùm numero differentia, ergo sic est impossibile plura solo numero differentia esse ex eodem principio semper vniformiter se habente; quorum quodlibet adæquatur illi principio. Antecedens est notum, quia eadem materia ligni non simul mouetur ad duas formas substantiales ignis solo numero differentes, nec similiter subiectum simul potest moueri ad duas albedines solo numero differentes. Et hæc est expressa sententia Philosophi *tertio Physic. text. commen.* 19. sic dicentis: *Inconueniens*, inquit, *est per duos motus simul moueri, quadam namque erunt alterationes duæ vnius, & in vnam speciem, sed impossibile est*, & ibi Commentator: *Deinde*, inquit, *contingit aliud opinabile, & est, vt idem numero moueatur duobus motibus diuersis, vt idem numero.* Hæc ille. Hoc idem patet *tertio Physic. Tex. commen.* 37. consequentia videtur nota.

Imaginatio metaphorica.

Secundò propter quædam verba Doctoris potest sic formari ratio: Vbicunque aliqua tota fœcunditas in generatione alicuius sic exhauritur, quòd non manet ad alium actum generationis alterius filij, ibi tali fœcunditate non potest esse alius filius; sed in generatione Filij in diuinis sic tota fœcunditas Patris exhauritur, quod non potest manere in Patre respectu alterius Filij ergo, &c. 28.

Respondetur à Doctore negando minorem, & concedendo maiorem. Et cùm probatur illa minor per hoc, quòd generatio Filij semper stat, &c. & sic probatio minoris potest esse ratio priùs facta, scilicet actus adæquatus principio actiuo, & semper stans, &c. Sed actus generationis in diuinis est huiusmodi ergo; &c. Et Doctor negat istam maiorem primæ rationis, quæ assumitur ad probandum minorem secundæ rationis, & non tantùm negat illam maiorem, sed etiam contra ipsam instat ibi: *Contra istam rationem, quòd non cõcludit sufficienter propositũ, potest argui sic: Quacunque potentia*, &c. Ista ratio stat in tribus dictis. Primum, quòd aliquid repugnare alicui, potest dupliciter intelligi. Primò simpliciter, & absolutè, & ratione propriæ entitatis, sicut dicimus, quòd rudibile repugnat homini simpliciter. Secundò, quòd tantum repugnat ratione alicuius posterioris actu inhærentis, sicut dicimus, quòd nigredo repugnat homini actu existenti sub albedine, & non repugnat homini absolutè, sed tantùm ratione albedinis

Primum dictum repugnare alicui potest dupliciter intelligi.

Secundum dictum contra Henricum.

albedinis ſtantis in homine. Secundum dictum eſt,quod repugnat primo modo alicui nunquam poteſt ineſſe, etiam per quodcunque poſterius in illo,cui repugnat;quia quod repugnat alicui,ſimpliciter, nunquam fiet non repugnans per quodcunque poſterius, vt patet à Doctore *in primo, diſt.3. q.5.* contra Henricum. Et quòd repugnat ſecundo modo poteſt ſimpliciter ineſſe, quia circunſcripto poſteriori,cui repugnat, poteſt ineſſe priori,cui tantùm repugnat ratione illius poſterioris.

Tertium dictum.

Tertium dictum eſt,quòd quicquid eſt in diuinis ſic eſt neceſſe eſſe, quòd eſt ſimpliciter impoſſibile ipſum nõ eſſe in quocunque inſtanti. Et quod non repugnat in diuinis ſimpliciter ad intra,illud tale eſt ibi de neceſſitate naturæ. Iſtis præſuppoſitis infert Doctor intentum principale contra illam propoſitionem, ſcilicet quòd actus adæquatus principio productiuo,& ſemper ſtans, alius eiuſdem rationis non poteſt ineſſe. Si ergo alius filius non poteſt eſſe in diuinis ex hoc, quòd primus filius adæquatur in perfectione principio productiuo, & ſemper ſtat, ſequitur quòd non repugnat ſimpliciter, quia tantùm repugnat ratione primi Filij ſemper ſtantis. Sed quod non repugnat ſimpliciter in diuinis illud eſt ſimpliciter poſſibile,& omne poſſibile ad intrà eſt ibi de neceſſitate naturæ, & per conſequens ſi illa ratio Henrici eſt vera, concludit plures filios eſſe in diuinis. Dicit ergo Doctor ſic: Quæcunque potentia poteſt habere alium actum,ſi ille actus non ſtaret ſemper, illa ſimpliciter poteſt habere alium actum;ſed potentia generatiua in diuinis,per Henricum, ſolùm ex hoc non poteſt habere alium actum, quia ille actus ſemper ſtat;ergò illa potentia abſolutè poteſt habere alium actum. Et probat illam maiorem ratione,& exemplo:ratione ſic,quia potentia naturaliter prior eſt actu, vt patet 9. *Metaph. text. commen.* 13. Et vide ibi quomodo potentia ſit prior actu tempore,quia certum eſt quòd potentia actiua, quæ eſt in actu, eſt prior actu ipſo producto.Modò,quod non repugnat priori naturaliter, niſi per illud,quod eſt poſterius natura,ſimpliciter non repugnat ſibi, vt ſuprà dixi, & ſic patet ratio Doctoris.Et ſimiliter exemplum eſt notum.

Potentia eſt prior actu.9. metaph.context.13. & inde.

29.

Exemplum doctrinale.

b *Confirmatur iſta ratio.* Iſta confirmatio ſupponit vnum, videlicet,quòd quando ſunt duo effectus eiuſdem rationis non eſt talis ordo inter illos,vt vnus dicatur prior,& alter poſterior:præſertim ſi illi effectus ſint per ſe ſtantes, quod dico, quia fortè vna pars aëris, puta propinqua, priùs illuminatur, quàm remota. Comparando etiam duas illuminationes eiuſdem rationis ad idem lucidum,vna non ſupponit aliam de neceſſitate. Aliquando verò eſt ordo effectus ad effectum, vt poſterioris ad prius, ſic quòd poſterius non poteſt haberi,niſi priori priùs habito. Et ſic dicimus, quòd intellectus de neceſſitate eſt priùs operatiuus,quàm ſit productiuus, quæ tamen intellectio,& productio ſunt alterius rationis, quia vnum eſt abſolutum, & reliquum relatiuum. Sed quando ſunt duo effectus eiuſdem rationis ab eadem cauſa,non eſt talis ordo prioris,& poſterioris,quia vnum eſt æquè producibile immediatè à tali cauſa ſicut alius,& è contra. Cum ergo duæ generationes in diuinis ſi eſſent, eſſent eiuſdem rationis, & eſſent ab eodem principio productiuo, non eſſet maior ratio de vna, quam de alia, quòd immediatè ſit à tali principio. Et probat,quia potentia productiua eſt prior natura actu productionis. Tunc arguo ſic: quæcunque potentia comparatur ad duos actus poſteriores ipſa,inter quos non eſt neceſſariò ordo prioris,& poſterioris,talis potentia eſſet productiua vnius, ſicut & alterius, quia ſemper cõparatur vt prior; ſed potentia generatiua in patre eſt prior ipſo actu generationis;ergo ſicut poteſt habere vnum actum generationis,ita poteſt habere alium,cùm non ſit maior ratio de vno,quàm de alio.Et ſic ſi ſecundus actus generationis non poteſt ineſſe ſtante primo, & ille ſecundus eſt ita immediatè producibilis ſicut & primus.Et quòd non ſit ordo prioris,& poſterioris inter illos, ſequitur vel quòd vterque ſit ſimul à potentia tali,vel neuter, quia quicquid ibi poteſt eſſe de neceſſitate abſoluta,ibi eſt.Et ſic patet iſta confirmatio.

c *Videtur ergo quantùm ad iſtam rationẽ,&c.* 30.
Dicit Doctor in iſta litera, quòd non probatur ſufficienter illa concluſio negatiua,(ſcilicet quòd non poſſint eſſe ſimul plures generationes eiuſdem rationis) nec per hoc quòd vna generatio ſemper ſtat,vt ſupra patuit. Nec per hoc, quòd vna materia non poteſt ſimul perfici pluribus actibus eiuſdem rationis,puta quòd eſſentia diuina,quæ ponitur ſecundum Henricum quaſi materia reſpectu generationis, perficiatur duabus generationibus eiuſdem rationis. Et probatur iſta ſecunda pars ſicut & prima, quia ſi eſſentia diuina non poteſt perfici ſimul duabus productionibus eiuſdem rationis,aut hoc ideò eſt,quia ſibi repugnat ſimpliciter,& hoc non probatur ab Henrico. Aut quia ſtante vna productione in eſſentia,alia non poteſt ineſſe, & ſic ſecunda productio non repugnat ſimpliciter in eſſentia diuina, ſed tantùm ratione alterius generationis exiſtentis,qua ſtante,ſecunda non poteſt ineſſe,ergo non repugnat ſibi ſimpliciter; ergo abſolute poſſibile eſt ſecundam ineſſe,& ſi poteſt abſolute,de neceſſitate ineſt,vt ſuprà patuit.Poteſt etiam probari illa ſecunda pars per illam confirmationem, quia potentia quaſi receptiua ex ſe non magis determinatur ad vnum, quàm ad aliud. Et quod prius ſit ſub vna forma, quàm ſub alia, hoc erit per rationem producentis, priùs inducentis vnam, quàm aliam;ſed,ſicut ſuprà probatum eſt, potentia generatiua in diuinis, cum ſit prior vtroque actu generationis, ita poteſt in vnum immediatè ſicut & in alium;ergo duæ productiones eiuſdem rationis vel tres. Vel ſimul erunt in eſſentia diuina à potentia productiua,vel neutra. Et ſic patet iſta ſecunda pars probata.

Dicit ergo Doctor vnam concluſionem valde notabilem, quòd oportet probare quòd ſic eſt 31.
Concluſio notabilis.
neceſſitas ad vnam productionem vnius rationis, quòd ſi,per impoſſibile, illa non ſemper ſtaret, vel nunquam eſſet,adhuc nulla alia poſſet haberi in diuinis eiuſdem rationis.Oportet etiam probare, quòd hic Pater in diuinis eſt ſic de neceſſitate abſoluta hic Pater,quòd ſi per impoſsibile ille non eſſet, nullus alius eſſet. Et ſimiliter oportet probare quòd hic Filius in diuinis ſic neceſſariò eſt hic filius,quòd ſi per impoſsibile hic Filius nõ eſſet,nullus alius filius eſſet. Hoc idẽ dico de generatione actiua in Patre,& paſſiua in Filio,quòd oportet probare quòd hæc generatio actiua in Patre,ſic de neceſsitate eſt hæc generatio actiua, quòd ſi, per impoſsibile, illa non eſſet, eſſet impoſsibile ſimpliciter aliam eſſe:hoc idem dico de generatione paſsiua; & ſimiliter idem dico de ſpiratione actiua, & paſsiua, & ſic patet litera

Doctoris. Et ex his, patet, quomodo littera Doctoris *in primo, d.2. par.2. q.2. in responsione ad vltimum argumentum* non concludit de necessitate ibi tantum esse vnam productionem eiusdem rationis: Dicit enim sic: *potentia finita non potest habere simul duos terminos adæquatos in* produci, *licèt possit habere vnum in* produci, *& alium in* producto esse: *potentia tamen infinita habet terminum suum intra se semper in* produci, *& ipse est adæquatus, ideò non potest habere plures terminos.* Hæc ille. Hæc ratio non magis concludit, quàm illa Henrici, nisi accipiat adæquationem tam intensiuè, quàm extensiuè. Nec similiter litera Doctoris quam ponit in primo, *vbi suprà q.* 3. respondendo ad quæst. circa finem, vbi sic dicit *Vlterius sequitur si non sunt ibi nisi duo principia productiua alterius rationis, ergo tantùm sunt duæ productiones numero: probatio, quia vtrumque principium productiuum habet productionem sibi adæquatam, & coæternam, ergo stante illa non potest habere alia.* Hæc ille. Et ideò oportet multum considerare literam Doctoris. Sufficit enim ei in illis locis tantùm ostendere, quòd ex quo sūt duo principia alterius rationis, & infinita, ergo & duo producta tantùm infinita, quæ adæquantur illis principiis, tam intensiuè, quàm extensiuè, sed quomodo sic adæquantur alibi habet ostendere, quod & facit in præsenti quæstione.

SCHOLIVM.

Probat ergo Doctor aliis rationibus, non esse dabiles plures productiones diuinas eiusdem rationis. Primò, quia darentur infinitæ; & infert Augustinus contra Maxim. quia quod est plurificabile ad plura eiusdem rationis non habet de se certam pluralitatem, vt patet de communi respectu singularium, & de causa respectu causatorum. Nec in proposito fieri potest determinatio ab aliquo posteriori; cùm enim hoc non det entitatem, non dabit vnitatem. Secundò, omne plurificabile in Diuinis habet certam pluralitatem, aliàs de facto essent infinitæ productiones, sed productiones eiusdem rationis nequeunt determinari ad certam pluralitatem, ex iam dictis. & quia omnis pluralitas finita, vel est alterius rationis, vel præexigit aliquid alterius rationis, quo determinetur. Tertiò, ex Philosopho, cuius locum benè explicat, ita vt non faueat Thomistis negātibus immaterialia plurificabilia esse numero, de quo latè 2.d.3.q.7. Quòd si dicatur ipsum illic fauisse, hoc tenuit, quia errauit, putans omne non habens materiam pro comparte esse necessariò rem, vt ibi ostendit Doctor. Vide eum circa has rationes 1.d.2.q.7.n.13.18. & d.7. vbi probat multis, tantùm esse duas productiones in Diuinis.

16. DE secundo articulo,[d] dico quòd ista conclusio: *In diuinis non possunt esse plures productiones eiusdem rationis*, non sola fide tenetur, sed etiam ratione necessaria ostenditur. Et potest formari ratio primò, deducendo ad impossibile; Secundò ostensiuè; Tertiò; potest confirmari propositum ex intentione Philosophi. *Articulus secundus.*

Formatur ergo ratio sic. Si possunt esse plures productiones eiusdem rationis: ergo & infinitæ. Et si sic, ergo necessariò sunt infinitæ: quia nihil potest ibi esse, nisi necessarium. Vltimum consequens impossibile manifestè; ergo & primum antecedens. Probatio primæ consequentiæ auctoritate, & ratione. Auctoritas est Augustini contra Maximinum lib.1. *Absit, vt ideò potentior sit Pater Filio, vt putas, quia creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit creatorem.* Neque enim non potuit, sed non oportuit. Et subdit, *quare non oportuit? immoderata esset diuina generatio, si genitus Filius nepotem gigneret Patri; quia nisi & ipse nepos auo suo pronepotem gigneret: secundùm vestram mirabilem sapientiam, impotens diceretur, similiter & ille, & ille,* &c. subdit, *nec impleretur generationis series, si semper alter ex altero gigneretur, nec etiam perficeret nllus eam, si non sufficeret vnus omnipotens.* Hæc Augustinus. Ex ista intentione Augustini habetur, quòd si vna persona producta productione tali non sufficeret ad complendam vnam, vel totam productionem in Diuinis; pari ratione nec alia aliqua, nec quotcunque: & ita siue eundo in directum quòd Filius generaret alium Filium: siue comparando ad eandem personam patris, quòd scilicet habeat istum filium, & alium filium, semper qua ratione ponitur pluralitas, pari ratione sequitur infinitas eiusdem rationis. *Si essent duæ generationes diuinæ, essent infinitæ.*

Probatur eadem consequentia[e] per rationem sic. Quidquid est plurificabile eiusdem rationis, vel ad plura eiusdem rationis se habens non determinatur ex se ad certam pluralitatem. Hæc propositio patet, siue comparādo commune ad sua singularia, siue causam ad sua causata, siue principiū ad sua principiata: commune enim plurificabile eiusdem rationis non determinatur ex se ad certam pluralitatem inferiorum, causa etiam non determinatur ad certa causata ex se. Ex hac propositione probata; sequitur, quòd quodcunque plurificabile eiusdem rationis quantùm est de se, potest extendi ad infinita, nisi determinetur aliunde, nec determinari potest per principium eiusdem rationis: ergo si per aliquod principium in Diuinis productiuum potest esse pluralitas productionum eiusdem rationis, non determinatur talis productio ex se, siue ex suo principio formali ad certam pluralitatem, nec ex hoc nec ex illo repugnat *Si daretur pluralitas productionum eiusdem rationis in Deo, daretur & infinitas productionum.*

sibi quæcunque pluralitas;ergo vel poterunt esse infinitæ:& per consequens sunt infinitæ:quod est conclusio illata:vel fiet determinatio talium productionum ex alio ad certam pluralitatem, quàm ex se, vel principio productiuo: sed hic non potest dari vnde fiat ista determinatio. Non enim ab aliquo posteriori, quia à posteriori nihil habet suam entitatem: ergo nec vnitatem, nec certam pluralitatem, nec ab aliquo quod est simul natura cum productionibus, quia qua ratione ipsa productio, quæ est vnius rationis non determinatur ex se ad certam pluralitatem: pari ratione nec illud quod est simul natura,nec ab aliquo priori: quia illud prius,vel principium formale producendi, vel principium producens,quod est suppositum; à principio formali productiuo non potest esse determinatio, vt patet in probatione maioris: quia principium productiuum eiusdem rationis non determinat se ad certam pluralitatem productionum eiusdem rationis:nec à supposito producente potest determinari: quia in tot productiones potest suppositum, ad quot se extendit principium productiuum,quod est in supposito: si ergo non est determinatio à parte principij formalis productiui;nec etiam à parte producentis. Sic ergo patet ista cõsequentia ad impossibile,quòd si possent ibi esse plures productiones eiusdem rationis;ergo & infinitæ,

Nihil habet suam vnitatem à posteriori se, nec ab aliquo simultaneo.

Secundò arguitur [f] ostensiuè sic. Illud nullo modo est plurificabile in Diuinis quod non potest determinari aliquo modo ad aliquam certam pluralitatem:sed productio eiusdem rationis in Diuinis nullo modo potest determinari ad certam pluralitatem aliquam: ergo nullo modo est plurificabilis, quod est propositum. Maiorem primò exponam.Secundò probabo eam.Certam pluralitatem dico, vt. puta dualitatem,ternitatem,quaternitatem, vel aliquam aliam datam. Omnino determinari ad certam pluralitatem,dico quòd impossibile à posteriori,vel à simili,sed includens manifestè contradictionem:maiorem sic intellectam,probo,si non potest omnino determinari quantùm est de se ad certam pluralitatem, ergo quantùm est de se potest in quotcunque,quia contradictionem non includit,quòd quamcunque pluralitatem excedat,& hoc in infinitum, sed nihil potest in Diuinis possibile sic vltra quamcunque pluralitatem plurificari, quia tunc necessariò esset plurificatum vltra quamcunque pluralitatem,& ita esset in infinitis Probatio minoris.Illud non potest omnino determinari ad certam pluralitatem inferiorem eiusdem rationis, quod non necessariò præexigit aliqua plura alterius rationis, per quæ determinetur ad certam pluralitatem:productio eiusdem rationis in Diuinis non necessariò præexigit aliqua plura alterius rationis,per quæ determinetur ad certam pluralitatem:non ergo potest omnino determinari ad certam pluralitatem. 18.

Pluralitas in diuinis est necessario determinata.

Istius rationis probo maiorem & minorem. Maiorem sic. Si est plurificabile eiusdem rationis,non determinatur ex se ad certam pluralitatem,hoc priùs probatum est in arguendo ad impossibile; tunc pari ratione illa inferiora vel singularia, quæ sunt eiusdem rationis non habent ex se certam determinationem ad certam pluralitatem, quia sicut ignis ex se non determinatur ad certam pluralitatem ignium,ita ignes singulares ex se non determinantur ad certum numerum,vt sint tot,vel tot ignes.Plurificabile ergo eiusdem rationis, si necessariò determinetur ad certam pluralitatem, hoc est,per aliud,non per posterius natura,nec per illud,quod est simul natura, sicut dictum est & deductum ad impossibile:ergo solummodò per prius vel priora natura. Non autem per aliquid prius eiusdem rationis,quia sicut dictum est priùs deducendo ad impossibile,illud prius non est determinans ad certam pluralitatem illorum, quæ sunt eiusdem rationis:igitur oportet, quòd hoc sit per aliqua priora non eiusdem rationis,quia eadem quæstio esset de illis,nec etiam hoc possent,ex quo essent eiusdem rationis.Habetur ergo ista propositio, quòd illud non potest omnino determinari ad certam pluralitatem,quod non potest determinari per aliquam pluralitatem priorem alterius rationis.Minor probatur, quia illæ productiones plures, quæ ponuntur eiusdem rationis, non præexigunt nisi principium formale producendi, & principium producens,in neutro istorum est pluralitas alterius rationis, per quam determinetur productio ad certam pluralitatem, necessariò præexacta: quod non est in principio formali producendi. Patet, ex quo ponuntur productiones eiusdem rationis, quòd etiam non in supposito præexigatur pluralitas alterius rationis, saltem per quam determinetur productio ad certam pluralitatem:patet, quia in tot productiones potest suppositum,ad quot principium se potest extendere. 19.

Plurificabile eiusdẽ rationis necessariò per aliquod alterius rationis determinatur ad numerum certum.

Ista ratio ostensiua sic probata potest breuiter sic compilando,confirmari. Omnis pluralitas necessariò finita,vel est alterius rationis:vel si non est alterius rationis, necessariò

ceſſariò, præexigit aliquam alterius rationis per quam determinetur omnis pluralitas in Diuinis neceſſariò eſt finita;eſt ergo talis,vel talis;ſed non poteſt eſſe pluralitas productionum eiuſdem rationis tali,vel tali modo ſe habens;ergo nulla poteſt eſſe pluralitas eiuſdem rationis in productionibus.Maior iſtius rationis declarata eſt in argumento ad impoſſibile, & etiam oſtenſiuo.Minor primi ſyllogiſmi ſatis eſt manifeſta: quia poſſibilitas in Diuinis ponit neceſſitatē, & per conſequens poſſibilis infinitas,vel nō neceſſaria certa finitas,ponit neceſſariam infinitatem:& minor ſecundi ſyllogiſmi, hæc ſcilicet; quòd productiones eiuſdem rationis non poſſunt hoc modo vel hoc ſe habere, patet, non enim ſunt alterius rationis, ex quo ſunt eiuſdem rationis: nec præexigunt pluralitatem alterius rationis per quam determinentur: hoc declaratum eſt in argumento ad impoſſibile. *3. Phyſ. t. 32.*

20. Tertiò declaratur [g] concluſio iuxta intentionem philoſophi 12. *Metap.* vbi arguit quòd non poſſunt eſſe plures Cœli, quia non poſſunt eſſe plura prima mouentia. Hoc probat:quia *quæcunque ſunt numero multa,vnum autem ſpecie,habent materiam: primum mouens autem non habet materiam:eſt enim actus purus:vnum ergo, & ratione, & numero primum mouens & immobile ens.* Ex hoc infert,*vnum ergo cælum.* Ex iſta intentione Philoſophi,[h] videtur confirmari illa prima ratio adducta in primo articulo, quòd, ſcilicet vnitas naturalis neceſſariò cōpetit cuilibet formæ immateriali eiuſdē rationis. *Tex. 49.*

Sed conſiderando intentionem Ariſtotelis in diuerſis locis, diuerſimodè materiam accipit,& ex hoc confirmari videtur noſtrum propoſitum:nec tamen illa prima ratiò habebit robur ex intentione Ariſtotelis. Materiam enim quandoque vocat principiū receptiuum faciens compoſitionem cum actu ſiue cum forma,quomodo dicit materiam & formam eſſe duo principia 1. *Phyſ.* & multis aliis locis. Et per oppoſitum forma dicitur illud aliud principium,quod habet rationem actus, quod cum materia conſtituit compoſitum. Alio modo forma dicitur quiditas ſecundùm ipſum in multis locis, & per oppoſitum materia dicitur quicquid habet rationem contrahentis vel determinantis ipſam quiditatem. Et hoc modo differentia indiuidualis, quæcunque ſit ipſa,dicitur materia reſpectu quiditatis ſpecificæ.Dicitur ergo materia quandoque illud quod recipit formam informantē:quandoque, illud, quod contrahit vel determinat quiditatem indifferentem Sed tale contrahens,vel determinans poteſt intelligi dupliciter.Vno modo quaſi intrinſecum inferiori, vel determinato ſub tali communi:alio modo quaſi præſuppoſitum determinato. Exemplum: differentia indiuidualis Socratis contrahit hominem primo modo, quæ eſt intrinſeca Socrati, ſed ſecundo modo hoc corpus contrahit albedinem, vel colorem, quia in alio corpore eſt alia albedo,& ſecundùm hoc,ſi non poſſent eſſe niſi tria corpora;nō poſſent eſſe niſi tres albedines:contrahens tamen ſecundo modo poteſt reduci ad materiam, primo modo,vel ſaltem includens quaſi materiam Vbicunque ergo eſt pluralitas eiuſdem rationis,ibi neceſſe eſt ponere materiam,accipiendo materiam, non pro recipiente, ſed pro contrahente,ſic,vel ſic accipiendo,quia nullo modo poteſt poni natura,quæ eſt vnius rationis,plurificari,niſi ſit aliquid contrahēs hoc modo,vel illo,& per oppoſitum vbi non eſt hoc modo materia, impoſſibilis eſt pluralitas eiuſdem rationis, ſed nec talis materia eſt poſſibilis reſpectu productionum in diuinis, quia nihil tale contrahens vel determinans poſſet eſſe niſi determinatum ad certam pluralitatem, & per conſequens niſi priùs habens pluralitatem alterius rationis,& nulla pluralitas alterius rationis poſſet poni prior productionibus talibus.Sic applicata eſt intentio Philoſophi ad concluſionem hîc intentam. *Tex. 65. 69. Idem 2. Phyſ. & 2. de Anima & 5. 12. Met. & 1. cæli.* *Omnis pluralitas eiuſdem rationis eſt per materiam expetitur.*

21. Sed inquirendo [i] qualiter,& vbi generaliter ſecundùm Philoſophum habeat veritatem.Videtur dicendum quòd Philoſophus diceret,quòd nec tali modo poni poſſet in aliquo quod eſt in Diuinis,ſcilicet materia ſecundo modo dicta:imò nec in aliquo immateriali.Vnde dicit 7.Met.cap.9.*quod quid erat eſſe, & vnumquodque eſt in quibuſdam idem,vt in primis ſubſtantiis.Dico autem primam,quæ non per aliud in alio eſt,vt in materia,quæcunque verò accepta cum materia non idem.* Hæc ille:non vult ibidem dicere, quòd in materialibus non eſt idem,*quod quid eſt*, & illud,cuius eſt.Licèt aliqui ſic exponant, ſed non ad intentionem eius, ſicut patere poteſt exponendo tertium *cap.* 7. (de quo modo tranſeo) ſed in nullo materiali, hoc eſt quocunque modo plurificabili, eſt omnino idem *quod quid eſt*, & ipſum, quia ipſum includit materiam, hoc eſt aliquid contrahens ipſam quiditatem, quod non includitur in ratione formali quiditatis: conuenimus ergo cum Philoſopho in hoc, quòd forma non habens materiam ſecundo modo, non eſt plurificabilis, & hoc ſufficit *Tex. c. 21.*

ficit ad propositum nostrum, quod, scilicet productio eiusdem rationis non sit plurificabilis. Sed non propter hoc conceditur, quòd non habens materiam, quæ sit pars realis compositi, non potest plurificari. Et tunc Philosophi, quod primum non habet materiam, quia est actus purus, debet intelligi de materia secundo modo dicta: quia non habet eam ad contrahendum suam quiditatem, vt sit hæc, quia sua quiditate est hoc. Vtrùm autem illud, quod non habet materiam primo modo dictam habeat secundo modo dictam, fortè aliter diceretur secundùm Philosophum, & aliter secundùm Theologos, de quo nihil ad præsens, nisi quòd illa ratio *de 12. Met.* non habet pro per se medio hoc quod est non habere materiam primo modo dictam: sicut intelligunt illi, quorum est prima ratio *in 1. art.* sed habet pro per se medio hoc, quod est non habere materiam secundo modo dictam Et sic tam maior, quàm minor vera est secundùm Philosophos, & Theologos: & per consequens, quia natura diuina non potest plurificari in diuersis suppositis, est ad propositum etiam vtraque præmissa vera de productione eiusdem rationis; & per consequens conclusio est vera.

Quare in 2.d.3.q.si. soluendo 1. prin.

COMMENTARIVS.

32. d DE *secundo articulo.* Hîc Doctor intendit probare conclusionem negatiuam, videlicet, quòd est simpliciter impossibile esse plures productiones eiusdem rationis in diuinis. Et hoc probat tripliciter: primò argumento ducente ad impossibile. Secundò, argumento ostensiuo. Tertiò, ex intentione Philosophi.

Opin. Scoti.

Quantùm ad primum deducit ad hoc impossibile; scilicet quòd actu essent infinitæ productiones in diuinis, si possent esse plures eiusdem rationis. Probatur ista consequentia, scilicet si in diuinis possunt esse plures productiones eiusdem rationis, puta plures generationes actiuæ, vel passiuæ, ergo & infinitæ. Patet ista consequentia primò auctoritate Augustini contra Maximinum *lib.* 1. vbi intendit probare quòd si Filius genitus posset generare alium filium, ille alius posset generare alium, & sic in infinitum. Dicit enim sic: *Absit vt ideò potentior sit Pater Filio, vt putas, quia creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit creatorem, neque enim non potuit, sed non oportuit.* Et subdit quare non oportuit. *Immoderata esset diuina generatio, si genitus Filius nepotem gigneret Patri, quia nisi & ipse nepos pronepotem gigneret secundùm vestram mirabilem sapientiam impotens diceretur, similiter ille, & iste,* Et subdit, *nec impleretur generationis series, si semper alter ex altero generaretur, nec etiam perficeret eam vllus, si non sufficeret vnus omnipotens.* Hæc ille.

Dubium circa dictum August.

Sed dubitatur de auctoritate Augustini in hoc, quod dicit, quòd *Filius potuit generare filium, sed non oportuit*: quòd si filius potuit generare filium, ergo de facto genuit, quia quicquid est ibi possibile, est semper in vltima actualitate.

Vide Franciscum de Mayr. in 7. dist. primi q.3. & 4. vbi assignat duplicem rationem. Quare filius non producat.

Respondeo, quòd dictum Augustini debet intelligi quantùm ad perfectionem principij productiui, quia illud idem principium, scilicet memoria fœcunda, est ita perfecta in filio, sicut in Patre, sed vt in Filio non dicitur potentia generandi, sed tantummodo in Patre, vt suprà ostensum est *in primo, d.*7. Intelligit ergo Augustinus quòd illa eadem perfectio, quæ est in Patre, eadem perfecta est in Filio; sed quia tali principio productiuo tantùm correspondet vna productio, & vnum productum, ideò vt in Patre dicitur potentia generandi, non autem vt in filio.

33. e *Probatur eadem consequentia per rationem sic.* Hîc Doctor probat illam consequentiam ostensiuè. Quicquid enim est plurificabile eiusdem rationis, vel ad plura eiusdem rationis se habens, non determinatur ex se ad certam pluralitatem. Patet hæc propositio, siue comparando commune ad sua singularia, siue causam ad sua causata, siue principium ad sua principiata, patet etiam de communi. Si enim natura humana de se est plurificabilis in duo singularia, ita de se est plurificabilis in infinita, id est, quòd quantùm est ex parte sua, non repugnat sibi posse plurificari in infinita. Hoc idem patet de causa respectu effectus, quæ si ex se potest producere duos effectus eiusdem rationis, ita quantùm est de se, potest producere in infinitum, cùm non sit maior ratio de vno, quàm de alio. Ex hac propositione probata, sequitur quòd quodcunque plurificabile eiusdem rationis quantùm est de se, potest extendi ad infinita, nisi determinetur aliunde, nec determinari potest per principium eiusdem rationis: patet, quia si natura eiusdem rationis ex se non determinatur ad certum numerum, ita nec principium formale eiusdem rationis poterit esse ratio quare sit determinatio ad certum numerum: si enim *A* potest multiplicare naturam humanam in duo singularia, idem *A* vel aliud eiusdem rationis cum *A* poterit producere illam naturam, quantùm est ex parte sua, in infinita singularia eiusdem rationis, cùm non sit maior ratio de vno, quàm de alio: si ergo generatio actiua ex se non sit determinata ad certum numerum, cùm sit plurificabilis in plura, nec erit determinata ad certum numerum per principium eiusdem rationis, puta per intellectum diuinum: si enim intellectus diuinus potest esse principium plurium rationum eiusdem rationis, ergo quantùm est de se, potest esse principium infinitarum productionum eiusdem rationis. Nec videtur quòd ista determinatio ad certum numerum, possit fieri ab aliquo posteriori, quia à posteriori nihil habet suam entitatem; ergo nec vnitatem, nec certam pluralitatem. Si enim natura humana non est ex se determinata ad certam pluralitatem, nec ex principio productiuo eiusdem rationis causante naturam in tali, & tali singulari, sequitur quòd per nullum posterius ipsa natura potest determinari, nec ab aliquo, quod est simul natura cum productionibus. Qua ratione ipsa productio, quæ est vnius rationis non determinatur ex se ad certam pluralitatem: pari ratione nec id quod est simul naturâ cum illo, nec ab aliquo priori, quia illud

lud prius vel est principium formale producẽdi: vel principium producens, quod est suppositum à principio formali productiuo eiusdem rationis, non est ista determinatio, vt suprà patuit; nec ab ipso supposito, quia ad tot se extendit suppositum, ad quot se extendit ratio formalis producendi, tota enim ratio agendi supposito, & tota perfectio agendi ipsi supposito est simpliciter a principio formali productiuo, vt exposui *in primo, dist. 1. quæst. 2. & dist. 3. quæst. 6.* Si ergo productio eiusdem rationis potest multiplicari in plures, ergo & in infinitas, cùm non appareat determinatio aliqua, ex supradictis.

34. In ista tamen litera Doctoris occurrunt aliquæ difficultates. Prima in hoc, quod dicit, quòd *principium formale productiuum eiusdem rationis, si potest producere plura eiusdem rationis, quod etiam & infinita.* Quia videtur sequi quòd illud tale erit formaliter infinitum, quia maioris perfectionis est posse producere plura simul, quàm vnum tantùm; ergo posse producere plura infinita, etiam eiusdem rationis, erit infinitæ perfectionis, & sic calor in igne, qui ponitur principium eiusdem rationis, si potest producere duos calores simul, ergo & infinitos, quod est falsum: patet etiam, quia dicit Doctor quòd causa non est determinata ex se ad certa causata, cum ergo Sol non sit ex se determinatus ad certa causata specie distincta, sequitur quòd ex se posset producere infinitas species, quia plures potest producere, & ex se non est determinatus ad certam pluralitatem: ergo & infinitas potest producere: ergo erit infinitæ perfectionis.

Responsio. Respondeo, quòd etsi principium productiuum eiusdem rationis, possit ex se producere infinitos effectus eiusdem rationis, non tamen sequitur quòd simul illos possit producere, sed tantùm successiuè, & ex hoc non sequitur maior perfectio, vt patet à Doctore *in primo, d. 2. par. 1. q. 1.* Et cùm dicitur, quòd ex se simul potest producere duos, negatur quòd æquè perfectè duos, sicut quemlibet seorsum, vt exposui *in primo suprà, & in secundo, dist. 3.* Dico secundò, quòd secundùm aliquos non sequeretur talis infinitas; posito quòd infiniti effectus eiusdem rationis simul possint produci etiam æquè perfecti, sicut quilibet seorsum, quia vnus non requirit maiorem perfectionem in causa, quàm alius, nec alius, & alius effectus eiusdem rationis requirit in causa aliam, & aliam perfectionem, quia eadem perfectio, quæ est sufficiens ad vnum eiusdem rationis, est etiam sufficiens ad aliud eiusdem rationis. Prima tamen responsio videtur verior.

35. *Nota de sole.* Ad aliud de Sole. Dico, quòd si Sol possit producere infinitas species, siue simul, siue successiuè, esset formaliter infinitus, quia alia, & alia species non tantùm requirat aliam, & aliam perfectionem in causa, sed necessariò perfectior species maiorem perfectionem requirit in causa, quàm imperfectior: modò si essent infinitæ species possibiles; semper vna esset perfectior alia; quia formæ se habent, sicut numeri, per Philosophum 8. *Metaph. tex. comment.* 10. Dico ergo, quòd etsi Sol possit producere plures species, est tamen ex sua natura limitata, determinatus ad certam pluralitatem, vltra quàm virtus Solis non potest. Et dico, quòd Doctor hic loquitur de causa eiusdem rationis, id est, de causa, quæ comparatur ad effectus eiusdem rationis, quòd illa si potest producere duos, ergo & infinitos quantùm est de se. Non enim loquitur de causa eiusdem rationis præcisè in se, sed tantùm in comparatione ad effectus, ita quòd illa dicatur causa eiusdem rationis, quæ respicit effectus eiusdem rationis, licèt illa causa sit æquiuoca respectu illorum effectuum, & causa dicitur alterius rationis, quæ respicit effectus alterius rationis, ita quòd ista comparatio fiat tantùm effectus ad effectum, non autem effectus ad causam.

f *Secundò arguitur ostensiuè sic*: Hîc Doctor probat eandem conclusionem per rationem ostensiuam, siue demonstratiuam: & ratio stat in hoc, omne plurificabile in diuinis necessariò determinatur ad aliquam certam pluralitatem, putà dualitatem, vel Trinitatem, &c. Sed productio eiusdem rationis in diuinis nullo modo potest determinari ad certam pluralitatem: ergo. Maior primò declaratur, quia cùm dico necessariò determinatur ad certam pluralitatem, intelligo sic, quòd sit simpliciter impossibile excedere illam pluralitatem, & non loquendo de impossibili per posterius, vel per aliquod simile, sicut dicimus quòd impossibile est hominem stantem sub albedine fieri nigrum: impossibilitas enim nigredinis inest homini non absolutè, sed ratione alicuius posterioris, scilicet albedinis: intelligitur ergo de impossibili absolutè, quod inest ratione naturæ. Maior sic intellecta probatur, & probatio stat in hoc, si necessariò non determinatur ad certam pluralitatem, ergo de se potest esse in infinitis: ergo ibi actio est infinita pluralitas indiuiduorum, vt suprà patuit. Quicquid enim ibi potest esse, ibi de necessitate est actu. Probatio minoris. Si productio eiusdem rationis in diuinis posset determinari ad certam pluralitatem inferiorum eiusdem rationis, necessariò præexigeret aliqua plura alterius rationis, per quæ determinetur ad certam pluralitatem: patet ista, quia ex se determinatur, nec per aliquid, quod est simul natura cum ea, nec per principium productiuum eiusdem rationis, nec per aliquid posterius, vt suprà patet in prima ratione. Sequitur ergo quòd erit determinata per aliqua plura alterius rationis: sed hoc non, quia productio eiusdem rationis, puta generatio in diuinis tantum præexigit rationem formalem producendi, & producens, *quod*. Sed eadem ratio formalis, sicut potest esse ratio productiua vnius, & etiam alterius eiusdem rationis, sicut calor, ita potest esse productiuus vnius caloris, sicut & alterius: ergo illa certa pluralitas non potest esse ab eadem ratione formali, quia principium productiuum eiusdem rationis, si ex se non est determinatum ad certam pluralitatem, potest esse in infinitis: nec ista certa pluralitas erit à principio *quod*, quia principium *quod* ad tot præcisè se extendit, ad quod ratio formalis illius se extendit, quia principium *quod* habet præcisè rationem formalem producendi, vt possit producere. Si ergo productio eiusdem rationis posset plurificari, & per consequens esse in infinitis, necessariò esset actu in infinitis, quia possibilitas in diuinis ponit necessitatem, vt ponitur 3. *Physic. tex. comment.* 32. *Contingere*, inquit, *ab esse nihil differt in perpetuis*, id est, quòd in perpetuis, quod est possibile, actu est, vt clariùs patet secundùm aliam translationem, vbi habetur: quòd *in æternis non est differentia inter possibile, & id, quod est.* Quòd debet 36. *Exemplum de calore.*

intelligi de *esse* pertinente ad naturam æterni. Vnde Commentator ibi in fine com. *& cum fuerit possibile aliquid esse de natura rerum æternarum, illud erit necessarium, non contingens.*

37. *Quod non habet materiam contrahentem est implurificabile.*

g *Tertiò declaratur iuxta intentionem Philosophi.* Hæc ratio stat in hoc breuiter. Quod non habet materiam contrahentem ad *esse* indiuidui est simpliciter implurificabile, sed omnia æterna, siue necessaria secundùm mentem Philosophi non habent differentiam contrahentem ad *esse* indiuisibile, cum sint de se *hæc*; ergo impossibile est productionem eiusdem rationis in diuinis plurificari. Maior est nota, quia plurificabile in plura eiusdem rationis est contrahibile ad illa plura per aliam, & aliam rationem indiuidualem. Minor patet per Philosophum 12. *Metaph. tex. comm.* 49. vbi arguit quòd non possunt esse plures cœli, quia non possunt esse plura mouentia prima. Hoc probatur, quia quæcunque sunt numero multa, vnum autem specie, habent materiam; primum autem mouens non habet materiam, est enim actus purus. Vnum ergo, & ratione, & numero primum mouens, & immobile ens. Ex hoc infert, *vnum igitur cœlum.* Ait enim sic secundùm aliam translationem: *Quoniam autem cœlum est vnum, manifestum est quòd si plures cœli fuerint, erunt sicut homines. Si autem principium vnius hominis est vnum, & fuerit numero vnum plura, & aliud numero multum habet materiam. Sermo enim vnus, qui est idem, est etiam plures,* non sermo hominis, id est, secundùm Cómentatorem, Ea quæ sunt vnum in ratione id est definitione, sunt plura in numero, vt homo, qui est vnus in numero, & plura in potentia, vt Socrates, & Plato. Sequitur in tex. *Quod autem est essentia prima non habet materiam, quia est perfectio,* id est, secundùm Commentatorem, quòd prima essentia, quæ significat *esse* rei, oportet vt non habeat materiam, quoniam si haberet materiam, haberet aliam essentiam, & sic in infinitum, & ideò necesse est vt prima forma quæ est perfectio, & finis non habeat materiam: erit ergo simplex, & omne simplex est in non materia. Sequitur in tex. *Primus igitur motor, qui non mouetur, est vnus ratione, vt numero. Motor igitur motus continui, oportet semper vt sit vnus tantùm, ergo vnum cœlum est tantùm,* id est, secundum Commentatorem, *& si motor est vnus numero, ergo ipsum primum motum ab eo, si mouetur motu continuo, est vnum etiam numero, & si cœlum est tale, vt declaratum est, ergo cœlum est vnum numero: mouetur enim vno motu continuo ab vno motore numero, & definitione.* Hæc ille.

38. h *Ex ista intentione Philosophi videtur,* &c. Hìc Doctor intendit ostendere quòd Philosophus in proposito loquatur tantùm de materia, quæ est ratio indiuiduandi, siue contrahendi naturam ad *esse* indiuiduale. Et primò ostendit quomodo diuersimodè loquitur de materia in diuersis locis, vt faciliùs cognoscatur quomodo in proposito tantum loquatur de materia, quæ est ratio formalis indiuiduandi, de qua prolixè dictum est *in secundo, dist.* 3. *quæst* 6. Dicit igitur Doctor quòd Philosophus quandoque accipit *materiam* pro principio receptiuo faciente compositionem cum actu, siue cum forma, quomodo dicit materiam, & formam esse duo principia, vt patet *primo Physicor. tex. commen.* 65. *&* 79. Hoc idem *secundo Physicor. & secundo de Anima, &* 5. *&* 12. *Metaphy. & primo Cœli, & alibi sæpè.*

Materia sumitur multis modis.

Dicitur igitur materia principium receptiuum, & per oppositum forma habet rationem actus. Alio modo forma dicitur quiditas secundùm Philosophum in multis locis, & per oppositum materia dicitur quicquid habet rationem contrahentis, vel determinantis ipsam quiditatem, & hoc modo differentia indiuidualis, quæcunque sit ipsa, dicitur materia respectu quiditatis specificæ. Et dicit Doctor *quæcunque sit ipsa*, quia siue differentia indiuidualis accipiatur pro duplici negatione, vt patet per Henricum, qui dicit, quòd indiuiduum dicit negationem diuisibilitatis in se, & negationem identitatis cum alio, vt patet *in secundo, dist.* 3. *q.* 2. siue accipiatur pro existentia rei materialis, vt ponit Boëtius, vt patebit *in secundo, dist.* 3. Dicit ergo, quòd quocunque modo accipiatur differentia indiuidualis, potest dici habere rationem materiæ, pro quanto est contractiua quiditatis specificæ. Sed tale contrahens, vel determinans, potest dupliciter intelligi. Vno modo quasi intrinsecum inferiori, siúe determinato sub tali communi. Alio modo quasi præsuppositum determinato. Exemplum, differentia indiuidualis Socratis contrahit hominem primo modo, quæ est intrinseca Socrati & secundo modo hoc corpus contrahit albedinem, vel colorem, quia in alio corpore est alia albedo. Et secundùm hoc, si non possent esse, nisi tria corpora, non possent esse nisi tres albedines. Contrahens tamen secundò modo potest reduci ad materiam primo modo, pro quanto dicitur contractiua, vel saltem in diuinis quasi materiam. Et sic proprietates hypostaticæ, siue personales, possunt dici quasi materia, non quòd determinent essentiam diuinam, sed determinant personas, siue hypostases, vt patet per Damascenum *lib.* 1. *ca.* 5. *vel* 10. *& lib.* 2. *cap.* 6. *Relatio,* inquit, *non determinat naturam, sed hypostasim*, & sic proprietas personalis non dicitur actus naturæ sed actus hypostasis, vt patet à Doctore *in primo, dist.* 1. *qu.* 2. *& d.* 26. *Exemplum.*

Potest etiam dici, quòd supposita diuina determinant relationes communes eiusdem rationis, quia quot sunt personæ diuinæ, tot sunt etiam æqualitates, vel similitudines, vel identitates. Alia est enim æqualitas in Patre, & alia in Filio, vt patet *in primo, dist.* 31. Vbicunque igitur est pluralitas eiusdem rationis, ibi necesse est ponere materiam, accipiendo *materiam* non pro recipiente, sed pro contrahente sic, vel sic accipiendo, scilicet primo, vel secundo modo, quia nullo modo potest poni naturam, quæ est vnius rationis plurificari, nisi sit aliquid contrahens hoc modo, vel illo. Non enim potest poni naturam humanam plurificari in plura indiuidua eiusdem rationis, nisi per aliam, & aliam differentiam indiuidualem. Nec similiter potest poni albedinem plurificari in plura subiecta, nisi illa subiecta præcisè determinent eam ad certum numerum. Aduerte tamen, quòd isto secundo modo subiectum non dicitur determinare albedinem, vt dicatur *hæc*, fit enim *hæc* per propriam hæcceitatem. Et similiter relationes communes sunt de se *hæc*, ita quòd æqualitas, quæ est in Filio est de se *hæc*: dicimus tamen quòd subiecta determinant ad certum numerum, quia communiter non numerantur accidentia eiusdem rationis, nisi ad numerum subiectorum. Nam plura accidentia præcisè numero differentia possunt esse in eodem subiecto, etiam loquendo de accidentibus absolutis, 39. *Quot sunt personæ tot æqualitates.*

An plura accidentia possint esse in eodem subiecto.

absolutis, vt patet à Doctore *in tertio, dist.* 8. & *in* 5. *Metaphy. Doctoris quæst.* 7. Illa igitur accidentia essent præcisè numero distincta. Patet etiam quomodo Deus posset facere plures albedines numero distinctas sine subiecto vt posset probari per dicta Doctoris *in secundo, distin.* 12. *quæst.* 2. & de facto patet quomodo ponuntur plures quantitates eiusdem rationis separatæ à subiecto, vt in sacramento Eucharistiæ. Posset etiam facere plures albedines in vno subiecto, vt Doctor videtur innuere *in tertio, dist.*8. *& in* 5. *Met. suæ quæst.* 7. Non vult ergo Doctor hîc, quòd talia eiusdem rationis sint præcisè determinata ad certum numerum propter numerum subiectorum. Cùm ergo dicit, quòd nullo modo potest poni, naturam quæ est eiusdem rationis plurificari, nisi sit aliquid contrahens hoc modo, vel illo, & cùm dicit naturam contrahi & plurificari per aliam, & aliam differentiam indiuidualem, hoc dicit secundùm intentionem propriã. Cùm verò dicit formam eiusdem rationis, vt albedinem, vel aliquod aliud accidens determinari ad certum numerum per aliud & aliud subiectum, Hoc non dicit secundum intentionem propriam, intelligendo quòd illa certa pluralitas sit præcisè per aliud & aliud subiectum, vt suprà patet. Sequitur, & per oppositum, vbi non est hoc modo materia, impossibilis est pluralitas eiusdem rationis, sed nec talis materia est possibilis respectu productionum in diuinis, quia nihil tale contrahens, vel determinans posset esse, nisi determinatum ad certam pluralitatem, & per consequens nisi priùs habens pluralitatem alterius rationis, vt suprà patet in secunda ratione, & nulla pluralitas alterius rationis posset poni prior productionibus talibus, vt suprà patuit, & sic applicata est intentio Philosophi ad conclusionem hîc intentam.

i *Sed inquirendo qualiter*, &c. *Vnde dicit* 7. *Met. cap.* 9. *tex. c.* 41. *quod quid erat esse & vnumquodque in quibusdam idem, vt in primis substantiis, vt curuitas & curuitati esse*, id est, quod quid erat esse & singulum cuius est in quibusdam est idem vt in primis substantiis, id est, in speciebus vniuersalibus, vt curuitas & curuitati esse, quod quid est curuitatis sunt idem. Sequitur in tex. *Si prima est*, id est, si curuitas sit prima substantia & species. Sequitur in tex. *Dico autem primam, quæ non dicitur per aliud in alio esse, vt subiecto vel materia. Quæcunque verò vt materia, aut concepta cum materia, non idem neque secundum accidens vnum, vt Socrates & musicum*, & vocat hîc primam substantiam, quæ non habet formam in subiecto & in materia signata, & indiuiduali. *Quæcunque verò sunt concepta, vt materia, aut concepta cum materia*, scilicet, indiuiduali, vt sunt singularia *non sunt idem*, scilicet, *quod quid est* cum eo cuius est. Sed hæc auctoritas exposita est suprà *in secundo, dist.* 3. *quæst.* 5. Et sic patet quomodo philosophus non vult ibi dicere, quòd in materialibus non est idem *quod quid est* & illud *cuius est*, licèt aliqui sic exponant. 40.

Materia non est in diuinis.

7. Met. con. tex. 41.

SCHOLIVM.

Adducit duas rationes contra resolutionem quæstionis. Prima, suadet generationem & spirationem esse eiusdem rationis, quia idem est principium formale, & terminus formalis vtriusque, scilicet essentia. Secunda, intendit Filium posse generare, quia habet potentiam generandi, sicut patet de quo 1. *d.* 7. *Adducit alias duas rationes contra id quod dictum est, scilicet primam distinctionem finitam aliquorum esse alterius rationis.*

22. DE tertio articulo [k] obiicitur contra prædicta, & primò contra conclusionem: deinde contra præmissas. Contra conclusionem dupliciter; primò sic: Vbi principium est eiusdem rationis & terminus formalis eiusdem rationis, ibi est productio eiusdem rationis; sed essentia diuina, quæ est eiusdem rationis, in diuinis est principium productiuum cuiuscunque productionis, & etiam terminus formalis cuiuscunque productionis; ergo quælibet productio est ibi eiusdem rationis cum quacunque. Maior videtur haberi *ex* 5. *Physic.* quia non videtur productio distingui, nisi, vel ex principio formali, vel ex termino. Probatio minoris, primò quantùm ad secundam partem de termino formali; quodlibet productum productione accipit essentiam, quia sicut Filius nihil habet nisi natum, secundùm Hilarium, (hoc est nisi quod nascendo accipit) ita Spiritus sanctus nihil habet nisi quod procedendo accipit: non autem accipit essentiam, nisi sicut terminum formalem. *Art.* 3. *Ratio* 1. *Tex.* 4. & 18.

Confirmatur illud per Aug. 15. de Trin. c. 26. *Sicut Filio præstat essentiam de Patre generatio, ita Spiritui sancto de vtroque processio.* Non potest autem illud intelligi de præstando, siue communicando, nisi sicut de termino formali productionis: nec potest intelligi essentiam communicari per productionem, nisi sicut primus terminus formalis, quia non sicut consequens alium terminum formalem, cùm essentia sit principium omnium. Ex hac probatur alia pars minoris, scilicet quòd essentia sit principium formale respectu vtriusque productionis: quia terminus formalis non potest aliquo modo esse prior principio formali producendi. Si ergo essentia est terminus formalis productionis, vt iam probatum est, & ipsa est primum ens in Diuinis, vt iam probatum est in prima quæstione; sequitur quòd ipsa essentia secundùm se est principium formale producendi in quacunque productione. Minor etiam probatur quantùm

quantùm ad vtranque partem per hoc, quòd illud eſt principium formale, & terminus formalis in quo producens aſſimilatur producto, & præcipuè, quando eſt productio vniuoca. Nunc autem prima aſſimilatio producentis ad productum in Diuinis eſt eſſentia ipſa, vt eſſentia; ergo ipſa eſt formalis terminus productionis, & formale principium producendi.

Ratio 2. Secundò contra concluſionem ſic: Habens principium formale producendi perfectum, poteſt illo producere; ſed Filius habet principium formale dicendi, & generandi perfectè: ergo, &c. Probatio maioris, quia ideò eſt ſuppoſitum potens agere, quia habet principium agendi, & maximè perfectum. Probatio minoris, memoria perfecta eſt primum principium dicendi, ſiue generandi. Filius autem habet memoriam ſicut Pater 5. *de Trin. c.* 7. quælibet perſona meminit ſibi, & perfectam patet. 23.

Ratio 3. Tertiò contra illam propoſitionem, quòd prima diſtinctio finita eſt aliquorum alterius rationis, inſtatur dupliciter. Primò, quia vnitati eſt immediatior diſtinctio minor, quàm maior: diſtinctio eiuſdem rationis eſt minor quàm alterius rationis: ergo, &c

Secundò, quia à Deo poſſunt eſſe immediatè plura creata, & in eadem ſpecie: ergo poſſibile eſt quòd pluralitas eiuſdem rationis eſſet omnino prima, & immediata vnitati, & ſicut in cauſa, & cauſatis, pari ratione in principio, & principiatis.

COMMENTARIVS.

41. k DE *tertio articulo principali*, in quo Doctor adducit tres inſtantias, duas contra quæſtionem principalem, quibus probat quòd in diuinis poſſunt eſſe plures productiones eiuſdem rationis. Et tertia inſtantia eſt contra illam propoſitionem ſuperiùs dictam in ſecundo articulo, ſcilicet quòd prima diſtinctio finita eſt neceſſariò aliquorum alterius rationis. Per primam ergo inſtantiam, quæ eſt contra concluſionem, probat quòd generatio & ſpiratio ſint eiuſdem rationis, quia omnis productio, cuius principium formale productiuum, & terminus formalis productionis ſunt eiuſdem rationis, eſt principaliter eiuſdem rationis. Hæc patet ſpecialiter de termino formali eiuſdem rationis per Philoſophum *quinto Phyſic. tex. cap.* 4. vbi vult quòd motus, vel mutatio magis denominetur à termino *ad quem*, qui communiter ponitur terminus formalis productionis, quàm à termino *à quo*, Et exemplificat ibi de generatione & corruptione. Hoc idem patet *tex. ca.* 18. *&* 19. vbi exemplificat idem de motu alterationis, & augmentationis, & diminutionis, &c. Si ergo Philoſophus vult quòd productiones, quarum termini formales *ad quem* ſunt eiuſdem rationis, ſint eiuſdem rationis, à fortiori illæ erunt eiuſdem rationis, quarum termini formales ſunt eiuſdem rationis, & principia formalia productiua ſunt eiuſdem rationis, non tantùm ad inuicem, ſed etiam cum terminis formalibus; ſed in propoſito eadem eſſentia diuina eſt principium formale productiuum, tam reſpectu generationis filij, quàm ſpirationis Spiritus ſancti, & eſt eadem termino formali vtriuſque productionis; ergo generatio & ſpiratio ſunt eiuſdem rationis, Minor patet per auctoritatem Hilarij & Auguſtini, quo ad hanc partem, ſcilicet quòd eſſentia ſit terminus formalis. Nam Hilarius vult quòd ſicut Filius nihil habet, niſi natum, id eſt, niſi quod naſcendo accepit, & Spiritus ſanctus, nihil habet niſi quod procedendo accepit; ſed accepit eſſentiam, & patet quòd non accepit eam niſi vt terminus formalis productionis. Sicut dicimus quòd genitũ accepit naturã à generante, & patet quòd non accipit eam, niſi vt terminũ formalem.

A quo denominetur motus.

Eſſentia eſt terminus formalis.

42. Patet etiam per Auguſtinum 15. *de Trinit. ca.* 26. *Sicut Filio*, inquit, *præſtat eſſentiam de Patre generatio, ſiue communicat, ita Spiritui ſancto de vtroque proceſſio.* Sed eſſentiam ſic communicari per generationem, & ſpirationem, non intelligitur communicari, niſi vt terminus formalis. Sicut etiam natura creata per generationem communicatur ſuppoſito, non intelligitur communicari ſuppoſito, niſi vt terminus formalis generationis. Et ſic patet quomodo eſſentia eſt terminus formalis vtriuſque productionis. Et hoc prolixiùs oſtenſum eſt *in primo, diſt.* 5. *quæſt.* 2. Alia pars, ſcilicet quòd ſit principium formale productiuum, patet, quia nunquam terminus formalis poteſt aliquo modo eſſe prior, vel prioritate originis, vel prioritate perfectionis, illo principio formali producendi. Patet, quia terminus formalis per principium formale productiuum capit *eſſe* ſimpliciter, vel in ſe, ſicut eſt in creaturis, vel in alio tantum, ſicut eſſentia diuina capit *eſſe* non in ſe, ſed tantùm in perſona producta, pro quanto intelligitur ſibi communicari. Cùm ergo eſſentia diuina ſit ſimpliciter primum ens tam primitate perfectionis, quàm originis, vt patet *quæſtione prima articulo primo.* Et illa eſt ſimpliciter primus terminus formalis, ſequitur quòd erit principium formale productionis. Minor etiam probatur quantùm ad vtranque partem, per hoc, quia illud, & principium formale eſt terminus formalis, in quo producens aſſimilatur producto, & præcipuè quando eſt productio vniuoca, ſicut in propoſito generatio Filij in diuinis eſt ſimpliciter vniuoca, quia generans & genitum ſunt eiuſdem rationis: ſimiliter ſpiratio eſt vniuoca, quia ſpirans & ſpiratum ſunt eiuſdem rationis, & hoc ſatis patet *in primo, diſt.* 7. *&* 13. Cùm ergo prima aſſimilatio producentis ad productum in diuinis eſt eſſentia illa, vt eſſentia. (Et loquitur hîc de prima aſſimilatione fundamentali, ſupple quæ eſt ratio formalis fundamentalis, quã productum aſſimilatur producenti) ergo illa eſſentia eſt formalis terminus vtriuſque productionis, & formale principium producendi.

Eſſentia diuina eſt primum ens.

SCHO

SCHOLIVM.

Reiectis duabus solutionibus Henrici,& aliorum respondet ad primum, negando essentiam esse principium formale totale generationis,& spirationis, sed memoriam & voluntatem perfectam: de quo latè Doctor 1.d.2.q.7.n.13.& 18.& d.7.& 15. per totum.

24. AD primum † triplex [l] est via respondendi. Primò ad maiorem, quòd licèt essentia esset principium elicitiuum, tamen respectu alterius, & alterius productionis esset aliud principium, & aliud determinatiuum, puta alius & alius respectus; & tunc maior est falsa, quod vbi est principium elicitiuum eiusdem rationis, esset productio vnius rationis, nisi cum hoc esset principium determinatiuum eiusdem rationis, quod non est in proposito.

al. duplex.

Ad rationē 1. contra Concil. Hē. in sum. ar. 57. q. 7. & quodl. 3. q. 3.

Contra hoc [m] si principium elicitiuum non sufficit sine principio determinatiuo, hîc, & ibi: eadem quæstio est, per quid essentia, quæ est principium elicitiuum indeterminatum, determinatur ad hoc, vel ad illud determinatiuum. Si enim principium eiusdem rationis non potest esse per se principium respectu plurium alterius rationis, non poterit essentia, quæ est principium radicale elicitiuum, esse principium immediatum respectu plurium determinatiuorum principiorum alterius rationis: quia qua ratione aliquid eiusdem rationis est principium aliquorum plurium diuersæ rationis, eadem ratione & aliorum. Vel si illa præcedant alia, erit processus in infinitum. Vel si ille est impossibilis, determinatio per respectus, vt per principia determinatiua, non sufficit.

Essentia non determinatur ad generationem per respectus.

Præterea [n], Illi respectus sunt productiones, nunc † autem idem non determinat se ad se. Dicere enim essentiam determinari ad generationem actiuam per respectum, qui nihil aliud est, quàm generatio actiua, vt dicetur postea: est dicere quòd determinetur ad generationem per generationem, & ita quòd idem est principium determinatiuum sui.

al. igitur idem determinat.

25. Secundo modo diceretur [o], negando maiorem, quia etsi sola essentia sit principium productiuum, illæ tamen productiones possunt esse alterius rationis, quia aliqua pluralitas potest esse prima, & nulla potest esse actu infinita, nec etiam in potentia infinita in Diuinis. Nulla autem potest esse necessariò finita, nisi quæ est alterius rationis, vel præexigens aliquam alterius rationis: ergo stante primâ pluralitate, necesse est, quòd in Diuinis sit aliqua pluralitas prima omnino, & immediata vnitati, & ita potest poni, quòd ista pluralitas sit productionum, sicut quorumcunque. Falsa est ergo ista maior in Diuinis, quòd vbicunque est idem principium, & idem terminus, ibi est productio eiusdem rationis, vera est tamen in creaturis, vt loquitur Philosophus, quia ibi principium formale productiuum, vel est limitatum ad productionem vnius rationis, sicut ipsum est principium vnius rationis: vel si est principium æquiuocum, & ita productiuum plurium alterius rationis, terminus formalis vtriusque limitatus est, ita quòd non potest esse idem principium, & terminus plurium alterius rationis: neutrum potest esse in proposito: quia ibi principium est illimitatum, & etiam terminus formalis.

Alia responsio

Sed contrà arguitur, sicut argutum [p] est in prima quæstione, quia tunc prima persona producta non magis ex productione sua reali esset Verbum, quàm Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus magis esset Spiritus sanctus, quàm Verbum.

Item, suppositum habens idem principium formale perfectum aliquarum productionum, potest ita primò per illud principium in vnam illarum, sicut in aliam: & ita prima persona æquè primò posset producere Spiritum sanctum sicut & Filium, & ita Spiritus sanctus non necessariò est à Filio.

Tertio modo [q] conceditur minor, quòd essentia est principium formale, & terminus formalis vtriusque productionis, non tamen sic totale, quin aliquid includitur per se, & in principio formali, & in termino. In principio quidem formali, quod est memoria perfecta, & voluntas perfecta, includitur essentia, & in termino formali, quod est verbum perfectum, & Spiritus sanctus perfectus, includitur etiam essentia, & fortè respectu vtriusque, tam in principio, quàm in termino, essentia habet rationem principalis, & hoc respectu illius, quod concurrit cum eadem, scilicet intellectus vel notitiæ, voluntatis, vel amoris. Propter ergo identitatem essentiæ, idem est quo

Tertia responsio; & est propria, Essentia est principium formale & terminus productionum, sed partialis

quo producens producit, & terminus formalis. Propter autem distinctionem concurrentis cum essentia, vtpotè intellectus,& voluntatis in principio productiuo, sufficit principium hoc,& illud,ad productiones alterius rationis, & terminos quodammodò alterius rationis, & sic in principio habemus essentiam & intellectum; essentiam & voluntatem: In termino autem habemus essentiam, & notitiam; essentiam & amorem; & ratione eius quod idem est in principio formali communicatiuo, sit idem in termino formali communicatum; & ratione eius, quod distinctum est in principio, sit formalis ratio productionis distincta,& illud quod concurrit in termino, sit formaliter distinctum.

Vide 1.d. 3.q.1. Si quæras istorum duorum concurrentium in principio formali, nonne alterum est principium formale,& reliquum concomitans? ergo ab illo altero formali,vel dicetur principium formaliter idem,vel omnino alterum. 26.

Respondeo, duo quæ concurrunt in principio,scilicet in memoria perfecta, essentia & intellectus; & in voluntate perfecta, voluntas, & obiectum diligibile præsens,non se habent per accidens, nec sicut remotum principium & propinquum:sed totum hoc *intellectus infinitus habens obiectum infinitum intelligibile sibi præsens*, est per se vnum principium, ita quòd alterum sine altero non est principium producendi, & ideò est vnicum principium simpliciter productiuum, non distinctum in duo principia productiua:consimiliter de voluntate & obiecto respectu spirationis, & consimiliter de terminis respectu productionum.

Si quæras, quare non potest essentia sola, vt distinguitur contra voluntatem & intellectum,esse principium communicandi se?

Respondeo, essentia merè intellectualis non est principium alicuius productionis, nisi vt coincidit cum memoria,& voluntate.

COMMENTARIVS.

43. *Opin. Henr.* l RESpondet Doctor primò recitando duas opiniones, quas etiam improbat *quæst.*4. Prima est Henrici *in sum. art.* 39. *quæst.* 3. qui vult quòd licèt essentia sit principium elicitiuum vtriusque productionis, non tamen est sic immediatum principium, nisi per aliud & aliud determinatiuum. Vult ergo quòd essentia, non vt absolutè sumpta, sed vt determinatur per generationem actiuam,sit principium elicitiuum productionis Filij, & vt determinatur per spirationem actiuam sit principium spirationis Spiritus sancti.

m Contra hoc instat Doctor, quia si essentia non est ex se determinata respectu vtriusque productionis, sed determinatur per generationem & spirationem,tunc quæro, aut est ex se determinata ad illos duos respectus, qui ponuntur alterius rationis, scilicet ad generationem, & spirationem, aut non est ex se determinata? Si primo modo, ita videtur concedendum quòd sit ex se determinata ad illas duas productiones, cùm non sit maior ratio de vno, quàm de alio. Si secundo modo ergo determinabitur ad illos duos respectus alterius rationis, per alios duos alterius rationis, & tunc quæro vt priùs, aut est ex se determinata ad illos duos, aut non? Si sic, ergo est ex se determinata ad illos duos, per quos determinatur ad productiones Filij, & Spiritus sancti, cùm non sit maior ratio de vno,quàm de alio. Aut non est ex se determinata,sed determinatur adhuc per alios duos,tunc erit processus in infinitum. Et si talis processus sit impossibilis, statim sequitur quòd determinata per illos respectus, vt per principia determinatiua non sufficit, quia non oportet ponere quòd ex se sit determinata ad vtranque productionem, cùm non sit maior ratio, quòd sit determinata ad illas productiones quàm sit determinata ad illos respectus determinatiuos essentiæ ad illas productiones, vel oportebit ponere processum in infinitum.

n Secundò instat contra hanc opinionem, quia tunc sequeretur quòd idem esset determinatiuum sui, patet, quia per Henricum, essentia diuina determinatur ad generationem Filij per paternitatem, vel per generatiuitatem, quæ tamen in re nihil aliud est, nisi generatio actiua,vt infrà patebit *quæst.*4.& in primo satis patuit *dist.* 28.*quæst.*3.*fine vlt.*ergo essentia diuina determinatur ad generationem actiuam per generationem,& sic idem est determinatiuum sui. 44. *Contra Henricum.*

o Secunda opinio est Adam *lib.*1.*dist.*6.*q.*1. *art.*1. qui dicit quòd sola essentia est principium formale productiuum vtriusque productionis, cùm sit simpliciter illimitata, & illæ productiones erunt alterius rationis, quia aliqua pluralitas est simpliciter prima, & illa necessariò erit alterius rationis. Falsa est ergo illa propositio, quòd vbicunque est idem principium, & idem terminus,quòd ibi sit eadem productio, quia hoc non est verum de principio omnino illimitato, quale est essentia diuina,sed tantùm est verum de principio limitato. *Opinio fratris Adam.*

p Contra hanc opinionem instat Doctor, quia si essentia diuina est immediatum principium tam Filij,quàm Spiritus sancti, tunc Spiritus sanctus ex vi productionis suæ non dicitur magis Spiritus sanctus quàm Verbum, nec Verbum magis Verbum, quàm Spiritus sanctus. Cùm tamen Verbum non dicatur Verbum, nisi quia natum,& Spiritus sanctus, nisi quia datus, & sic Verbum dicitur Verbum de memoria natum per modum naturæ,& Spiritus sanctus dicitur datus,quia liberè productus per modum voluntatis.

luntatis. Secundò instat, quia sequeretur quòd non magis primò Verbum esset productum quàm Spiritus sanctus. Patet, quia suppositum habens idem principium formale perfectum aliquarum productionum, potest ita primò per illud principium in vnam illarum sicut in aliam. Et ita prima persona æquè primò posset producere Spiritum sanctum sicut & Filium, & ita Spiritus sanctus non necessariò esset à Filio. Et illæ duæ productiones cum suis improbationibus clarè patent in primo, dist. 13.

45. *Opi. Adam. Fratris Soddam. Quomodo essentia diuina sit totale principium productiuum Filij.* q *Tertio modo conceditur minor.* Hìc Doctor ponit responsionem propriam, quæ est satis clara: maior enim rationis est vera, loquendo de principio formali totali, & de termino formali totali. Sed in proposito essentia diuina non est totale principium productiuum nec Filij, nec Spiritus sancti, sed respectu Filij est essentia diuina, vt perfectè præsens intellectui diuino, sic quòd vtrunque est principium formale productiuum partiale, licèt essentia diuina sit magis principale, ex quibus integratur vnum principium formale totale, quod dicitur memoria fœcunda. Et similiter respectus Spiritus sancti essentia diuina, vt perfectè præsens voluntati per actum cognoscendi, est principium partiale respectu Spiritus sancti, & principale, & voluntas diuina aliud partiale, & integrant vnum principium totale, sic quòd intellectus & voluntas non concurrunt, vt principia tantùm determinatiua, sed vt principia verè partialiter productiua. Et hoc magis prolixe patet *in primo, dist. 2. parte 2. quæst. 3. & dist. 7. & 13. & in secundo, dist. 1. quæst. 1.* vide ibi. Similiter terminus formalis productionis, loquendo de termino totali, non est sola essentia diuina: sed terminus totalis generationis Filij est persona Filij constituta ex essentia & proprietate. Aduerte tamen, quòd loquendo de termino formali totali, nullæ productiones possent dici eiusdem rationis ad inuicem, vt præcisè denominantur à termino totali, & patet, quia generatio Socratis & generatio Ioannis, vt denominantur à Ioanne & Socrate productis, non dicerentur præcisè eiusdem rationis, quia Socrates & Ioannes, etsi ratione naturæ humanæ sint eiusdem rationis, ratione tamen proprietatis indiuidualis, quæ proprietates sunt primò diuersæ, vt patet à Doctore *in primo, dist. 3. & 25.* non essent eiusdem rationis: tamen communiter productio denominatur non à termino totali, sed à termino formali partiali, & principali, qualis est natura communicata sine forma. Et sic in proposito generatio, & spiratio in diuinis, vt denominantur à termino formali principali, qui est essentia diuina sunt eiusdem rationis; vt verò denominantur à proprietatibus constitutiuis sunt simpliciter alterius rationis, tamen ab illis non habent quòd sint alterius rationis, nisi præcisè ex quadam denominatione extrinseca, sed originatiuè habent ab intellectu & voluntate, quòd sint alterius rationis tanquam à principiis formalibus originatiuis alterius & alterius rationis, partialibus tamen, & nunquam principalibus.

Secundò instat *n. 25.* contra eandem conclusionem, probando quòd possint esse plures generationes, & arguit sic: *Habens principium formale producendi perfectum,* &c. 46. *An sint plures generationes.*

SCHOLIVM.

Ad secundum positum num. 23. ideò Filius non potest gignere, quia memoria in Patre est principium producendi productione adæquata, ita vt per dictionem excedi nequeat, & ratio est, quia quicquid est in Diuinis, est ita de se hoc, vt si per impossibile non esset, nec aliud eiusdem rationis esse posset propter rationes allatas art. 2. vide Doctorem de hoc 1. dist. 3. q. 7. §. Dicet tunc ad quæst. explicat modum loquendi de habere potentiam generandi, & quo sensu Filius eam habeat: de quo 1. d. 7.

27. AD secundum [r] & primò ad rem, secundò ad formam argumenti. Ad rem potest dupliciter responderi: forma, quæ est in aliquo supposito principium producendi productione adæquata illi formæ, non potest esse alicui alteri principium producendi: nunc autem memoria est Patri principium producendi productione adæquata illi principio, ergo: & si sit in Filio, non potest esse Filio principium producendi. Maior probatur exemplo sic. Si calor esset igni principium calefaciendi lignum calefactione adæquata illi calori, & ille idem calor communicaretur ligno: non posset esse ligno principium calefaciendi. Probo, quia nec calefaciendi se, quia tunc calor esset principium calefaciendi siue producendi calorem in eodem supposito: nec alterum, quia calefactio ista ponitur adæquata illi calori. Et procedit ista probatio de adæquatione omnimoda, vbi impossibile est actionem excedere principium formale agendi, & secundùm istum intellectum, patet minor: quia memoria sic in Patre habet dictionem in Patre adæquatam, quod impossibile est principium dictiuum excedere hanc dictionem, sicut impossibile est in Diuinis dictionem esse nisi hanc, quia de se est hæc. Patet ex solutione quæstionis: quia quicquid in Diuinis non præexigit pluralitatem alterius rationis, illud de se est hoc: dictio in Diuinis non necessariò præexigit pluralitatem alterius rationis: ergo de se est hæc, & per consequens principium eius habet hanc dictionem omnino adæquatam sibi, non potest ergo esse principium in Filio.

Ad eandem † rationem probandā accipienda est ista propositio, & redit in eandem sententiam cum alia, suppositum accipiens formam per productionem adæquatam illi *al. responsionem vel realitatem.*

illi formæ,non poteſt per illam formam producere ; filius recipit memoriam per productionem adæquatam illi memoriæ:ergo, &c. Minor declaratur ſicut in ratione iam facta. Probatio maioris:quia ſi ſecundùm illam produceret : aut ergo ſe,aut alterum; non ſe,quia hoc eſt impoſſibile,ſecundùm Auguſt. *1.de Trin.cap.1.* nec alterum, quia illa productio illius ponitur adæquata principio productiuo:ſic ergo non oportet quærere determinatiuum concurrens cum principio elicitiuo, vt ſit vna dictio : nec etiam aliquam negationem poteſt habere,ſic vt tale principium formale. Sed eſto quòd eſſentia vel quodcunque poſitiuum merè acceptum,ſit in Patre formalis ratio dicendi, vel generandi:tamen non poteſt eſſe in Filio ratio dicendi,vel generandi:quia ipſum vt in Patre,eſt principium productionis adæquatè, quantùm ad primam rationem, & per illam Filio communicatur quantùm ad ſecundam rationem.

Accipiens forma productione formæ adæquata,non eſt productiuus per eam.

Quantùm ad ſecundum [t], videlicet ad formam argumenti, poteſt fieri aliqua difficultas in maiori & minori : quia haberi poteſt aliquid dici multipliciter ex poſtprædicamentis:licèt propriè non dicatur aliquid formam habere in abſtracto,niſi habeat eam ſicut forma ſic ſignificata, nata eſt haberi , hoc eſt tanquam formam. Non enim propriè diceretur habere albedinem,qui haberet eam clauſam in burſa , quia non eſt ille modus perfectus:quia albedo nata eſt haberi vt forma informans. 28.

Vlteriùs [t], nomen abſtractum ſignificans principium agendi conſtructum cum Gerundiuo ſignificante aliquam actionem,natum eſt haberi à ſuppoſito, vt ſit illi principium agendi illa actione;verbi gratiâ, habeo potentiam videndi:iſta potentia non ſolùm nata eſt haberi à me vt forma, ſed etiam vt principium mihi operandi ſecundùm illam formam : & hoc notat illa conſtructio Gerundiui cum abſtracto tali. Similiter iſta Grammatica patet ex vſu loquendi. Etſi enim vera ſit hæc : *Filius Dei ſcit generationem Patris* ; non tamen iſta : *Filius habet ſcientiam generandi.* Conſimiliter,nec iſta: *iſte habet voluntatem generandi* : nec eſt aliqua ratio niſi ex conſtructione Grammaticali,quia non ſolùm notatur abſtractum haberi ab illo vt forma,ſed vt principium talis operationis procedentis ab iſto ſuppoſito:conſimiliter hic : *Michael ſcit Deum creaſſe mundum & creationem mundi:*non tamen ſcit creare mundum.Quando ergo accipitur in maiori,illud quod habet principium dicendi perfectum, poteſt per illud dicere:loquendo de *habere* propriè, ſicut dicitur abſtractum haberi , quando habetur vt forma ſuppoſiti,& etiam de conſtructione propria nomine ſignificantis principium actus cū Gerundiuo ſignificante actionem, quæ conſtructio notat illam formam huic ſuppoſito eſſe principium agendi:concedo maiorem, quia in ſubiecto includuntur illa , quæ requiruntur ad hoc,quòd prædicatum inſit. Quando enim in hoc forma habetur , vt forma huic,& vt huic principium agendi, poteſt per hoc eſſe principium agendi:ſed ſic minor eſt falſa:quia etſi Filius habet memoriam perfectam,aliquo modo habendi: non tamen vt formam : & ſi habet vt formam,non tamen vt principium agendi, propter rationem dictam in reſponſione reali.

Filius ſcit generationē Patris,at non habet ſcientiam generandi. Filius non habet memoriā perfectam,vt principium operandi, & quare? vide 1.d.7.

Ad probationem [t] minoris,illa propoſitio : *memoria perfecta eſt principium perfectum dicendi* , poſſet dici , quòd eſt propoſitio truncata : & oporteret eam ſupplere per aliquod datiuum additum ſignificans cui ſit principium dicendi. 29.

Vel quia eſt indifferens,poteſt concedi,quòd abſolutè eſt principium dicendi:nec plus ponit † minor de memoria, quòd Filius habet memoriam perfectam , eſt manifeſtum. Concludendo ergo,Filius habet principium perfectum dicendi, quæ fuit minor primi ſyllogiſmi,ſit fallacia Amphibologiæ,vel figuræ dictionis,vel conſequentis: Amphibologiæ,quia in maiore conſtructio non determinat actum illum ſignificatum per gerundiuum procedere ab aliquo ſuppoſito determinato:quia nullū ſuppoſitum certum ponebatur ibi in ſubiecto orationis, ſed tantùm deſignabatur, quòd procederet ab aliquo principio formali:quia illud ponebatur in propoſitione pro ſubiecto : In concluſione autem ponitur,& ſuppoſitum determinatum,& forma:& ideò ex vi conſtructionis notatur in concluſione,quòd actus non tantùm comparatur ad principium formale,ſed etiam ad ſuppoſitum,vt egrediens ab aliquo. Figuræ dictionis : quia per ſimilitudinem dictionis actus ſignificati in Gerundiuo in præmiſſa, & in concluſione, commutatur habitudo actus ad formale principium,in habitudinem actus ad ſuppoſitum agens : & ſic commutatur quale quid in hoc aliquid. Fallacia eſt etiam Conſequentis:quia in maiori habetur actus ſignificatus in Gerundiuo in vniuerſali ad nullum ſuppoſitum comparatus : In concluſione autem determinatur ad certum ſuppoſitum,& non ſequitur,actus eſt per hoc principium:ergo eſt huiuſmodi ſuppoſiti.

al.*maior.*

Triplex fallacia in hac conſequētia:memoria perfecta eſt principium perfectum dicēdi,ergo habens eam Filius poteſt dicere.

COM

COMMENTARIVS.

46. *Memoria habet tantũ vnam productionem.* Respondet, & primò ad rem, secundò ad formam. Ad rem responsio stat in hoc, quòd memoria in diuinis habet tantùm vnam productionem sibi perfectè adæquatam, sic adæquatam, quòd est simpliciter impossibile habere aliam, imò sic habet illam determinatè, quòd si illam non haberet, esset simpliciter impossibile posse habere aliam, & illa productio sic est ibi necessaria, quòd si illa præcisè non esset, nec alia posset esse. Et ratio est, quia quicquid est in diuinis est ita necessariò, quòd est impossibile illud idem non esse, & si per impossibile illud non esset, aliud eiusdē rationis non posset esse, vt patet discurrendo in omnibus. Nam natura diuina sic necessariò est de se *hæc*, quòd si illa præcisè non esset, nec alia eiusdem rationis posset esse. Patet, quia si alia posset esse, ergo illa non fuit de se, & ex sua ratione formali *hæc*. Patet, quia si alia posset esse, ergo natura diuina esset determinabilis per illam aliam; ergo non esset de se *hæc*, imò si alia posset esse, ergo & infinitæ, vt suprà patuit *articulo secundo, & in primo, distinctio. 2. parte* 2. Et sicut dixi de natura diuina, hoc idem patet de omni alio in Deo, quia quicquid est ibi ex sua entitate formali est simpliciter in vltima actualitate, ita quòd non est determinabile ad vlteriorem actualitatem, nec per consequens ad aliquam hæcceitatem, & hoc in re, (quicquid sit de conceptu,) & per consequens de se *hoc*, & si illud non esset, aliud non posset esse. Et dico vltrà, quòd quamuis similitudo, quæ est in Filio sit eiusdem rationis cum illa, quæ est in Patre (non tamen sic intelligendo, quòd in Deo sit similitudo habens maiorem vnitatem vnitate numerali præter omne opus intellectus, quia est simpliciter impossibile; sed dicitur eiusdem rationis pro quanto ab illa quæ est in Patre, & ab illa quæ est in Filio potest abstrahi vnus conceptus dictus in *quid* de illis) tamen illa quæ est in Filio sic de se, & ex natura rei est *hæc*, quòd si illa non esset, nec alia posset in Filio, idem dico de illa quæ est in Patre. Et hæc est ratio immediatissima quare in diuinis non possunt esse plures productiones eiusdem rationis. *Ratio quare in diuinis nō sunt plures productiones.* Tunc vltrà, talis memoria erit tantum principium formale producendi vnam tantùm productionem, & habita illa est impossibile, quòd sit ratio formalis respectu alterius productionis. Cùm ergo illa memoria vt in Filio præintelligatur habere illam vnicam productionem est impossibile, quòd ipsi Filio sit principium formale producendi, quia si esset principium formale producendi ipsi Filio, aut ergo erit ratio producendi eundem Filium, aut alium: Non primo, quia tunc Filius gigneret seipsum, quod mens non capit. Non secundò, quia tunc esset principium duarum productionum, quod est impossibile, vt suprà expositum est.

47. *Haberi potest multipliciter accipi.* *Ad formam argumenti vbi est tantùm difficultas* Grammaticalis, & non realis. Et est aliqualis difficultas de hoc, quod est *habere*, vel *haberi*, quia *haberi* potest multipliciter accipi, vt patet in Prædicamentis; propriè tamen non dicitur aliquid formam habere, nisi habeat eam sicut formam, hoc est, per modum formæ informantis, quia aliter non est nata haberi ab aliquo, vt patet. Et vlteriùs nomen abstractum significans principium agendi constructum cum Gerundiuo significante aliquam actionem natum est haberi à supposito vt illi principium agendi tali actione. Exemplum habeo potentiam videndi, *potentia* est quid abstractum, quia abstrahitur à *potente*, quia potens est potens potentia. Et hoc verbum *videndi* est gerundiuum significans actionem, & construitur cum *potentia*. Si ergo habeo potentiam videndi, non tantùm habeo illam vt formam (sicut cùm dico *habeo albedinem*, si enim haberem potentiam, vt præcisè formam informantem, tunc haberem eam absolutè, & non constructam cum aliquo Gerundiuo) sed habeo illam vt principium operatiuum secundùm illam formam. similiter ista Grammatica, patet ex vsu loquendi. Quamuis enim hæc sit vera, Filius Dei scit generationem Patris, quia verè cognoscit illam, tamen hæc est falsa, Filius Dei habet scientiam generandi, quia tunc Filius haberet eam vt principium operandi tali actione, quod est falsum, vt suprà patuit, & sic in multis aliis potest exemplificari. *Quomodo istæ propositiones sint veræ & falsæ.* Sic dico in proposito, quòd habens principium formale producendi, &c. est illi habenti principium formale producendi, productione conuenienti tali principio. Et tunc negatur ista, scilicet, Filius habet principium formale generandi, quia tunc sequeretur, quòd illo posset generare, & cùm probatur, quia Filius habet memoriam, quæ est principium formale dicendi:

48. *Filius habet memoriam fœcundam, sed non vt fœcũda est, & generatiua.* Dicit Doctor quòd hæc propositio, *memoria est principium dicendi perfectum*, est propositio truncata, & oportet eam supplere per aliquod datiuum additum, significans cui sit principium dicendi, quia si quæratur cui memoria est principium dicendi, ex quo enim ipsa est principium tantùm *quo*, & non *quod*, oportet supplere suppositum *cui*, scilicet sit principium, non enim cuicunque supposito est principium dicendi; patet, quia non supposito, puta lapidis.

Si etiam accipiatur absolutè, non addendo *cui*, sed vt est indifferens ad supposita, potest concedi quòd memoria est principium dicendi absolutè, sicut etiam conceditur quòd calor absolutè est potentia calefaciendi; nec plus ponit illa minor, & quòd Filius habeat memoriam perfectam patet, quia eandem essentiam, & eundem intellectum quem Pater habet. Sed vltrà concludendo, Filius habet memoriam, vt principium dicendi, fit fallacia Amphibologiæ, quia ex vi constructionis notatur in conclusione quòd actus dicendi non tantùm comparatur ad principium formale, scilicet ad memoriam perfectam absolutè sumptam, sed etiam ad suppositum, vt egrediens ab illo, quod tamen non notatur, cùm dicitur, *filius habet memoriam perfectam*.

Est etiam fallacia figuræ dictionis, quia per similitudinem dictionis actus significati in Gerundiuo in præmissa, & conclusione, concomitatur habitudo actus ad formale principium in habitudinem actus ad suppositum agens, & sic commutatur *quale quid* in *hoc aliquid*, quia in prima accipitur *principium* absolutè in supposito, in secunda accipitur *principium* vt est ratio agendi supposito.

Fit etiam fallacia Consequentis, quia in maiori habetur actus signatus in Gerundiuo in vniuersali ad nullum suppositum comparatus, vt cùm dicitur, memoria est principium perfectum dicendi, & in conclusione determinatur ad certum suppositum, vt cùm dicitur, ergo Filius habet memoriam vt est principium formale dicendi.

SCHOLIVM.

Soluendo tertiam rationem positam art. 3. explicat benè quomodo prima distinctio finita aliquorum est alterius rationis, & quomodo minor distinctio extensiuè, id est, minor pluralitas est immediatior primæ vnitati, quia est dualitas productionum; si verò sumatur intensiuè, sunt aut per se, id est, quantùm ad rationes formales distinctorum: & ibi est maior distinctio, vbi est maior incompossibilitas per se aut per accidens, & sic est maior distinctio, vbi distincta minùs coincidunt in vnum, vel accidunt vni. Primo modo Petrus, & Paulus minùs intensiuè distinguuntur, quàm Petrus, & albedo. Secundo modo ècontrà. Ad propositum minor distinctio secundùm per se rationem formalem, non est immediatior essentiæ, quam maior, quæ est inter aliqua diuersæ rationis, quia non est possibile dari distincta realiter eiusdem rationis, in quibus esset minor distinctio. Verum est, quòd minor distinctio rationis immediatior est essentiæ, sed de hac non agitur, quia ab ea non procedit multitudo productionum: de qua est quæstio. Responsio ad quartum ibi positum est clara. Circa argumentum principale, quod non soluit, vide eum 1. d. 10 vbi docet Spiritum sanctum non procedere per modum naturæ, & d. 13. vbi docet eum non esse genitum, sed Filium sic.

AD tertium [u] dicitur, quòd illa propositio est vera, quòd prima pluralitas necessariò finita est alterius rationis: quia quælibet necessariò finita, si non est alterius rationis, necessariò præexigit aliquam alterius rationis, per quam necessariò determinetur, vt patet in secundo articulo. Prima autem pluralitas in Diuinis est prima, & necessariò finita: quòd prima, patet quòd etiam necessariò finita, patet: quia nulla est ibi possibilitas nisi ad illud, quod est in actu: sequitur ergo conclusio, quòd prima pluralitas in Diuinis necessariò est alterius rationis: & per consequens illa est proxima vnitati. Quando ergo accipit † maiorem, quòd vnitati immediatior est minor pluralitas, quàm maior: 30.

al. *maior.*

Pluralitas minor intensiuè & extensiuè, exponitur.

Respondeo, potest intelligi maior, vel minor, intensiuè vel extensiuè: intelligendo sic intensiuè, quantum ad minorem rationem distinctionis, sicut minùs distinguitur medium ab extremo, quàm contrarium à contrario: minùs extensiuè, siue minor distinctio, siue minor pluralitas, est, quæ est maior paucitas, sicut ternarius est minor pluralitas quaternario: hoc modo maior est vera: quia vnitati immediatior est binarius quàm quaternarius, vel ternarius, & tamen binarius non est minor pluralitas intensiuè, quàm ternarius: quia intensiuè tanta distinctione distinguuntur duæ vnitates in binario, quanta tres in ternario. Extensiuè verum est, quia ab vnitate procedunt pluralitates siue distinctiones ordinatè, ita quòd semper minor numerus extensiuè siue numeraliter est propinquior vnitati, quæ est principium. Et sic concedo quòd ista distinctio, esto quòd esset alterius rationis, est tamen maximæ paucitatis; quia non sunt nisi duæ productiones, & non est pluralitas minor dualitate.

Quaternarius non plus differt intensiuè à binario, quam ternarius.

Si tamen loquamur de maiori, vel minori distinctione, vel pluralitate intensiuè adhuc potest intelligi dupliciter: quia aut intelligitur per se, quantùm ad formalem rationem distinctionis extremorum: aut per accidens, quantùm, scilicet ad maiorem & minorem entitatem, & incompossibilitatem eorum, quæ distinguuntur. Exemplum Socrates, & Plato magis distinguuntur, quantùm ad realitatem, & incompossibilitatem extremorum quàm istæ duæ intentiones, *genus* & *species*: quia istæ duæ possunt concurrere in eodem, vt in colore: & minor est entitas istorum extremorum, *genus* & *species*, quàm istorum, Socraris & Platonis. Si autem intelligitur maior de minore distinctione materialiter forte posset alicubi habere veritatem: quia alicui vni primo immediatior est distinctio rationis, quàm rei, & minor est distinctio rationis, quantùm ad entitatem extremorum, & incompossibilitatem distinctorum, quàm distinctio realis: sed in proposito, non oportet de ista maioritate seu minoritate curare: quia non ponitur aliqua distinctio rationis immediata vni, à quo procedit omnis multitudo, scilicet ipsi essentiæ. 31.

Secundo autem modo de ista maioritate intensiuè & per se, quantùm ad formalem rationem distinctionis. Maior est simpliciter falsa: quia oportet quòd vni primo à

mo à quo procedit aliqua distinctio, siue sit rei, siue rationis, immediatissima sit aliqua distinctio alterius rationis, quia aliqua finita, & quia illa, quæ est alterius rationis, est primo finita, vt argutum est. Et hoc patet, quia secundùm communem opinionem, vbi vnitatem realem sequitur immediatè distinctio rationis; ibi ista ratione distincta, habent distinctionem alterius rationis, non eiusdem: & illa est maior, secundum formalem rationem distinctionis, licet sit minor duplici modo, & maioris paucitatis, & minoris realitatis, & incompossibilitatis in extremis.

Per hoc patet illud de pluralitate, quæ est immediatè à Deo, quia in creaturis, vbi naturæ specificè sunt plurificatæ in suppositis, nulla est necessariò determinata, quia à sola voluntate agentis sunt tot, vel tot, ita quòd non repugnant naturæ esse in pluribus: si ergo talia plura eiusdem rationis sunt immediatè à Deo, sunt tamen finita in actu, quia voluntas diuina imponit eis finitatem: sed non sunt necessariò finita, quia nihil est intrinsecum creaturis, cui contradictoriè repugnat maior vel minor pluralitas, quæcunque enim pluralitas est possibilis in Diuinis, ipsa est omnino finita. *Creaturarum nulla determinata pluralitas.*

COMMENTARIVS.

49. *num. 13.* TErtiò instat * contra illam propositionē, scilicet, quòd *prima distinctio finita est aliquorum alterius rationis.* Et instat dupliciter, primò, quia vnitati est immediatior distinctio minor quàm maior: patet, quia ex quo vnum est omnino indistinctum, sequitur quòd quantò aliqua sunt magis propinqua vnitati, tantò magis sunt indistincta: sicut etiam quo ad entitatem, quantò magis aliquid appropinquat perfectissimo enti, tantò est perfectius, quia magis participat illud; sic quantò aliquid magis appropinquat primæ vnitati, tantò magis erit vnum, & quantò magis vnum, tantò magis indistinctum, & per consequens minus distinctum. Cùm ergo distinctio eiusdem rationis sit minor quàm distinctio alterius rationis, sequitur quòd illa erit magis propinqua primæ vnitati. Et si ponatur quòd generatio, & spiratio sint simpliciter primò distincta, sequitur quòd tantùm erunt distincta, vt eiusdem rationis.

Secundò, quia à Deo possunt esse immediatè plura creata in eadem specie, ergo possibile est quòd pluralitas eiusdem rationis omnino prima, & immediata vnitati; ergo sicut in causa prima potest esse pluralitas causatorum immediata eiusdem rationis, ita in principio, vt in Patre possunt esse principiata accipiendo *principiata* pro ipsis productionibus passiuis, vt simpliciter eiusdem rationis.

50. *Nota.* u Ad tertium istorum, respondet Doctor & primò ad rem, & deinde ad formam argumenti. Quo ad rem dicit, quòd prima pluralitas necessariò finita est alterius rationis. Et dicit *necessariò finita*, quia pluralitas, quæ est contingens, & contingenter finita potest esse eiusdem rationis, quia duo eiusdem speciei potuissent immediatè causari à Deo ad extrà, nam quælibet necessariò finita, si non est alterius rationis, necessariò præexigit aliquam alterius rationis, per quam necessariò determinetur, vt patuit in secundo art. Cùm ergo prima pluralitas in diuinis sit prima, & necessariò finita. Quòd prima patet, quia ante productionem personarum nulla est ibi pluralitas, accipiendo *pluralitatem* pro pluralitate reali distinctorum ab inuicem, licèt enim sit ibi pluralitas prior aliquorum formaliter distinctorum, vt patet de attributis, quæ formaliter distinguuntur ab inuicem, vt patet à Doctore *in primo, dist. 8. quæst. pe.* & illa pluralitas est prior productionibus diuinis, tamen illa non potest dici propriè pluralitas. Prima ergo pluralitas in diuinis est ipsarum productionum, quæ est alterius rationis. Aduerte etiam, quòd generatio passiua, & spiratio passiua sunt simpliciter alterius rationis imò primò diuersa, scilicet in realitate, licèt non in conceptu vt tenet *in primo, di. 7. 13. & 26.* tamen Filius & Spiritus sanctus non sunt alterius rationis ad inuicem, imò simpliciter eiusdem rationis vt tenet *in primo, dist. 13.* quia includunt naturam diuinam, per quam dicuntur esse eiusdem rationis. Et quòd talis pluralitas sit necessariò finita, patet, quia in diuinis nulla est possibilis, nisi ad illud, quod est in actu, id est, quòd omne possibile in diuinis est necessariò in summa actualitate. Si ergo aliqua pluralitas maior finita potest esse in diuinis, illa necessariò esset in actu. Et quia constat talem pluralitatem ibi non esse, sed tantùm pluralitas finita, statim sequitur quòd illa finita erit necessariò. *Plularitas an sit in diuinis.* *Quæ sit prima pluralitas in diuinis.*

Nunc quo ad formam argumenti, dicit Doctor quòd maior pluralitas, vel minor, siue maior distinctio, vel minor, potest dupliciter intelligi, scilicet extensiuè, & intensiuè. Primo modo, scilicet extensiuè minor pluralitas, siue minor distinctio præcisè accipitur pro maiori paucitate numerali, & maior pluralitas, siue maior distinctio præcisè accipitur pro minori paucitate numerali, sicut dicimus, quòd quatuor est minor paucitas, quàm duo. Loquendo ergo de distinctione maiori, vel minori extensiuè, patet quòd distinctio productionum in diuinis est simpliciter minor, quia simpliciter minor pluralitas, & primo modo maxima paucitas, quia maxima paucitas est tantùm dualitas, & illæ productiones sunt præcisè duæ, & sic conceditur quòd primæ vnitati est propinquior minor distinctio extensiuè quàm maior, sed illa minor distinctio extensiuè est necessariò finita, igitur illa erit necessariò alterius rationis, vt suprà patuit. Secundo modo, scilicet intensiuè, loquendo de maiori, vel minori distinctione, adhuc potest dupliciter intelligi, scilicet, quòd sit maior, vel minor distinctio aliquorum, quantùm ad per se formalem rationem distinctionis extremorum, & sic illa dicuntur magis distingui secundùm per se rationem formalem distinctionis extremorum, quæ minùs conueniunt in tertio, quàm illa, quæ magis conueniunt, & sic albedo, & Socrates magis intensiuè per se distinguuntur quā Soc. & Brunellus, patet, quia Soc. & albedo nō conueniūt 51. *Quæ sit minor paucitas.*

quiditatiuè in aliquo genere, cùm sint in diuersis Prædicamentis, sed Socrates & Brunellus conueniunt in genere animalis. Aliqua verò dicuntur magis distingui tantùm materialiter, siue per accidens, & hoc dupliciter: scilicet, quia sunt magis incompossibilia ad inuicem, & sic Socrates & Plato magis distinguuntur, quia sunt incompossibiles in eodem, quàm Socrates & albedo: patet, quia Socrates potest esse albus: vel quantùm ad maiorem entitatem extremorum, puta, quia extrema distincta sunt magis perfecta, & sic Socrates & Plato magis distinguuntur quàm duo asini ad inuicem. Aduerte ergo, quòd aliqua, quæ magis distinguuntur per se, magis sunt incompossibilia videlicet Socrates & albedo, & aliqua quæ magis distinguuntur per se sunt magis incompossibilia, vt patet de Socrate & Platone. His præmissis dicit Doctor quòd si illa maior, scilicet vnitati est immediatior minor distinctio, intelligatur de minori distinctione per accidens, siue materialiter, pro quanto illa distincta sunt magis incompossibilia, & magis ens, quòd illa propositio potest alicubi habere veritatem, quia alicui vni primo immediatior est distinctio rationis, quàm rei, & minor est distinctio rationis quantùm ad entitatem extremorum, & incompossibilitatem distinctorum, quàm distinctio realis, nam in eodem colore sunt illæ duæ intentiones secundæ, scilicet Genus, & Species, quia color respectu superioris est species, respectu inferioris est genus, quæ tamen intentiones sunt minus ens, & minùs incompossibiles, quàm sint Socrates & Plato ad inuicem.

Aliqua distingui materialiter potest esse dupliciter.

Sed in proposito non oportet de illa distinctione maiori, vel minori curare, quia in diuinis non ponitur aliqua distinctio rationis immediata primo enti, à quo procedit omnis multitudo. Sed loquendo de maiori, vel minori distinctione intensiuè, & hoc quantùm ad per se formalem rationem distinctionis, illa maior est simpliciter falsa, scilicet quòd vnitati sit immediatior distinctio minor, quam maior, quia nulli dubium quòd distinctio eiusdem rationis quantùm ad per se formalem rationē distinctionis, est minor, quàm distinctio alterius rationis, quia distincta alterius rationis per se minùs conueniunt quàm illa quæ sunt eiusdem rationis, nam oportet quòd vni primo, puta essentiæ diuinæ, à qua procedit aliqua distinctio, siue illa sit rei, siue rationis immediatissima sit aliqua distinctio alterius rationis, quia aliqua necessariò finita, & quia illa, quæ est alterius rationis in diuinis est necessariò primò finita, vt suprà patuit, ideò primæ vnitati immediatior est distinctio maior, quàm minor, loquendo de maiori, vel minori intensiuè, & quantùm ad per se formalem rationem distinctionis. 52.

Ad aliud patet responsio, quia causata à voluntate diuina, ex quo sunt contingenter causata, nō immediatiùs causantur plura eiusdē rationis, quam alterius. Et sic patet responsio ad rationem.

QVÆSTIO III.

Vtrùm ista duo possint simul stare, quod relatio, vt comparata ad oppositum sit res, & vt comparata ad essentiam sit ratio tantùm.

D. Thom. *1. p. q. 36. art. 2.* Ægid. *quodl. 1. q. 6.* Henr. *sum. art. 60. q. 1. & quodl. 5. q. 1.*



Iso de productionibus, sequuntur quæstiones de relationibus; & primò de relationibus originis. Secundò de relationibus communibus. De relationibus originis primò, quæritur, in comparatione ad essentiam: Secundò in comparatione ad personam: Tertiò quantùm ad perfectionem, siue quantitatem propriam. 1.

Arg. principale non soluit, quia satis patet ex dictis quid dicēdum sit. Quære 13. d. 1. sol. primum principale, & d. XI. solut. eius.

Est ergo quæstio prima: Vtrùm ista duo possint simul stare, quòd relatio vt comparata ad oppositum sit res, & vt comparata ad essentiam, sit ratio tantùm? Arguitur quòd non, quia, si vt comparata ad essentiam, sit ratio tantùm; hoc est, quia vt sic transit in essentiam, sed vt comparata ad oppositum, manet eadem ratio, quia, vt sic, est eadem essentiæ, quia nullo modo potest esse non eadem, propter simplicitatem diuinam: ergo si est ratio, vt comparata ad essentiam, necessariò est ratio vt comparatur ad oppositum.

Ad oppositum arguitur sic, vt comparatur ad essentiam est ratio: Probatur, propter simplicitatem diuinam: vt autem comparatur ad oppositum, non est ratio, sed res, aliter non constitueret realiter distinctum: ergo prædicta simul stant.

Potest formari arg. ad oppositum, quod est res ad quodcunque comparetur.

Hîc sunt tria videnda. Primò, si relatio originis in se sit res, & quæ res? Secundò, si comparata ad essentiam sit res, & quæ res? Et ex hoc apparebit compossibilitas vel incompossibilitas istorum, de quibus quæritur. Tertio, circa dicta in solutione quædam dubia occurrentia dissoluentur.

SCHOLIVM.

Rem *sumi tripliciter. Primò, communißimè pro omni conceptibili reali, & rationis. Secundò, com*

do, communiter pro ente extra animam vt opponitur modo rei. Tertiò, pro ente per se. Et quæstio est, an relatio sit res? Primo modo extra animam (quia certum est, non esse rem secundo vel tertio modo, quia nec est substantia, nec ad aliud) & respondetur affirmatiuè, quia sequitur extrema ex natura rei sine opere intellectus: quod ait ens commune reali & rationis esse obiectum intellectus, loquitur de obiecto motiuo, vel terminatiuo q.1.d.3.q.4. Et infrà quodl.14.art.2. tenet ens reale esse obiectum intellectus, quod intellige de motiuo.

2. DE primo, a quia de æquiuoco non est simpliciter respondendum; & hoc nomen *res*, sicut patet ex auctoritate loquentium de isto nomine *res*, est æquiuocum, ideò primò distinguendum est de hoc nomine *res*; Sicut autem colligitur ex dictis auctorum, hoc nomen *res* potest sumi communissimè, communiter, & strictissimè. Communissimè, prout se extendit ad quodcunque, quod non est nihil, & hoc potest intelligi dupliciter; Verissimè enim illud est nihil quod includit contradictionem, & solum illud; quia illud excludit omne *esse* extra intellectum, & in intellectu: quod b enim est sic includens contradictionem, sicut non potest esse extra animã, ita non potest esse aliquid intelligibile, vt aliquod ens in anima, quia nunquam contradictorium cum contradictorio constituit vnum intelligibile, neque sicut obiectum cum obiecto, neque sicut modus cum obiecto. Alio modo c dicitur *nihil*, quod nec est, nec esse potest aliquod ens extra animam. Ens ergo vel res isto primo modo, accipitur omnino communissimè, & extendit se ad quodcunque, quod non includit contradictionem, siue sit ens rationis, hoc est præcisè habens *esse* in intellectu considerante, siue sit ens reale, habens aliquam entitatem extra considerationem intellectus. Et secundò accipitur in isto membro, minùs communiter pro ente, quod habet, vel habere potest aliquam entitatem non ex consideratione intellectus. Et istorum duorum membrorum (quorum vtrumque pertinet ad primum membrum distinctionis,) primum videtur valde extendere nomen rei, & tamen, ex communi modo loquendi, satis probatur: communiter enim dicimus intentiones Logicas esse res rationis, & relationes rationis esse res rationis, & tamen ista non possunt esse extra intellectum: non ergo nomen rei, secundùm vsum loquendi, determinat se ad rem extra animam, & isto intellectu communissimo, prout *res*, vel *ens*, dicitur quodlibet conceptibile, quod non includit contradictionem, siue illa communitas sit Analogiæ, siue vniuocationis, de qua non curo modò, posset poni ens primum obiectum intellectus: quia nihil potest esse intelligibile, quod non includit rationem entis isto modo, quia vt dictum est priùs includens contradictionem non est intelligibile, & isto modo, quæcunque scientia, quæ non solùm vocatur realis, sed etiam quæ vocatur rationis, est de re, siue de ente. In secundo autem membro, istius primi membri, dicitur res, quod habere potest entitatem extra animam. Et isto modo videtur loqui Auicenna 1. *Metaphys. cap.5.* quòd ea quæ sunt communia omnibus generibus, sunt res, & ens, nec potest illud intelligi de vocabulis in vna lingua, quia in vnaquaque lingua est vnus conceptus indifferens ad omnia illa, quæ sunt extra animam: conceptus enim sunt iidem apud omnes, *primo Perihermenias*, & communiter in qualibet lingua est vnum nomen impositum tali conceptui communi, qualiscunque sit illa communitas, siue Analogiæ siue vniuocationis.

5.Top.& 1. atque 2. Elench.
Al. loquentium.
Res *sumitur tripliciter.*
Nihil *quid sit: sumitur dupliciter.*
Al. accipitur in isto secundo membro.
Ens, seu res communissimè, est obiectum intellectus, de quo 1.d.3. q.3.

3. Habemus ergo primum membrum, sic, scilicet communissimè, bipartitum, in illud, scilicet quod non includit contradictionem, qualecunque *esse* habeat, & in illud quod habet, vel habere potest, proprium *esse* extra intellectum, & isto modo, vel vtroque modo, vel saltem secundo modo, accipit Auicenna *rem*, & *ens*, vt dictum est.

Secundo modo accipit Boëtius distinguendo rem contra modum rei, sicut loquitur libro de Trin. *Patet*, inquit, *quæ sit differentia prædicationum, quia aliæ quidem quasi rem monstrant, aliæ quasi circumstantiam rei; quia ista prædicantur sic, quòd secundùm se rem aliquam monstrant. Illa verò, vt non esse. sed potius extrinsecus aliquid apponunt*: vult ergo distinguere rem contra circumstantiam, & sic, secundùm eum sola tria genera, Substantia, Qualitas, & Quantitas rem monstrant, alia verò rei circumstantias. Hoc ergo nomen, *res*, in secundo membro acceptum, dicit aliquod ens absolutum, distinctum contra circumstantiam, siue modum, qui dicit habitudinem vnius ad alterum.

1.cap.10.
Res *sumitur strictè pro solo absoluto.*

Tertius modus habetur à Philosopho: qui dicit septimo Met. *Accidentia dicuntur entia, quia sunt entis*, & infrà c.3. *sicut de non ente Logicè quidã dicunt esse non ens, non quidem simpliciter, sed non ens: sic & qualitatem.* Et infrà, *quemadmodum non scibile, & quemadmodum medicinale, eo quòd ad idem quidem, & vnum, non idem autem, & vnum, sic & de ente.*

Tex.c.2.

 ente.

ente.Et videtur eandem sententiam dicere in principio quarti,quòd quemadmodum medicinale,& salubre multipliciter dicitur;ita & ens.Ens ergo, siue simpliciter, siue potissimè dictum, & hoc, siue sit analogum,siue vniuocum, accipit ibi Philosophus, pro ente cui per se,& primò conuenit *esse*,quod est substantia sola.

Ens strictissimè, sola substantia.

Sic ergo sub primo membro,*communissimè*,continentur ens rationis, & ens quodcunque reale.Sub secundo,ens reale & absolutum.Et sub tertio, ens reale, & absolutum,& per se ens.Ex ista distinctione patet,quòd quæstio,si relatio sit res,nullam difficultatem habet de re, tertio modo accipiendo,vel secundo modo:quia non est substantia neque ad se: tantùm ergo difficultas est de primo membro, sed nec de ente rationis, quia patet quòd relatio est intelligibilis sine contradictione. Est ergo hîc sermo,si habeat *esse*,siue sit res habens entitatem realem propriam extra animam. Et de hoc dico,quòd est res.Secundò quæ res?Quòd autem relatio sit res, probo, habitudo consequens extrema realia,& realiter distincta, & hoc ex natura rei, est realis, quia entitas eius,qualem habet, non est præcisè in anima, & per consequens ipsa secundùm entitatem propriam,est res suo modo,sed habitudo patris ad filium est talis, vt patet ex secúda quæstione ordinaria.Ex hoc apparet quæ res ipsa sit, quia si sit res singularis,vel est ad se,vel ad alterum,ipsa formaliter est res ad alterum: nec ista determinatio,ad alterum,repugnat ei,quod est res, isto modo loquendo, quia isto modo,res non distinguitur contra modum,vel habitudinem,vel circumstantiam rei,sed includit eam.

Loquitur de ente quod non est nihil seu contradictio.

COMMENTARIVS.

1. *Res est nomen æquiuocum.*

a E primo, *quia de æquiuoco non est simpliciter respondendum*,cùm sit de ipso prius distinguendum propter eius multiplex significatum. Sequitur: *& hoc nomen res est æquiuocum*, Patet,quia est communis enti rationis & enti reali:modò enti reali & enti rationis nihil est commune vniuocum, vt infrà patet à Doctore.Deinde dicit quòd hoc nomen *res* potest tripliciter accipi, scilicet, communissimè, communiter,& strictissimè. Communissimè dupliciter.Primò pro omni eo,quod verissimè non est nihil,& est illud quod non includit contradictionem,quia solum illud est verissimè nihil, vt patet de Chimæra, quæ omnino nihil est, cùm partes componentes sint simpliciter incompossibiles,& propter talem incompossibilitatem nullo modo potest definiri, vt innuit Doctor *in primo,d.3.q.5.art.2.principali.* Similiter simpliciter repugnat quòd negatio simpliciter sit ens.

b *Quod enim est sic includens contradictionem.* Compossibilia enim & ad inuicem vnibilia possunt constituere vnum intelligibile constitutum ex duobus per se intelligibilibus:patet, quia materia & forma substantialis, sunt duo obiecta per se intelligibilia, vt exposui *in primo d.3. q.4.* & constituunt vnum per se intelligibile,vt ipsum compositum. Aliquando etiam constituitur vnum intelligibile ex obiecto & modo intelligendi ipsius;sicut homo intelligitur sub modo vniuersali, sic quòd homo est per se obiectum intelligibile, & vniuersalitas est modus eius,vt patuit *in secundo d.3.q.1.* In proposito autem includens contradictionem non est vnum obiectum intelligibile constitutum ex duobus obiectis intelligibilibus; licèt enim constituentia Chimæram sint obiecta per se intelligibilia,vt seorsum sumpta, nullo tamen modo aliquid componunt,cùm sint simpliciter incomposibilia:nec similiter est vnum constitutum ex obiecto & modo,quia vnum contradictorium nullo modo est modus alterius contradictorij,cùm sit ei simpliciter incomposibile: modus autem intelligendi est compossibilis obiecto intelligibili, vt patet.

Sed occurrunt aliquæ difficultates in ista litera.Et primò dubitatur circa hoc quod dicit,scilicet, quòd *illud quod est simpliciter nihil non est vnum intelligibile,siue illud quod includit contradictionem, scilicet, posse esse aliquod ens,siue reale, siue rationis posse esse vnum intelligibile.* Arguitur primò, quia ponens differentiam inter aliqua duo necessario cognoscit vtrunque, sic enim arguit Philosophus 2. *de Anima* probando sensum communem esse; sed intellectus ponit differentiam inter illud quod est aliquo modo ens, & inter illud quod nullo modo est ens;ergo vtrunque est intelligibile. 2. *Primum dubium.*

Secundò, formans propositionem cognoscit extrema propositionis, aliter non posset illam formare: sed intellectus format hanc propositionem,*nihil simpliciter est nihil simpliciter*: similiter istam:*ens aliquo modo non est nihil simpliciter*, ergo,&c.

Tertiò, habens modum, sub quo potest cognosci,est verè cognoscibile; patet, quia modus obiecti cognoscibilis præsupponit obiectum cognoscibile;sed illud quod est nihil simpliciter est huiusmodi:patet, quia ipsi potest applicari aliqua secunda intentio sub qua potest cognosci ipsum, quia potest diuersimodè comparari, & ex tali comparatione relinquitur in ipso relatio rationis;ergo,&c.Tum etiam,quia sibi potest applicari intentio vniuersalis,saltem secundum *quid*;patet,quia sicut ens est commune omnibus entibus, ita non ens est commune omnibus non entibus; quia si affirmatio est communis pluribus, ita negatio opposita erit similiter communis,vt patet à Doctore *in primo,d.28.*

Secundò,principaliter dubitatur de hoc quod dicit scilicet, quòd *vnum contradictorium non est modus obiecti respectu alterius contradictorij*, quia ens rationis & non ens rationis contradicunt, & tamen ens rationis potest esse modus non enti rationis; patet, quia non enti rationis potest applicari 3. *Secundum dubium.*

applicari ens rationis: patet comparando non ens rationis ad aliqua; ergo vnum contradictorium potest esse modus alteri contradictorio.

Secundò, vnum contradictorium cognoscitur per aliud; ergo vnum est modus cognoscendi alteri. Antecedens patet, quia negatio cognoscitur per affirmationem oppositam, vt patet *tertio de Anima*, vbi vult Philosophus quòd tenebra cognoscatur per lucem: nam per absentiam lucis cognoscitur tenebra; sic in proposito.

Tertium dubium. Tertiò principaliter dubitatur de hoc quod dicit, scilicet, quòd *includens contradictionem sit nihil, & quòd solum sit nihil*, & arguo primo quòd includens contradictionem sit aliquid. Tum, quia includens contradictoria includit saltem aliquod ens positiuum, cùm ens & non ens contradicunt; ergo erit aliquid saltem ratione partis inclusæ, & per consequens non erit simpliciter nihil.

Secundò obiectum intellectus est aliquo modo aliquid; sed includens contradictionem est huiusmodi: patet, quia tale potest ab intellectu percipi, aliter ignoraret quæ contradicunt, & quæ non.

4. *Responsio.* Respondeo ad omnes difficultates, & primò præmitto aliqua. Primo præmitto, quòd quando Doctor loquitur de obiecto intelligibili loquitur de obiecto quod continetur sub obiecto adæquato intellectus, siue illud sit vniuocum, siue analogum, siue illud obiectum per se contineatur, siue reductiuè contineatur (quod dico propter entia rationis, quia si teneatur quod obiectum intellectus sit ens reale, tunc secundùm aliquos, ens rationis erit obiectum tantum per reductionem, & per accidens. De hoc tamen vide quæ exposui *in primo, d.3. q.3.*) & omne tale est aliquo modo ens, vel reale, vel rationis, vt patet Secundò præmitto, quòd Doctor *in præsenti quæst.* ponit ens communissimè acceptum (quod est commune tam enti rationis quàm enti reali) esse adæquatum obiectum intellectus nostri. Tertio præmitto, quòd licèt non ens simpliciter cognoscatur quantùm ad hoc, scilicet, quid importatur per hoc quod dico *non ens*, siue quid importat hoc nomen *non ens tantum* in se nullo modo est obiectum cognoscibile, cùm nullo modo contineatur sub obiecto adæquato. His præmissis, patet responsio ad obiectiones pro primo dubio. *Ad primam difficultatem* Ad primam dico, quòd etsi intellectus ponat differentiam inter ens & non ens, non tamen cognoscit non ens in se, cùm nihil sit, sed potest cognoscere quid intelligatur per hoc nomen *non ens*, & posito etiam quod aliquo modo cognoscat illud per accidens, nullo tamen modo ponitur sub obiecto adæquato intellectus. *Ad secundam.* Et per hoc patet responsio ad secundam de propositione, quia in tali propositione cognoscitur hoc nomen *nihil*, siue *non ens*: & posito quòd cognoscat nomen ens, hoc erit tantùm per accidens, non quòd cognitio terminetur ad non ens se.

5. *Ad tertiam.* Ad tertiam dico primò, quòd relatio rationis fortè non potest fundari super nihilo simpliciter, cùm non fundetur nisi super obiecto cognito, vel volito, vel imaginato. Dico secundò, quòd licèt relatio rationis possit denominare illud quod est nihil, vt esse comparatum: tamen illa denominatio erit extrinseca, & per consequens non fundabitur in illo talis relatio rationis: Quia enim ens potest comparari ad non ens, & sic talis comparatio passiua potest terminari ad non ens, & per consequens ab illa poterit denominari, & quamuis vocaliter dicatur, non ens comparatur ad ens, in re tamen nulla comparatio passiua erit fundata in non ente. Sicut Deus dicitur creator, ex hoc quòd relatio creaturæ terminatur ad ipsum, & non quòd aliqua relatio ad creaturam sit in ipso. *Quare Deus dicatur creator.* Potest tertiò dici quòd omnis relatio rationis habet tantum esse obiectiuum, vt aliàs exposui in primo *d.3. q.7.* quo posito patet solutio ad rationem illam.

Ad aliam instantiam dico, quòd nulla secunda intentio potest inesse non enti simpliciter. Et cùm probatur, quia est commune. Dico quòd talis communitas sumitur præcisè per comparationem ad suum oppositum, scilicet ens. Et hoc modo loquitur Doctor *in primo, d. 28.* & posito etiam quòd præter omne opus intellectus dicatur commune omni non enti, non tamen ex hoc sequitur quòd in ipso possit fundari aliqua secunda intentio. Et si fortè dicatur vniuersale, erit tantùm denominatione extrinseca, vt suprà dixi.

Ad rationes secundi dubij dico breuiter, quòd Doctor loquitur de modo qui inest obiecto intelligibili: modò nulla secunda intentio inest formaliter non enti, vt suprà dixi. *Nota.* Et posito quòd aliqua secunda intentio possit inesse formaliter non enti, tunc dico quòd illa quæ formaliter inest, non erit contradictoria non enti, propter impossibilitatem contradictoriorum.

Ad aliud dico primò, quòd vnum contradictorium non est ratio formalis cognoscendi aliud, cùm vnum non includat aliud virtualiter, 6. Dico secundò, quòd aliud est esse rationem formalem cognoscendi; & aliud esse modum cognoscendi, quia primo modo notatur ratio formalis principij, vt diffusè expositum est *in primo, d.3. q.7. & in 2. dist. 3.* Secundo modo non notatur aliqua ratio principij productiui, vt patet quando natura communis cognoscitur sub modo vniuersali, talis vniuersalitas nullam rationem principij productiui habet. Et sic posito quòd vnum contradictorium sit formalis ratio cognoscendi aliud, tamen ex hoc non sequitur quòd sit modus obiecti cognoscibilis.

Ad instantias contra tertium dubium. Ad primam dico breuiter quòd etsi vnum contradictorium sit verè aliquid, tamen includens contradictoria in se nihil est simpliciter, quia impossibile est aliquid constitui in *esse* ex duobus omnino incompossibilibus: & sic intelligit Doctor.

Ad secundam instantiam patet responsio ex supradictis, quomodo scilicet includens contradictoria posit cognosci & quomodo dicatur habere rationem obiecti, & quomodo non.

c *Alio modo dicitur* nihil *quod nec est, nec esse potest aliquod ens extra animam* Ex hoc sequitur quòd omnis secunda intentio & omnis rela- 7.
tio rationis sint hoc modo nihil, cùm eis simpliciter repugnet posse habere *esse* extra animam, siue *esse* reale: omnia enim ista præcisè dependent ab actu collatiuo alicuius potentiæ, vel intellectus, vel voluntatis, vel imaginatiuæ, vel alterius potentiæ comparatiuæ, de quibus vide Doctorem *in primo, d.45.*

Si dicatur, quòd hoc modo homo ab æterno erit nihil, quia vt tantùm habet *esse* cognitum ab intellectu diuino, nec est ens extra intellectum, nec similiter potest esse: patet, quia repugnant, scilicet quòd esse cognitum formaliter posit formaliter esse ens reale, siue extra animam. Dico *Nota.* breuiter

breuiter quòd homo habens *esse* cognitum ab æterno ex tempore potest habere *esse* reale,& non intelligo quòd esse cognitum formaliter, posſit formaliter esse ens reale, sed intelligo sic, quòd homini habenti præcisè *esse* cognitum ab æterno, siue etiam *esse* possibile non repugnat esse realis existentiæ ex tempore, & sic intelligitur Doctor in primo.

d *Ens ergo, vel res, isto primo modo accipitur communissime*,&c. Tota litera sequens vsque in finem articuli est clara, nec indiget alia expositione. Potest tamen esse aliqualis difficultas in hoc quod dicit quòd *ens communissimè acceptum potest poni primum obiectum intellectus*, quia in hoc videtur sibi contradicere. Tum; quia *in primo, dist.* 3. *quæst.* 4. ponit præcisè ens reale esse primum obiectum intellectus: hoc idem *in quodl. quæst.* 14. *art.* 2. Tum, quia in primo *vbi suprà* ponit primum obiectum intellectus esse commune vniuocum; sed ens communissimè acceptum non est vniuocum, vt patet per ipsum, qui vult quòd enti reali & enti rationis nihil sit commune vniuocum.

8. *Responsio.* Respondeo ad primum quòd Doctor in primo, loquitur de obiecto motiuo, vt ibi diffusè exposui, hîc autem loquitur de obiecto primo absolutè sumpto, siue motiuo, siue terminatiuo.

Ad secundum, dico primò quòd Doctor in primo non ponit expresſè primum obiectum intellectus esse commune vniuocum; sed dicit ipsum esse primum, vel primitate communitatis, vel primitate virtualitatis, vt ibi clarè exposui: quia tamen *in primo* ponit illud esse ens reale, ponit etiam ipsum esse vniuocum. Hîc verò ponit obiectum intellectus prout comprehendit omnia intelligibilia, siue sint entia realia, siue rationis,& vult dicere quod primum obiectum intellectus est communissimè sumptum, pro quanto comprehendit sub se omnia entia realia & rationis, siue contineat vniuocè, siue æquiuocè, non est cura. Vide tamen, si placet, omnia quæ prolixè declaraui super primo Doctoris, *dist.* 3. *q.* 4.

Doctor in isto primo articulo ponit rem communissimè acceptam pro re communi, tam enti reali quàm enti rationis. Secundò, ponit rem minùs communissimè acceptam pro re extra animam siue intellectum considerantem, & de hac re minus communissimè loquitur Auicenna primo *Met. cap.* 5. scilicet, quòd illa quæ sunt communia omnibus generibus sunt ens, & res scilicet realis. Tertiò ponit rem communiter, & accipit rem communiter vt distinguitur contra circunstantiam rei secundùm Boëtium, & sic tantùm ens absolutum dicitur res, vt sunt substantia, quantitas,& qualitas: alia verò septem Prædicamenta dicuntur circumstantiæ rei, quia septem Prædicamenta dicunt habitudinem vnius ad aliud. Dicuntur enim circunstantiæ rei pro quāto res absolutè per illa dicuntur referri. Quartò ponit rem strictissimè, & hoc modo accipit rem pro substantia, vt distinguitur contra accidens. Et sic accipit rem Philosophus 7. *Met. text. c.* 2. quæ autoritates patent in expositione primi *d.* 3. *quæst.* 3. Quintò respondendo ad quæsitum dicit duo, Primò, quòd relatio originis in diuinis non est res, nec strictissimè, nec communiter, vt patet, quia non est ens absolutum, sed est res minùs communissimè accepta, quia realis & extra animam cùm oriatur ex natura rei positis fundamento,& termino,& sic potest dici res vt circunstantia rei, vt suprà dictum est. Secundò declarat quæ res sit, & dicit quòd est res non ad se, sed ad aliud. Patet articulus iste, qui videtur satis facilis præcipuè ex habitis in primo. 9. *An relatio originis in diuinis sit res.*

SCHOLIVM.

Relatio vt comparata ad essentiam, est res dicto secundo modo sumpta. Primò, quia vt sic constituit cum essentia personam. Secundò, vt sic comparata, est ipsa relatio, vel si aliquid et superueniens, non destruit eam, quia nulla habitudo destruit id, cui aduenit.

Art. 2. *an relatio cōparata ad essentiam, sit res.* DE secundo [e] articulo; primò dicetur illud, quòd est reale.

Secundò quantùm pertinet ad Logicum consideratio huius propositionis: relatio vt comparatur ad essentiam est res. 4.

Tertiò patebit de compossibilitate, & incompossibilitate istorum de quibus quæritur.

Relatio vt comparatur ad essentiam, est res. De primo dico, quòd relatio vt comparatur ad essentiam est res: quòd probatur sic: quando aliqua quocunque modo distincta, constituunt tertium, non constituunt illud, nisi vt aliquo modo se habent ad inuicem, vel aliquo modo vniuntur: & hoc apparet de causis extrinsecis, quæ nunquam causant nisi aliquo modo concurrant ad causandum, & magis de causis intrinsecis, quæ non constituunt suppositum, nisi vt suo modo vniantur: essentia autem,& relatio, secundùm omnes, constituunt personam, qualemcunque rationem habeant principij; ergo hoc est inquantùm concurrunt, quod non posset esse nisi vt relatio est in essentia Ex hoc habeo, quòd essentia, & relatio constituunt personam: non nisi vt relatio est in essentia, sed relationem esse in essentia est relationem habere comparationem ad essentiam verissimam, quam potest habere citra considerationem intellectus; ergo relatio non constituit personam nisi vt comparata ad essentiam; sed non constituit personam, nisi vt res, alioquin persona vt constituta formaliter, non esset res; ergo relatio vt comparata ad essentiam est res.

Secundò sic [f] quia aut comparatio ad essentiam, est omnino ipsamet relatio, aut aliquid 5.

aliquid superueniens, siue rei, siue rationis, non curo quantùm ad propositum. Si est omnino ipsamet, patet quòd ipsa sit res ex primo articulo, & cùm ipsamet sit sua comparatio ad essentiam; ergo ipsa vt comparata ad essentiam, est res. Si secundo modo, nulla habitudo adueniens cuicunque siue absoluto, siue respectiuo, siue etiam illa habitudo sit realis, siue rationis, destruit illud, cui aduenit, sed potiùs præsupponit: patet de intentionibus secundis, quæ non destruunt rationes intentionum primarum quibus adueniunt: non ergo destruitur illa realitas relationis per hoc, quòd est comparata, & per consequens patet propositum. Ex hoc patet [g] quæ res sit, quia ad quodcunque comparatur aliquid, ipsum est ipsum: nam secundùm Philosophum primo Phys. *quod verè est nulli accidit*, & esto quòd substantia bouis comparata ad hominem, non sit substantia hominis; tamen semper est res, & quæ res est? substantia; & quæ substantia? bouis, quia ipsa est ipsa: sic hæc relatio, quæ essentialiter est ad alterũ, nunquam est non res, nunquam etiam ipsa est nisi ipsamet res ad alterum, comparatio autem (vt dictum est) nunquam destruit realitatem propriam, sed præsupponit.

Habitudo non destruit id, cui aduenit.

Tex. 26. & 27.

COMMENTARIVS.

10. *Quomodo relatio sit res.*

e DE *secundo articulo.* In isto secundo articulo tria intendit. Primò probat quòd relatio, vt comparata ad essentiam, sit verè res. Secundò, ostendit quomodo ista propositio, scilicet *relatio vt comparata ad essentiam est res*, potest esse vera Logicè loquendo. Tertio ostendit quomodo relatio vt comparata ad essentiam possit dici ratio, & quomodo non.

De primo intento, probat intentum, & ratio prima stat in hoc; constituentia aliquod tertium necessariò vniuntur ad inuicem, & per consequens ad inuicem comparantur, sed relatio originis, & essentia constituunt personam, vt patet *in* 1. *d.* 26. 28. & hoc tenendo communem opinionem: ergo relatio originis, & essentia vniuntur in constituendo personam. Maior est nota, & probat per argumentum à minori de causis extrinsecis, quia si causæ extrinsecè concurrentes ad aliquem effectum non producunt illum, nisi priùs aliquo modo ad inuicem vniantur, ergo multò magis constituentia intrinsecè vnientur. Tum vltra, sed essentia, & relatio non constituunt, nisi relatio sit in essentia, aliter non intelligerentur vniri vt constituentia intrinsecè, vt patet in omnibus intrinsecè constituentibus, necesse est enim vnum esse in alio. Sed relationem esse in essentia est relationem comparari ad essentiam, loquendo de comparatione præter omne opus intellectus, & per consequens relatio non constituit personam, nisi vt comparata ad essentiam, sed non constituit personam nisi vt res, alioquin persona vt constituta formaliter non esset res: ergo relatio vt comparata ad essentiam est res.

f *Secundò* arguit ad idem. Et ratio stat in hoc: comparatio ad essentiam, aut est ipsamet relatio originis, aut aliquid superueniens. Si primò, patet ex primo articulo, quòd est res. Si secundò, patet quòd illud superueniens non tollet à relatione quin sit res, imò præsupponit ipsam relationem esse rem. 11.

Deinde Doctor infert quæ res sit talis relatio originis, puta paternitas, etiam vt comparata ad essentiam, & dicit quòd est ipsamet relatio, quia ad quodcunque comparatur aliquid, ipsum est ipsum; patet, quia comparatio talis, vel est ipsamet re comparata, vel aliquid superueniens, & omne tale præsupponit ipsam rem comparatam. Quòd autem non sit res formaliter, loquendo de re, ad quam comparatur, patet, quia substantia bouis comparata ad hominem non est formaliter substantia hominis, sed est formaliter substantia bouis, sic similiter relatio originis, vt comparata ad essentiam non est formaliter ipsa essentia, sed est formaliter ipsamet relatio originis, & formaliter est res, quæ est ipsa relatio originis.

Opinio aliquorum.

SCHOLIVM.

Sententia D. Thomæ & aliorum, relationes comparatas ad essentiam nullo modo distingui, benè tamen, vt vna comparatur ad aliam. Contra hoc primò, quia ab eodem habet res vnitatem, & distinctionem à quolibet alio, à quo habet entitatem. Secundò, qualibet relatio personalis in Diuinis, se ipsa est incommunicabilis: ergo seipsa differt ab essentia. Tertiò, sequeretur personas, vt sunt in essentia, non distingui realiter. Circa hæc vide Doct. 1. d. 11. vbi tractat illam quæstionem, si Spiritus sanctus non procederet à filio, an distingueretur ab eo.

HIc tamen [h] est alius modus dicendi de istis relationibus, qui talis est. Relatio comparationem importat, & ad oppositum, & ad fundamentum Ex alio autem ordine habet, quòd sit realis simpliciter, scilicet ex ordine ad fundamentum: ex alio, quòd vna sit distincta ab alia, scilicet ex ordine ad oppositum. Primo modo essentia diuina est realitas omnium relationum diuinarum. Ideò secundùm huius comparationem non differunt realiter, sed secundo modo, ergo, &c.

D. Thom. 1. p. q. 35. art. 2. & Æg. de Roma. quodl. 1. q. 6. Et Henr. in sum. art. 60 q. 1. & quodl. 5. q. 1.

Contrà [i] illud, quo aliquod ens habet entitatem, eo, tanquam fundamento proximo vnitatis, est vnum vnitate correspondente tali entitati, & per consequens distinctum à quocunque ente non habente hanc vnitatem, à quo ergo relatio est res in actu,

Ratio entitatis est etiam vnitatis.

actu,extra suam causam, ab eo est distincta realiter à relatione quacunque, quæ non est ipsamet,siue quæ non est ens entitate propria ipsius.

Confirmatur [k] specialiter de relationibus in Diuinis:quia quælibet relatio,saltem personalis,seipsa formaliter est incommunicabilis, quod autem seipso formaliter est incommunicabile,seipso formaliter à quocunque communicabili est distinctum:ergo relatio à quo habet suam realitatem,quà formaliter est incommunicabilis, ab eo habet distinctionem.

Prætereà.Si essentia,vt dicitur,est realitas omnium relationum, & ideò secundùm illam comparationem non differunt realiter,ergo cùm illa comparatio sit etiam in essentiam,sequitur quòd,vt sunt in essentia, non differunt realiter: ergo vt sunt in essentia,vel nullo modo differunt, quod omnino est irrationabile, vel sola ratione differunt, & si hoc,ergo constituta per ipsas vt sunt in essentia, sola ratione differunt. Personæ autem constituuntur per ipsas,vt sunt in essentia,vt dictum est in prima ratione,ergo.&c.

An relationes comparatæ ad essentiam differant.

Quantùm ergo ad istud [l] videtur rationabilius quòd ab eodem habeat, quòd sit realis,& quòd sit distincta à relatione opposita,& hoc intelligendo quomodocunque: nam non est intelligibile quòd sit realis, nisi sit realis habitudo ad oppositum, & sic realiter distincta ab opposito:nec ipsa potest esse realiter distincta ab opposito, nisi vt habitudo realis:& sic est res,eo modo quo sibi conuenit esse res: seipsa ergo formaliter est res, & seipsa formaliter est distincta ab opposito: à fundamento autem habet vtrunque fundamentaliter,& radicaliter.

COMMENTARIVS.

12. h *Hic tamen est alius modus dicendi.* Hìc Doctor recitat opinionem Thomæ *parte 1. quæst.36. art. 2.* & opinionem Ægidij de Roma, *quodl.4.quæst.6.*& Henrici *in sum. art. 6. q.1. & quodl.5. q. 1.* & dicit quòd relatio vt comparatur ad fundamentum est simpliciter realis, & sic relatio originis vt comparatur ad essentiam, vt ad fundamentum est simpliciter realis, eo quòd essentia est realitas omnium diuinarum relationũ, & hoc modo inter relationes diuinas nulla penitus est distinctio,cùm vt sic, sint tantùm res quæ est essentia diuina. Vt verò comparantur ad oppositum,tunc realiter distinguuntur,ita quòd paternitas, & filiatio vt comparantur ad essentiam diuinam, nullam habent distinctionem: vt verò comparantur ad inuicem realiter distinguuntur.

Scotus reprobat hanc opinionem.

i *Contrà, Illud quoaliquid est ens*, &c. Hìc Doctor reprobat hanc opinionẽ & intendit probare quòd relatio originis, vt comparata ad essentiam realiter distinguatur à relatione opposita,& quòd nullo modo habeat talem distinctionem ex comparatione ad oppositum. Et primo arguit sic:à quo paternitas habet vnitatem,ab eo habet quòd distinguatur à quocunque non habente talem vnitatem:sed paternitas in diuinis à sua propria realitate habet vnitatem sic incommunicabilem;est enim incommunicabilis formaliter sua propria entitate:patet, non enim est incommunicabilis entitate diuina, siue essentia diuina,cùm ipsa sit formaliter communicabilis:nec est incommunicabilis realitate filiationis, quia tunc paternitas esset formaliter filiatio; habebit ergo vnitatem incommunicabilitatis, siue vnitatem personandi,sic à sua propria entitate,quæ entitas,vt suprà dixi,est ipsamet paternitas;ergo ab eadem entitate habebit quòd distinguatur realiter à relatione opposita, & per consequens hoc non habebit per comparationem ad oppositam, scilicet relationem,quia siue comparetur,siue non comparetur, semper sua propria entitate distinguitur ab opposita relatione originis.

Maior propositio tenet per hanc propositionem Doctoris in pluribus locis,præcipuè *in prologo q.vltima, & d.7. & 13. primi*, scilicet quæ sunt principia essendi, eo modo quo sunt principia essendi,sunt etiam principia distinguendi; & sic quæ sunt principia intrinseca, & formalia dãdi talem vnitatẽ sunt formalia principia distinguendi à quocunque non habente talẽ vnitatem.

k *Confirmatur specialiter de relationibus in diuinis.* Hæc confirmatio clara est,& præsupponit vnum ostensum in primo,*d.13. & 26.*scilicet, quòd relatio originis seipsa sit incommunicabilis,vide ibi quæ exposui. 13.

Relatio originis est incõmunicabilis.

Et loquitur hìc de relationibus originis, quæ constituunt personas, quod dico propter relationem scilicet spirationem actiuam,quæ est relatio originis,cùm mediante ipsa Pater, & Filius originent Spiritum sanctum, quæ est communicabilis Patri, & Filio. Hoc præmisso, patet ratio, quia quo aliquid est tale formaliter, eo formaliter habet vt distinguatur à non tali, sed paternitas seipsa in diuinis est simpliciter incommunicabilis,ergo seipsa distinguitur ab omni communicabili, & sic seipsa distinguitur ab essentia diuina. Ex hac etiam confirmatione potest probari quòd paternitas realiter distinguatur à filiatione, & non per comparationem ad seipsam, quia paternitas seipsa est incommunicabilis incommunicabilitate non competente,imò repugnante filiationi,vt patet; aliter Pater posset esse Filius in diuinis;ergo paternitas se ipsa distinguitur à filiatione non habente hanc incommunicabilitatem, & per consequens non distinguitur præcisè per comparationem ad filiationem.

l *Quantùm ergo ad istud.* Hìc Doctor quasi epilogando,plura dicit. Primò, quòd relatio originis ab eodem habet quòd est realis,& quòd est distincta à relatione opposita: & hoc patet per illam propositionem supradictam, scilicet *quæ sunt principia essendi, sunt principia distinguendi.* Secundò dicit quòd non est intelligibile, quòd relatio originis sit realis & non sit realis habitudo ad oppositum;patet,si enim paternitas est realis,necessariò erit realis habitudo ad aliud;patet, quia relatio est habitudo ad aliud, & si in se formaliter 14.

formaliter sit realis, etiam formaliter erit realis habitudo. Tertiò ex quo relatio originis est realis habitudo ad oppositum, sequitur quòd realiter erit distincta ab opposito,& per consequens seipsa formaliter erit distincta realiter ab opposito, cùm formaliter sit realis habitudo ad oppositum, à quo realiter secundùm omnes, distinguitur. Quartò infert quòd relatio originis à fundamento habet vtrumque fundamentaliter, & originaliter, id est, quòd relatio originis habet ab essentia diuina & quòd sit res & quòd distinguatur realiter ab opposito, & habet fundamentaliter, quia ipsa est fundamentum omnium relationum diuinarum.Habet etiam originaliter, quia ipsa est origo omnium relationum originis; nam ab ipsa pullulat paternitas, non tamen tanquàm à principio formali productiuo, & filiatio similiter pullulat à principio formali verè productiuo, quæ omnia prolixiùs exposui super primo, *dist.* 28.

15. *Difficultates notandæ.* In ista litera occurrunt nonnullæ difficultates. Prima, quia videtur concedere quòd essentia diuina, & relatio non constituant supposi tum diuinum, nisi ad inuicem vniantur, & hoc præter omne opus intellectus, vt apparet in litera. *Prima difficultas.* Contrà, quia ex hoc videntur sequi plura inconuenientia, primò, quòd in eodem instanti, quo paternitas est, non sit Pater: patet, quia priùs erit paternitas quàm Pater: patet, quia Pater præsupponit vnionem constituentium ipsum, vnio verò præsupponit extrema vnibilia,

Secunda difficultas. Secundò, sequitur quòd essentia diuina realiter poterit referri ad paternitatem, patet, quia inter ipsas est realis vnio, & sic secundùm vnionem realiter poterit referri, & per consequens erit realiter distincta à paternitate, vt patet, *in primo, distinct.* 5. *quæst.* 1. quod est impossibile.

Tertiò sequitur quòd ante personam erit in diuinis relatio realis, quod est omnino inconueniens.

Secundò principaliter est difficultas in hoc, quod dicit Doctor scilicet, quòd relatio originis est in essentia diuina, quia tunc videntur sequi impossibilia. Primò, quòd essentia diuina poterit realiter referri secundùm relationem originis: patet, quia est impossibile esse relationem in aliquo, & non denominari ab illa.

Secundò sequitur, vel quòd ipsa relatio erit actus essentiæ diuinæ actuans ipsam, vel contrahens ad *esse* incommunicabile,sicut etiam in nobis actus personalis cõtrahit naturam ad *esse* personale, & incommunicabile,& sic essentia diuina esset actu incommunicabilis, quòd est impossibile.

Tertiò sequitur, quòd si est essentia diuina maximè paternitas, aut seipsa erit ibi, aut fit ibi ab aliquo alio:non primò, vt patet;nec secundo,quia tunc paternitas esset producta in essentia diuina, sicut etiam forma fit in materia, quia agens producit eam ibi,

16. Tertiò principaliter dubitatur de hoc, scilicet quòd relatio originis non constituit personã, nisi vt ipsa relatio est in essentia. Et hoc videtur sequi, primò quòd persona erit constituta ex actu, & potentia, cuius oppositum ostendit Doctor *in primo, di.* 5. *qu.* 2. Quòd autem sequatur, patet, quia nunquam aliquod tertium constituitur per se ex duobus, quorum vnum non constituit, sine alio constituente, nisi vnum se habeat quasi materia, vel quasi potentia, & aliud quasi actus, vt patet discurrendo in omnibus simili modo constituentibus.

Secundò sequitur, quòd omne quòd est in essentia, vel saltem omnis relatio in essentia constituat personam: patet, quia benè sequitur, homo vt rationalis est risibilis, ergo omne rationale est risibile; ergo si relatio originis; vt est in essentia constituit personam, ergo omnis relatio originis in essentia constituit personam, & per consequens spiratio actiua, quæ est relatio originis constitnet personam, quòd est falsum.

Tertiò sequitur quòd paternitas erit pro aliquo instanti, sine termino; patet, quia si paternitas non constituit Patrem nisi sit in essentia,ergo paternitas priùs est in essentia, quàm sit Pater,& Filius posterius origine habet *esse*, & Pater priùs origine, vt patet à Doctore in primo, *dist.* 28. & paternitas est prior patre, ergo in illo priori,cùm non sit Filius, nullum terminum habebit, & tunc quæro quomodo paternitas sit prior Patre, quod erit difficile assignare, & tamen oportebit hoc assignare, si non constituit, nisi in essentia. *Tertia difficultas.*

17. *Quarta difficultas.* Quartò principaliter dubitatur de hoc, quòd relatio personalis seipsa formaliter est incommunicabilis. Contrà, quia ipsa communicatur personæ,patet,quia filiatio communicatur Filio per generationem, vt patet; ergo non est formaliter incommunicabilis. Tum etiam, quia communicatur essentiæ diuinæ per generationem Filij,tunc enim filius dicitur generari, quando per generationem filiatio est in essentia diuina; ergo per generationem communicatur essentiæ diuinæ, & per consequens si non est incommunicabilis formaliter, sequitur quòd erit formaliter distincta ab essentia diuina, quod tamen Doctor *in* 1. *d.* 2. non expressè concedit, licèt concedat quòd sint non idem formaliter. Et quòd sequatur patet, si paternitas seipsa formaliter est incommunicabilis, & essentia formaliter est communicabilis, ergo paternitas dicit distinctam formalitatem ab essentia diuina, vt patet intuenti.

18. *Responsio ad difficultates. Ad primam.* Respondeo ad rationes harum difficultatum, & primò ad primam rationem primæ difficultatis. Et dico, quòd quando partes constituentes tertium, causant illud, sicut materia, & forma causant compositum, & entitas compositi est alia realiter à partibus, tunc partes sunt priores ipso. Sed quando non causant, sed præcisè constituunt, nec ex illis resultat tertium, tunc non sẽper partes sunt priores,vt etiam patet de cõposito per accidens tenendo quòd non sit aliud à partibus, tunc in eodem instanti, quo albedo est in subiecto, est etiam album. Sic in proposito dico, quod persona diuina non dicit tertiam entitatem aliam ab essentia, & relatione, sed præcisè dicit relationem, & essentiam, ita quòd in eodem instanti, quo relatio originis est in essentia, in eodem instanti est persona. Et cùm dicitur, quòd præsupponit vnionem. Dico, quòd hoc verum est quando constitutum dicit aliud à partibus vnitis; sicut compositum per se;sed quando præcisè dicit vnionem constituentium, tunc non præsuppo-

nit talem vnionem. Et cùm dicitur, quòd vnio præsupponit extrema vnibilia. Dico, quòd hoc verum est quando talis vnio dicit relationem realem inter extrema, sicut est vnio inter partes compositi per se, vel etiam inter partes compositi per accidens. Sed in proposito inter essentiam, & relationem originis nulla est vnio, quæ sit relatio, sed præcisè ista vnio intelligitur ipsa relatio, vt perfectè in essentia diuina, ita quòd inter ipsam, & essentiam nulla cadat relatio, & hoc propter perfectam identitatem realem, quam habent inter se. Si dicatur, quòd si essent realiter distincta, tunc inter ipsa posset esse realis vnio, quæ esset relatio realis. Probo, vbi sunt quasi distincta, erit ibi quasi vnio. Patet per propositionem Doctoris suprà *quæstione prima*, scilicet qualis est ordo inter aliqua, vbi realiter distinguuntur, talis est vbi sola ratione distinguuntur.

19. Respondeo, & dico, quòd hoc fortè verum esset, si relatio esset in essentia, sicut actus perficiens, sed non sequitur quando ipsa est in essentia sicut actus personalis, vel sicut ratio subsistendi. Dico etiam, quòd si vnio, quæ est relatio, nominet imperfectionem, vel quasi imperfectionem, nullo modo posset esse inter essentiam, & relationem. Ad probationem dico, quòd si essent realiter distincta, inter illa non posset esse vnio, quæ sit relatio realis, & hoc propter infinitatem essentiæ diuinæ. & per consequens nec nunc posset esse quasi vnio vbi non distinguuntur realiter. Et quomodo propositio illa habeat veritatem, prolixe exposui *in prima quæstione quodlib.*

Quomodo relatio sit in essentia.

Responsio ad secundam.

Ad secundam patet responsio, quia illa vnio inter essentiam, & relationem nullam relationem, nec realem, nec rationis dicit propter perfectam identitatem eorum, vt suprà dixi. Similiter patet responsio ad tertiam rationem, quia talis vnio nullam relationem dicit.

Ad primam secundæ difficultatis, dico quòd ad hoc vt essentia possit denominari à tali relatione, necesse est quòd sit in essentia sicut actus perficiens, vel sicut fórma informans: quando verò est in essentia subsistens in natura, in qua subsistit, vel sicut ratio subsistendi alicuius personæ subsistentis in tali natura diuina, tunc à tali relatione nullo modo denominatur, vt patet à Doctore *in primo, d.5. qu.2.* modo relatio originis est in essentia sicut subsistens, vel ratio subsistendi, &c. vt patet à Doctore *in primo, dist.5. q. 2. & dist. 26.*

Ad secundam, patet quomodo relatio non est in essentia, sicut actus actuans aliquo modo, cùm essentia ex se sit in vltima, & perfectissima actualitate, vt patet à Doctore *in primo, dist. 25. 26. & qu.1. quodlib.* nec similiter contrahit ipsam ad *esse* incommunicabile, quia aliter, vt in Patre amplius non posset communicari Filio. Et cùm probatur de natura creata. Dico, quòd non est simile, quia nulla natura creata singularis est pluribus communicabilis, & in vna natura creata singulari tantùm est vna ratio suppositalis: natura verò diuina, etiam singularissima propter sui infinitatem, est pluribus incommunicabilis, vt ostendit Doctor *in primo, distinct. 2.* & singulariter *distinct. 28.* & sic in ipsa simul sunt plures relationes originis incommunicabiles formaliter.

Responsio ad tertiam.

Ad tertiam dico, quòd paternitas est in essentia diuina seipsa formaliter, originatiuè verò est ibi ab essentia diuina, vt patet à Doctore *in primo, dist. 28.* sicut etiam albedo est seipsa formaliter in pariete, cùm sit forma ipsius causatiuè, siue effectiuè est ibi à causante illam in pariete. Cùm dicitur, quòd si essentia diuina ab ipsa essentia, tunc esset producta ab essentia. Dico, quòd non esset producta, quia tunc esset realiter distincta ab ipsa, sed esset ab ipsa quasi pullulatiuè, vel quasi originatiuè, sicut etiam alia attributa sunt originatiuè ab essentia, & in essentia diuina, vt patet à Doctore *in primo, dist. 8. q. penult. & in quodlib. quæst. 1.*

Ad primam tertiæ difficultatis dico, quòd benè concluderet si relatio esset in essentia vt actus perficiens, vel vt forma informans, quia tunc essentia haberet rationem materiæ, vel quasi materiæ, vel potentiæ, vel quasi potentiæ: sed non est sic ibi, sed est ibi tantùm, vt actus personalis, siue vt ratio subsistendi, vt suprà dixi. 20.

Ad secūdam dico, quòd ly *vt* stat specificatiuè, & non reduplicatiuè. Et vltrà dictum Doctoris sic intelligitur, quòd relatio originis non constituit nisi sit in essentia.

Ad tertiam dico, quòd in eodem instanti, quo paternitas est in essentia Pater est, & non priùs est paternitas in essentia, quàm Pater sit, vt suprà dixi.

Ad primam quartæ difficultatis dico primò, quòd non communicatur personæ propriè loquendo quasi tunc persona præexistat, cui communicetur, vt patet à Doctore *in primo, distinct. 5. quæst. 2.* Secundò dico, quòd posito etiam quòd personæ communicetur, adhuc est simpliciter incommunicabilis; quia ex hoc intelligitur simpliciter incommunicabilis, quia constituit suppositum simpliciter incommunicabile, & ideò magis conceditur quòd est ratio incommunicabilitatis illi, quem constituit.

Ad secundam patet responsio, quia propriè non communicatur essentiæ, cùm sit in ipsa, vt ratio suppositalis, siue personalis. De huiusmodi materia vide quæ dixi *in primo, dist. 2. par. 2. & in tertio, dist. 1.*

Responsio ad quartam.

Ad vltimam dico primò, quod nullum apparet inconueniens, ipsam formaliter distingui ab essentia dinina, vt patet à Doctore *in primo, dist. 8. quæst. penult.* Dico secundo sustinendo dictum Doctoris *in 1. d. 2.* quòd non sequitur ipsam formaliter distingui, vt patet in simili de essentia diuina, & modo intrinseco, puta infinitate, arguendo sic: Infinitas formaliter est gradus intrinsecus essentiæ diuinæ; essentia diuina formaliter non est gradus intrinsecus; ergo essentia diuina, & infinitas dicunt distinctas formalitates. Non sequitur, quia gradus intrinsecus, etsi non sit idem formaliter essentiæ diuinæ, tamen ex hoc non dicit distinctam formalitatem ab essentia diuina, vt patet à Doctore in primo, dist. 8. quæst. 2. principali.

SCHO

SCHOLIVM.

Explicat optimè sensum specificatiuum, & reduplicatiuum, & quomodo hæc, relatio, vt comparata ad essentiam est res, *sit vera primo modo, non secundo modo, de reduplicatione, & specificatione, vide ipsum 3. d. 11. q. 1.*

7. QVantùm autem ad Logicam [m] ista propositio: *relatio comparata ad essentiam, est res*, videtur distinguenda, quia ista, *inquantùm*, vel *secundùm quòd*, vel *vt*, dupliciter accipiuntur: aliquando enim hæ dictiones notant rationem accipiendi illud quod determinatur per ipsam: aliquando etiam non solum hoc, sed propriè important causalitatem respectu inhærentiæ prædicati. Exemplum, motus est actus entis in potentia, secundùm quòd in potentia, ly *secundùm quòd*, importat rationem, secundùm quam motus est actus mobilis, quia cùm sint in mobili duæ rationes: est enim in actu, & est in potentia ad aliud: motus est actus eius, vt considerati in potentia: nec tamen ibi hoc, quod est, *secundùm quòd est in potentia*, notat causam inhærentiæ prædicati, quia quando sic accipitur, infert vniuersalem secundùm Philosophum 1. *Priorum*, vt iustitia est bonum *secundùm quòd* bonum, sequitur secundùm ipsum, ergo iustitia est omne bonum, & planiùs à parte subiecti, [n] vt si homo *secundùm quòd* rationale, intelligit, sequitur, quòd omne rationale intelligit. Hoc modo etiam, quando idem ponitur determinatio suiipsius mediante hac dictione *inquantùm*.

ly inquãtũ *sumitur specificatiuè.*

3. Phys. tex. com. 9. & 10.

Definitio motus explicatur. Cap. 33.

8. In primo ergo sensu consideratur præcisa ratio ipsius, quod determinatur: in alio sensu notatur, quòd relatio reduplicati sit ratio inhærentiæ prædicati cum subiecto. Primo modo dicimus, quòd homo consideratus *inquantùm* homo, est præcisissimè consideratus: secundo modo, homo *secundùm quòd* homo est rationalis: quia quod consequitur reduplicationem, est ratio inhærentiæ prædicati: & etiam concedi potest quòd homo *secundùm quòd* homo, est risibilis: & est ibi causa inhærentiæ in secundo modo dicendi per se.

Quod sequitur reduplicationem est ratio inhærẽtia prædicati.

Ad propositum, cùm dico quòd relatio, vt comparata ad essentiam diuinam, est res: potest intelligi dupliciter. Primo modo vt relationi consideratæ sub tali comparatione conueniat hoc prædicatum *res*: Vel secundo modo, quòd illa comparatio sit ratio inhærentiæ huius prædicati, quod est *res*: secundo modo propositio est falsa: quia illa comparatio ad essentiam est sola comparatio rationis. Est enim inter extrema non distincta realiter, relationem, scilicet & essentiam, quæ tamen potest intellectus comparare, & ita est inter ea relatio. Non ergo de isto intellectu loquimur, sed de primo, & tunc est sensus, quòd paternitas non solùm præcisè accepta, secundùm quòd paternitas: sed etiam secundùm quòd considerata sub ista ratione, vt comparatur ad essentiam, vel vt est in essentia, est res, quia ista comparatio non minuit nec destruit paternitatem esse rem; sed præsupponit, sicut præcedit secunda ratio ad conclusionem secundi articuli. Exemplum, *homo vt risibilis intelligit*, hæc non est vera sic, quòd risibilitas sit causa inhærentiæ prædicati: sed sic est vera, quòd homini considerato sub ratione risibilis non repugnat hoc prædicatum *intelligere*; sed conuenit. Et isto modo quæcunque determinatio sub qua consideratur subiectum, quæ tamen non excludit prædicatum, non falsificat propositionem, in qua prædicatum dicitur de subiecto sic determinato.

Homo vt risibilis intelligit *exponitur.*

COMMENTARIVS.

21. [m] QVantùm autem ad Logicam. *In isto secundo articulo principali, scilicet secundùm considerationem Logicam quomodo ista propositio sit vera, *Relatio originis, vt comparata ad essentiã est res.* Dicit Doctor quòd ly *vt*, siue *inquantùm*, siue *secundùm quod*, & huiusmodi, quæ sunt dictiones reduplicatiuæ, possunt dupliciter accipi. Aliquando enim notant rationem accipiendi illud, quòd determinatur per ipsas dictiones, & tunc accipiuntur specificatiuè, quia tantũ specificatur ratio formalis illius, quòd determinatur per ipsas. Sicut dicimus, homo inquantùm albus est risibilis, id est, quòd homini albo, vel sub ratione quã albus non repugnat risibilitas. Aliquãdo vltra quod notent rationem formalem illius, quod determinant, etiã propriè importãt causalitatem inhærentiæ prædicati ad subiectum, sicut hîc, homo inquantùm rationalis est risibilis, ly *rationale*, quod determinatur per ly *inquantùm* non tantùm accipitur specificatiuè, sed etiam reduplicatiuè, id est, non tantùm specificatur ratio formalis illius, sed etiam illa ratio formalis est causa præcisa, & adæquata quòd risibile inhæreat homini: quandò ergo accipitur reduplicatiuè,

Dictiones possunt dupliciter accipi.

duplicatiuè, ſemper in tali determinato notatur cauſa præciſa, & adæquata reſpectu inhærentiæ prædicari ad ſubiectum. Et ideò quando dicit Ariſtoteles 3. *Phyſic, tex. commen.6.& 10.* quòd motus eſt actus entis in potentia, ſecundùm quod in potentia, ly *ſecundùm quòd* ſpecificat rationem ſecundùm quam motus eſt actus mobilis, quia cùm ſint in mobili duæ rationes, eſt enim in actu, ſcilicet in ſe eſt ens in actu, & eſt in potentia ad aliud: & ſic accipitur ſpecificatiuè, & eſt ſenſus, motus eſt actus entis in actu conſiderati vt eſt in potentia ad aliud; non autem accipitur reduplicatiuè ly *ſecundùm quod in potentia*, quia tunc ſequeretur, quòd eſſe in potentia vniuerſaliter verificaretur de motu, quod eſt falſum, & patet per Philoſophum *primo Priorum* qui ſic arguit: *Iuſtitia eſt bonum ſecundùm quòd bonum: ergo iuſtitia eſt omne bonum*: ſi enim eſt bonum inquantùm bonum reduplicatiuè, quæ reduplicatio notat vniuerſalitatem illius, quod reduplicat, ſequitur quòd erit omne bonum.

22. n *Et planius à parte ſubiecti*, &c. Vult dicere, quòd aliquando reduplicatum ponitur à parte prædicati, vt iuſtitia eſt bonum inquantùm bonum. Aliquando à parte ſubiecti, vt homo ſecundum quod rationale eſt intelligens. Aliquando idem eſt determinatio ſuiipſius mediante *inquantum*, vt homo inquantum homo eſt rationalis; vel homo inquantum homo eſt riſibilis. Et his tribus modis poteſt accipi ſpecificatiuè tantùm, & aliquando ſpecificatiuè ſimul, & reduplicatiuè. In primo ſenſu conſideratur præcisè ratio ipſius reduplicati, vt homo conſideratus inquãtum homo eſt præciſſimè conſideratus, quia vt ſic, præcisè conſideratur homo. Similiter ſi diceretur homo inquantùm homo eſt albus, vt etiam ſuprà expoſui. Sed in ſecundo ſenſu, ſcilicet reduplicatiuè homo inquantùm homo eſt rationalis, quia homo ſequens reduplicationem eſt ratio inhærentiæ prædicati, id eſt, quòd eſt ratio quare prædicatum inhæreat ſubiecto in primo modo dicendi per ſe, & ratio eſt, quia homo identificat ſibi rationale formaliter, & non ècontra, vt expoſui *in primo diſt.2.* Quod benè nota. Similiter hîc, homo inquantum homo eſt riſibilis, ly *homo* ſequens reduplicationem ſtat reduplicatiuè, quia eſt cauſa inhærentiæ prædicati ad ſubiectum, & hoc in ſecundo modo dicendi per ſe.

SCHOLIVM.

Paternitas dupliciter poteſt dici ratio. Primò, vt modus eſſentiæ. Secundò, vt comparatur ad eam, eſt tamen in ſe res, & etiam vt comparatur ad eſſentiam: ſed magis vſitatè dicitur res, vt comparatur ad oppoſitum, quia ipſamet eſt hæc comparatio, & ratio vt comparatur ad eſſentiam, quia reſpectu huius eſt modus, non reſpectu illius: vt comparatur ad oppoſitum eſt realis, vt ad eſſentiam eſt rationis.

EX iſtis patere poteſt illud, ° quod quæritur. Sed oportet primò videre intellectũ 9.
huius quod dicitur, quòd relatio eſt ratio. Nã quòd aliquid dicatur *ratio*, poteſt
1. Tri.c.10. ad propoſitum intelligi dupliciter. Vno modo, quia eſt modus illius, cui comparatur, & non res tali realitate, ſicut Boëtius vocat habitudines circunſtantias, & non res: quia nõn habent talem realitatem, qualem habent illæ, quarum ſunt circunſtantiæ: & quanto aliquid recedit à realitate perfecta, tanto magis accedit ad rationem. Alio modo aliquid, vt accipitur ſub ratione formaliter, poteſt dici ratio, vel ens rationis, ſicut ſi homo vt vniuerſale, dicatur eſſe ratio, pro quanto conſideratur ſub vniuerſalitatæ, quæ eſt per ſe ratio. Iſtis duobus modis poteſt concedi, quòd relatio vt comparatur ad eſſentiam eſt ratio, quia eſt modus circa eſſentiam, & non habet talem entitatem formaliter, qualem habet eſſentia: ſed eſt quaſi circunſtantia reſpectu eius; & etiam cùm dico, vt comparatur ad eſſentiam, hæc comparatio (vt dictum eſt) importat reſpectũ rationis, & ſub ea conſideratur paternitas, & pro tanto paternitas, vt comparatur ad eſſentiam, eſt ens rationis, quia acceptum ſub ratione.

Ratio dupliciter ſumitur.

Sed ſiue ſic, ſiue ſic, ſic dicatur, quòd paternitas vt cõparatur ad eſſentiã eſt ratio, non tollitur, quin paternitas ſit res, quia quantùm ad primum, ipſa ſuo modo eſt res, ſcilicet res ad aliud: licèt dicatur ratio reſpectu rei ad ſe. Quantùm ad ſecundum, ipſa conſiderata ſub ratione, quæ eſt comparatio ad eſſentiam, dicitur ratio, quia illud ſub quo conſideratur non habet entitatem ex ſe, ipſa tamen eſt res, quia illud ſub quo conſideratur non deſtruit realitatem eius, ſed ipſam præſupponit: comparatio enim alicuius ad alterum præſupponit entitatem ſecundùm ſe,

Relatio vt cõparatur ad eſſentiã poteſt eſſe, realis, vel rationis.

Ex hoc patet, quòd iſta ſtant ſimul, quòd ipſa relatio comparata ad eſſentiam ſit 10.
ratio, ſcilicet duplici modo prædicto, & tamen quòd ipſa, vt comparatur ad eſſentiam, ſit res, ſicut iam dictum eſt. Stat etiam quòd ipſa comparata ad oppoſitum ſit res: quia ipſamet eſt cõparatio ad oppoſitum, & ipſamet eſt ipſa res, quæ eſt talis cõparatio, & magis vſitatè dicitur res, vt cõparata ad oppoſitum, & ratio vt comparatur ad eſſentiã: quia vt cõparatur ad oppoſitionẽ, eſt æquè & ſimilis entitas cũ oppoſito, nec reſpectu eius habet rationẽ modi, ſicut nec è cõuerſo. Similiter ipſa eſt cõparatio ſui ad oppoſitum: Et ideò cùm dicitur, cõparata, non cõſideratur ſub aliqua ratione, quæ pripriè dicatur ratio: non enim eſt aliud paternitas, vt cõparatur ad filiationem, quam

Relatio vt comparata ad eſſentia, & ad oppoſitũ, eſt res, ſed aliter & aliter.

quàm paternitas vt comparata ad filiationem, & hoc est in speciali paternitas vt est paternitas. Stat ergo simul quòd paternitas, vt comparata ad oppositum, sit res, nō tamē eo modo, quo vt comparatur ad essentiā, est res, sed vt comparata ad oppositū est res istis duobus modis: quia similis entitatis distinctæ, cōtra modum, & est res nō accepta siue cōsiderata formaliter sub ratione, & quòd ipsa comparata ad essentiam sit ratio, propter duo opposita, quia, scilicet modus essentiæ, & quia accepta sub ratione, quæ est ipsa comparatio ad essentiam tamen vtroque modo, & vt comparatur ad oppositum, & vt comparatur ad essentiam, est res, & eadem res: quia ipsamet est comparatio realis, vt probatum est.

COMMENTARIVS.

23. EX *istis patere potest illud quod quæritur*, scilicet quomodo relatio, vt comparata ad essentiam dicatur ratio. Et plura dicit in ista litera, quæ non indigent expositione. Primò *aliquid potest dici ratio dupliciter. Primò, quia est modus alicuius, comparatur*, &c. Et hoc modo relatio originis, vt comparata ad essentiam potest dici *ratio*, quia est modus eius, & non est res tali realitate, cùm ipsa sit tantùm habitudo, & essentia entitas absoluta. Secundò dicitur *ratio*, vt accipitur sub ratione formaliter; sicut homo dicitur species pro quanto consideratur sub intentione Speciei. Et hoc modo relatio originis, vt comparatur per intellectum potest dici *ratio*, quia vt sic consideratur sub ente rationis, quia dicit *esse* comparatum. Secundo principaliter dicit, quòd relatio originis, vt comparata ad essentiam, licèt dicatur ratio his duobus modis, tamen vt comparata semper est res, quia talis comparatio non tollit à relatione, quin sit vera res; imò præsupponit eam; comparatio enim vnius ad aliud præsupponit entitatem secundùm se. Tertiò dicit, quòd *magis vsitatè dicitur* res, *vt comparata ad oppositum, &* ratio, *vt comparatur ad essentiam*, &c. Quartò dicit quòd relatio originis, vt comparata ad essentiam dicit relationem, siue respectum rationis.

Dubium. Dubitatur de hoc, non enim videtur quòd relatio originis dicat relationem rationis, quia sunt eadem perfecta identitate reali, scilicet essentia, & relatio originis; ergo relatio non dicit relationem rationis terminatam ad essentiam; patet per Doctorem *quæst.* 14. *quodlib. artic.* 3. qui vult quòd cognitio beata in intellectu diuino nullam relationem, nec realem, nec rationis includat, propter perfectam identitatem realem actus beatifici ad obiectum beatificum; ergo sic erit in proposito.

Respondeo, quòd Doctor non negaret quin actus beatificus intellectus diuini diceret relationem rationis, si ab intellectu diuino comparetur ad obiectum beatificum, cùm omnis comparatio per actum intellectus sit respectus rationis, vt patet à Doctore in pluribus locis. Sed negat ibi relationem tam realem, quàm rationis, qualis est in actu intellectus nostri ad obiectum; quia si actus intellectus nostri terminatur ad rem existentem, inquantùm existens, sicut in cognitione intuitiua, tunc talis actus includit relationem realem, quæ est inter extrema realia, & realiter distincta, & oritur ex natura extremorum. Si verò actus intellectus nostri terminetur ad rem non existentem inquantùm non existens, vt in cognitione abstractiua, talis actus includit relationem rationis, quia non terminatur ad rem existentem, vt existens; omnis enim relatio, quæ est inter extrema non existentia, vel etiam si alterum existat, & alterum non, semper est relatio rationis, vt patet à Doctore. ibi. In proposito autem, quia actus beatificus intellectus diuini terminatur ad obiectum beatificum perfectissimè existens, vt existens, & idem actus est perfectè idem tali obiecto, ideò nullam relationem includit, nec realem, nec rationis, & hoc modo loquitur Doctor ibi. Si modo intellectus comparet actum beatificum, vt cognitum, ad obiectum beatificum, vt cognitum; tunc esset relatio rationis. *Solutio.*

SCHOLIVM.

Obiicit contra dicta. Primò, si relatio vt comparata ad essentiam est res; ergo res ad alterum, ergo ipsa essentia erit res ad alterum: sicut sequitur; homo vt rationale intelligit, ergo rationale intelligit. Secundò, quia sequitur in relatione creata, vt comparatur ad suum fundamentum, dari processum. Tertiò, propria realitas relationis in diuinis est substantialis: ergo & ad se. Ad primum patet per supradicta, num. 4. *de sensu specificatiuo & reduplicatiuo; & affertur præclara doctrina. Assignat rationem, quare sicut in creatis susceptiuum denominatur à forma, vt cùm dicitur,* corpus est animatum, *non sic quasi susceptiuum in diuinis à quasi forma, vt essentia à generatione actiua; quia est indifferens ad oppositam formam, quod in creaturis non currit.*

Artic. 3. Dub. cõtra supradicta dissoluuntur.

DE Tertio articulo p arguitur contra prædicta. Primò sic. Si relatio comparata ad essentiam est res: aut ergo ad se, aut ad alterum; quòd relatio sit res ad se qualitercunque, videtur includere contradictionem; ergo vt comparata ad essentiam est res ad alterum: sed vt comparatur ad essentiam est idem quod essentia: ergo relatio, vt idem est essentiæ, vel vt est essentia, est res ad alterum, & tunc vltrà: ergo essentia est res ad alterum. Ista consequentia probatur per simile: quia si homo secundùm quòd rationale, intelligit: ergo rationale intelligit: & ratione etiam, quia prædicatum, quòd conuenit alicui per rationem alicuius, priùs conuenit rei. 11.

Item, si relatio vt comparata ad quodcunque, sit res propriâ realitate: ergo similiter relatio in creatura, vt comparatur ad fundamentum, est res propriâ realitate, & non præcisè realitate fundamenti: ergo est ibi accidens propriâ accidentalitate; quia non est ibi substantia, & tunc sequitur, quòd alia est accidentalitas relationis in creatura: & accidentalitas absoluti, in quo fundatur, & sic videtur sequi processus in infinitum, quia illa accidentalitas relationis habet propriam realitatem, & non nisi accidentalem; ergo habet propriam accidentalitatem, & de illa similiter, & sic in infinitum.

Consimiliter, in diuinis si habet propriam realitatem, vt cõparatur ad essentiam: ergo illa est substantialis vel accidentalis: non accidentalis: quia nullum accidentale est in Deo. 5. *de Trin. cap.* 5. ergo habet propriam substantialitatem. Et tunc Pater paternitate habebit *esse* per *se*, quod est inconueniens, quia tunc erunt in diuinis tria per se *esse*, quia tres relationes: cùm ramen non sit ibi nisi vnicum per se *esse*, secundùm Beatum Augustinum 7. *de Trinitate cap.* 6. dicentem, *quòd substantia est, quo Pater est: & quo filius, similiter habet* esse, *licèt non sit quo Pater est Pater.*

Respondeo, ad primum patet in secundo articulo de distinctione istius propositionis, *relatio, vt comparatur ad essentiam, est res*: quia vera est, prout ly, *vt*, vel *inquantum*, denotat determinationem, vel specificationem, siue determinatam acceptionem paternitatis sub ista ratione, quæ est comparatio ad essentiam. Non est autem vera prout denotat causalitatem inhærentiæ prædicati ad subiectum. In primo ergo intellectu, quando quæritur, quæ res sit, dici potest, quòd est res ad alterum, quia comparatio ad essentiam non facit, quòd paternitati repugnat sua propria realitas, quæ est realitas ad alterum: nec tamen est sic intelligendum, quòd paternitas comparata ad † diuinitatem, sit res ad alterum: ita quòd alterum sit diuinitas, vt sit sensus: Paternitas, est res ad diuinitatem, sed est sensus: Paternitas comparata ad essentiam, est res rationis, & in se res ad alterum, scilicet ad Filium, quia qui comparat paternitatem ad diuinitatem, excludendo Filium, vel non includendo Filium, non comparat paternitatem, nisi habeat duo contradictoria in intellectu suo, cùm paternitas, secundùm illud quod est, sit per se ad Filium Et licèt paternitas non sit seipsa comparata ad diuinitatem, sed ad Filium, vt ad correlatiuum, tamen paternitatem ipsam, includendo *esse* ad Filium, potest intellectus comparare ad diuinitatem: quia intellectus potest aliquid comparare per actum suum ad illud, quod non est eius per se correlatiuum ex natura rei. Secundùm hunc intellectum, potest dici, quòd paternitas, vt comparata ad essentiam, est res ad alterum. 12.

Paternitas, vt cõparata ad essentiam, est res ad alterum exponitur.

Et cùm infertur; ergo vt est essentia, vel vt idem essentiæ, est res ad alterum, concedatur in simili intellectu.

Et vltrà, cùm dicis q ergo essentia est res ad alterum.

Essentia aliquo sensu est res ad alterũ. Prædicatũ nõ necessariò cõuenit determinationi eo modo quo determinato.

Respondeo, hoc potest intelligi dupliciter, per identitatem, vel formaliter. Primo modo posset concedi, & est sensus dicti, quòd diuinitas est res, quæ est ad alterum: quia est paternitas: non autem est concedendum formaliter, quòd diuinitas secundùm suam formam sit ad alterum. Sed quia in antecedente fuit prædicatio formalis dicendo. Paternitas, vt comparatur ad essentiam, est res ad alterum, ideò si inferatur similis prædicatio in consequente, quòd diuinitas est formaliter ad alterum, neganda est consequentia, quia non oportet quòd prædicatum eo modo conueniat determinationi, quo conuenit alicui intellecto sub tali determinatione, quando illa determinatio non notatur esse ratio inhærentiæ prædicati ad subiectum, sicut hîc. Et per hoc patet ad probationes consequentiæ Homo secundũ quòd rationalis, &c. 13.

Ista

Ista consequentia tenet prout, ly *secundùm quòd*, notat causalitatem inhærentiæ prædicati ad subiectum; sic autem non accipitur in proposito hoc, quod dicitur, *vt comparatur ad essentiam*; & similiter ad probationem sequentem: esto quòd prædicatum veriùs insit illi, quòd est ratio inhærentiæ alij, hoc non habetur nisi secundùm quòd, ly *secundùm quod*, tenetur propriè, reduplicatiuè. Hîc autem non sic accipitur (vt dictum est) in illa distinctione Logica in secundo articulo.

Sed si obiiciatur [r] quia illud, quod est in aliquo formaliter, potest illud denominare, ergo si relatio, vt comparata ad essentiam, sit in essentia, essentia potest denominari à relatione, & per consequens essentia formaliter refertur ad aliud.

14. Respondeo aliqua, denominatiua, vel concreta, prædicantur de aliquibus, primo modo per se: aliqua de aliquo per se, secundo modo, siue per accidens; de composito quidem ex susceptiuo & forma prædicatur denominatiuum siue concretum formæ per se primo modo, specialiter si subiectum est per se vnum, quantùm ad cōceptum, sicut homo dicitur rationalis, siue animatus per se primò, sed corpus, quòd est altera pars compositi, dicitur denominatiuè animatum, propriè tamen, siue per se secundo modo, siue per accidens: quia illud non est totum includens formam, sed susceptiuum recipiens formam. Vbicunque ergo est aliqua forma, oportet dare prædicationem formalem de toto, quæ est per se primo modo. Etiam in creaturis, oportet dare communiter prædicationem, quæ sit propriè denominatiua formæ susceptiuo. In diuinis prima prædicatio non negatur: nam Pater generat, siue generans generat, Pater est quasi compositum includens, quasi essentialiter, formam illam, quæ de ipso prædicatur, sed denominatiuam prædicationem, quasi formæ, de quasi susceptiuo non oportet dare ibi.

Concretum dicitur per se primò, de composito ex susceptiuo, & forma, sed per se secundo de susceptiuo.

Hoc declaratur auctoritate, & ratione. Ratione sic, quod intelligitur ibi quasi susceptiuum formæ, est illimitatum ad oppositas formas vel relationes; & tamen non distinguitur ab eis. Quod autem denominatur à forma aliqua, denotatur per hoc esse distinctum ab opposito: quia ergo hîc non est susceptiuum proprium formæ, sed commune sibi, & opposito, & forma talis denominare non posset nisi proprium susceptiuum: quia nonnisi distinctum ab opposito, ideò nulla est prædicatio denominationis relationum de susceptiuo.

Denominatum per formā denotatur distingui ab opposito.

Hoc confirmatur [ſ] per Damascenum *lib. 1. cap. 5.* vbi vult, quòd relationes determinant hypostases non naturam. Notantur ergo illud determinare, de quo prædicantur in concreto, quia notantur illud comparare ad oppositum, & distinguere ab opposito.

Ad formam ergo rationis, quando accipitur, relatio est in essentia, ergo essentia potest denominari à relatione, non sequitur. Et ratio dicta est, & cum dicitur: omnis forma potest denominare illud, in quo est, extendendo denominationem ad prædicationem denominatiuam essentialem in concreto, sicut homo est animatus, & ad denominationem propriè dictam, sicut homo est risibilis, vel lignum est album, vel homo intelligit; concedi potest, quòd omnis forma aliquo istorum modorum denominat illud, in quo est, quia ad minùs de composito prædicatur in concreto, licèt illud sit, extendendo denominationem: sed si tu accipias, de illo, in quo est, vt in susceptiuo, prædicatum prædicatur propriè denominatiuè, negandum est: nisi illud susceptiuum sit limitatum, vel nisi prædicatio illa denominatiua importet subiectum esse proprium, & distinctum ab opposito.

Relatio est in essentia, tamen non denominatur ab ea.

SCHOLIVM.

25. [b] DE *tertio articulo principali*, in quo mouentur dubia contra prædicta in primo, & secundo articulo. Et primò arguit, probando quòd relatio originis, vt comparata ad essentiam non sit res, Et ratio prima stat in hoc, si est res, erit res ad alterum, patet, quia non est absoluta, vt suprà patuit; sed vt comparata ad essentiam est idem quod essentia, ergo essentia erit res ad alterum, quòd est falsum. Quod autem sequatur hoc, patet in simili, quia bene sequitur, homo inquantū rationalis intelligit, ergo rationale intelligit; ergo erit similiter hæc consequentia bona, relatio vt comparata ad essentiam est res ad alterum; ergo essentia erit res ad alterum. Patet etiam hæc consequentia per rationem, quia prædicatum, quod conuenit alicui per rationem alicuius, conuenit priùs ei, sicut intelligere conuenit homini per rationale; ergo priùs conuenit rationali: modò cum terminus reduplicatus sit ratio quòd prædicatum conueniat subiecto,

Quomodo relatio non sit res.

ſeqnitur quod tale prædicatum priùs conueniat termino reduplicato. Sic in propoſito, quia terminus reduplicatus eſt eſſentia, cùm dicitur, relatio originis, vt comparata ad eſſentiam eſt res ad alterum.

26. ¶ *Et cùm vltrà quæritur*, aut eſt res ad ſe, aut ad alterum.

Dico, quòd vt comparata ad eſſentiam eſt res ad alterum, ſic intelligendo, quòd vt comparata ad eſſentiam eſt res rationis, quia vt comparata, & in ſe, eſt res verò realis ad alterum, accipiendo ly *alterum* pro Filio,& non pro eſſentia, quia non refertur ad eſſentiam, ſed ad Filium, quia qui comparat paternitatem ad eſſentiam excludendo Filium,non comparat paternitatem, niſi habeat duo contradictoria iu intellectu ſuo, cùm paternitas ſecundùm illud quod eſt, ſit per ſe ad Filium; eſt enim manifeſta contradictio quòd ſit paternitas, & non ſit ad Filium, ſicut eſt manifeſta contradictio, ſcilicet quòd ſit relatio, & non ſit ad aliud, vel vt ad terminum, vel vt ad correlatiuum. Et vltrà cùm infertur:ſi paternitas eſt res ad alterum, ergo vt eſt eſſentia, vel idem eſſentiæ erit res ad alterum,conceditur; ſed poſtea negatur quòd eſſentia ſit ad alterum. Et cùm probatur per ſimile de rationali, *Aduerte.*

Dico, quòd ibi *inquantum* ſtat reduplicatiuè, notatur enim ibi, quòd rationale ſit cauſa inhærentiæ prædicati ad ſubiectum. Hìc autem tantùm ſtat ſpecificatiuè, & ideò non ſequitur,ergo eſſentia eſt ad alterum, ſicut nec hìc, homo inquantùm albus eſt rationalis,ergo album eſt rationale: non ſequirur, quia ly *inquantum* ſtat tantùm ſpecificatiuè.Ex hoc etiam patet ad aliam probationem, per rationem, ſcilicet quod conuenit alicui per rationem alicuius, priùs conuenit illi. Hoc conceditur,ſed poſtea negatur quòd conueniat paternitati eſſe rem ad alterum per rationem deitatis, ſiue per comparationem ad eſſentiam, vt ſuprà patuit, imò ex ratione propria, & formali conuenit ſibi eſſe ad alterum,licèt originatiuè,& fundamentaliter conueniat eſſe rem ad alterum ab eſſentia diuina, vt ſuprà patuit. Declarat etiam Doctor quomodo paternitas, vt comparata ad eſſentiam, ſit idem quod eſſentia, vel ſit ipſa eſſentia: & dicit quòd eſt ipſa eſſentia realiter, ſed non formaliter, id eſt, quòd eſſentia,& relatio originis ſunt vna res realiter,ſed non ſunt vna res formaliter, imò in eadem re ſimpliciter poſſunt eſſe plures formalitates, vt Doctor oſtendit *in primo,d.8.quæſt.penult*. Et ſic poteſt concedi quod eſſentia realiter eſt res ad alterum, quia realiter eſt ipſa paternitas,quæ eſt res ad alterum: negatur tamen quòd formaliter ſit res ad alterum,imò formaliter, & quiditatiuè eſt res ad ſe, ſiue abſoluta. Sic ſimiliter poteſt concedi quòd paternitas ſit res ad ſe, & non ſit ad ſe. Eſt enim realiter res ad ſe, quia realiter eſt eſſentia diuina, quæ eſt res ad ſe, formaliter verò non eſt res ad ſe, ſed ad alterum.

27. Expono tamen hanc literam ſic: *Sed quia in antecedente fuit prædicatio formalis dicendo, paternitas, vt comparatur ad eſſentiam, eſt res ad alterum*, (& patet quomodo ſit prædicatio formalis,quia paternitas,ſecundùm ſuam formalem rationem eſt res ad alterum,) *& ideò ſi inferatur ſimilis prædicatio in conſequente*, ſcilicet *ergo diuinitas eſt formaliter ad alterum*,(id eſt,quòd diuinitas ſecundùm ſuam formalem rationem ſit res ad alterum) *neganda eſt conſequentia*, &c. Aduerte, quòd non accipit hìc *determinationem*, pro dictione reduplicatiua, ſed pro termino reduplicato, qui terminus reduplicatus poteſt dici determinatio reſpectu ſubiecti,vt cũ dico,homo inquantùm rationalis eſt riſibilis, non accipitur, *homo* abſolutè,ſed ſub illa ratione qua rationalis. Similiter hìc, paternitas, vt comparata ad eſſentiam non accipitur abſolutè, ſed ſub illa ratione quà comparatur ad eſſentiam,& ideò paternitas eſt determinabile, & comparata ad eſſentiam eſt determinatio.

Dicit ergo Doctor quòd quando determinatio non eſt ratio inhærétiæ prædicati ad ſubiectum, non ſequitur quòd prædicatum eodem modo conueniat ipſi determinationi,ſicut cõuenit ſubiecto determinabili, vt ſi formaliter conuenit vni, quòd conueniat formaliter alteri, & patet hìc,*homo inquantùm riſibilis eſt rationalis*: rationale conuenit homini in primo modo dicendi per ſe, & riſibile in nullo modo dicendi per ſe conuenit, & ratio eſt, quia riſibile non eſt ratio inhærentiæ prædicati ad ſubiectum, vt patet.Sic eſt in propoſito cùm dicitur, paternitas, vt comparata ad eſſentiam, eſt res ad alterum. Si verò determinatio eſſet cauſa inhærentiæ, fortè eo modo quo eſſet cauſa inhærentiæ prædicati ad ſubiectum, eodem modo ipſum prædicatũ conuenire poſset ipſi determinationi, ſicut conuenit determinabili, vt hìc, *homo inquantùm rationalis eſt riſibilis*; ita riſibile conuenit rationali in ſecundo modo per ſe, ſicut conuenit homini, & ratio eſt, quia ſi *A* eſt ratio formalis quòd *C* conueniat *B* ſequitur quod etiam imò fortius conueniet ipſi *B*. Et ſic, patet iſta litera.

r *Sed ſi dicatur*. Hìc Doctor obiicit contra hoc quòd priùs dixit, ſcilicet quòd relatio, vt comparata ad eſſentiam, eſt in eſſentia, quia videtur ſtatim ſequi quòd poterit eam formaliter denominare, & per conſequens eſſentia ſecundùm illam poterit formaliter referri ad aliud, quod eſt inconueniens, vt patet *in primo diſt. 3. quæſt.* 1. 28.

Reſpondet præmittendo, quòd aliqua prædicantur denominatiuè in primo modo dicendi per ſe; aliqua verò in ſecundo modo.Exemplum primi, homo eſt rationalis, ſiue animatus.Exẽplum ſecundi: corpus eſt animatum.Prima dicitur denominatiua eſſentialis, denominatiua quidem, quia prædicatur in concreto, & quaſi per modũ inhærentis; eſſentialis verò, quia anima eſt de eſſentia hominis.Secunda dicitur denominatiua, quia anima informat, & inhæret corpori, ſiue ſuſceptiuo, & dicitur in ſecundo modo, non vt diſtinguitur contra primum modum, quia vt ſic prædicatur paſſio de ſubiecto,& quod ſic conuenit in ſecundo modo, neceſſariò, & vniuerſaliter conuenit, vt patet *primo Poſteriorum*, ſed dicitur in ſecundo modo prout diſtinguitur cõtra *per ſe*, id eſt, prout accipitur pro prædicatione per accidens,nõ quòd ibi prædicetur accidens,ſed quia anima informat ſuſceptiuum quaſi per accidens. Fortè etiam poſſet dici per ſe ſecundo modo ex hoc, quòd forma ſubſtantialis eſt per ſe actus,& ſubiectum per ſe potentia ſubiectiua, vt patet 8. *Metaph.*& ſic ex his fit per ſe vnum.Forma verò accidentalis eſt per accidens actus, & ſubiectum illius per accidens potentia, vt patet per Philoſophum, *vbi ſuprà*. Sed prima expoſitio videtur *Reſponſio.* *Exemplum.* *Anima informat corpus.*

magis

magis ad propositum, quòd scilicet dicatur per se secundo modo, hoc est, nullo modo essentialis, sed denominatiua per accidens. Et ideò dicit Doctor *per se primo modo, siue per accidens.*

29. Deinde addit quòd *in creaturis vbi est aliqua forma, ibi oportet dare prædicationem formalem de toto, quæ sit per se primo modo, & prædicationem, quæ sit propriè denominatiua forma de susceptiuo.* Hoc tamen debet intelligi quando susceptiuum, & forma nata sunt facere vnum per se. Et ideò dicit quòd hoc verum est specialiter si subiectum, id est, totum, sit per se vnum quantùm ad conceptum. Applicando in diuinis Doctor concedit primam denominatiuam, vt hîc, *Pater generat*, hæc videtur primo modo, eo quòd generare constituat Patrem, paternitas enim & generatio actiua in re idem important, vt declaraui *in primo, dist. 2. & 28.* Quia ergo paternitas, siue generatio actiua per se pertinet ad rationem Patris, ideò ista conceditur: *Pater generat*, & similiter ista: *Generans in diuinis generat*, generans enim, & Pater in diuinis idem in re important. Et quod dicit hîc, quòd *Pater est compositus*, hoc debet sanè intelligi. Negat enim Doctor *in primo, dist 5. quæst. 2.* omnem compositionem, vel quasi compositionem. Accipitur ergo *quasi compositum*, id est, quasi quoddam totum constitutum ex essentia, & paternitate.

Difficultas & eius responsio. Si dicatur, quòd ista, *Pater generat*, nullo modo est in primo modo dicendi per se, quia quando prædicatio denominatiua est in primo modo semper forma pertinet ad quiditatiuam totius: modò paternitas, siue generatio actiua in diuinis nullo modo pertinet ad quiditatem, cùm sit ratio subsistendi, & omnis quiditas est communicabilis, vt patet à Doctore *in primo, dist. 2. & 26.* Dico breuiter, quòd posito quòd nullo modo dicat quiditatem, quia tamen per se pertinet ad *esse* formale Patris, constituendo ipsum per se in *esse* personali, potest ex hoc dici prædicatio per se primo modo. An modò dicat quiditatem, vide quæ exposui super primo, *dist. 25. & 26.*

Sed secunda prædicatio, scilicet relationis de susceptiuo, videtur esse neganda in diuinis, quia essentia diuina, etsi sit fundamentum harum relationum, non tamen habet rationem susceptiui, & hoc probat ratione. & auctoritate. Ratio stat in hoc, quia susceptiuum formæ natum denominari ab illa, non est illuminatum ad formam oppositam, id est, quòd simul non possit esse sub formis oppositis, vel quod est susceptiuum formæ, denotatur esse distinctum à forma opposita, id est, quòd successiuè non possit esse sub vtraque, ita quòd quando est sub vna, non simul sit, vel possit esse sub alia. Sed quando est sub vtraque opposita non denominatur ab aliqua illarum. Si enim subiectum simul esset sub albedine, & sub nigredine, vt albedo, & nigredo opponuntur, non denominaretur ab illis, vt patet. Modò in proposito. Essentia diuina est simpliciter illimitata respectu omnium relationum, & necessariò simul est sub omnibus, cùm quicquid sit ibi est simpliciter necesse, sequitur quòd essentia diuina nullo modo habebit rationem susceptiui respectu relationum originis. 30.

¶ Hoc idem probat auctoritate Damasceni *lib. 1. cap. 5.* qui vult quòd *relationes determinant hypostases, non naturam*, id est, quòd relationes illæ denominant personas, non naturam diuinam.

SCHOLIVM.

Ostendit, licèt relatio creata habeat propriam accidentalitatem, id est, inhærentiam, non ideò dari processum, quia non distinguitur inhærentia relationis realiter ab ipsa, sed relatio seipsa inhæret, quia repugnat eam sine inhærentia existere, secus est de accidente absoluto, de quo latè Doctor 4. d. 12. q. 1. con. secunda & tertia. Et q. 2. ad 3. De distinctione & identitate relationum à fundamentis latè agit Doct. 2. d. 1. q. 4. & 5. vbi & 3. d. 8. §. de argum. tactum, tenet relationem, sine qua fundamentum esse nequit (cuiusmodi est dependentia ad primam causam) non distingui à fundamento, aliàs verè distingui. Non dari processum relationibus ostendit num. 16. De quo latiùs agit 2. d. 1. q. 4. num. 24. Quod ait inseparabilitatem inferre identitatem, difficilem reddit opinionem, quæ Doctori tribuitur, nempè totum distingui à partibus vnitis, de quo 3. d. 2. q. 2. vide nostrum Scholium ibi.

15. AD secundum, licèt esset magna difficultas de per se, tamen in proposito eam pertranseo, concedo tamen quòd relatio, quæ est accidens in creaturis, propriam habet accidentalitatem: quia illa est per se res, & non est illa res, in qua fundatur: nec est res per se ens, sicut substantia, ita oportet dare, quòd ipsamet per se sit res habens propriam accidentalitatem, quæ non sit accidentalitas entis ad se, sed accidentalitas entis ad alterum. Sicut enim non est eadem entitas ad se, & ad alterum, sic nec eadem accidentalitas accidentis entis ad se, & accidentis entis ad alterum. Et cum arguitur, quòd est processus in infinitum, *Ad ar. 5. num. 11. Relatio habet primā inhærētiā. Inhærentia relationis non differt ab ipsa secus de inhærētia absoluti. 4. d. 12. q. 1.*

Respondeo, standum est in ipsa relatione, nec vlteriùs proceditur. Verbi gratia, in albedine fundatur similitudo, ista similitudo habet aliquam accidentalitatem propriam ab accidentalitate albedinis distinctam, sicut relatio est genus distinctum à genere qualitatis. *Regula cognoscendæ identitatis. vide 2. d. 1. qu. 4.*

Sed quæras de accidētalitate similitudinis, si ipsa est alia à similitudine? dico quòd non, quia similitudo est sua accidentalitas ad fundamentum, & seipsa accidit fundamento,

fundamento, ſicut ſeipſa eſt ad oppoſitum. Vniuerſaliter enim quod conuenit alicui ſic, quòd omnimoda contradictio ſit illud eſſe ſine hoc, hoc eſt idem realiter illi: & per oppoſitum, vbi non eſt omnimoda contradictio, non oportet eſſe omnino: nunc autem contradictio eſt ſimilitudinem eſſe, & non eſſe ad fundamentum, & etiam non eſſe ad terminum: ideò accidentalitas ſua ad fundamentum eſt idem ſibi, ſicut ipſamet eſt ſimilitudo, vel habitudo ad oppoſitum.

Quare nõ datur proceſſus in relationib. de quo 2. d. 1. q. 4. n. 24.

Status eſt ergo, quia accidentalitas ſimilitudinis non eſt alia res à ſimilitudine, ſed ſimilitudo eſt quædam res alia ab albedine, quia habitudo & etiam accidentalitas albedinis poteſt poni quędam res alia ab albedine: quia albedo eſt quædam res abſoluta, & accidens abſolutum poteſt eſſe ſine contradictione, ſine ſubiecto. Et ideò nõ eſt idem habitudini ſuæ ad ſubiectum, nec ſeipſa accidit illi: falſa eſt ergo illa: qua ratione ſimilitudo accidentalis albedinis habet aliam accidentalitatem ab albedine, pari ratione accidentalitas ſimilitudinis habebit aliam accidentalitatẽ à ſimilitudine. Falſa eſt etiam illa, qua ratione accidentalitas ſimilitudinis eſt eadem ſibi, pari ratione accidentalitas albedinis eſt eadem ſibi: quia albedo eſt ens abſolutum, & ſimilitudo relatio. 16.

Et ex hoc non eſt contradictio, albedinem eſſe ſine comparatione ad ſuperficiem, eſt autem contradictio ſimilitudinem eſſe ſine comparatione ad fundamentum, & ideò illa comparatio non eſt eadem albedini, iſta autẽ eſt eadem ſimilitudini Nihil autem aliud eſt ſimilitudinem eſſe, quàm habitudinem huius ad hoc. Nec tamen dico, quòd relatio ad quodcunque comparetur, ſeipſa comparatur: quia poteſt comparari relatione rationis, quæ non eſt ipſa, ſed etiam fortè poteſt comparari relatione, quæ non eſt ipſamet, ſed quæ eſt realiter alia à ſe. Sicut proportionabilitas fundatur in propoſitione: ſed hoc dico, quòd relatio ſeipſa, & non alia comparatione comparatur, ſi tamen comparetur ad quodcunque ſine quo eſt contradictio ipſam eſſe.

Relatio ad quodcũque cõparetur, ſeipſa comparatur quomodo intelligendum.

SCHOLIVM.

Soluendo tertium argum. poſitum num. 11. quod intendit probare relationem diuinam eſſe ſubſtantiam, ponit plura, & pulchra dicta. Primum, eſſentia diuina habet aliqualiter rationem primæ & ſecundæ ſubſtantiæ; huius, quia eſt communis, non tamen diuiſibilis vt in creatis; illius, quia ſingularis, licèt non contrahatur ad ſingularitatem, vt in creatis, de quo 2. diſt. 3. qu. 1. & 6. Secundùm, eſſentia eſt communis realiter, quod repugnat naturæ creatæ. Hîc Doctor negat vniuerſale à parte rei, & q. præced. nu. 6. Et latè 2. diſt. 3. q. 1. & 6. & alibi, vbi id notaui in Scholio. Tertium, Relatio in Diuinis non habet rationem primæ, nec ſecundæ ſubſtantiæ, quia ſecundùm communiorem opinionem, omne abſolutum in Diuinis eſt communicabile, & relatio tantùm addit incommunicabilitatem, quæ non poteſt conſtituere: hîc Doctor inclinat, vt perſonæ per relationes conſtituantur, de quo latè 1. d. 26. à nu. 2. Quartum, quod contrahit ſubſtantiam ad incommunicabilitatem in creatis, eſt aliquando prima ſubſtantia, ſecus in Diuinis, vbi omnis ſubſtantia eſt communicabilis ſecundùm communem. Quintum, non omne quod in Deo eſt, dicitur ſecundùm ſubſtantiam, vel accidens, ſecundùm Auguſtinum. Sextum, non poſſe inhærere non eſt ratio ſubſtantiæ, nec poſſe inhærere ratio accidentis. Septimum, Imperfectio, vt inhærere, poteſt repugnare pluribus, non per aliquam vnam rationem, ſed per plures, & in propoſito inhærere repugnat eſſentiæ, quia eſt perfectio ſimpliciter, & relationi, quia licèt non ſit perfectio, ei repugnat imperfectio.

Eſſentia diuina habet rationem primæ & ſecũdæ ſubſtantiæ. Incõmunicabilitas nõ poteſt eſſe de ratione ſubſtantiæ in Deo ſecũdũ communem.

ET cùm arguitur, vlteriùs de ſubſtantialitate relationis in Diuinis: Dico, quòd licèt Philoſophus diſtinguat in Prædicamentis ſubſtantiam primam à ſecunda: tamen ad propoſitum, eſſentia habet rationem vtriuſque ſubſtantiæ, quantùm ad aliquid, ſubſtantiæ quidem ſecundæ, quo ad hoc, quòd ipſa eſt cõmunis: Non tamen quoad hoc, quòd ipſa ſit vniuerſalis: hoc eſt diuiſibilis, vel plurificabilis. Eſt enim cõmunis cõmunitate reali ſecundũ Damaſ. c. 4. ibi *eſt cõmunitas ſubſtãtiæ, nõ ſolũ rationis,* ſicut eſt in natura creata. Habet autem rationẽ ſubſtantiæ primæ, quantùm ad hoc, quòd eſt eſſe hæc. Siue ſingulare, quia eſſentia de ſe eſt hæc: non dico, quoad hoc, quod eſt eſſe incommunicabile, quia hoc eſſet imperfectionis. Non reſtat autem alia ratio ſubſtantiæ, qualitercunque acceptæ in Diuinis quærenda vltra rationẽ eſſentię niſi ratio incommunicabilitatis: Iſta autem in diuinis non poteſt eſſe per ſe ratio ſubſtantiæ, 17.

substantiæ, quantùm ad communem opinionem, secundùm quàm loquimur communiter in istis quæstionibus. Quoniam non mouetur de hoc quæstio ad hoc, quia quicquid est ibi, non tantùm substantia, sed etiam ad se, communicabile est. Patet ergo quòd relatio in Diuinis, nullam habet rationem substantialitatis, quia tantummodò habet rationem incommunicabilitatis, quæ nec est ratio substantiæ secundæ, nec primæ, quantùm ad illud quod pertinet ad perfectionem substantiæ, quòd est esse hoc: illud enim conuenit essentiæ de se.

18. Si arguitur contra hoc: [b] quicquid pertinet ad substantiam primam, habet per se rationem aliquam substantialitatis: huiusmodi est incommunicabilitas, quæ non est ibi nisi per relationem, ergo, &c. Respondeo intelligendo minorem de incommunicabilitate pertinente ad substantiam primam, quæ est incommunicabilitas singularitatis, ipsa vera est in creaturis, non sic in Deo. Et ratio est, quia vltimum contrahens naturam siue ad singularitatem, siue ad incommunicabilitatem in creaturis, est eiusdem generis cum natura contracta, & per consequens ipsum secundùm rationem suam formalem, pertinet ad genus Substantiæ, in Deo non est sic, vt dictum est priùs: quia vt dictum est prius, ad incommunicabilitatem contrahere non potest aliquid pertinens ad genus Substantiæ, vel quasi genus Substantiæ in Diuinis: quia quodlibet tale est communicabile.

Arguitur quatuor relationẽ esse substantiã.

Sed adhuc arguitur: [c] illud per quod in Diuinis fit contradictio, vel determinatio, qualitercunque dicta, ad incommunicabilitatem, vel ad incommunicabile, secundùm rationem suam formalem, est substantia, vel accidens; quia inter hæc non cadit medium: non autem accidens, patet; ergo substantia: ergo habet propriam substantialitatem.

Respondeo; hîc respondet Augustin. 5. *de Trin. cap* 6. quòd non omne, quòd in Deo est secundùm substantiam dicitur vel secundùm accidens, dicitur enim aliquid ibi quod nec secundùm substantiam dicitur, nec secundùm accidens: vt pote, illud quod ad alterum dicitur.

Relatio dicta nec substantia est nec accidẽs

Si adhuc tertiò replices sic: [d] illud, quo formaliter suppositum in Diuinis incommunicabile est, aut est tale, cui competit formaliter inhærere, aut conuenire potest, aut cui repugnat omnino: si primum ergo est accidens; si secundum, cùm illud sit substantia, cui impugnat inhærere alteri, & hoc prout substantia distinguitur contra accidens; sequitur quòd habet rationem substantiæ propriam: & ita propriam substantialitatem, quod est propositum.

19. Respondeo secundùm Auicennam *secundo Metaphys.* Non inhærere, & non posse inhærere, nec est ratio substantiæ, vt substantia est genus, nec inhærere est ratio accidentis, vel alicuius generis accidentis: quia inhærere est dare esse, vel actum secundùm *quid* alicui priori simpliciter enti: sed substantia est illud substratum cui conuenit non inhærere, vel cui repugnat inhærere, & accidens, vel qualitas vel quãtitas, est natura cui conuenit inhærere. Detur ergo in Diuinis illud membrum, quòd illud, quo persona in Diuinis est formaliter incommunicabilis, est tale, cui repugnat inhærere: repugnat enim illi dare *esse* secundùm *quid* alicui enti simpliciter priori; ergo & inhærere; & hoc secundùm rationem suam formalem: nec tamen sequitur, quòd secundùm suam rationem formalem habeat propriam substantialitatem: quia, vt dictũ est, hoc non complet rationem substantiæ, vt distinguitur cõtra alia genera.

Cap. 1.

Nõ inhærere non est ratio substantiæ: nec inhærere accidentis.

Si quartò reduplicetur: [e] quibuscunque repugnat inhærere, repugnat eis per aliquam vnam rationem. Substantiæ autem conuenit vel alicui de genere substantiæ, hoc, & per te proprietati incommunicabili in Diuinis; ergo per aliquid commune eis: non per rationem entis: quia enti non repugnat inhærere, nec per rationem alicuius inferioris ente, nisi substantiæ. Patet discurrendo, ergo illa proprietas incommunicabilis, cui secundùm se repugnat inhærere, secundùm se includit propriam rationem substantiæ: & ita habebit propriam substantialitatem, quod est propositum.

20. Respondeo, imperfectio aliqua potest repugnare alicui, vel quia includit perfectionem simpliciter, vel quia includit imperfectionẽ illi imperfectioni repugnãtem. Siquidẽ sunt multæ imperfectiones repugnantes inter se, verbi gratia, repugnat Deo esse album: & nigrò repugnat esse album, Deo autem propter perfectionem simpliciter, quæ repugnat toti generi coloris, imò toti generi qualitatis; imò toti generi entis causati: nigro autem repugnat album propter perfectionem suam limitatam sub genere coloris, quæ perfectio limitata necessariò habet imperfectionem annexã: aliam

Idem potest repugnare pluribus, non propter vnam rationem.

aliam tamen & in alio gradu à perfectione albi: ergo illa maior neganda est: quibuscunque repugnat eadem imperfectio, cuiusmodi est inhærere, vel dependentia ad substantiam, eis repugnat per aliquid idem in ipsis: quia non oportet quod eis, quibus repugnat aliquid idem, sit aliquid vnius rationis, quòd à parte ipsorum sit ratio illius repugnantiæ: imò ratio propria vniuscuiusque eorum potest esse ratio repugnantiæ ad aliquid idem.

Non inhærere alia ratione cōuenit essentia, & alia relationi.

Ad propositum, inhærere, siue dependere ad substantiam, est imperfectio, ideò ista repugnat substantiæ, cùm ipsa talis entitas sit, quòd sibi repugnat esse entitatem diminutam: quia dat *esse* simpliciter, siue primum, quod est oppositum ei, quod est inhærere. Cum hoc etiam repugnare potest relationi in Diuinis, quæ licèt non det *esse* simpliciter, siue per se *esse*; tamen ipsa talis entitas est, quod repugnat sibi esse entitatem diminutam, siue actum secundùm *quid*; inhærere autem repugnat essentiæ diuinæ: quia est perfectio simpliciter, repugnat enim relationi diuinæ, licèt non sit perfectio simpliciter, quia ipsa ex ratione sua non potest esse entitas imperfecta, & inhærere non potest competere nisi dependenti, & per consequens imperfecto.

Relatio vt comparata ad essẽtiā est ratio exponitur.

Ad argumentum principale, f cùm arguitur, quòd relatio, vt comparata ad essentiam est ratio, & quòd causa huius est, quia ipsa vt comparata ad essentiam transit in essentiam, vtrumque assumptum potest habere vnum intellectum verum, & alium falsum. Potest enim intelligi ratio, vt ratio opponitur rei, siue enti extra animam, & hoc est falsum: quia ad quodcunque comparatur semper est res extra animam, propria realitate, quæ est ad alterum. Alio modo potest intelligi ratio, idem quod modus siue circunstantia rei, secundùm Boëtium; sic concedendum est, quòd relatio sit ratio respectu essentiæ, non tamen propter hoc tollitur quin comparata ad ipsam sit res. 21.

Consimiliter potest intelligi transire in essentiam, vno modo, ita quòd non habeat propriam entitatem ad alterũ, & iste intellectus est falsus. Alio modo transire in essentiam, sic quòd non remanet distincta realiter ab essentia. Et licèt non sit hîc quæstio de identitate, vel distinctione relationis, & essentiæ (imò illa est difficilior quæstione proposita) tamen concedi potest, quòd relatio comparata ad essentiam est ratio secundo modo, hoc est modus, & transit in ipsam, non primo modo, sed secūdo modo, & hoc modo non manet realiter distincta, & tamen res extra animam propria realitate, quæ est ad alterum, & sic manet, prout manere excludit † transitum destructiuum propriæ realitatis.

al. Terminum transire ad destructionē propriæ &c.

Consimiliter, si inferatur in conclusione, quòd ipsa, vt comparata ad oppositum, est ratio, supple respectu essentiæ quia sic accipiebatur in præmissa, conceditur. Ad nihil enim comparari potest quòd tollat ab ipsa quin sit modus essentiæ; tamen non sequitur, ergo vt comparatur ad appositum, non est res: quia hoc modo esse rationem non repugnat ei quod est esse rem. 22.

Si arguatur, respectu essentiæ est res; ergo est alia res, & sic non transit in essentiam quantùm ad identitatem realem.

Respondeo, quòd quæstio de realitate relationis non est quæstio de alietate: imò prima pertinet ad problema de accidente, vel genere, secunda ad problema definitiuum, de eodem vel diuerso. Patet *ex* 1. *Topic.* in exemplo etiam patet idem: homo, vt comparatur àd Socratem est res: imò Socrates, vt comparatur ad Socratem est res. Et vtrumque probatur, quia identitas realis non est nisi rei ad rem: homo est idem realiter Socrati, & Socrates est idem Socrati, vt dicitur idem Socrates comparatur Socrati, patet de se. Nec tamen homo vel Socrates, vt comparatur ad Socratem est alia res à Socrate. Sic ergo in proposito stat, quòd relatio vt comparata ad essentiam, est res: & tamen non alia res. Et si quæratur, nunquid est eadem res cum essentia, vel alia? Si detur quòd eadem realiter; hoc tamen non oportet propter quæstionem propositam: sed sufficit dicere, quòd ipsa est res, quæ est ad alterum: sic ergo ad quodcunque comparetur, transit in essentiam, & manet.

Cap. 4. & 5

COMMENTARIVS.

31. a *Cvm arguitur vlterius substantialitate relationis in diuinis.* Hîc Doctor soluit vltimam rationem, & plura dicit, quæ sub breuitate expono.

Quomodo essentia diuina dicatur substantia.

Primò dicit, quòd essentia diuina potest dici substantia secunda, & prima, Secunda quo ad hoc, quòd est communicabilis pluribus realiter, sed non est diuisibilis in illis. Ibi enim

secundùm

secundùm Damascenum *capit.4.* est natura communis communitate reali, & non communitate rationis, sicut est natura creata.

Aduerte, quòd natura creata actu non communicatur pluribus, nec actu prædicatur de pluribus, nisi secundùm rationem, licèt dicatur habere vnitatem minorem vnitate numerali, & hoc ex natura rei: illa tamen vnitas non est actu communis pluribus secundùm rem. De hoc vide quæ per longum tractatum exposui in secundo, *dist.3. quæst.1.* Natura etiam diuina habet rationem substantiæ primæ, quia ipsa est de se *hæc*, & singularis, licèt non incommunicabilis; & differt à substantia prima creata, quia ibi substantia contrahitur ad singularitatem, ita quòd singularitas aduenit sibi contrahendo, & determinando illam ad singularitatem, vt patet à Doctore *in secundo, distinctione tertia, quæstione prima & sexta* natura verò diuina ex se formaliter est *hæc*, vt patet à Doctore *in 1. dist. secunda, quinta vigesima sexta.* Deinde addit, quòd in diuinis non restat alia ratio substantiæ qualitercunque acceptæ quærenda vltra rationem essentiæ, nisi ratio incommunicabilitatis; ista autem in diuinis non potest esse ratio substantiæ quantùm ad communem opinionem, quæ tenet personas non posse constitui per absoluta, vt patet *in primo dist.26.* tenendo enim quòd constituantur per proprietates absolutas, est postea videndum quomodo possint pertinere ad primam substantiam, & quomodo non. Vide in primo, *dist.26.* Nam secundùm communem opinionem, omne absolutum in diuinis est communicabile. Et sic patet quomodo relatio in diuinis nullam habeat rationem substantiæ, nec primæ, nec secundæ, cùm substantia qualitercunque accepta in diuinis, sit communicabilis; habet ergo tantùm ibi rationem incommunicabilitatis.

Omne absolutum est cōmunicabile.

32. b *Si arguatur contra.* Hîc Doctor arguit, probando quòd relatio originis pertineat ad substantiam, quia quod pertinet ad substantiam primam, habet rationem substantiæ; sed incommunicabilitas est huiusmodi, vt patet: ergo:

Respondet Doctor quòd loquendo de incommunicabilitate singularitatis, illa benè pertinet ab substantiam, quia vltimum contrahens substantiam ad esse singulare, est eiusdem generis cum natura contracta (& hoc tantùm reductiuè, non enim singularitas pertinet ad quiditatem rei, nec aliquo modo dicit *quid*, vt notat Doctor *in 2. dist. 3. q. 6.* vide ibi multa singularia) & per consequens ipsum secundùm suam rationem formalem pertinet ad genus Substantiæ. In Deo non est sic, quia relatio nullo modo contrahit naturam diuinam, cùm ex se sit singularissima, & simpliciter in vltima actualitate, & vt sic, est simpliciter pluribus communicabilis.

Et quod dicit Doctor quòd vltimum contrahens ad naturam creatam, siue ad singularitatem, siue ad incommunicabilitatem, est eiusdem generis cum natura contracta, hoc videtur dubium de contractiuo ad incommunicabilitatem, quia incommunicabile, vt *quo*, & vt *quod*, constituitur in *esse* tali per negationem, vt notat Doctor *in tertio, dist. 1. quæst. 1.* Modò negatio non pertinet ad genus substantiæ. Respondeo, vt prolixè exposui suprà in tertio, vide ibi singularia quædam.

An paternitas sit substantia.

c *Sed adhuc arguitur.* Doctor adhuc instat probando quòd paternitas sit substantia. Et arguit diuisè, quia aut est substantia, aut accidens, quia inter ista duo non datur medium: non accidens, ergo substantia, & sic habet propriam substantialitatem.

Respondendum secundùm Augustinum 5. *de Trinit. cap.6.* quòd non omne, quod in Deo est, dicitur secundùm substantiam, aut secundùm accidens, sed est ibi aliquid, quod ad alterum dicitur, vt relatio, & nullo modo secundùm substantiam, vel secundùm accidens. 33.

d *Si adhuc tertiò replices,* adhuc ad idem arguitur. Et ratio stat in hoc, quia aut paternitati conuenit inhærerere alteri, aut sibi repugnat. Si primò, ergo erit accidens: si secundò, ergo erit substantia, cui propriè repugnat inhærere.

Respondet Doctor secundùm Auicennam 2. *Metaph.* non inhærere, &c. Vult dicere, quòd ista non sunt de ratione eorum. Non enim inhærere, vel posse inhærere est de ratione formali accidentis, vt probat Doctor in septimo Metaphysicæ suæ, nec similiter non posse inhærere est de formali ratione substantiæ acceptæ secundùm genus, ita quòd sit de ratione substantiæ secundùm genus, & per consequens sit de ratione omnis substantiæ. Istis enim circunscriptis per possibile, vel impossibile, adhuc remanent formales rationes, tam accidentis, quàm substantiæ. Ad propositum ergo applicando ad relationem originis, dicit quòd non conuenit sibi inhærere, quia non conuenit sibi dare actum secundùm *quid*, & diminutum, cùm hoc dicat imperfectionem, & sic repugnat substantiæ inhærere, nec tamen sequitur quòd secundùm suam rationem formalem habeat propriam substantialitatem, quia non posse inhærere non complet rationem substantiæ, vt dictum est.

Repugnat substantiæ inhærere.

e *Si quartò replicetur.* Hîc replicat, probando quòd non posse inhærere, conueniat relationi per rationem communem. Et per consequens per rationem substantiæ, quia non per rationem entis, quia tunc inhęrere repugnaret omni enti, nec per aliam communiorem, quàm per rationem substantiæ; ergo si tali communicabili repugnat inhærere per rationem substantiæ, sequitur quòd tale incommunicabile erit substantia.

Respondet Doctor quòd imperfectio potest repugnare aliquibus, non per rationem communem, sed per rationes speciales: patet, quia repugnat Deo esse album propter perfectionem simpliciter, & illimitatam in Deo; repugnat etiam nigro esse album, propter perfectionem limitatam sub genere coloris, quæ perfectio limitata necessariò habet perfectionem annexam, aliam tamen & in alio gradu à perfectione albi. 34.

Dubia.

In isto articulo occurrunt quædam parua dubia. Primò in hoc, quod dicit, quòd relatio originis per realem identitatem est res eadem, quæ est essentia diuina. Hoc enim videtur dubium. Primò, quia sequitur quòd paternitas, & filiatio non distinguuntur realiter, nec per consequens personæ constitutæ, quod est falsum. Quòd autem sequatur patet, quia quæ sunt realiter idem alicui habenti vnitatem numeralem, siue singularem, sunt vnum numero, siue vnum singulare realiter. Hæc propositio videtur manifesta, & concessa à Doctore in pluribus locis; sed relationes originis sunt idem realiter essentiæ diuinæ singulari; ergo omnes relationes originis

originis sunt vnum numero, & vnum singulare realiter,& per consequens non distinguuntur realiter,vt patet.

Secundò arguitur sic : non repugnat essentiæ diuinæ posse esse sine relationibus originis;ergo non identificat sibi illas realiter. Consequentia nota. Antecedens probatur ex dictis Doctoris, quia ipse vult quòd priori natura non repugnat posse esse sine posteriori natura,vt patet *in secundo,d.1.& 2.& in tertio,dist.3.*vbi etiam vult quòd non repugnat priori natura, posse esse prius duratione posteriori natura. Sed per Doctorem essentia diuina est prior natura relationibus originis, vt patet *prima quæst. quodl.* ergo non repugnat essentiæ diuinæ posse esse sine relationibus originis, & si potest esse, ergo est sic de facto, quia in diuinis ad intrà nihil est possibile, quin illud sit de facto, imò quin sit necesse esse, &in vltima actualitate,vt patet à Doctore in pluribus locis præcipuè *in primo, dist.2. par.1. quæst. vlti. & par. 2. quæst. 3. & in quodlib. quæst. 2.&* alibi sæpè.

Essentia diuina est prior relationibus originis.

35. Tertiò arguitur, quia videtur repugnantia, quòd relatio originis,& essentia diuina sint vna, & eadem res realiter, & quòd distinguantur formaliter. Tum, quia accipio formalitatem, puta paternitatis,& formalitatem essentiæ, & quæro an formalitas paternitatis sit idem,quòd formalitas essentiæ,aut non sunt idem?Si primò,ergo nõ distinguuntur formaliter,vt patet.Si secũdò, ergo vna non transit in identitatem alterius, quia si formalitas paternitatis est alia à formalitate essentiæ,sequitur quòd formalitas paternitatis non identificetur formalitati essentiæ diuinæ.

Quartò videtur implicatio, quòd distinguantur formaliter,& quòd sint idem realiter. Probatur, quia maior distinctio infert minorem;sed distinctio formalis est maior realis ; ergo si distinguuntur formaliter,distinguuntur realiter.Minor probatur. Tum,quia distinctio essentialis est maior reali,vt etiam patet per Doctorem, in diuinis non conceditur essentialis distinctio, & tamen conceditur realis. Sed distinctio formalis est essentialis : patet, quia essentialis accipitur penes quiditatem, & sic cùm omnis formalis sit quiditatiua, sequitur quòd erit essentialis. Tum, quia distinctio formarum est maior reali, vt patet, sed distinctio formalis est distinctio formarum;patet per Doctorem qui vult quòd formalitas sumatur à forma.

36. Respondeo ad has obiectiones. Ad primam præmitto aliqua.Primò,quòd in diuinis nulla est singularitas, quæ sit contractiua naturæ, vel alicuius alterius ad *esse* singulare, quia hoc est imperfectionis.Secundò si teneatur,vt videtur tenere Doctor *in primo,d.2.parte 2. quæst.1.* singulare esse communicabile, saltem vt *quo.* Tunc dico, quòd proprietas in diuinis, vt paternitas, nullo modo est singularis, cùm ex sua ratione formali sit simpliciter incommunicabilis,& vt *quo*, & vt *quod.*Si dicatur, quòd omne suppositum est etiam singulare,quia ratio suppositi præsupponit rationem singularis.

In diuinis non est singularitas.

Dico, quòd hoc est falsum in diuinis, quia ibi reperitur aliquid, quod formaliter dicit rationem suppositi, siuè rationem incommunicabilitatis, quòd tamen nullo modo includit rationem singularitatis. Sola ergo natura diuina, & omnia attributa, & omnia communicabilia pluribus suppositis, & omnes relationes communes, vt æqualitas, similitudo, & identitas,includunt rationem singularitatis,& non suppositi.

Secundò præmitto,quòd aliud est loqui de distinctione reali in creaturis,& aliud in Deo.Primo modo,quæ realiter distinguuntur,distinguuntur etiam essentialiter, vt exposui in secundo, *d.1.q.4.* distinguuntur etiam numeraliter, & sunt distinctæ naturæ numero.

Sed in diuinis, quæ realiter distinguuntur, non sunt distincta singularia, loquendo de suppositis diuinis, quod dico propter relationes communes. Nam similitudo in Filio realiter distinguitur à similitudine in Patre, & tamen sunt distinctæ singularitates, vt patet à Doctore *in primo,dist.19.& 31.*& infra *in quodl. quæst.6.* Distinguuntur ergo personæ realiter,id est,personaliter, & suppositaliter, ita quòd tota ratio distinguendi vnum suppositum ab alio est proprietas suppositalis, & natura diuina est ibi omnino indistincta,non sic est in Petro, & Ioanne, qui distinguuntur realiter, quia etiam in eis sunt distinctæ humanitates realiter.

Quomodo distinguantur personæ.

Tertiò præmitto, quòd ideo paternitas distinguitur realiter à filiatione,quia nihil pertinens ad paternitatem aliquo modo, includit per aliquam identitatem aliquid pertinens ad filiationem,imò sunt primò diuersæ, vt patet à Doctore *in primo, dist.13.* & sic personæ diuinæ dicuntur realiter distingui ratione proprietatum, non tamen sunt primò diuersæ, quia vltra proprietates includit quiditatiuè naturam diuinam,in qua essentialiter, & quiditatiuè conueniunt, vt patet à Doctore *in primo dist.7.& 13.*

His præmissis.Respondeo ad rationem, & concedo quòd inter se sunt vnum numero, & vnum singulare realiter loquendo de singulari in quo conueniunt realiter. Sunt enim idem singulare realiter, quod est essentia diuina, quæ realiter identificat sibi omnes relationes,non sunt tamen illud formaliter. Et de hoc dictum est in primo, *d.2.par.2.q.1.in responsione ad primum argumentum principale,*vide ibi. 37.

Ad secundum. Dico, quòd si natura diuina est prior natura positiuè, & non tantum negatiuè, quæ distinctio patet à Doctore *in tertio, dist.3.& in secundo,dist.1.quæst.1.quæst.2.* quòd non repugnat sibi posse esse sine illis,& hoc ex sola ratione formali essentiæ diuinæ. Sicut etiam non repugnat homini ex sua ratione formali posse esse sine risibilitate,repugnat tamen sibi per aliud,puta,quia homo ex sua ratione formali,& intrinseca producit in seipso risibilitatem, vt omnino eandem sibi realiter. Hoc idem dico de essentia diuina, quæ ex infinitate identificat sibi omnes relationes, & omnia, quæ ibi possunt esse. Quia ergo essentia diuina est formaliter infinita, ideò realiter sibi identificat eas. Et quia etiam necessariò omnia sibi intrinseca originat in se per veram identitatem, ideò ratione istorum repugnat sibi posse esse sine istis relationibus, cui tamen ex sua ratione formali non repugnat.

Essentia diuina est formaliter infinita.

Ad tertium dico breuiter, quòd formalitas essentiæ diuinæ, loquendo de formalitate fundamentali, & ex natura rei est idem realiter, quòd formalitas paternitatis. Sunt enim istæ duæ formalitates vna res realiter, sed non sunt vna res formaliter, imò semper sunt distinctæ formalitates. In vna enim & eadem re realiter possunt esse plures formalitates, & realitates formaliter

formaliter ab inuicem distinctæ, vt satis patuit *in primo, dist. 8. quæst. penult.*

Ad quartum dico, quòd distinctio essentialis propriè est distinctio specifica, siue distinctio duarum naturarum dicentium veram rem, de qua satis dixi *in secundo, dist. 1. quæst.* 4. & hoc modo formalis non est essentialis. Accipitur enim *formalis* pro quiditatiua, siuè pro rationibus formalibus, ita quòd ratio formalis vnius non includitur in ratione formali alterius, quæcunque sit illa ratio formalis. Et de hoc satis dixi *in primo, dist. 8. quæst. penult.*

38. *Dubium.* Deinde dubitatur de hoc, quod dicit: quòd ideò essentia non denominatur à relationibus originis, quia est illimitata ad oppositas formas, siue relationes, & non distinguitur ab eis. Quod autem denominatur à forma aliqua per hoc denotatur esse distinctum ab opposito.

Instatur contra hoc primò, quia quod est tale, cuicunque comparetur semper erit tale; sed relatio etiam originis, nata est denominare fundamentum, vt patet; ergo si comparetur ad essentiam, & sit in ipsa, denominabit eam.

Secundò instatur, quia non videtur sequi, est illimitata ad opposita; ergo non potest denominari ab aliquo illorum, quia etiam voluntas nostra est illimitata ad oppositas relationes, vt patet à Doctore *in primo, dist. 2. parte 2. quæst. 3. in 2. dist. 25.* & tamen denominatur simul ab vtroque oppositorum, quia simul mouet & mouetur, siue simul est mouens & mota, sic erit in proposito.

Tertiò instatur, quia videtur sequi quòd saltem quasi denominetur. Si enim esset realiter distincta ab eis, posset verè denominari, quia dicit Doctor quòd non denominatur, quia non distinguitur ab vtroque oppositorum: ergo si distinguitur, verè denominatur; ergo vbi quasi distinguitu, quasi denominatur. Patet per illam regulam Doctoris *q. 1. quodl.* *Qualis est ordo inter aliqua, vbi realiter distinguuntur, talis est vbi sola ratione distinguuntur, ergo.*

Quartò instatur, quia sunt multæ aliæ relationes, quæ non opponuntur ad inuicem, vt similitudo, & æqualitas, & identitas, quæ omnes fundantur in essentia diuina, vt patet à Doctore *in primo, distinct. 19. quæst. 1. dist. 31. & quæst. 6. quodl.* & tamen non denominantur ab eis, vt patet.

39. *Responsio.* Respondeo ad primam instantiam, quòd ad hoc quòd susceptiuum possit denominari à tali forma, non tantùm requiritur quòd ipsa sit nata denominare, sed etiam requiritur quòd sit in susceptiuo conuenienti, quale non est essentia diuina propter sui illimitationem, & propter indistinctionem ab vtroque opposito: concedo ergo quòd ipsa cuicunque comparetur, semper talis forma, quantùm in se est, nata est denominare, sed quòd non denominet, hoc est ex parte susceptiui.

Quomodo voluntas sit illimitata. Ad secundam dico, quòd voluntas nostra est tantùm illimitata secundùm *quid*, vt patet à Doctore vbi suprà; essentia verò diuina est simpliciter ex natura rei illimitata, & tale ad plura illimitata necessariò habet illa, vt dicit Doctor *in secundo dist. 2. quæst. de loco Angelorum.* Dico secundo, quòd voluntas creata realiter distinguitur ab vtraque relatione, scilicet mouentis & moti. Dico tertiò, & meliùs, quòd relationes mouentis & moti non ita repugnāt sicut paternitas & filiatio, quæ in creaturis simpliciter repugnant in eadem natura & in eodem supposito. Et ideò si essentia diuina denominaretur ab vtraque, ipsa simul esset pater & filius respectu eiusdem.

Ad tertiam dico, quòd si realiter distingueretur, & simul determinaret sibi vtrunque oppositum, nullo modo denominaretur, propter causam superiùs dictam. Et cùm infertur per Doctorem quòd si distingueretur ab vtroque, denominaretur ab vtroque. Dico quòd hoc dicit, quia si distingueretur, modò posset esse sub vno, modò sub alio, quia non determinaret tunc sibi vtrunque simul. Vel dicendum est breuiter ad omnia suprà dicta, quòd si receptiuum debeat denominari ab vno opposito, oportet quòd distinguatur ab alio, aliter simul denominaretur ab vtroque oppositorum.

Ad vltimam dico, quòd non posset denominari ab æqualitate, quia tunc actu denominaretur ab oppositis æqualitatibus. Necessariò enim identificat sibi æqualitatem Filij ad Patrem, & æqualitatem Patris ad Filium, & tunc si esset æqualis vtraque æqualitate, esset æqualis æqualitatibus oppositis, & repugnantibus in eodem denominato, licèt non in eodem fundamento, non tamen denominato. Hoc idem est dicendum de similitudine, & identitate.

f *Ad argumentum principale* quæstionis arguit Doctor sic: quia si relatio originis, vt comparata ad essentiam sit ratio tantùm, hoc est, quia vt sic, transit in essentiam, sed vt comparata ad oppositum manet eadem ratio, quia vt sic, est eadem essentiæ, quia necessariò potest esse non eadem propter simplicitatem diuinam; ergo si sic est ratio, vt comparata ad essentiam, necessariò est ratio, vt comparatur ad oppositum. 40

Respondet quòd transire in essentiam potest dupliciter intelligi. Vno modo quòd non habeat propriam entitatem ad alterum, & hoc est falsum. Alio modo, quòd non remaneat realiter distincta ab essentia: & iste intellectus est verus. Similiter cùm dicitur, quòd vt comparata ad essentiam, est ratio: hoc potest dupliciter intelligi. Vno modo, quòd sit ratio, vt ratio opponitur rei extra animam, & hoc est falsum, vt suprà patuit, quia ad quodcunque comparetur, semper in se remanet eadem res, quia talis comparatio non tollit propriam realitatem. Alio modo vt *ratio* dicatur circunstantia rei, siue modus essentiæ eo modo, quo dictum est in corpore quæstionis: & sic conceditur quòd ipsa est ratio, & tamen est res, etiam cuicunque comparetur. *Transire in essentiam potest dupliciter intelligi.*

g *Si arguatur.* Hìc Doctor facit vnam instantiam, probando quòd si relatio est res, vt comparata ad essentiam, ergo erit alia res, & sic non transit in realem identitatem cum essentia.

Respondit quòd quæstio de realitate relationis non est quæstio de alietate, imò prima pertinet ad problema de accidente, vel genere, secunda ad problema definitionum de *eodem* & *diuerso*, vt patet primo Topicor. In prima quæstione quærit, an sit, vel non: in secunda quæritur an sit idem vel diuersum. Sic in proposito hìc quæritur, an relatio vt comparata ad essentiam sit res, vel ne. Et posito quòd sit res, non ampliùs quæritur, an sit eadem res, vel alia, quia quæstio de alietate est difficilior & subtiliter pertractat *in primo, dist. 2. parte 2. quæst. 1.* & in corpore *Cap 4. & 5.*

corpore quæstionis,& in responsione ad primum argumentum principale:vide quæ ibi exposui,& responsiones ad argumenta aliorum, dicentium relationem nullo modo distingui ab essentia præter opus intellectus.

Dubia. Incidenter tamen occurrit vnum dubium, quia si paternitas transit in essentiam secundùm realem identitatem,videtur quòd nullo modo distinguatur formaliter ab essentia, cuius oppositum ipse tenet,vt suprà patuit. Quòd autem sequatur,patet,quia paternitas est ita simplex, sicut essentia, ergo si transit, secundùm totam suam realitatem transibit.& transit in realitatem identitatem: ergo erit præcisè res, quæ est essentia. Tum etiam, quia accipio relationem secundùm suam formalitatem præcisè, & similiter essentiam secundùm suam formalitatem præcisè, & tunc quæro,aut paternitas transit secundùm suam entitatem formalem, aut manet.Si primò, ergo erit idem formaliter cum essentia: si secundò, ergo nullo modo transit quia sua formalitas est tota eius entitas.

Respondeo ad primum, quòd tota transit in realem identitatem, & tamen ipsamet manet formaliter distincta, hoc idem dico ad secundum. *Responsio.*

Qvæstio IV.

Vtrùm,[a] separata vel abstracta relatione originis, posset manere prima persona diuina constituta & distincta.

D. Bonauent.1.*dist.* 26.*quæst.* & *dist.* 27.*quæst.*2. & *dist.* 28. *quæst.* 1. Alens. 1. *p. quæst.* 69.*m.* 3. D. Thom. 1.*parte quæst.*32 *art.*4. Richard. 1.*dist.*28. *art.*2. *quæst.*1. 2. Scot. *ibi. quæst.* 2. Et dd. ibi citati, & *dist.*26.cum ibi citatis.

Quære 1. Reportationum d. 26.hanc q. vlterius quoad titulum.



Einde quæritur de relatione originis in comparatione ad personam,& specialiter ad personam primam:Vtrùm, scilicet separata,vel abstracta relatione originis, posset manere prima persona diuina constituta & distincta? Et arguitur, quòd sic: quod aduenit personæ constitutæ, non constituit, nec distinguit, prima distinctione; relatio originis est huiusmodi respectu primæ personæ in Diuinis:ergo,&c.Probatio minoris: relatio originis sequitur actionem vel passionem, *ex 5.Metaph.* illa, quæ conuenit primæ personæ, non potest sequi nisi actionem:quia prima persona non est ab aliquo:actio autem non potest esse nisi suppositi existentis:ita quòd ratio actionis præsupponit rationem suppositi:ergo prima persona est persona,vel suppositum per aliquid prius ipsa relatione. 1.

Tex.20.1. Meta. in proœmio.

Oppositum:abstractâ relatione, non manet nisi essentia,vel substantia communis, quæ non potest esse ratio constituendi personam,quia non est propria,nec incommunicabilis;ergo,&c.

In hac quæstione,quæ supponit quoddam dictum commune,scilicet quòd persona diuina constituitur per relationem,quod dictum non discutiatur hîc, quia est difficilius proposito:sed sit in istis quæstionibus suppositum, tanquam communiter concessum, non enim oportet omnia in dubium reuocare, vbi suppositis dictis communibus, propositum potest declarari.Nam ista quæstio non quærit generaliter,si persona diuina potest constitui per relationem,sed specialiter de prima persona,quia de ea videtur esse specialis difficultas:& hoc propter prioritatem eius ad alias, quæ videtur repugnare naturæ correlatiuorum:ergo supponendo communem opinionem de eo, quod quæritur,specialiter de prima persona,sunt hic quatuor videnda:primò,supposito quòd aliqua persona diuina constituatur per relationẽ,vt videtur quæstio supponere,an repugnet specialiter primæ personæ.Secundò, dato quòd non:qua relatione posset prima persona constitui. Tertiò, qualiter se habent istæ relationes ad inuicem, quæ communiter conceduntur inesse primæ personæ; & vltimò patebit, quasi pro quodam corollario, cum quali abstractione, vel separatione possit stare ratio primæ personæ. 2.

Vide dist. 26.pr. Communis opinio personas diuinas esse relatiuas. Quatuor sunt videnda.

COM

COMMENTARIVS.

1. a  *Trum abstracta, vel separata relatione originis*, puta generatione actiua, siue paternitate, *possit manere prima persona diuina constituta & distincta* ab aliis personis.

In ista quæstione sunt tres articuli principales, in quibus sunt quatuor per ordinem videnda. Primò, supposito quòd persona diuina constituatur per relationem, vt videtur quæstio supponere, an repugnet specialiter primæ personæ. Secundò, dato quòd non, qua relatione posset prima persona constitui? Tertiò, qualiter se habent istæ relationes ad inuicem, quæ communiter conceduntur inesse primæ personæ? Et vltimò, patebit quæstio cum quodam corollario, scilicet cum quali abstractione, vel separatione possit stare ratio primæ personæ.

SCHOLIVM.

Suppositis eiusdem naturæ non repugnare esse simul naturâ. Primò, quia non habent inter se prioritatem naturæ, vel essentialem, quia ex Philosopho in his quæ sunt eiusdem speciei, non est prius nec posterius: ergo prima persona potest constitui per relationem originis, quæ sit simul natura cum relatione secundæ personæ, quæ supponitur posse constitui per huiusmodi relationem. Secundò, ordo originis stat cum simultate naturæ, quod probatur exemplo, & ratione, ergo prima persona potest esse simul natura cum secunda. Antecedens patet; quia ordo naturæ dicit imperfectionem in posteriori, quam non admittit ordo originis in diuinis. Loquitur de ordine naturæ essentiali, qualis est inter causam æquiuocam & effectus, quia alia natura posteriora non sunt ideò imperfectiora, v.g. Attributa respectu essentiæ, de quo Doctor 1.d.8.q.pen. Et voluntas respectu intellectus, quæ est perfectior illo ex Doct. 4. d.49. q.4. Vide eum in Prolgo q.vlt. & quodl.13. de ordine naturæ. Vide eundem 1.d.5.q.2. & d.7.q.1. Et de ordine originis d.12.q.2. & d.28. & de vtroque ordine 2.d.1 q.1.

3. DE prima b accipio hanc propositionem: *Suppositis eiusdem naturæ non repugnat habere proprietates hypostaticas, quæ sunt simul natura*, probatur ista: quia supposita eiusdem naturæ, non habent inter se prioritatem naturæ, seu prioritatem essentialem. *Primus art.* *Tex.2.*

Et confirmatur per Philosophum 3. Met. concordantem in hoc cum Platone: *in his, quæ sunt eiusdem speciei, non est prius, & posterius.* Nunc autem, ex hypothesi, secunda persona potest constitui per relationem aliquam originis; ergo non repugnat primæ personæ constitui per aliquam proprietatem, quæ sit simul natura cum illa; cuiusmodi est alia relatio originis. *In iis quæ sunt eiusdem speciei non est prius, vel posterius.*

Præterea: c Si specialiter repugnaret primæ personæ constitui per relationem originis; non esset propter aliquid commune sibi & aliis quia ex hypothesi, non repugnat alij; ergo propter aliquid, quod est speciale primæ personæ: sed hoc est falsum: quia nihil est sibi speciale, nisi prioritas originis, secundùm quam, quælibet persona est ab ipsa, & ipsa à nulla: sed propter hanc prioritatem non repugnat sibi constitui per relationem ad secundam personam: quia hoc non esset nisi propter simultatem, quam requirit relatio inter duo extrema, quæ simultas videtur repugnare illi prioritati in hac persona. Sed hoc non est verum. Probo: quando sunt aliqui ordines alterius rationis, quorum vnus non includit alium, nec præexigit; nec coëxigit necessariò illum, potest iste esse sine illo: imò cum simultate opposita illi ordini. Patet satis in exemplo: ordo durationis, & naturæ, sunt tales: quòd ille, qui est naturæ, nō includit illum, qui est durationis, nec necessariò præëxigit, siue coëxigit: ideò potest esse sine illo. Patet etiam ratione; quia nunquam est impossibilis separatio, nisi per hoc, quòd hoc includit, siue necessario coëxigit illud. Nunc autem ordo naturæ siue essentialis, & ordo originis, sic se habent, quòd ordo originis non semper includit ordinem essentialem, nec ipsum necessariò præëxigit, nec coëxigit, ergo potest stare simultas opposita ordini essentiali cum ordine originis: sed simultas opposita ordini essentiali sufficit ad simultatem correlatiuorum, ergo possunt aliqua esse simul simultate correlatiuorum: quæ est simultas essentialis, & tamen esse ordo originis inter ea. Minor, quæ est bipartita, scilicet de non includendo ordinem, vel non præëxigendo illum, probatur: quia ordo naturæ, siue essentialis, necessariò includit imperfectionem in altero extremorum, scilicet in posteriori. ordo autem originis non requiritur, nisi quòd hoc sit ab hoc: hoc autem esse ab hoc, non includit necessariò imperfectionem eius quod est ab hoc: quia non includit necessariò quòd procedens sit imperfectius natura illo, à quo procedit; processio enim non includit de se, quòd sit æquiuoca, nec per consequens, quòd forma imperfectior sit in producto, quàm in producente.

Prioritas originis stat cum simultate naturæ. 2. d.q.1.

Ordo naturæ non præëxigit ordinem durationis.

COMMENTARIVS.

1. b DE *primo accipio hanc propoſitionem.* Hîc Doctor intendit probare quòd non repugnat primæ perſonæ conſtitui per relationem, ſuppoſito quòd ſecunda perſona conſtituitur per relationem,& hoc dupliciter probatur. Et prima ratio ſtat in hoc:Quia ſuppoſitis eiuſdem naturæ non repugnat habere proprietates hypoſtaticas, quæ ſint ſimul natura, quia ſuppoſita eiuſdem naturæ non habent inter ſe prioritatem naturæ, ſiue eſſentialem. Hoc patet per Philoſophum concordantem cum Platone, quòd in his, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei non eſt prius & poſterius,vt patet *tertio Met.*Cùm ergo ſecunda perſona conſtituatur per relationem originis, ſequitur quòd etiam prima perſona conſtituatur per relationem.

2. Sed hæc ratio non videtur concludere propoſitum de ſuppoſitis, quorum vnum in eſſendo dependet ab alio, quia producens aliud videtur eſſe prius natura producto, vt patet à Doctore in pluribus locis. In creaturis enim omne producens,etiam quando producit,ſemper eſt prius natura producto, vt patet à Doctore *in ſecundo, diſt.*1 *&* 25. Et ſi ratio concludat de ſuppoſitis eiuſdem naturæ,quorum vnum non generat, vel producit aliud, non tamen concludit quando vnum eſt productiuum alterius. Nec auctoritas Philoſophi videtur ad propoſitum, Vult enim ibi quòd inter indiuidua eiuſdem ſpeciei non ſit ordo eſſentialis, ſic quòd vnum non eſt perfectius alio eſſentialiter. Neque enim hoc eſt prius illo, ſcilicet ſecundùm perfectionem eſſentialem. Hoc enim modo etiam ipſe Doctor exponit *in ſecundo,diſt.*3. *quæſt.*1. vbi oſtendit ſecundum intentionem Philoſophi,quòd natura communis aliqua in genere, puta homo in genere animalis, ſit menſura omnium illius generis, vide ibi. Quamuis ergo vnum indiuiduum eiuſdem naturæ non ſit prius alio prioritate perfectionis eſſentialis, non obſtat tamen quin poſſit eſſe prius natura,vel aliqua duratione; imò ſecundum Philoſophum,ſi vnum producit aliud,neceſſariò erit prius producto,ſaltem prioritate naturæ.

*Tertio met. contex.*11.

Reſpondeo quòd ratio Doctoris benè concludit, non enim in hac ratione ſupponit quòd vnum ſuppoſitum producat aliud, & cùm hoc probet quòd ſit ſimul natura cum producto, ſed hoc probat per rationem ſequentem. Intendit enim probare abſolutè quòd ſuppoſitis eiuſdem naturæ non repugnant ſimiles proprietates hypoſtaticæ,puta ſi vnum conſtituatur per proprietatem abſolutam,quòd etiam aliud ſimiliter conſtituatur.Et ſi vnum conſtituatur in *eſſe* perſonali per relationem, quòd aliud ſimiliter conſtitui poteſt per relationem, puta ſi vnum ſit filius, & conſtituatur per filiationem, & aliud, ſi ſit pater alicuius, quòd conſtituatur per paternitatem: & dato quòd paternitas & filiatio ſint ſimul natura,hoc non obſtat.

Ratio Scoti bene concludit.

Secundò,poteſt dici & magis ad mentem Doctoris quòd non repugnat producenti eſſe ſimul natura cum producto, quando producens & productum ſunt eiuſdem naturæ, & per conſequens ſi productum conſtituatur in *eſſe* ſuppoſitali per productionem paſſiuam, quòd etiam producens conſtituatur per productionem actiuam,quia inter illa non eſt ordo eſſentialis.

An producēs, & productū ſint ſimul natura.

Ad expoſitionem datam auctoritati Philoſophi. Dico breuiter quod Philoſophus diceret quòd quando eſt ordo eſſentialis inter aliqua ſecundum perfectionem, quòd vnum non poteſt dependere ab alio in eſſendo,niſi ſit poſterius illo,vel duratione, vel natura.Sed quando inter illa non eſt ordo eſſentialis ſecundùm perfectionem, non repugnat vnum habere *eſſe* ab alio & eſſe ſimul duratione & natura cum illo; licèt tamen eſſet poſterius origine. Et ſic hoc ſecundum de ſimultate, vel prioritate naturæ, ſequitur ad primum.

c *Præterea,ſi ſpecialiter repugnaret,*&c.Hæc eſt ſecunda ratio Doctoris, quæ breuiter ſtat in hoc:Si repugnat primæ perſonæ conſtitui, puta per paternitatem, hoc erit quia paternitas eſt ſimul cum filiatione conſtituente ſecundam perſonam;modò prima perſona neceſſariò eſt prior ſecunda, quia producit ipſam, & ſic non videtur poſſe conſtitui per ipſam,propter cauſam dictam. Probat modò Doctor quòd non obſtante prioritate originis, adhuc prima perſona poteſt conſtitui per paternitatem, quia correlatiua non requirunt neceſſariò ſimultatem originis, ſed tantùm ſimultatem naturæ,ita quòd inter illa non ſit ordo naturæ, vel eſſentialis: modò cum ſimultate naturæ, ſiue cum ſimultate eſſentiali, ſtat ordo originis,qui non neceſſariò præexigit, nec ſimul coëxigit ordinem naturæ,vel eſſentiam. Sicut nec ordo naturæ neceſſariò coëxigit, ſiue præexigit ordinem durationis; patet, quia inter aliqua erit ordo naturæ, ita quòd vnum erit prius natura alio,inter quæ tamen nullus erit ordo durationis. Patet de ſubiecto & propria paſſione, quia ſubiectum eſt prius natura paſſione, non tamen erit prius duratione. Modò ſimultas naturæ, quæ opponitur ordini eſſentiali,ſiue ordini naturæ, ſufficit ad ſimultatem correlatiuorum,non enim requiritur ſimultas,quæ opponitur ordini originis. Minor probatur,ſcilicet quòd ordo originis non neceſſariò præexigat,vel coëxigat ordinem naturæ,vel ordinem eſſentialem:patet per hoc, quia poſterius natura, ſiue poſterius eſſentialiter neceſſariò includit imperfectionem, ordo verò originis non requirit niſi quòd hoc ſit ab hoc. Hoc autem eſſe ab hoc, non neceſſariò includit imperfectionem eius quod eſt ab hoc, quia non includit neceſſariò quòd procedens ſit imperfectius natura illo à quo procedit. Proceſſio enim non includit de ſe quòd ſit æquiuoca, nec per conſequens,quod forma imperfectior ſit in producto,quàm in producente. 3.

Nota.

Subiectum eſt prius natura paſſionis.

Pro maiori intellectione aliquorum dictorum in iſta litera, occurrunt aliqua dubia. Primum in hoc quod dicit, quòd *ordo naturæ neceſſariò requirit imperfectionem in altero extremorum, ſcilicet in poſteriore*; hoc non videtur verum. Tum, quia inter intellectum, & voluntatem eſt ordo naturæ, cùm intellectus ſit prior naturâ voluntate in nobis, vt patet à Doctore: & fortè etiam hoc eſt verum in Deo, cùm intellectus neceſſariò præſupponatur voluntati, & tamen ex hoc non ſequitur imperfectio in voluntate, imò in nobis voluntas eſt formaliter perfectior intellectu, vt probat Doctor *in* 4. *diſt.* 49. Tum, quia inter eſſentiam diuinam,& relationes originis, ſiue communes, 4.

Dubia.

vt

vt æqualitas,& ſimilitudo,eſt ordo naturæ, quia eſt prior natura illis,imò eſſentia diuina eſt ſimpliciter prima vt etiam comparatur ad attributa, vt patet à Doctore *q.1.quodl.art.1.*& tamen relatio diuina nullam neceſſariò includit imperfectionem, vt patet à Doctore. Tum etiam, quia inter intellectionem diuinam, & volitionem videtur ordo naturæ, cùm intellectio ſit prior natura volitione, vt etiam patet à Doctore *in primo,diſt.2.* Tum etiam, quia inter duo indiuidua eiuſdem naturæ,quorum vnum in eſſendo dependet ab alio,eſt ordo naturæ, & tamen non ſequitur quòd productum ſit imperfectius producente, cùm ſint eiuſdem perfectionis naturalis, & eſſentialis.

Reſponſio. Diſtinctio de ordine naturæ. Primo modo. Reſpondeo, præmittendo aliqua de ordine naturæ ſcilicet quòd *ordo naturæ* capitur multis modis. Primò accipitur ordo naturæ, qui eſt inter aliqua, quorum vnum dependet ab alio ſecundùm menſuram perfectionalem,ita quòd poſterius ſecundùm perfectionem menſuratur à perfectiori. Et ſic omnia alicuius generis dependent à perfectiſſimo in illo genere, vt patet per Philoſophum 10. *Met. tex. com.* 2. & talis ordo ſemper connotat imperfectionem in poſteriori natura.

5. *Secundo modo.* Secundò, accipitur ordo naturæ, qui fundatur in vna natura, & terminatur ad aliam naturam: ita quòd inter illas naturas eſt ordo producentis,& producti:ſiue conſeruantis & conſeruati,ita quòd productum ſit ſimpliciter aliud à producente.& hoc in natura. Et hoc dupliciter ſcilicet quòd ſit aliud in natura, vel tantùm numeraliter, vel ſpecificè. Primo modo non requirit neceſſariò quòd productum ſit imperfectius producente, nec quòd producens ſit perfectius producto, vt patet;niſi fortè in hoc quòd cauſatum, inquantùm cauſatum, neceſſariò eſt ens dependens,& verè poſſibile,vt patet à Doctore *in primo,diſt 8.q.vlt.& in ſecundo, diſt.1.q.3.* Eſt enim implicatio,quòd ſit cauſatum,& ſit neceſſarium, Cauſans verò, inquantùm cauſans, nullam imperfectionem, nec poſſibilitatem includit,vt patet de Deo, qui verè cauſat omnia cauſabilia,hoc modo poſſet eſſe imperfectio in cauſato. Secundo modo ſemper ordo naturæ requirit imperfectionem in producto, quia cauſatum æquiuocè neceſſariò eſt imperfectius cauſa æquiuoca: vt ſubtiliter probat Doctor *in quarto, diſt. 12.* vide ibi.

Tertio modo. Tertiò accipitur ordo naturæ inter aliqua, quorum vnum in nullo genere dependentiæ ab alio dependet:vt nec in genere cauſati, vel menſurati, vel conſeruati;ſed quia vnum neceſſariò præſupponit aliud; & ſic inter intellectum, & voluntatem, inter intellectionem, & volitionem eſt talis ordo naturæ. Et hoc modo ordo naturæ non præexigit neceſſariò imperfectionem in poſteriori natura, imò multoties natura eſt perfectius,vt patet de voluntate,& intellectu, intellectione & volitione; nam volitio eſt ſemper perfectior intellectione, vt patet à Doctore *in quodl.q.13.& in prol.q.vlt.& in 4.diſt.49.* Aliquando etiam prius naturâ hoc modo erit perfectius, vt patet de intellectu, & volitione, quæ eſt imperfectior ipſo intellectu, ſaltem in nobis.

6. *Quarto modo.* Quartò eſt ordo naturæ inter aliqua,quorum vnum dependet ad aliud, non quòd in *eſſe* ſuo, nec in *conſeruari* dependeat:ſed quia eius dependentia ad aliud terminatur, & hoc dupliciter. Vel quia terminatur ad ſubiectum. Vel quia terminatur ad ſuppoſitum. Primo modo accidens dependet à ſubiecto, quia in ſe ſtare non poteſt. Et talis ordo neceſſariò requirit imperfectionem in accidente,eo quòd per ſe ſtare non poſſit: requirit etiam imperfectionem in ſubiecto, eo quòd informatur, & perficitur à tali accidente: vt patet à Doctore *in tertio,diſt.1. q.1.art.1.* Secundo modo natura aſſumpta à Verbo dependet ad ipſum Verbum, & hoc eſt imperfectionis, quia in alio ſuſtentatur; ſed in Verbo nulla eſt imperfectio, quia tantùm terminat dependentiam illam, & nullo modo perficitur ab illa, nec informatur, vt patet à Doctore *in tertio, vbi ſuprà.* *Natura aſſumpta dependet à verbo.*

Quintò accipitur ordo naturæ inter aliqua: quorum vnum eſt quaſi productum, vel quaſi originatum,& hoc dupliciter. Vel eſt quaſi productum ab aliquo non formaliter infinito, & ſimiliter ipſum non eſt formaliter infinitum: ſed dicitur quaſi productum, eo quòd realiter identificatur producenti. Et tunc talis ordo dicit imperfectionem in quaſi producto,vt patet de ſubiecto, & propria paſſione. Vel quaſi productum eſt ab aliquo formaliter infinito, & ipſum quaſi productum eſt formaliter infinitum, ſicut omnia attributa quæ ſunt formaliter infinita, vt patet à Doctore *in primo, diſt.8.q.pen.* & ſunt quaſi originata à natura diuina formaliter infinita, vt patet à Doctore *in primo,diſt.8.q.1. & diſt.28.& in quodl.q.1.* Et talis ordo nullam requirit imperfectionem in talibus quaſi productis, cùm infinito formaliter repugnet omnis imperfectio,vel quaſi imperfectio,etiam poſito per impoſſibile,quòd huiuſmodi eſſent verè, & realiter producta, vt expoſui in primo. Si verò quaſi productum non ſit formaliter infinitum, vt relationes originis, tunc ordo inter illa adhuc non requirit imperfectionem in quaſi producto, quia tali relationi repugnat omnis imperfectio, vel quaſi imperfectio. Tum etiam, quia repugnat formaliter infinito recipere, vel quaſi recipere talem relationem, &c. *Quinto modo.* *Attributa ſunt formaliter infinita.* *Infinito formaliter repugnat omnis imperfectio.* *Relationes originis non ſunt formaliter infinita.*

Sextò,fortè poſſet poni prioritas, & poſterioritas naturæ inter aliqua,vbi vnum accipit totum ſuum *eſſe* ab alio, ita quòd tantùm ab illo diſtinguitur ſecundùm proprietatem perſonalem, ſed ſecundùm omnem perfectionem eſt ſimpliciter idem illi. Et hoc modo tenendo quòd perſonæ diuinæ conſtituantur per abſoluta, ſicut fortè Doctor videtur tenere *in primo,diſt.26.* eſſet inter Patrem, & Filium talis ordo naturæ, quia quicquid habet Filius,habet à Patre, & ſola proprietate diſtinguitur à Patre, & in nulla perfectione diſtinguitur. Hîc tamen nulla eſt eſſentialis dependentia, cùm illa ſit inter naturas diſtinctas,vt patet à Doctore *in primo, diſt. 2. parte 2. reſpondendo ad arg. principalia.* Et in tali ordine non requiritur imperfectio in poſteriori, vt patet. Si etiam teneatur quòd perſonæ conſtituantur per relationes, vt tenet communis opinio, adhuc non haberem pro inconuenienti,quòd inter Patrem, & Filium eſſet ordo naturæ; qualis poneretur ſi eſſent conſtitutæ per abſoluta, & quamuis ſint correlatiua,& ſimul natura,loquendo de ſimultate ordinis naturæ, quæ opponitur ordini eſſentiali,vt dicit Doctor hîc. 7. *Sexto modo* *Filius ſola proprietate diſtinguitur à Patre.*

His præmiſſis, dico breuiter quòd Doctor in pro 8. *Opinio Scoti.*

proposito loquitur de ordine essentiali, qualis est inter causam æquiuocam, & effectum æquiuocum, quia ibi semper posterius natura est imperfectius. Et quòd sic intelligat, patet, quia supponit quòd Pater non producat Filium æquiuocè, imò simpliciter vniuocè, vt patet *in primo, dist.* 7. *& dist.* 13. & supponit quòd producat ipsum, communicans sibi eandem naturam, quam habet, & eandem perfectionem. Talis ergo ordo naturæ, qui est inter causam æquiuocam, & effectum, vel qualis est inter mensuram, & mensuratum secundùm perfectionem essentialem, semper dicit imperfectionem in posteriori natura, & quòd sic loquatur, patet per literam ipsius, vbi sic dicit: *ordo naturæ, siue essentialis, necessariò includit imperfectionem in altero extremorum,* & parum pòst: *Processio enim non includit de se quòd sit æquiuoca, nec per consequens, quod forma imperfectior sit in producto, quàm in producente.* Ex his patet responsio ad rationes.

Quomodo ordo naturæ dicat imperfectionem.

Singularia dubia & eorum responsiones.

Secundò principaliter dubitatur, de hoc scilicet quòd *simultas opposita ordini essentiali sufficit ad simultatem correlatiuorum.* Hoc prima facie non videtur verum. Primò, quia si vnum correlatiuum esset prius naturâ alio correlatiuo, & non prioritate essentiali, puta vbi non esset dependentia essentialis, sicut est inter intellectum, & voluntatem, vt dictum est suprà, tunc vnum correlatiuum posset intelligi alio non intellecto, quod est falsum: patet quod posset intelligi, quia tali priori non repugnat posse intelligi, circumscripto posteriori.

Secundò instatur, quia etiam requiritur simultas originis: patet, quia correlatiua sunt simul naturali intelligentia, vt patet à Doctore: sed si vnum esset prius origine alio, non necessariò simul intelligerentur: patet, quia in illo priori, in quo Pater est, Filius non est; ergo in illo priori Pater posset intelligi, Filio non intellecto.

Tertiò instatur, quia si simultas opposita ordini essentiali, qualis est inter causam æquiuocam, & effectum, sufficit vt ipse infrà exponit: ergo sequitur quòd si producens vniuocum esset simul simultate opposita tali ordini, puta quia non esset Franciscus producens priùs essentialiter, & æquiuocè, Ioanne producto, sed tantùm prius naturâ, eo modo, quo causa vniuoca est prior effectu vniuocè producto, tunc sequeretur quòd essent perfectè correlatiua, & tamen Franciscus producens posset perfectè intelligi sine Ioanne producto: quia ita videtur prior causa vniuoca suo effectu vniuoco, sicut causa æquiuoca suo effectu æquiuoco, quia vtraque causat aliud, licèt vniuoca tantum causet aliud numeraliter, & æquiuoca aliud in specie.

9.
Quæ relatiua sint simul naturali intelligentia.

Respondeo præmittendo aliqua. Primò, quòd quando dicimus quòd correlatiua sunt simul naturali intelligentia, hoc non debet intelligi sic scilicet, quòd in eodem penitus signo, quo cognoscitur vnum, necessariò cognoscatur aliud: sed benè ad cognitionem vnius statim sequitur cognitio alterius: non quòd cognitio, puta paternitatis, in nobis dependeat à cognitione filiationis, nec è contra, cùm cognitio relationis dependeat à termino, & fundamento. Non enim potest cognosci perfectè paternitas, nisi priùs cognoscatur terminus, cùm essentialiter, & formaliter sit ad illum, terminus autem eius non est filiatio, sed absolutum Filij, vt probat Doctor *in* 1. *dist.* 30. Et ideò dicit, *q.* 1. *prologi & dist.* 8. *primi.* 2. *q.* 14. *quodl.* quòd relatio non potest cognosci termino eius non præcognito. Posito enim per possibile, vel impossibile, quòd filiatio non esset, sed tantùm paternitas, certum est quòd paternitas posset perfectè cognosci filiatione non cognita, quia non est de ratione paternitatis quòd terminetur ad filiationem, nec quòd coëxigat illam; sed benè de ratione eius est quòd terminetur ad absolutum filij, & hoc patet de relatiuis non mutuis, vt de relatione creaturæ ad Deum, quæ perfectè cognoscitur cognitis Deo, vt termino, creatura, vt fundamento. Vbi tamen sunt relationes mutuæ, sic se habent quòd cognitâ vnâ, immediatè cognoscitur alia; non enim videtur necesse simpliciter quòd in quocunque signo cognoscitur vna, cognoscatur & alia, sed vnâ cognitâ, immediatè pòst cognoscitur & alia. Hæc tamen dico non absolutè, nec determinando. Secundò præmittendo, quòd quando Doctor dicit quòd *simultas opposita ordini essentiali sufficit ad simultatem correlatiuorum*, hoc dicit, quia vbi est ordo essentialis, priori essentialiter non repugnat posse esse, sine posteriori essentialiter, vt patet discurrendo in omnibus, & non repugnat posse perfectè cognosci, posteriori nullo modo cognito, quæ non conueniunt correlatiuis, & quia in correlatiuis diuinis est talis ordo, quòd vnum verè ab alio producitur, videtur quòd ibi sit ordo essentialis (nullus alius ordo naturæ videtur, nec apparet ponendus præter ordinem originis) & per consequens non sit simultas essentialis, quæ omninò impedit naturam correlatiuorum: & quia in diuinis correlatiuis non est talis ordo essentialis, ideò sufficit simultas opposita tali ordini, sed non illa præcisè, sed etiam requiritur simultas opposita ordini durationis. Et ex his patet responsio ad primum.

Ad secundum dico primò, vt dixi in primo, notando quòd non est repugnantia vnum posse præcognosci. Dico secundò, quòd prioritas originis dicit tantum Patrem habere esse à se, & posterioritas originis dicit præcisè Filium habere esse à Patre, & tamen cum hoc stat quod simul intelligantur, quia *prius origine* non dicit aliquod signum durationis prius Filio.

Prioritas originis quid.

Ad vltimum, patet ex suprà dictis responsio.

SCHOLIVM.

Personam primam constitui per relationem oppositam relationi, quæ (ex supposito) constituit secundam personam, probatur, quia prima proprietas incommunicabilitatis constituit primam personam; & hæc correspondet restitutiua secundæ, quia nihil est ibi incommunicabile, nisi proprietas spectans ad primam originem ex suppositione, quòd personæ constituantur per respectus. Adducit contra hos rationem D. Bonau. quæ probat primam personam constitui per ingenitum, ex Damasceno. Et quia ingeneratio est primum incommunicabile.

Iuxta

4. IVxta illud [d] quod supponitur, de secundo articulo, dico, quòd alia relatione constituitur secunda persona, & alia sibi opposita, constituitur prima persona. Probatur sic: prima proprietas incommunicabilis positiua, est proprietas constitutiua primæ personæ: talis est illa, quæ correspondet correlatiuè primæ relationi in persona producta, ergo, &c. Maior patet, quia cùm persona includat essentiam & entitatem incommunicabilem, quæ sunt in ista quæstione supposita, secundùm Rich. 4. *de Trin.* proprietas primæ personæ, non oportet quòd aliquid per se importet nisi primam entitatem incommunicabilem. Minor patet, quia, secundùm sententiam communem in ista quæstione suppositam, nihil potest esse ibi incommunicabile, nisi proprietas pertinens ad originem, & per consequens in prima persona non est incommunicabile nisi proprietas pertinens ad primam originem. Illa enim quæ pertinet ad secundam originem, communicabilis est: quia est duarum personarum producentium: Illa autem quæ pertinet ad primam productionem actiuam, opponitur illi, quæ pertinet ad primam passiuam: sicut enim Filius primam proprietatem habet pertinentem ad *generari*, siue *dici*, ita Pater primam proprietatem incommunicabilem habet pertinentem ad *dicere*, siue *gignere*; quia illa conuenit Patri secundùm quòd habet intellectum fœcundum, qui intellectus est prima ratio productiua in Patre. *Articulus secundus.* *Prima proprietas incommunicabilis constituit primam personam.*

5. Contra istam rationem [e] instatur contra vtranque istarum præmissarum. Et primò quantùm ad maiorem. Videtur enim, quòd *ingenitum* sit prima ratio constitutiua primæ personæ: & tunc maior est falsa. Quòd prima proprietas positiua sit proprietas personalis. Hoc probatur auctoritate & ratione. Auctoritas est Damasceni cap. 9. *Omnia*, inquit, *quæ habet Pater Filij sunt, præter ingenerationem, quæ non significat differentiam substantiæ: sed modum existentiæ.* Hæc ille. Ratio autem talis est: principium incommunicabile est prima ratio constituendi primam personam. Hoc probatur: quia cùm essentia sit ratio personæ essendi simpliciter, & cuilibet personæ etiam essendi hæc: nihil ergo vltra requiritur ad rationem personæ, nisi incommunicabilitas: & ita incommunicabili, & quocunque primo habito, habetur persona: sed *ingenitum* videtur importare principium incommunicabile: ergo, &c. Probatio minoris, quod est ab aliquo, & ab ipso aliud, priùs respicit illud à quo est, quàm illud quod est ab ipso. *D. Bon. in 1. d. 13. q. 4. & quod. 3. literali & d. 27. q. 2. & di. 28. q. 1.*

6. Hoc probatur, quia per ipsum prius, à quo ipsum est, habet *esse*: ordo autem ad posterius, præsupponit eius *esse*. Ex ista propositione, de ordine positiuo ad prius, & posterius, infertur hoc consequens, quòd si aliquid non habet ordinem ad prius, sed tantùm ad posterius, quod est ab ipso, per prius sibi conuenit negatio ordinis ad prius, quàm ordo ad posterius: nunc autem, prima persona non habet ordinem ad priorem: & habet ordinem ad posteriorem: ergo sibi priùs conuenit illud quod negat ordinem ad suum prius: tale est *ingenitum.* Quòd autem priùs sibi competat negatio ordinis ad prius, quàm ordo ad posterius. Probatur, quia non tantùm contradictoria referuntur ad idem instans durationis, sed, sicut licet loqui, ad idem *nunc*, siue signum naturæ. Hoc patet inducendo: quia cùm hæc sit vera in primo modo dicendi per se, *homo est rationalis*, hæc autem vera in secundo modo, *homo est risibilis*: hæc autem per accidens, *homo est albus*: & sic possunt assignari instantia naturæ, siue signa naturæ, quantùm ad ordinem istarum prædicationum, si affirmaretur hominem esse rationalem per se in primo signo naturæ, siue primo modo, & negetur ipsum esse rationalem secundo modo, siue in secundo signo naturæ, non est contradictio. Sicut non est contradictio, si dicatur hominem esse album in tertio signo, & non esse album in primo signo, vel secundo. Patet ergo, quòd ista non est contradictio nisi pro eodem signo naturæ. Et ita in signis originis, esse ab alio, & non esse ab alio sunt contradictoria: patet de se, ergo pro quocunque signo attribueretur alicui esse ab alio, si hoc sibi competeret, pro eodem signo attribueretur sibi hoc quod est, non esse ab alio, si hoc sibi competit: sicut ergo ei quod est ab alio, per prius conuenit ordo ad illud, à quo est, quàm ad posterius: sic ei, quod non est ab alio, priùs conuenit negatio ordinis ad prius, quàm ordo positiuus ad posterius.

Si arguátur contra hoc [f], quòd negatio non habet constituere personam.

Respondetur, quòd illud personale, quod intelligitur superaddi essentiæ, sufficit quòd habeat primam rationem incommunicabilitatis: essentia enim personæ tribuit & *esse*, & hoc *esse*, & quidquid positiuum est. Si ergo affirmatio, vel negatio possit habere rationem incommunicabilitatis in prima persona, sufficit ad constituendum

tuendum personam: illa autem negatio habet, vt probatum est, primam rationem incommunicabilitatis; ergo, &c.

COMMENTARIVS.

10. d IVxta illud, quòd supponitur de secundo articulo. Hîc Doctor in isto secundo articulo intendit probare quòd prima persona constituatur relatione opposita relationi secundæ personæ, puta, quòd constituatur paternitate, vel generatione actiua, quod idem importat.

D. Bonau. in primo dist. 19. q. 4.

e *Contra istam.* Hîc Doctor arguit contra maiorem & minorem rationis, & primò contra maiorem scilicet quòd prima proprietas incommunicabilis sit positiua, quia *ingenitum*, videtur esse prima proprietas, & hoc probat & auctoritate, & ratione. Auctoritas est Damasceni: *Omnia* (inquit) *quæ habet Pater, Filij sunt, præter ingenerationem, &c.* Vult dicere, quòd *ingenitum* non significat ens positiuum, sed tantum modum existentiæ, quia significat non esse ab alio. Ratione etiam probatur, & ratio stat in hoc breuiter, negatio ad prius, prius conuenit, quàm habitudo ad posterius: patet, quia si *A* est à *B*, & *C* ab *A* prius *A* respicit *B*, à quo habet *esse*, quàm *C*, cui dat *esse*; ergo si *A* à nullo priore est, & *C* est ab *A*, ipsi *A* priùs conuenit negatio ad prius, quàm habitudo, siue productio respectu *C*, ergo cùm negatio ad prius, puta *ingenitum*, prius conueniat Patri, quàm generare Filium, sequitur quòd *ingenitum* erit prima proprietas Patris, & per consequens, Pater constituetur in esse per ingenitum. Si dicatur, quòd in eodem signo, non conuenit Patri esse ab alio, & non esse ab alio; imò si esset ab alio, per prius conueniret esse ab alio, quàm non esse ab alio, & sic in aliquo posteriori signo conueniret non esse ab alio.

Scotus contra D. Bonau.

Contrà arguit, quia esse ab alio, & non esse ab alio contradicunt, & non contradicunt, nisi pro eodem signo, vel naturæ, vel originis; vnde ista non contradicunt, homo in primo signo est per se rationalis, siue in primo modo, & in secundo modo, siue in secundo signo naturæ, non est per se rationalis, quia accipiuntur pro diuersis signis; sic in proposito, cùm esse ab alio, & non esse ab alio, contradicant, sequitur quòd in eodem signo, quo conueniret Patri esse ab alio, si esset ab alio, conuenit non esse ab alio, si non est ab alio. Si ergo esset ab alio, priùs sibi conueniret hoc, quod est esse ab alio, quàm aliud producere: ergo non esse ab alio, priùs conuenit, quàm producere Filium: & sic *non esse ab alio*, siue *ingenitum*, erit prima proprietas Patris, & ab illa prima cõstituitur.

Quid essentia personæ tribuit.

f *Si arguatur.* Hîc instat, probando quòd ingenitum, non sit proprietas constitutiua, quia negatio non constituit personam, cùm persona sit ens positiuum: ergo & constituentia erunt ens positiuum: modò *ingenitum* dicit formaliter negationem, scilicet non esse ab alio.

Respondetur, quòd illud personale, quod intelligitur superaddi essentiæ, sufficit quòd habeat primam rationem incommunicabilitatis: essentia enim personæ tribuit *esse*, & hoc *esse*, & quicquid positiuum est. Si ergo affirmatio, vel negatio, possit habere rationem incommunicabilitatis in prima persona, sufficit ad constituendum personam: illa autem negatio, habet, vt probatum est, primam rationem incommunicabilitatis, ergo, &c.

SCHOLIVM.

Refutat impugnationem allatam, probans primam personam non constitui per ingenitum, *quia est negatio, (ex Augustino) & nulla negatio est primò incommunicabilis, (quod requiritur ad constitutiuum personæ) sed per aliquid positiuum proprium, ad quod consequitur: de quo latè traditur à Doct. 1. d. 28. q. 2. Ponit duas solutiones ad hoc argumentum. Prima ait* ingenitum *dicere dignitatem, quia est à se. Secunda fontalem plenitudinem. Contra primam, esse à se negatiuè non facit esse incommunicabile, vt probat argumentum. Contra secundam, quæ est D. Bonau. si plenitudo dicit negationem, currit ratio; si positiuum aut commune, & sic non erit personalitas; aut relatio, & sic non alia nisi illa, quæ est opposita relationi constitutiua secundæ personæ. Soluit authoritatem Damasceni positam, num. 5. & exponit, quomodo ordo ad prius, aut negatio talis ordinis potest esse prius in aliquo absoluto, ordine positiuo ad posterius, non tamen in respectiuo, quod constituitur per ordinem ad posterius. Explicat optimè, quomodo contradictoria referuntur ad idem* nunc; *non tamen est necesse, quòd cui conuenit album pro hoc* nunc, *quòd eidem conueniret non album pro eodem* nunc: *& ratio est, quia res primò est ipsa, vt homo homo, non tamen primò est non lapis, quia negatio, (vt dictum est) non conuenit alicui, nisi per positiuum, præexistens in eo. Vnde si prima persona constitueretur per non esse ab alio, non æquè primò conueniret ei non esse ab, sicut conueniret esse ab alio, ponendo quòd per hoc constitueretur: de quibus vide Doct. 1. d. 28. q. 2. n. 4. & d. 36. n. 13. & d. 23. n. 7. quibus locis optimè agitur de negatione eiusque natura, & diuisione.*

COntra istum modum g dicendi arguitur sic: Proprietas constitutiua est omnino formaliter, & primò incommunicabilis: nulla negatio formaliter, & per seipsam est primò incommunicabilis; *ingenitum* autem, vt distinguitur formaliter ab essentia, & relatione positiua ad productum, non dicit nisi negationem formaliter: quia secundùm 7.

Ingenitum non facit

secundùm Augustinum 5.de Trin.c.6. *cùm ingenitum dicitur, non quid sit, sed quid non sit ostenditur:* & multæ auctoritates ad hoc patent: ergo. Prima propositio patet, quia cùm persona sit formaliter incommunicabilis existentia: oportet quod illud quo aliquid est persona primò, sit formaliter incommunicabile: ergo, &c. Secunda propositio patet, quia negatio propria exigit positiuum proprium ad quod consequitur nulla enim negatio est propria omnino alicui, hoc est soli illi necessariò conueniens, nisi quia ei repugnat affirmatio opposita: affirmatio autem quæcunque nulli enti repugnat, nisi per aliquod positiuum, quia si per negationem, quæro an illa negatio consequitur aliquod positiuum, cui repugnat illa alia affirmatio, & sic habetur propositum: aut consequitur positiuum, & tunc negatio omnino prima, est in illa vnitate siue distinctione, & entitate per consequens, quod est inconueniens: aut necessariò dabitur, quòd negatio consequitur positiuum, sed non proprium isti: & tunc sequitur, quòd negatio non erit propria isti, quia illud, per quod negatio conuenit non est proprium isti.

primã personam, de quo 1.d.28. q.2. n 10. Vide 27. d. Negatio propria petit positiuũ proprium.

8. h Respondetur ad minorem, quòd *ingenitum* non importat negationem simpliciter, sed aliquid pertinens ad dignitatem: quia hoc, quod est habere, esse à se.

Alio etiam modo, quòd importat fontalem plenitudinem, quod est perfectionis simpliciter in prima persona, secundùm Augustinum 4. *de Trin.c.9.*

Guil. Antisiodorensis.

i Contra primum, cùm dicitur, à se, aut intelligitur, quòd hæc præpositio *A*, importat circunstantiam causæ, vel principij positiui: & statim patet contradictio: quia secundùm Augustinum 1.de Trin. cap. 1. *nulla mens capit quod aliquid sit à se*; aut intelligitur negatiuè tantùm: quia non habet aliquid pro principio, vel causa, & habetur propositum de negatione.

2.de Anima. t.c.47.

Contra secundum:[k] fontalis plenitudo, aut dicit negationem, & habetur propositum, aut positiuum, & tunc vel essentiam, & sequitur quòd si *ingenitum* sit proprietas personalis; ergo & essentia: aut relationem positiuam, & patet quòd non nisi ad personam, & tunc, si ad personam, aut ad vnam, aut ad plures; non ad producentem, vel producentes: ergo ad productam, vel productas. Si ad plures, non poterit esse vnum formale principium constitutiuum personæ: si ad vnam, & singularem, aut relationem ad personam primam productam, aut secundam, & tunc non tenetur positum, scilicet quòd *ingenitum* vt distinguitur contra paternitatem, vel spirationem, constituat personam, aut relationem vnam abstractam ab istis [l] scilicet paternitate, & spiratione. Et tunc si potest aliqua talis relatio communis abstrahi ab istis duabus, sequitur, quòd prima persona non aliqua vna relatione, scilicet singulari, signata in existentia, sit persona, sed aliquo modo vna abstrata à relationibus duabus, & hoc alterius rationis: quia probatum est in quæstione præcedente, quòd duæ productiones actiuæ in Diuinis non possunt esse eiusdem rationis, & tunc prima persona non constitueretur formaliter aliquo constitutiuo vnius rationis, quasi specificè, sed vno abstracto à duobus quasi alterius rationis. Nec oportet hìc immorari, quia multi magistri hìc concedunt propositum quantum ad maiorem, quòd aliquo incommunicabili positiuo constituitur prima persona, de qua est hic sermo.

Ratio constitutiua personæ primæ non est fontalis plenitudo.

9. Cum ergo arguitur pro ista opinione pro ingenito per Damascenum patet per eum responsio ibidem: subdit enim in solis proprietatibus paternitatis, & filiationis & processionis, differentiam cognoscimus: ergo quando priùs accepit omnia præter ingenerationem, &c intelligendum est, quòd sub ingeneratione comprehendit paternitatem. Et breuiter sicut patet in diuersis capitulis eius, nunc nominat vnam proprietatem primæ personæ, nunc aliam; & per consequens per vnamquamque intelligit quamcunque proprietatem propriam.

Eadem solutio habetur in 1.d. 26. & 28. Reportatis q.1.ad arg. 1.

Ad rationem, concedo, quod ordo ad prius quodammodo præcedit in aliquo ordinem ipsius ad posterius: maximè quando ordinatum est in se absolutum. Concedo etiam, quòd negatio ordinis ad prius in absoluto, præcedit ordinem positiuum eiusdem ad posterius: sed non sic in illo, quod constituitur formaliter per ordinem ad posterius, quia nullus ordo in illo potest esse prior, nec etiam negatio ordinis, quàm sit ordo, quo constituitur. Si ergo esset suppositum absolutum, posset concedi, quòd ingenitum esset quodammodò prius paternitate: sed cùm probatur generaliter de quocunque supposito, & de ordine ad posterius, & negatione ordinis ad prius: illa propositio, qua dicitur, quòd contradictoria referuntur ad idem *nunc*; non solùm in ordine durationis, sed etiam naturæ & originis, est vera, intelligendo de per se contradictoriis, prout affirmatio comparatur ad negationem: non est autem

Ordo ad prius quãdo est prior ordine ad posterius.

Contradictoria quomodo referuntur ad idem nunc.

autem vera, intelligendo de affirmatione, & negatione comparando ad tertium, de quo dicuntur.

Exemplum. Album pro *A*, & non album pro *B*, non contradicunt inter se, nec ad quodcunque comparantur, & hoc intelligendo per *A*, & *B*: siue signa durationis, siue signa naturæ, vel originis: Sed si ista comparantur ad aliquid, cui conueniunt, vel conuenire possunt, non oportet quòd si album conueniret ipsi *C*, pro *A*: quòd non album conueniret ipsi *C* pro *A*. Nihil enim est, quod non omnino primò ipsum sit ipsum, sicut homo omnino primò est homo, & si homo esset lapis, esset omnino primò lapis: sicut lapis est lapis: tamen non omnino primò est non lapis: quia nulla negatio potest esse eadem alicui primo, sicut ipsum est ipsum primò. Concedo ergo, quòd intelligendum est esse ab aliquo, & non esse ab aliquo, referri ad idem instans, siue *nunc* cuiuslibet ordinis, ad hoc quòd sint contradictoria: vt, scilicet pro quo *nunc* affirmatur esse ab alio, quòd ponit, pro eodem *nunc*, non esse ab ipso, neget illud idem: sed non oportet quòd illi, de quo ista dicuntur, conueniat æquè primo, *non esse ab*: sicut illi conueniret *esse ab*: si *esse ab*, sibi conueniret, & per consequens supposito, cui conuenit negatio ordinis ad prius, prioritate originis, non æquè primò conuenit ista negatio, sicut conueniret affirmatio ordinis, si illum ordinem haberet.

Homo prius est homo quàm non lapis. Contradictoria non æquè primò conueniunt ei de quo dicuntur.

COMMENTARIVS.

11. g Contra. Hîc Doctor improbat hanc opinionem, probando duo. Primò, quòd proprietas constitutiua personæ, est omnino formaliter, & primò incommunicabilis. Secundò, quòd nulla negatio sit formaliter, & primò incommunicabilis, & per consequens *ingenitum* non erit proprietas constitutiua personæ, cùm non dicat formaliter nisi negationem, vt patet per Augustinum 5. *de Trin. cap.*7. *Cùm ingenitum dico, non quid sit, sed quid non sit ostenditur.* Ingenitum enim in proposito, & non productum idem sunt, vt ostendit Doctor *in* 1.*dist.*28. &c. Probat ergo primam propositionem sic; persona est formaliter incommunicabilis existentia: ergo illud, quo aliquid est persona primò, erit formaliter incommunicabile. Secunda probatur, quia nulla negatio propria, est alicui, hoc est soli illi necessariò conueniens, nisi quia ei repugnat affirmatio opposita, affirmatio autem nulli enti repugnat, nisi per aliquid positiuum, quia si per negationem, & tunc quæro an illa negatio consequitur aliquod positiuum, cui repugnat illa alia affirmatio, & habetur propositum, scilicet quòd affirmatio repugnat per aliquod positiuum, & sic negatio opposita inerit necessariò per aliquid positiuum: aut non consequitur positiuum, & tunc negatio omnino prima est in illa vnitate, & distinctione, & in entitate per consequens, quod est inconueniens, id est, quòd talis negatio primò constituet illud ens in tali vnitate, scilicet incommunicabili, & in tali distinctione, quia quæ sunt principia constituendi, sunt principia distinguendi: & sic, si primò constituit in vnitate incommunicabili, est etiam ratio distinguendi illud à quolibet alio, & similiter constituet primò in tali entitate. Sequitur enim quòd si negatio insit primò, & sit ratio propter quam repugnat affirmatio Patri communicari, quòd illud ens, cui primò conuenit talis negatio per ipsam, erit incommunicabile primò. Sicut etiam quando negatio ad communicari aduenit enti propter aliquam affirmationem in tali ente, quòd tale ens, erit primò incommunicabile per talem affirmationem: ergo sic erit in proposito de negatione, propter quam repugnat enti affirmatio ad communicari.

Scotus improbat hanc opinionem.

Contra illas duas propositiones occurrunt aliqua dubia. Primò, quia si illud, quo aliquid est persona, siue incommunicabilis existentia, sit formaliter incommunicabile, sequitur quòd negatio erit formaliter, & primò incommunicabilis: hoc autem est falsum, & contra ipsum, vt patet in probatione secundæ propositionis, & in 1.dist.28 & alibi sæpè. Antecedens probatur, quia secundùm ipsum, *in* 3. *dist.*1. *q.*1. *& in quodlib. qu.* 19. persona creata primò constituitur in *esse* personali, per negationem duplicis dependentiæ, scilicet actualis, & aptitudinalis: ergo talis negatio erit primò incommunicabilis. 12.

Dubia contra duas propositiones.

Secundò, quia relatio originis communicatur personæ, & similiter communicatur essentiæ, vt patet de filiatione in Diuinis: & tamen persona constituta per illam est primò incommunicabilis, & sic non erit necesse quòd illud, quo constituitur persona, sit primò, & formaliter incommunicabile.

Cui communicetur relatio originis.

Contra secundam propositionem: primò probatur quòd negatio propria non insit propter positiuum proprium, quia negatio lapidis necessariò inest Socrati, & tamen non inest propter positiuum proprium Socrati: patet, quia talis negatio inest etiam boui. Tum etiam, quia negatio lapidis inest necessariò Chimæræ, & tamen in Chimæra non est aliquod positiuum, propter quod insit talis negatio. Tum etiam, quia negatio dependentiæ actualis ad aliud suppositum inest Socrati, & tamen non inest per aliquod positiuum in Socrate, quia omne positiuum in Socrate est communicabile, quia à Verbo assumptibile, vt patet à Doctore *in tertio, dist.*1. *q.*1. *& in quodlib. q.* 19.

Solutio dubiorum.

Respondeo ad istas obiectiones, præmittendo aliqua. Primò, quòd constitutiuum personæ diuinæ est ita proprium illi, quòd necessariò simpliciter conuenit ei, ita quòd oppositum simpliciter repugnat, imò est ita proprium illi, puta filiatio Filio, quòd si illa præcisè non esset, quæ nunc est in Filio, esset simpliciter impossibile aliquam aliam esse, vel aliquem alium Filium esse, vt suprà patuit, *q.* 2. *quodlib.* 13.

Secundò

Secundò præmitto, quòd est differentia inter constitutiuum vltimum personæ diuinæ, & personæ creatæ: nam vltimum constitutiuum personæ diuinæ inest simpliciter necessariò, & oppositum, puta communicari actu simpliciter repugnat. Sed vltimum constitutiuum, & completiuum personæ creatæ, non inest necessariò: patet, quia persona creata vltimatè, completur per negationem actualem ad aliud suppositum, vt patet à Doctore *in tertio, dist. 1.* & tamen affirmatio opposita, scilicet actu dependere ad aliud suppositum, potest sibi inesse, & de facto inest naturæ singulari assumptæ à Verbo, vt patet à Doctore *in tertio, dist. 1.* & ex hoc apparet, quomodo talis negatio non est ita propria personæ creatæ, quòd illi soli necessariò conueniat.

Tertiò, præmitto quòd illud, quo aliquid est primò persona personalitate sibi propria, & necessariò sibi competente, est primò incommunicabile, & tale est constituens personam diuinam, quæ sola est necessariò persona personalitate sibi propria, & sibi soli necessariò competente. Sed illud, quo persona creata est persona personalitate propria, sed non necessariò competente, non est ita proprium illi, quòd sibi necessariò conueniat.

Quid sit incommunicabile, vt quod, & vt quo.

Quartò præmitto, quòd aliud est esse primò incommunicabile vt *quod*; & aliud vt *quo*. Primo modo suppositum est incommunicabile: secundo modo proprietas hypostatica. Posito ergo quòd ipsa sit communicabilis, puta naturæ diuinæ, tamen est ratio formalis constituendi aliquid in *esse* incommunicabili primò: & hoc modo proprietas personalis potest dici primò incommunicabilis, quia per ipsam, aliquid constituitur in *esse* incommunicabili primò. Potest etiam dici, quòd illud, quod alteri communicatur, aut perficit aliquam naturam, vel informat, aut est tale ens, quòd in alio sustentari, siue suppositari potest, licèt non perficiat illud, vel informet, & sic natura humana singularis communicatur Verbo diuino. Hoc modo proprietas constitutiua personæ est incommunicabilis, quia ipsa nec perficit naturam diuinam, nec informat, nec dependet, propriè loquendo. Vtraque via videtur saluabilis.

14. His præmissis, patet responsio ad obiectiones. Ad primam, contra primam propositionem, dico quòd aliud est loqui de incommunicabili actu, sed non necessariò incommunicabili; & aliud est loqui de incommunicabili actu necessariò: primo modo negatio actualis cum aptitudinali, est ratio constituendi in *esse* incommunicabili, sed non necessariò, vt patet de negatione actuali, quæ necessariò non inest; & quando inest semper constituit in *esse* incommunicabili. Cùm dicitur quòd non est incommunicabilis primò, dico quòd est incommunicabilis primò, quia per ipsam est primò, aliquid incommunicabile, licèt non necessariò: & cùm infertur quòd talis negatio non est propria illi, ergo non constituit in *esse* incommunicabili. Dico, quòd sola illa negatio dicitur propria alicui, quæ soli illi necessariò inest, & illa consequitur necessariò aliquod positiuum, quod necessariò est prima ratio incommunibilitatis, & negatio necessariò sequens non est ratio constituendi primò in *esse* incommunicabili, sed necessariò consequitur illud, & ideò dicitur propria: alia verò negatio, licèt quando actu inest, puta Francisco, actu constituat ipsum in *esse* incommunicabili, non tamen dicitur illi propria; cùm necessariò non insit, sed merè contingenter, quod benè nota.

Ad secundam, patet responsio ex supradictis in quarto præmisso.

Quomodo negatio alicui conueniat. 15.

Ad rationes, contra secundam propositionem, ad primam. Dico, quòd negatio aliquando necessariò conuenit alicui, sed non soli illi, vt non lapis necessariò conuenit homini, sed non soli homini; & talis nunquam inest enti positiuo, nisi per aliquod positiuum in ipso, cui affirmatio opposita, scilicet affirmatio lapidis, repugnat necessariò; & talis negatio potest pluribus inesse per aliquod positiuum commune eis, quicquid sit illud; vel etiam potest inesse illis pluribus, propter aliud positiuum in eis, puta homini, quia animal rationale: ligno, quia talis natura, &c. Aliquando negatio non solùm conuenit alicui necessariò, sed etiam soli illi, vt negatio finitatis soli Deo, conuenit per positiuum proprium in illa. Et sic negatio communicabilitatis competens personis diuinis, necessariò conuenit illis, non per aliquod positiuum commune illis, sed simpliciter per aliud, & aliud positiuum proprium singulis, ita quòd Filio conuenit negatio per filiationem, & Patri per paternitatem præcisè, & hoc modo talis negatio non solùm conuenit necessariò, sed est etiam propria, propter positiuum proprium in eis.

Ad illud de chimæra, patet responsio; quia hoc intelligitur quando negatio necessariò conuenit enti positiuo, quale non est chimæra.

Ad tertium, patet responsio ex supradictis, quia conclusio intelligitur de negatione, necessario, inhærente: modo negatio actualis dependentiæ ad aliud non necessario inest, vt suprà dixi. Et sic patet responsio ad ista dubia, &c.

Expositio literæ. Guil. Antisiodorensis. 16.

h *Respondetur ad minorem.* Hîc Doctor recitat vnam opinionem Guillelmi Antisiodorẽsis quæ dicit quod *ingenitum* non importat negationem simpliciter, sed aliquid pertinens ad dignitatem, quia hoc quod est habere esse à se alio modo importat fontalem plenitudinem, quod est perfectionis simpliciter in prima persona, secundùm Augustinum *4. de Trin. c. 9.*

Quære etiam S. Bona. & Varronem.

i *Contra.* Hîc Doctor improbat hanc responsionem, & primo improbat primam, videlicet quod *esse à se*, aut importat circunstantiam principij positiuè, & hoc est impossibile, quia nihil est quod gignat seipsum, vt patet per Augustinum *primo, de Trin. cap. primo*, aut *à se* intelligitur negatiuè tantùm, scilicet quia non habet aliquid pro principio, vel causa, & habetur propositum, scilicet quod *ingenitum* dicat negationem formaliter.

k *Contra secundam, quia fontalis plenitudo, aut dicit negationem, & habetur propositum*, scilicet quod *ingenitum*, vt dicit fontalem plenitudinẽ, sit formaliter negatio, aut dicit positiuum, & tunc vel dicit essentiam, & tunc sequitur quod si *ingenitum* sit proprietas personalis, quod essẽtia erit proprietas personalis formaliter, quod est impossibile, cum sit communicabilis & vt *quo*; & vt *quod*; aut dicit relationem positiuam, & patet quod non nisi ad personam, quia prima relatio in persona est relatio ad personam; aliæ enim relationes, scilicet æqualitas, similitudo, idẽtitas præsupponunt relationes originis, vt patet à Doctore in

in primo, distin. 19. q. 1. *& distin.* 31. *& infrà q.* 6. præter istas nulla alia relatio realis ponitur in Diuinis; ergo si *ingenitum*, siue fontalis plenitudo, dicit relationem ad personam, aut ergo ad vnam personam, aut ad plures: non ad producentem, nec ad producentes, cùm *ingenitum* dicat negationem omnis productionis, vt notat Doctor *in* 1. *dist.* 28. idem est *ingenitum*, quod nullo modo productum, ergo dicit relationem ad personā productam, vel productas; non ad plures productas, quia tunc non poterit esse vnum formale principium personæ constitutiuum: patet, quia vna persona, vna per se ratione formali constituitur. Sed si ingenitum esset ad duas productas, tunc includeret duas relationes terminatas ad illa producta, sed nulla vna relatio originis per se terminatur ad duo producta; sicut enim productum vnum terminatur, vel refertur ad producens vna relatione, & duo producta duabus relationibus, ita producens non duabus productionibus refertur: si ergo ingenitum diceret duas relationes positiuas, tunc non esset vna per se proprietas, & per consequens constitutum per illud, non esset vnum per se suppositum. Aut ingenitum dicit vnam relationem terminatam ad primam personam productam, scilicet ad Filium, aut ad secundam productam, scilicet ad Spiritum sanctum, & tunc non tenetur positum, scilicet quòd ingenitum, vt distinguitur contra paternitatem, vel spirationem actiuam, constituat personam: quia ingenitum, siue fontalis plenitudo, vt dicit relationem, vel ad primam, vel ad secundam personam productam, non distinguitur à paternitate, vel spiratione actiua, & per consequens vt dicit talem relationem, constituet primam personam, non autem vt distinguitur ab illis, sequitur in litera:

In diuinis non est aliquod genus. 1 *Aut ingenitū dicit vnā relationē abstractā,* &c. Et dicit Doctor *quasi specificè*, quia in diuinis non est ibi aliquod genus, nec aliquid in genere contentum, vt probat *in primo, dist.* 8. *q.* 2. & similiter, cùm dicit *quasi alterius rationis*, scilicet specificæ, quia paternitas, & generatio actiua, etsi non differant propriè specificè, cùm in diuinis non sit species, differūt tamen specificè, imò fortè sunt primò diuersa, vt habet videri *in primo, dist.* 13. modò à duobus quasi specificè distinctis, non potest abstrahi aliquid vnius rationis, quasi specificè, vt patet, non enim ab homine, & asino abstrahi potest aliquid vnum specie, sic in proposito. Nec oportet hîc multum immorari, quia multi magistri hîc concedunt propositum, quantùm ad maiorem quòd aliquo incommunicabili, positiuo constituitur prima persona, de qua est hîc sermo.

17. *Dubia hic in litera occurrentia. Nota & benè.* Occurrunt dubia, primò in hoc, quòd ingenitum non conuenit prius Patri, quam ordo ad productum: videtur enim hoc non esse verum. Tū, quia posito quòd Pater cōstituatur in *esse* per paternitatem, adhuc hoc, quod est non esse ab alio, priùs conuenit Patri, quam ipse Pater dicat ordinem ad Filium, quia Pater inquantùm Pater in diuinis, est prius origine Filio, & per consequens posteriùs origine dicit ordinem ad Filium, quia talis ordo ad Filium, vel præsupponit Filium esse, vel simul coëxistens Filium esse, & tamen in illo priori originis conuenit sibi non esse ab alio, sicut si esset ab alio, conueniret esse ab alio. Tum etiam, quia ingenitum est proprietas soli Patri necessariò conueniens, vt patet à Doctore *in primo*, *dist.* 28. & Pater dicit formaliter negationem: sed illa negatio non esset propria Patri, sic quòd illi soli necessariò conueniret, nisi per aliquod positium proprium in Patre, illud positiuum non est essentia, cùm sit communicabilis: non paternitas, quia etsi *non esse ab*, posito quòd non priùs conueniat Patri quam paternitas, saltem æquè primò conuenit Patri sicut paternitas: ergo oporteret assignare aliquod positiuum proprium, in Patre distinctum à paternitate.

Tertiò instatur sic, posito quòd Filius constituatur in *esse* per generationem passiuam, adhuc per prius conuenit Filio ordo ad Patrem, quàm generatio passiua: patet, quia per prius intelligitur esse à Patre, quam habere generationem passiuam, & si non priùs, saltem æquè primò. Sic in proposito, si Filius non esset ab aliquo, saltem æquè primo conueniret sibi non esse ab alio, & tunc non magis esset vna proprietas quam alia, cum æquè primò vtraque inesset, & per consequens non magis constitueretur in *esse* ab vna, quam ab alia, vt patet.

Secundò principaliter videtur dubium in hoc, quod dicit, quòd homo priùs est homo, quam non homo, vel prius esset, puta animal, quàm non animal, hoc videtur difficile saluare. Tum, quia ipse vult, *in primo, dist.* 8. *q. vltima, & secundo, dist.* 1. *q.* 2. quòd *non esse* prius natura priuatiuè, vel negatiuè inest creaturæ, quàm *esse*, etiam posito quòd creatura esset ab æterno, vt patet ab ipso *in secundo, dist.* 1. *qu.* 3. ergo non esse hominem, prius conuenit homini, quā esse hominem, quia vt dicit Doctor *in locis præallegatis*, si ab æterno non poneretur homo à causa extrinseca in *esse*, tunc *non esse* immediatè inesset: ergo videtur quòd non esse hominem priùs conueniat homini, quàm ipsum esse. *Dubium.*

Respondeo ad has obiectiones. Et primò ad primam factam ad primum dubium. Dico primò, quòd in eodem instanti, quo Pater est Pater, ipsa paternitas dicit ordinem ad Filium, cùm ipsa sit formaliter habitudo ad Filium. Dico secundò, & fortè magis ad propositum, quòd quando Doctor dicit quòd prima persona priùs dicit ordinem ad Filium, posito quòd constituatur per relationem ad Filium, debet sic intelligi, quòd priùs conuenit Patri ipsa generatio actiua, quæ generatio dicit ordinem, vel est ordo ad Filium, quamuis ipsa generatio sit etiā aliquo modo prior Filio, vt aliàs exposui *in* 1. *d.* 1. *q* 2. Hoc etiā patet à Doctore *hîc & in* 1. *d.* 28. vbi dicit quòd Pater inquantùm Pater, siue inquantùm generās (quod idem est) est prius origine Filio per ordinem, siue habitudinem ad Filium, non intelligitur aliquis alius ordo, vel habitudo superueniens paternitati, vel generationi actiuæ, sed intelligit ipsam paternitatem, vel generationem actiuam formaliter. 18. *Responsio ad dubia.* *Quomodo Pater sit prior origine Filio.*

Ad secundam concedo quòd *ingenitum* sit proprietas Patris, & concedo quòd dicat formaliter negationem, scilicet non esse ab alio, & similiter concedo quòd præsupponit aliquod positiuum proprium in Patre: sed dico quòd illud positiuum est ipsa paternitas, vel generatio actiua, quæ primò inest Patri, quàm illa negatio, & hoc patet, quia paternitas in diuinis est talis entitas, cui formaliter repugnat posse esse ab alio: & talis repugnantia, vt patet, fundatur in ipsa paternitate, sicut Deitas est talis entitas, cui formaliter

liter repugnat esse ab alio, siue cui necessariò conuenit ista negatio, scilicet non esse ab alio, & patet quòd talis negatio præsupponit ipsam Deitatem, cui necessariò inest, & cui affirmatio opposita necessariò repugnat, sic in proposito dico de Patre.

Ad tertiam dico, quòd priùs, vel saltem æquè primò, Filius habet *esse*, quàm habeat habitudinem ad Patrem; patet, quia filiatio, per quam Filius constituitur in *esse*, est formaliter ipsa habitudo ad Patrem, & tunc dico quòd si Filius non esset à Patre, imò à nullo, quòd adhuc priùs sibi inesset filiatio, quàm *non esse ab*, quia si *esse ab* repugnaret Filio, tunc præsupponeret aliquòd positiuum in Filio, propter quod repugnaret, & tale positiuum aliquo modo esset prius ipsa negatione, quæ necessariò conueniret Filio.

Ad aliud secundi dubij: dico breuiter quòd quamuis *non esse* absolutè, sit prius natura ipso *esse*, loquendo de *esse* creaturæ, (quod dico propter *esse* diuinum, quod ita est necesse esse, quòd est simpliciter impossibile non esse, aliquo modo esse prius natura, siue positiuè, siue priuatiuè ipso *esse*, vt patet *in primo, distinct.* 2. & 28.) sed comparando *esse*, & *non esse* ad tertium, puta ad hominem, dico simpliciter, quòd homo habet priùs *esse*, quàm *non esse*, prius enim homo, vt homo, habet *esse*, quàm *non esse*, & sic patet solutio.

SCHOLIVM.

Respondet Henricus ad illam minorem positam in principio art. 2. scilicet (proprietas correlatiuè respondens primæ relationi in secunda persona, est prima incommunicabilis proprietas positiua) quòd prima relatio originis primæ personæ, considerata secundùm aptitudinem, vt facit generatiuum, constituit primam personam, quia sic præcedit secundam personam, non verò vt actu refert, vel vt patrem aut generantem facit, quia sic est simul cum secunda. D. Thom. ait primam personam constitui per relationem, quà proprietas, non quà relatio est.

11. Aliter respondetur [m] adhuc ad rationem, & adhuc ad minorem, sic: quòd licèt personæ primæ ad secundam sit relatio originis sola vna realiter, tamen illa distinguitur secundùm rationem, prout est habitudo primæ personæ ad secundam. Potest enim intelligi sub ratione aptitudinis ad generandum, vt exprimitur sub nomine generatiui: & sub ratione potentiæ, vt suppositum exprimitur per hoc, quod est potens generare: vel sub ratione actus, vt exprimitur per hoc nomen *generans*: vel sub ratione habentis genitum coëxistens, vt exprimitur sub nomine Patris. Illa ergo relatio personæ primæ ad secundam, quæ est realiter vna, secundùm illam rationem constituit primam personam, secundùm quam dat ei *esse* personale. Hoc autem est secundùm primam istarum rationum: quia secundùm quamlibet aliam, videtur competere personæ iam constitutæ: prima autem omnino est ratio generatiui: ergo &c. *Henricus in summa, & quodl. 9. q. 1. & 3.*

12. Hæc minor declaratur, quia illa est prior secundùm quam immediatiùs habet ordinem ad oppositum: nam in ordine ad oppositum attenditur ista distinctio rationum. Mediatiùs autem respicit oppositum sub ratione ista, quæ est, *pater*: & immediatiùs sub ista ratione, *generatiuum*. Hoc etiam declaratur, [n] quia † aliæ rationes secundùm quendam ordinem se includunt, & non èconuerso. Non enim omne generatiuum est potens generare, sed è conuerso: sicut nec omne potens generare generat, sed è conuerso: nec omne generans est pater, vtpotè si moriatur ante formationem fœtus in vtero: sed è conuerso, omnis pater, qui habet fœtum generatum coëxistens, generat, vel generauit: videtur ergo generatiuum esse primum tanquam inclusum in cæteris, vel eis præsuppositum. Quando ergo accipitur in minori rationis principalis, in isto articulo, quòd *generare* est prima proprietas incommunicabilis in prima persona, hoc est verum, loquendo de ista relatione secundùm rem, quam importat *generans* vel *generare*: sed non loquendo de ipsa sub ratione *generare*, sed sub ratione generatiuitatis: quia sic est prior, & si huic addatur, quòd secunda persona constituitur per *generari*, vt *generari*: tunc illa est falsa: *prima persona constituitur per relationem oppositam illi, quæ constituit secundam personam*: & hoc intelligendo non de relatione eadem secundùm rem, sed de ratione eiusdem relationis realis. *Doctrina similis picturæ.*

Aliter respondetur ad eandem minorem; quòd constitutiuum primæ personæ potest dupliciter considerari: vno modo, vt proprietas: alio modo vt relatio, constituit autem, vt proprietas, & per consequens non vt relatio correspondens relationi in secunda persona. *D. Th. 1. p. q. 46. ar. 1.*

COMMENTARIVS.

19. m Aliter adhuc. *Respondetur ad rationem, & ad minorem.* Hîc recitat aliam opinionem scilicet Henrici, qui dicit quòd licèt in re sit in prima persona vna tantum relatio originis ad secundam personam, scilicet paternitas, tamen illa distinguitur secũdùm rationem, prout est habitudo primæ personæ ad secundam, potest enim intelligi sub ratione aptitudinis ad generandum, vt exprimitur sub nomine *generatiui*, & sub ratione potentiæ, vt suppositum exprimitur per hoc, quod est potens generare, vel sub ratione actus, vt exprimitur per hoc nomen *generans*, vel sub ratione habentis genitum coëxistens, vt exprimitur nomine *patris.* Et sic eadem proprietas sub prima ratione, scilicet generatiuitate, constituit Patrem, quòd autem generatiuitas sit prior aliis, probat ista opinio, quia illa est prior, secundùm quam mediatiùs habet ordinem ad oppositum, scilicet ad genitum, quàm illa quæ immediatiùs: generatiuitas enim mediatiùs respicit genitum; paternitas verò immediatiùs, quia immediatè ad illum: generatiuum enim immediatè dicit ordinem ad generabile, & potens generare immediatè dicit ordinem ad potens generari, & generans immediatè dicit ordinem ad genitum; & quia generabile est prius genito, ideò sequitur quòd generatiuum sit prius generante, & hoc est quod dicit.

n *Hoc etiam declaratur*, quia illæ rationes secundùm quendam ordinem se includunt, & non è conuerso: non enim omne generatiuum est generans, sed èconuerso; modò illud est prius, à quo non conuertitur subsistendi consequentia. Concedit ergo minorem, scilicet quòd paternitas est proprietas constitutiua Patris, non tamen sub ratione paternitatis, sed sub ratione generatiuitatis.

SCHOLIVM.

Refutat Doctor vtramque sententiam allatam primò coniunctim, quia relatio constituit secundum quod est in sua actualitate, aliàs non realiter constitueret; sed non est in re, nisi vt actu refert, ergo. Secundò, non inconuenit primam personam esse simul natura cum secunda, quod istæ sententiæ vitare contendunt, quia cum hac simultate stat ordo originis, vt dictum est, art. 1. quod enim dat esse alteri, est prius origine ipso, & simul natura, cum non possit esse sine eo. Tertio, in constitutiuo secundæ personæ non ponitur distinctio aptitudinis vel proprietatis à relatione; tamen est æquè actualis & incommunicabilis ac prima. Quarto contra Henr quia illa aptitudo non est primo incommunicabilis, sed ille cui conuenit, nec dat esse actualissimum, quod solum potest esse in Deo (& refutat rationes Henrici.) Quinto, contra D. Tho. quia illa proprietas, cum sit à parte rei, est ad se vel ad alterum: ergo constituit vt absolutum, vel vt relatio. Sexto contra eundem; relationem considerari vt proprietas est, est tantum habitudo rationis, in ipso: ergo sub hac consideratione non constituit personam, quia habitudo rationis non facit prædicatum realiter conuenire alicui. Doctor latè tractat de hac q. & his refutationibus, 1. d. 28. q. 3. vbi ponit sententiam Ioan. de Ripa, asserentis personas constitui per absoluta, quam non improbat, de qua latè primo, d. 26. opi. 3. n. 23. & 24. vide ibi Scholium nostrum.

Contra ista arguitur [a] dupliciter. Primò contra ambas coniunctim. Secundò contra vtramque diuisim. Coniunctim sic, relatio non constituit personam nisi secundùm quòd est in re, & ex natura rei: alioquin non constitueret personam realem, quia reale non cõstituitur nisi per illud quod est in re, & ex natura rei; ista relatio primæ personæ, non est in re ex natura rei, nisi in ratione actualissima possibili sibi: ergo quantumcunque possit considerari per intellectum, sub ratione aptitudinis, vel actualitatis, cùm non constituat personam diuinam nisi vt est in re ex natura rei, & hoc non est nisi sub ratione actualissima, sequitur, quòd non constituit nisi sub ratione actualissima. 13.

Relatio cõstituit vt est à parte rei, non vt à nobis cõcipi potest.

Per idem contra secundam responsionem, quia etsi intellectus possit considerare circa paternitatem, rationem proprietatis, & rationem relationis, non tamen ipsa est in re nisi sub vnica ratione reali; sub ista ergo constituet, & sub illa non potest esse ad se: Ergo relatio, & non nisi relatio correspondens secundæ personæ; & ita sequitur propositum.

Relatio nõ constituit vt proprietas abstrahens à relatione.

Secundò sic: [b] ideò ponitur ista distinctio, in vna via, principij generatiui, & in alia, proprietatis & relationis, vt videtur constitutiuum primæ personæ esse omnino simul cum constitutiuo secundæ personæ: quia videtur aliquo modo esse prius: sed nõ oportet hoc vitare, tanquam inconueniens: quia, vt argutum est in primo articulo, vbi sunt ordines distincti, quorum alius aliũ non includit, nec necessariò præëxigit: potest vnus ordo stare cum simultate opposita alteri ordini. Sic est de ordine originis quo quis est ab alio, & ordine naturæ, quo prius potest esse sine posteriori, quòd scilicet ordo originis nec istum includit, nec necessariò præëxigit: ergo potest stare cum simultate opposita

Potest stare ordo originis sine ordine

opposita isti ordini, quæ simultas est, extrema non posse esse sine se inuicem: hæc simultas est propria correlatiuorum, ergo simul stant ordo originis inter primam personam, & secundam, siue inter constitutiuum huius, & illius, & simultas correlationis: non ergo, vt vitetur ista simultas, oportet ponere illam generatiuitatem constitutiuum Patris, vel aliam proprietatem, & non paternitatem, quantùm ad primam viam; nec etiam paternitatem vt proprietatem, non vt relationem; quantùm ad secundam viam: quia omnino sub ratione reali constituit & sub illa est ad secundam personam, & ita simul cum illa.

natura, & sic est inter personam primam & secundam de quo 2. d.1. q.1.

14. Confirmatur: quia quod necessariò dat *esse* perfectè alteri, ex hoc necessariò est prius origine illo, & simul naturâ cum eo, ita quòd non potest esse sine eo; non est ergo repugnantia inter esse prius origine, & esse simul natura: sed necessaria concomitantia, quando est perfecta origo, & completa.

Confirmatur illud exemplo, sed forsan includit aliquod dubium: si Socrates est pater Platonis, non solum Socrates est prior origine Platone: sed Socrates pater, prior est origine Platone filio: Probo, quia paternitas est per se causa prioritatis originis. Includendo ergo totum illud, quod est per se causa alicuius prioritatis; non per hoc tollitur illa prioritas; ergo Socrates pater, prout includit paternitatem, quæ est causa prioritatis, adhuc esset prior origine Platone filio, vbi includitur ratio posterioritatis originis, & tamen Socrates, vt pater est simul natura cum Platone filio, sicut correlatiuum cum correlatiuo.

Socrates vt pater prior est Platone filio.

Posset etiam [c] confirmari ratio principalis contra vtramque responsionem ad istam minorem, quia in secunda persona non ponitur distinctio aliqua in constitutiuo: nec etiam secundùm aptitudinem, nec secundùm actualitatem, nec secundùm rationem proprietatis, & relationis: & tamen æqualiter requiritur entitas positiua & entitas relatiua, ad constituendum primam personam sicut secundam: quia vtraque est æquè incommunicabilis, & vtraque est æquè actualis: & secundùm communem viam, nulla potest esse prima entitas incommunicabilis nisi relatio originis.

Relatio nõ minùs constituit primam quam secundam personam.

15. Contra primam viam [d] arguitur specialiter: primò per hoc, quòd aptitudo non est primò incommunicabilis: non enim videtur aptitudo incommunicabilis, nisi vel per fundamentum, cuius est, vel per terminum, *ad quem*. Si enim aptitudo vt aptitudo non est primum, sed est alicuius entis, cui aptitudo conuenit, nec eius vnitas siue incommunicabilitatis erit omnino prima, sed reducetur ad aliquam entitatem, quæ, si sit communicabilis, etiam aptitudo consequens est communicabilis. Sicut enim natura humana communicabilis est, ita aptitudo risibilis consequens, est communicabilis. Et communiter responsiones per aptitudinem videntur minùs efficaces, nisi detur aliquid per quod sit illa aptitudo, alioquin facilè esset soluere omnia, dicendo, hoc sic est, quia talis aptitudo est: Non sufficit hoc: si enim quæratur quare lapis descendit, non sufficit respondere, quia aptus natus est: nisi assignetur, quæ est ratio aptitudinis: quia, scilicet grauis, & hoc, quia sic mixtum est: quia, scilicet in eo dominatur terra, quod est elementum graue; & terra grauis, quia talis secundùm aliquam qualitatem priorem, vel quia talis secundùm quiditatem specificam.

Aptitudo non est primò incommunicabilis.

8. Phy. t. 32.

Quando ergo arguitur [e] per illam rationem, quòd relatio constituit sub ratione generatiuitatis: quia sub ratione illa constituit, sub qua dat primò *esse* incommunicabile; generatiuitas, vt talis, scilicet vt distinguitur à *generare*, est huiusmodi: minor ista dupliciter est falsa: & quia vt sic, non dat *esse* actualissimum, quale solùm potest esse in Diuinis: & quia vt sic, non dat *esse* incommunicabile primò, quod per se requiritur ad *esse* personale. Probatio etiam illa de mediatiori, & immediatiori, concludit pro nobis: quia loquendo de relatione originis primæ personæ ad secundam, ipsa solùm sub illa ratione, sub qua respicit immediatè secundam, est ibi actualissimè, & simpliciter incommunicabilis: imò circumscripta illa ratione, nulla alia esset ibi actualissimè, nec incommunicabiliter. Quòd innuitur in illa probatione, quòd rationes aliquæ eiusdem relationis quasi sunt personæ iam constitutæ; respondebitur in responsione ad primum principale. Posset etiam illud de immediatiori aliter adduci pro conclusione nostra quia secunda persona formaliter constituitur relatione: vt immediatè respicit primam personam: non enim ponitur illa constitui generabilitate: & pari ratione in proposito.

Relatio nõ constituit vt generatiuitas est.

16. Quãdo autẽ cõfirmatur illa ratio per hoc, quòd generatiuũ includitur in quolibet alio, non è conuerso, hoc non concludit prioritatem cõstitutionis personalis: quia non prioritatem in actualitate incommunicabili: sed tantummodò in consequendo,

& vt plurimùm, quæ sunt priora in consequendo, sunt communiora, & minùs incommunicabilia.

Contra secundum [f] nulla entitas vna, hîc signata potest esse extra animam, quin vel sit formaliter ad se, vel ad alterum; Licèt fortè, secundùm aliquos, possibile esset aliquem conceptum indifferentem haberi, qui nec per se esset ad se, nec ad alterum: tamen nulla res extra animam posset esse indifferens, quin per se entitas hæc sit à se, vel ad alterum: detur illud ergo, quod dicitur constituere vt proprietas, dicatur *A*: quæro ergo consequenter an entitas eius in re sit formaliter ad se, vel ad alterum; si formaliter ad se, constitutiuum per ipsum est formaliter ad se, quod ipsi negant: si formaliter ad alterum, ergo illud sub ratione formali, qua constituit, est relatio: quod est propositum.

Omnis entitas existens est ad se, vel ad alterum.

Præterea cùm dicis, paternitas vt proprietas: quæro quid intelligis? vel reduplicatur ibi formale constitutiuum personæ: aut aliquid consequens in re, vel in intellectu formale constitutiuum eius. Si secundo modo: da ergo illud formale constitutiuum, ad quod sequitur illud, quod ipsum non est nisi paternitas, vt paternitas: quia modus ille non consequitur nisi illam realitatem formalem: ergo constitutiuum est per se entitas ad alterum. Si primo modo, cùm proprietas præcisè † relationem rationis importet, sequitur, quòd illa prima persona constituitur relatione rationis: quod est absurdum. Quòd autem præcisè importet relationem rationis, probatur: quia dicit habitudinem paternitatis ad patrem. Paternitas autem ad patrem, nullam habet habitudinem nisi rationis: quia nec distinctionem.

al. *præcisè.*

Pondera verbum contra formalistas de distinctione ex natura rei inter constituta, & cõstituentia.

Ista ratio & principalis conclusio contra istam distinctionem, declaratur sic. Quantumcunque sit relatio realis ad oppositum realiter distinctum, tamen intellectus potest comparare illam ad fundamentum, vel subiectum in quo est: & si ibi non sit distinctio realis, nulla potest ibi esse comparatio, nisi per intellectum, & solius rationis. Nunc autem intellectus potest considerare illud sub ratione istius comparationis, vel relatione rationis: per hoc enim quòd sic considerat, nihil variatur in ratione illius, quod primò considerat. Exemplum: risibile comparatur ad hominem, sub illa ratione, & habitudine, qua est proprietas eius: & rationale, vt est differentia specifica, & humanitas comparatur ad hominem sub ratione, qua est natura, siue quidditas eius. In omnibus istis comparationibus, non variatur essentia per se eius, quod comparatur. Si enim quæratur, qua ratione risibilitas est demonstrabilis de homine, vel est per se passio eius risibile vt risibile: ita quòd si verum est hoc, risibile vt proprietas demonstratur de homine, per illud, *vt*, denotatur aliquid constituens rationem risibilis; non autem distrahens ab eius ratione, etiam vt comparatur ad ipsum: vnde si risibile secundùm quòd risibile est qualitas: etiam vt per se passio demonstrata de homine est qualitas: non autem est relatio, licèt illud, quod dicit modum eius, scilicet proprietas, dicat relationem. 17.

Speculatio subtilissima.

Consimiliter, si rationale vt rationale sit substantia, suo modo, rationale, vt differentia specifica hominis, est substantia simili modo, licèt hoc, quod est esse differentiam, importet quandam relationem rationis, quia intentionem secundam: & sic vniuersaliter, quicquid reale conuenit alicui considerabili secundùm se, & secundùm aliquam habitudinem rationis, si dicatur sibi competere vt tale, scilicet vt proprietas, vel differentia, non destruitur per se ratio illius, quod subest illi habitudini, nec illa habitudo est formalis ratio alicuius prædicati realiter inhærentis: sed tantummodò est ratio, sub qua illi, quod subest, competit illud prædicatum. De ista reduplicatione eius quod dicitur, vt tale, patet in præcedente quæstione, articulo secundo. 18.

Reduplicatio rationis non tollit quod per se conuenit reduplicato.

Ad propositum, paternitas vt proprietas, cùm non habeatur ibi nisi quædam relatio rationis, stabit semper eadem ratio formalis eius, de quo dicitur, ista comparatio, & illa præcisè erit ratio cuiuscunque prædicati dicti de subiecto, & ita si paternitas vt paternitas, sit relatio, paternitas vt proprietas erit relatio. Si enim intelligeretur, ly, *vt* propriè, vt causalitas inhærentiæ prædicati realis ad subiectum, sicut ista est falsa, *paternitas, vt proprietas est relatio ad Filium*, ita ista esset falsa, *paternitas, vt proprietas est relatio realis*, sed sic est relatio rationis: quia hoc, quod est esse proprietatem, non est ratio inhærentiæ alicuius prædicati realis, cùm ipsum dicat formaliter relationem rationis. Specialiter autem de constitutione reali extra animam, nihil iuuat tale, *vt*, quia quod constituit formaliter aliquod reale, oportet esse reale, & vt reale.

Paternitas vt proprietas, est relatio.

COM

COMMENTARIVS.

20. a *Contra ista arguitur dupliciter.* Nunc Doctor improbat has duas responsiones simul, & improbationes stant in isto superiùs dicto, scilicet quòd proprietas non constituit personam realem, nisi vt præcisè est in re, & in actualissima existentia reali, & quamuis diuersimodè possit ab intellectu considerari, vt tamen constituit personam, non constituit, nisi vt est in re, & extra omnem considerationem intellectus.

b *Secundò sic: Ideò quæritur ista distinctio,* &c. hîc replicat rationem superiùs factam, quæ erat de difficultate, quomodo Pater esset simul cum Filio, & vt simul posset generare; & dictum fuit quòd cum simultate naturæ stat ordo, scilicet prioris, & posterioris in origine, & quòd talis ordo possit stare vltra dicta hîc, & ibi (scilicet quòd ordo originis non includit; nec præexigit, nec coëxigit ordinem naturæ) adducit vnum exemplum: dicens sic: *Confirmatur illud exemplo,* &c.

c *Posset etiam confirmari ratio principalis contra vtranque responsionem,* &c. Non enim dicitur, quòd filiatio constituat sub ratione generabilitatis, vt patet, sed filiatio, vt actualiter in re existens constituit.

d *Contra primam viam.* Hîc Doctor arguit specialiter contra primam viam, & ratio stat in hoc, quia constitutiuum personæ est primò incommunicabile; nulla aptitudo est primò incommunicabilis; patet, quia præcisè sequitur entitatem, cuius est aptitudo: si enim homo est communicabilis, etiam risibilitas erit communicabilis; & si aptitudo sit incommunicabilis, res cuius est talis aptitudo erit incommunicabilis; cùm ergo entitas personalis sit primò incommunicabilis, & sola illa, & nulla aptitudo sit primò incommunicabilis, sequitur quòd paternitas sub ratione aptitudinis, non erit proprietas constitutiua personæ.

e *Quando ergo arguitur.* Hîc soluit rationes factas pro prima opinione concedendo quòd proprietas sub illa ratione constituit, sub qua dat primò *esse*, sed dat simpliciter primò *esse* vt est in actuali existentia, vt suprà dixi, & cùm probatur de mediatiùs, & immediatiùs, ratio est pro me; quia sub illa ratione, sub qua paternitas immediatè respicit Filium, est ibi actualissimè, & simpliciter incommunicabilis, & sub illa simpliciter constituit: ergo. Ad aliam, quando dicitur quòd generatiuum includitur in quolibet alio, & non è conuerso, hoc non concludit prioritatem constitutionis personalis, quia non prioritatem in actualitate incommunicabili, sed tantummodò consequendo, & vt plurimum quæ sunt priora in consequendo sunt communiora, & minus incommunicabilia, patet in ordine Prædicamentali. *Solutio rationum.*

f *Contra secundum.* Hîc improbat secundam opinionem. Et ratio stat in hoc, quia nulla entitas singularis extra animam est, quin sit ad se, vel ad alterum, licèt fortè, secundùm aliquos, possit dari conceptus indifferens, qui nec esset ad se, nec ad alterum, & patet de conceptu entis, etiam secundùm ipsum Doctorem: quicquid sit de hoc non est præsent speculationis, sufficit quòd in re non possit dari. Detur ergo illud, quod dicitur proprietas, & dicatur *A*, quæro consequenter, an entitas eius in re sit formaliter ad se, vel ad alterum. Si primò, ergo constitutum per ipsam erit absolutum, quod ipsi negant. Si secundo, ergo illa entitas sub ratione formali, qua constituit, est relatio. *Contra secundam opinionem.* *Nota.*

SCHOLIVM.

Adducit alium modum, qui videtur D. Thom. scilicet, essentiam vt distinctam à relatione constituere personam. Hunc modum efficacissimè & clarè refutat, & respondet rationi pro eo adductæ.

19. ALiter dicitur adhuc [g] ad minorem quasi exponendo illam responsionem secundam de proprietate, quòd essentia diuina constituit personam, non tamen absolutè vt essentia sed vt sola ratione differens à relatione. Primum probatur sic, quia personæ conuenit per se subsistere: sola autem essentia est ratio subsistendi: quia secundùm Augustinum 7 de Trin. c. 6. vel 9. *substantia est, quâ per se pater est.* Et idem sup. c. 4. *omnis res ad se subsistit, quanto magis Deus?* Per relationem autem comparatur persona ad oppositum.

Contra illud, cùm dicitur, quòd essentia vt sola ratione differens à relatione, constituit personam primam: aut ly. *vt*, dicit formalem rationem respectu prædicati: aut quid constituens formalem rationem. Si primo modo, cùm hoc quod est differre sola ratione relationem, non importet nisi relationem rationis, sequitur, quod relatio rationis est ratio formalis constituendi personam. Si secundo modo, tunc quæro illud respectu, cuius illud, *vt*, dicit rationem consequentem hoc non potest poni nisi essentia secundùm se: quia tu dicis, quòd essentia, &c ergo essentia secundùm se erit ratio constituendi in re, quod tu negas. *Tho. 1. p. q. 36. art. 2. Essentia vt differens à relatione non constituit personam.*

Prætereà, essentia vt sola [h] ratione differens à relatione aut est communicabilis, aut non Si communicabilis, ergo communicabile formaliter constituit incommunicabile: si incommunicabilis & essentia, omni modo etiam vt essentia sola ratione differt

 à relatione,

à relatione,tantummodò est ad se,& ita non formaliter ad alterum, sicut relatio, & tamen non realiter distincta à relatione:ergo essentia omnino vt essentia est, sola ratione differens à relatione,& tunc vt priùs,essentia vt essentia constitueret.

Consimiliter potest argui,si essentia vt sola ratione differens à relatione,constituit, tunc essentia aut est ad se,aut ad alterum:si est ad se: ergo constitutum formaliter est ad se;si ad alterum,ergo essentia vt essentia erit ad alterum, quia essentia vt essentia sola ratione differt à relatione,sicut probatum est. 20.

Constitutiuum non vt conueniens, vel differens, constituit, sed secundùm se.

Præterea generaliter i constitutiuum est constituto ratio differendi,vel conueniendi,non autem ipsum, vt conueniens vel differens, sed secundùm se constituit, sicut rationale secundùm se,non vt conueniens,nec vt differens,constituit hominem,licèt homo constitutus per rationale,per ipsum distinguatur formaliter,vel conueniat. Distinctio ergo vel conuenientia conuenit constituto per rationem formalem constitutiuam,non autem includitur in ipsa ratione constitutiua. Da ergo hîc aliquam rationem constitutiuam quæ sit constituto ratio conuenientiæ,vel differentiæ, ita tamen quòd in ipsa vt est ratio constituendi non includatur per se primò conuenientia vel differentia.

Subsistere duplex in Deo.

Ad argumentum autem pro ista via de *subsistere*, dico, quòd *subsistere* est æquiuocum:vno modò accipitur pro per *se esse*,prout excludit *inhærere*, & in alio esse vt pars in toto:& hoc modo vnum est *subsistere*, sicut vnum est per *se esse*: & sic loquuntur auctoritates Augustini. Alio modo *subsistere*, est incommunicabiliter per se esse, & hoc modo sunt tres subsistentes,sicut sunt tres personæ,quia tres subsistentes incommunicabiliter:licet non sit nisi vnum per se ens:maior ergo ista,*constitutiuum personale dat esse subsistere,vel est ratio subsistendi*, debet intelligi secundo modo, quia est ratio incommunicabiliter subsistendi.

COMMENTARIVS.

21. *Quomodo essentia constituat personam.*

g *ALiter dicitur adhuc ad minorem*,&c. Contra arguit Doctor, & primò contra hoc,quod dicit opinio, scilicet quòd essentia, vt sola ratione differens à relatione, constituit personam, quia aut ly *vt* dicit formalem rationem respectu prædicati,quod est constituere personam, id est, quòd inquantùm differens ratione constituat, & tunc relatio rationis esset formalis ratio constituendi personam, quæ habet verum *esse* reale, quod est impossibile:aut ly *vt* dicit aliquid consequens formalem rationem, & tunc quæro illud,respectu cuius dicit rationem consequentem,non potest poni,nisi essentia secundùm se:ergo essentia, vt essentia, erit ratio formalis constituendi in re,quod tu negas,& hoc patet. Si vt differens sola ratione à relatione,dicit tantùm aliquid consequens formalem rationem constituendi,& talis differentia rationis non consequitur nisi essentiam, vt essentia; ergo ipsa essentia, vt essentia,erit formalis ratio constituendi, quod tamen opinio negat.

h *Præterea. Essentia vt sola ratio differens*,&c. Si enim essentia, vt essentia tantùm ratione differat à relatione, cùm nullo modo secundùm istam opinionem differat, præter opus intellectus, ergo vt sic, constituet, quòd ipse negat.

i *Præterea generaliter constitutiuum est constituto ratio differendi,vel conueniendi*,non autem est sic ratio,vt conueniens, vel vt differens: non enim rationale est ratio formalis distinguendi hominem ab asino, inquantum ipsum rationale differt ab alio, sed est ratio secundùm suam absolutam entitatem.Si ergo essentia constituit personam,non constituet inquantùm est differens, sed præcisè secundùm suam formalem entitatem constituet.

22. In isto articulo occurrunt nonnullæ difficultates vltra suprà dictas. Primò dubitatur in hoc quod dicit, quòd *proprietas non constituit,nisi vt actu existens in singulari existentia*, quia ex hoc videtur inferre quod proprietas hypostatica in diuinis sit verè singularis, quod videtur falsum. Tum,quia contra eum, qui vult *in primo, dist.2. par.2.q.1.* quòd singulare in hoc differt à supposito, quia singulare est communicabile vt *quo*, supposita nullo modo, nec vt *quo*, nec vt *quod*. Tum,quia si talis proprietas personalis est singularis, aut est ratio singularitatis; aut de se formaliter est singularis, sicut essentia diuina;aut est quid constitutum ex aliquo contrahibili ad singularitatem, & ex aliqua ratione singularitatis. Si primò, tunc est ratio constituendi singulare, & sic persona constituta erit singularis,& sic communicabilis. Si secundò, videtur sequi idem,quod priùs.Si tertiò, hoc non videtur.Primò,quia quicquid est in diuinis est in vltima actualitate: nihil enim ibi est potentiale, siue contrahibile.Secundò,quia sequeretur quòd persona constituta, vt priùs,esset formaliter singularis,& sic non simpliciter incommunicabilis vt *quo*,& vt *quod*. *Primum dubium.*

Secundum dubium. Secundò principaliter dubitatur in hoc quod dicit, quòd *paternitas constituit, vt in vltima actualitate*, quia hoc videtur repugnare cuidam dicto suo: dixit enim prius quòd ipsa est prior origine filiatione. Sed si constituit, vt in vltima actualitate,tunc necessariò filiatio erit præcisè in eodem instanti, etiam originis. Patet per ipsum, quia paternitas est formaliter habitudo ad filium, ergo in quocunque signo, siue naturæ,siue originis ponitur, formaliter erit habitudo ad filium; ergo in illo signo erit filius, ergo cùm in eodem instanti,quo est formaliter,& actualiter habitudo ad Filium constituat Patrem, statim sequitur quòd Pater non erit prior Filio origine.

Tertiò

Tertium dubium. Tertiò principaliter dubitatur de illo exemplo poſito, ſcilicet quòd paternitas Socratis ſit cauſa prioritatis originis, & quòd Socrates inquantum pater, ſit prior origine Platone filio, hoc enim non videtur verum nec ad mentem Doctoris: patet. Primò, quia paternitas in nobis nullo modo concurrit ad aliquam productionem, non enim eſt ratio formalis Socrati ad producendum Platonem, nec ſimiliter eſt conditio agentis, vt patet, imò nulla relatio ſecundùm Doctorem, ponitur actiua alicuius, nec vt *quo*, nec vt *quod*.

23. Secundò inſtatur, quia Doctor *in primo, diſt.3. quæſt.5.& in ſecundo diſt.1.quæſt.2.* vult expreſsè, quòd in aliquo priori ad abſolutum in cauſa ſequatur abſolutum in effectu, ita quòd generatio Platonis terminatur ad abſolutum in Platonem, quo abſoluto producto, ſtatim reſultat relatio, puta filiatio in Platone & paternitas in Socrate, & non magis vna, quàm alia, & per conſequẽs patet quòd paternitas in Socrate non eſt cauſa prioritatis originis, quia filiatio nullo modo dependet à paternitate, cùm æquè primò ſit filiatio in Platone ſicut paternitas in Socrate. Similiter ſequeretur ex hoc quòd generatio actiua in Socrate eſſet cauſa prioritatis originis in ipſo, & ſic Socrates generans eſſet prior origine Platone genito, quod tamen non videtur, quia generatio paſſiua æquè primò ineſt Platoni, ſicut generatio, ſcilicet actiua ineſt Socrati.

Quartum dubium. Quartò principaliter dubitatur de illa difficultate, qua nititur probare quòd cum ſimultate naturæ ſtat ordo originis, & ſic Pater in diuinis, etſi ſit ſimul natura cũ Filio, tamen eſt priùs origine. Et primò probo quod nullo modo ſit prius nec natura, nec origine, quia in quocunque inſtanti principium formale productiuum eſt perfectiſſimè diſpoſitum, & ſit productiuum per modum naturæ, in eodem inſtanti eſt productum: ſed eſſentia in quocunque Inſtanti eſt in Patre, ſiue memoria fœcunda in patre, tunc ipſa memoria eſt optimè diſpoſita ad producendum Filium, hoc patet à Doctore *in primo d. 7.* ſed in primo inſtanti originis, quo Pater eſt Pater, eſt memoria fœcunda optimè diſpoſita ad generationem; ergo in eodem inſtanti filius eſt productus. Si enim in eodem inſtanti non eſt productus, oportet aſſignare cauſam quare non poſſit ſimpliciter in eodem inſtanti produci, cùm in illo inſtanti ſint omnia requiſita ad productionem.

Secundò, probo quòd ſufficiat prioritas originis in principio formali productiuo, & nullo modo in Patre inquantùm pater eſt, quia tota perfectio producentis eſt à principio formali productiuo, vt expoſui *in primo, d. prima, q.2. & diſt.3. quæſt.6.* poſito ergo quòd Pater, vt Pater, ſit ſimul origine cum Filio, adhuc ſaluatur prioritas originis in producente, quia ſufficit in producente quòd principium formale productiuum, à quo eſt tota entitas, & perfectio producti, ſit prius origine omni memoria fœcunda in Filio, & ipſa memoria fœcunda in Patre eſt principium formale productiuum: ergo ex hoc videtur ſaluari prioritas in generatione diuina, & omnimoda ſimultas correlatiuorum, ſcilicet Patris, & Filij.

Memoria fœcunda eſt in patre, vt productiua eſt.

24. Tertiò, probo quòd etiam Pater ſit ſimpliciter prius natura Filio, ſi ponatur quòd ipſum producat. Et accipio dictum Doctoris *in primo, diſt.8.& in ſecundo, diſt. prima, q.2. & 3.& d. 25. & in primo, diſt.39.* quòd cauſa in eodem inſtanti, quo cauſat, adhuc intelligitur prior natura ipſo producto, ſiue cauſato. Hoc idẽ vult *in 2.d.5.* vult enim *in 25. ſecundi* quòd voluntas noſtra ex hoc intelligatur contingenter, & liberè elicere actum, quia in eodem inſtanti, quo elicit, poteſt non elicere, & hoc eſt quia in eodem inſtanti, quo elicit, adhuc intelligitur prior natura ipſo actu, vt patet *in primo, diſt.39.* de voluntate diuina, vbi Doctor vult quòd voluntas diuina poſſit velle pro inſtanti *A* Petrum ſedere, & quòd poſſit pro eodem inſtanti velle ipſum non ſedere, quia in eodem inſtanti, quo vult Petrum ſedere, poteſt non velle, propter prioritatem naturæ, quia vt vult, adhuc eſt prior natura actu elicito Hoc idem patet *in primo, diſt.40.* Ex his videtur ſequi quòd Pater, etiam quando producit, ſit prior natura ipſo producto, & non videtur poſſe aſſignari iſta cauſa. Quia aliud eſt loqui de cauſa, quæ producit aliud in natura, & aliud eſt loqui de cauſa producente, quæ nullo modo producit aliud in natura; quia primo modo cauſa eſt benè prior natura, quando cauſat, ipſo cauſato, ſed non ſequitur ſecundo modo; quia ſecundo modo non producitur aliud in natura. Hoc nihil eſt, quia ponatur cauſa perfectiſſima, & nullo modo impedita, & ſimiliter producẽs perfectiſſimum omnimodè diſpoſitum, ita videtur quòd cauſa æque primò producat ſuum effectum, ſicut producens ſuum productum, non enim quoad hoc videtur poſſe aſſignari differentia aliqua. Si ergo cauſa perfectiſſima omnimodo diſpoſita, vt producit, ſiue, vt cauſat effectum, eſt prior natura ipſo effectu; ergo à ſimili in diuinis Pater, vt producit Filium, erit prior natura Filio, & ſic non ſaluabitur ſimultas, quæ opponitur ordini naturali in correlatiuis, vel oportet dicere quòd Pater, nullo modo producat Filium in diuinis.

Quintò principaliter dubitatur in hoc, quod dicit quòd *paternitas, vt proprietas non conſtituit quin etiam conſtituat, vt relatio, cum in re idem ſint, licet ſola ratione differant.* Contrà, quia hoc non videtur ſequi. Nam ipſe concedit, quod Deus generat, & tamen negat, quòd eſſentia generet, vt patet *in primo, diſt 5. quæſt.1.* & tamen Deus & Deitas ſola ratione differunt, quia concretum, & abſtractum ſola conſideratione intellectus differunt, vt patet à Doctore *in primo, diſt.8.q.3.* Si dicatur, quod cùm dico *Deus generat*, quòd ly *Deus* ſupponit pro Patre, & ſic iſta eſt vera, *Deus generat*, quia Pater, qui eſt Deus generat. Contrà, quia hoc conceſſo, ſaltem non poteſt in hoc euitari, quia hæc conceditur, *Deus creat*, imò eſt primò vera, vt ly *Deus* ſupponit primò pro hoc Deo, & non pro aliqua perſona; vt patet à Doctore *in primo, diſt.4. quæſt 2.* & tamen hæc negatur à Doctore *Deitas creat*, vt ipſe probat *in primo d.5. q.1.* vbi vult quòd de vltimatè abſtracto non poſſit verificari adiectiuum adiectiuè tantùm; cuiuſmodi eſt ly *creat*: ergo à ſimili de paternitate, &c.

Quintum dubium.

Quomodò Deus & deitas differant ratione.

Reſpondeo ad omnes obiectiones, & primò ad primum dubium, concedo, quòd illæ rationes concludunt contra illã concluſionem ſic abſolutè intellectam. Dico ergo, quòd illa concluſio debet ſanè intelligi, cùm dicit Doctor *in exiſtentia ſingulari*, accipit ibi *ſingulare* non propriè, ſed vt diſtinguitur contra *commune*, id eſt, quòd ſit entitas nullo modo communis, ſed entitas exiſtens extra omnem conſiderationem intellectus, 25.

Reſponſio ad omnes obiectiones.

Responsio ad primum dubium. intellectus, non quòd verè sit singularis, sed entitas omnino incommunicabilis præter omne opus intellectus. Si dicatur, quòd ista se habent per ordinem, vt quidam Scotistæ dicunt, scilicet *singulare, suppositum, & persona*, quia omnis persona est suppositum, & non è contra: patet, quia persona est incommunicabilis existentia in natura intellectuali, suppositum verò est incommunicabilis existentia, etiam in natura non intellectuali, vt patet de isto lapide. Similiter omne suppositum est singulare, non è contra, vt patet de hac albedine, quæ est singularis, & non suppositum, cùm sit communicabilis vt *quo*.

Opinio aliquorum Scotistarum.

Respondeo (saluo semper meliori iudicio,) quòd hoc est verum in creaturis, vbi natura contrahitur ad singularitatem. Dico secundò, quòd etiam in diuinis conceditur, non secundum naturam contractam ad singularitatem, sed secundùm naturam, quæ de se formaliter est singularis, cuiusmodi est natura diuina, & sic in diuinis omnis persona est singularis, quia includit naturam ex se formaliter singularissimam. Si etiam accipiatur singulare quoad aliquam eius conditionem, videlicet, quòd singulare est incommunicabile vt *quod*, sic potest concedi quòd persona in diuinis est singularis, quia incommunicabilis vt *quod*: sed secundùm quòd singulare est communicabile vt *quo*, hoc modo persona diuina, nec alia persona est singularis. Nota etiam, quòd in creaturis non sequitur formaliter, quòd suppositum sit singulare: non enim suppositum est formaliter singulare, propter rationes repugnantes singularis, & suppositi; sed debet sic intelligi, quòd suppositum est singulare, id est, quòd necessariò præsupponit naturam singularem. Multa etiam sunt quæ non sunt nec suppositum, nec singulare, etiam loquendo de *esse* eorum extra animam; patet, quia hæcceitas non dicitur propriè singularis, sed ratio formalis constituendi singulare, nec similiter ratio formalis constituendi personam, vel suppositum, vt relationes originis constituentes personas, vt patet. Aduerte etiam, quòd esset bona difficultas, scilicet an persona diuina possit dici propriè suppositum, tenendo quòd suppositum propriè sit incommunicabilis subsistentia in substantia absolutè sumpta; sed quia oportet pertractare an sola substantia intellectualis prædicetur de Deo, ideò pro nunc omitto hanc difficultatem.

Difficultas.

26. *Responsio ad secundum dubium.* Ad secundum dubium dico breuiter, quòd ipsa paternitas constituit vt in vltima actualitate & concedo quòd vt sic, sit formaliter habitudo ad Filium, vt ad terminum, & cùm infertur, ergo est simul origine cum Filio; Dico primò, quòd hoc non sequitur, quia dicitur prior origine, quia ipsa est in Patre ex se, hoc est, per nullam productionem: licèt enim originaliter sit ab essentia, & in essentia diuina, vt patet à Doctore *in primo, dist.* 28. non tamen est ibi per aliquam productionem, & ex hoc sequitur quòd Pater est ibi ex se, id est, non per productionem, & sic prior origine Filio, eo quòd Filius sit à Patre, vt Pater est: in eodem ergo instanti originis, quo formaliter paternitas est habitudo ad Filium, Filius non intelligitur esse, quia tunc intelligeretur Filius esse ibi non per productionem. Dico secundò, quòd etsi paternitas in vltima actualitate sit formaliter habitudo ad Filium, non tamen sequitur quòd in eodem instanti Filius sit, etiam loquẽdo de aliquo instanti naturâ priori, accipiendo *prius natura pro* præsupposito alteri vt exposui in primo articulo, ita quòd si posset mensurari aliqua mensura, non tamen duratiua, esset aliquod instans mensurans paternitatem, in quo instanti Filius non esset; cùm ergo infertur, est formaliter habitudo ad Filium; vt ad terminum; ergo in illo instanti est Filius, negatur consequentia. Si dicatur, non est intelligibile quòd *A* in instanti *B*, sit habitudo ad *C* & quòd in eodem instanti *C* non sit, Dico, quòd aliud est loqui de habitudine ad terminum, quæ à termino dependet, vt omnis relatio in creaturis; & aliud de habitudine, quæ nullo modo dependet à termino, sicut est paternitas in diuinis. Similiter aliud est loqui de relatione suo modo productiua termini, & constitutiua suppositi productiui termini, eiusmodi est paternitas diuina: & aliud de relatione nullo modo productiua termini, nec quouis modo constitutiua alicuius suppositi productiui, qualis est relatio creata, siue in creaturis; & ideò non videatur mirum si paternitas, vt est formaliter habitudo ad Filium, sit in aliquo instanti, in quo Filius non est.

Pater est prior origine filio.

Si dicatur in instanti *A* paternitas est habitudo formaliter ad Filium, ergo in instanti *A* terminatur ad Filium: ergo in instanti *A* filius est. Dico, quòd non sequitur, in instanti *A* originis paternitas est formaliter habitudo, ergo in eodem instanti *A* terminatur ad Filium. non sequitur, quia Filius in illo primo instanti originis non est, sed sufficit quòd quando Filius est, quòd tunc terminetur ad Filium. Si inferatur, in primo instanti originis non terminatur ad Filium, ergo in secundo instanti originis terminatur ad filium, & sic sequitur quòd terminetur non à se, sed ab alio. Dico, quòd non sequitur, sicut etiam non sequitur, Pater in primo instanti originis, antequam generet Filium est beatus; ergo in secundo instanti originis generat Filium, ergo generat filium non à se, sed ab alio non sequitur. Dico ergo hîc, vt dixi *in primo, dist. prima, quæst.* 2. exponendo quomodo Pater prius origine sit beatus quàm generet filium.

Responsio ad tertium dubium.

Ad tertium dubium principale, dico primò, quòd Doctor hoc non asserit, vt patet in litera, exempla enim ponimus non quòd ita sint, sed vt magis addiscentes assentiant, vt patet, *primo Priorum*. Dico secundò, quòd tenendo exemplum valere, potest dici quòd quia Filius habet principaliter omnia à Patre, & Pater vt comparatur ad Filium habet à se, quòd sicut Socrates, vt Socrates est prior natura, vel origine Platone videtur sequi quòd Socrates pater, vt pater sit prior origine Platone (non absolutè sumpto, quia est prior paternitate cum sit terminus eius, vt patet à Doctore *in primo dist.* 30.) filio, vt filio. Et hoc modo paternitas poterit dici causa prioritatis originis, respectu Platonis, vt filij, quia tenendo quòd pater, vt pater sit causa filij, statim sequitur quòd pater, sit prior origine filio. Et sic paternitas erit causa prioritatis originis, quamuis paternitas, & filiatio in creaturis semper sint simul, & vna nullo modo præsupponatur alteri, sicut fortè est in diuinis, vt suprà dixi, & tamen adhuc paternitas in creaturis poterit dici prior origine filiatione, propter causam suprà dictam. 27.

Pater est perfectè beatus antequã generet, id est, beatitudo patris præsupponitur generationi.

Ad rationes quarti dubij: ad primam. Dico quòd semper est prior origine, quia Pater habet

esse

esse à se, modo præexposito, & Filius à Patre, non sequitur modò, in instanti originis *A* essentia est perfectè in Patre; & summè disposita ad productionem: ergo in eodem instanti est Filius, negatur, quia tunc sequeretur quòd Filius esset à se. Sed benè conceditur, in primo instanti est summè disposita ad productionem Filij: ergo Pater in illo instanti habens illam, producit Filium, imò per talem productionem actiuam Pater constituitur in *esse* personali. Sed vltrà non sequitur; ergo in illo instanti, quo Pater producit Filium, Filius est. Sicut etiam hîc non sequitur, voluntas in instanti *A* nunc elicit actum, ergo in illo instanti actus est; non sequitur quia vt elicit actum, adhuc est prior natura, vt suprà dixi. Sic in proposito. Et cùm quæritur ratio quare in eodem instanti non potest Pater producere Filium. Dico, quòd ratio de se est clara, quia producens semper est prior producto, & vltrà quia est primum signum originis, quia Pater à se producit, & dat *esse* Filio: si ergo in illo præcisè instanti produceret Filium, esset implicatio contradictionis, quia sequeretur quòd Filius simul esset à se, & à Patre, quòd non est intelligibile.

Responsio ad quartum dubium.

28. Ad secundam rationem, quâ probatur quòd sufficit prioritas originis in solo principio productiuo. Dico breuiter, quòd ad producendum Filium in diuinis, duo necessariò requiruntur, scilicet ratio formalis producendi, à qua dependet tota perfectio productionis, vt exposui *in primo, dist. 2. quæst. 2. & dist. 3. quæst. 6.* & sic memoria fœcunda in Patre est ratio formalis producendi Filium; & requiritur etiam conditio producentis, scilicet proprietas personalis: semper enim productum realiter distinguitur à producente: si modò Filius esset à sola memoria fœcunda, tunc realiter distingueretur ab illa, quod est impossibile; vt ergo productum realiter distinguatur à producente, requiritur in producente proprietas personalis, propter quam realiter producens distinguatur à producto. Dico ergo, quòd in eodem instanti, quo memoria ponitur principium productiuum in actu, ponitur etiam conditio producentis in actu; & similiter in illo priori, quo memoria fœcunda ponitur principium formale productiuum filij, paternitas necessariò ponitur vt conditio requisita.

Ad producendum filium in diuinis duo requiruntur.

Ad tertiam rationem, dico, quòd illa ratio concluderet, si suppositum producens esset absolutum, quia tunc non haberetur pro inconuenienti, quòd ipsum sit prius natura ipso producto, non accipiendo tamen *prius natura* pro priori, vt dicitur causa prior effectu; siue vniuoco, siue æquiuoco, vt suprà dixi, de ordine naturæ in primo articulo; sed accipiendo *prius natura*, eo modo quo ponitur intellectus prior natura voluntate, & cum hoc, quòd productum sit posterius natura. Illa tamen ratio non concluderet vbi suppositum producens est relatiuum, & constitutum in tali *esse* suppositali per relationem, non qualemcunque, sed per relationem ad productum, quia tunc tale suppositum est simul natura cum producto propter naturam correlatiuorum. Si etiam teneatur, vt sic ipsum esse prius natura aliquo prædictorum modorum, vt suprà in primo articulo, adhuc non habeo pro inconuenienti, quòd producens quando producit, sit prius natura ipso producto, esset benè inconueniens, si poneretur prius natura essentialiter, eo modo, quo causa ponitur prius natura effectu, vt ibidem dixi.

Ad quintum, & vltimum dubium. Dico quòd non est simile, quia aliud est loqui de formali ratione constitutiua alicuius in esse reali, & aliud est loqui de prædicato, quod præcisè verificatur de aliquo, vt in concreto, & non in abstracto: quia primo modo ponitur realiter constitutiuum sub ratione actuali reali, & ideò paternitas, vt constituit, præcisè constituit vt est in re, & non in consideratione, & ideò non est simile. In re etiam ita deitas realiter est creatrix sicut & Deus, sed Logicè loquendo non est sic, vt patet in primo.

Ad quintum dubium.

SCHOLIVM.

Prima conclusio huius articuli; Vnica est ralatio originis primæ personæ ad secundam omnino distincta ante opus intellectus. Secunda conclusio, potest tamen ratione distingui. Prima conclusio probatur primò; quia vnica est vnius ab vno perfecta origo, quia duabus originibus perfectis; non potest idem suppositum ab eodem procedere. Secundò, hæc est vera; paternitas est generatio actiua, *& hæc ergo non differunt à parte rei, quia non conceditur hæc;* paternitas est spiratio actiua, *vel* innascibilitas, *ex Augustino quia vna non est formaliter altera, nec sibi eam identificat, quia neutra est infinita.*

21. DE Tertio articulo [k] videtur quòd si aliquid constituat sub ratione priori ipso separato per rationem à ratione posteriori, possit remanere constitutum. Qui ergo diceret, quòd relatio originis ad secundam personam constituat primam, sub ratione generatiui, quæ est prior ratione generationis, vt generatio: videtur consequenter dicere, quòd separato siue circumscripto *generare*, posset prima persona remanere, vel in se, vel saltem in intellectu considerante, sed in re non posset circumscripto vnius sine altero, quia sunt idem realiter.

Si generatiuum constitueret personam, posset esse, vel concipi, sine generatione & paternitate.

Consimiliter si *generare* esset prius paternitate & *generare* sub ratione *generare*, constitueret primam personam, videretur, quod prima persona posset remanere circumscripta paternitate, vt paternitas est.

Hic ergo duo sunt videnda. Primò de re, si est aliqua distinctio proprietatum in prima

Vnica & indistincta est relatio constituens primam personam.

prima persona, non quarumcunque: (quia de ingenito & spiratione actiua, non est hìc sermo) sed illarum quæ dicunt relationem originis inter primam personam & secundam.

Et secundò ex hoc, cum quali circunscriptione vel abstractione posset prima persona remanere.

De primo dico duas conclusiones. Prima est ista, vnica sola, & omnino vnica est relatio originis inter primam personam & secundam: ita quòd nulla est distinctio talis relationis qualitercunque in re ante meram considerationem intellectus.

Secundò dico, quòd illa relatio, quæ omnino vnica est sic in re, potest ratione distingui, siue diuersis rationibus considerari. Primum probatur dupliciter. Primò sic: 22. vnica & sola est vnius ab vno perfecta origo, & hoc intelligendo originem actiuam vnicam à parte originantis; & vnicam passiuam à parte originati, licèt hæc & illa sint quodam modo duæ: relatio autem originis inter primam personam & secundam dicit perfectam rationem originis secundæ personæ à prima: ergo est tantum vnica: & hoc accipiendo actiuè à parte patris: & tunc est vnica actiua in patre, & quasi passiuè à parte filij: & erit ibi etiam vnica passiua. Probatio maioris: illa non est perfecta originatio vnius ab alio, quâ circunscriptà nihil minùs ipsum esset perfectè originatum ab illo; sed si sint plures relationes originis qualitercunque distinctæ à parte rei, sint *A* & *B* vnâ earum circunscriptâ, adhuc secunda persona esset originata à prima: quia altera vt *A* est relatio originis, & non nisi perfectæ originis: ergo *B* non est perfecta originatio, siue relatio perfectæ originis inter illas, sed si essent distincta ab *A* esset relatio originis perfecta & distincta.

Consimiliter arguitur de *B* circumscripta *A*, & ita vtralibet istarum circumscripta esset secunda persona à prima, quia per alteram originatio, & non esset, quia perfecta eius originatio esset circumscripta.

Vna persona non potest duabus originibus originari.

Si dicas, non potest *A* circunscribi manente *B*, nec è conuerso.

Istud non valet, quia duabus originibus, quarum vtraque sit perfecta non potest 23. idem suppositum originari ab eodem, per vtranque enim totum haberet totum *esse*, quod posset accipere à producente, & ideò impossibile est, quòd per alteram siue manentem cum ea, siue quocunque modo accipiat aliquod *esse*.

Hæc est falsa paternitas est spiratio actiua, quia neutra est infinita.

Hoc secundò arguitur [l] per quoddam argumentum magis Logicum, quia relationes distinctæ qualitercunque in re, sic, quòd non sint omnino vnica formaliter realis, non prædicantur de se inuicem in abstracto, licèt sint in eodem supposito. Hæc enim est falsa: *paternitas* siue *generatio actiua est spiratio actiua* siue *innascibilitas*, secundùm August. 15. de. Trin. c. 6. *non est hoc idem dicere ingenitum, quod est, dicere patrem: quia etsi filium non genuisset, nihil prohiberet ipsum esse ingenitum.*

Ista auctoritas habet suum intellectum, quia in secundo articulo dictum est, quòd relatio ad secundam personam præsupponitur ingenito, sed saltem tantùm habemus, quòd non est hæc vera prædicatio in abstracto, *paternitas est innascibilitas*: hæc autem est vera: *generatio actiua est paternitas*, & è conuerso, & generatiuitas est generatio actiua: sicut paternitas, & è conuerso.

COMMENTARIVS.

29. *Expositio literæ.*

k DE *tertio articulo*. Hìc videndum est de istis relationibus, quæ communiter conceduntur primæ personæ (exceptis ingenito, & spiratione actiua) quæ scilicet sunt paternitas, generatio actiua, generatiuitas, potens generare, generare, & huiusmodi, quomodo se habeant ad inuicem, & quomodo ab inuicem differant. Et breuiter ponit duas conclusiones. Prima, Vnica, sola, & omnino vnica est relatio originis inter primam personam, & secundam, ita quòd nulla est distinctio talis relationis, qualitercunque in re ante meram considerationem intellectus, id est, quòd nulla est ibi distinctio præter opus intellectus. Secunda conclusio: Illa relatio quæ omnino vnica est sic in re, potest ratione distingui, siue diuersis rationibus considerari.

Primam conclusionem probat dupliciter, & prima probatio stat in hoc; vnica & sola est vnius ab vno perfecta origo, & hoc intelligendo originem actiuam vnicam à parte originantis, & vnicam passiuam à parte originati, licèt hæc, & illa sint quodammodo duæ. Sed relatio originis inter primam, & secundam personam, dicit perfectam rationem originis secundæ personæ à prima; ergo est tantùm vnica, accipiendo actiuè à patre Patris, & tunc est vnica actiua in Patre, & quasi passiuè à parte Filij, & erit ibi etiam vnica passiua: probatio maioris stat in hoc, quia *A* non dicitur perfecta originatio, qua circunscripta, nihil minus esset ipsum originatum: hoc patet: sed si in Patre essent duæ originationes actiuæ perfectæ, tunc sequeretur

tur quòd vnâ illarum circunſcriptâ, adhuc eſſet originatum ab alia; ergo prima non fuit perfecta, & ſimiliter aliâ circunſcriptâ, puta *B*, adhuc originatum eſſet ab *A*, & per conſequens *B* non fuit perfecta originatio, & ſic tandem ſequeretur, quòd vtraque circunſcripta, adhuc originatum poſſet eſſe. Similiter poteſt argui, ſi duæ origines paſſiuæ eſſent in Filio.

Si dicas non poteſt *A* circunſcribi manente *B*, nec ècontra, hoc non valet, quia duabus originibus, quarum vtraque ſit perfecta, non poteſt idem ſuppoſitum originari ab eodem: per vtrâque enim productionem haberet totum *eſſe*, quod poſſet accipere à producente, & ideò eſt impoſſibile quòd per alteram, ſiue manentem cum ea, ſiue quocunque modo, accipiat aliquod *eſſe*.

l Secunda probatio eſt magis Logica, quia relationes diſtinctæ, præter opus intellectus non prædicantur de ſe inuicem in abſtracto, non formaliter, niſi vna eſſet de formalitate alterius, ſicut dicimus quòd paternitas in creaturis eſt relatio; nec per identitatem, quia vna non continet aliam per identitatem, cùm nulla ſit formaliter infinita, vt patebit in quæſtione ſequenti. Et patet quomodo in diuinis vna non prædicatur de alia; non enim hæc eſt vera, *paternitas eſt ſpiratio actiua*, & tamen hæc cõceditur, *paternitas eſt generatio actiua*: Similiter hæc non eſt vera, *paternitas eſt innaſcibilitas*, vt patet per Auguſtinum 5. de Trin. cap. 6. *Probatio Logicalis.*

SCHOLIVM.

Arguit generationem & paternitatem diſtingui, quia habent diuerſa fundamenta, vt videtur dicere Hilarius: occaſione huius obiectionis explicat ſecundam concluſionem poſitam, ſcilicet, quomodo vnica relatio originis Patris diuerſimodè conſiderari poteſt per rationem ſine vlla diſtinctione ex natura rei, verbi gratia, hic hac generatione potens generare, hic generans, hic quia genuit, hic quia habet genitum ſecum coëxiſtens. In prima conſideratione imperfectionis eſt quod ſeparat ab actu. In ſecunda, quod non ſtatim habeat actum & quod non manet. In tertia, quod quaſi ſequitur ad actum; perfectionis autem eſt quod maneat actus & quod habeat genitum ſecum exiſtens; ablatis ergo imperfectionibus generatio productiua termini completa manens, ſecum habens terminum, eſt ipſa paternitas à parte rei, & ſola ratione diſtinguitur ab ea per noſtros conceptus comparatos ad imperfectiones, quæ reperiuntur in generatione creata.

24. Contra iſtud [m] Relatio pertinens ad ſecundum modum, fundatur ſuper actionem, & paſſionem, *ex 5. Metaphy.* & ad propoſitum videtur ibi dicere, quòd pater dicitur: quia genuit, ſicut filius, quia genitus eſt; ſicut ergo fundamentum non eſt idem relationi nec è conuerſo, ſic generatio & paternitas. Hoc confirmatur per Hilarium 9. de Trin. cap. 13 *Exitio autem à Deo eſt abſoluta natiuitas, quam paterni nominis conſecuta eſt perfectio.* Vult ergo dicere, quòd paternitas conſequitur natiuitatem, ſiue generationem, & hoc declaratur per hoc: quia pater non eſt pater ex hoc, quòd generat, ſed præcisè per hoc, quòd habet genitum coëxiſtens ſecum, habere autem genitum coëxiſtens, videtur differre ab eo quod eſt generare: quia in animalibus, decidens ſemen habet actum generationis, ſicut ſibi conuenit actus: & tamen tunc non habet genitum ſecum coëxiſtens, & per conſequens, tunc non eſt pater, ſed poſtea. *Tex. 10.* *Paternitas an ſequitur natiuitatem.*

25. Dico tamen, quòd in Deo omnino eadem ratio realis eſt generatiuitas, *generare* paternitas: quia ſecundùm Auguſtinum de fide ad Petrum, cap. 2. *proprium ſolius patris eſt, non quia eſt natus ipſe, ſed quia filium generauit*, & ſecundùm Hil. 12. de Trin. *patri proprium eſt, quòd ſemper eſt pater, & filio, quod ſemper est filius*; & ponit Magiſter ſententiarum auctoritates, *lib.1. di.26.* non eſt autem niſi vna proprietas perſonalis vnius perſonæ, ergo eſt eadem hæc, & illa, eſt tamen iſta proprietas diſtinctè conſiderabilis, & ſic eſt potens habere diſtinctas rationes, & hæc ſit ſecunda concluſio [n] hîc propoſita, & iuuabit ad ſolutionem obiectorum. Hîc dupliciter quidem poſſet aſſignari differentia rationis ſiue rationum, ſub quibus poſſet conſiderari iſta relatio, Vna quantùm ad differentiam, ſiue indeterminationem, vel abſtractionem in conſiderando: alia quantùm ad poſſibilitatem vel actualitatem, vel completionem, ſiue determinationem. Quantùm ad primam poſſunt iſta conſiderari: producens naturaliter, & ſimile natura producẽs, & tertiò, incõmunicabiliter exiſtẽs, & quo ad hoc producẽs. Et patet, quòd tertiùs modus eſt indeterminatior ſecũdo, & ſecũdus primo. *Iuxta principium.* *Concl. 2.* *Relatio constitutiua patris, in re indiſtincta.*

Secundo autem modo possum concipere hunc hac generati one generatiuum: hūc potentem hac generatione generare; hunc hac generatione generantem: hunc, quia hac generatione genuit: hunc quia hac generatione habet genitum secum coëxistēs. In creaturis [o] prima differētia est vniuersalitatis, sic quòd extēdit se ad plura. Secūda differentia [p] quæ est hîc rationis, est ibi realis & cum separatione reali: pro eo quod aliquid imperfectionis importatur per se in vno, quod non in altero: & licèt in Diuinis [q] prima differentia rationis possit aliquo modo saluari in vna consideratione intellectus, ita quod remaneat conceptus indeterminatior non remanente conceptu determinatiori, tamen in re non iuuat: quia omnino idem est in re, quod substernitur isti conceptui & illi.

Potens generare generans, & pater seclusis imperfectionibus idem sunt.

Secunda differentia [r] in Diuinis saluat diuersitatem conceptuum, siue diuersorum modorum concipiendi idem: tamen applicando ei, quod est in re debet in quolibet accipi, quod est perfectionis, & omitti quod est imperfectionis. Nam in aptitudine & potētia imperfectionis est separari ab actu: In actu est imperfectionis, quòd non statim habet secum terminum: & quòd non manet, sed transit, & in eo, quòd quasi consequitur actum suum: sicut paternitas est imperfectionis, quod non est semper in summa actualitate communicationis naturæ; perfectionis autem est, quod manet, & habet secum correlatiuum coëxistens. Ablatis ergo imperfectionibus, & retentis his quæ sint perfectionis, generatio non est tantùm dispositiua ad terminum, sed completè productiua termini, quæ quidem generatio perfecta, & generatio completa, & generatio non transiens, sed semper manens concludit totum, quod requiritur: Paternitas etiam, quæ non sequitur actum generandi quasi dispositiuum & præuium, & ita transeuntem, & manet in sua actualitate completa, quæ semper est in completa communicatione naturæ, ipsa includit totum quod requiritur: generatio ergo ista completa & æterna, & paternitas illa completa, & æterna, & paternitas illa completæ & æternæ actualitatis, omnino idem dicunt ex parte rei: sed vnam rationem [s] perfectionis, quæ est in creaturis magis importat hoc nomen *generatio*, quàm *paternitas*: & è conuerso est de alia. 26.

27. Ex his patet ad obiecta in isto articulo quæ videntur probare aliquam distinctionem ex natura rei inter generationem, & paternitatem, quādo primò arguitur, quòd paternitas fundatur super generationem actiuam ex 5. *Metaph.* illud requireret prolixiorem tractatum. Et de hoc satis dictum est alibi: tamen ad propositum dico, quòd si aliquo modo generatio est prius paternitate in creaturis: non tamen est vt fundamentum, sed ipsa potentia generatiua, siue natura, quæ generat, est fundamentum: sed est præuia vt dispositiua, siue qua non existente, paternitas non inest: ita quòd ibi est distinctio, sicut est inter dispositionem præuiam, & terminum completum. Patet ergo quòd ista ratio distinctionis non manet in Diuinis, quia ibi non est generatio nisi completa & necessariò secum ponens terminum in *esse*; nec est paternitas consequens communicationem.

Tex. 10. 5. Met. & 27. & 28. d. 1. vtriusque. & d. 3. & 6. & 13. dist. 4.

Ad Hilarium potest responderi, [t] quod nomen *paternitatis* potest dici sequi generationem, secundùm quòd ista in Deo comparantur ad generationem, & paternitatem in creaturis: est quidem tunc quædam consecutio secundùm rationem, sicut in creaturis est consecutio realis. Vbi enim aliqua sunt distincta secundùm rationem similem habent ordinem rationis, qualem haberent realem, si essent distincta realiter, sicut aliàs dictum est.

Sup. q. 1. ar. 3. & 1. q. Pr. in Reportatis & alibi sæpè.

Paternitas non sequitur natiuitatem in Deo, secus in creatis.

Si quis autem proteruè insisteret in verbis huius auctoritatis, posset faciliter respondèri: quòd confessio nominis paterni consecuta est creationem mundi, & fortè nomen paternum: & hoc loquendo de confessione, & nomine à quocunque intellectu creato, sed ipsa paternitas non est consecuta, nec natiuitatem filij, de qua intenditur in auctoritate Hilarij nec etiam generationem patris, nisi consecutione rationis, de qua dictum est. Per hoc patet ad aliud, quod dicitur de paternitate, quod est habitudo habentis secum genitum, & ideò distinguitur à generatione in creaturis: & per oppositum hîc non distinguitur nisi ratione.

COMMEN

COMMENTARIVS.

30. Paternitas potest dupliciter considerari.

m Contrà istud, relatio pertinens ad secundum modum. Hîc Doctor intendit probare quòd paternitas non sit generatio actiua, quia paternitas fundatur super actionem, vt patet 5. Metaph. cap. de *Ad aliquid*, vbi Aristotel. videtur dicere quòd Pater est, quia genuit Filium, sicut Filius, quia genitus est: sicut ergo fundamentum non est idem relationi; ita nec generatio erit paternitas, cùm paternitas fundetur in generatione actiua.

Paternitas potest dupliciter considerari.

n *Et hæc sit secunda conclusio.* Hîc Doctor ostendit secundam conclusionem, scilicet, quòd paternitas potest diuersimodè considerari. Et dicit, quòd dupliciter potest considerari in paternitate differentia rationis, primò, *quantum ad indifferentiam, siue indeterminationem.* &c. *Et patet quòd tertius modus est determinatior secundo, & secundus primo*, nam generans simile in natura, in minus se habet, quàm generans absolutè per modum naturæ, & similiter generans incommuuicabiliter existens in minus se habet, quàm generans simile in natura.

o *In creaturis prima differentia est vniuersalitatis*, scilicet, ista producens per modum naturæ, & producens simile, & producens incommunicabiliter existens: patet enim, quòd omnia prædicantur de pluribus, quia producens incommunicabiliter existens prædicatur de isto producente, incommunicabiliter existente, hoc idem patet de aliis, quæ sunt magis vniuersalia.

p *Secunda differentia, quæ est hîc*, scilicet, in diuinis, *rationis, est ibi*, scilicet in creaturis, *realis*. Nam in creaturis generatiuum præter opus intellectus differt à potente generare, quia primum dicit aptitudinem, secundum dicit potentiam propinquam, quia potentia remota ad generandum, fortè non videtur differre ab aptitudine, de qua aliàs. Similiter hîc potens generare præter opus intellectus, differt ab actu generante: & actu generans differt ab illo, qui genuit; & qui genuit differt ab illo, qui actu habet genitum sibi coëxistens. Sed in diuinis omnia ista præcisè differunt ratione, & nullo modo realiter, quia importatur aliqua perfectio in vno, quod non in altero; nam imperfectionis est posse generare simile in natura, & actu non generare illud. Similiter imperfectionis est genuisse, & non semper habere genitum coëxistens, vt patet *in primo, dist. 9.* ideò in diuinis talis differentia realis non potest poni.

q *Et licèt in diuinis prima differentia rationis possit aliquo modo saluari in vna consideratione intellectus, ita quòd maneat conceptus indeterminatior, non remanente conceptu determinatiori*, vt puta præcisè considerando in diuinis potens generare per modum naturæ, non considerando potens generare sibi simile in natura, *tamen in re nihil omnino iuuat, quia omnino idem est in re, quòd substernitur isti conceptui, & illi*: nam quòd substernitur conceptui, scilicet potens generare; est in re actu generans, & sic de aliis.

31. r *Secunda differentia in diuinis saluat diuersitatem cōceptuum, siue diuersorum modorum concipiendi idem*, quia est alius modus secundùm rationem, quo concipio Patrem in diuinis, hac potentem generare, & alius modus, quo concipio Patrem, actu generare, & sic de aliis.

ſ *Sed vnam ratione perfectionis quæ est in creaturis, magis importat hoc nomen* generatio, *quàm* paternitas, *& èconuerso est de alia*, vt patet ex dictis suprà. Nam hanc rationem perfectionis, id est, quòd est completè productiua termini, magis explicat generatio, quàm paternitas; patet, quia propriè generatio est productiua termini, non autem paternitas, quia in creaturis paternitas sequitur productionem termini; inquantùm verò paternitas, habet genitum semper secum coëxistens, hanc perfectionem magis explicat paternitas, quàm generatio, quia paternitas propriè respicit productum, vel semper coëxistens, non sic generatio, quæ absolutè respicit productum. In re tamen in diuinis paternitas, & generatio actiua eandem explicant perfectionem. Aduerte tamen quòd in diuinis, nec generatio actiua, nec paternitas aliquam formaliter dicunt, nec explicant perfectionem, cùm nullo modo dicant perfectionem, quia tunc aliqua perfectio esset in Patre, quæ non in Filio; sed dicuntur in diuinis explicare perfectionem, pro quanto excludunt imperfectionem, generatio enim diuina dicitur perfecta (quando est completa non transiens) pro quanto excludit hanc imperfectionem, quæ est in generatione non completa, & transeunte, non quòd formaliter in se dicat aliquam perfectionem. Et similiter paternitas in diuinis dicitur perfecta, pro quanto excludit hanc imperfectionem quæ est sequi actum, vt suprà patuit. Deinde aduerte, quòd paternitas perfecta in diuinis est in completa communicatione naturæ; completa enim communicatio naturæ Filio est, quòd natura diuina perfectè, & semper communicatur Filio per generationem, ita, quòd Filius semper quidem gignitur, & semper genitus est, vt probat ipse, *in primo, dist. 9.* completa ergo communicatio naturæ est, quòd habeat Filium semper coëxistentem, cui semper perfectè communicatur natura diuina, & semper communicata est, paternitas ergo perfecta, & completa recipit naturam completè communicatam.

Generatio actiua, & paternitas non dicunt perfectionem.

t *Ex his patet ad obiecta.* Nunc Doctor soluit illas duas instantias factas suprà, fundatas super auctoritate Philosophi 5. *Metaphys.* & super auctoritate Hilarij quę videntur probare aliquam distinctionem ex natura rei inter paternitatem; & generationem actiuam. Quando ergo primò arguitur, quòd paternitas fundatur super generationem actiuam, hoc requireret prolixiorem tractatum, & de hoc satis dictum est alibi, scilicet *in secundo distinct. prima, & in tertio, distinct.* 8. tamen in proposito, si etiam paternitas in creaturis sit posterior generatione, non tamen generatio est fundamentum eius, sed potentia generandi, vel natura generans, vt probat ipse *in tertio, distinct.* 8. sed generatio est præuia, vt dispositiua, siue qua non existente, paternitas non est ita, quòd ibi est distinctio, sicut est inter dispositionem præuiam, & terminum

Solutio duarum instantiarum.

num completum; patet ergo quòd ista ratio distinctionis non manet in diuinis, quia ibi nō est generatio nisi completa, & necessariò, secum ponens terminum in *esse*, nec est paternitas consequens communicationem, sed perpetuæ communicationis.

32. *Dubia.* In isto articulo, occurrunt quædam parua dubia. Primò in hoc quod dicit, quòd *paternitas in creaturis sequitur generationem, quasi dispositionem prauiam.* Contrà, quia in eodem instanti, quo generatio est, paternitas est; ergo non consequitur generationem. Antecedens patet, quia generatio actiua præsupponit productum habere *esse*: patet per Doctorem *in 1. dist. 3. qu. 5. & in 2. dist. 1. q. 2.* quòd absolutum in causa sequitur absolutum in effectu, & per consequens priùs est absolutum, quàm sit generatio passiua: relatio enim geniti ad generans est posterior ipso genito, sed in eodem instanti, quo genitum est, tunc Filius est; ergo in eodem instanti, quo generans est, Pater est; ergo non consequitur paternitas generationem actiuam, sicut nec filiatiò generationē passiuam. Si enim generatio actiua, & generatio passiua, prout sunt relationes formaliter, essent priores, & dispositiones præuiæ ad paternitatem, & filiationem, & ipsæ relationes, scilicet generationes necessariò præsupponunt fundamentum & terminum, tunc sequeretur quòd paternitas, & filiatio, non essent relationes intrinsecus aduenientes. Patet, quia in eodem instanti, quo ponerentur, fundamentum, & terminus non essent ibi, quia tu ponis quòd generatio est dispositio præuia, quæ tamen est posterior fundamento, & termino.

Dubium. Secundò dubitatur de hoc, quod dicit, quòd *generatio completa in diuinis necessariò secum ponit terminum in esse.* Tum, quia generatio non est ratio agendi. Tum, quia est habitudo ad terminum, ergo non ponit illum, sed magis præsupponit illum. Tum, quia non esset prior origine termino, si necessariò secum poneret terminum.

33. *Responsio.* Respondeo ad istas instantias. Et præmitto aliqua. Primò, quòd generatio in creaturis, potest accipi incompletè, vel completè. Incompleta generatio est in *fieri*, & sic dicimus, quòd homo in tanto tempore generatur, vbi fiunt multæ generationes partiales, vt patet à Doctore *in tertio, d. 4. q. vnica.* Completa, quæ terminatur ad terminū completum, quæ fit in instanti, & talis, vt est relatio intrinsecus, præsupponit genitum secundùm suum *esse* absolutum tanquam terminum, loquendo de generatione actiua; sicut etiā generatio passiua, quæ fundatur in producto absolutè sumpto terminatur ad entitatem absolutam producentis. Secundò, præmitto, Vnum dictum Doctoris *in secundo, dist. 2. qu. 4.* scilicet quòd res præcisè dependet à generante creato pro isto instanti, quo accipit *esse* à generante creato, sed in toto tempore sequenti immediatè dependet à Deo. Hoc præsupposito stat conclusio Doctoris, scilicet quòd *generatio sit dispositio prauia,* &c. nam in eodem instanti, quo *A* accipit esse à *B*, dicitur dependere à *B*, quæ dependentia passiua est generatio passiua, quia in eodem instanti temporis, quo ponitur entitas absoluta *A* ab ipso *B* oritur relatio dependentiæ, siue relatio geniti ad generans, & quia præcisè dicitur *A* generari à *B* pro illo instanti, quo accipit *esse* à *B* ideò talis relatio geniti præcisè stat pro illo instanti, & non in tempore sequenti, in quo amplius non gignitur, nec dependet à *B*. Sicut ergo genera o passiua immediatè transiit, ita & actiua correspondens. Tertiò præmitto, quòd *A* priùs non aliqua duratione est genitum, inquantùm genitum, quàm dicatur filius; filius enim dicitur, quia sic genitus, puta à viuente cum aliis conditionibus pertinentibus ad filiationem: quæ patent à Doctore *in tertio, dist. 8.* & per consequens filiatio præsupponit aliquo modo generationem passiuam: sed generatio passiua transiit, filiatio verò manet, & per consequens & paternitas, & sic patet quomodo paternitas in creaturis sequitur etiam generationem completam, vt dispositionem, non tamen sequitur in aliquo posteriori duratione, cùm sit in eodem instanti temporis, sed dicitur sequi, quia præsupponit aliquo modo illam.

Aduerte hæc omnia.

Si instetur, probando quòd generatio nec actiua nec passiua transeat manentibus producente, & producto, quia sunt relationes intrinsecus aduenientes: ergo quandiu stant fundamentum, & terminus, tandiu stant generatio actiua, & passiua, sicut quandiu stant duo alba, tandiu stat similitudo; sed quandiu stant pater, & filius, tandiu stant fundamentum & terminus generationis, cùm generatio passiua fundetur immediatè in entitate absoluta geniti, & similiter generatio actiua in entitate absoluta generantis.

Dico, saluo meliori iudicio, quòd relatio geniti non fundatur super naturā tali absolutè, sed præcisè pro illo instanti, quo accipit *esse*; quia tunc verè generatur; si enim generatio passiua semper esset in producto, tunc semper hæc esset vera: *A generatur* à *B*, & similiter ista: *B semper generat A* quæ tamen sunt falsæ. Paternitas verò fundatur absolutè super tali natura; quæ sic genuit, & filiatio super illo absolutè, quod sic genitum est, & ideò manentibus talibus entibus, scilicet producto, & producente, manent paternitas, & filiatio. Et hoc magis patet in resurrectione, quia redeunte entitate *A* & entitate *B*: *B* erit pater *A*, & sic redibunt eædem relationes, quæ priùs, vt patet à Doctore *in tertio, dist. 8.* sed tunc *A* non erit genitum à *B*: sed immediatè à Deo productum, vt patet à Doctore *in quarto dist. 43.* Patet etiam, quia causa, & effectus simul sunt, & non sunt, vt patet *tertio Metaphys.* quod intelligitur quoad relationes causæ, & causati; istæ ergo relationes transeunt, & tamen sunt pro illo instanti, quo effectus dependet à causa, & per tempus sequens, in quo amplius à causa non dependet, non videtur quòd sit relatio causati ad causam, sed in tempore illo immediato transiit. Tamen hæc omnia pro nunc non totaliter assero, sed aliàs erit prolixior tractatus.

Ad instantias secundi dubij. Dico breuiter ad primam, quòd etsi generatio in Patre non sit ratio agendi, siue producendi, est tamen conditio agentis, siue producentis; vt suprà patuit.

Ad secundam. Dico, quòd hoc verum est de relatione in creaturis, quæ à termino dependet; sed non est verum de relatione constituente personam Patris. 34.

Ad tertiam patet responsio, vt suprà, quia vt sic, est prior origine.

SCHO

SCHOLIVM.

Resoluit ex duabus conclusionibus positis, non posse primam personam manere in separata relatione originis ad secundam, quia hæc est in re distincta; loquendo de manere secundùm considerationem, separata illa relatione, secundùm vnam rationem posteriorem potest manere suppositum relatum secundùm aliam priorem: & separata omni relatione originis ad secundam personam, secundùm omnem rationem tam indeterminationis, quàm actualitatis; fortè posset intelligi quis incommunicabiliter existens per hanc entitatem incommunicabilem abstrahentem à relatiua & absoluta, non in re, sed in conceptu, quòd benè explicat, de quo vide ipsum 1. d. 25. ponit hîc indiuiduum generis de quo 1. d. 8. q. 3. n. 29.

28. EX istis duabus [u] Conclusionibus, quomodo, scilicet vnica est in re relatio originis primæ personæ ad secundam, quodammodò tamen distincta secundùm rationem, patere potest quomodo prima persona manere potest separata relatione originis ad secundam: si intelligatur de *manere* in *esse* reali, patet quòd non: nec oportet distinguere de ista relatione, vt secundùm vnam rationem, vel aliam, acceptam: quia quantùm ad rem vnica est, & ita vnica separata in re non manet constitutum per ipsam. Si intelligatur de *manere* secundùm considerationem intellectus, & hoc absque implicatione contradictionis, vt sit sensus, an in consideratione intellectus separata relatione originis inter primam personam, & secundam, posset manere sine contradictione intellectus primæ personæ: distinctione illa videtur vtendum, quæ priùs posita est de diuersis rationibus eiusdem relationis, quia ipsâ separatâ secũdum omnes illas rationes, & hoc intellectu sic circunscribente eam à supposito, non manet in intellectu aliquod suppositum relatum relatione talis originis, quia quàm citò intellectus concipit relationem talem originis secundùm nullam rationẽ inesse supposito, contradictio est, quòd simul concipiatur suppositum relatum tali relatione: separata tamen illâ relatione apud intellectum secundùm vnam rationem posteriorem, non est contradictio, quòd maneat in intellectu suppositum relatum secundùm rationem priorem. Istæ autem rationes [x] in intellectu nostro habent rationem conceptibilis prioris, & posterioris, sicut natæ essent concipi ab obiectis proportionabiliter motiuis nostri intellectus.

Separata relatione originis secũdum vnã rationẽ an maneret originatum.

29. Separata tamen relatione originis ad secũdam personam secundùm quamcunque rationem eius, siue quantùm ad indifferentiam, siue indeterminationem, siue quantùm ad actualitatem, siue aptitudinem siue præteritionem: adhuc fortè sine contradictione posset intelligi quis incommunicabiliter subsistens.

Seclusa omni relatione originis ad secũdã personam, an cõcipi posset incommunicabiliter existẽs vide 1. d. 25.

Sed si quæritur quo formaliter [y] intelligeretur esse incommunicabiliter existens.

Respondeo, ab ipso conceptu relatiuo incommunicabili, & ab illa forma absoluta incommunicabili fortè posset abstrahi quidã conceptus indifferentior: hæc, scilicet forma, vel entitas, incommunicabilis & illud in suo singulari proprio posset intelligi esse *quo* incommunicabile huius personæ, licèt non intelligatur in singulari aliquo alicuius conceptus inferioris, sicut intelligo aliquando non solùm ens: sed hoc ens: vel substantiam hanc, non determinatè concipiendo in intellectu meo singulare alicuius inferioris: puta hoc animal, vel hunc lapidem: sicut quando video à remotis, priùs apprehendo, quòd est corpus, quàm animal, & animal, quàm hoc animal: & istum conceptum indifferentem formæ incommunicabilis fortè intellexit ille, qui concepit suppositum in Diuinis, non determinando in intellectu suo illud suppositũ esse absolutum, vel relatiuum, quomodo oportet dicere de Philosophis, nisi ponatur, quòd omnis eorum de Deo conceptus ad extra sit falsus: quia planum est, quòd non conceperunt hoc suppositum relatiuum mouere cœlum: & tamen aliquod hoc suppositum posuerunt mouere cœlum; quia actio non est nisi suppositi: si ergo non conceperunt rationem suppositi incommunicabilis indifferentem ad suppositum absolutum, & relatiuum, necessariò conceperunt hoc suppositum absolutum mouere cœlum, quod est falsum; nec isti, quod dictum est, de conceptu alicuius indifferentis ad absolutum & relatiuum, & de conceptu incommunicabilis suppositi ad suppositum absolutum vel relatiuum, repugnat illud; quod dictum est suprà, quòd quæcunque entitas signata in re vel est formaliter absoluta, vel formaliter ad alterum: quia benè possibile est ab aliquibus abstrahi conceptum indifferen-

Philosophi cõceperunt in Deo suppositum nõ relatiuum; nec absolutum.

Conceptus incommunicabilis abstrahibilis à relatiuo & absoluto.

tem, nec absolutum nec relatiuum: & tamen quodcunque signatum existens extra animam necessariò, & determinatè est hoc, vel illud, ità quòd indifferentia conceptus abstrahibilis à pluribus non concludit indifferentiam singularis existentis ad hoc, vel illud.

COMMENTARIVS.

35. u EX *istis duabus conclusionibus*, &c. *Si autem intelligatur de manere secundùm rationem*, siue secundùm considerationem, Dicit duo. Primò, quòd separata relatione originis secundùm omnem modum considerationis, de quibus modis dictum est suprà, tunc in intellectu considerante non manet suppositum relatum relatione tali originis, quia quàm citò intellectus concipit relationem talem originis secundùm nullam relationem, siue secundùm nullum modum supradictum inesse supposito, contradictio est simul concipere suppositum relatum tali relatione separata.

Secundò dicit, quòd separata tali relatione in consideratione intellectus secundùm aliquem modum posteriorē (puta considerando paternitatem, vt quâ suppositum est generatiuum, siue potens generare, non considerando ipsum tali relatione actus generare) potest esse suppositum tali relatione, puta paternitate relatum, & hoc secundùm considerationem intellectus.

x *Ista rationes*, siue modi, *in intellectu nostro habet rationem conceptibilis prioris*, &c. Vult dicere quòd intellectus noster sicut in re diuersimodè potest ab obiectis creatis moueri, puta quia hîc sunt distincta obiecta, scilicet *A* in creaturis, vt generatiuum, generatione aptitudinali, *A* potens generare generatione potentiali, *A* actu generans generatione actuali, &.sic de aliis, quæ in creaturis sunt separabilia, vt suprà patuit; & sic intellectus creatus ex istis potest deuenire in cognitionem generationis diuinæ, siue paternitatis, ita quòd eandem potest concipere secundùm alium, & alium modum priorem, & posteriorem, vt patet in litera.

36. y *Sed si quæratur quo formaliter intelligeretur esse incommunicabiliter.*

Nota. Respondet quòd *ab ipso conceptu relatiuo incommunicabili*, *& ab illa forma absoluta incommunicabili*, siue à proprietate absoluta incommunicabili. Et vult dicere in sententia in ista litera, quòd intellectus potest abstrahere à conceptu relatiuo incommunicabili, & à supposito absoluto, siue à ratione formali absoluta constitutiua suppositi absoluti, vnum conceptum indifferentem, qui dicetur conceptus incommunicabiiis, indifferens ad suppositum relatiuum, & suppositum absolutum, & talis conceptus sic abstractus: nec erit absolutus, nec relatiuus, qui erit cōmunis suppositis relatiuis, & suppositis absolutis. Et addit, quòd possumus accipere, siue considerare singulare, vt præcisè est singulare talis conceptus communis, & non concipere vt singulare suppositi absoluti, communis ad omne suppositum absolutum, nec vt singulare suppositi relatiuè communis ad omne suppositum relatiuum, sed præcisè ipsum considerare, vt suppositum singulare contentum sub supposito indifferenti ad suppositum relatiuum, & suppositum absolutum, & sic tale suppositum singulare non considerabitur nec vt absolutum, nec vt relatiuum, sed absolutè considerabitur sicut considerans hanc substantiam, vt præcisè est singulare substantiæ communis, non considerat ipsam vt singulare animalis, vel hominis, vt etiam patet à Doctore *in quarto, dist.* 8. Et addit, quòd fortè Philosophi, qui posuerunt, vel conceperunt suppositum primum mouere cœlum, non conceperunt vt determinatè absolutum, nec vt determinatè relatiuum, sed absolutè conceperunt, vt hoc suppositum contentum sub supposito indifferenti. Et addit Doctor quòd hoc suppositum in re, vel est absolutum vel relatiuum, quia est impossibile esse tale in re, & in existentia reali, quin vel sit formaliter absolutum, vel formaliter relatiuum, licèt in conceptu, & in consideratione non sit, neque relatiuum, neque absolutum. Et hoc est quòd dicit in ista litera quam benè nota.

SCHOLIVM.

Soluendo argumentum principale explicat pulchras propositiones, quæ parùm subtilizantibus videntur paradoxa, scilicet dictionem non necessariò supponere suppositum, agere *non supponere* esse, generare *non supponere* posse generare, *& actionem non dici denominatiuè de subiecto. num.*32. *videtur dubius, an actio sit relatio. Sed* 4. *dist.*3. *quæst.*1. *latè probat eam esse respectum extrinsecus aduenientem, quod vniuersaliter asserit de* 6. *vltimis Prædicamentis.*

AD Argumentum a principale, patet in solutione quæstionis, quòd minor est neganda, & ad probationem eius conceditur, quòd illa relatio constituens primam personam pertinet ad originem: imò ipsa est originatio actiua. 30.

Et cùm accipitur, quòd actio præsupponit suppositum.

Respondeo, quòd prima entitas incommunicabilis non præsupponit aliquod ens incommunicabile: nec per consequens præsupponit suppositum, quia suppositum est ens incommunicabile: actio autem prima productiua siue productio prima, vel originatio actiua est prima entitas incommunicabilis in Diuinis: quia illa nihil

Vide in 4. d.12.q.1.

præcedit

præcedit nisi memoria perfecta, vel essentia, & totum hoc est communicabile: sed primum producere non potest communicari, quia tunc productum per illud produceret se, quod est impossibile: nulla enim mens hoc capit secundùm Augustinum *primo de Trin. cap.1.* Cum ergo accipitur, quòd actio non potest esse nisi suppositi existentis: si intelligatur hoc de *esse* hypostatico potest intelligi, vel suppositi existentis aliqua entitate priori ipsa actione, vel suppositi existentis hypostaticè ipsa actione formaliter: & sic dupliciter potest intelligi: primo modo est falsa, quia non est ibi entitas hypostatica, quia nec incommunicabile ante actionem: Secundo modo est vera, quia ipsa actione est ens hypostaticè; quia incommunicabiliter. *Actio non necessariò suppositi praexistentis.*

Sed arguitur contra hoc [b] quia omne *agere* præsupponit *esse*: ergo *agere* non potest esse prima ratio essendi ipsius agentis.

Respondeo *esse* in Diuinis potest accipi vel pro *esse* simpliciter, vel pro *esse* incommunicabili: simpliciter non est ibi nisi vnicum *esse*, sicut sæpè dictum est per August. vt essentiæ. *Esse* autem incommunicabile, siue hypostaticum est ibi aliud, & aliud: sicut alia & alia persona. Si ergo accipias in proposito, quòd *agere* præsupponit *esse* simpliciter, quòd est *esse* ad se, concedo. Si autem accipias, quòd *agere* præsupponit *esse* hypostaticum, quod in proposito non est nisi *esse* ad alterum, falsum est: quia ipsum agere est primum *esse* ad alterum, sicut ipsa actio productiua est prima habitudo ad alterum.

Et si arguas quòd non solùm *agere* præsupponit quodcunque *esse*, sed præsupponit potens agere. Si enim nihil est potens agere, tunc non erit actio: sed potens agere nihil est in proposito nisi suppositum: ergo vt priùs *agere* præsupponit suppositum.

31. Respondeo hìc *posse agere* nullo modo à parte rei præsupponitur ipsi *agere*; imò agens est primò potens ipso *agere*, sed præsupponit illud, quo. vt principio formali aliquid est potens agere. Istud & omnia dicta in solutione istius argumenti patere possunt, si concipiatur hoc, quod aliqua habitudo realis vnica originis est inter primam personam, & secundam. Illa enim vnica est productio actiua; & est habitudo producentis ad productum, sed vt communiter loquimur de productione tanquam de habitudine, vel relatione, concipimus ipsam habere aliquid vt fundamentum; quando loquimur de ea actione, concipimus eam habere principium formale productiuum: si ergo alicui non est difficile concipere quòd relatio non præsupponit suppositum, sed tantùm essentiam, quæ est quasi fundamentum, sicut conceditur communiter secundùm communem viam, non est ei difficile concipere, quòd actio non præsupponit suppositum, neque vt agens, neque vt potens agere: sed tantùm præsupponit essentiam, quæ est quasi ratio formalis agendi. *Generare in Deo nō supponit potens generare.*

32. Si contra istud arguitur: actio in Diuinis non est pure relatio, sed aliquid absolutum. Hoc dictum licèt in creaturis à quibusdam negaretur, saltem de actione productiua, quia non videtur, quòd ratio productionis, actiuæ possit intelligi ad se, sed ad alterum: tamen quicquid sit de hoc in Diuinis, actio productiua est merè habitudo, quia secundùm Augustinum 5. *de Trin. cap.5. & 10.* Omne, quod est in Diuinis aut secundùm substantiam dicitur, aut ad alterum, & quòd secundùm substantiam dicitur commune est: origo igitur quæcunque siue dicatur actio, siue passio, formaliter est relatio. *Actio in Deo mera relatio. Actionem esse relatiōnē latè probat Doctor 4.d.13.q.1.*

Si tandem arguitur Logicè, omnis actio denominat aliquod agens, sed in proposito non denominat nisi suppositum: denominans autem præsupponit illud, quod per ipsum denominatur, ergo, &c.

Ad hoc patet ex responsione ad primum argumentum in tertio articulo quæstionis præcedentis, vt dictum est, quòd nullum personale in Diuinis propriè prædicatur denominatiuè de aliquo subiecto incommunicabili, de quo est modò sermo, licèt fortè posset dici prædicari denominatiuè de aliquo significante essentiam communiter in concreto, vt Deus est generans. De tali denominatione non oportet hìc loqui, quia talis prædicatio denominatiua verificatur pro aliquo contento sub subiecto. Quare autem non sit ibi propriè denominatio, siue prædicatio denominatiua de subiecto non transcendente, causa est, quia propriè prædicatio denominatiua de subiecto, non est nisi in concreto: & non de eo, quod includit † proprium, sed de subiecto receptiuo † proprij: Proprietas autem personalis in Diuinis, non prædicatur de aliquo in concreto non transcendente, nisi de ipsa persona constituta per ipsam, *Nullū personale in Deo dicitur denominatiuè de aliquo incommunicabili, & quare? al. prædicatum. al. prædicati.*

& ita includente ipsam; ergo de illa non denominatiuè prædicatur: sola autem essentia est ibi quasi subiectum receptiuum talis proprietatis, sed de essentia non prædicatur in concreto propter causam, quæ tangetur in fine primi articuli quæstionis sequentis.

Vide sup. q. 3. art. 3. idem. Consequenter quæritur de relatione originis in Diuinis quantùm ad perfectionem suam intrinsecam, & est quæstio.

COMMENTARIVS.

37. a AD *argumentum principale.* Nunc Doctor soluit argumentum principale quæstionis. Arguit ergo in principio quæstionis, probando quòd prima persona in diuinis constituatur per relationem originis. Et argumentum stat in hoc: relatio originis aduenit personæ primæ constitutæ; ergo non constituit ipsam. Consequentia est nota. Probatur antecedens, quia relatio originis sequitur actionem, vel passionem, vt patet *ex quinto Metaphys.* & sic paternitas sequitur actionem primæ personæ; actio autem non est, nisi suppositi existentis.

Respondet Doct. quòd antecedens est falsum. Ad probationem de quinto Metaph. patet solutio suprà. Ad illud de actione, quod est suppositi, &c. Dicit quòd *prima entitas incommunicabilis non præsupponit aliquod ens incommunicabile*, &c.

b *Sed arguitur contra hoc, quia agere præsupponit esse.* Respondet Doctor quod sufficit quòd agere præsupponat in diuinis esse simpliciter, & per se stans, licèt sit communicabile: non autem prima actio præsupponit esse simpliciter incommunicabile.

Et si arguas, agere præsupponit potens agere: sed potens agere est suppositum; patet, quia memoria non est potens agere, cùm sit ratio formalis agendi, & agens *quo* potens agere, est potens *quod.* Respondet Doctor quòd in diuinis posse agere nullo modo à parte rei præsupponitur ipsi *agere*, imò agens est primò potens ipso *agere*, cùm per ipsum agere, siue producere constituatur in *esse* suppositi, sed præsupponit illud *quo*, vt principio formali aliquid est potens agere. Litera sequens, patet hic, & ex superius dictis, & expositis.

38. *Dubia satis bona. Primum dubium.* Hîc insurgunt nonnulla dubia, primò in hoc, quòd dicit, quòd *Pater in diuinis constituitur per relationem originis ad Filium, scilicet per generationem actiuam.* Instatur sic, primò, quia productio non tantùm præsupponit principium formale productiuum; sed etiam præsupponit conditionem producentis, quæ conditio est proprietas incommunicabilis.

Secundum dubium. Secundò instatur, quia quæro, à quo sit immediatè ipsa productio actiua? Dices quòd ab essentia; tunc sic, non est maior ratio quòd paternitas immediatè sit ab essentia, quàm filiatio; vel ergo vtraque immediatè erit originata ab essentia, vel nulla illarum: patet, quia ita essentia est originatiua vnius sicut alterius, vel oportet assignare differentiam, quæ non videtur.

Tertium dubium. Tertiò. Si Pater constituitur per generationem, siue per paternitatem; ergo & Filius per filiationem: consequens est falsum; ergo & antecedens. Quòd consequens sit falsum, patet, quia ad relationem non est productio, vt patet per Philosophum, *quinto Physicorum, text. comment.* 10. ergo filiatio non erit producta. Nec valet dicere quòd authoritas Philosophi intelligitur de relatione intrinsecùs adueniente, vt Doctor exponit *in tertio, distinct.* 1. *quæst.* 1. *& alibi*, quia filiatio in diuinis est relatio intrinsecus adueniens, & per consequens ad ipsam non est productio; ergo non erit ibi per productionem.

Quartò instatur, si prima persona constituitur in *esse* per paternitatem, siue per generationem actiuam, quæro ad quid terminatur: aut enim terminatur ad filium, aut ad essentiam: non primo modo, quia relatio, maximè originis, terminatur ad absolutum, vt patet à Doctore *in primo, distinct.* 30 & aliis locis; non secundò, quia tunc idem esset fundamentum, & terminus: nam essentia est fundamentum immediatum paternitatis; ergo non est terminus ipsius. *Quartum dubium.*

Quintò instatur: posito per impossibile, quòd Filius non esset, & tamen prima persona esset, quæro tunc, per quid constitueretur? aut per absolutum, aut per relationem. Si primò, ergo & nunc: patet secundùm Doctorem *suprà quæst.* 2. vbi vult quòd proprietas personalis in diuinis ita est necessaria, quòd si illa præcisè non esset, nulla posset esse: si ergo filio non existente constitueretur per absolutum, ergo & nunc. Si secundò, ergo posset esse relatio sine termino, & sic paternitas & similiter Pater sine Filio, quod videtur absurdum. *Quintum dubium.*

Secundò principaliter dubitatur in hoc, quod dicit, *esse simpliciter impossibile esse duas relationes originis ad Filium.* Instatur sic primò; quia non videtur ex hoc sequi inconueniens; patet, ponendo generationem actiuam in Patre, & similiter paternitatem ex natura rei distinctam à generatione actiua, & quòd præcisè constituatur in *esse* per generationem actiuam, esset benè inconueniens ponere primam personam posse constitui duabus proprietatibus, & confirmatur, quia sicut nullũ apparet inconueniens ponere in Patre duas proprietates, scilicet ingenitũ, & generationem actiuam, quarum vna constituat, & alia sit aduentitia: sic hîc nullum apparet inconueniens ponere in Patre duas relationes originis ad Filium, quarum vna in se constituat, & alia aduentitia. Similiter sicut nullum est inconueniens ponere in Patre generationem actiuam constituentem, & spirationem actiuam aduenientem, sic nec hîc videtur inconueniens. *Quomodo in patre sint dua relationes.*

Secundò instatur, ponendo talem casum, quòd Filius in diuinis producat alium filium, tunc quæro an in filio duæ relationes originis, scilicet generatio passiua, & generatio actiua? aut tantum vna. Si primò, ergo sequitur quod in Filio *Casus.*

Filio sint duæ relationes originis, quarum vna constituit, & alia non; quare non sic similiter potest poni in patre? Si secundò, sequeretur tunc quòd eadem persona eadem simpliciter relatione diceretur pater, & filius.

39. *Responsio ad dubia, & ad primum dubium.* Respódeo ad omnes istas instantias. Ad primã primi dubij. Dico, quòd proprietas incommunicabilis non semper est conditio producentis, vt patet de calore separato in Eucharistia, qui potest immutare sensum, & tamen in ipso non est talis proprietas; & similiter in anima separata, nisi dicatur quòd est conditio producentis, siue verè generantis secundùm substantiam, & tunc dico, quòd licèt exemplum non reperiatur in creaturis, in Deo tamen reperitur, quia ibi prima actio non præsupponit conditionem producentis, sufficit enim quòd præsupponat rationem formalem producendi, vt dixi suprà.

Responsio ad secundum dubium. Ad secundum. Dico quòd est immediatè à memoria diuina. Cùm infertur, ergo & filiatio, negatur, quia immediatiùs se habet ad paternitatem, quia paternitas nullo modo nata est haberi per productionem, cùm sibi repugnet: filiatio verò ex sua formali ratione non est nata haberi, nisi per productionem, quæ filiatio præsupponit producens realiter distinctum, & sic primam personam producentem, vt aliàs exposui.

Responsio ad tertium dubium. Ad tertium, concedo quòd secunda persona constituitur in *esse* per generationem passiuam, siue per filiationem. Ad auctoritatem Philosophi. Dico quòd est vera de relationibus in creaturis, quæ oriuntur ex natura rei, scilicet fundamenti, & termini, & nullo modo immediatè producuntur, vt exposui *in tertio, dist.* 1. modò generatio passiua hìc præcisè habetur per generationem actiuam Patris: non enim oritur à termino, cùm producatur ibi terminus, & constituatur per relationem; nec generatio actiua, nec passiua possunt propriè dici intrinsecus aduenientes, sicut illæ, quæ sunt in creaturis.

Ad quartum. Dico quòd paternitas terminatur ad Filium. Cùm arguitur quòd non, quia terminatur ad absolutum per Doctorem. Dico quòd Doctor intelligit de relationibus, quæ dependent à termino, quia vt sic, dicuntur definiti, non autem loquitur de relationibus productiuis termini, sicut est generatio actiua. Nec similiter æqualitas, & similitudo in diuinis terminantur ad absolutum, sed terminantur ad relatiuum, puta æqualitas in Patre terminatur ad Filium, quia suo modo dependet à Filio, vt à termino; quia verò relationes reales in craturis dependent ab absoluto, ideò semper terminantur ad illud, & si essent dependentes à relatiuo, terminarentur ad illud, quod benè nota. *Responsio ad quartum dubium.*

Ad quintum. Dico primò, quòd casus est impossibilis. Dico secundò, quòd casu posito, illa persona, esset absoluta. Cum infertur, ergo & nunc; negatur, quia nunc habet correlatiuum necessariò constitutum per relationem, ergo & Pater esset sic. Dico tertiò, quòd fortè non esset impossibile dicere ipsum esse relatiuum, & non habere terminum, &c. de quo aliàs. *Responsio ad quintum dubium.*

Ad primum secundi dubij. Dico quòd est inconueniens, quia illa secunda superflueret. Dico secundò, quòd si paternitas sequeretur generationem, esset imperfecta, vt suprà patuit.

Ad secundum. Dico, quòd essent duæ, quarum vna terminaretur ad Patrem, & alia ad Filium, sed esset inconueniens, si ponerentur duæ, quæ terminarentur ad eandem personam, & sic patet quare non est inconueniens ponere in Patre duas relationes originis, vnam ad Filium, & aliam ad Spiritum sanctum.

QVÆSTIO V.

Vtrùm relatio originis sit formaliter infinita.

Scot. 1. *d*.13. *nu*.9. & *d*.3. *q*.2. *ad* 4. Durand. *d*.1. *q*.3. *n*.13. Richard. *dist*.24. *art*.1. *q*.3. *ad* 1. Capreol. 1. *d*.7. *q*.1 *ad* 3. Caiet. 1. *p*. *q*.28 *ar*.2. Et ibi plures Thomistæ negant relationes diuinas dicere perfectiones, & consequenter non esse infinitas: affirmat Maior, 1. *d*.33. *q*.2. Gab. 1. *d*.7. *q*.3. *artic*.3. Heruæus 1. *d*. 2. *q*.4. *ar*.2. Suar. 1. *p*. *tom*.3. *lib*.3. *cap*.9.



1. ARGVITVR quòd non, quia quicquid est formaliter infinitum, est perfectio simpliciter, quia non potest esse magis perfectum, quam infinitum formaliter: relatio originis non est perfectio simpliciter; ergo, &c. Probatio minoris: vna persona habet relationem originis, quam alia non habet: si igitur illa esset perfectio simpliciter, vna persona haberet aliquam perfectionem simpliciter, quâ alia careret, quod est inconueniens. *Arg.* 1

Oppositum arguitur sic: Ens diuiditur per finitum, & infinitum priùs quàm descendat in decem genera; ergo quodcunque ens, etsi non sit in aliquo genere, erit finitum, vel infinitum; relatio originis non est finita; quia tunc non esset idem realiter essentiæ diuinæ, finitum enim non potest esse idem realiter infinito; igitur ipsa est formaliter infinita. *Ratio opp.*

Hìc sunt tria videnda: primò de intellectu quæstionis. Secundò, quid est tenendum de quæstione. Tertiò dubia occurrentia excludentur.

SCHO

SCHOLIVM.

Infinitum (ex Arist.) est, cuius quantitatem accipientibus semper restat aliquid accipiendum. Et hinc infert non esse totum, quia hoc est, cuius nihil est extra: si tamen daretur infinitum in actu, esset totum, quia nihil eius esset extra, sed omnes eius partes acceptæ, & si esset infinitum in entitate, sic esset totum, & perfectum, quod nec sibi, nec alicui eius aliquid deesset: cùm tamen infinito actuali in quantitate (si daretur) aliquid deesset respectu partium eius. Ens ergo infinitum est, cui nihil entitatis deest eo modo quo possibile est illud haberi in aliquo vno: vel est, quod omne finitum sine vlla porportione excedit. Hinc infert Doctor infinitatem non esse passionem vel proprietatem attributalem entis cui conuenit, sed modum intrinsecum, quia circunscripta quacunque proprietate, vel quasi proprietate, manet infinitas inclusa in entitate. De quo 1.d.8 q. 3.n.17. vide 4. d. 13. q. 1.

a *Tex.63.* DE Primo, *Infinitum* secundùm Philosophum 3. *Physic. est cuius quantitatem accipientibus*, id est, quantuncunq; accipientibus, *semper aliquid restat accipere:* & ratio est quia infinitum in quantitate (sicut loquitur Philosophus) non potest habere *esse* nisi in potentia, accipiendo semper alterum post alterum, & ideò quantumcunque accipiatur illud non est nisi finitum, & quædam pars totius infiniti potentialis, & ideò restat aliquid alterum ipsius infiniti accipiendum. Ex hoc concludit, quòd sicut infinitum habet *esse* in *fieri* & in potentia in quantitate, ita non habet rationem totius: quia totum est, cuius nihil est extra; sed extra illud infinitum, hoc est, extra illud quod habet *esse* de ipso, semper est aliquid extra, nec est perfectum, quia perfectum est, cui nihil perfectionis deest: si isti semper aliquid deest. 2.

Infiniti definitio. *Tex. 63. & inde.* *Infinitū nō est totum.*

Ex hoc ad propositum [b] cōmutemus rationem infiniti in potentia, in quātitate, in rationem infiniti in actu, in quantitate, si posset ibi esse in actu. Si enim nunc necessariò semper cresceret quantitas infiniti per acceptionem partis post partem, sic & imaginaremur omnes partes acceptibiles esse simul acceptas vel simul remanere, haberemus infinitam quantitatem in actu, quia tanta esset in actu, quanta esset in potentia. Et omnes illæ partes, quæ in infinita successione essent reductæ in actum & haberent *esse* post alias, tunc simul essent in actu conceptæ, illud infinitum in actu verè esset totum, & verè perfectum totum, quia nihil sui esset extra; perfectum esset quia nihil sibi deesset: imò nihil posset addi secundùm rationem quantitatis, quia tunc posset excedi.

5. Met. c. 21 & 10. Met. tex. 13. *3. Phys. tex. cap. 69. Infinitum in actu est totum.*

Ex hoc vltrà. Si in entibus intelligamus aliquid infinitum in entitate in actu, illud debet intelligi proportionabiliter quantitati imaginatæ infinitæ in actu, sic vt ens illud dicatur infinitū quod non potest ab aliquo in entitate excedi: & ipsum verè habebit rationem totius, & perfecti. Totius quidem, quia licèt totum infinitum actu in quantitate nulla parte sui, nec etiam parte quantitatis talis, careret, tamen quælibet pars esset extra aliam, & sic totum esset ex imperfectis; sed ens infinitum in entitate sic nihil entitatis habet extra: quia nec eius totalitas depēdet ex aliquibus imperfectis in entitate: Sic enim totum est quod nullam habet partem extrinsecam: quia tunc non esset totaliter totum: ita etiam quamuis infinitum in actu esset perfectum in quantitate: quia sibi secundùm se totum, nihil quantitatis talis deesset: tamen cuilibet parti eius deesset aliquid quantitatis: quæ scilicet esset in altera, nec ipsum esset sic perfectum, nisi quodlibet eius esset imperfectum. Sed ens infinitum sic est perfectum, quòd nec sibi nec alicui, eius deest aliquid. 3.

Speculatio subtilissima. Infinitū in quantitate imperfectū; in entitate perfectum explicatur.

Sic ergo ex ratione infiniti posita *in* 3. *Phys.* 1. applicando secundū imaginationem ad infinitatem actualem in quantitate, si esset possibilis: vlteriùs applicando ad infinitatem actualem in entitate, vbi est possibilis, habemus aliqualem intellectum qualiter concedendum est ens infinitum intensiuè, siue in perfectione, vel in virtute.

Ex hoc possumus ens *infinitum in entitate*, sic describere, quòd *ipsum est cui nihil entitatis deest, eo modo quo possibile est illud haberi in aliquo vno*, & hoc pro tanto additur, quia non potest in se realiter & formaliter per identitatem omnem entitatem habere. Potest etiam describi per excessum ad quodcunque aliud ens finitum sic: *Ens infinitum est quod excedit quodcunque ens finitum, non secundùm aliquam determinatam proportionem, sed vltra omnem determinatam proportionem, vel determinabilem.* 4.

1. Phys. 1. t. 62. & 67. Infinitum in entitate describitur.

Verbi

Verbi gratia, accipiatur hæc entitas *albedo*; exceditur ab alia entitate, quæ est scientia in triplo. Iterum exceditur ab anima intellectiua in decuplo. Iterum à supremo Angelo; esto quòd in centuplo: qualitercunque procedis in entibus, semper esset dare in qua proportione determinata supremum excedit infimum: non quòd ibi sit propriè proportio talis quali vtuntur Mathematici: quia non constat Angelus ex aliquo inferiori cum aliquo addito, cùm sit simplicior, sed intelligendum est hoc secundùm proportionem virtutis, & perfectionis, sicut est excessus in speciebus. Hoc modo per oppositionem, infinitum excedit in entitate finitum vltra omnem proportionem assignabilem. Ex hoc sequitur [d] quòd infinitas intensiua non sic se habet ad ens, quod dicitur infinitum tanquam quædam passio extrinseca adueniens illi enti: nec etiam eo modo quo *verum & bonum* intelliguntur passiones vel proprietates entis: imò infinitas intensiua dicit modum intrinsecum illius entitatis, cuius est sic intrinsecum, quòd circunscribendo quodlibet, quod est proprietas vel quasi proprietas eius, adhuc infinitas eius non excluditur, sed includitur in ipsa entitate, quæ est vnica. Vnde de ipsa entitate præcisissimè accepta, absque scilicet quacunque proprietate, verum est dicere quòd aliquam magnitudinem propriam virtutis habet sibi intrinsecam, & non magnitudinem finitam quia ipsa repugnat sibi: ergo infinitam. Ipsum etiam infinitum præcisissimè acceptum non sub aliqua ratione proprietatis attributalis vt bonitatis, vel sapientiæ potest comparari secundùm ordinem essentialem ad aliqua, quæ excedit, & non secundùm aliquam proportionem determinatam, quia tunc esset finitum: intrinsecus ergo modus cuiuslibet infiniti intensiuè est ipsa infinitas, quæ intrinsecè dicit ipsam esse, cui nihil deest, & quod excedit omne finitum vltra omnem proportionem determinabilem.

De qua proportione vide 2.d.2.q.9.n.10. & 4.d.1.q.1.n.13.& d.49.q.11.n.5.6.

Infinitas nō est passio, sed modus intrinsecus entis cuicōuenit, de quo 1.d.8.q.3.n.17. & seq.

Et istud corollarium confirmatur per Damascenum *c. 7.* vbi ipse vult quòd essentia dicit pelagus substantiæ infinitum & interminatum. Substantia ergo secundùm quòd habet rationem omninò primi in Diuinis, & vocatur ab eo pelagus, sic ipsa est infinita, & interminata; sic autem non includitur in ea nec veritas, nec bonitas, nec aliqua proprietas attributalis; ergò ipsa infinitas est magis modus intrinsecus essentiæ, quàm aliquod attributum. *9. vel Eccl.*

COMMENTARIVS.

1\. *Quid sit infinitum in magnitudine.*

a DE *primo articulo.* In isto articulo tria principaliter facit. Primò, declarat quid sit infinitum in magnitudine. Secundò, quid sit infinitum in entitate, siue quid sit infinitum intensiuè. Tertiò, quomodò infinitas intensiua insit enti infinito. De primo dicit quòd infinitum in magnitudine secundùm Philosophum *tertio Phy. tex. com.* 63. est cuius quantitatem accipientibus semper est aliquid accipere extrà. Et declarat Doctor quomodo debeat intelligi ista descriptio, & dicit, quòd sic intelligitur, *cuius quantitatem accipientibus*, id est, quantumcunque accipientibus semper restat aliquid accipere, loquendo semper de infinito in magnitudine in potentia, & non in actu. Et aliqui exponunt sic, quod infinitum in potentia in magnitudine fit per ablationem partis post partem, semper addendo nouas partes infinito in potentia; puta si *A* debeat esse infinitum, & nunc sit magnitudo cubitalis, semper addetur noua, & noua pars alterius magnitudinis. Et ideo dicit Doctor sic: *Et ratio est, quia infinitum in quantitate, sicut loquitur Philosophus, non potest habere esse, nisi potentia, in accipiendo semper alterum post alterum*, vt suprà expositum est, scilicet accipiendo ab vna magnitudine, & addendo alteri magnitudini, quia in actu non inuenitur magnitudo infinita extensiuè. Siue etiam semper nouam, & nouam magnitudinem causando & addendo semper. *Et ideò quantumcunque accipiatur*, scilicet, vel ab alia magnitudine, vel nouum, & nouam causando, *illud*, scilicet, quod est infinitum in potentia, *non est, nisi finitum, & quadam pars totius infiniti potentialis*, patet quia si *A* cubitale fiat infinitum per additionem alterius, & alterius partis, quacunque addita ipsi *A*, adhuc erit infinitum, quia semper restat aliquid accipiendum, & ipsi *A* addendum, imò quibuscunque partibus additis & signatis adhuc semper restant partes accipiendæ, & addendæ, & ideò semper *A*, erit finitum, & per consequens erit pars totius infiniti in potentia. Ex hoc Philosophus *tertio Physic. text. comment.* 63. concludit quòd sicut infinitum habet *esse* in *fieri*, & in potentia in quantitate, ita non habet rationem totius, quia *totum est, cuius nihil est extra*, nec est perfectum, quia *perfectum est, cui nihil perfectionis deest*, sed isti semper aliquid deest. De hoc vide quæ dixi in secundo Metaphysicæ Doctoris.

infinitum in quanti. act.

2\. *Quid sit infinitum in actu.*

b *Ex hoc ad propositum.* Præmisit ergo Doctor rationem infiniti in quantitate, vt per illam aliqualiter deueniamus in rationem infiniti in entitate, siue infiniti intensiuè. Dicit ergo, quòd *ens infinitum in actu est illud, quod non potest ab aliquo excedi in entitate*, &c.

3\. *Duæ descriptiones entis infiniti.*

c His præmissis Doctor infert duas descriptiones entis infiniti in entitate. Prima, *Ens infinitum est, cui nihil entitatis deest eo modo,* quo

quo poss.bile est illud haberi. secunda. *Ens infinitum est, quod excedit quodcunque ens finitum, non secundùm aliquam determinatam proportionem, sed vltra omnem determinatam proportionem, vel determinabilem.* Aduerte, quòd proportio in quantitate, puta in numero vbi est maior proportio, semper continet minorem, puta si *A* se habet ad *B*, in proportione dupla, vt octo ad quatuor, octo continet quatuor. Similiter si est proportio in magnitudine molis, vt si vna linea se habeat in proportione decupla ad aliam lineam, tunc realiter continet plures partes non proportionales, cùm vtraque sit diuisibilis in infinitas partes, vt patuit *in secundo, distinct. 2. quæst. 9.* sed plures partes continet quantitatiuas. Sed proportio in entitatibus, vt cùm dicimus, quòd Angelus excedit hominem in duplo, intelligimus sic, quòd Angelus non contineat entitatem hominis formaliter, sed quòd assignata tali perfectione intensiua in homine; adhuc Angelus excedit ipsum in perfectione in duplo, & sic de aliis. Sed nullum finitum quantumcunque perfectum potest proportionari secundùm perfectionē infinito intensiuè, vt patet.

Quomodo infinitum excedat finitum.

Quomodo Angelus excedat hominem.

d *Ex hoc sequitur, quòd finitas intensiua,* &c. Doctor ex præmissis infert, quòd infinitas intensiua non est passio extrinseca, puta realiter distincta à subiecto, de qua dixi in prologo, quæstione tertia, respondendo ad rationes Gregorij & Ocham, & Alphonsi; nec etiam est quasi passio sicut bonum, & verum quasi sunt passiones entis, quæ nullo modo distinguuntur realiter ab ente, & hoc probat, quia circumscripta per possibile, vel impossibile omni passione, vel quasi passione ab ente infinito, adhuc infinitas inest, patet quia vt sic, præcisè acceptum, non sub aliqua ratione proprietatis attributalis, vt bonitatis & sapientiæ, potest comparari secundùm ordinem essentialem ad aliqua, quæ excedit, & tamen secundùm aliquam proportionem determinatam, quia tunc esset finitum. Dicit ergo infinitas modum intrinsecum illius, cuius est, quæ infinitas dicit intensiuè ipsum esse, cui nihil deest, & excedit omne finitum vltra omnem proportionem determinabilem.

S C H O L I V M.

Hîc non quæritur: An relatio sit eadem realiter infinite, quia supponitur, quòd sit eadem essentia ex 1. dist. 2. qu. 7. num. 43. Et dist. 8. q. 4. Et 2. d. 1. q. 4. sed quæritur vtrum secundùm suam propriam entitatem, vt distinguitur ab essentia sit infinita. Vnde non rectè respondetur esse infinitam, quia essentia cui identificatur est infinita, quia infertur formalis prædicatio infinitatis de relatione ex identica prædicatione, quod est fallacia. de quo 1. distinct. 2. quæst. 7. & d. 5. qu. 1.

Viso de infinito e de hoc, quod quæritur videamus, scilicet si relatio formaliter posset esse infinita. Hoc enim non est quærere, si relatio sit eadem realiter alicui infinito, de quo non est dubium communiter loquendo: quia realiter est eadem essentiæ: nec etiam est quærere, si relatio sit per identitatem illud infinitum, sed est quærere si relatio formaliter, hoc est secundùm suam entitatem propriam, quæ est entitas ad alterum, sit infinita intensiuè infinitate illius entitatis, hoc est si entitati propriæ huius paternitatis, vt est entitas propria huius paternitatis, sit infinitas intensiua modus per se intrinsecus: ita per se intrinsecus quòd non tantum ratione alicuius alterius quod sit realiter illi entitati idem, sed non includendo aliquam identitatem nisi istam: imò circunscribendo quodlibet præter istam ad alterum adhuc esset entitas illa, quæ est ad alterum intensiuè infinita in seipsa. 5.

Expositio subtilissima quæstionis proposita.

Ex hoc patet statim, quòd responsio illa, quæ communiter datur non est ad quæstionem, vt pote dicendo quòd relatio originis est infinita formaliter, quia essentia est infinita, & illa relatio est essentia; non enim quæritur si sit per identitatem aliqua res, quæ sit formaliter infinita: sed quæritur an ipsa per se primo modo sit illa res, cuius modus per se intrinsecus sit infinitas. Et ideò si sic arguitur, diuinitas est infinita, paternitas est diuinitas, ergo, &c. Patet quòd argumentum non concludit: quia maior est vera de prædicatione formali; minor autem non nisi de prædicatione per identitatem; paternitas est deitas, secundùm omnes, ergo non potest inferri conclusio, in qua est prædicatio formalis, quia non potest maior identitas concludi in conclusione extremorum, quàm sit identitas eorum ad medium in præmissis. Vnde ex altera de necessario, & altera de contingenti, non sequitur conclusio nisi contingens vel vnio contingens extremorum; nisi autem in conclusione haberetur prædicatio formalis huius, scilicet, *paternitas est infinita*, non haberetur propositum: sicut patet per intellectum priùs expositum, quia non haberetur nisi quòd per identitatem est res quædam, quæ est infinita.

Ex contingenti & necessariò, non sequitur nisi contingens.

Si autem intendas concludere prædicationem formalem: & non tantùm per identitatem, ibi esset commutatio prædicationis identicæ in prædicationem formalem: & ideò in illatione est fallacia figuræ dictionis; commutatur enim *quale quid* in *hoc aliquid* 6.

aliquid, id est, interpretatur medium, quod est *quale quid*, esse *hoc aliquid*: quia sicut ille, qui ex medio dicente *quale quid*, infert medium dicens *hoc aliquid*: ita hic ex vi illationis talis prædicationis formalis, intendit inferre, ac si esset *hoc aliquid* ex vi illationis, quæ aliter non teneretur: altera autem non fuit vera, nisi per identitatem, ergo commutans prædicationem per identitatem, in formalem, videtur interpretari vtramque prædicationem in præmissis fuisse formalem: sed non est ibi prædicatio formalis, quia non potest illa minor verificari nisi per prædicationem identicam.

Potest autem breuiter dici, quòd conclusio ista, *paternitas est infinita*, propriè loquendo, non est vera: & ratio est ex modo significandi formali adiectiui: quia significat formam, vt forma est eius de quo dicitur, propter istam proprietatem, adiectiuum non potest prædicari nisi prædicatione formali: & tunc inferendo ex præmissis erit fallacia figuræ dictionis, secundùm modum prius assignatum: si ergo infinitum non dicitur formali prædicatione de paternitate simpliciter: conclusio est falsa: sic ergo intelligendo conclusionem de identitate reali alicuius infiniti ad paternitatem, tantummodò debet inferri hæc conclusio, scilicet quòd paternitas est aliquid. quod est infinitum: sed quæstio habet specialem difficultatem secundùm quòd alio modo intelligitur, scilicet de infinitate, quæ sit formalis modus intrinsecus paternitatis secundùm suam entitatem.

Paternitas non est infinita, est tantum id quod est infinitum.

COMMENTARIVS.

e Visio esse infinito. Nunc Doctor quærit de relatione originis an sit formaliter infinita, & non quæritur hîc an sit per identitatem realem infinita, quia hoc non est dubium, cùm sit idem realiter essentiæ diuinæ; sed quæritur an ipsa in sua formalitate, & quiditate accepta, & vt suo modo ab essentia distincta sit formaliter infinita, & sic intelligitur quæstio. Ex hoc apparet, quod responsio illa, quæ communiter datur, non est ad quæstionem, vtpote dicendo, essentia est infinita formaliter; relatio originis est essentia; ergo relatio originis est infinita formaliter. Patet quod non sequitur, quia maior est vera prædicatione formali: secunda vero tantum est vera prædicatione identica, quæ prædicationes quomodo distinguuntur, vide quæ prolixè exposui *in primo, dist. 5. quæst. 1.* & sic ex his propositionibus non potest inferri conclusio, in qua sit prædicatio formalis, quia non potest maior identitas concludi in conclusione extremorũ, quàm sit identitas eorum ad medium. Et hoc est expositum in primo *d. 2. q. 1. secundæ partis, exponendo primum argumentum principale.* Et cùm dicit de fallacia figuræ dictionis, vide expositionem in primo *vbi suprà* respondendo ad primũ.

3.

Circa aliqua dicta in isto articulo occurrunt aliqua dubia. Primum in hoc quod dicit, *Ens infinitum sic est perfectum, quod nec sibi, nec alicui eius deest aliquid*, ex quo dicto habetur quod sicut ens aliquod est formaliter infinitum, ita quodlibet eius erit formaliter infinitum, aliter aliquid sibi deesset in entitate. Contra hoc sic intellectum instatur, vt clariùs intelligatur, & ostendo quod posito aliquo ente infinito intensiuè, quod ex hoc non sequatur quodlibet illius entis esse formaliter infinitum. Et primo instatur, quia infinitum intensiuè constat ex gradibus perfectionalibus, & constat ex infinitis gradibus, sicut etiam ens intensum vt octo constat ex octo gradibus. Sed certum est quod non quilibet gradus est formaliter infinitus, vt patet: ergo non quodlibet entis infiniti erit formaliter infinitum.

Dubia declaratiua litera.

Secundò instatur, & pono per possibile, vel impossibile, quòd sit albedo intensionis infinitæ in actu, quia etiam secundùm aliquos, vt Ocham *in 3.* potest intendi in infinitum, modò ponatur per possibile, vel impossibile, talis potentia in actu: tunc sic; non quodlibet albedinis erit formaliter infinitum: patet, quia entitas, à qua accipitur genus, puta color, non erit formaliter infinita, cùm sit in potentia ad vlteriorem perfectionem, scilicet ad differentiam. Similiter, nec differentia erit formaliter infinita, cùm sit pars essentialis albedinis; modò parti nõ conuenit infinitas, cũ omnis pars sit imperfecta, hoc patet à Doctore *in 1. d. 8. q. 2.*

Opinio Ocham.

Tertio instatur, & pono per impossibile, vel possibile, quod sit albedo intensiuè infinita extensa super quanto, sequitur quod sit partibilis in infinitas partes, vt patet à Doctore *in secundo dist. 2. q. 7.* Sed quælibet pars integralis eius, non erit formaliter infinita. Tum, quia repugnat parti infinitas, vt patet à Doctore *in primo, dist. 8. q. 2.* Tum, quia sequeretur quòd actu possent esse entia infinita in infinitum, quia talis albedo esset diuisibilis in partes infinitas in infinitum, vt patet à Doctore *in secundo, d. 2. q. 7.*

Quartò instatur, & pono quòd in ente infinito sint formaliter aliqua plura saltem ex natura rei distincta, quod fortè est de facto in Deo: tunc quæro an sit eadem penitus infinitas illorum distinctorum, an distinctæ infinitates? non eadem, quia ex quo infinitas est gradus intrinsecus, sequitur quòd distinctæ entitates habeant distinctas infinitates, vt gradus intrinsecos. Non distinctæ infinitates, quia tunc in eodem ente quiditatiuè sumpto, essent plures infinitates intrinsecæ, & sic esset maius infinito, quod est impossibile.

Quintò instatur, quod non sequatur quodlibet eius *esse*, esse formaliter infinitum, quia pono quod *A* sit infinitum intensiuè, tunc quacunque entitate data pertinente ad *esse* ipsius *A* nullo modo erit infinita: patet, quia quacunque data, haberet rationem partis, cui repugnat infinitas intensiua.

Secundo principaliter instatur, contra hoc quod dicit, quod infinitas intensiua sit gradus intrinsecus entis cuius est, ex quo dicto suppono quod nõ sit de ratione quiditatiua talis entis, puta Dei, quia secundũ Doct. gradus intrinsecus non est de

4.

Opinio aliorum. quiditate illius, cuius est gradus. Sed modò ostendo (propter aliquos, qui videntur tenere, quòd infinitas non sit gradus intrinsecus, sed quòd sit de essentia Dei) quòd sit de quiditate Dei, vt clariùs cognoscatur oppositum in soluendo rationes istas, quas nunc facio. Primo arguo sic; circunscripta infinitate à Deo, nullo modo differt ab omni ente finito, nam per solam infinitatem, videtur differre quiditatiuè ab omni ente finito.

Secundò instatur; quia vult Doctor *in primo, dist.* 1. *q.* 2. *& in quarto, d.* 49. quòd Deus sub ratione deitatis sit obiectum beatificum, & *in* 4. *d.* 49. *& in primo, dist.* 1. *q.* 1. probat quòd voluntas non potest perfectè quietari, nisi in ente infinito, & sub ratione infiniti, vt patet *in* 4. *dist.* 49. ergo infinitas videtur de mente Doctoris quòd sit idem formaliter cum Deo.

Quomodo essentia diuina sit communicabilis. Tertio instatur, quia Doctor *in* 1. *dist.* 28. vult quòd essentia diuina sit tribus communicabilis ratione suæ infinitatis, & per consequens probatur à priori ipsam esse cõmunicabilem ratione infinitatis; ergo infinitas est formaliter idẽ deitati.

Quartò instatur, quia Doctor *in præsenti articulo* dicit quòd essentia præcisissimè sumpta, cõparatur secundùm ordinem essentialem ad alia, & vt sic, excedit alia infinitate: modò ordo essentialis, qui respicit essentiam præcisissimè, respicit eam, vt præcisè quiditatiuè sumptam.

Quintò instatur, quia ens quantum prima suî diuisione diuidatur in ens infinitum, & finitum: quæro modo de infinitate contrahente ens, aut est intrinseca quiditatiuè deitati, aut non? Si primò, habetur intentum: si secundò, ergo ipsa infinitas præcisè inest enti absolute, & non Deo immediatè. Si dicatur quòd aduenit Deo immediatè, ergo cùm Deus sit ens quiditatiuè, vt patet à Doctore *in primo, d.* 3. *&* 28. ipsum ens contraheretur, ad Deum per aliquid aliud, quàm per infinitatem, & sic prima sui diuisione ens quantum non diuideretur in ens finitum, & infinitum.

Sextò instatur, quia Deus sub ratione deitatis est mensura quiditatiua, mensurans quiditatiuè omnem quiditatem, vt patet à Doctore *in* 1. *d.* 8. *q.* 2. quæ quiditates dicuntur quiditatiuè mensurari, secundùm quòd magis, vel minùs appropinquant deitati sub ratione deitatis: sed circunscripta infinitate intensiua non mensuraret quiditatiuè alias quiditates; ergo infinitas videtur pertinere ad *esse* quiditatiuum Dei.

Quomodo sit intelligendũ dictum Aristotelis. Confirmatur, quia secundùm Philosophum 10. *Metaph.* in vnoquoque genere est vnum, quod est metrum omnium illius generis. Et Doctor *in primo, d.* 8. *q.* 2. dicit quòd hoc intelligitur non de vnitate in se, sed de natura, cui inest vnitas talis, & hoc idem *in secundo, d.* 3. *q.* 1. vbi vult quòd natura specifica quiditatiuè mensuret, &c. homo ergo in genere animalis sub ratione sua quiditatiua mensurat omnia animalia, quia excedit omnia illa in perfectione quiditatiua; ergo à simili de Deo videtur dicendum.

Septimò instatur, si infinitas non esset de quiditate Dei, sequitur quòd Deus perfectè quiditatiuè, posset intelligi circunscripta infinitate, & per consequens perfectè amari, & sic esse amabile in summo, cùm idem sub eadem ratione formali sit obiectum intellectus, & voluntatis, vt patet à Doctore *in* 1. *d* 3. *q.* 4. *& in* 4. *dist.* 49.

5. Tertiò principaliter dubitatur in hoc, quod dicit Doctor, scilicet quòd *infinitas intensiua non est passio, nec quasi passio.* Instatur primò, probando quòd sit passio, vel quasi passio, quia demonstratur de Deo per aliquid prius, vel saltem est demonstrabilis, vt patet à Doctore *in* 1. *dist.* 2. *q.* 2. vbi probat quòd hæc non sit per se nota, *ens infinitum est*, cùm non sit per se notum extrema vniri, scilicet *ens*, & *infinitas*, & vltrà dicit quòd demonstratur; ergo habet rationem passionis, vel quasi passionis.

Secundò instatur sic; infinitas inest soli Deo, & semper, & conuertibiliter, & non est definitio eius, nec vltima differentia, cùm non sit de quiditate eius; ergo est eius passio, vel quasi passio. Hoc modo arguit Philosophus.

Tertiò instatur, infinitas intensiua est medium ad demonstrandum aliquas proprietates de Deo, vt patet à Doctore *in prolego, quæst.* 3. & non est de quiditate Dei; ergo erit saltem quasi passio prior.

Quartò instatur, quia si infinitas esset realiter distincta à Deo, esset causata, & per consequens passio; ergo vbi ex natura rei distinguitur à Deo, & non est de ratione Dei, erit quasi passio. Sic enim arguit Doctor *in prologo, q. de subiecto Theologiæ*, vbi probat attributa esse quasi passiones.

Respondeo ad omnes obiectiones, contra dicta Doctoris in isto primo articulo. Ad primum dico, quòd circunscripta infinitate, adhuc Deus formaliter, & quiditatiuè distingueretur ab omni ente infinito, ita quòd entitas Dei, vt præcisè talis entitas, esset ratio quiditatiua, & essentialis distinguendi ipsum Deum essentialiter, & quiditatiuè ab omni ente finito: sicut etiam entitas vnius entis finiti est ratio distinguendi essentialiter puta humanitas ab entitate asini finita, & non gradus intrinsecus humanitatis (nec enim finitas in homine, quæ ponitur gradus intrinsecus, est ratio distinguendi quiditatiuè) cùm consequatur entitatem quiditatiuam. Confirmatur responsio ista, quia homo sub ratione finiti non dicitur distingui essentialiter à Deo infinito, imò humanitas est ratio formalis sic distinguendi; ergo nec è conuerso infinitas intensiua erit ratio distinguendi. 6. *Responsio ad dubia.*

Si dicatur, si circunscripta infinitate, Deus essentialiter distinguitur ab ente finito, quæro tunc an ipse Deus, vt sic distinctus, dicat aliquem gradum perfectionis, aut non? Si primò, illa perfectio non erit limitata, sed infinita; ergo infinitas erit sibi intrinseca formaliter, & quiditatiuè, quod est propositum. Si secundò, ergo non erit magis perfectus, quàm lapis, imo nullo modo perfectus.

Respondeo, quòd aliud est loqui de gradu perfectionis specifico, & aliud de gradu perfectionali consequente naturam indiuidui, de quibus aliàs dixi. Potest enim considerari albedo secundùm perfectionem, quiditatiuam, & specificam, & vt sic albedo est quiditatiuè perfectior nigredine. Potest etiam considerari hæc albedo vt octo & sic intensiuè est perfectior albedine vt sex. Dico ergo quòd Deus circunscripta infinitate intensiua, diceret præcisè perfectionem talis gradus specificè, tamen vt sic consideratus, non perfectè consideraretur; vt patet à Doctore *in primo, dist.* 8. *quæst.* 2. *Responsio.*

Ad secundũ. Dico breuiter, quòd sic Deus sub ratio *Ad secundũ.*

Ad secundũ. ratione deitatis est obiectum beatificum, quod tamen actu non beatificat, nisi vt actu infinitus intensiuè, sicut dicimus quòd albedo secundùm suam rationem formalem est ratio mouendi visum: non tamen habetur perfecta visio, nisi terminetur non ad albedinem, vt præcisè quidditatiuè sumptam, sed vt sic intensam. Sic dico in proposito, quod quamuis sit deitas ratio formalis obiecti beatifici, nunquam tamen perfectè beatificat, nisi includendo infinitatem intensiuam, quia si conciperetur præcisè, vt circunscripta infinitate, tunc imperfectè conciperetur, quia non conciperetur secundùm perfectionem suam intrinsecam: sicut concipiendo hanc albedinem præcisè, non perfectè concipit, nisi concipiat secundum eius imperfectionem intensiuam. Requiritur ergo infinitas intensiua, non vt ratio formalis obiecti beatifici, nec vt aliquid pertinens ad rationem formalem; sed requiritur, vt conditio obiecti beatifici, quâ conditione remotâ, non perfectè quietaret, nec beatificaret. Hoc etiam magis patet in creaturis, vbi ratio formalis, & quidditatiua, puta hominis, est ratio mouendi intellectum ad cognitionem intuitiuam hominis, nunquam tamẽ erit cognitio intuitiua, nisi terminetur ad hominem existentem, & præsentem; existentia ergo requiritur, vt cõditio obiecti nõ vt ratio formalis. Concedo ergo, quòd dicit Doctor, scilicet quòd Deus sub ratione deitatis est ratio formalis obiecti beatifici, non tamen actu beatificat, nisi vt formaliter infinitum: & sic loquitur *in primo, d.* 1. *q.* 1. quòd voluntas non finitur ordinatè nisi obiecto infinito, nec potest perfectè quietari, nisi in obiecto formaliter infinito, licet infinitas non sit ratio formalis quietandi, imò Deus sub ratione deitatis.

Obiectio contra responsionem. Posset etiam dici, quòd ideo Deus sub ratione deitatis est obiectum beatificum, quia vt sic, est talis entitas, cui primò, & immediatè, & vt fundamento, & origini omnis perfectionis intrinsecè conuenit. Si dicatur, quòd etiam videtur quòd Deus non beatificet nisi vt bonus formaliter, & vt infinite bonus, quia bonitas etsi non sit ratio formalis obiecti beatifici, tamen ita videtur vt conditio obiecti beatifici, sicut etiam infinitas intensiua. Dico quòd non est simile de bonitate infinita, & de infinitate intrinseca deitati, quia circunscripta bonitate infinita, adhuc Deus perfectissimè quietaret, & beatificaret, quia intrinsecè est ens perfectè infinitum, quæ infinitas est intrinseca deitati. Sed circunscripta infinitate non beatificaret perfectè, quia si deitas est ratio formalis obiecti beatifici, nunquam tamen beatificaret, amota infinitate intrinseca.

8. *Ad tertium.* Ad tertiũ. Dico, quòd si deitas sit ratio formalis demonstrandi hanc proprietatem, scilicet esse cõmunicabile tribus in vnitate naturæ, & non infinitas intensiua; ista tamen proprietas nunquam perfectè inest, nisi propter infinitatem intensiuã, ita quòd talis infinitas non requiritur, vt ratio formalis, sed vt conditio obiecti perfectè communicatiui, & sic Doctor *in* 28. *d. primi*, intelligit quòd infinitas intensiua est conditio obiecti perfectissimè communicatiui: & hoc patet, quia intellectus paternus, nisi cognosceret Deum, vt infinitum tunc non haberet memoriam perfectam, nec obiectum perfectè intueretur, nec diceretur perfectè communicari. Dico secundò quòd Deus sub ratione deitatis, quia est talis entitas, cui immediatè, & soli inest infinitas intensiua, omnino est tribus communicabilis, & sic Doctor intelligit *in primo, d.* 28.

Ad quartum. Dico breuiter primò, saluo semper meliori iudicio, quòd Deus sub ratione deitatis, & non sub ratione infinitatis intensiuè, vt comparatur ad alia entia, excedit omnia illa secũdùm suum gradum merè specificum, & vt sic, posset dici mensurare quidditatiuè omnia entia, quia illa species, quæ esset propinquior secundùm gradum specificum, esset specificè perfectior, & hoc modo posset Deus sub ratione deitatis dici mensura essentialis omnium quidditatum, non tamen diceretur perfectissimè mensurare, nisi esset actu infinitus intensiuè. Dico secundò, quòd aliud est Deũ comparare vt mensuram ad omnes quidditates, vt præcisè sumptas abstractas ab omni gradu intensiuæ perfectionis, relinquẽdo ipsas præcisè secundùm gradus earum specificos; & aliud est ipsum comparare ad entia perfecta secundùm eorum gradùm intrinsecum. Primo modo Deus poneretur mensura præcisè essentialis, & quidditatiua, & vt sic, mensuraret omnia entia præcisè considerata secundùm gradum specificum. Secundo modo, poneretur mensura perfecta simpliciter mensurans omnia entia secundùm gradus perfectionales intrinsecos: non posset ergo isto secundo modo comparari ad perfectionem aliorum entium, nisi ipsum considerando, vt perfectum intensiuè & vt infinitum. *Ad quartum* *Nota & bene.*

9. *Ad quintum.* Ad quintũ Dico, quòd ista diuisio entis quãtũ in ens infinitum, & finitum est diuisio secundùm gradum intrinsecum, & nõ secũdùm aliquid pertinens ad quidditatem, sicut etiam diuisio entis per actum, & potentiam, necessarium, & contingens. Cùm infertur, ergo datur alia prior diuisio, dico quod ens nunquam contrahitur per differentias specificas, & hoc immediatè. Dico vltra, quòd ens, etsi prædicatur in *quid* de Deo, non tamen ponitur de quidditate Dei, nec propriè dicitur contrahi ad ipsum Deum, vt prolixè exposui *in primo, d.* 2. *q.* 1. in illa ratione qua probatur, quòd non possunt esse plura necesse esse, vide ibi.

Ad sextum, dico, vt dixi ad tertium. *Ad Sextum.*

Ad confirmationem de homine, patet ex dictis ad tertium.

Ad septimum. Dico, quòd etsi sola Deitas sit perfectissima ratio cognoscibilitatis, & amabilitatis, vt patet à Doctore *in tertio, dist.* 27. quia vt sic, est talis entitas, cui primò nata est inesse infinitas intensiua, vt gradus intrinsecus, non tamẽ perfectè terminaret visionem nisi terminaret, vt infinitus, nec perfectè terminaret actum amoris nisi, vt ens infinitum; infinitas ergo requiritur, vt conditio obiecti perfectè visibilis, & perfectè amabilis. Et dicitur deitas perfectissima ratio, quia ratio quidditatiua, & quia talis quidditas immediatè includit infinitatem intensiuam, vt gradum sibi intrinsecum. *Ad septimum.* *Ad obiectiones contra primum dictum.*

10. *Responsio ad primum.* Nunc respondeo ad obiectiones contra primum dictum. Ad primum dico, quòd aliud est loqui de infinitate in se formaliter, & aliud de ente, cui inest talis infinitas. Sicut aliud est loqui de albedine absolutè, cui inest intensio; & aliud de ipsa intẽsione formaliter, puta de intensione vt octo. Loquendo de intensione infinita formaliter, concedo quòd infinitas formaliter includit infinitos gradus perfectionales, & concedo quòd quocunque gradu assignato (si tamen esset assignabilis secundùm cõsiderationem, quia in re est impossibile) ille gradus non esset infinitus tamen tota infinitas

infinitas inest enti infinito,ita quòd nihil est entis infiniti quin sit formaliter infinitum. Dicit ergo Doctor quòd quodlibet pertinens ad entitatem quiditatiuam entis infiniti, est formaliter infinitum,& non quòd quilibet gradus infinitatis intensiuè sit formaliter infinitus.Sicut si albedo esset intensa vt octo, quacunque parte illius assignata esset intensa vt octo non tamen quilibet gradus intensionis esset intensus vt octo. Dico vltrà, quòd in infinitate intensiua non sunt gradus perfectionis, aliquo modo distincti extra opus intellectus,licèt fortè secundùm considerationem possent distingui per comparationem ad gradus intensionis in creaturis.

Ad secundum. Ad secundum dico, quòd casus est simpliciter impossibilis.Tamen casu per impossibile admisso, dico primò,quòd albedo nullo modo esset in genere,& posito quòd sit in genere, diceretur quòd entitas à qua accipitur ratio generis, & entitas à qua accipitur ratio differentiæ,non essent formaliter infinitæ, quia haberent rationem partis, & tamen albedo, & quicquid in ipsa est formaliter albedo,esset formaliter infinita, quia quacunque minima parte albedinis assignata,esset formaliter infinita. Dico etiam quòd non esset inconueniẽs tales entitates, scilicet generis, & differentiæ si ponerentur infinitæ, & cùm dicitur quòd haberent rationem partis, concedo, & cùm dicitur quòd parti repugnat infinitas. Dico quòd non est inconueniens vnum impossibile sequi ad aliud impossibile: imò est magis impossibile albedinem esse formaliter infinitam, quàm ipsam,vt infinitam positam habere partes quiditatiuas, etiam formaliter infinitas. Potest etiam dici quòd illæ entitates non essent formaliter infinitæ, sed tantùm per identitatem, quam haberent cum albedine. Dico vltimò, quòd aliud est loqui de infinito simpliciter,quod simpliciter est illimitatum, in quo ponitur omnis perfectio virtualiter,& eminenter;& aliud est loqui de infinito intensiuè in genere, vt si poneretur albedo infinita in genere,Primo modo excludit omnem imperfectionem:secundo modo non videtur sic excludere, quia quamuis albedo poneretur intensiuè infinita:tamen si poneretur causati ab alio includeret hanc imperfectionem, quæ esset ad aliud dependere.

12. *Ad tertium.* Ad tertium,dico primò,quòd casus est impossibilis ponere ipsam formaliter infinitam, & extẽdi,& dependere ad quantitatẽ:tamen posito hoc, dico quòd quælibet eius pars integralis esset infinita, quia albedo extensa est ita intensiuè in vna parte,sicut in alia,vt exposui *in 2.d. 2. q. 9. & in primo,d.2.q.1*.Et cùm infertur, quòd esset pars. Dico,quòd accideret sibi esse partem integralem, quia tantùm ratione quantitatis,in qua esset formaliter,imò separata albedine â quantitate,tũc in ea non est assignabilis aliqua pars. Et posito etiam quòd esset talis imperfectio, fortè non haberetur pro inconuenienti ponere talem imperfectionem in ente infinito non simpliciter, vt suprà dixi. Et cùm vltrà infertur,quòd tunc essent plura infinita intensiuè. Dico quòd stante primo impossibili,non sequitur inconueniẽs, posse ponere plura talia propter diuisionem talis infiniti in partes integrales. Et vltrà dico, quòd non esset ita inconueniens ponere plura talia infinita intensiuè, sed benè esset inconueniens ponere plura infinita simpliciter, vt plures Deos.

Ad quartum dico, quòd casu posito (puta si intellectualitas aliquo modo præter opus intellectus esset distincta à Deo) vtraque entitas esset formaliter infinita, & cùm quæritur, an eadem infinitate, an alia, & alia: Dico, quòd eadem realiter, & formaliter,sed alia, & alia ex natura rei,sicut etiam ponuntur attributa habere aliam, & aliam infinitatem formaliter, sicut patet *in primo dist.8. quæst. 3.* 13. *Ad quartum.*

Ad vltimum. Dico breuiter,quòd in tali ente intensiuè infinito,nihil est ibi habens rationẽ partis,nec quasi partis, quicquid est ibi quiditatiuè est perfectissimè idem formaliter,vt aliàs exposui.

Ad instantias tertij dubij, siue contra tertium dictum. Ad primam dico, quòd posito quòd ipsa infinitas demonstretur inesse enti infinito, etiam à priori,propter hoc non sequitur ipsam esse passionem,vel quasi passionem,quia requiritur quòd passio vel sit realiter, vel formaliter distincta à subiecto,& non sit gradus intrinsecus. Dico secundò,quòd non dicit Doctor quòd demonstrari possit infinitas de ente aliquo, sed quòd ista non sit per se nota, id est, ens infinitum est, quia est demonstrabile ens infinitum esse, posito tamen quòd non possit aliquo modo demonstrari, verum est,quòd non est per se notum.

Ad secundum dico, quòd vltra omnes illas conditiones requiritur quòd non sit gradus intrinsecus,nec attributum, nec quasi attributum: modò infinitas est præcisè gradus intrinsecus.

Ad tertium dico, quòd infinitas est ratio demonstrandi aliquas proprietas ad intra, tantùm quo ad nos,& nõ absolutè,vt exposui *in prologo, q.3.* vide ibi etiã contra Ioannẽ Anglicũ Baconẽ.

Ad quartum. Dico primo, quòd implicat gradum intrinsecum causari,vel quasi causari. Et secundò dico,quòd hoc posito,adhuc non sequitur esse passionem, vel quasi passionem, cùm nullo modo dicat distinctam formalitatem, sicut dicunt attributa.

SCHOLIVM.

Paternitas (idem est de aliis relationibus personalibus) non est formaliter infinitas probatur tribus rationibus. Prima, quia sunt relationes originis; sed non possunt esse plura formaliter infinita realiter distincta: ergo. Maior est clara, & minor triplici via suadetur, prima comparando illa inter se omnem perfectionem simpliciter possibile est haberi in vno, quia nihil est summè perfectum, cui aliqua perfectio deest, & omnis perfectio simpliciter compossibilis est cum omni perfectione simpliciter, de quo 1. d. 2. q. 2. Secundò, comparando infinitum intensiuè ad entia finita generaliter, quia vnum infinitum determinat dependentiam omnium finitorum, quàm plura infinita terminare nequeunt, quia nullum eorum sufficienter terminaret, de quo 5. dist. 1. qu. 2. & 1. dist. 3. qu. 4. & dist. 20. qu. 20. Item in entibus ascendendo secundum ordinem essentialem itur

itur ad vnitatem, de quo latè Doct. 1. dist. 2. q. 2. & 4. Tertia via ex comparatione infiniti ad intellectum & voluntatem Dei, quia plura obiecta infinita non possunt satiare vel beare has potentias, quia vnum obiectum infinitum est ipsis adæquatum seu primum primitate adæquationis virtutis & perfectionis. Hanc rationem latè & pulcherrimè prosequitur, explicat & vrget. vide eum de obiecto intellectus 1. d. 3. q. 3. n. 20.

7. DE secundo articulo [f] teneo hanc conclusionem secundùm quòd expositum est, Paternitas non est formaliter infinita. Et ad hoc sunt tres rationes. Prima ratio sumitur ex entis infiniti vnitate; Secunda ex eius communicabilitate: Tertia ex eius simplicitate, & incompossibilitate. Si quidem ens infinitum intensiuè, est vnicum implurificabile, & non artatum, sed communicabile, & cuicunque incomponibile. *Concl. art. secundi. Paternitas non est formaliter infinita 1. d. 13. n. 9. & 4. d. 13. q. 1. n. 32. & 1. d. 26. n. 36.*

Prima ratio sic formatur. Non possunt esse plura realiter distincta, & formaliter infinita: plures sunt relationes originis realiter distinctæ: ergo non sunt formaliter intensiuè infinitæ: nec per consequens aliqua illarum: quia qua ratione vna, & quælibet alia: Minor probatur, primò comparando ista plura inter se. Secundò, comparando infinitum intensiuè ad entia finita generaliter, & Tertiò ad intellectum, & voluntatem specialiter. Primò sic: [g] Infinito nihil perficit entitatis eo modo quo possibile est illud haberi in vno; sed omnem perfectionem simpliciter possibile est realiter, & per identitatem haberi in vno summè perfecto: infinitum ergo habet in se realiter & per identitatem omnem perfectionem simpliciter, sed non habet in se realiter, & per identitatem illud, quod realiter est distinctum ab eo, ergo ab infinito nulla perfectio simpliciter, siue nullum perfectum simpliciter potest esse realiter distinctum, esset autem perfectio simpliciter distincta realiter, si esset aliud infinitum realiter distinctum. *Infinito pluraliter distincta, esse non possunt. Omnis perfectio simpliciter haberi potest in vno simpliciter perfecto.*

8. Habemus ergo maiorem, quòd non possunt esse infinita plura realiter distincta. Sed in probatione illa maioris, secunda propositio videtur esse probanda, scilicet, quòd possibile est omnem perfectionem simpliciter per identitatem haberi in summè perfecto Probatur ergo sic: quia nihil est summè perfectum, cui deficit aliqua perfectio simpliciter, quod probatur, quia nulla perfectio simpliciter est incompossibilis alteri perfectioni simpliciter, & si non posset quælibet haberi in summè perfecto, hoc esset propter aliquam incompossibilitatem earum. Assumptum, scilicet, quòd nulla sit incompossibilis alteri, probatur per rationem perfectionis simpliciter, quia enim ipsa est melior in quolibet, quàm non ipsa, hoc est quàm quodlibet incompossibile sibi, sicut exponitur dictum Anselmi in ratione secunda principali huius articuli, si sint ergo duæ perfectiones simpliciter incompossibiles inter se, dicantur *A*, & *B*: *A* erit in quolibet melius ipsum, quàm non ipsum, hoc est, quàm quodlibet incompossibile sibi, & ita erit melius *B*, quod ponitur incompossibile sibi: & pari ratione *B*, si est perfectio simpliciter, erit melius quàm *A*: talis circulatio est impossibilis, quia tunc idem esset imperfectius seipso. *Omnis perfectio simpliciter, compossibilis cuilibet perfectioni simpliciter. vide 1. d. 9. q. 1.*

Secundò [h] comparando illa plura inter se, probari potest illa maior, per hoc quòd plura bona excedunt in bonitate idem bonum vnum, & hoc quando in quolibet istorum plurium est æqualis bonitas, sicut in vno illorum: nunc autem si sint plura infinita, in quolibet eorum est æqualis bonitas, sicut in vno quolibet eorum, ergo illa plura bona excedunt in bonitate illud vnum bonum, & ita illud vnum non est infinitum. Et si dicas, quòd sic argueretur quòd Deus & creatura excedunt Deum: non valet, tum quia quodlibet illorum plurium non est æquè bonum cum vno illorum: & inde est quòd bonitas cuiuscunque illorum alterius ab illo vno eminenter continetur in illo vno, & ideò ipsum cum illo bono acceptum non auget, neque excessum facit super illud bonum in se: oppositum est in hypothesi, quia ibi vnum bonum non continetur totaliter eminenter in altero: quia hoc est contra rationem infiniti. *3. Top. c. 5. Deus & creatura quare non excedunt Deum.*

9. Ex comparatione [i] autem infiniti ad alia finita generaliter, arguitur sic. Vnum infinitum sufficienter terminat dependentiam omnium finitorum, & specialiter primum, à quo dependent, sed non possunt plura sufficienter terminare dependentiam in eodem ordine dependentiæ eiusdem dependentis: ergo nec plura esse infinita. Probatio maioris: sicut dependentia quæcunque est ratione imperfectionis, sic terminare dependentiã nõ qualitercunque sed primò, cõuenit alicui rationis perfectionis: sũma autẽ perfectio, quã impossibile est excedi, est in vno infinito intensiuè. Apparet etiam illa maior de facto, quia vnica essentia terminat sufficienter omnem dependẽ-

tiam cuiuscunque dependentis: quia tam illam, quæ est ad primam causam efficientem, quàm illam, quæ est ad causam exemplarem, & ad primam finalem. Minor autem, scilicet quòd non possunt esse plura primò terminantia eandem dependentiam, probatur, quia illud non terminat sufficienter dependentiam, quo circumscripto sufficienter terminatur illa dependentia: quia tunc aliquid dependeret ab aliquo, quo circumscripto nihil minùs haberet à quo sufficienter dependeret, & per consequens, quo circunscripto adhuc posset remanere in suo *esse*; sed si plura in eodem ordine possent sufficientér terminare dependentiam, vno eorum circunscripto, adhuc terminaretur dependentia completè, quæ est ad alterum, & ita illud non terminat, & pari ratione de altero argueretur, & sic neutrum, vel vtrunque terminat. Sicut ergo prima probatio maioris procedit ex hoc quòd infinitum habet realiter, & vnitiuè omnem perfectionem simpliciter, quia omnis talis potest hoc modo haberi in eodem; sic ista probatio procedit ex hoc quòd infinitum habet in se eminenter, & contentiuè omnem perfectionem limitatam: & ex hoc omnem dependentiam entis limitati sufficienter terminare potest, & sic istæ duæ procedunt ex hoc quod dictum est in primo articulo de Infinito, quod habet omnem rationem entitatis, siue omnem entitatem eo modo quo possibile est haberi ab vnico, quod est vel identicè pro perfectionibus simpliciter, vel eminenter pro perfectionibus limitatis

Plura non possunt terminare dependentiã vnus in eodem ordine loquendo de dependentia totali de quo 3.d.1. q.2. & 2.d.3.q. 4.n.3.& d. 10. q.2. & 4.d. 6.q.2. & 1.d.2.q. 1.n.19.

2.& 12. Met. in fine.

10. Ex ista autem comparatione infiniti ad alia generaliter potest argui breuiter sic. In entibus secundùm ordinem essentialem ascendendo semper itur ad vnitatem, & per consequens necesse est illum ordinem statum habere in aliquo vno: infinitum autem intensiuè est omnino summum, & hoc secundùm ordinem essentialem: ergo est omnino vnum.

Ascendendo in causis itur ad vnum.

Pone maiorem loco minoris quia sic procedit declaratio Doct.

Primum tripliciter dicitur.

Tertio probatur [k] maior specialiter ex ordine infiniti ad intellectum & voluntatem, & hoc sic. Ens infinitum est obiectum primum intellectus infiniti, & obiectum eius etiàm beatificum: sed non possunt esse eiusdem intellectus infiniti plura obiecta prima & beatifica. Consimiliter etiam posset argui de obiecto primo beatifico voluntatis. Prima propositio potest intelligi de primitate triplici, & de qualibet est vera, & secundùm hoc prima propositio continet tria membra. Vna primitas obiecti dicitur esse primitas adæquationis quãdo, scilicet potentia non excedit illud obiectum, quomodo coloratum vel luminosum dicitur esse primum obiectum visus: alio modo primum potest dici virtute cuius omne aliud intelligitur, vel cognoscitur à tali intellectu, quomodo lux est primum obiectum visus.

Intellectus non habet distincta obiecta adæquata.

11. Tertio modo primum potest dici perfectionis, quod in se continet tanquam in summo perfectionem omnium obiectorum, & virtutem perficiendi potentiam: obiectum autem beatificum est illud, in quo summè perficitur & quietatur & satiatur intellectus. Ex his tribus possunt accipi tres maiores: nam idem intellectus non habet distincta adæquata obiecta: quia non potest in aliud obiectum distinctum contra suum obiectum adæquatum, quia tunc idem obiectum esset adæquatum, & non adæquatum, & tunc potentia excederet illud in operando circa aliud ex æquo distinctũ; & etiam nec potentia potest habere plura obiecta prima primitate virtutis, qui est secundus intellectus: quia nõ potest esse, quòd virtute *A* intelligat, quicquid intellexerit, & ita *B*, & ex virtute *B* intelligat quicquid intellexerit, & ita *A* quia quòd *A* sit ratio intelligendi *B*, & è conuerso, est circulatio, & ista circulatio est impossibilis: nec potest etiam intellectus summè quietari in duobus ex æquo distinctis, quia non habet pro obiecto beatifico, & quietatiuo illud, quo circumscripto, nihil minùs quietaretur, & beatificaretur; sed circunscripto vno, adhuc esset in alio summè satiatus, quietatus & perfectus: ergo in illo non posset esse perfectus; pari ratione nec in alio. Patent igitur tres maiores, quia eiusdem intellectus non possunt plura esse obiecta ex æquo distincta prima primitate adæquationis: nec prima primitate virtutis: nec prima primitate perfectionis, sicut obiectum beatificum est primum. Minor, scilicet quòd infinitum formaliter, & intensiuè est primum obiectum intellectus diuini quolibet istorum modorum; probatur & primò de secunda primitate: quia quod est ratio essendi, est ratio cognoscendi: infinitum ergo cùm eminenter contineat in se quodlibet secundùm omnem entitatem: etiam eminenter continet in se omnem cognoscibilitatem: sic autem continens virtualiter aliquid est etiam motiuum ad eius cognitionem: sic ergo infinitum intensiuè quodcunque habet rationem obiecti primi respectu intellectus diuini: & hoc primitate virtutis.

Intellectus non potest satiari in duobus ex æquo.

2. Metaph. tex. 4.

12. Ex hoc sequitur, quòd ipsum est obiectum primum primitate adæquationis, quia sicut

ſicut oſtenſum eſt alibi in materia de intellectu diuino, intellectus diuinus non habet obiectum adæquatum commune per abſtractionem ab omnibus obiectis, ſed commune communitate virtutis ad omnia per ſe obiecta, aliàs vileſceret eius intellectus: quia poſſet immutari ab obiecto finito; quod ergo eſt ſibi primum virtualiter, eſt etiam primum adæquatum. *In prol. 2. & 3. d. 1. & 35. diſtin. eiuſdem 12. Met. t. c. 51.*

Ex hoc etiam patet tertia primitas, ſcilicet perfectionis, quæ eſt obiecti beatifici, quia in perfectiſſimo obiecto & ſummè continente omnem perfectionem omnium obiectorum, ſummè quietatur, & perficitur, & ſatiatur ipſa potentia, & ita beatificatur.

Confirmatur iſta ratio quantùm ad maiorem, & minorem, quia ſint plura infinita diſtincta *A*, & *B*: Intellectus diuinus poterit intelligere vtrumque: alioquin alterum non haberet rationem entis: neutrum autem poteſt intelligi niſi actu comprehenſiuo, cùm ſit formaliter infinitum. Vnicum autem actu comprehenſiuo non poſſunt intelligi duo diſtincta habentia propriam infinitatem, quia vnicum obiectum intenſiuè infinitum adæquatur vnicæ comprehenſioni; ergo intellectus diuinus duobus actibus comprehenſiuis intelligeret *A*, & *B*: ergo ſecundum illos haberet ſimul duos actus, quod eſt impoſſibile: quia vnica comprehenſio infinita, & infiniti adæquatur vni intellectui infinito; vel non ſimul, & ita dabitur ſucceſſio, vel mutatio, vel nunquam, cum vtrumque ſit infinitum intenſiuè. *Vno actu comprehendi nequeũt duo infinita.*

COMMENTARIVS.

12. *De ſecundo articulo.* f DE *ſecundo articulo.* Nunc ſequitur expoſitio 2. articuli principalis, in quo tenet hanc concluſionem, ſcilicet, quòd nulla relatio originis ſit formaliter infinita. Et adducit tres rationes, prima ratio ſumitur ex entis infiniti vnitate. Secunda ex eius communicabilitate. Tertia ex eius ſimplicitate, & incomponibilitate. Si quidem ens infinitum eſt vnicum, implurificabile, & non arctatum, ſed communicabile, & cuicunque incomponibile. De vnitate entis infiniti probatum eſt ſubtiliter à Doctore *in primo, diſt. 2. parte 1. q. 1. & q. vlti.* illius partis, quæ quæſtio eſt de vnitate Dei: quòd implurificabile, patet à Doctore *vbi ſuprà*: quòd communicabile tribus ſuppoſitis, probatum eſt *in primo, diſtin. 2. parte 2. quæſt. 3. & 1.* quòd cuicunque incomponibile, probatum eſt *diſtinct.* 8. *primi.*

g Primò arguitur ſic: infinitum poteſt habere per identitatem omnem perfectionem, ſimpliciter, & ſi poteſt habere, ergo habet quia quicquid ibi poteſt eſſe neceſſariò ibi eſt, vt ſuprà patuit *q. 2.* ergo relatio originis non eſt perfectio ſimpliciter, nec per conſequens infinita formaliter. Antecedens patet, quia infinito intenſiuè nihil deficit entis, eo modo, quo poſſibile eſt illud haberi in vno: modò omnis perfectio ſimpliciter poteſt in ente infinito haberi per identitatem realem. Conſequentia patet, quia paternitas, & filiatio in diuinis realiter diſtinguuntur; ergo vna non poteſt haberi ab alia per realem identitatem, vt patet. Sed ſi eſſent realiter infinitæ, vna neceſſariò haberetur ab alia per realem identitatem: quòd autem omnis perfectio ſimpliciter poſſit eſſe in ente infinito, probatur per rationem perfectionis ſimpliciter, quia ipſa eſt melior in quolibet, quàm non ipſa, id eſt, quàm quodlibet incompoſſibile ſibi. Si ſint ergo duæ perfectiones ſimpliciter, ſcilicet *A*, & *B*, incompoſſibiles inter ſe, *A* erit in quolibet melius ipſum, quàm non ipſum, id eſt, quàm quodlibet incompoſſibile ſibi, & pari ratione *B*, ſi eſt perfectio ſimpliciter, erit melius, quàm *A*, talis circulatio eſt impoſſibilis, quia tunc idem eſſet imperfectius ſe ipſo. Patet hæc litera ex his quæ prolixè expoſui *in primo, diſt. 2. parte 2. q. 1. in 1. artic.* de perfectione ſimpliciter, & expoſui ibi, quòd perfectio ſimpliciter excludit omnem imperfectionem: & ideò omne ens includens imperfectionem, eſt incompoſſibile perfectioni ſimpliciter; includit etiam omnem perfectionem quam poteſt habere, & quia ſibi non repugnat infinitas formaliter, non eſſet perfectio ſimpliciter, niſi eſſet formaliter infinita. Eſt ergo perfectio ſimpliciter melior ſimpliciter, quàm omne ſibi incompoſſibile, ſi ergo *A*, eſt perfectio ſimpliciter, erit perfectius abſolutè *B*, ſi *B* ponitur incompoſſibile *A*, ſecundùm realem identitatem, & ſimiliter ſi *B* ponitur perfectio ſimpliciter, erit eſſentialiter perfectius *A*, ſi *A* ponitur incompoſſibile realiter, & ſic idem reſpectu eiuſdem erit ſimpliciter perfectius, & imperfectius, quod eſt ſimpliciter impoſſibile.

Paternitas & filiatio diſtinguuntur realiter.

h Secundò arguit ad idem, probando illam maiorem, id eſt, quòd plura bona infinita non poſſint eſſe realiter diſtincta: & ratio ſtat in hoc, quia talia duo cùm ſint æqualia bona, cùm ſint infinita, ſunt maius bonum. Sed vnum infinitum non poteſt excedi, vt ſuprà patuit, cùm ſit contra rationem infiniti; ergo. 13.

Si dicas, quòd creatura, & Deus ſunt plura bona realiter diſtincta, & tamen creatura nihil bonitatis addit, ita quòd Deus, & creatura non ſunt maius bonum. Dicit, quòd non eſt ſimile. Tum, quia creatura non eſt bonum æquale Deo. Tum, quia creatura eminenter continetur in Deo, ideò non addit aliquod bonum. *Quomodo creatura eminenter continentur in Deo.*

i *Ex comparatione infiniti ad alia bona finita.* Hîc arguit ex ſecundo medio, probando eandem maiorem, & probatio ſtat in hoc; quia *vnum infinitum ſufficienter terminat dependentiam omnium finitorum*: patet, quia ſicut dependentia quæcunque eſt ratione imperfectionis, ſic terminare dependentiam non qualitercunque, ſed primò, conuenit alicui ratione perfectionis: ſumma autem perfectio, quam impoſſibile eſt

 excedi,

excedi, est in vno infinito intensiuè. Apparet etiam illa maior de facto, quia vnica essentia terminat sufficienter omnem dependentiam cuiuscunque dependentis, quia tam illam, quæ est ad primam causam efficientem, quàm illam, quæ est ad causam exemplarem, & ad primam finalem: patet ergo antecedens hoc, ergo non possunt esse plura infinita, quia tunc essent plura primò terminantia, & sic vnum non terminaret primò sufficienter, quia ipso remoto aliud posset terminare, hoc autem sufficienter ostensum est, in 1. dist. 2. par. 1. q. 1. & q. 4. quæ est vlti. illius partis, vide ibi.

14. k *Tertiò probatur maior specialiter ex ordine infiniti ad intellectum, & voluntatem.* Istæ probationes sunt claræ hîc, & superiùs adductæ *in primo dist. 2. q. de vnitate Dei*, & ibi expositæ, tamen etiam breuiter recitantur hîc. Ens infinitum est obiectum primum intellectus infiniti, & hoc primitate perfectionis, quia in se continet perfectionem omnium obiectorum, & virtutem perficiendi potentiam. Et primitate adæquationis, quia intellectus infinitus non excedit illud, nec exceditur ab illo. Et primitate virtutis, quia virtute eius omne aliud intelligitur. Sed addo minorem, scilicet sed eiusdem intellectus non possunt esse plura obiecta prima, nec primitate adæquationis, nec virtutis, nec perfectionis. De primo patet, quia tunc idem esset obiectum adæquatum, & non adæquatum, & tunc potentia excederet illud in operando. Nec secundò, quia est impossibile quòd virtute *A* intelligat, & virtute *B* intelligat: supple omnia, quia tunc *A* virtute *B* intelligeret *B*: & è conuerso, *B* virtute *A* intelligeret *A*, & ita circulatio, quia tunc, vt aliàs probaui in primo, *in q. de vnitate Dei*, si *A* intelligit virtute *B* ipsum *A*, ergo *B* continet virtualiter *A*, si *B* intelligit ipsum *B* virtute *A*: ergo *A* continet virtualiter *B*, & sic circulatio in continendo virtualiter, quæ est simpliciter impossibilis. Similiter idem intellectus non potest virtute *A*, & *B* intelligere omnia, quia amoto *B*, non intelligeret, & intelligeret, quia amoto *B*, intelligeret stante *A*, quæ omnia ostensa sunt in quæstione de vnitate Dei. Nec tertio modo, etiam idem intellectus summè potest quietari in duobus ex æquo, quia non habet pro obiecto quietatiuo illud, quo circunscripto nihil minus quietaretur: sed circunscripto vno adhuc esset in alio summè quietatus: primitas enim perfectionis est primitas obiecti, vt beatifici, & quietatiui.

Quid sit obiectum primum intellectus infiniti.

Nota.

SCHOLIVM.

Secunda ratio principalis, probans relationes originis non esse infinitas: omnis perfectio simpliciter est communicabilis, quia secundùm D. Anselmum, melior est in quocunque supposito, quàm illud quod est ei incompossibile: ergo relatio originis, cùm sit incommunicabilis, non est perfectio talis, quia est incompossibilis cuilibet alteri, etiam in ratione suppositi, & sic non est melius ipsam habere, quàm non habere. Ex quo sequitur, quòd non est infinita. Ratio hæc, qua sæpiùs vtendum in Diuinis latè, & subtiliter explicatur hîc & 1. d. 2. q. 7. num. 79. & d. 8. q. 1. num. 7. 8.

Secunda [l] Ratio principalis de communicabilitate sic formatur. Omnis perfectio simpliciter est communicabilis, omne infinitum intensiuè est perfectio simpliciter: ergo, &c. Nulla autem proprietas personalis est communicabilis, quia est formalis ratio incommunicabiliter existendi: ergo nulla proprietas personalis est infinita intensiuè. Minor est manifesta, quia nihil potest esse magis perfectum, quàm quòd sit infinitum intensiuè. Probatio maioris primæ, quia secundùm quòd colligitur ex intentione Anselmi. *Mon.* 15. perfectio simpliciter est, quæ in quolibet habente ipsam melius est ipsam habere, quàm non ipsam habere. Hæc autem regula indiget duplici expositione: non enim intelligitur sic, melius est ipsum, quàm sua negatio contradictoriè opposita, quia sic quodlibet positiuum esset perfectio simpliciter, quia quodlibet positiuum est simpliciter melius sua negatione contradictoriè opposita: sed intelligitur ibi non ipsum pro quocunque sibi incompossibili etiam positiuè, vt sit sensus; perfectio simpliciter est in quolibet melior quocunque sibi incompossibili. Secundò intelligitur *in quocunque*, [m] non pro quacunque natura, sed pro quocunque supposito, non intelligendo, vt est talis naturæ, vel talis, sed absolutè accepto, vt est tale suppositum præscindendo rationem naturæ, cuius est suppositum. Hoc patet, [n] quia auro sic considerato, vt habet naturam auri, vel supposito considerato, vt subsistens in natura auri, non est melius non aurum, quàm aurum: quia incompossibile, vt incompossibile non est alicui melius; destruit enim entitatem ipsius: imò melius sic est auro esse aurum, quàm quodcunque incompossibile naturæ auri. 13.

Expositio subtilissima perfectionis simpliciter, de quo 1. d. 2. q. 7. & d. 8. q. 1. & 4.

Est ergo intellectus propositionis iste, perfectio simpliciter est talis, quæ in quocunque supposito absolutè considerando secundùm rationem suppositi, non determinando naturam, in qua, vel cuius sit suppositum, melius est ipsum, quàm non ipsum, hoc est, quàm quodcunque incompossibile ipsi. 14.

Ex hoc sequitur [o] propositum, quòd nulla perfectio simpliciter sit formaliter incommu

communicabilis. Probatio consequentiæ: quia quod est formaliter incommunicabile, est formaliter incompossibile cuilibet alteri: considerando etiam illud sub ratione suppositi non includendo naturam, cuius est illud. Probatur, quia quod repugnat alicui, cùm vt sibi repugnat, destruat ipsum, vt sic, non est melius ipsum, quàm non tale: quod autem est de se incommunicabile, repugnat cuilibet, etiam sub ratione suppositi: ergo non est melius illi, etiam vt consideratur sub ratione suppositi, quàm non ipsum.

Nulla perfectio simpliciter est incommunicabilis.

Habemus ergo istam maiorem, quòd nulla perfectio simpliciter est formaliter incommunicabilis.

COMMENTARIVS.

15. l *SEcunda ratio principalis de communicabilitate.* Doctor format secundam rationem principalem, qua probat quòd relatio originis non sit formaliter infinita. Et ratio stat in hoc: perfectio simpliciter est pluribus communicabilis. Sed relatio originis est simpliciter incommunicabilis, vt patuit suprà, *quæst.2.* cùm sit proprietas personalis: ergo non est formaliter infinita. Maior patet per definitionem perfectionis simpliciter datam ab Anselmo quæ est declarata *in primo, distin.2. parte 2. quæst.prima,* vide ibi. Tamen hîc exponitur aliqualiter ista litera, cùm dicit, *ista definitio indiget duplici expositione,* non enim intelligitur sic, quòd sit melius ipsum, quàm sua negatio contradictoria, quia sic, lapis esset perfectio simpliciter, cùm sit simpliciter melior quàm sua negatio, melius est enim lapidem esse, quam non esse, sed intelligitur ibi non ipsum pro quocunque sibi incompossibili, etiam positiuè. Nam vt dixi, perfectio simpliciter excludit omnem imperfectionem absolutè, & includit infinitatem intensiuam, si illa est possibilis in entitate: & per consequens omne includés imperfectionem, aut limitationẽ est simpliciter incompossibile perfectioni simpliciter, & cui repugnat infinitas non est perfectio simpliciter.

m *Secundo requiritur, siue intelligitur in quocunque,* &c. Vult dicere breuiter, quod perfectio simpliciter est melior ipsa, scilicet simpliciter, quàm suum incompossibile, siue negatiuum, siue positiuum, & est etiam melior cuicunque supposito absolutè: puta, vt est suppositum entis, quia sicut enti non repugnat perfectio simpliciter, quia tunc repugnaret omni enti, ita nec supposito entis, puta huic enti, vt supposito entis non repugnat. Et est sciendum, quòd perfectio simpliciter si non repugnat alicui naturæ, nec etiam supposito talis naturæ repugnabit. Et quia non repugnat enti, ideò nec supposito considerato vt supposito entis. Similiter, quia non repugnat substantiæ transcendenti, ita nec supposito; vt supposito talis substantiæ: quia verò repugnat substantiæ prædicamentali, cùm sit limitata, ideò repugnat cuicunque supposito talis substantiæ. Et similiter, quia repugnat auro, ideò repugnat omni supposito, vt supposito auri.

Cui non repugnat perfectio simpliciter.

n Et hoc est quod dicit: *patet, quia auro sic considerato, vt habet naturam auri,* &c. Non enim est melius lapidi, vt talis natura esse formaliter infinitum, vel esse Deum, quia hoc est incompossibile lapidi: imò si esset Deus, destrueretur natura lapidis, melius est ergo lapidi esse lapidem, quàm non lapidem, & accipitur *non lapis* pro quocunque incompossibili, siue negatiuè, siue positiuè. Dicit ergo Doctor quòd considerando aurum, vt talis natura, quòd est melius aurum esse aurum, quàm quodcunque incompossibile naturæ auri, siue negatiuum, siue positiuum.

o *Ex hoc sequitur propositum, quod nulla perfectio simpliciter est formaliter incommunicabilis;* 16. cùm sit melior ipsa in omni supposito absolutè considerato, quàm non ipsa, quia scilicet est melius simpliciter suppositum quodcunque, puta entis, vt ens, habere ipsam, quàm habere suum incompossibile. Sequitur probatio consequentiæ, quia quod est formaliter incommunicabile est formaliter incompossibile cuilibet alteri: considerando etiam illud sub ratione suppositi, non includendo naturam cuius est illud. Probatur, quia quod repugnat alicui, cũ vt sibi repugnat ipsum destruat vt sic, non ideò melius ipsum quàm non tale, quod autem est de se incõmunicabile, repugnat cuilibet etiã sub ratione suppositi, ergo non est melius illi etiam, vt consideretur sub ratione suppositi, quàm non ipsum; si enim incõmunicabile repugnat cuicunque supposito, etiã absolutè considerato, sequitur quòd non erit melius illi, quia repugnans, siue incompossibile alicui nullo modo est melius illi, cùm ipsum destruat, vt supra patuit, ergo relatio originis cum sit simpliciter incommunicabilis non erit perfectio simpliciter, nec per consequens formaliter infinita.

SCHOLIVM.

Tertia ratio principalis, quòd relationes diuinæ non sint infinitæ, quia perfectio simpliciter prædicari potest in abstracto de quolibet sibi compossibili in eodem supposito; sed relatio originis non sic prædicatur; verbi gratia paternitas de spiratione actiua; aliàs processio Filij non differret à processione Spiritus sancti: ergo. Maior patet inductione in omnibus essentialibus; & ratione, quia infinitum nulli est componibile à se distincto, aliàs excedi posset, & sic non esset infinitum. Hanc rationem latè explicat per exquisitam doctrinam, docétque generaliter quomodo in Diuinis quædam prædicationes sunt veræ in concreto, & abstracto; vt hæc, Deus est pater, Deitas est paternitas; *quædam veræ in concreto, non in abstracto: vt spirans est generans, tamen, spiratio non est generatio: cuius diuersitatis ratio est, quia in vltima prædicatione neutra extremitas est infinita: in aliis altera est infinita: vel ratione suppositi sit iden*

sit identificatio, à quo dum fit abstractio, nec adest infinitas, prædicatio est falsa, vt in exemplo, vide Doctorem 1. d. 8. quæst. 3. & d. 13. & 3. d. 22. num. 21. vbi plura habet de his abstractionibus.

Perfectio simpliciter est eadem omni incōpossibili sibi, in eodē supposito.

TErtiò ª arguitur ex incompossibilitate sic: Perfectio simpliciter cuicunque compossibili sibi in eodem supposito necessariò est eadem realiter, sic intelligendo, quòd in abstracto accipiendo *hoc*, & *illud*, verum est dicere, hoc est illud: sed relatio originis non est cuilibet compossibili sibi in eodem supposito sic eadem, ergo, &c. Minor est manifesta, quia ista non est vera, *generatio actiua est spiratio actiua.* Maior probatur inductiuè, & ratione: inductiuè sic: nihil est in Diuinis, quod non sit idem essentiæ diuinæ: imò etiam & cuilibet essentiali, ita, quòd considerando vtrumque in abstracto, simpliciter, verum est, *hoc est hoc.* De essentia ergo, & de essentialibus, de quibus communiter apparet, quòd quodlibet sit infinitum formaliter, patet maior, quòd quodlibet eorum est idem cuilibet sibi compossibili in eodem supposito. Probatur etiam eadem maior ratione sic: quia infinitum non solùm non est compositum, sed etiam omnino incomponibile cuilibet alteri: omne enim componibile potest esse pars & per consequens excedi, quia totum est maius sua parte. Infinitum autem nullo modo potest excedi: ergo est omnino simplex, & incompositum, & incomponibile. Si autem aliquid incompossibile sibi in eodem supposito non esset omnino idem sibi; tunc ipsum non esset omnino incomponibile, quia tunc ibi esset aliqua compositio saltem aliquo modo actus & potentiæ Habemus ergo primam partem maioris, scilicet quòd infinitum est idem realiter ei quod est sibi compossibile in eodem supposito. Secunda pars maioris, scilicet quòd sic sit idem, quòd sit vera prædicatio in abstracto, vt puta dicendo, *hoc est hoc*: probatur, quia cum prædicatio affirmatiua sit vera ratione identitatis; omnis illa erit vera abstracti de abstracto, vbi per abstractionem non tollitur ratio identitatis: vbi autem per abstractionem tollitur ratio identitatis, non est vera. 15.

Infinitum in abstracto dicitur de omni sibi compossibili.

Prædicatio in abstracto, quando est vera, & quando nō? 2. d. 16. ad arg.

Exemplum, hæc est vera, *albedo est color*, quia licèt extrema sint abstracta, non tamen sit abstractio nisi à subiecto alterius naturæ, & illud subiectum non fuit præcisa ratio identitatis eorum extremorum: manet ergo ratio identitatis naturæ ad naturam illo subiecto excluso: albedo autem & musica non habent identitatem nisi per accidens ratione subiecti, licet ergo hæc sit vera: *album est musicum*, pro tanto, quòd idem subiectum denominatur ab vtroque accidente: tamen abstractione factâ ab illo subiecto, quod fuit ratio identitatis eorum, hæc est falsa; *albedo est musica.* Patet ergo, quòd prædicatio in abstracto vera est, quando extremorum est talis identitas, quòd per abstractionem non tollitur ratio identitatis eorum. Modò quando vnum extremum est infinitum, per abstractionem à supposito, non tollitur ratio identitatis ad ipsum, & hoc cuiuscunque compossibilis sibi in eodem supposito: & ideò propter infinitatem, vt iam argutum est, non potest esse incompossibilis in eodem supposito, nisi vera, & perfecta identitate reali; ergo abstractione facta à supposito, quamdiu manet ratio extremi infiniti formaliter semper in quacunque abstractione, manet ratio identitatis extremi ad extremum, & per consequens vera prædicatio in abstracto, *hoc est hoc.* 16.

In Deo, est quædā prædicatio vera in concreto, & abstracto, quædam in concreto tantum, vt Pater est generans: *quædā neutro modo, vt* Pater est Filius. *Hæc est vera* deitas est paternitas *quia deitas est infinita: hæc falsa,* paternitas est spiratio actiua, *quia neutrū extremū est infinitum, vide 1. d. 8. q. 3. n. 24. & d. 13.*

Ex ista ratione patet generaliter, quòd quædam prædicationes in Diuinis sunt veræ non solùm in concreto: sed etiam in abstracto, quæ non sunt oppositi de opposito; quædam veræ in concreto, licèt non in abstracto, quia non loquimur de illis, quæ neutro modo sunt veræ, vbi scilicet extrema sunt opposita: quia nec Pater est Filius: nec paternitas est filiatio. Vbi autem extrema non sunt opposita sed compossibilia in eodem supposito, ibi semper ad minùs est prædicatio vera in concreto: sicut Pater est spirans, Pater est ingenitus: non autem in abstracto: sic, paternitas est spiratio: & tamen hæc est vera: deitas est paternitas, deitas est spiratio. Hoc non est nisi quia diuinitas est formaliter infinita: non autem paternitas, nec spiratio, & ideò abstrahendo à supposito deitatem, cùm semper maneat in ipsa ratio infinitatis, semper manet ratio identitatis simpliciter ad paternitatem, & ad spirationem, & ideò manet ratio veritatis affirmatiuæ prædicationis in abstracto: sed paternitatem, quæ non est formaliter infinita abstrahendo à supposito non manet ratio identitatis eius ad spirationem actiuam, quæ etiam non est infinita: quia neutrum extremum secundum propriam rationem sui habet infinitatem: & ideo licet hæc sit vera, pater spirat, quia eidem supposito conuenit vtrunque: tamen abstractione ab illo supposito facta, quia neutrum eorum est infinitum: non est vera prædicatio in abstracto: paternitas est spiratio. 17.

Per

Per oppositum consimilis ratio est, quandocunque aliquod essentiale prædicatur de aliquo essentiali, vel personale de essentiali, vel essentiale de personali, vtpote hæc est vera: *sapientia est paternitas, sapientia est spiratio*, & è contrario: quia abstrahendo à supposito adhuc manet alterum extremum infinitum, scilicet sapientia & ideò remanet adhuc ratio identitatis extremi ad extremum, facta tali abstractione: & per consequens ratio veritatis in prædicatione affirmatiua.

Patet ergo generaliter ista maior, quòd nunquam est neganda prædicatio in Diuinis per identitatem abstracti de abstracto, nisi quia neutrum extremum est formaliter infinitum: sicut hæc est neganda, *paternitas est spiratio.* *Quando negãda est prædicatio abstracti de abstracto in Deo.*

SCHOLIVM.

Adducit rationem D. Thom. & aliorum, quare negetur hæc: Paternitas est spiratio actiua, quia distinguuntur ratione. Contra, quia sapientia & bonitas distiguuntur ratione, tamen dicuntur de se mutuo. Respondet quod nec ista sub ratione attributorum dicuntur de se mutuo. Contra arguit, quia attributum est secunda intentio, & propter terminos secundæ intentionis non negatur prædicatio in terminis primæ intentionis, alias hæc esset falsa, Socrates est homo, quia singularitas quæ est secunda intentio conueniens Socrati non est vniuersalitas, quæ conuenit homini: ergo cum negatur prædicatio hæc, paternitas est spiratio actiua, ideo negatur, quia extrema distinguuntur à parte rei, & neutrum est infinitum. Adducitur alia responsio VVarronis, & conuenit cum doctrina data, & ideò non impugnatur.

18. Circa tamen [p] maiorem istam, quare prædicatio aliqua in abstracto in Diuinis negatur: dupliciter ab aliquibus dicitur, quòd licèt paternitas & spiratio sint idem realiter: tamen differunt ratione: & hoc sufficit ad impediendum talem prædicationem. *D. Th. in prim. d. 5. q. 1. Henr. quodl. 5. q. 3.*

Quando autem probatur, quòd talis differentia non sufficit, quoniam ista est vera; *sapientia est bonitas*: Respondetur quòd sicut attributum potentiæ non est attributum sapientiæ, sic nec in proposito.

Sed hoc non videtur probabile, quia attributum vt attributum dicit intentionem secundam, vel relationem aliquam rationis circa illud, de quo dicitur: vnde etiam numeratur, & verum est dicere, quòd bonitas, & sapientia sunt duo attributa, ergo secundùm illud, secundùm quod est numeratio, non est verum dicere, *hoc est hoc*. quia illud est rationis: sed non propter hoc negatur ista, *sapientia est bonitas*, vbi non includitur illud rationis, quod numeratur in eis; ergo à simili, non includendo nisi illud, quod rei est, si omnino idem esset in re paternitas, & spiratio: esset hæc vera: *paternitas est spiratio*, licèt non ista: *notio vel proprietas paternitatis est notio vel proprietas spirationis.* Quæcunque enim sunt eadem re simpliciter in Deo, ipsa significata etiam in abstracto, & in nominibus primæ impositionis, siue significantibus rem primæ intentionis, prædicantur de se inuicem in abstracto, licèt non in nominibus secundæ impositionis, siue accepta secundùm aliqua nomina secundæ intentionis sicut patet in creaturis. Vnde licèt ista sit vera: *Socrates est homo*, non tamen ratio Socratis, quæ est singularitas, est ratio hominis, quæ est vniuersalitas. *Var. li. 1. di. 2.*

Aliter [q] dicit alius, & rationabiliùs, vt videtur, & ad propositum: quòd proprietates in eadem persona differunt ex natura rei præter considerationem intellectus: quia ad hoc sufficit disparatio: licèt non sint oppositæ: & propter hoc prædicatio vnius de alia in abstracto non est vera. Et hoc ideò, quia illa distinctio ex natura rei est propter non infinitatem huius, & illius, quia si hoc vel illud esset infinitum, non esset talis distinctio, nec impediretur talis prædicatio.

COMMENTARIVS.

17. *Tho in 1. dist. 5. q. 1. Henricus quol. 5. q. 1.* P Circa tamen maiorem istam, quare prædicatio aliqua in abstracto in diuinis negatur, puta ista, *paternitas est spiratio.* Hic recitat duas opiniones, quarum prima dicit, quòd ideò paternitas, & spiratio non prædicantur ad inuicem in abstracto, quia differunt ratione. Et si dicatur quòd talis differentia rationis non sufficit, quia bonitas, & sapientia secundùm hanc opinionem, ratione differunt, & tamen conceditur quòd bonitas est sapientia, & èconuerso. Respondent, quòd sicut attributum bonitatis, non est attributum sapientiæ, sic nec in proposito. Contra hoc instat Doctor, quia attributum, vt attributum, dicit relationem rationis, vt pe

Attributum numeratur. vt patet. Vnde etiam attributum numeratur, quia verùm est dicere, quòd attributum sapientiæ, & attributum bonitatis sunt duo attributa; ergo secundùm illud, secundùm quod est numeratio non est verum dicere, hoc est, hoc, quia illud secundùm quod fit numeratio est ens rationis (& non est inconueniens plura esse entia rationis in diuinis, & numerati) sed propter hoc non negatur ista, *sapientia est bonitas*, vt non accipiuntur sub ratione attributi, sed secundùm rem, vt sunt primæ intentionis significata; licèt ergo sint veræ in nominibus secundæ intentionis, vt exposui *in primo, dist. 5 q.1.* in nominibus tamen primæ intentionis sunt simpliciter veræ in abstracto quando sunt idem realiter. Et saltem vnum illorum sit formaliter infinitum.

Varro lib.1. dist.2. q *Aliter dicit alius & rationabilius*, quòd ideò hæc non est vera, *paternitas est spiratio*, quia differunt ex natura rei, & hæc distinctio sufficit vt non sit vera, & quare distinguantur ex natura rei, dicit ista opinio, quòd ideò est, propter non infinitatem huius & illius, quia si hoc, vel illud esset infinitum, non esset talis distinctio, nec impediretur talis prædicatio. Aduerte tamen quòd ista opinio benè dicit quantùm ad hoc, quia distinguuntur ex natura rei, & vna illarum, vel nulla illarum est formaliter infinita, ideò vna non prædicatur de alia in abstracto, & in hoc confirmatur opinio Doctoris, sed in hoc quòd dicit, quòd infinitas est præcisa causa identitatis ex natura rei, non concordat cum Doctore, qui etiam vult quòd licèt aliqua distinguantur ex natura rei, & vtrunque, vel alterum sit formaliter infinitum ad inuicem, possint in abstracto prædicari, & patet de attributis, quæ etiam formaliter distinguuntur secundùm ipsum.

18. *Dubia circa dicta huius artic. prima difficultas principalis. Primum dubium.* Circa multa dicta in isto articulo insurgunt nonnulla dubia. Primum in hoc, quòd *plura æqualia, quorum vnum non continet aliud eminenter, faciunt vnum bonum, quàm vnum illorum seorsum sumptum*, instatur sic primò, & accipio album cubitale intensum vt octo, certum est quòd in qualibet parte erit intensum vt octo: & est diuisibile in partes infinitas, & diuidatur in mille partes, ergo illæ erunt intensæ vt octo & per consequens sunt plura alba æqualia, & tamen non faciunt albius: patet, quia si vniantur, non erit totum albius, neque perfectius; ergo plura perfecta æqualia in perfectione non faciunt perfectius.

Secundum dubium. Secundò instatur specialiter de duabus infinitis intensiuè, quòd non sint maius: patet, quia sicut maius, & minus in quantitate molis sunt passiones quantitatis finitæ, vt patet à Doctore *in 2. dist.1. q.3.* sic videtur esse in quantitate virtutis, scilicet, quòd magis, & minùs in perfectione sunt passiones quantitatis virtualis finiti: si ergo essent plura bona infinita, non propter hoc sequeretur quòd illa plura essent maius bonum, quàm vnum illorum seorsum sumptum.

Tertium dubium. Tertiò instatur sic in simili, quia hîc non sequitur (ponendo quòd reuolutiones Solis, & Lunæ sint infinitæ secundùm numerum à parte antè, ponendo mundum esse ab æterno) reuolutiones Solis sunt infinitæ, & in qualibet reuolutione Solis sunt duodecim Lunæ: ergo reuolutiones Lunæ excedunt reuolutiones Solis; non sequitur, quia illæ Solis cùm sint infinitæ, non possunt excedi: nec similiter sequitur reuolutiones Solis, & Lunæ sunt infinitæ seorsum acceptæ: ergo insimul acceptæ sunt plures, quàm seorsum acceptæ: non sequitur, quia si essent plures, tunc oportet incipere à prima numerando, quæ nullo modo est dabilis, cùm sint infinitæ: ergo sic erit dicendum in proposito de pluribus bonis intensiuè infinitis.

Quartò instatur, quia supponitur in illo dicto, quòd plura bona infinita essent maius bonum, quàm vnum infinitum bonum, hoc fortè esset verum si ex duobus bonis intensiuè infinitis fieret, vel constitueretur vnum tertium bonum. Sed in proposito diceretur quòd si essent plura bona intensiuè infinita, nullo modo essent ad inuicem vnibilia, imò simpliciter incompossibilia, & ad inuicem repugnantia, & ideò absolutè non sequitur, sunt plura bona infinita: ergo erit maius bonum vno bono infinito. *Quartum dubium.*

Secundò principaliter dubitatur de hoc, scilicet, *sicut dependentia, quacunque est ratione imperfectionis sic terminare dependentiam, non qualitercunque, sed primò competit alicui ratione perfectionis, summa autem perfectio, quam impossibile est excedi, est in vno infinito intensiuè.* Contra hoc instatur: primò, quia dependere ad suppositum alterius naturæ, est imperfectionis, vt patet à Doctore *in tertio, dist.1. q.1.* & tamen terminare dependentiam naturæ humanæ, nullam perfectionem dicit in Verbo diuino, vt dicit Doctor *vbi suprà*, quia tunc posset esse noua perfectio in Verbo, quod est impossibile. 19.

Secundò, si actu dependere dicit imperfectionem, & terminare primò perfectionem, ergo deitas, vt actu terminat dependentiam creaturæ ad ipsam, nouam dicit perfectionem, quod est impossibile.

Tertiò principaliter dubitatur in hoc, scilicet quòd *essentia diuina sufficienter terminat omnem dependentiam causati ad causam primam, exemplati ad exemplar primum, finiti ad vltimum finem.* Instatur, quòd non dependentiam causati, quia vt habetur à Doctore *in q.9. quodl.* quod est ratio formalis causandi, est ratio formalis terminandi: modò essentia, vt essentia, non est ratio causandi aliquid extrà, cùm vt sic, agat per modum naturæ, vt patet à Doctore, qui vult *in q. 14. quodl. ar. 2.* quòd essentia sub ratione essentiæ non possit mouere intellectum creatum, quia tunc moueret necessariò, & per modum naturæ. *Essentia non potest mouere intellectum creatum.*

Quod non terminet dependentiam creaturæ, vt exemplatæ, quia non est exemplar nisi ratione idearum, ergo ideæ ipsæ primò terminant, vel saltem sunt rationes terminandi: modò ideæ non sunt formaliter essentia diuina, nec etiam realiter, cùm ipsæ ideæ sint præcisè obiecta secundaria in *esse* cognito, vt patet à Doctore *in primo, dist.35. ergo.*

Quartò principaliter dubitatur in hoc, quòd *ens infinitum est obiectum primum, primitate adæquationis intellectus infiniti*; instatur, quia aut ponitur primum in mouendo, aut in terminando. non secundò, patet, quia cognitio lapidis in intellectu diuino terminatur ad lapidem, ergo non secundo. Tum, quia cognitio contingentis, vt contingens, non est ab essentia diuina, sed aliunde: patet, quia essentia mouet necessariò, sed cognitio contingentium non est simpliciter 30.

citer

ſed aliunde; patet, quia eſſentia mouet neceſſariò, ſed cognitio contingentium non eſt ſimpliciter neceſſaria, ſicut nec ipſa contingentia, vt patet à Doctore *in 1. d.39. & in quol.q.14.ar. 3.* Tum, quia attributa, cùm ſint formaliter infinita, vt patet à Doctore *in 1.d.8.q.3.* ita moueret ad ſui cognitionem ſicut eſſentia, quòd non videtur.

Secundo arguitur, quia ſi infinitum intenſiuè eſt obiectum adæquatum, intellectus infiniti, ergo quot ſunt infinita formaliter, tot eſſent obiecta adæquata. Conſequentia eſt nota: Sed de facto ſunt plura infinita intenſiuè ex natura rei, & formaliter ab inuicem diſtincta: ergo plura obiecta adæquata intellectus diuini: quod autem ſint plura, patet à Doctore *in primo diſt.8.q.3.* vbi vult quod attributa, vt formaliter infinita, diſtinguantur formaliter, & inter ſe, & ab eſſentia diuina.

Quomodo attributa diſtinguantur formaliter ab eſſentia diuina. Tertio inſtatur, ſi ens infinitum eſt adæquatum obiectum intellectus infiniti, ſit Deus, tunc ſic; aut Deus ponitur ſic obiectum ſub ratione infinitatis, aut ſub alia ratione, puta Deitatis. Si primò, ergo non ponitur obiectum ſub ratione perfectiſſima, nec ſub ratione quidditatiua, cuius oppoſitũ tenet Doctor. Si ſecundò, ergo circũſcripta infinitate erit obiectũ adæquatum, & vt ſic, non eſt infinitũ, vt patet, ergo.

21. Quinto principaliter dubitatur de hoc, ſcilicet, quod *ideò infinitum eſt ratio cognoſcendi omnia, quia eſt ratio eſſendi,* inſtatur primò, quia non videtur verum, ſcilicet, quod eſt ratio eſſendi ſit ratio cognoſcendi. Tum, quia Sol eſt eſt cauſa multorum, & tamen non eſt cauſa cognoſcendi illa, vt patet, quia illa poſſunt habere notionem propriam.

Secundò, quia ſunt multæ cauſæ cauſantes diuerſos effectus, & etiam totales, quæ nullo modo ſunt cauſa cognoſcendi.

Tertiò inſtatur, quia oporteret probare quòd infinitum ſit cauſa omnium intelligibilium, quòd fortè via naturali non poſſet oſtendi, vt patet in Theoromatibus Doctoris, & ſic non ſequeretur quòd infinitum intenſiuè eſſet primum obiectum primitate virtutis, ſicut ipſe oſtendit oſtendere.

Sextò principaliter dubitatur de hoc, ſcilicet, quòd *vnica comprehenſio infinita, & infiniti adæquatur vni intellectui infinito, & vni obiecto infinito, ita quod intellectus infinitus non poteſt eodem actu comprehenſiuo comprehendere plura infinita;* inſtatur ſic, quia ſicut eodem actu comprehendit infinitum, & omnia creata, ſic videtur quòd eodem poſſit plura infinita comprehendere, quia non videtur eidem actui poſſe terminari ad plura infinita, quia vt ſic, non ponitur dependere ab illis pluribus.

Secundò inſtatur, quia ſicut idem actus numero terminatur ad plura infinita fomaliter diſtincta, ergo ſi illa eſſent realiter diſtincta, ſimiliter poſſet ad illa terminari.

22. *Reſponſio ad obiectiones. Ad primum.* Reſpondeo ad omnes obiectiones. Ad primum contra primum dictum, dico quòd non faciunt maius, neque perfectius intenſiuè, cùm in toto albo ſit tantum vnus gradus intenſionis, & accidit ſibi ſic diuidi in partes integrales: & quamuis quælibet pars, vt diuiſa, ſit intenſa vt vnum, tamen omnes partes vnitæ non faciũt maiorem intenſionem. Et de hoc vide quæ dixi in dubiis, ſuper 2. *diſt.2.qu.9.*

Ad ſecundũ. Ad ſecundum, & alia ſequentia, quæ habent virtutem in his, quòd maius, & minus ſunt paſſiones quantitatis finitæ. Dico breuiter, quòd Philoſophus, præcisè loquitur de prædicamento Quantitatis, quia propriè æquale, & inæquale maius, & minus ſunt paſſiones quantitatis finitæ, quia inter illa erit aliqua proportio. Sed non eſt ſic in quantitate virtutis, in qua non attenditur maius, vel minus, ſed magis rationes. Dico ſecundò, quòd Doctor abſolutè loquitur, quòd duo bona formaliter infinita sũt ſimpliciter magis bonũ, & ſi fortè nõ ſit ꝓportio aliqua.

Ad vltimum Ad vltimum dico, quòd intelligitur de bonitate entis. 1. quòd in entibus eſt ſimpliciter maius bonum, duo entia formaliter infinita, quàm vnum illorũ tantum, licet ſint incompoſſibilia, ſicut duæ ſpecies ſunt magis bonum in entibus, quã vna tantũ, quia maior perfectio in vniuerſo.

Ad primum contra ſecundùm dictum, dico primò, quòd Doctor propriè loquitur de dependentia eſſentiali, qualis eſt cauſati ad cauſam, exemplati ad exemplar, finiti ad finem, ſed non eſt propriè dependentia eſſentialis naturæ ad ſuppoſitum. Dico ſecundò, poſſe terminare dicit perfectionem, ſed actu terminare nullam perfectionem dicit; ſicut poſſe creare dicit perfectionem, ſed actu creare nullam dicit. Dico ergo, quòd Verbum ratione alicuius perfectionis communis tribus perſonis habet, vnde poteſt terminare dependentiã naturæ humanæ in vnitate ſuppoſiti. Et per hoc patet ad ſecundũ. 23.

Ad primum contra tertium dictum. Dico, quòd concluſio Doctoris intelligitur de infinito realiter, & non habet hîc diſtinguere in illo primo, quæ ſit ratio immediata cauſandi, vel terminandi: ſufficit enim quòd idem realiter terminet: licèt ergo voluntas entis infiniti ſit ratio formalis cauſandi, tamen eſt eadem perfectio realiter, & hoc ſufficit, vt patet à Doctore in ſimili *q.14.quol.art.3.*

Quo accipiatur cauſa exemplaris. Ad ſecundum dico, quòd hîc in propoſito accipitur *cauſa exemplaris* pro menſura perfectionali, & ſic omnia entia à perfectione diuina, dicuntur exemplata, ſecundùm quòd magis, & minùs appropinquant ſecundùm ſuas perfectiones eſſentiæ. Hoc patet à Doctore *in 4. diſt. 12.* Poteſt etiam dici quòd obiecta cognita dicuntur exemplaria pro quanto, ſic dependeat ab actu intellectus diuini: & per hoc creaturæ magis dependent ab intellectu diuino, &c.

Ad primum contra quartum dictum. Dico, quòd intelligitur de primitate adæquationis in mouendo (& fortè etiam in terminando, quia non terminatur ad obiectum extrà, vt patet. *q.14.quol.* vide ibi) cùm arguitur de cognitione contingentis, patet reſponſio ex his quæ dixi *in prologo q.1. & in 1.diſt.39.* quia poſita determinatione contingentis eſſentia diuina neceſſariò cauſat notitiam illorum, & ideò dicitur illa cognitio non ſimpliciter neceſſaria; quia nec contingens, ſed poſito contingenti, ſecundùm determinationem diuinæ voluntatis, ponitur ab eſſentia notitia eius. De hoc, vide quæ ſpecialiter dixi *in prima q.prologi.*

Ad ſecundum dico, quòd non eſt inconueniẽs ponere plura ſic ſolùm formaliter diſtincta, ſed eſſet inconueniens ſi eſſent realiter diſtincta. De hoc tamen vide ſingulares difficultates *in q.1.prologi, & q.3.*

Ad tertiũ dico, quòd ponitur obiectũ adæquatum

tũ sub ratione Deitatis,q̃ tamẽ habet infinitatẽ intensiuã,vt conditionẽ obiecti,vt dixi *in 1.art.*

Ad primum contra quintum dictum. Dico,vt dixi *in prologo q.3.* respondendo ad obiectiones Gregorij de Arimino & Ochã;intelligitur,enim de causa pręcisa,& adæquata sicut subiectũ continet passionem,vel de continentia virtuali, ita quòd contineat secundùm totam entitatem, vt exposui in 1. *dist.3.q.1. & in. 2. dist. 3.* vide ibi multa bona. Et per hoc patet respõsio ad secũdũ.

Ad tertiũ dico,quòd Doct. hîc supponit primũ esse causam omniũ, de quo vide *in 1.d.2.q.1. & d.8.q.vlt.& in.2.d.1.q.1.& d.37.& in quodl.q.7.*

Ad primũ contra sextum dictũ, dico breuiter, quòd ideò idem actus comprehensiuus nõ posset esse plurium infinitorũ, non ratione terminationis,sed quia necessariò ab vtroq; depẽderet:vel si tantùm ab vno dependeret,tunc illud necessariò cõtineret virtualiter aliud infinitum, vt dixi *in 1.dist.2.q.de vnitate Dei*, vide ibi.

Posset etiam fortè dici,quòd non posset terminari,nisi ad vnum illorũ propter adæquationem, nec est simile, quòd simul terminetur ad Deum,& creaturã,quia pręcisè adæquãtur Deo, & nullo modo creaturæ, imò creatura nihil perfectionis addit,vt suprà patuit.

Ad secundum patet, quòd loquitur tantùm de vno infinito realiter, & non formaliter,&c.

SCHOLIVM.

Obijcit quadrupliciter contra conclusionem asserentem, Paternitatem non esse infinitam. Ad primum explicat clarè, & variis modis,quomodo paternitas seu generatio diuina est incomprehensibilis. Ad secundum, exponit qualis sit adæquatio generationis ad suum principium infinitum: cùm ipsa non sit infinita. Ad tertium exponit subsistere per se dicere perfectionem, quam tamen non dicit incommunicabiliter subsistere. Ad quartum, optimè explicat essentiam aliter esse infinitam, quam attributa; & ab ea emanare, primò essentialia. Secundò notionalia. Tertiò creata: omnia pulcherrimè habentur in litera.

Circa tertium articulum, [r] contra prædicta arguitur quadrupliciter, primò sic. Quod non est comprehensibile nisi ab intellectu infinito, est formaliter infinitum:generatio illa vt generatio, est formaliter incomprehensibilis nisi ab intellectu infinito:ergo, &c. Minor probatur per illud Isa. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* quod exponens Hieron. Hom. 1. super Matth. de generatione æterna filij; *Quod*, inquit, *impossibile Propheta dixit effatu*, &c. Sed quod est impossibile effatu est incomprehensibile ab intellectu finito. 19.

De fide ad Gratianũ. Confirmatur etiam per illud Ambrosij cap.5. *Quæro à te quomodo putas*, inquit, *Filium esse genitum*, & sequitur, *mihi impossibile est generationis scire secretum: mens deficit, vox silet,non mea tantum sed Angelorum: & supra Cherubim & Seraphim, & supra omnem sensum est.* Et probat ibi, quia scriptum est, *Pax Christi quæ exuperat omnem sensum*, ad Phil 4. Ex hoc arguit Ambros. ex *quo pax Christi est supra omnem sensum, quomodo non supra omnem sensum est tanta generatio.*

Præterea secundò arguitur sic. Omnis actio adæquata principio & termino infinito, est formaliter infinita; generatio in Diuinis est actio adæquata principio formali infinito & termino infinito, quia principium est essentia vel memoria infinita; & primus terminus est Filius, qui est infinitus: terminus etiam formalis est essentia communicata,siue notitia declaratiua,quorum vtrùmque est infinitum:& patet quòd ista actio est vtrique adæquata:quia non potest esse nisi vnica huius principij ad hunc terminum; ergo, &c.

Præterea tertiò, Ratio subsistendi est ratio perfectissimè essendi: relatio originis primæ personæ est ratio subsistendi, ergo est ratio perfectissimè essendi, & per consequens infinita, quia *esse* in Diuinis est formaliter infinitum.

Præterea:Intellectus diuinus est formaliter infinitus; alioquin non comprehenderet infinitam essentiam diuinam,de qua tactum est *quæstione prima articulo primo*,quòd intellectus vt intellectus, eam comprehendit: non est autem infinitus, nisi quia est idem essentiæ diuinæ, quæ est primò infinita; sed paternitas est eadem illi: ergo paternitas propter eandem rationem est formaliter infinita.

Ad primũ istorũ,quando alicuius intellectus est aliquod primum obiectũ primitate virtutis,per illud quodlibet aliud obiectũ intelligitur secundũ ordinẽ quẽ vnũ quodque obiectũ habet ad illud primũ. Ista patet ex ratione illa,quæ facta est *in ista q.art.2. de intellectu & voluntate.* Exẽplũ,quãdo alicuius intellectus est aliquod primũ obiectũ primitate virtutis,immediatiùs intelligit virtute eius illud, quod est per se idẽ illi quã illud ꝙ est per accidẽs idẽ illi. Nũc autẽ intellect' diuini est omnino idẽ obiectũ primũ primitate virtutis,& adæquationis, sicut tactũ est essentia, s. sub ratione essẽtiæ:nullũ ergo psonale est illi intellectui hoc modo obiectũ primũ:ꝓpinqui' tñ est primo obiecto quàm 20.

Nullum personale est obiectũ primum intellectus.

quàm aliquod creatum, pro quanto quod est idem obiecto primò, & ideò propinquius in entitate, & per consequens in cognoscibilitate.

Ad formam argumenti maior est vera, sic intelligendo, quòd si obiectum est incomprehensibile propriâ incomprehensibilitate, est etiam infinitum propriâ infinitate: sed sic minor est falsa, scilicet quòd generatio illa, vt generatio, est incomprehensibilis, licèt illa minor posset habere verum intellectum per accidens, vel secundùm aliquod concomitans, vel adhuc (& magis ad propositum) secundùm illud, quòd est ratio intelligendi ipsam: ipsa enim nata est primò intelligi per essentiam tanquam per primum obiectum, tam ab intellectu diuino, quàm beato; quia essentia vt essentia est primum obiectum tam illius, quàm istius. Ista autem ratio intelligendi generationem est incomprehensibilis, & ita generatio posset dici incomprehensibilis principiatiuè, siue causaliter. Posset etiam dici incomprehensibilis concomitanter, siue quantùm ad illud, quòd includit: quia generatio includit communicationem essentiæ, quæ fit per ipsam essentiam, vel per naturam personæ ad personam. Ista autem cōmunicatio præsuppositiuè includit infinitatem essentiæ, quia ipsa nonposset sic cōmunicari pluribus suppositis, nisi esset infinita: & ideò generatio est incōprehensibilis quātùm ad præsuppositū scilicet cōmunicationem essentiæ, quæ requirit *esse* infinitū. 2. Met. t. c. 4. *Paternitas seu generatio quomodo dicitur incomprehensibilis.*

¶ Sed contra istas responsiones arguitur, quia semper restat vis de propria ratione generationis vt generatio est, per quodcúmque principium intelligendi intelligatur, & quicquid præexigit in intelligendo & communicando, semper ipsa in propria intelligibilitate sua videtur incomprehensibilis per auctoritates adductas: & cuiuscúmque intelligibilitas propria est incomprehensibilis, illud intelligibile infinitum.

22. Respondeo, posset dici quòd comprehensibili intellectui finito est necessariò finitum, & incomprehensibile illi intellectui non est finitum, & sic conceditur minor, quòd generatio, vt generatio, est incomprehensibilis intellectui creato, & ita secundùm propriam entitatem, & comprehensibilitatem non est finita; sed ex hoc non sequitur quòd sit infinita; de quo tangetur in responsione ad principale argumentum; secundùm hoc ergo maior huius argumenti est neganda, accipiendo *incomprehensibile* nagatiuè pro non possibili comprehendi, quia ad hoc, quòd esset vera, oporteret illud intelligere quasi contrariè, scilicet pro habente quantitatem virtualem extendentem se vltra omne comprehensibile, vel omne comprehensibile excedentem, quod non est in proposito. *Generatio diuina non comprehensibilis à creatura, ideò non est finita, nec inde habetur quòd sit infinita.*

Ad secundum adæquatio dicit propriè æqualitatem duorum in eadem quantitate: & sic non est adæquatio in proposito: alio modo adæquatio dicitur non secundùm quantitatem, sed secundùm proportionem: & sic dicitur aliquid adæquatum alteri, quod est summè proportionatum sibi, si ibi sit adæquatio: vt pote effectus adæquatus causæ, qui est proportionatus in ratione effectus, licèt ille non sit simpliciter sibi adæquatus æqualitate quantitatis: hoc modo illuminatio diceretur adæquata soli quia maior esse non posset, licèt lumen nunquam sit æquale etiam secundùm perfectionem quantitatis ipsi soli, quia effectus æquiuocus. *Adæquatio sumitur dupliciter.*

23. Ad formam: tunc maior est vera de adæquatione primò modo, si illa esset; sed sic minor est falsa, & præcisè vera de adæquatione secundò; nec adhuc de adæquatione illo modo quæ scilicet est secundùm intensionem: sed secundum extensionem: quia scilicet vnum principium generandi non potest extendi ad aliam generationē, quàm ad istam. Non est ergo hîc adæquatio quantitatiua: nec est propriè adæquatio secundùm proportionem quantùm ad intensionem: sed tantùm, quantùm ad extensionem: & ita nullo modo includit infinitatem, quanta est in illo cui adæquatur. *Generatio diuina est adæquata principio extensiuè tantùm.*

Ad tertium sicut tactum est *in præcedenti quæstione art. 2. in fine, subsistere* est æquiuócum. Vno modo accipitur pro per se esse, & sic loquitur Augustinus 7. de Trin. c. 4 *omnis res ad se subsistit, quanto magis Deus.* Alio modò pro incommunicabiliter per se esse, siquidem communicabile intelligitur non quasi subsistens: sed quasi inhærens subsistēdi, & quasi modum inhærentiæ habens: Primo modo concedo, quòd *subsistere* formaliter dicit perfectissimū *esse*, & non dicit nisi essentiam secundùm Augustinum; secundo modo *subsistere* præsupponit perfectè *esse*: sed non formaliter includit, sed tātùm addit incommunicabilitatem supra per se esse primo modo acceptum, & illud sic est ratio subsistendi, quod est ratio incommunicabiliter per se essendi, & talis est relatio: ratio autem essendi incomunicabiliter, non est ratio perfectissimè essendi. *Subsistere dupliciter sumitur.*

24. Ad vltimum, concedo, quòd intellectus est formaliter infinitus propriâ infinitate, quæ est modus intrinsecus suæ propriæ entitatis, scil. intellectualitatis, vt intellectualitatis:

litatis: & tamen paternitas non sic est infinita: cùm hoc tamen paternitas est eadem realiter essentiæ aliquo modo, sicut intellectus. Et cùm additur, quòd infinitas intellectus est propter identitatem eius ad essentiam. 25.

Essentia aliter est infinita, quàm attributa.

Respondeo primum omnino in Diuinis (vt tactum est in prima quæstione) est essentia, vt essentia: quæ secundùm Damascenum est pelagus propter comprehensionem omnium perfectionum diuinarum: ista est infinita non tantùm intensiuè in se: sed etiam virtualiter primò, & per se continens omnia intrinseca, quodcúmque autem aliud continet per identitatem alia, sed non primò omnia, quia nec à se, sed virtute essentiæ: à qua etiam habet suam infinitatem. Videtur ergo quòd essentia habet infinitatem, & formaliter, & propriam, & primam, quia à se, quia respectu omnium dicitur pelagus: quia omnem perfectissimè continet entitatem intrinsecam, vt possibile est eam contineri in vno formaliter. Ab hac autem prima, sicut licèt loqui, emanant omnia ordinatè: primò quidem intrinseca essentialia, quæ non dicunt respectum ad extrà: secundò notionalia: tertiò, & vltimò creata, siue extrinseca: & quodlibet emanans recipit illud perfectionis ab ea, cuius est capax, si sibi non repugnat, & illius recepti causa quasi effectiua, & primaria est infinitas essentiæ; causa autem siue ratio formalis est ipsa entitas propria cuiuslibet emanantis. Essentiale ergo recipit ab ea infinitatem formalem, quia talis essentia sufficit in ratione principij, & fundamenti ad dandum talem quantitatem, & talis quantitas virtualis ipsi non repugnat: sicut nec communicabilitas. Ipsa autem relationi personali competit per essentiam esse ad alterum, nec competit sibi infinitas intensiuè propria, quia ipsa non est capax talis quantitatis, sicut nec communicabilitatis. Etiam in genere principij formalis est status, hoc enim accipit infinitatem, illud non; quia hoc est hoc, & illud est illud, sicut hoc accipit communicabilitatem, illud incommunicabilitatem, quia hoc est hoc, & illud est illud: repugnantia enim formalis, & nō repugnantia, primò reducitur formaliter ad rationē eius, cui dicitur esse repugnātia. Tandem ab essentia creaturæ recipiunt entitatem finitam, quia talis sola eis cōpetit.

Resolutio notabilis.

Identitas cùm essentia non sufficit ad infinitatem.

Ad formam igitur argumenti dico, quòd sola identitas essentiæ non est sola ratio habendi infinitatem formaliter, sed est ratio sufficiens omni ei, cui formaliter autem repugnat relationi personali, vt probatum est, & nulli essentiali. Et si quæras quare compossibilis est infinitas huic, & non huic? Potest quæri in oppositum, quare huic repugnat incommunicabilitas, & huic non? quod omnes concedunt, & est eadem responsio: quia in ratione principij formalis; quia, scilicet formaliter hoc est hoc, & illud est illud formaliter. Quia autem in ratione principij fundamentalis ipsa essentia est vnum principium illimitatum, à quo multa sunt ordinatè nata procedere, & quodlibet in primo instanti, in quo quasi emanat, vel procedit in *esse*, suam habet entitatem, hoc talem, & illud talem, & huic sua entitas est ratio repugnantiæ alicuius, cuius tamen illi non est ratio repugnantiæ entitas sua.

2. Ad arg. in initio quæst. Idem ibidē diffinitio 12.

Ad Argumentum principale sicut declaratum est in primo articulo: infinitas in entitate dicit totalitatem in entitate, & per oppositum suo modo finitas dicit partialitatem entitatis. Omne enim finitum vt tale, minus est infinito vt tali: quia secundùm Euclidem 7. conclusione 4. *omnis numerus minor maioris numeri pars est, vel partes*. Hoc non sic intelligendum est: quòd iste binarius sit pars illius ternarij, quia nihil est sic in Diuinis: sed quantùm ad proportiones omnes attendendas in quantitatibus, ille binarius se habet ad illū ternariū, sicut pars, vel partes ad totū, quia simili modo exceditur ab illo ternario, sicut exceditur alius binarius ab alio ternario cuius est pars. Ita dico hîc: nullum creatum est pars Dei, cùm Deus sit simplicissimus, sed omne finitum, cùm sit minus illa entitate infinita conformiter potest dici pars, licèt non sit secundùm aliquam proportionē determinatam, quia exceditur in infinitum, & hoc modo omne aliud ens ab ente infinito dicitur ens per participationem, quia capit partem illius entitatis, quæ est ibi totaliter, & perfectè. Hoc ergo volo habere, quòd omne finitum, cùm sit minus infinito, est pars: cui ergo repugnat esse pars, vel excedi realiter ab aliquo, ei repugnat esse finitum: nunc autem paternitati huic repugnat esse pars diuinitatis illo modo, vel excedi à diuinitate, quia propter infinitatem diuinitatis paternitas, cùm sit compossibilis sibi in eodem supposito, est simpliciter idem sibi. Et per cōsequens realiter excedi nō potest, nec esse pars, nec rationem partis habere potest; non ergo est finita, nec infinita, sicut priùs probatū est: quia sicut finitū habet rationē partis modo prædicto, ita infinitū habet rationē totius hoc modo, scil. ex plenitudine quātitatis virtualis suę mensurās omne aliud vt maius per accesū ad ipsū, & minùs 26.

Finitū omne ens participationem.

Ex hoc habes cur paternitas in creaturis est quanta formaliter: non autem in Diuinis.

minùs per recessum, sed nec paternitas habet rationem totalitatis, quia mensura secundùm gradum quendam perfectionis stat ad aliquod primum in ordine mensurandi, quod est essentia absoluta.

Dico ergo breuiter, quòd paternitas nec formaliter est finita, nec formaliter infinita. Et cùm arguis ex diuisione immediata entis in ista, etiam antequam descendat in decem Genera: concedo benè, quòd ista non diuidunt ens, vt iam contractum est ad aliquod Genus, imò quodlibet Genus, & ens vt immediatè indifferens ad decem Genera, est præcisè ens finitum: finitum tamen & infinitum non diuidunt ens, nisi ens quantum, quia sicut secundùm Philosophum *primo Physicorum*, finitum & infinitum quantitati congruunt, quod est verum de finito & infinito, & quantitate propriè acceptis: ita etiam extensiuè loquendo, finitum & infinitum, vt sunt passiones entis, conueniunt præcisè enti quanto in se habenti quantitatem aliquam perfectionalem: talis autem quantitas non conuenit entitati, nisi quæ potest esse partialis, vel totalis inter essentias: quantitatem enim comparatam ad aliam statim oportet excedere, vel excedi, & esse partiale vel totale, sicut hîc loquimur de partiali & totali, paternitas autem vt paternitas non potest esse inter entitates totalis nec partialis.

Text. 15. *Hæc responsio apud Scotistas est vt principiū:* de quo 2. Elẽcho. rum ad finem.

Posset etiam dici, quòd quantitas virtualiter non conuenit nisi entitati quiditatiuè, vt, scilicet distinguitur ab entitate hypostatica; & per consequens nec finitas, nec infinitas. Ista autem entitas, licèt sit in se quodammodò quiditatiua: tamen vt est talis, est tantùm hypostatica.

Tertiò modo dici potest, quòd quantitas virtualis non conuenit nisi entitati absolutè. Sed istæ duæ responsiones vltimæ concedunt aliqua dubia de entitate hypostatica, & entitate relatiua, quòd scilicet non habeant quantitatem virtualem

Viso de relatione originis in Diuinis, sequitur quæstio de relationibus communibus, & est vnica.

COMMENTARIVS.

Dubia.

1 Circa tertiũ articulũ in quo mouẽtur dubia. Et arguit Doctor quadrupliciter probãdo quòd relatio originis sit formaliter infinita. Et primò sic arguit, generatio diuina est incõprehensibilis ab omni intellectu creato, & solũ ab intellectu infinito comprehensibilis: ergo est formaliter infinita. Antecedens patet. Isaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit*, &c. Vnde Hieronymus & Augustinus cõcludunt quòd sit incomprehensibilis, Consequentia probatur, quia solùm formaliter infinitum est comprehensibile ab intellectu creato.

Responsio.

Respondet primò præmittendo vnum: secundò ad formam argumenti. Præmittit enim, quòd quando alicuius intellectus est aliquod primum obiectum primitate virtutis, per illud quodlibet aliud obiectum intelligitur secundùm ordinem, quem vnumquodque obiectum habet ad illud primum. Exemplum, quando alicuius intellectus est aliquod primum obiectum, primitate virtutis, immediatiùs intelligitur virtute eius illud, quod est per se idem illi, quàm illud, quod est per accidens idem illi. Nunc autem intellectus diuini est omnino idem obiectum primum, primitate virtutis, & adæquationis, sicut tactum est; essentia, scilicet sub ratione essentiæ; nullum ergo personale est illi intellectui hoc modo obiectum primum, propinquius tamen est primo obiecto, quàm aliquod creatum, pro quanto est idem obiecto primo, & ideò propinquius in entitate, & per cõsequẽs in cognoscibilitate. Hoc præmisit Doctor, quia ex quo sola essentia diuina est primum obiectum primitate virtutis, ac per consequens omnes, etiam relationes diuinæ cognoscuntur virtute eius, & requiritur quòd ipsa relatio nullam virtutem habeat respectu suæ cognoscibilitatis. Ad formam argumenti dicit, quòd si generatio esset incomprehensibilis propria incomprehensibilitate, quòd etiam esset infinita propria infinitate, sed non est sic incomprehensibilis.

Exemplum.

Quomodo essentia diuina sit primum obiectum primitate virtutis?

Posset tamen ista, scilicet, *est incomprehensibilis intellectu creato*, habere multiplicem sensuum, scilicet vel quia ratio formalis cognoscendi eam est incomprehensibilis, scilicet essentia, vt essentia, & sic possit dici incomprehẽsibilis principiatiuè, scilicet quia principium cognoscendi eam est incomprehensibile. Et addit, quòd ipsa generatio nota est primò intelligi per essentiam, tanquam per obiectum primum, tam ab intellectu diuino, quàm beato. Vel etiam posset dici incomprehensibilis, quantùm ad illud, quod includit, quia generatio includit communicationem essentiæ, quæ fit per ipsam, vel per naturam personæ ad personam.

§ *Contra istas rationes arguitur.* Hîc Doctor non improbat istas rationes in se, sed quia non sunt ad propositum, quia generatio, vt generatio, formaliter sumpta, est incomprehensibilis. Respondet Doctor quòd comprehensibile intellectui finito, necessariò est finitum, & incomprehensibile non est finitũ: & sic concedit quòd generatio non sit finita, & tamen vltrà non sequitur, non est finita, ergo est infinita, vt patet, *in 1. d. 8. q. 2. Respondendo, ad principalia argumẽta.* Et addit vnũ, quòd ad hoc, vt sit ista vera: quod est incomprehensibile ab intellectu creato, est infinitum, requiritur quòd incomprehensibile non solùm intelligatur negatiuè, quia, scilicet non potest cõprehendi, sed quòd etiã intelligatur contrariè, scilicet quòd incomprehensibile habeat quantitatem virtualem, excedentẽ omne comprehensibile, sic non est in proposito, &c.

Istæ rationes non sunt ad propositum.

Secũdò principaliter arguit quòd omnis actio adæquata principio, & termino formaliter infinitis, est infinita, aliter non esset adæquata; sed generatio adæquatur memoriæ, vt principio formaliter productiuo, & formaliter infinito, quo etiã memoria est terminus formalis generationis, vt probat *in 1. d. 5. q. 2.* & quòd sit adæquata patet in q. 4. vbi probatur, quòd non potest esse nisi vnica, imò sic illa sola est, quòd si illa præcisè non esset, nulla alia posset esse.

Responsio. Respondet quòd maior est vera de adæquatione secundùm quantitatem virtutis, non autem de adæquatione secundùm proportionem; & hoc modo generatio adæquatur secundùm proportionem, quia sibi summè proportionatur, & in tantùm sibi proportionatur, saltem extensiuè, quòd nulla alia potest esse, nullo tamen modo proportionatur intensiuè, cùm nullam perfectionem formalem dicat.

Tertiò, arguit principaliter, quod est ratio subsistendi, est ratio perfectissimè essendi, & per consequens formaliter infinitum; sed relatio originis est ratio perfectissimè subsistendi: ergo.

Respondet quòd subsistere in diuinis potest accipi, vel pro per se esse cõmunicabiliter tantùm, vel pro per se esse incommunicabiliter. Primo modo est formaliter infinitum, sed non secundo modo, & relatio originis est ratio subsistendi tantùm secundo modo.

27. Quartò, & vltimò arguit: Sicut intellectus diuinus non est formaliter infinitus, nisi quia est idem essentiæ diuinæ, quæ primò est infinita; sed paternitas est eadem illi; ergo erit similiter formaliter infinita.

Responsio Doctoris. Respondet, negando quòd talis identitas sit præcisa causa infinitatis, sed benè est ratio sufficiens omni ei, cui formaliter non repugnat infinitas; formaliter autem repugnat relationi, & non intellectui. Et si quæratur quare infinitas est compossibilis vni, & non alteri? Dicit quòd similiter potest quæri, quare paternitati repugnat communicabilitas, & intellectui non: non est alia ratio, nisi quia formaliter hoc est hoc, & illud est illud. Et dicit sic Doctor, primum omnino in diuinis vt tactum est in prima q. est essentia, vt essentia, quæ secundùm Damascenum est pelagus, propter comprehensionem omnium perfectionum diuinarum. Ipsa enim est infinita non tantùm intensiuè in se, sed etiam virtualiter primò, & per se continens omnia intrinseca: quodcunque autem aliud continet per identitatem alia, sed non primò omnia, quia nec à se, sed virtute essentiæ, à qua etiam habet suam infinitatem. *Quomodo essentia sit infinita?* Videtur ergo quòd essentia habeat infinitatem, & formaliter, propriam, & primam, quia à se, quia respectu omnium dicitur pelagus, quia omnẽ perfectissimè continet entitatem intrinsecam, vt possibile est eam contineri in vno formaliter. Ab hac autem prima sicut licet loqui, emanant omnia ordinatè, primò quidem intrinseca essentialia, quę non dicunt respectum ad extrà, secundò notionalia, tertiò, & vltimò creata, siue extrinseca; & quodlibet emanans recipit illud perfectionis ab ea, cuius est capax, si sibi non repugnat, & illius recepti causa quasi effectiua, & primaria est infinitas essentiæ, causa autem, siue ratio formalis illius recepti est entitas propria, &c.

28. Ad argumentum principale. Doctor arguit in principio quęstionis. Ibi *Ad oppositũ*, & ratio stat in hoc, ens diuiditur per finitum, & infinitũ relatio originis non est finita, quia finitum non potest esse realiter idem infinito, relatio originis est idem realiter infinito: ergo.

Respondet, assignando rationem, quare relatio in diuinis non dicatur nec finita, nec infinita. *Quare relatio originis non dicatur, neque finita, neque infinita?* Infinitas enim dicit totalitatem, vt patuit in 1. art. & per oppositum suo modo finitas dicit partialitatem; omne enim finitum, vt tale, minus est infinito, vt tali. Cui ergo repugnat esse pars, vel realiter excedi ab aliquo, ei repugnat esse finitum. Nunc autem paternitati huic repugnat esse pars diuinitatis illo modo, vel excedi à diuinitate, quia propter infinitatem paternitas, cùm sit compossibilis sibi in eodem supposito, est simpliciter idem sibi, & per consequens realiter excedi non potest, nec est pars, nec habet rationem partis; non est ergo finita nec infinita, sicut primò probatum est: quia sicut finitum habet rationem partis suo modo, ita infinitum habet rationem totius hoc modo, scilicet ex plenitudine quantitatis virtualitatis suæ, mensurans omne aliud vt maius per accessum ad ipsum, & minus per recessum; sed nec paternitas habet rationem totalitatis, quia mensuratio secundùm gradum quendam perfectionis stat ad aliquod primum in ordine mensurandi, quod est essentia absoluta. Dicit ergo quòd paternitas, nec est formaliter infinita, nec formaliter finita. Et cùm arguitur ex diuisione entis in ens finitum & infinitum. Dicit Doctor quòd hæc diuisio est diuisio entis quanti, quia sicut secundùm Philosophum *primo Phys. t. c. 15.* finitũ, & infinitum quantitati congruunt, quod est verũ, de finito, & infinito propriè, & de quãtitate propriè accepta; ita etiã extensiuè loquendo finitũ, & infinitũ, vt sunt passiones entis, cõueniũt præcisè enti quanto, in se habenti quantitatem aliquam perfectionalem; talis autem quantitas non conuenit entitati, nisi, quæ potest esse partialis, vel totalis inter essentias; quantitatem enim comparatam ad aliam, statim oportet excedere, vel excedi, & esse partiale, vel totale, sicut hîc loquimur de partiali, & totali: paternitas autem, vt paternitas, non potest esse inter entitates, nec partialis, nec totalis.

In isto articulo, ad maiorem declarationem literæ, dubitatur contra aliqua dicta. 29. *Cui cõueniat quantitas virtualis.* Primò ergo dubitatur, in hoc quod dicit, scilicet, quòd *relatio originis non habeat propriam incomprehensibilitatem* & instatur ostendendo quòd habeat propriam incomprehensibilitatem, instatur sic primò; quod habet propriam entitatem, habet propriam comprehensibilitatem, vel incomprehensibilitatem: sed paternitas habet propriam entitatem: ergo. Maior est nota, quia comprehensibilitas, vel incomprehensibilitas sequitur entitatem, ideò vel tale ens est incomprehensibile, vel comprehensibile; quia est tale ens quiditatiuè. *Prima difficultas.* Minor patet, quia paternitas formaliter positiuè distinguitur ab essentia: ergo dicit distinctam entitatem formaliter.

Secunda. Secundò instatur, quod habet propriam intelligibilitatem, habet propriam comprehensibilitatem, vel incomprehensibilitatem: sed paternitas habet propriam intelligibilitatem: ergo, &c. Maior patet, quia comprehensibilitas, vel incomprehensibilitas sequitur intelligibilitatem. Minor patet, quia intelligibilitas sequitur entitatem, vt conceditur.

Tertia. Tertiò inſtatur, quia *A* dicitur comprehenſibile ab intellectu *B*, qui poteſt elicere actum, quo poteſt intelligere *A*, quantum eſt intelligibile, vt puta ſi *A* ſit intelligibile intellectione vt octo, ille actus intelligendi vt octo, diceretur actus comprehenſiuus ipſius *A*, & ſi non poteſt elicere actum vt octo, tunc talis intellectus nullo modo comprehenderet *A*: ſed paternitas, vt diſtincta ab eſſentia eſt, ſic vel ſic intelligibilis pura intellectione, vt ſex vel vt octo, ergo ſi ab intellectu creato non poteſt cõprehendi, ſequitur quòd erit incomprehenſibilis, vt diſtincta formaliter ab eſſentia; ergo vt ſic, habet propriam incomprehenſibilitatem.

Quarta. Quartò inſtatur ſic; paternitas, vt formaliter diſtincta ab eſſentia diuina, comprehenditur ab intellectu diuino, habet propriam, & diſtinctam comprehenſibilitatem, quia propriam entitatem; ergo reſpectu intellectus, qui non poteſt comprehendere habet propriam incomprehenſibilitatem, quia comprehenſibile, & incomprehenſibile ſunt oppoſita circa idem.

30. *Relatio originis an poſſit comprehendi.* Secundò principaliter dubitatur de hoc, quod dicit ſcilicet quòd *relatio originis non poteſt comprehendi ab intellectu creato*, inſtatur, probando quòd poſſit comprehendi. Et primò ſic, ſi non poteſt comprehendi, aut eſt ratione perfectionis, aut ratione imperfectionis; non videtur aliud membrum dandum. Dicimus enim quòd eſſentia diuina non poteſt comprehendi ab intellectu creato, quia eſt formaliter infinita. Non ratione perfectionis; patet, quia nullam formaliter dicit perfectionem, vt patet. Non ratione imperfectionis, quia nullam neceſſariò dicit imperfectionem. Secundò inſtatur, ille intellectus comprehendit *A*, qui elicit actum adæquatum ipſi *A*, ſed intellectus creatus poteſt elicere actum adæquatum relationis; patet, quia non eſt intelligibilis actu formaliter infinito, ita quòd neceſſariò requirat talem actum, cùm nec ipſa ſit formaliter infinita; ſed intellectui creato non repugnat elicere actum non formaliter infinitum; ergo, &c. Tertiò inſtatur, quia Deus poteſt cauſare in intellectu creato actum, quo comprehendat paternitatem diuinam; ergo abſolutè non repugnat intellectui creato comprehendere illam. Antecedens patet, quia ille actus comprehenſiuus non erit neceſſariò infinitus, quia nec obiectum, ad quod terminatur, eſt formaliter infinitum. Quartò inſtatur, quia intellectus beatus diſtinctiſſimè intuetur illam, & ſecundùm omnem conditionem eius; ergo intellectus creatus beatus comprehendit illam. Conſequentia eſt nota: antecedens ſimiliter patet, quia perfectè intuetur totam Trinitatem; ergo diſtinctiſſimè.

31. Tertiò principaliter dubitatur in hoc, ſcilicet, quòd *incomprehenſibile contrariè includit formaliter quantitatem virtualem, excedentem omne comprehenſibile.* Contrà inſtatur ſic, primò, quia tunc in diuinis erunt plura incomprehenſibilia contrariè, quia plura formaliter infinita, & tunc ſequitur quòd ab intellectu infinito non poterunt ſimul comprehendi. Et arguo ſic, intellectui diuino non poſſunt eſſe plures actus comprehenſiui, nec realiter, nec formaliter diſtincti, vt etiam patet à Doctore in pluribus locis. Sed ſingulum infinitum eſt comprehenſibile propria comprehenſibilitate, cùm includat propriam quantitatem virtualem excedentem omne comprehenſibile finitum: ergo intellectus infinitus reſpectu alterius, & alterius infiniti habebit alium, & alium actum comprehenſiuum, ſaltem alium formaliter.

Quartò principaliter dubitatur de hoc, ſcilicet, quòd *eſſentia diuina, vt eſſentia, eſt primum obiectum, tam intellectus diuini, quàm intellectus creati beati.*

Quintò dubitatur de hoc, ſcilicet *eſſentia diuina non poſſet communicari pluribus ſuppoſitis, niſi eſſet infinita.*

Sextò dubitatur in hoc, ſcilicet, *communicabile in diuinis intelligitur non quaſi ſubſiſtens, ſed quaſi inhærens ſubſiſtenti, & quaſi modum inhærentiæ habens.*

Septimò dubitatur in hoc, ſcilicet, quòd *ſola identitas cum eſſentia diuina non eſt ratio ſola habendi infinitatem formaliter omni ei cui non repugnat formaliter infinitas.*

Octauò dubitatur in hoc, ſcilicet *paternitati repugnat eſſe pars, vel quaſi pars* (accipiendo partem pro minùs ente) *quia realiter repugnat ſibi excedi, vel poſſe ab aliquo excedi.*

Nonò dubitatur de hoc, ſcilicet, quòd *finitum, & infinitum preciſè diuidunt ens quantum, habens quantitatem perfectionalem aliquam.*

Decimò dubitatur in hoc, quòd *entitas quanta neceſſariò eſt, vel entitas partialis, vel entitas totalis inter eſſentias, & ſic paternitas diuina non eſt entitas, nec partialis, nec totalis inter eſſentias.*

Inſtatur contra quartum dictum, quia ſi eſſentia, vt eſſentia eſt obiectum primum intellectus beati, ſequitur primò quòd mouebit intellectum creatum neceſſariò, & per modum naturæ; patet, quia eſſentia, vt eſſentia, non poteſt mouere, niſi per modum naturæ, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 7. *&* 13. *& in quolib. quæſt.* 14. *artic.* 2. Sed eſt impoſſibile ipſam mouere poſſe per modum naturæ aliquem intellectum creatum, vt patet à Doctore *in primo, & in quolib.* 32. *Obiectiones contra multa dicta.*

Secundò ſequitur quòd quilibet beatus æquè perfectè, & æquè intensè videbit eſſentiam: patet, quia vt ſic mouebit intellectum neceſſariò, & per modum naturæ, & per conſequens perfectiori modo, quo poterit, quia cauſa agens neceſſariò, & per modum naturæ, niſi ſit impedita, ſemper producit effectum perfectiſſimum, quem poteſt, vt patet à Doctore *in primo diſt.* 3. *quæſt.* 2. *& quæſt. vlt. diſt.* 8. Sequerentur etiam plura alia inconuenientia, quæ pro nunc tranſeo.

Inſtatur contra quintum dictum principale reſpondendo, quòd *eſſentia diuina ſit communicabilis, etiam circunſcripta infinitate intenſiua,* & arguo ſic, primò, omnis quiditas eſt pluribus communicabilis, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 2. *parte* 2. *quæſt.* 1. *& diſt.* 26. Sed quia poſſet eſſe difficultas de relationibus originis, an dicant quiditatem, vt ſuprà patuit *in fin. quæſt.* & ſpecialiter *in primo diſt.* 25. & vide quæ ibi notaui, *& diſt.* 26. ideò ad euitandam hanc difficultatem, facio hanc maiorem; ſcilicet: Omnis natura, cui formaliter non repugnat perfectio ſimpliciter, eſt verè communicabilis: ſed natura diuina, circunſcripta infinitate, eſt natura, cui formaliter non repugnat perfectio ſimpliciter; ergo. Maior eſt Doctoris *in primo diſt.* 2. *&* 6. *& alibi.* *Quomodo eſſentia diuina ſit communicabilis.*

Secundò instatur sic, natura perfectissima est communicabilis: sed natura diuina, sub ratione qua hæc natura, etiam circunscripta infinitate, est perfectissima. Maior est Doctoris *in primo dist.2.parte,2.quæst.1.* Minor patet à Doctore *in prolog.quæst.3.* vbi vult, quòd ratio perfectissima est Deitas, vt Deitas, & hoc idem *in 3. dist.26. & 27.*

Tertiò instatur, quia sicut passio est communicabilis, quia natura, cuius est communicabilis, sic gradus intrinsecus non videtur communicabilis, nisi natura cuius est, sit communicabilis: & patet similitudo, quia vtrumque sequitur naturam. Si ergo infinitas sit communicabilis, à fortiori natura, cuius est, erit communicabilis, & primò communicabilis.

34. Instatur contra sextum dictum principale. Et ostendo quòd nullo modo communicabile in diuinis aliquo modo se habeat per modum inhærentiæ: primò, quia omnis imperfectio vel quasi imperfectio neganda est simpliciter à diuinis, vt patet à Doctore *in primo, dist.5.quæst.2.* vbi negat omnem materiam, cùm sonet quasi imperfectionem.

Secundò, quia Doctor *in primo dist. 5. qu. 2, & dist. 26.* dicit quòd proprietas diuina nullo modo est actus essentiæ, sed magis essentia est, id quo proprietas est: ergo sequitur quòd essentia nullo modo sit quasi inhærens.

Tertiò instatur, quia proprietas est magis inhærens naturæ, & nullo modo è contra dicitur natura inhærere, vel quasi inhærere, hoc patet, quia etiam in nobis hæcceitas dicitur naturæ inhærere, vel quasi inhærere, & si distingueretur realiter verè inhæreret, sic videtur de proprietate diuina.

Quartò instatur, quia inhærens, vel quasi inhærens, habet rationem posterioris respectu illius cui inhæret, vel quasi inhæret.

Contra septimum dictum instatur, probando, quòd identitas non sit ratio, quare bonitas diuina sit formaliter infinita. Et primò sic instatur, quia identitas inter aliqua necessariò præsupponit extrema inter quæ sit identitas, ergo aliquando præintelliguntur Deitas, & bonitas; ergo in illo priori erit infinita, cùm sit gradus intrinsecus, & identitas sequitur gradum intrinsecum. Secundò instatur, quia Doctor vult quòd essentia, vt infinita, identificet sibi omnia, quæ quasi ab ipsa pullulant, vt patet *in præsenti qu.* ergo priùs pullulant attributa, vt infinita, quàm sibi identificet illia; ergo identitas non est ratio quare bonitas sit formaliter infinita.

Quomodo paternitas sit quasi pars. Contra octauum dictum, & probo quòd paternitas formaliter accepta sit quasi pars; patet, quia ipsa cum non sit formaliter infinita erit minus ens; patet, quia omnis entitas alteri comparata, aut erit æqualis, aut minor; aut major; sed paternitas non est æqualis, nec maior; ergo minor; ergo per rationem Doctoris habebit rationem partis, vel quasi partis. Secundo instatur, cui non repugnat excedi, vel quasi ab alio excedi, ei non repugnat esse pars, vel quasi pars; hoc patet per rationem Doctoris. Sed paternitati non repugnat formaliter excedi à Deitate, patet, quia formaliter infinitum necessariò excedit in entitate omne non formaliter infinitum.

Contra nonum dictum aliàs exposui *in secundo.* & exposui quomodo ista diuisio debeat intelligi, & an relatio realis in creaturis, sit quanta secundùm quantitatem perfectionalem. Vide ibi.

Contra decimum pro nunc non insto, sed relinquo ingenio altiori, & acutiori discutiendum subtiliter, &c.

Respondeo ad omnes obiectiones; & primò ad illas, quæ sunt contra primum dictum. Et præmitto vnum, scilicet, quòd incomprehensibile ab intellectu creato potest intelligi tripliciter. Primò positiuè, & contrariè, & sic ens formaliter infinitum dicitur incomprehensibile. Secundò negatiuè tantùm, videlicet quòd sit talis entitas, quæ etsi in perfectione nullum comprehensibile excedat, tamen est talis entitas, quòd repugnat intellectui finito posse eum comprehendere. Tertiò, quia est talis entitas, quæ nec in se formaliter potest mouere intellectum, nec aliquod creatum potest continere notitiam illius; Primo modo nulla relatio originis est incomprehensibilis, sed benè secundo, & tertio modo, & si negetur secundus modus, tertius tamen negari non potest. Hoc præmisso, dico ad primam, quòd paternitas, ex quo habet propriam entitatem, quòd etiam habet propriam incomprehensibilitatem, saltem secundo modo, sed primo & tertio modo nullo modo habet propriam incomprehensibilitatem, vt patet. 35. *Responsio ad obiectiones.*

Ad secundum dico, quòd habere propriam intelligibilitatem potest pariformiter intelligi tripliciter, sicut etiam incomprehensibile. Primò, quòd dicatur propria, quia excedit omne intelligibile. Secundò propria, quia talis intelligibilitas soli illi formaliter conuenit. Tertiò, quia potest sola mouere ad sui intellectionem. Nec primo, nec tertio modo relatio originis habet propriam intelligibilitatem, sed benè secundo modo, quia & propriam terminationem, quia fortè nulla alia entitas potest terminare notitiam, puta paternitatis, sed sola paternitas terminat. Et sic per oppositum concedo quod nec primo, nec tertio modo habet propriam incomprehensibilitatem, licèt fortè secundo modo. *Habere propriam intelligibilitatem potest intelligi tripliciter.*

Ad tertium patet per ea, quæ dicta sunt ad primum, & secundum.

Ad quartum concedo quòd paternitas respectu intellectus diuini habet propriam comprehensibilitatem oppositam incomprehensibilitati secundo modo; sed non habet oppositam primo, & secundo modo, vt patet.

Ad instantias contra secundum dictum. Ad primam dico quòd non posse comprehendi primo, vel tertio modo, est ratione perfectionis infinitæ, vt patet. Sed non posse comprehendi secundo modo non est ratione perfectionis, vel imperfectionis, sed præcisè ratione talis entitatis, quæ nec perfectionem formaliter, nec imperfectionem includit, nec est formaliter infinita, nec formaliter finita. 36.

Ad secundum dico, quòd accipiendo incomprehensibile primo, & tertio modo, nullus intellectus creatus potest comprehendere relationem originis, sed secundo modo. Dico etiam quòd nullus intellectus potest elicere actum adæquatum relationi originis, quia actus adæquatus nullam necessariò includit imperfectionem, nec limitationem; imò omnis actus, vt

ab in

ab intellectu creato elicitus necessario includit imperfectionem, quia limitationem.

Ad tertium dico primò, quòd & si Deus possit fortè causare, tamen conclusio debet intelligi, quòd à nullo intellectu creato potest virtute propria comprehendi, sed benè virtute diuina. Dico secundò, & fortè magis ad intentionem conclusionis, quòd non potest causari in intellectu creato actus comprehensiuus relationis originis, quia talis non includeret necessariò imperfectionem, cùm talis relatio nata sit intelligi actu non includente aliquam imperfectionem; modò omnis actus, etiam immediatè à Deo creatus in intellectu creato, necessario est finitus, & limitatus sicut etiam non potest causari actus comprehensiuus deitatis, quia ille esset formaliter infinitus, vt aliàs exposui.

Ad quartum patet ex supradictis.

37. *An sint plura comprehēsibilia.* Ad instantiam contra tertium dictum concedo quòd sunt plura incomprehensibilia formaliter distincta, & hoc non est inconueniens apud Doctorem. Et cùm arguitur, quòd tunc essent plures actus conprehensiui, saltem formaliter distincti. Dico, quòd hoc non sequitur, nisi de obiectis formaliter infinitis, quorum vnum nullo modo originatur, nec quasi originatur ab alio. In proposito autem omnia formaliter in diuinis suo modo pullulant ab essentia, & in essentia diuina, & ideò continet non solùm notitiam sui, sed etiam omnium attributorum, vt aliàs exposui super primo.

Ad instantias contra quartum dictum, dico breuiter quòd quando Doctor ponit quòd essentia, vt essentia est obiectum intellectus beati creati, & per consequens quòd sit ratio mouendi ipsum, debet intelligi, vel quòd essentia, vel aliquid quod realiter sit ipsa essentia, vt patet ab ipso *in quol. quæst.* 14. *artic.* 3. Et sic sola voluntas diuina immediatè mouet intellectum creatum ad notitia mintuitiuam essentiæ diuinæ, vt patet à Doctore vbi suprà. Ex hoc patet responsio ad aliud, quia voluntas diuina liberè causat visionem, & secundùm merita, vt patet à Doctore *in* 4. *dist.* 49. *Sola voluntas diuina mouet intellectum creatum.*

Ad instantias contra quintum dictum, dico breuiter primò, quòd natura singularis non est realiter communicabilis pluribus suppositis in vnitate naturæ, nisi sit talis natura cui formaliter nata sit in esse infinitas, vt gradus intrinsecus. Et sic concedo quòd Deitas, vt Deitas est communicabilis in vnitate naturæ pluribus suppositis, quia ipsi Deitati conuenit formaliter infinitas, vt gradus intrinsecus. Dico secundò, quòd infinitas est conditio necessaria ad hoc, vt natura actu possit communicari in vnitate essentiæ pluribus suppositis, sicut etiam ipsa essentia, vt essentia, est ratio formalis communicandi se Filio, & tamen actu non communicatur, nisi sit in supposito diuino; & sic suppositum requiritur vt conditio necessaria, vt patet à Doctore *in primo dist.* 7. *quæst. vnica, & in quolib.*

Ad instantias contra sextum dubium, dico breuiter quòd communicabile diuinum potest dici quasi inhærens, ex hoc solo, quòd perficit suppositum, & per se pertinet ad suppositum; non quòd nullomodo dicatur inhærere, nec quasi inhærere, eo modo, quo accidens inhæret, & dependet. Potest etiam dici, quòd quia simpliciter incommunicabile, nec vt *quo*, nec vt *quod* est communicabile alteri, & vt sic, nullo modo dicitur dependere, vel quasi, nec inhærere, nec quasi. Quia verò natura diuina est communicabilis, & vt *quo*, & vt *quod*, quod est perfectionis, ideò impropriè loquendo, dicitur quasi inhærere, vt inhærere dicit communicari supposito. Ex his patet responsio ad omnes instantias, quia procedunt de inhærentia, vel quasi inhærentia, quæ includunt dependentiam, vel quasi dependentiam, sed non prout dicit communicabilitatem naturæ supposito. 38. *Communicabile diuinum potest dici inhærens impropriè.*

Ad instantiam, contra septimum dictum dico, quòd conclusio Doctoris debet sanè intelligi. Nam & vult quòd identitas præcisè sit ratio communicandi infinitatem formaliter, cum aliquo modo sequatur extrema. Sed potest sic intelligi, quia essentia diuina quasi illa originat, vt eadem realiter sibi, idest, quòd quasi originat, puta bonitatem formaliter infinitam, vt perfectè identificabilem reali identitatè sibi; quia enim repugnat realiter distincto à Deitate esse formaliter infinitum, vt patet à Doctore *in primo dist.* 2. *quæst.* 1. *parte* 1. *& quæst.* 4. ideò si essentia originat, vel quasi originat attributa vt formaliter infinita, necessario originat, vt perfectè eadem sibi; & hoc modo Doctor intelligit, quod identitas est sufficiens ratio, quare attributa originentur, vt formaliter infinita. Ex his patet responsio ad instantias.

Ad instantias contra octauum dictum, dico primo, quod Doctor limitat se, quod ipsa paternitas non est realiter pars, nec realiter potest excedi, cùm sit simpliciter eadem realiter cum essentia diuina. Dico secundò, quod etiam loquendo de paternitate formaliter, & vt formaliter distincta ab essentia, adhuc non est pars, nec quasi pars, nec quasi excedi potest; quia ipsa est talis entitas, quæ nullo modo potest originari, vel quasi originari ab essentia diuina, vt formaliter infinita, nisi vt perfectè eadem realiter sibi, & per consequens repugnat sibi esse minus ens. Dico tertiò, quod propriè ens minùs est quantum, dicens perfectionem, vel imperfectionem; modo paternitas nullo modo est ens quantum. *Paternitas non est pars*

Ad instantias contra dubia patet loco præallegato.

QVÆSTIO

Qvæstio VI.

Vtrùm æqualitas in diuinis sit relatio realis.

Alens. 1. *part.qu.47.num.1.* D.Thom. *1.p.q.42.art.2.* Scot. 1. *d.19.qu.1,& d.* 81. *q.1.*D.Bonauent. *1.d.31. art. 1. qu. 2. &* 3. Rich. *art.1.qu.1. & 2.* Capr. *qu.1.art.1.* Durand. *q.* 1. Gabr. *qu.* 1. Suar. 1. *part.tract.3.lib.3.cap.15.*



ARGVITVR quòd sic: illa relatio est realis, quæ habet fundamentum reale & extrema realiter distincta; ista est huiusmodi; ergo;&c. Probatio minoris,ibi est magnitudo realis, scilicet essentiæ; & personæ realiter sunt distinctæ, quæ dicuntur adinuicem æquales. 1.

Ratio opp. Tex. 20.

Contrà. Omnis relatio realis fundatur super actionem, & passionem, vel supra quantitatem 5. *Metaph.* in Deo nulla relatio realis fundatur super quantitatem, quia secundùm August. 5. de Trin. cap. 1. *Deus est magnus sine quantitate*: ergo nulla est ibi relatio realis,nisi fundata super actionem & passionem; talis autem ibi est sola relatio originis:æqualitas autem non est relatio originis,quia eiusdem rationis in vtroque extremo.

Item, eadem est magnitudo in tribus personis, sicut eadem essentia; ergo extrema non sunt realiter distincta, nec per consequens relatio realis.

Hîc sunt tria videnda: primò, si æqualitatis in Diuinis sit aliquod fundamentum reale. Secundò, si sit realis distinctio extremorum. Tertiò, si illa æqualitas ex natura rei insit extremis secundùm fundamentum.

SCHOLIVM.

Fundamentum æqualitatis in communi esse Quantitatem ex Philosopho; an autem vnitas quantitatis sit formale fundamenti, hîc non resoluit, quia non requiritur ad quæstionis desitionem, esset tamen tenet 4.d.6.q.10.nu.5. Vide eum d.19.q.1.nu.2.& d.31.nu.3. vbi agit de fundamento proximo,& remoto æqualitatis, & de tota hac quæstione.

PRimus articulus habet tria. Primò videndum de fundamento æqualitatis in communi Secundò, quid posset assignari fundamentum æqualitatis in Diuinis, & si sint plura fundamenta,quæ,& quot, Et tertiò de quocunque eorum,si sit ibi reale. 2.

Capit. de Quantitate. *De fundamēto æqualitatis.* Tex. 20.

Primum videtur accipi à Philosopho, quòd fundamentum æqualitatis sit quantitas:ait enim in Prædicamentis, quòd *proprium est quantitati secundùm eam æquale, vel inæquale dici*: Istud secundùm notat fundamentum illius relationis, sicut ipse loquitur, c. de Qualitate, quòd *proprium sibi est, quòd aliquid secundùm eam dicatur simile, vel dissimile.* Istud dictum de fundamento æqualitatis vel similitudinis videtur magis explicare 5.Metaph.c.de ad aliquid, *æquale,simile,idem,secundùm vnum dicuntur omnia, æqualia,quorū quantitas est vna:similia,quorū qualitas est vna;eadē,quorū substantia est vna:* hîc ipse videtur innuere quòd nō sola quātitas est fundamētū æqualitatis,sed requiritur vnitas quātitatis,& tunc est quæstio generalior quæstione proposita,duplex.Vna, an vnitas sit formale in fūdamēto æqualitatis:& si daretur, quòd sic:an immediatior, quàm ipsa quantitas,cuius est vnitas,vel è cōuerso.Secunda questio,an vnitas sic per se pertinens ad fundamentū æqualitatis importet per se aliquid positiuum,vel solùm priuationem, vel negationem. Quòd si diceretur solam negationem importare, & cum hoc esset per se de fundamento æqualitatis, siue tanquam ratio proxima, siue remota, sequitur, quòd generaliter æqualitas non esset relatio realis. Istam conclusionem generalem, & istas duas præmissas, ex quibus sequitur, non oportet hîc discutere:quia transcendunt quæstionem propositam. Concedentes enim æqualitatem esse alibi relationem realem, adhuc negant specialiter de æqualitate diuina:esto igitur,quòd æqualitas generaliter sit relatio realis, vel positiua necessariò, siue non, adhuc inquiretur, si quantum est ex parte eorum, quæ requiruntur ad relationem realem,possunt etiam æquè saluari in æqualitate diuina,sicut in æqualitate creata.

Vide 5. Met.& 19. d.1.& 14. d.3.q.2.& 1. d. 4. & inde in simili.

SCHO

SCHOLIVM.

Fundamentum æqualitatis in Deo esse magnitudinem, æternitatem & potestatem ex Aug. & probat ex Philosopho, quia secundùm eum quantitas est fundamentum, nec est alia quantitas in Deo nisi æternitas vel magnitudo virtutis; illa enim correspondet successiuæ & hæc permanenti in creatis. Explicat clarè duo dubia circa locum August. de hoc videndus est 1. d. 19. q. 1. & d. 31. q. 1.

3. DE secundo in isto articulo, scilicet de æqualitate in Diuinis in speciali, quid sit eius fundamentum. Illud videtur Augustinus assignare, *primo de fide ad Petrum*, vbi loquens de tribus personis diuinis dicit. *Nulla*, inquit, *alteram præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate: quia nec Filio Pater anterior, aut maior est, & potest addi, aut etiam potentior.* Illud dictum Augustinus probatur ex dictis Philosophi: quia si æqualitas est secundùm quantitatem, cùm quantitas primo diuidatur in in continuam & discretam, in Diuinis non potest esse æqualitas secundùm quantitatem discretam, quia nulla est ibi nisi Trinitas, quæ non est numerus, vel si est pluralitas, minor pars est quodammodò maioris; & ita inæqualis sibi. Quantitas autem continua diuiditur in permanentem, & successiuam: in Deo non est quantitas successiua, est tamen aliqua, quæ est sibi correspondens, quæ est quantitas durationis, & illa propriè dicitur æternitas: quantitas permanens in creaturis dicitur communiter magnitudo molis, & omnis sibi correspondens in Diuinis, dicitur magnitudo virtutis; sequitur ergo ex dicto Philosophi dictum Augustini, quod ad hoc, quòd æqualis sit in Diuinis, aut est secundùm magnitudinem, aut secundùm æternitatem. *Fundamentum æqualitatis in Deo ex Augustino.* *In Deo non est quantitas continua, vel discreta.* *Duplex magnitudo*

4. Secundò, dictum Augustini exponitur: quia tunc ex dictis videtur superfluere tertium, quod addit *secundùm potestatem.* Sed est responsio, quòd æqualitas aliquorum attenditur propriè secundùm aliquid eis intrinsecum, & ad se: ex consequenti tamen æqualitas attendi potest in comparatione ad extrinseca. Vnde ex consequenti, ex hoc quòd aliqua formam aliquam habent in æquali gradu; sequitur quòd secundùm eam possunt æqualiter agere, in comparatione ad extrinseca: æqualitas ergo potestatis propriè non est alia ab æqualitate magnitudinis, & hoc ex æquo distincta: sed est quasi explicans quandam æqualitatem magnitudinis; quæ, scilicet magnitudo est formæ actiuæ: sicut in creaturis. quæ habent æqualem magnitudinem caloris, habent potentiam æqualem calefaciendi; sic ergo sunt tria, connumerando æqualitatem, quæ est in comparatione ad extrinseca, cum æqualitate, quæ est secundùm intrinseca; propriè autem & ex æquo, sunt tantummodò duo, quæ sunt ad se, & ad intra, secundùm quæ attenditur æqualitas, scilicet secundùm magnitudinem, & æternitatem. Et fortè propter ista, Augustinus in replicando, tantummodò ista duo replicat, non potentiam, cùm ait, *non est Pater Filio anterior, aut maior*, non dicit *aut potentior.* *Æqualitas potestatis in Deo qualis.*

Est etiam aliud dubium circa illud dictum Augustini quare non secundùm plura attenditur æqualitas? sunt enim Pater & Filius æquales secundùm sapientiam, secundùm bonitatem, secundùm iustitiam, & cætera talia.

Respondeo, non sunt æquales secundùm sapientiam, nisi vt habentes vnam magnitudinem: & ideò si secundùm quamcunque perfectionem essentialem sunt æquales, semper proxima ratio æqualitatis est magnitudo illius perfectionis: & ideò per solam magnitudinem intelligit ipse quamcunque perfectionem essentialem: quantùm, scilicet ad illud, quod est fundamentum æqualitatis: quia nulla fundat nisi sub ratione magnitudinis. *Personæ sũt æquales secundùm omnia attributa, & quomodo.*

SCHOLIVM.

Circa tertium primi articuli huius quæst. 1. si fundamentum æqualitatis sit in Deo realiter, tria explicanda sunt iuxtà locum August. adductum. Primum an magnitudo sit ibi ex natura rei, & circa hoc alia tria explicanda sunt; quorum primum est, qualiter magnitudo ponenda est in Deo? Et respondet ad mentem Philosophi, & August. Magnitudinem virtutis & perfectionis esse ponendam in Deo. Secundum, quid sit ex natura rei, cui conuenire possit hæc magnitudo. Respondet ibi esse realiter essentiam ex quæst. 1. num. 2. Et per hoc patet ad tertium horum, scilicet hanc magnitudinem ex natura rei conuenire essentiæ; quod probat 1. ex Damascen. 2. quia est infinita ex natura rei, (quia infinitas, cùm sit modus intrinsecus,

non

non conuenit per relationem rationis.) ergo similiter magna. Tertiò, modus obiecti beatifici est in re, vt est infinitas intensiua, quæ est magnitudo virtutis. Hîc explicat notitiam abstractiuam, & intuitiuam, probans hanc conuenire intellectui, quia conuenit sensui, de hac diuisione scientiæ agit 2.d.3.q.9.n.6.7.& q.11.n.11.12.& 3.d.14.q.3.& 4.d.10.q.8. & d.49.nu.12. probat clarè beatitudinem intellectus necessariò consistere in intuitione (non in abstractiua notitia) obiecti infiniti, quia finitum satiare nequit. de quo 3.d.14.q.1.

DE tertiò [a] in isto articulo, patet quòd ad illud vidēdum, oportet tria videre. Primò, an magnitudo sit ibi ex natura rei. Secūdò an æternitas. Tertiò an potestas. 1.

De primo oportet tria videre. Primò, qualiter magnitudo poni posset in Diuinis. Secundò quia magnitudo est alicuius magnitudo, ideò ad hoc, quòd habeamus magnitudinem ex natura rei, oportet primò habere aliquid ex natura rei, cuius sit magnitudo. Et tertiò, an illa magnitudo eius sit ibi ex natura rei: vt sic primum istorum, quod, scilicet est de magnitudine, requirat tria ad habendum complete propositum.

Text. 18. Qualiter magnitudo ponitur in diuinis. 3. Met. tex. 11. 8. Met. t. 10. & 10. Met. t. 2. & inde. Magnum, vel paruū, *translatiuè cōuenit omni enti, propriè verò soli quantitati.*

De primo Philosophus 5. *Metaphys. c. de quantitate* dicit. *Sunt autem magnum & paruum, & maius, & minus, & secundùm se, & adinuicem dicta, quanti passiones secundùm se: transferuntur etiam & ad alia, hæc nomina:* vult dicere, quod *magnum, & paruum* siue accipiantur absolutè, & secundùm se, siue respectiuè, secundùm se conueniunt quantitati propriè dictæ, translatiuè autem aliis. Et hoc apparet [b] satis per rationem, quia non negaret Philosophus æqualitatem esse indiuiduorum eiusdem speciei in quolibet genere, & inæqualitatem specierum: & per consequens, cùm secundùm ipsum, *æquale* & *inæquale* non dicantur nisi secundùm quantitatem, quantitas aliquo modo conuenit omni enti cuiuscúmque Generis: & per consequens licèt *magnum*, & *paruum* secundùm eum sint passiones propriæ quantitatis, tamen translatiuè accepta sunt transcendentia, & passiones totius entis. Augustinus autem *6. de Trin. cap.* 8. istam magnitudinem, quam Philosophus dicit translatiuè dictam, dicit esse magnitudinem, non molis, sed bonitatis, & perfectionis: *In his*, inquit, *quæ non mole magna sunt, idem est maius esse, quod melius esse.*

Patet ergo quòd *magnum* primo modo, secundùm Aristotelem propriè dictum: & secundùm Augustinū *magnum* mole non est in Deo, nec in aliquot spirituali, sed *magnum* translatiuè secundùm Philosophū, & *magnum* bonitate & virtute, vel perfectione secundùm Augustinum, potest poni ibi, quia illud est transcendens conueniens, suo modo, omni enti.

Quantùm ad secundum, ne de dubiis afferatur certum, certum est quòd est ibi essentia ex natura rei, quod etiam declaratum est *in primo art. 1. quæst.* 2.

Et statim ex hoc infertur tertium, scilicet quòd ipsa essentia, vt essentia, habet ex natura rei propriam magnitudinē; & hoc probatur auctoritate, & ratione duplici. Auctoritas est Damascenum c. 9. vbi vult, quòd essentia est pelagus quoddam substantiæ infinitum, & interminatum: essentia, vt sæpe dictum est, dicitur ab eo pelagus quoddā quasi prioritatem, & primā comprehensionem habens omnium; & vt sic, secūdùm ipsum, est infinita & interminata: sic ergo est infinitas est essentiæ, vt essentia.

Ex his sic arguitur. Essentia est infinita ex natura rei, vt accipitur ex auctoritate Damascenis quia vt est pelagus, est infinita: & vt est omnino prima, ex natura rei, dicitur pelagus: infinitas autem essentiæ dicitur magnitudo eius propria; ergo habet propriam magnitudinem ex natura rei. Minor quantùm ad aliquid satis patet: quia sicut quantitatiua infinitas propriè dicit magnitudinem imò extensiuè illimitationem quantitatis propriæ, ita infinitas intensiua, & in perfectione dicit summam perfectionem vel magnitudinem perfectionis.

Infinitas non proprietas nec passio: sed modus intrinsecus.

Per rationem arguitur sic. Infinitas intensiua conuenit essentiæ ex natura rei: illa est propria magnitudo essentiæ; ergo, &c. Maior probatur, quia, sicut declaratum est in quæstione præcedente, infinitas intensiua non dicit proprietatem, vel passionem eius, cuius est: sed modum intrinsecum eius; circumscripta etiam quacunque proprietate: nulli ergo potest conuenire, nisi cui ex natura rei intrinsecè conuenit. Probatio minoris: quia entitati quiditatis absolutæ, quæ nata est habere rationem mensuræ, vel mensurabilis, vel conuenit finitum, vel infinitum: cui ergo repugnat finitum, eit conuenit infinitum: talis est essentia diuina. Posset ergo argui ad probandum maiorem, per hoc, quòd relationi rationis non potest competere infinitas intensiua: quia tunc relatio rationis esset perfectio simpliciter; ergo nec infinitas potest alicui competere ex relatione rationis, sed tantùm ex natura rei.

Secundò

7. Secundò arguitur sic per rationem [c]: modus obiecti beatifici, vt obiectum beatificum est, est in re, & ex natura rei: Infinitas intensiua est talis modus in essentia diuina: ergo est ibi ex natura rei, & per consequens magnitudo. Maior probatur, ex perfectione actus beatifici, qui vt meliùs capiatur, distinguitur de duplici actu intellectus, & hoc loquendo de simplici apprehensione, siue intellectione obiecti simplicis, vnus indifferenter potest esse respectu obiecti existentis, & non existentis, & indifferenter etiam respectu obiecti, non realiter præsentis, sicut & realiter præsentis: istum actum frequenter experimur in nobis: quia vniuersalia, siue quiditates rerum intelligimus æquè, siue habeant ex natura rei *esse* extrà in aliquo supposito, siue non: & ita de præsentia & absentia. Et etiam hoc probatur à posteriori; quia scientia conclusionis, vel intellectus principij æquè in intellectu manet, re existente, & non existente præsente, vel absente: & æquè potest haberi actus sciendi conclusionem, & intelligendi principium: ergo æquè potest haberi intellectio extremi illius, à quo dependet illud *intelligere* complexum conclusionis, vel principij: iste actus intelligendi, qui scientificus dici potest, quia præuius, & requisitus ad *scire* conclusionis, & ad *intelligere* principij, potest satis propriè dici abstractiuus, quia abstrahit obiectum ab existentia, & non existentia: præsentia, & absentia.

Infinitas est modus obiecti beatifici.

Scientia indifferens ad existentia, & non existentia.

Notitia abstractiua & intuitiua explicantur. de quo 2. d. 3. q. 9. & 3. d. 14. q. 3.

8. Alius autem actus intelligendi est: quem tamen non ita certitudinaliter experimur in nobis: possibilis tamen est talis: qui, scilicet præcisè sit obiecti præsentis, vt præsentis: & existentis, vt existentis Hoc probatur; quia, omnis perfectio cognitionis absolutè, quæ potest competere potentiæ cognitiuæ sensitiuæ, potest eminenter competere potentiæ cognitiuæ intellectiuæ: nunc autem perfectionis est in actu cognoscendi, vt cognitio est, perfectè attingere primum cognitum: non autem perfectè attingitur, quando non in se attingitur; sed tantummodò in aliqua diminuta, vel deriuata similitudine ab ipso: sensitiua autem habet hanc perfectionem in cognitione sua: quia potest obiectum attingere in se, vt existens, & vt præsens est in existentia reali: & non tantùm diminutè attingendo ipsum in quadam perfectione diminuta; ergo ista perfectio competit intellectiuæ in cognoscēdo: sed non posset sibi competere, nisi cognosceret existens, & vt in existentia propria præsens est, vel in aliquo obiecto intelligibili eminenter ipsum continente: de quo non curamus ad præsens: talem autem actum cognitionis de existente, vt existens, & præsens est, habet Angelus de se: non tantùm enim intelligit Michaël se, eo modo, quo intelligeret Gabrielem, si Gabriel annihilaretur intellectione, scilicet abstractiua: sed intelligit se, vt existentem, & vt existentem eundem sibi: sic etiam intelligit suam intellectionem, si reflectatur super eam, non solùm considerando intellectionem, sicut quoddam obiectum abstractum ab existentia, & non existentia: quia sic intelligit intellectionem alterius Angeli, si nulla intellectio eius esset, sed intelligit se intelligere, hoc est, intellectionem sibi inexistentem: ergo ista intellectio possibilis Angelo est possibilis simpliciter intellectiuæ nostræ: quia promittitur nobis, quòd erimus æquales Angelis: ista, inquam, intellectio potest propriè dici intuitiua: quia ipsa est intuitio rei, vt existentis, & præsentis.

Intuitiua cognitio Dei datur in intellectu beato.

Angelus intelligit se & suam intellectionem intuitiuè.

Ex ista distinctione ad propositum: actus beatificus intellectus non potest esse cognitio abstractiua, sed necessariò intuitiua: quia abstractiua est æquè existentis, & non existentis, & sic beatitudo potest esse in obiecto non existente: quod est impossibile: abstractiua etiam posset haberi, licèt obiectum non attingatur in se, sed in similitudine: beatitudo autem nunquam habetur, nisi ipsum obiectum beatificum immediatè in se attingatur: & hoc est, quod aliqui vocant, & benè, ipsam intellectionem intuitiuam visionem facialem: & accipitur ab Apostolo, 1. ad Cor. 13. *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

Beatitudo non est notitia abstractiua.

Intuitio est visio facialis.

9. Ex his patet maior: quia si actus beatificus est necessariò intuitiuus ipsius obiecti: ergo est eius, vt existentis, & in existentia propria præsentis: ergo omnis conditio, quæ est obiecti per se beatifici, est eius per se, vt in existentia reali, imò, vt in ipsa reali existentia præsentis: ex quo habemus maiorem: probatio minoris, quod, scilicet infinitas sit per se conditio obiecti beatifici: nullus intellectus, nec etiam voluntas in aliquo obiecto perfectè quietatur, nisi sit in eo tota plenitudo primi obiecti, quanta, scilicet compossibilis est primo obiecto: talis plenitudo primi obiecti intellectus, vel voluntatis non potest esse nisi infinitas: ergo nulla potentia beatificabilis potest quietari in aliquo, nisi sit infinitum, & per consequens infinitas est per se conditio obiecti quietatiui: & ita beatifici. Maior probatur; Primò, quia cùm potentia naturaliter inclinatur ad primum obiectum suum, vbi non est plenitudo obiecti primi, sed defectus ple-

Solum obiectum infinitum potest beare 3. d. 4. q. 1. ad 3.

Potentia non quie-

tatur nisi in obiecto primo primitate perfectionis.

plenitudinis, ibi non est quietudo, imò potentia vlteriùs inclinatur, vbi vlteriùs est ratio primi obiecti. Probatio minoris, cui non repugnat infinitas; illud non habet totalem plenitudinem sibi possibilem, nisi sit infinitum. Hoc patet, quia sola infinitas est summa plenitudo eius, cui est compossibilis: nunc autem primo obiecto, tam intellectus, quàm voluntatis infinitas non est incompossibilis, quia siue sit ens, siue verum, vel aliquod tale abstractum ab omnibus, siue primum ens, vel primum verum, quod virtualiter continet alia; patet quòd infinitas non repugnat sibi: ergo non habet totalem plenitudinem suam, nisi habeat infinitatem. Sic ergo quantùm ad istum articulum de magnitudine habemus, quòd ibi sit aliquid ex natura rei, cuius sit magnitudo, vt essentia: & quòd eius sit magnitudo ex natura rei, & qualis magnitudo: quia non propriè secundùm Philosophum, sed transumptiuè, & non molis, secundùm Augustinum, sed perfectionis.

Primũ obiectum voluntatis & intellectus, est infinitum.

COMMENTARIVS.

1. a DE tertio, in isto articulo, scilicet si fundamentum; æqualitatis in diuinis sit ibi ex natura rei Et oportet tria videre, De primo, scilicet an magnitudo sit ibi ex natura rei, oportet videre tria, Primo, qualiter magnitudo ponitur in diuinis. Secundo quid sit illud in diuinis ex natura rei, cui conuenit magnitudo: & tertiò an illa magnitudo conueniat ei ex natura rei. *De primo Philosophus*, &c.

b *Et hoc apparet satis per rationem*, scilicet quod ista conueniunt aliis à quantitate propriè dicta, quia ipse Philosophus non negaret æqualitatem inter indiuidua eiusdem speciei, quia secundùm eum inter illa non est ordo essentialis, vt patet 3. *Met.* (Aduerte tamen quod licèt inter indiuidua dicatur esse æqualitas, non tamen propter hoc differentiæ indiuiduales sunt quantæ, quia illa æqualitas non est positiua, sed negatiua, pro quanto non excessus vnius indiuidui ab alio in perfectione essentiali, &c.) Nec similiter negaret inæqualitatem specierum, vt patet 8. & 10. *Met.* Esset ergo in aliis entibus æqualitas & inæqualitas secundùm quantitatem virtutis. Et hoc est quod dicit Augustinus 6. de Trin. cap. 7. *In his*, inquit, *quæ non mole magna sunt, idem est maius esse, quod melius esse*, & sic cum dicimus, vna species est maior alia, intelligimus quod sit melior, & perfectior. Ista ergo magnitudo perfectionis reperitur in Deo, non autem magnitudo molis; & talis magnitudo virtutis est transcendens conueniens suo modo omni enti, saltem omni enti dicenti perfectionem aliquam. De secundo patet quod ibi est essentia diuina ex natura rei, vt probatum est in 1.q. Ex hoc infertur tertium, scilicet quod ipsa essentia, vt essentia habet ex natura rei propriam magnitudinem. Et quod habeat magnitudinem propriam ex natura rei, probat auctoritate, & ratione duplici. Auctoritas est Damasceni c.9. qui vult quod essentia est pelagus substantiæ infinitum, & interminatum, &c.

3.Met.contex.11. 8.Met.contex.10.

Deinde probat rationibus. Prima ratio stat in hoc: entitati quiditatis absolutæ, quæ nata est habere rationem mensuræ, vel conuenit finitas, vel infinitas: cui ergo repugnat finitas, ei conuenit infinitas, & talis est essentia, & si conuenit infinitas hoc erit ex natura rei, & vt gradus intrinsecus, vt patuit *q.4.art.1.*

Dubium. Responsio.

Dubitatur de hoc quod dicit, *cui repugnat finitas ei cõuenit infinitas*, quia paternitati diuinæ, repugnat finitas, vt suprà patuit *q.5.* & tamẽ ei nõ conuenit infinitas. Respondeo, quòd Doctor loquitur de ente quanto, scilicet cuicunque enti quanto repugnat finitas, ei conuenit infinitas intensiua: & quòd sic loquatur patet, quia præmisit quòd *magnum*, & *paruum* translatiuè sunt passiones entis, quod non potest intelligi, nisi de ente quanto, vt etiam patet in q. 5. respondendo ad argumentum principale.

c Secundò principaliter arguit probando, 2.
quòd infinitas intensiua sit magnitudo ex natura rei, & ratio stat in hoc: *Modus obiecti beatifici, vt beatificum est, est in re, & ex natura rei*; patet, quia sicut obiectum beatificum est in re, ita & omne pertinens ad obiectum beatificum: modus autem pertinet ad tale obiectum. Sed infinitas intensiua est talis modus in essentia diuina; ergo est ibi ex natura rei, & per consequens magnitudo. Maiorem probat præmittendo distinctionem de actu intellectus, scilicet intuitiuo, & abstractiuo, & quomodo intuitiuus non repugnat nobis; quæ distinctio patet hîc, & *in primo, dist.* 1. & 8. & *in secundo, dist.* 3. & *in* 4. *distin.* 46. & 49. & *q.*14. *quodl.* Patet etiam in litera, quomodo actus beatificus non est abstractiuus, quia aliter quis posset esse perfectè beatus in obiecto beatifico actu non existente, quia cognitio abstractiua est etiam obiecti non existentis. Est ergo actus beatificus pertinens ad intellectum actus intuitiuus, qui est obiecti existentis, & præsentis. Et sic patet illa maior, quia si actus beatificus est obiecti existentis, & præsentis, ergo est ibi obiectum, & omnis conditio obiecti beatifici ex natura rei. Probatio minoris, scilicet quòd infinitas intensiua sit per se conditio obiecti beatifici: patet, quia nullus intellectus, nec voluntas in aliquo perfectè quietatur, nisi sit in eo tanta plenitudo primi obiecti, quanta scilicet compossibilis est primo obiecto. Talis plenitudo primi obiecti intellectus & voluntatis, loquendo de primitate perfectionis, non potest esse, nisi infinitas intensiua; ergo nulla potentia beatificabilis potest quietari in aliquo, nisi sit infinitum, & per consequens infinitas est per se conditio obiecti vltimatè quietatiui.

SCHO

SCHOLIVM.

Obijcit suadens infinitatem seu magnitudinem essentiæ non distingui ab ea, & per consequens non fundare æqualitatem. Respondet. Esto non distinguatur realiter ab essentia, sed transeat in eam, manet tamen secundùm propriam rationem magnitudinis in qua fundatur æqualitas: quod patet in magnitudine naturæ creatæ, non dicit magnitudinem, seu infinitatem distingui formaliter ab essentia, quia 1.d.8.q.2. & 3. tenet gradum intrinsecum non distingui sic ab eo cuius est, vult ergo distingui ex natura rei vel modaliter. vide 1.d.26.n.33. Vbi explicat quomodo attributa manent, & transeunt in essentiam. Replicat, si magnitudo transit in essentiam: ergo æqualitas in identitatem transibit, quia hæc fundatur in essentia, in quam transit magnitudo. Respondet fatendo æqualitatem non æquè distingui ab identitate, & similitudine, sicut hæc duo inter se, quia primum fundatur in vnitate essentiæ, secundum, in vnitate attributi, & æqualitas in magnitudine vtriusque, quæ in vtrumque transit, distinguitur tamen ab istis, quia dicit modum vtriusque, quia non datur identitas, nec similitudo perfecta sine æqualitate, & sic non sequitur absurdum illatum, scilicet non esse tres relationes communes in Deo. Si dicas, æqualitas perfecta, & identitas perfecta habent idem fundamentum, scilicet infinitam essentiam, & eundem terminum, scilicet personam: ergo ex natura rei non distinguuntur. Respondetur, infinitatem respectu æqualitatis esse formale fundamentum, & respectu identitatis, & similitudinis perfectæ esse conditionem fundandi. vide Leuch. hîc.

10. Contra ista arguitur sic 5. de Trin cap. 10. *Idem*, inquit Augustinus *est illi esse, & magnum esse*: ergo magnitudo transit in essentiam, & per consequens non manet ibi magnitudo secundùm propriam rationem magnitudinis: non autem fundat æqualitatem, nisi sub ratione magnitudinis, non dico molis, sed virtutis.

Respondeo, dico quòd omni proprietate per impossibile, vel possibile circunscriptâ ab essentia diuina, ipsa habet propriam magnitudinem, scilicet propriam infinitatem: habet enim gradum intrinsecum, sicut res finita habet propriam finitatem: imò magis, sicut si circumscribas ab homine omnem proprietatem: adhuc habet propriam finitatem in ordine entium. Sic ergo concedo, quòd est idem Deo esse, quod magnum esse: & aliquo modo, sicut licet dicere, magis intrinsecè, quàm Deo iustum esse, vel sapientem esse: quia non ita dicit *magnum* proprietatem, vel attributum, sicut *iustum*, vel *sapiens*: transit ergo in ipsum propter summam identitatem magnitudinis ad essentiam: cùm infers, ergo non manet secundùm propriam rationem magnitudinis: neganda est consequentia: imò in creaturis sic transit magnitudo perfectionis, quòd non est aliud realiter ab eo, cuius est: & tamen manet secundùm propriam rationem magnitudinis, vt proprium fundamentum æqualitatis, vel inæqualitatis. Est enim vna species entium, quantumcunque immaterialis, alteri speciei immateriali æqualis, vel inæqualis secundùm perfectionem: ergo manet in ea magnitudo secundùm perfectionem vt fundans istam æqualitatem: & tamen transit ista magnitudo in essentiam per identitatem: quia ait Augustinus 16. de Trin. cap. 8. de ista magnitudine: *Idem est maius esse, quod melius esse*: bonitas enim essentialis, qua vna species est melior alia, non est res addita essentiæ.

Idem Deo esse, & magnum esse, exponitur.

Magnum esse, magis idem Deo, quàm iustum esse.

8. & 10. Met.

Infinitas quomodo transit, & non transit in essentiã, de quo 1. d. 16. n. 33.

Non sunt ergo opposita in Diuinis, imò nec in creaturis, transire & manere, si rectè intelligatur: transire propter realem identitatem, & manere propter propriam quiditatem: nec sequitur *manet, ergo manet realiter distinctum*: sed sicut aliquid manet, quando sua propria quiditas non est destructa, siue per corruptionem, siue per resolutionem in separatam potentiam, siue per confusionem. Primo modo transit ignis in aquam. Secundo modo si per potentiam diuinam resolueretur ignis in materiam primam, secundùm se manentem. Tertio modo si ex eo & aqua generaretur mixtum neutrius actualitate manente: nullo istorum modorum transit aliquid in Diuinis, & solummodò sic transire, infert non manere. Non ergo sequitur, propter oppositum manet, hoc est propria & perfecta & plena actualitate: ergo manet realiter distinctum: quod declarari posset, si esset quæstio de alietate reali.

Triplex transitio infert non manere.

11. Sed ex hoc sequitur aliud dubium [c], quia, sicut se habet magnitudo ad essentiam, sic se videtur habere æqualitas ad identitatem. Si ergo magnitudo transit in essentiam, æqualitas transibit in identitatem, & ita non erunt tres relationes communes in Diuinis, scilicet æqualitas, similitudo, & identitas.

Hic potest concedi, quòd æqualitas non æquè distinguitur ab identitate & simili-

Æqualitas non æquè distincta ab identitate, & similitudine, sicut hæc inter se. tudine, sicut ista duo distinguuntur inter se: sed quod æqualitas dicat modum proprium vtriusque relationis, ad hoc, scilicet quòd tam identitas, quàm similitudo sit perfecta. Si enim per impossibile, Pater haberet diuinitatem maiorem, & Filius minorem: esset quædam identitas ibidem: sed quia fundamentum non haberet eandem magnitudinem, non esset ibi perfecta identitas, quia non cum æqualitate. Consimiliter duo habentes scientiam maiorem, & minorem, sunt aliquo modo similes: sed non perfectè similes: quia non æquales in scientia in qua assimilantur. Magnitudo igitur eadem cuiuscunque fundamenti, siue identitatis, siue similitudinis, dat cuicunque identitati, & similitudini, quòd ipsa sit perfecta: æqualitas ergo dicit modum similitudinis: quòd ipsa sit perfecta: sicut magnitudo eadem dicit modum fundamenti, scilicet quòd ipsum sit perfectum.

COMMENTARIVS.

3. *Infinitas non est propria magnitudo.* d Contra ista arguitur. Hîc arguit Doctor probando quòd infinitas non sit propria magnitudo distincta ab essentia diuina, quia secundùm Augustinum *quinto de Trin. c. 2.* Idem est illi esse, & magnum esse, ergo magnitudo transit in essentiam, & sic non manet secundum propriam rationem. Respondet, quod ipsa magnitudo perfectionis non est passio, nec quasi passio, quia circunscripta omni passione, &c. sed est gradus intrinsecus, vt etiam patuit *q. 5 art. 1.* & vt sic, habet propriam rationem magnitudinis, & licèt transeat infinitas in essentiam secundùm perfectam identitatem realem, manet tamen secundum formalem eius rationem, sicut dictum est suprà q. 5. & alibi sæpè.

Dubium. e *Sed ex hoc sequitur aliud dubium.* Hîc arguit contra prædicta, scilicet, quòd magnitudo transeat per identitatem in essentiam, quia si sic tunc sequeretur quòd æqualitas, & identitas in diuinis essent idem; patet, quia identitas immediatè fundatur super essentia, & æqualitas super magnitudine, quæ est eadem quod essentia; ergo æquè primò fundatur in essentia sicut identitas, & per consequens non videntur differre.

Responsio. Respondet quòd *æqualitas non æquè distinguitur ab identitate, & similitudine, sicut similitudo distinguitur ab identitate*; & patet, quia proximum fundamentū identitatis est vnitas essentiæ, & proximum fundamentum similitudinis est vnitas attributi, puta vnitas sapientiæ, vel bonitatis, & proximum fundamentum æqualitatis est magnitudo, quæ transit in essentiam. Nam infinitas essentiæ transit in essentiam, & infinitas attributi transit in attributum, & per consequens minùs distinguitur æqualitas à similitudine, & idētitate, quàm similitudo distinguatur ab identitate. Dicit ergo Doctor quòd æqualitas dicit modum proprium, tam similitudinis, quàm identitatis, quia vbi est æqualitas essentiæ ibi est perfecta identitas: patet, quia si per impossibile Filius haberet minorem Deitatem, & Pater maiorem, ibi non esset perfecta idētitas. Dicit etiam modum similitudinis quia si Filius haberet minorem sapientiam, & Pater maiorem, inter eos non esset perfecta similitudo. Æqualitas ergo dicit modū perfectum vtriusque similitudinis, sicut etiam magnitudo perfecta dicit modum perfectum vtriusque fundamenti, scilicet similitudinis, & identitatis, & tamen æqualitas differt ex natura rei, vt patebit in dubiis, quæ ponam.

SCHOLIVM.

Postquàm probauit dari magnitudinem à parte rei, nunc probat dari vnitatem realem eiusdem magnitudinis. Primò, quia est numeralis, siue singularis, & existens. Secundò, ex Damasceno. Tertiò, quia illa magnitudo non est plures diuersæ rationis, nec eiusdem rationis. Hîc nota Doctorem negare vniuersale à parte rei, quamuis (inquit) *fortè secundùm aliquos detur; quod etiam negat suprà, q. 2. n. 6. & alibi sæpè, vt ibi notaui in Scholio.*

Vnitas realis pluriū in Deo. VLtimò in isto articuli [f], viso de magnitudine videndum est, quæ est vnitas: quæ (vt priùs dictum est) videtur requiri, siue per se, siue quocunque modo, in fundamento æqualitatis. Et est sciendum, quòd si vnitas magnitudinis alicubi sit realis, & realiter, hîc verissimè est realis: quia hæc vnitas est numeralis, siue singularis magnitudinis in duobus, in aliis non est vnitas numeralis, licèt secundùm aliquos, fortè sit vnitas aliqua vniuersalis, siue rationis: de quo non curo modò: tamen certum est, quòd nulla vnitas veriùs est realis, quàm vnitas numeralis, & quòd ista sit propriè in Deo alicuius communis omnibus personis, dicit Damascenus c. 8. I*n omnibus*, inquit, *creatis hypostasibus, quod diuersum est re consideratur: communicatio autem, & copulatio, & vnum, ratione siue cognitione consideratur: in sancta verò & incomprehensibili Trinitate èconuerso est, illic enim commune quidem, & vnum re consideratur, vnumquodque enim horum se habet ad alterum nihilominus, quàm ad seipsum, cognitione verò est quid diuisum.* 12.

Non dari vniuersale à parte rei.

T. 9. & 10. Vnum & multa diuidunt ens. de quo 1. d. 4. q. 1. Ad propositum est etiam ratio. [g] Quia ex 10. *Metaphys. vnum & multa* immediatè diuidunt ens: ergo si ex natura rei in Patre & Filio sit magnitudo essentiæ, vt probatum est: illa magnitudo, vel erit vna, vel plures: non plures, quia non alterius rationis,

rationis, patet: nec etiam plures eiusdem rationis, quia eadem essentia numero non est magna pluribus magnitudinibus eiusdem speciei, vel rationis: ergo breuiter habemus conclusionem primam huius primi articuli, scilicet quòd æqualitatis in Diuinis, prout dicitur secundùm magnitudinem, est fundamentum reale, & ex natura rei, quantùm ad quodlibet, quod requiritur ad fundamentum æqualitatis, & hoc æquè sicut in quolibet fundamento cuiuslibet æqualitatis, siue magis in Diuinis. *Conclusio 1. primi ar.*

COMMENTARIVS.

4. f VLtimò in isto. Postquam probauit Doctor quòd magnitudo sit ibi ex natura rei, quæ est fundamentum æqualitatis, nunc ostendit vnitatem magnitudinis. Et breuiter dicit quòd ibi est vnitas realis, & ex natura rei, quia ibi vnitas numeralis; & arguit quod ibi sit ex natura rei, quia vnitas verè singularis, & actu existentis est verè realis: sed vnitas magnitudinis, siue infinitatis intensiue est huiusmodi, cùm sit gradus intrinsecus essentiæ, & attributorum in actu existentium existantia singulari. Probat etiam aùctoritate quòd talis vnitas numeralis, & communis tribus suppositis sit in Deo; quia secundùm Damascenum c. 8. habetur sic: *In omnibus*, inquit, *creatis hypostasibus, quod diuersum est re consideratur*, &c. Vult dicere, quòd in creaturis diuersum numero est in re, sed commune pluribus numero non est in re, sed tantùm in consideratione. In diuinis verò idem numero, & est idē numero realiter, & pluribus cōmune realiter

g Ad hoc etiam adducit rationes probando quod sit ibi vnitas numeralis magnitudinis ex natura rei, quia 10. *Met.* idem & diuersum diuidunt immediatè ens, similiter vnum, & plura; ergo illa magnitudo vel erit vna numero in tribus personis, vel erunt plures. Si primo, habetur propositum. Si secundo, quia aut essent alterius rationis, aut eiusdem rationis: non primò, quia cùm essentia sit vnius rationis, sequitur quòd gradus intrinsecus scilicet infinitas sit eiusdem rationis: non secundò, quia tunc sequeretur, quòd eadem essentia numero esset magnà pluribus magnitudinibus eiusdem rationis, quod est impossibile.

SCHOLIVM.

Vt declaret fundamentum proximum æqualitatis secundùm æternitatem; de qua suprà, num. 3. ex Augustino ponit duos modos dicendi. Primus est, Æternitatem esse modum intrinsecum existentiæ, & sic ibi esse ex natura rei positiuè. Quod probat ex D. Dionys. Alter modus est; æternitatem connotare positiuum, scilicet essentiam, sed formaliter consistere in negatione triplici, desitionis, successionis, & dependentiæ; vel in relatione potentiali coëxistendi omni durationi simul, & sine varietate, ac dependentia. Hos modos problematicè sustinet, & fauet modo asserenti æternitatem non esse in Deo ex natura rei in 2. d. 2. quæst. 2. vbi negat æuum distingui ab Angelo. De vnitate æternitatis eodem modo dicendum est, quo dictum est de vnitate magnitudinis, num. 12. eo enim modo; quo æternitas est realis siue formaliter secundùm primum modum, siue fundamentaliter & connotatiuè, secundùm alium modum, sic eius vnitas; quæ proximè fundat æqualitatem, realis erit. Hîc num. 16. videtur negare distinctionem Attributorum in Deo ex natura rei, sicut secundùm Augustinum dicimus (*inquit*) Deum esse magnum, sapientem, bonum, non tamen propter hoc oportet, quòd illi ex natura rei conueniat hoc; vel illud sine omni negatione vel relatione rationis. *At contrariam habet latè 1. d. 8. qu. 4. à num. 10. & d. 46. q. 3. & alibi passim; vbi ponit Attributa à parte rei distincta inter se; & ab essentia; & 5. q. 1. à num. 7. fusè probat Attributa hîc posita esse in Deo ex natura rei sine omni respectu ad extrà. Respondetur primò; Eum hic loqui in sententia aliorum negantium distinctionem Attributorum à parte rei; quia respondet ad locum ex D. Dionysio qua suadetur æternitatem esse in Deo ex natura rei; nihil resoluens, sed ponens modum, quo satisfiat obiectioni; si teneatur altera pars. Secundo fortè loquitur non de illis Attributis ab ipso expressis*, magnus, sapiens, bonus, *sed de aliis Attributis sub ly &c. comprehensis; quæ dicunt respectum ad extrà, vt* creator, iustificator, *quia in hac ipsa q. num. 10. ponit magnitudinem distinctam ex natura rei à Deo. Ne ergo admittamus contradictionem expressam in doctrina Doctoris; altera harum solutionum admittenda videtur; & prima verior mihi visa est.*

13. REstat nunc videre de æternitate. [h] Patet quidem quòd ipsa est alicuius, quod est ibi ex natura rei: quia ipsa est existentiæ, vt existentia: existentia autem est ibi ex natura rei, alioquin nihil esset ibi existens ex natura rei: habemus ergo aliquid ex natura rei, cuius est æternitas: sed oportet quærere an ex natura rei conueniat sibi æternitas, vt æternitas: videtur quòd sic: quia sicut infinitas intensiua dicit modum intrinsecum essentiæ, vt essentiæ, ita æternitas, vt æternitas, dicit modum intrinsecum existentiæ, vt existentiæ: & tunc cùm ibi sit existentia ex natura rei, sicut *Æternitas an modus intrinsecus existentiæ Dei.*

f. sub litera C. & esse pari ratione, modus intrinsecus illius, & hoc ex natura rei, sicut modus intrinsecus alterius Pro hoc est Dionysius de Diuin. nom. cap 5. tertiæ partis, *Deus non quodammodo est existens, sed simpliciter, & circunscriptiuè totum esse accipit in seipso & præaccipit, propter quod dicitur Rex seculorum*, & sequitur, *ipse est esse existentibus, & ipsum esse existentium, & existens ante sæcula: ipse est enim æuum æuorum, qui est ante sæcula.* Consimi'i modo videtur sibi attribuere æuum æuorum, per quod intelligitur æternitas, secundum quod ipse est existens simpliciter, & incircunscriptè.

Æternitatis definitio. Contra istud obiicitur [i], per illud Boëtij 5. de Consol prosa 6. vbi vult, quòd *æternitas est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio*, & similis sententia habetur ab Anselmo mon. 27. & secundùm istam corrigenda est sententia Richardi 2. Trin. 9. *Carere*, inquit, *initio & fine, & omni mutabilitate, dat æternum esse*: sic supplenda & intelligenda est ista sententia secundùm descriptionem prædictam, in qua ponitur *vita*, quæ accipitur pro existentia actuali perfecta, quomodo Ioan. 5. *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit*, &c. Hoc ergo ponitur tanquam connotatum, quia quasi subiectum vel fundamentum æternitatis, & illud certum est esse in Deo ex natura rei, sicut existentia perfecta; sed alia tria, scilicet *interminabilis*, quod excludit desitionem; & *tota simul* quod excludit successionem; & *perfecta possessio*, quod excludit dependentiam, & participationem: illa enim non videntur dicere vltra vitam, nisi relationem positiuam, vel negatiuam: negatiuam quidem negatione terminationis, negatione successionis, & negatione dependentiæ: & relationem positiuam potentialem, vel aptitudinalem: quia *interminabilis* videtur dicere, posse per se coëxistere cuicunque durationi, vel existentiæ; *tota simul*, sine variatione, & successione posse coëxistere cuicunque; *perfecta possessio*, à seipso existere, & non dependere in existendo Sic ergo hæc est propriissima descriptio æternitatis, quam inuenimus, & hoc est vnum tantùm ex natura rei, scilicet *vita*: tria autem, quæ complent rationem eius, non sunt ibi ex natura rei, vt videtur: quia per se important vel negationem alicuius imperfectionis extrinsecè; vel relationem aliquam aptitudinalem, vel potentialem ad aliquid extrinsecum, & nec sic, nec sic est aliquod eorum ibi ex natura rei, & per consequens nec æternitas, vt æternitas, erit ibi ex natura rei. 14.

2. de Anima t.c.37. Doctrina singularis, & expositio definitionis æternitatis subtilissima.

Hæc conclusio si conceditur, potest responderi ad illud, quod arguitur in contrarium: quòd, scilicet æternitas sit proprius modus existentiæ diuinæ, sicut infinitas essentiæ diuinæ, hæc est neganda: quia si per impossibile, essentia diuina raptim transiret, adhuc haberet tam essentia, quàm existentia modum intrinsecum, scilicet infinitatem intensiuam, sed non haberet illa existentia æternitatem, per quam intelligimus infinitatem duratiuam, quæ vltra infinitatem intensiuam, non addit nisi negationem deficiendi, vel relationem rationis potentialitatis, scilicet coëxistendi cuicunque possibili, quæ relatio non est nisi rationis. Hoc patet hoc modo, quia si Angelus annihilaretur cras, non haberet alium modum intrinsecum in natura sua, quàm si maneat in æternum, sicut manebit, & secundùm aliquos sine successione, quia illam negant de æuo: non est ergo possibile vltra infinitatem intensiuam, essentiæ, vel existentiæ, quæ infinitas dicitur magnitudo, siue sit huius, siue illius, intelligere ibi aliquam quantitatem, quæ sit ibi ex natura rei: quæ, scilicet sit durationis perpetuæ, sed quicquid intelligitur superadditum, addit relationem rationis, vel negationis. 15.

Non ita conuenit æternitas existentiæ, sicut infinitas essentiæ. Angelus vno die tãtum existens, haberet omnia intrinseca quæ modo habet.

Verum est igitur, quòd existentia habet modum sibi intrinsecum, sicut essentia: sed illud non est nisi infinitas intensiua; æternitas autem, vt æternitas, siue interminabilis duratio, vt interminabilis duratio, non est infinitas.

Explicat Dionysium ponens æternitatem esse tantùm relationem rationis, vel negationem. Ad Dionysium, concedo [k], quòd ex natura rei Deus est existentia incircunscripta, hoc est, infinita intensiuè: ita quòd magnitudo propriæ existentiæ est infinitas, & ita esset, si per impossibile Deus statim desineret esse: sed quod addunt vlteriùs, quòd ipse est æuum æuorum, hoc est æternus, vel æternitas: verum quidem est hoc, quia sua existentia habet repugnantiam ad desinere esse, & fundamentum illius repugnantiæ est ibi ex natura rei, scilicet existentia: sed formalis ratio repugnantiæ ad desinere esse, siue sit negatio desitionis, siue necessitas coëxistendi cuicunque compossibili, hoc vltra illud quod est ex natura rei, addit negationem imperfectionis, vel respectum ad extra: nec Dionysius dicit, quòd ibi ex natura rei est æuum æuorum, sicut est existens, sicut secundùm Augustinum dicimus, Deum esse magnum, esse sapientem, bonum, &c. sicut frequenter dicit: non tamen propter hoc oportet, quòd illi ex natura rei conueniat hoc, vel illud sine omni negatione, vel relatione rationis. 16.

Quantùm

Quantùm ergo ad istum articulum, habetur cuius sit æternitas, scilicet existentiæ. De ista æternitate an insit ex natura rei, teneatur altera via duarum dictarum, illa quæ videtur inquirenti probabilior. De vnitate æternitatis tanquam quantitatis fundantis æqualitatem, & hoc sub ratione vnius, non oportet hîc aliter discutere, quàm dictum est prius de vnitate magnitudinis.

Æternitatem esse positiuam, vel non, problema.

COMMENTARIVS.

5. h RE*stat nunc videre de æternitate.* Hîc Doctor declarat de fundamento proximo æqualitatis secundum æternitatem. Et ponit duas vias de ipsa æternitate. Prima, quòd æternitas est ibi ex natura rei, non tantùm ratione connotatiua ipsius rei, cui inest, sed etiam formaliter ex natura rei, sic quòd æternitas dicit modum intrinsecum essentiæ diuinæ, quia sicut infinitas est gradus intrinsecus essentiæ diuinæ: ita æternitas videtur gradus intrinsecus essentiæ diuinæ, & per consequens erit formaliter ex natura rei. Et hoc probat per Dionysium de diu.no.c.5.parte 3. *Deus*, inquit, *non quodammodo est existens, sed simpliciter*, &c. Et vult dicere in sententia, quòd ipsum *esse* Dei nullo modo potest circunscribi, nec terminari, quòd *esse* est à seipso, & in seipso, quia nullo modo habet *esse* in alio, quod *esse* præaccipit, scilicet quòd ante omne *esse*, habet in se, & à se totum suum *esse*, & per hoc patet quòd est rex sæculorum, & ipse est *esse* omnibus existentibus, & *esse* omnium existentium, quia omne existens dependet ab illo *esse*, & est ante sæcula existens, & sic videtur quòd æternitas sit gradus intrinsecus essentiæ diuinæ, per quam æternitatem repugnat sibi omnis circunscriptio siue terminatio, siue, desitio, siue successio, & huiusmodi.

6. i Secũda via tenet quòd æternitas sit ex natura rei quantùm ad connotatum, siue fundamentum, quia æternitas est alicuius vitæ perfectæ, siue alicuius perfectissimæ per se, & à se, & in se existẽtis sicut natura diuina: sed formaliter accepta, vel dicit negationem, vel relationem positiuam potentialem, vel aptitudinalem. Et hoc probat per Boëtium 5.de Consf.prof.6.vbi vult, quòd *æternitas est interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio.* Ponitur ibi *vita* pro perfecta existentia, quæ est ibi ex natura rei, quæ ponitur, vt connotatum, siue fundamentum æternitatis. Ponitur *interminabilis*, vt excludit desitionem, *tota simul*, prout excludit successionem, *perfecta possessio*, prout excludit dependentiam, & participationem. Negatiuè ergo æternitas formaliter sumpta dicit negationem desitionis, negationem successionis: negationem dependentiæ, & participationis. Positiuè verò dicit relationem potentialem, vel aptitudinalem, quia talis vita perfecta potest per se coexistere omni durationi, & per hoc dicitur *interminabilis*, & potest coëxistere omni existentiæ sine variatione, & per hoc dicitur *tota simul, & perfecta possessio*, quia à se, & non participatiuè potest per se, & in se existere. Et per hanc descriptionem æternitatis videtur corrigenda descriptio Richardi secundo de Trin. cap. 9. *Carere*, inquit, *initio, & fine, & omni mutabilitate dat æternum esse*, nam ex hoc non videtur ponere aliquid ex natura rei, & ideò per illam Boëtij supplenda, & intelligenda est illa Richardi modo exposito in litera.

Quid æternitas.

Tenendo secundam viam respondet Doctor ad rationem negando istam, scilicet, quòd sicut infinitas est gradus intrinsecus essentiæ, quòd etiam æternitas existentiæ, quia si essentia tantùm per instans existeret, esset formaliter infinita, & tamen non conueniret sibi æternitas, per quam æternitatem intelligimus infinitatem duratiuam, quæ vltra infinitatem intensiuam non addit, nisi negationem deficiendi, vel relationem rationis potentialitatis, scilicet coëxistendi cuilibet possibili, quæ relatio non est nisi rationis. Et addit, quòd *existentia habet modum sibi intrinsecum sicut essentia, sed illud non est nisi infinitas intensiua.* 7.

Infinitas, est gradus intrinsecus.

k Respondet ad auctoritatem Dionysij concedendo, quòd Deus ex natura rei est existentia incircunscripta, hoc est, infinitas intensiuè, & hoc haberet si etiam tantùm per instans duraret.

l *De ista æternitate an insit ex natura rei teneatur altera via duarum prædictarum, illa, quæ videtur inquirenti probabilior.* Sed iudicio meo ipse tenet secundam viam, vt patet diligentiùs intuenti.

De vnitate æternitatis tanquam quantitatis fundantis æqualitatem, & hoc sub ratione vnius non oportet hîc aliter discutere, quàm dictum est prius de vnitate magnitudinis, quia sicut magnitudo habet præcisè vnitatem numeralem, secundùm quam est proximum fundamentum æqualitatis, sic æternitas habet vnitatem numeralem secundùm quam est proximum fundamentum æqualitatis in diuinis secundùm æternitatem, siue secundùm quantitatem æternitatis.

SCHOLIVM.

Explicat quomodo potestas in Deo, quæ ponitur fundamentum tertium æqualitatis per August. suprà, num. 3. sit in Deo ex natura rei; si enim sumatur propriè, vt dicit respectum ad possibile, non est ibi à parte rei; & sic æqualitas, secundùm potestatem non est relatio realis in personis: si verò sumatur pro fundamento, id est, pro voluntate absolutè sumpta, non secundùm hanc, sed secundùm eius magnitudinem intrinsecam, personæ sunt æquales, quod spectat ad primum fundamentum assignatum ab Aug. non ad tertium potestatis, atque adeò æqualitas potestatis est relationis in personis. Obiicit relationem non fundari in relatione, & licèt de reali hîc id non resoluat, tamen resoluit 2.d.1.q.4. & 1.d.19 q.1. & 4.d.6.q.10.

Dist. 30. prim. *Potestas in Deo dupliciter sumitur.*

DE Tertio ᵐ scilicet *potestate*: potestas maximè importat relationem ad possibile, & per consequens relationem rationis, quia sicut alibi probatum est, Deus ad nihil aliud à se potest referri realiter: si ergo potestas, vt potestas, ponatur fundamentum quantùm ad illud fundamentum, non est ibi æqualitas ex natura rei: si autem accipiatur *potestas* pro illo secundùm quòd iste respectus dicitur de Deo, quod fortè est voluntas, quia illud est absolutum, quod est principium omnium possibilium: si voluntas, vt voluntas ponatur ibi ex natura rei, de quo tactum est aliquid in prima quæstione, sequitur quòd illud fundamentum, quod est reale, est ibi ex natura rei, sed tamen illud non est fundamentum æqualitatis secundùm potestatem, vt absolutè accipitur, sed vt accipitur sub ratione potestatis ad obiecta extrinseca. Nam secundùm voluntatem absolutè, Pater & Filius non sunt æquales nisi secundùm magnitudinem intrinsecam voluntatis, & illud est primum, secundùm quod attenditur æqualitas: non autem tertium: secundùm ergo voluntatem, vt tertium, sunt æquales, prout voluntas est æquale principium possibilium, ita quòd æqualitas potestatis est semper æqualitas principij, vt principij: & per consequens eo modo, quo Augustinus intendit assignare æqualitatem secundùm ista tria semper includitur in fundamento æqualitatis tertiæ, potestas, vt potestas, siue causalitas actiua, & cùm illa non sit nisi respectus rationis, nunquam fundamentum, quod assignatur tertium æqualitatis est ibi ex natura rei. 17.

Æqualitas potestatis in Deo est rationis.

Sed obiicitur, quòd relatio non potest fundari in relatione; ergo nec æqualitas in potestate: primum probatur: quia si sic, esset processus in infinitum: tum per Augustinum 7. de Tri. 1. *Omne quod relatiuè dicitur, est aliquid excepto relatiue*: ergo oportet reducere ad aliquod absolutum, & oportet relationem fundari in aliquo absoluto. Diceretur fortè quòd antecedens non est verum, quia 5. Geometriæ definit Euclides proportionabilitatem sic: *Proportionabilitas est similitudo duarum proportionum*: Similitudo ista dicit relationem formaliter, & est proportionis, & proportionis, vt duorum fundamentorum similium, proportio autem manifestè importat relationem. 18.

Relationē vnam fundari in alia habet 2. d. 1. q. 4. & 4. d. 6. q. 10. n. 5. 6. & 1. d. 19. q. 1. *Vna relatio rationis fundatur in alia.* *Genus & species.* *De hoc vide 14. quæstionem vniuersaliū Doct.*

Sed quicquid sit de hoc, ad propositum potest dici, quòd relatio rationis potest benè fundari in relatione rationis: sicut ista est vera, loquendo de intentionibus secundis: Genus est species: hæc intentio, *Genus*, concipitur sub intentione vniuersaliori, quàm *species*, quod est vniuersale: & concipitur sicut differens specie ab hac intentione, *Species*, & ab hac, quæ est *differentia*; & non habet sub se per se inferiora, nisi numero differentia. Nam hæc intentio Generis in colore, & illa in animali non differunt nisi numero solùm. Fundatur ergo hæc intentio, quæ est *Species*, in hac intentione quæ est *Genus*, & ratio huius possibilitatis in relationibus rationis est ista: quia omne illud potest esse fundamentum relationis rationis, quod ipsa ratio potest comparare ad alia: possum autem relationem rationis intelligere, & eam ad aliam comparare: ergo illa secunda relatio fundatur in relatione prima: relatio autem æqualitatis, quæ fundatur in potestate, est tantùm relatio rationis, sicut illud in fundamento, est tantùm relatio rationis.

COMMENTARIVS.

8. *Potestas in diuinis.*

ᵐ DE *tertio, scilicet potestate.* Hîc Doctor declarat quomodo potestas in diuinis sit ex natura rei, quæ potestas ponitur fundamentum æqualitatis secundùm potestatem. Et breuiter duo dicit, quòd si potestas accipiatur fundamentaliter, scilicet pro ipsa voluntate, quæ ponitur ratio formalis causandi omne possibile, sic est ibi ex natura rei. Et hoc modo tres personæ possunt dici æquales secundùm potestatem fundamentaliter, quia secundùm eandem voluntatem. Sed tamen in veritate hoc non est fundamentum æqualitatis secundùm potestatem, vt ipsa voluntas absolutè accipitur. Nam vt sic Pater, & Filius non sunt æquales, nisi secundùm magnitudinem intrinsecam voluntatis, & vt sic intelliguntur æquales secundùm magnitudinem infinitam, sed secundùm voluntatem non absolutè, sed vt comparatur sub ratione potestatis ad obiecta extrinseca, potest poni fundamentum æqualitatis secundùm potestatem. Et sic potestas importat relationem rationis in diuinis ad possibile. Æqualitas ergo formaliter accepta fundatur immediatè in relatione rationis: siue in voluntate, non absolutè; sed vt dicit relationem rationis ad obiecta extrà. Et sic personæ diuinæ dicuntur æquales secundùm potestatem numeralem, quæ est eadem relatio rationis in tribus immediatè fundata in voluntate actu in tribus existente. Et non est inconueniens vnam relationem rationis fundari in alia, vt ipse exemplificat, quia intentio speciei, quæ denominat genus, cùm dico, *genus est species*, fundatur in intentione generis, imò relatio realis potest fundari in alia reali, vt patet à Doctore hîc, & in primo.

Quomodo Pater, & Filius sint æquales.

In litera huius articuli occurrunt multa dubia. Primum in hoc scilicet, quòd *magnitudo siue infinitas intensiua sit ibi ex natura rei, & distingua* 9.

stinguatur ab essentia, quæ est fundamentum æqualitatis.

Secundum ibi, scilicet, quòd *vnitas magnitudinis est proximum fundamentum æqualitatis.*

Tertium dubium est in hoc, scilicet, quòd *æqualitas dicit modum identitatis, & similitudinis perfectè.*

Quartum est in hoc scilicet, quòd *inter personas diuinas est æqualitas secundum magnitudinem, scilicet secundùm infinitatem intensiuam.*

Quintum est in hoc, *an relatio æqualitatis secundùm æternitatem, & secundùm potestatem sit ex natura rei.*

Sextum est in hoc, quòd *existentia habet infinitatem intensiuam, vt gradum intrinsecum, sicut etiam habet essentia.*

Septimum in hoc, scilicet, quòd *æternitas prout dicit relationem positiuam potentialem, vel aptitudinalem sit relatio rationis.*

Contra primum dictum instatur sic primò, quòd infinitas nihil formaliter positiuum dicit, sed tantùm negationem, quia infinitas vltra entitatem essentiæ diuinæ præcisè dicit negationem finitatis. Sicut etiam æternitas tenendo secundam viam præcisè dicit negationem finitatis secundùm durationem; ergo similiter infinitas intensiua dicit negationem finitatis secundùm essentiã; ergo infinitas non est ibi ex natura rei distincta ab essentia præter opus intellectus.

10. Secundò instatur, quia ens quantum immediatè diuiditur per finitum, & infinitum; ergo finitas & infinitas præsupponunt ens quantum, quod diuidunt, sic etiam actus, & potentia diuidunt ens reale; ergo præsupponunt ens reale, quod diuidunt. Sic sequitur in proposito, quòd Deitas prius erit quanta quàm infinita formaliter: & non potest esse quanta alia quantitate ab infinitate intensiua, vt patet, ergo sequitur quòd infinitas intensiua pertineat ad esse eius quiditatiuum, & essentiale, & per consequens secundùm ipsam personæ erunt idem, & non æquales, cùm identitas habeat pro fundamento immediatè vnitatem essentiæ, vt essentia est. Et quòd intelligatur ipsa essentia priùs quanta, patet, quia sicut ens absolutè, siue conceptus entis accipitur à natura diuina, vt est quid, vt ostendi *in primo, d.2.* ita conceptus entis quanti accipitur ab entitate diuina, vt quanta.

Tertiò instatur, quia si infinitas intensiua est alia ab essentia diuina præter opus intellectus, ergo ex natura rei habebit aliam existentiam ab existentia essentiæ diuinæ, patet quia infinitas intensiua necessariò est alicuius existentiæ, & si sic, sequitur quòd infinitas poterit habere, siue terminare propriam intuitionem, siue cognitionem intuitiuam, quod non tenet Doctor. Nam existens propria existentiã potest propria cognitione intuitiua cognosci.

11. Quartò instatur, quia si infinitas intensiua distinguitur ab essentia ex natura rei, sequitur quòd ipsa infinitate circunscripta, per possibile, vel impossibile, quòd tunc essentia, vt actu perfectè existens, aut erit perfecta intensiuè, aut imperfecta, aut nec sic, nec sic. Non secundo, & tertio modo, quia vt sic, essentia excedit omne ens finitum. Si primo modo, ergo erit quanta alia quantitate ab infinitate intensiua, & per consequens personæ erunt æquales secundùm aliam quantitatem ab infinitate, quod ipse non tenet.

Quintò instatur, quia si infinitas sit ibi ex natura rei distincta, & per consequens posterior essentia diuina, sequitur hoc inconueniens, quòd positis in aliquo instanti extremis relationis intrinsecus aduenientis non erit talis relatio. Probatur, quia in eodem instanti, quo essentia communicatur Filio, tunc Filius est, & similiter Pater, qui sunt extrema æqualitatis, & tamen in illo instanti æqualitas non erit: patet, quia in illo instanti adhuc non intelligitur Filius habere infinitatem intensiuam. Probatur per dictum Doctoris *q.5.* qui vult quòd eodem ordine communicentur Filio perfectiones, quo habent inter se *esse*, ita quòd prius intelligitur communicari essentia Filio, quàm bonitas, quia essentia est prior; ergo si infinitas est posterior essentia, quod oportet dicere, si ex natura rei distinguatur ab essentia, sequitur quòd posteriùs intelligitur communicari, &c.

Respondeo ad omnes istas obiectiones. Ad primam dico, quòd infinitas intensiua est entitas positiua, & non est simile de æternitate, quia si æternitas, cùm dicat durationem non esset, adhuc entitas perfecta esset, sed non est sic de infinitate intensiua. Et de hoc an dicat negationem tantùm, vide quæ exposui in primo contra Ioannem Anglicum. 12. *Responsio ad dubia. Ad primum.*

Ad secundum dico breuiter, quod conceptus quanti est quantus, & contrahitur per finitum, & infinitum, ita quòd ille conceptus nec est formaliter infinitus, nec formaliter finitus, sed est simpliciter indifferens, sicut etiam conceptus animalis, nec est rationalis, nec est irrationalis, sed indifferens. Et cùm infertur, ergo essentiæ diuinæ priùs conuenit conceptus quantus quàm infinitas, & per consequens dicit aliquam perfectionem intensiuam præter infinitatem. Dico, quòd sicut ab essentia vt essentia, abstrahitur conceptus entis dictus in *quid* de ea, ita ab essentia, vt dicente quantitatem virtutis, & à quocunque ente dicente quantitatem virtutis abstrahitur conceptus entis quanti, & sic talis cóceptus prædicatur de omni ente quanto. Et quia in re reperitur ens quantũ secundùm quantitatẽ perfectionis infinitæ, & ens quantum secundùm quantitatem perfectionis finitæ, ideò dicitur conceptus quanti absolutè contrahi per finitum & infinitum, ita quòd in re priùs est ens infinitum quàm sit conceptus entis quanti: imò conceptus entis quanti est simpliciter posterior ente infinito, licèt sit prior secundùm communitatem, quia vt sic non conuertitur subsistendi consequentia. *Ad secundum.*

Ad tertium dico absolutè quòd non habeo pro incóuenienti quòd infinitas intensiua, si dicit realitatem aliã ab essentia diuina (aliam tantùm ex natura rei, non aliam realiter, vt patet, nec aliam formaliter, vt patet à Doctore *in primo, dist.8.q.2.* respondendo ad argumenta principalia, quia vult quòd gradus intrinsecus nullo modo dicat positiuè aliam formalitatem ab eo, cuius est gradus intrinsecus) quòd etiam dicat propriam existentiam aliam non realiter, nec formaliter ab existentia essentiæ diuinæ, sed aliam tantùm ex natura rei. Et cùm infertur, quòd tunc posset cognosci intuitiuè, vt distincta ab essentia, &c. Dico breuiter quòd ad hoc, quòd sit obiectum proprium intellectus intuitiuè cognoscentis, requiritur quòd sit formaliter distincta *Ad tertium.*

Aduerte. cta à primo obiecto parfecto. De hoc vide in primo *vbi suprà*. Aduerte tamen quòd existentia infinitatis intensiuè præter opus intellectus nullo modo distinguitur ab ipsa infinitate, imò ipsa infinitas intensiua est formaliter sua existentia, sicut essentia diuina est formaliter sua existentia, vt patet à Doctore *in primo, dist. 2. parte 1. q. 2. & q. 1. quodl.* vbi vult quòd existentia sit de intrinseca ratione Deitatis. Et de hoc satis dictum est in primo. Posset etiam dici, quòd infinitas intensiua formaliter accepta, non dicat aliam existentiam ab existentia essentiæ diuinæ, sed simpliciter ponitur gradus intrinsecus essentiæ existentis. Sed credo primam responsionem esse meliorem, quia non videtur esse aliquid in re omnino præter opus intellectus, & singulare quod si est distinctum ab alio, eo modo quo distinguitur, quin etiam habeat existentiam propriam præter opus intellectus distinctam.

14. *Ad quartum.* Ad quartum dico, quòd loquimur de perfectione, quæ propriè non est secundùm gradum specificum, quæ nullo modo distinguitur ab illo gradu specifico, sicut rationalitas, vt rationalitas, dicit gradum specificum hominis. Nam secundùm hanc perfectionem, quæ præcisè dicit gradum specificum, non accipitur magnitudo, quæ est fundamentum æqualitatis. Sed à magnitudine consequente vt gradu intrinseco quiditatem singularem actu existentem, sicut est infinitas intensiua. Dico secundò, saluo meliori iudicio, quòd nulla entitas specifica etiam singularis, vt præcisè consideratur secundùm gradum specificum, nullam perfectionem formaliter dicit, sed tantùm virtualiter, sic intelligendo, quòd ad talem entitatem specificam nata est consequi talis perfectio, vt gradus intrinsecus, & quantum ad hoc vna entitas specifica excedit aliam, non secundùm perfectionem, quam formaliter habet præcisè in illo instanti, quo consideratur talis entitas: sed secundùm perfectionem virtualiter tantùm, quia nata est suo modo continere talem, vel talem perfectionem, vt gradum sibi intrinsecum.

Ad quintum dico, quòd Pater, & Filius in illo præcisè instanti, quo intelliguntur habere præcisè essentiam, non sunt æquales, nec sunt extrema propriè æqualitatis, quia præcisè intelliguntur esse extrema æqualitatis in illo instanti, in quo intelliguntur includere fundamentum proximum æqualitatis, quod tunc est, quando intelliguntur habere essentiã vt formaliter infinitã, quia ipsa posita statim inter illa oritur æqualitas.

15. *Contra secundum dictum.* Secundò principaliter instatur contra secundum dictum, & primo sic: quæro, quæ vnitas requiritur? Non est danda, nisi vnitas numeralis, vt patet à Doctore, & tunc sequitur quòd ipsa infinitas habeat propriam singularitatem aliam ex natura rei à singularitate essentiæ, quod non videtur, quia gradus intrinsecus nõ habet alia singularitatem à singularitate illius, cuius est modus.

Secundò instatur, quia fundamentum proximum differt à fundamento remoto, & hoc ex natura rei, si ponatur fundamentum proximum ex natura rei, sed vnitas numeralis nullo modo ex natura rei differt à magnitudine, siue ab infinitate, aliter infinitas intensiua non esset sua singularitas. Et vltra sicut singularitas essentiæ nullo modo ex natura rei differt ab essentia, cùm ipsa formaliter sit sua singularitas, sic similiter erit hîc.

Respondeo ad primum, concedendo quòd infinitas habet propriam realitatem, & per consequens habet propriam vnitatem singularitatis tantùm ex natura rei distinctam à singularitate essentiæ. Et cùm dicitur, quòd gradus intrinsecus non habet propriam singularitatem. Dico, quòd si concedatur ipsam esse in re, & distinctam à re, cuius est modus, quòd eo modo, quo in re distinguitur, eo modo habet singularitatem distinctam à singularitate illius, cuius est modus intrinsecus; sicut etiam attributa, quæ in diuinis ponuntur formaliter infinita, distinguuntur formaliter ab essentia, ita habent propriam singularitatem formaliter distinctam à singularitate essentiæ; tenendo quòd tam singularitas attributi, quàm singularitas essentiæ sint idem formaliter, scilicet essentiæ, & attributo, ita quòd sicut essentia non determinatur, nec contrahitur ad *esse* singulare, cùm sit formaliter singularis, sic attributum non contrahitur. *Responsio.*

Ad secundum dico primo, tenendo quòd infinitas singularitatis nullo modo ex natura rei differat ab infinitate, quæ vnitas singularitatis dicitur fundamentum proximum, prout distinguitur à fundamento absolutè sumpto: licèt enim infinitas, & vnitas numeralis in fundamentis in nullo modo ex parte rei differant, tamen infinitas, vt absolutè sumpta, non est proximum fundamentum, sed vt est vna vnitate numerali in tribus personis: Dico secundò, quòd ponitur vnitas numeralis fundamentum proximum, prout distinguitur à pluralitate numerali. Si enim essent tres infinitates distinctæ numero in tribus personis, esset quidem æqualitas secundùm magnitudinem infinitam inter eas, sed non esset perfecta æqualitas, quia nec perfecta vnitas fundamenti, nam æqualitas fundatur super *vno*, ergo quanto fundamentum erit magis vnum, erit perfectior æqualitas. Sicut etiam vnitas specifica in creaturis ponitur fundamentum proximum, prout distinguitur à pluralitate specifica, super qua non fundatur æqualitas, nec similitudo. Sic in diuinis vbi est perfectissima æqualitas, debet poni vnitas numeralis magnitudinis infinitæ ex natura rei, prout distinguitur à pluralitate numerali.

Dico tertiò, quòd fortè apparet nullum inconueniens, vnitatem singularitatis aliquo modo præter opus intellectus distingui ab infinitate, & esse eandem formaliter, & per consequens nullo modo contrahere, nec determinare posse. Stat enim cum vnitate formali distinctio aliquorum ex natura rei, & sic patet.

Contra tertium dictum instatur probando, quòd æqualitas non dicat modum similitudinis, & identitatis. Et arguitur sic primò, supponendo secundum Doctorem quòd æqualitas, & identitas, & similitudo sint ibi ex natura rei, & ab inuicem præter opus intellectus distinctæ. Tunc sic identitas perfecta, & æqualitas perfecta in Filio habent præcisè idem fundamentum proximum, & eundem terminum sub eadem ratione consideratum; ergo identitas diuina, & qualitas nullo modo differunt, & præter opus intellectus. Hoc patet, quia impossibile est, duas relationes, & præcipuè alterius, & alterius rationis habere præcisè idem fundamentum, & eundem terminum, vt sæpè patet à Doctore. Sed vnitas infinitatis essentiæ diuinæ ponitur proximum 17. *Contra tertium dictum.*

Nota. mum fundamentum identitatis perfectè, vt patet per literam Doctoris. Et illud idem ponitur fundamentum æqualitatis perfectè. Et similiter identitas Filij ad Patrem præcisè terminatur ad suppositum Patris sub ratione formali suppositi, & illud idem suppositum, & sub eadem ratione formali ponitur terminus æqualitatis, ergo æqualitas, & identitas in Filio nullo modo, præter opus intellectus distinguuntur, quod est contra suppositum. Hoc idem dico de æqualitate, & similitudine perfecta, quia similitudo perfecta habet pro fundamento proximo vnitatem magnitudinis bonitatis, & illam eandem habet æqualitas cùm dico, quòd personæ sunt æquales secundùm magnitudinem bonitatis.

18. Secundò instatur, quia si magnitudo infinita ponatur proximum fundamentum identitatis, & similitudinis perfectè; ergo identitas non est identitas, nec similitudo est similitudo, Patet, quia identitas fundatur super vnitate substantiæ, siue essentiæ, & similitudo super vnitate attributi, siue qualitatis, vel saltem habentis modum qualitatis, sicut attributa diuina, vt patet à Doctore *in primo, dist. 8. quæst. pen.*

Tertiò instatur, quia si magnitudo infinita ponatur proximum fundamentum identitatis similitudinis perfectæ, ergo circunscriptis quibuscunque aliis per possibile, vel impossibile, remanente sola ratione magnitudinis infinitæ, adhuc in diuinis posset esse identitas, & similitudo, quod est impossibile, quia diuinæ personæ dicuntur idem secundum essentiam, & similes secundùm attributa, & æquales secundùm magnitudinem.

Quartò instatur, quia si magnitudo infinita ponitur fundamentum identitatis, & similitudinis perfectæ, sequitur quòd identitas in diuinis non sit prior æqualitate; patet, quia in eodem instanti, quo ponitur magnitudo infinita in Filio, in illo instanti Filius est idem Patri, & æqualis. Hoc autem est inconueniens, quia ponitur priùs identitas, quàm æqualitas: quia etiam vnitas essentiæ ponitur priùs, secundùm quam dicuntur personæ idem.

19. Responsio ad omnia. Respondeo ad omnia ista, præmittendo vnum, scilicet, quòd aliud est loqui de ratione formali fundamenti, & aliud de conditione requisita, siue de modo fundamenti. Et similiter aliud est loqui de ratione formali recipiendi, & aliud de conditione requisita ad recipiendum. Exemplum de ratione formali fundamenti alicuius recipiendi, & de conditione requisita. Quantitas molis est ratio formalis sub ratione quantitatis, vt sit fundamentum albedinis: sed singularitas eius est conditio per se requisita. Hoc idem dico de ratione formali recipiendi, & de conditione requisita. Edem modo dico de diuinis. Ratio enim formalis fundamenti proximi identitatis est præcisè vnitas essentiæ diuinæ, & loquendo de perfecta identitate, dico, quòd vnitas essentiæ diuinæ, vt formaliter infinitæ, est ratio formalis fundandi perfectam identitatem, non quòd infinitas absolutè sit ratio fundandi, sed est conditio requisita ad perfectam identitatem.

Dico ergo breuiter ad omnes rationes simul, quòd fundamenta proxima differunt præter opus intellectus, nam fundamentum proximum identitatis perfectæ est vnitas essentiæ formaliter infinitæ; & fundamentum proximum perfectè similitudinis est vnitas attributi, puta bonitatis formaliter infinitæ: Sed proximum fundamentum æqualitatis est præcisè vnitas magnitudinis intensiuè, siue vnitas numeralis infinitatis intensiuè, & sic patet quomodo ista fundamenta proxima differunt præter opus intellectus, etiam loquendo de fundamentis identitatis, & similitudinis perfectè, quæ fundamenta licèt includant infinitatem, vt conditionem requisitam, non tamen includút ipsam, vt formalem rationem proximi fundamenti; sed fundamentum proximum æqualitatis includit in diuinis entitatem infinitatis intensiuè, vt rationem formalem proximi fundamenti. Quid sit proximum fundamentum æqualitatis.

Ex his patet ad omnes illas instantias, quæ præcisè procedunt ac si magnitudo infinita esset præcisa ratio fundandi identitatem, & similitudinem perfectam, quæ tamen magnitudo non sic ponitur; sed conditio necessariò requisita. Sicut etiam dixi in quæst. quinta quodlibet. quòd licèt Deitas sit præcisa ratio formalis obiecti beatifici, tamen infinitas ponitur non vt ratio formalis, nec vt aliquid pertinens ad rationem formalem obiecti beatifici, sed ponitur vt conditio requisita, sic in proposito. 20.

Ad quartam instantiam, (quia aliæ tres procedunt præcisè de eodem fundamento sub eadem ratione, & sic ad illas patet responsio ex supradictis) dico, quòd identitas absolutè est prior in Filio, quia & fundamentum est prius scilicet vnitas essentiæ, identitas tamen vt perfecta non videtur prior æqualitate, quia identitas perfecta includit vnitatem magnitudinis infinitæ, vt conditionem requisitam ad perfectam identitatem, quæ vnitas magnitudinis infinitæ ponitur etiam ratio formalis proximi fundamenti æqualitatis. Et ideò hoc modo intelligendo, non apparet inconueniens identitatem perfectam, & æqualitatem esse simul in eadem persona.

Contra quartum dictum probo quòd personæ non sint æquales secundùm magnitudinem infinitam, vt secundùm fundamentum primò instatur sic: Si magnitudo infinita ponitur fundamentum æqualitatis, sequitur quòd Filio non genito erit in diuinis æqualitas; consequens est contra Augustinum qui vult quòd prima æqualitas sit in Filio, vt patebit in articulo sequenti. Consequentia probatur; quia posito fundamento, & termino alicuius relationis intrinsecus aduenientis, necessariò ponitur talis relatio: hoc patet à Doctore in pluribus locis. Sed in eodem instanti originis, quò Pater est, & Filius non est, est magnitudo formaliter infinita: ergo est fundamentum æqualitatis, & similiter pater ponitur terminus æqualitatis, vt patet: ergo Filio non existente erit æqualitas in diuinis. Instantia

Secundò instatur, quia si magnitudo infinita ponitur fundamentum æqualitatis; ergo prima æqualitas erit in Patre, quòd est contra Augustinum vt suprà dixi. Probatio consequentiæ, quia priùs fundamentum illud erit in Patre, quam in Filio, quia omnis perfectio priùs est in Patre, quàm in Filio; ergo æqualitas fundata in illa magnitudine prius denominat Patrem, quàm Filium, ergo.

Tertiò instatur sic: Si Filius includit æqualitatem ad Patrem, quæro ad quod terminatur talis 21.

talis æqualitas, non ad absolutum in Patre, quia tunc realiter distingueretur ab illo; non ad Patrem, in quantùm Pater, quia vt sic, præcisè ponitur terminus filiationis, non ad Patrem vt æqualis Filio, quia terminus relationis est prior, & maximè in proposito, vt patet à Doctore in secundo articulo sequenti: modò Pater, vt æqualis, nullo modo est prior, vt patet. Si ergo terminus non est assignabilis, ergo Filius non includet æqualitatem ad Patrem.

Solutio. Respondeo ad primum, glossando illam, *posito fundamento*, &c. Hoc non debet absolutè intelligi, sed requiritur, quòd addatur sic, posito fundamento in aliquo quod natum est referri secundùm illud fundamentum, &c. Patet, quia magnitudo infinita absolutè sumpta non refertur: requiritur ergo, quòd ipsa ponatur in aliquo, quod secundùm ipsam natum est referri ad aliud; & sic concedo quòd ipsa posita in Patre, & Filio posito, vt termino: quod Pater secundùm illam fundamentaliter refertur ad Filium, & formaliter æqualitate refertur.

Ad secundum, nego quòd prima æqualitas sit in Patre. Cùm probatur quod fundamentum æqualitatis priùs est in Patre. Dico, quòd aliud est loqui de fundamento æqualitatis, quod actu non fundat æqualitatem, sed est in proxima dispositione ad fundandum; & aliud est loqui de fundamento, vt actu fundat. Hoc posito dico, quòd Pater in illo priori originis, quo Pater est, & Filius non est, benè includit magnitudinem infinitam intensiuè, quæ magnitudo actu non fundat æqualitatem, vt patet, quia vt in illo priori originis non ponitur terminus æqualitatis, nec per consequens æqualitas, & sic in illo priori Pater non potest denominari æqualis. Sed in illo instanti, quo ipsa magnitudo infinita ponitur in Filio, ponitur æqualitas in Filio ad Patrem, quia in illo instanti, ponitur terminus, imò magis præexigitur, scilicet ipse Pater.

22. Ad tertium dico, quod terminatur ad suppositum patris absolutè, & cum dicitur, Pater in quantùm Pater est terminus filiationis; ergo non potest esse terminus æqualitatis. Dico, quòd hoc est falsum, quia idem sub eadem ratione formali potest esse terminus plurium relationum etiam diuersarum rationum: nam Deus sub ratione Deitatis est terminus relationum creaturarum, & omnium causatorum, tam causa efficiente, quàm finali, vt patet à Doctore, benè verum est quòd aliud est loqui de termino relationis: & aliud de correlatiuo; & tunc dico, quòd Pater in quantùm Pater, non est correlatiuum Filij, vt æqualis Patri. Sed Pater æqualis est correlatiuum Filij æqualis, & Pater vt Pater est correlatiuum Filij.

Instantia. Contra quintum dictum, scilicet de infinitate quæ ponitur gradus intrinsecus existentiæ sicut essentiæ, instatur sic: Primò, si essentia, vt distinguitur ab existentia includit infinitatem intensiuam, vt gradum intrinsecum; ergo infinitas intensiua inerit alicui non existenti, quod est impossibile, quia si æternitas est conditio existentis, vt patet *hîc, & in primo, dist.* 3 *q.* 4. à fortiori infinitas intensiua erit alicuius necessariò existentis.

Secundò instatur, quia si infinitas est gradus intrinsecus essentiæ, vt essentiæ, ergo gradus intrinsecus erit prior ratione formali essentiæ, vt essentia est, quod est impossibile: modò existentia est de intrinseca ratione essentiæ diuinæ, vt patet à Doctore *in primo, dist.* 2. *& in quodlib. quæst.* 1.

Tertiò instatur, quia tunc sequeretur quòd essentia, vt formaliter essentia includeret bis infinitatem intensiuam, vt gradum simpliciter intrinsecum essentiæ: patet, quia essentia, vt essentia, includit infinitatem, & essentia, vt existens, quæ existentia est de eius formali ratione, includit similiter infinitatem; ergo bis includit eandem infinitatem, vel saltem aliam, & aliam, si non bis includit.

Respondeo, & primò expono mentem Doctoris. Nam non intelligit, quod essentia, vt distincta ab existentia includit infinitatem, sed quòd infinitas ponitur gradus intrinsecus existentiæ diuinæ, sicut etiam essentiæ non præscribendo essentiam ab existentia, & sic patet responsio ad rationes.

Dico etiam, quòd si essentia ponatur distincta ab existentia, sic, quòd existentia non ponatur de formali ratione eius, sed gradus intrinsecus. Tunc respondeo ad instantias. Ad primum dico, quòd infinitas esset gradus intrinsecus essentiæ, vt essentia: & concedo quòd circunscriptâ, per impossibile, existentiâ, adhuc esset infinita intensiuè, quia vt sic, haberet veram entitatem realem actualem priorem sua existentia. Sicut exposui *in secundo, dist.* 3. *quæst.* 1. vbi exposui, quomodo essentia distinguitur ab existentia. Vide ibi singularia dicta. Et sic non esset inconueniens, quòd essentia haberet existentiam, & infinitatem, vt gradus intrinsecos, & quòd existentia haberet etiam infinitatem intensiuam, vt gradum intrinsecum. Sicut etiam essentia nunc habet bonitatem eandem sibi realiter, quæ bonitas est formaliter infinita, quia infinitas intensiua est gradus eius intrinsecus. Si modò quæratur an infinitas existentiæ esset gradus intrinsecus essentiæ sicut ipsa existentia? Dico, quòd si inter gradus intrinsecos datur ordo secundùm mediatius, & immediatius, quod non est inconueniens eam ponere gradum intrinsecum mediatè. Si verò non esset talis ordo non poneretur gradus intrinsecus eius.

23. *Solutio.* *Nota.*

Ad secundum patet, quia tunc negaretur existentiam esse de formali ratione essentiæ.

Ad tertium patet.

Contra sextum dictum non oportet aliter instare, quia certum est quòd omnis relatio immediatè fundata in ente rationis est relatio rationis, quia relatio realis semper requirit fundamentum & terminum, vt realia entia, vt in pluribus locis patet à Doctore. Et sic æqualitas secundùm potestatem esset relatio rationis, quia potestas illa formaliter sumpta dicit tantùm relationem rationis. Sed si quæratur de ipsa æqualitate, vt fundata in potestate fundamentali, scilicet voluntate, an esset realis, quia & fundamentum reale. Dico absolutè, quòd in se formaliter, & denominatione intrinseca non esset realis, quia ad relationem realem requiritur fundamentum proximum ex natura rei, & non solùm hoc, sed etiam quòd oriatur ex natura rei. Posset tamen dici realis denominatione extrinseca, pro quanto comparatur ad fundamentum reale. De æqualitate verò secundùm æternitatem formaliter, sumptam, prout scilicet dicit negationem desitionis, successionis, participationis, &c. patet quòd est tantùm relatio 24.

Quid requiratur ad relationem realem.

relatio rationis, quia omnis relatio tantùm est rationis, vel quæ fundatur super nihil, vel quæ terminatur ad nihil, vt patet à Doctore *in secundo, dist.2. & dist. vlt.*

Contra septimum dictum aliter nō isto, quia relatio realis requirit extrema realia, & in actu. Modò talis aptitudo ad coëxistendum, &c. vt præcisa aptitudo non est relatio realis, &c.

SCHOLIVM.

Ponit tria dicta: primum, æqualitatis extrema in Deo sunt realiter distincta. Secundum, illa exigit hanc distinctionem. Tertium præexigit eandem distinctionem, probat singula subtiliter, & clarè. Quod ait identitatem non requirere distinctionem extremorum: loquitur de identitate vt sic, quia in Diuinis est realis, petens talem distinctionem, vt ipse docet 1. dist. 31. quæst.1. non petit tamen illam in creatis, quia quodlibet est sibi idem, sed ratione: æqualitas verò vt sic petit distinctionem extremorum, quia nihil est sibi æquale, sicut nec simile, sicut hic Doctor 1. dist.19. q. 1. & dist.31. quæst.1. vbi probat æqualitatem in Deo esse realem relationem.

19. DE secundo articulo principali tria dico. Primò, quod æqualitatis in Diuinis extrema sunt realiter distincta. Secundò, quod ipsa etiam requirit distinctionem realem extremorum illorum. Tertiò, quod ipsa non qualitercunque requirit, puta concomitantes, sed præexigit illam distinctionem. Primum patet: quia personæ dicuntur æquales ista æqualitate, vna alteri: non autem dicitur essentia æqualis sibi, vel personæ, vel è conuerso: persona autem à persona distinguitur realiter. *Artic.2.*

Secundum probatur per auctoritatem Hilarij qui dicit tertio de Trin. *Similitudo sibiipsi non est*; si autem similitudo non requireret distinctionem extremorum, posset aliquid idem esse sibi simile, sicut est de identitate, idem enim est sibiipsi idem, pro eo quòd identitas non requirit extremorum distinctionem. Hoc autem probatur auctoritate Augustin. *6. de Trin. cap.9.* vbi vult, quòd in Filio est prima æqualitas. Si autem æqualitas non requireret distinctionem extremorum, posset Pater esse æqualis sibi, & per consequens, cum pater sit prior origine Filio, prima æqualitas esset in Patre: nunc autem pro tanto dictum Augustini est verum; quia non est ibi æqualitas, nisi inter personas distinctas: & ideò non est ibi, nisi genito Filio: In ipso ergo est prima æqualitas, [n] & terminatiuè, qua scilicet Pater est æqualis sibi: & prima æqualitas quasi denominatiuè vel relatiuè, quæ scilicet non est ad terminum aliquo modo subsequentem. *Æqualitas petit extrema distincta, identitas non loquitur de identitate vt sic. In filio est prima æqualitas: exponitur*

20. Tertium probatur, [o] scilicet quod distinctio præexigitur rationi æqualitatis. Hoc probatur ratione fundata in auctoritate accepta Ioan.5. Patrem suum dicebat Deum æqualem se faciendo Deo, & innuitur talis demonstratio. Christus dicebat, & verissimè, Patrem suum Deum esse; ergo se faciebat, hoc est, se asserebat æqualem Deo: communicatio autem perfecta naturæ non potest esse sine communicatione eius in propria sua magnitudine: & per consequens nec sine æqualitate inter communicantem, & illum, cui communicatur; & quòd ipsa communicatio, siue generatio, quæ importatur in hoc, quòd patrem suum dicebat Deum, præexigatur ipsi æqualitati. Probatur per hoc: quia qualis ordo realis esset inter aliqua, si illa essent distincta realiter, talis ordo est inter ea, vbi sunt eadem solum distincta ratione. Hæc ratio est superiùs sæpè declarata. Nunc autem, si essentiæ magnitudo differret realiter ab ipsa essentia: essentia prior esset realiter magnitudine, & per consequens communicatio essentiæ communicatione suæ magnitudinis: ergo qualiscunque distinctio sit inter illa in proposito, tali modo communicatio essentiæ erit prior communicatione magnitudinis, & per consequens æqualitate: quia non est in altero extremo, nisi secundùm magnitudinem communicatam. *Æqualitas præexigit distincta extrema.* Vide in quodl. super q. 1. in artic.2.

21. Secundò arguitur ad idem [p] quia pluralitas eiusdem rationis necessariò finita, necessariò præexigit pluralitatem alterius rationis, secundùm quam ipsa determinetur. Ista fuit declarata in solutione secundæ quæstionis; modò autem æqualitatis in personis diuinis, pluralitas est eiusdem rationis & necessariò finita; ergo ipsa præexigit pluralitatem alterius rationis, per quam ipsa determinatur ad certam pluralitatē. Ista pluralitas alterius rationis præexacta non potest poni nisi in proprietate personali. Minor quantùm ad primam partem, scilicet, quòd æqualitatis in personis diuinis est aliqua pluralitas, probatur; quia relatiuè opposita necessariò sunt distincta, & per consequens *Pluralitas finita eiusdem rationis petit pluralitatē alterius rationis.*

consequens plura: & cum relationes in eis sint rationes oppositionis, illæ æquè, vel multò magis erunt oppositæ, & distinctæ, & si idem non potest esse simile sibi, vt suprà dictum est, secundùm Hilarium multo magis æqualitas in vno æquali, est distincta ab æqualitate in alio æquali.

Æqualitates personarum sunt eiusdẽ rationis quia habent idẽ fundamentum eosdẽque terminos.

Alia pars minoris, scilicet quod illa est eiusdem rationis, satis est euidens, quia sic est in qualibet æqualitate.

Tertia pars minoris, scilicet quòd est necessariò finita, patet: quia alioquin possent esse infinitæ æqualitates in Diuinis, & per consequens necessariò essent.

Et si instetur, quòd maior propositio est vera de pluralitate reali, & non alia: si autem minor sic accipiat pluralitatem æqualitatum esse realem in Diuinis, tunc petitur principium.

q Contrà, hæc maior est vera de quacunque pluralitate, siue rei siue rationis. 22.
Minor etiam probata est, qualitercunque sit, scilicet quòd necessario est pluralitas: quia non solùm in relationibus realibus non potest esse eadem relatio realis in vtroque extremo, sed alia, & alia: imò hoc verum est in relationibus secundùm rationem: quamuis enim relationes rationis sint diminutæ entitatis respectu relationum realium, tamen in sua entitate habent oppositionem, & distinctionem correspondentem suæ entitati, vt patet in exemplo satis conuenienti, relatio enim causæ, vt dicitur in Deo, est tantùm rationis: & tamen ipsa causa, suo modo oppositionem, & incompossibilitatem tantam habet ad causatum, sicut paternitas ad Filium: non enim petitur conclusio in minore, accipiendo in minore quod ista sit pluralitas realis, sed tantùm accipitur generaliter, quod sit distinctio æqualitatis in relatiuo, & suo correlatiuo: quod verum est, siue relatio sit realis, siue rationis: & est pluralitas necessariò finita, & eiusdem rationis; sequitur ergo conclusio: quod necessariò præexigat aliquam distinctionem alterius rationis, per quam determinetur: & non inuenitur talis alterius rationis, nec realis, nec rationis, nisi pluralitas proprietatum personalium.

Demõstrãtur relationes cõmunes, per relationes originis.

Iuxta istud, patet corolarium, scilicet quod demonstratione *propter quid*, relationes cõmunes concluduntur de personis Diuinis per relationes originis, sicut dictum est in secundo articulo primæ quæstionis, quod per proprietates essentiales concluduntur de personis habentibus illas proprietates personales propter *quid*: vt potè per memoriam perfectam, propter *quid* concluditur de persona habente talem memoriam à se, quod sibi conuenit, dicere verbum perfectum: & voluntatem perfectam concluditur, quod habenti eam à se conuenit spirare, quemadmodum concluderetur, si memoria differret à *dicere*, & voluntas à *spirare*: ita in proposito, comparando relationes personales ad communes, est similis processus: quia si differrent realiter, habere istã naturam eandem per generationem, & esse idem; vel per generationem, habere magnitudinem eandem, & esse æqualia: sicut per hoc quod est *A*, producere *B* perfectè in perfecta magnitudine, demonstraretur æqualitas *A*, & *B*, ita vbi est differentia qualiscunque rationis semper maneret idem ordo conceptuum, quantùm ad noscibilitatem, & per consequens idem ordo scibilitatis.

COMMENTARIVS.

25. D*E secundo articulo principali.* Hic Doctor tria ostendit, primò, quòd *æqualitatis in diuinis extrema sunt realiter distincta*, &c.

n *In ipso ergo est prima æqualitas, & terminatiuè*, Et patet quomodo prima æqualitas sit terminatiuè in Filio, quia æqualitas quæ formaliter est in Patre, & qua Pater est æqualis Filio primò terminatur ad Filiũ. Et similiter patet quomodo prima æqualitas subiectiuè, & denominatiuè sit in Filio, & qua Filius formaliter est æqualis Patri, sine qua Filius dicitur relatiuè referri, vt æqualis ad Patrem æqualem, & illa æqualitas in filio non est ad terminum subsequentem, imò magis est ad terminum præcedentem. quia ad Patrem.

o *Tertium probat, scilicet, quòd distinctio extremorum præexigatur, id est*, quòd extrema sunt ibi in aliquo priori, in quo non intelligitur æqualitas. Et prima ratio fundata super auctoritate (Ioannis quinto patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciendo Deo) stat in hoc, quia Filius priùs est Deus, quàm dicatur æqualis Patri, quia non secundùm Deitatem absolutè dicitur æqualis, sed secundùm magnitudinem, quæ est aliquo modo posterior Deitate, & per consequens æqualitas præsupponit Patrem, & Filium, qui sunt extrema æqualitatis. Sed in eodem instanti, quo Deitas communicatur Filio per generationem Filius est, & in illo instanti non intelligitur communicata magnitudo; ergo magnitudo præsupponit Patrem, & Filium, vt extrema realiter distincta: sed æqualitas immediatè fundatur in magnitudine; ergo à fortiori præexigit Patrem, & Filium. Et probat quòd magnitudo præexigat, quia si esset realiter distincta à Deitate, realiter priùs com-

Nota hæc omnia diligẽter.

communicaretur per generationem Filio, quàm magnitudo; ergo & modò vbi saltem ratione distinguuntur; & patet per illam propositionem sæpè allegatam, scilicet, *qualis est ordo inter aliqua, vbi realiter distinguuntur, talis est vbi sola ratione distinguuntur.*

26. p *Secundò arguitur ad idem.* Hæc est secunda ratio Doctoris quæ probat quod æqualitas necessariò præexigat extrema in diuinis. Et in ista ratione supponit vnum dictum, scilicet, quòd æqualitas in Patre, & æqualitas in Filio sunt priores æqualitates, & realiter distinctæ, quia alia æqualitate Pater est æqualis Filio, & Filius similiter alia æqualitate est æqualis Patri, vt exposui in primo, *dist.* 19. *quæst.* 1. Patet etiam hîc, quia relatiuè opposita necessariò sunt plura: modò Pater, & Filius sunt duo æquales, & sic relatiuè opponuntur, & per consequens sunt realiter distincta; ergo, & æqualitates, secundùm quas dicuntur formaliter relatiuè opposita. Supponit etiam quòd istæ æqualitates sint eiusdem rationis; & patet, quia habent idem fundamentum sub eadem ratione formali. Extrema etiam, scilicet Pater, & Filius sunt eiusdem rationis, vt patet à Doctore *in primo, dist.* 7. *&* 13. vbi vult quòd Filius sit vniuocè genitus. Supponit etiam quòd istæ æqualitates necessariò sint finitæ, quia si possent esse infinitæ, necessariò actu essent infinitæ: quia quicquid in diuinis ad intrà potest esse, necessariò actu est, vt sæpe dicit Doctor in primo, & in Quod. Istis præmissis, formo sic rationem: Pluralitas eiusdem rationis necessariò finita, necessariò præexigit pluralitatem alterius rationis, secundùm quam ipsa determinetur ad tantam pluralitatem præcisè. Hoc clarè patuit suprà. *q.* 2. Sed æqualitates inter Patrem, & Filium sunt eiusdem rationis, & finitæ secundùm numerum, cùm non possint esse infinitæ: ergo præexigunt aliqua sic determinantia: illa non possunt esse nisi proprietates hypostaticæ Patris, & Filij, quæ inter se sunt alterius rationis: imò sunt primò diuersæ, vt probat Doctor *in primo, dist.* 13. *&* 25. 26.

Æqualitates an sint finitæ.

27. Si instetur contra maiorem Syllogismi, quòd intelligitur de pluralitate reali, scilicet, quòd pluralitas realis eiusdem rationis necessariò finita præexigit, &c. Et tunc minor petitur; quia non probatur, quòd pluralitas æqualitatis sit realis.

q Doctor hoc improbat dicens, quòd maior est vera de omni pluralitate, siue reali, siue rationis, & per consequens minor non petitur, quia absolutè accipitur. Sed æqualitas inter Patrem, & Filium sunt plures eiusdem rationis, & necessariò finitæ: nec in ista minore dicitur, quòd talis pluralitas sit realis, vel rationis. Sed absolutè accipitur sicut & maior. Et quod illa maior habeat etiam veritatem de pluralitate rationis, patet. Sic à Doctore cùm dicit: *Quamuis enim relationes rationis sint diminutæ entitatis respectu relationum realium*, &c. Patet, quia sicut Patri repugnat quòd respectu eiusdem Filij, quòd sit filius, & per consequens quòd habeat illam relationem, secundùm quam filius dicitur filius: Sic causæ repugnat, quòd respectu eiusdem causati sit causata, & per consequens repugnat sibi relatio opposita relationi causæ, & sic relatio illa causati est ita incompossibilis relationi rationis causæ, quæ terminatur ad illud idem causatum, sicut filiatio est incompossibilis Patri.

In isto articulo occurrunt aliqua dubia. Primò in hoc quod dicit, quòd *identitas non necessariò requirit extremorum distinctionem, quia idem sibiipsi est idem.* Hoc non videtur verum, quia in diuinis est perfectissima identitas inter Patrem, & Filium, quæ tamen necessariò requirit extremorum distinctionem, vt patet. 28.

Responsio. Nota istæ dubia cum suis responsionibus.

Secundò instatur, quia omnis relatio realis necessario est inter extrema realiter distincta, vel saltem præexigit aliqua realiter distincta (quod dico propter rationem mouentis, & mobilis, quando idem mouet seipsum, quia etsi mouens nô distinguatur à se moto, tamen non esset talis relatio, nisi ab ipso mouente causaretur aliquid realiter distinctum ab ipso mouente, & moto, vt exposui in primo, *dist.* 3. *q.* 7. *& in* 2. *dist.* 25. vide ibi.) Sed identitas diuina, quæ est Patris ad Filium, & ècontra, est realis, vt patet à Doctore *in primo, dist.* 31. ergo non potest esse eiusdem ad se.

Respondeo, quòd Doctor non dicit quòd omnis identitas est eiusdem ad se, & quòd non requirat extremorum distinctionẽ, sed dicit quòd identitas, vt identitas, non necessariò requirit extremorum distinctionem, quia tunc omnis identitas necessariò requireret, quod est falsum, quia idem numero est sibiipsi idem, licèt illa relatio identitatis sit præcisè relatio rationis, vt patet à Doctore in Sententiis, & in Metaphysica sua. Sed æqualitas, vt æqualitas, semper requirit extremorum distinctionem, quia nunquam conceditur quòd idem sit sibi æquale, sicut conceditur quòd idem sit sibiipsi idem, nec similiter conceditur quòd simile sit sibi simile. Æquale ergo nec æqualitate reali, nec rationis conceditur sibiipsi æquale, nec simile sibi simile, sicut conceditur idem identitate rationis esse sibi idem: sed nunquam conceditur de identitate reali, & per hoc patet responsio ad instantias. *Responsio.*

Secundò dubitatur in hoc scilicet, quòd *prima æqualitas in diuinis est in filio, & terminatiuè, & denominatiuè*, hoc non videtur verum. Primò; quia æqualitas in patre æquè primò est in diuinis, sicut æqualitas in Filio, patet quia præcisè in eodem instanti, quo ponitur vna, ponitur & alia. 29.

Dubium.

Secundò instatur sic: Sicut fundamentum æqualitatis priùs intelligitur in Patre, quàm in Filio, ergo per prius Pater secundùm magnitudinem debet dici æqualis Filio, & denominari æqualis, quàm Filius, saltem æquè primò, ergo ita primò denominatiuè est æqualitas in Patre: sicut & in Filio.

Tertiò: Si prima æqualitas est in Filio, ita quòd in Patre non potest esse æqualitas nisi Filio genito, à quo vt à termino necessariò suo modo dependet æqualitas; ergo Pater aliquid habebit à Filio, quia æqualitatem, & sic non omnia Pater habebit à seipso.

Respondeo ad duo prima, concedendo quòd æquè primo est æqualitas in Patre sicut in Filio, nec Doctor dicit, quòd æqualitas Filij ad Patrem sit aliquo modo prior, sed dicitur prima æqualitas ex hoc solo, quòd in eodem instanti quo Filio communicatur magnitudo infinita, ponitur extremum æqualitatis, quo posito statim resultat æqualitas inter Patrem, & Filium, quàm primum enim est filius statim sequitur æqualitas. *Responsio.*

Ad tertium dico, quòd non est inconueniens, Patrem aliquid saltem partialiter habere à Filio, quòd nullam dicit perfectionem, sicut sunt istæ relationes communes, vt similitudo, æqualitas, & identitas realis, quæ in Patre aliquo modo sunt à Filio, vt à termino, cùm necessariò Filius præexigatur huiusmodi relationibus.

SCHOLIVM.

Contra ea quæ dicit, nempè æqualitatem esse in Deo ex natura rei, & præëxigere extremorum distinctionem, addudit ex D. Thom. & aliis quatuor argumenta, satis clarè in textu posita.

Contra dicta [r] in isto articulo obiicitur dupliciter. Primò contra conclusionem. Secundò, contra illam tertiam probationem de præëxigentia illa. 23.

D. Tho. 1. p. sum. qu. 2. ar. 1. primo scri. d. 31. Quære eum prima p. q. 27. & 28.

Contra primum sic: æqualitas aliquorum non est nisi relatio secundùm magnitudines eorumdem commensuratas inter se: non est ergo æqualitas eorum, nisi secundùm plures magnitudines adinuicem commensuratas: ergo cum secundùm magnitudinem essentiæ dicitur esse personarum æqualitas, cùm hîc non possit esse pluralitas rei, sed tantùm rationis: oportet quòd magnitudo bis accipiatur secundùm intellectum, ad hoc quòd fundet æqualitatem, semel scilicet vt in hac persona: & semel, vt in illa, ergo non est distinctio fundamenti, quæ requiritur, nisi tantùm per iteratam acceptionem intellectus, & ita rationis tantùm.

Tex. ca. 49.

Præterea. Forma eiusdem rationis non distinguitur nisi per distinctionem materiæ, *ex* 12. *Metaphy.* æqualitas est forma tantùm, & eiusdem rationis, vt acceptum est in arguendo, & non est ibi materia aliqua: ergo est ibi alia æqualitas, non ergo est hîc solum non distinctio fundamenti, secundùm primum argumentum: sed nec distinctio relationum oppositatum secundùm istud argumentum.

Præterea tertio probatur, quòd nec est distinctio extremorum, inquantùm sunt extrema, quæ tamen requiritur: nam extrema non sunt extrema, nisi inquantùm terminant relationem; non autem terminant, nisi inquantùm habent fundamentum æqualitatis, & inquantùm habent illud, non distinguuntur.

Quartò & vltimò. Quod conuenit personis diuinis secundùm substantiam, non distinguitur in eis: nunc autem secundùm Augustin. 5. de Trin. 6 *quærimus secundùm quid Patri sit æqualis Filius, non autem secundùm hoc, quòd ad patrem dicitur Filius: restat ergo vt secundùm illud, quod ad se dicitur, sit æqualis*: hæc Augustinus. habetur ergo hæc minor assumpta, scilicet quòd æqualitas conueniat personis secundùm substantiam.

Istarum quatuor rationum tertia confirmat primam, & quarta secundam, & possunt tangi pro distinctis rationibus.

COMMENTARIVS.

30. r *Contra dicta in isto articulo.* Hîc Doctor arguit primò contra conclusionem in se, probando quòd in diuinis non sit æqualitas ex natura rei, nisi tantùm rationis. Secundo arguit contra illud, scilicet, quòd æqualitas in diuinis præëxigat extremorum distinctionem. Contra conclusionem dupliciter arguit, & prima ratio stat in hoc: Æqualitas aliquorum est relatio secundùm magnitudines commensuratas ad inuicem; sed in diuinis non sunt plures magnitudines adinuicem commensurabiles: ergo non est ibi æqualitas realis: sed si ibi sit æqualitas, erit præcisè rationis, quia erit secundum eandem magnitudinem, vt bis acceptam, scilicet vt in Patre, & in Filio, & bis accipi non potest, nisi per intellectum.

Secunda ratio patet.

Tertiò probat quòd non sit distinctio extremorum inquantum extrema, &c. *Et in quantum habent illud non distinguuntur*, patet, quia illud fundamentum est omnino indistinctum, ergo vt præcisè considerantur in quantùm habent illud, nullo modo distinguuntur.

Quartò, & vltimo arguit, quod conuenit personis diuinis secundùm substantiam, non distinguitur in eis: patet, quia nec substantia aliquo modo distinguitur in personis diuinis.

SCHOLIVM.

Contra etiam rationem aliorum, qua suadetur requiri pluralitatem fundamenti, vt æqualitas sit realis, quia est opinionis contrariæ fundamentum: arguit primo, quia relationes reales originis habent tantum vnum fundamentum, essentiam, ergo idem de communibus. Secundo, essentiam secundùm se, non vt ratione multiplex, fundat relationes originis reales: ergo idem de communibus. Tertiò, refutat quod dicitur æqualitatem non esse nisi secundùm magnitudines commensuratas, quia æqualitas præsupponitur cõmensurationi, potestque reperiri sine ea, vt in exemplo de Corpore Christi. Respondet ad quatuor argumenta allata per exquisitam & subtilem doctrinã, explicando v. ios loquendi modos, vt in margine noto.

24. PRima ratio a videtur esse fundamentum vnius opinionis, & ideò contra illud, quod accipitur in ea pro fundamento, scilicet quod æqualitas realis requirit distinctas magnitudines, & commensuratas, Arguitur primò sic. Relationes quæ fundantur in aliquo fundamento, vt ipsum est vnum, non magis requirunt distinctionem eius, quàm illæ, quæ fundantur in aliquo, non vt vnum, & hoc loquendo hinc inde æqualiter, scilicet quantùm ad illud, quod est esse relationem realem: sed relationes originis fundantur in essentia diuina, non vt vna: ita quòd vnitas non est ratio proxima fundandi: & relationes communes per oppositum, fundantur in fundamento illo, vt vnum est: ergo non maiorem distinctionem requirunt in fundamento relationes communes, vt sint reales, quàm relationes originis; sed istæ non requirunt secundùm omnes; ergo nec illæ.

Henr. quo. 1. q. 1.

Relationes originis fũdantur in essentia, nõ vt vna, cõmunes fundantur in suo fundamento vt vno.

Præterea. b Essentia secundùm se, & non vt bis accepta secundùm intellectum, fundat distinctas relationes reales originis, pro tanto, vt videtur: quia ipsa vt fœcunda in ratione principij communicatiui, & termini communicabilis, est infinita formaliter: sed ipsa, vt quanta virtualiter, est infinita formaliter: imò ipsa est quantitas infinita: ergo pari ratione, ipsa, vt sic quanta, potest fundare relationes communes oppositas reales, & non tantùm vt bis accepta, per considerationem intellectus.

Essẽtia secundùm se fundat distinctas relationes.

25. Præterea, c Quod additur de quantitatibus distinctis commensuratis. Quæro quid intelligitur per illud, quod ipse dicit æqualitatem realem non esse nisi secundũ magnitudines sic commensuratas? aut enim per hoc, quòd est esse commensuratas, intelligitur ratio formalis æqualitatis, aut aliqua ratio præuia fundamentalis: Si primo modo, est manifesta petitio; non est realis commensuratio: ergo non est realis æqualitas. Si secundo modo, non videtur probabile, quòd sit ratio in fundamento præsupposita æqualitati, imò commensuratio actualis videtur esse posterior æqualitate, quia videtur importare coëxtẽsionem, & applicationem aliquorum æqualium, & modum talem extendendi, siue habendi quantitatem, secundùm quam possunt coëxtendi, & applicari ad hoc, quòd sint commensurabilia.

Commensuratio supponit æqualitatem, nõ è contra.

Vnde Corpus Christi in Eucharistia nõ est commensuratum alicui habenti quantitatem, sed nec commensurabile potentiâ propinquâ, sub eo modo, quo habet ibi æqualitatem: non est ergo argumentum aliquo modo, à priori: non est realis commensuratio; ergo non est realis æqualitas.

26. Ad argumentum igitur respondeo; d quod si essent duæ magnitudines, quarum neutra aliam excederet, haberent tamen vltra rationem quantitatis fundantis æqualitatem, vnitatem, licet diminutam, & secundùm *quid*: quando autem est in duobus suppositis eadem magnitudo numero, tunc cum distinctione extremorum est ibi vnitas simpliciter; habetur ergo simpliciter extemorum distinctio, & simpliciter vnitas formæ secundùm quam referuntur, & ita verius est ibi illud, quod requiritur ad relationem communem, quàm si non esset vnitas formæ in extremis, nisi secundùm *quid*: nam relatio communis hoc habet generale cum aliis, quòd relatio requirit distinctionem extremorum; sed hoc habet speciale, qòd requirit vnitatem fundamenti: neganda est ergo illa propositio, quòd *æqualitas non est realis nisi secundùm plures magnitudines*: imò illa, quæ est secundùm plures magnitudines, est secundùm *quid* æqualitas realis, quia est secundùm vnitatem magnitudinis secundùm *quid*: ergo vbi est vna magnitudo simpliciter, propter æqualitatem simpliciter, & realem, non oportet quòd illa vnitas sit bis accepta, vt ratio fundandi, quia iterata acceptio nihil adderet ad illud, quod est ratio fundandi, sed magis detraheret

Verior est æqualitas, quãdo vna numero forma est in æqualibus quam si in eis tantum esset vnitas formæ secũdum quid

totum, imò tantummodò sufficit, quòd ipsa realiter sit vna habita in extremis realiter distinctis.

Artic. 2. Tex.ca.49.

Ad secundùm de illa propositione e maiori, dictum est in quæstione secunda, & exposita est intentio Philos. 12. *Metaph.* quomodo non accipitur materia ibi pro materia receptiua formæ, sed pro quocunque, quod præëxigitur ipsi formæ, secundùm cuius pluralitatem determinatur ipsa pluralitas in ipsa forma: & hoc modo æqualitas habet materiam: quia pluralitas æqualitatis necessariò præëxigit pluralitatem alterius rationis, secundùm quam necessariò determinatur ad certam pluralitatem: vt patet in tertia conclusione istius articuli, quæ est, quòd æqualitas præëxigit relationes originis.

Extremum inquantum extremum, terminat, exponitur.

Ad tertium, cùm dicitur: [f] *extremum inquantùm extremum terminat*, potest diuersimodè intelligi ista reduplicatio: vel quia reduplicatur relatiuum, quod dicitur oppositum, vel correlatiuum; vel reduplicatur ratio formalis vltima, quâ scilicet vltimatè formaliter est relatiuum, vel correlatiuum: vel quòd reduplicatur ratio formalis non vltima, sed fundamentalis, quasi præuia: primo modo, & secundo, maior est vera: quod, scilicet extremum inquantùm extremum oportet realiter distingui ab extremo: tertio modo falsa est, & solùm illo modo minor est vera. Vnde probatio, quæ accipit, quòd extremum, inquantùm est extremum, terminat: adhuc ibi ly, *inquantum*, habet tantam reduplicationem, quantam priùs & solummodò in tertio sensu probatur, per hoc quòd terminat inquantùm habet in se fundamentum. 27.

Ly. secundũ nõ semper denotat rationẽ formalem inhærentiæ prædicati.

Ad quartum, [g] dico, quòd hæc præpositio, *secundum*, quando fit comparatio ad prædicatum respectiuum, non semper notat suum casuale esse rationem formalem vltimatam inhærentiæ prædicati, sed communius, vel saltem communiter notat ipsum esse rationem fundamentalem: dico enim Socratem secundùm albedinem esse simi'em Platoni, cùm tamen albedo non sit ratio formalis proxima essendi similem Platoni, sed similitudo essendi similem, sicut albedo essendi album. Pro tanto tamen hoc conceditur, quia albedo est ratio fundamentalis similitudinis: dico tunc, quòd Augustinus intelligit ibi, quòd æqualis est Patri Filius secundùm substantiam: quia paternitas, & filiatio non sunt propriè rationes fundamentales ipsius æqualitatis, sed aliquid quod est commune eis, & aliquid quod est ad se; quando ergo accipitur in maiori. *Illud, quod dicitur secundùm substantiam in personis non numeratur in eis*: ista est vera: provt ly *secundum*, notat proximam rationem formalem: & sic minor est falsa, nec ad intentionem Augustini, sed tantummmodò intelligit prout casuale huius propositionis, *secundum*, notatur esse ratio fundamentalis respectu relationis; quæ prædicatur.

Filius est æqualis Patri secundũ substantiã, & quomodo?

Et si obiiciatur, [h] quare ergo Pater non dicitur Pater secundùm substantiam, cùm substantia sit ratio fundamentalis respectu paternitatis, & immediatiùs quàm respectu æqualitatis, per te?

Quare non dicitur Pater secundũ substantiã, sicut dicitur æqualis secundum eam.

Dici potest, quòd, cùm dicitur, *secundùm substantiam*, ibi accipitur substantia prout est vna, est autem fundamentum vtriusque relationis, vna quidem existens, sed non vt vna: imò, vt vna, tribus est fundamentum æqualitatis: ipsa autem, quæ est vna, & non, vt vna in tribus, est fundamentum paternitatis, siue filiationis: imò, vt fœcunda in ratione principij, & termini communicabilis quasi proximo fundat.

Pater secũdum memoriã est pater vera propositio.

Aliter potest dici Logicè, quòd nihil dicitur verè competere alicui secundùm *A*, si *A* sit ratio transcendens, & hoc siue sit ratio formalis, siue fundamentalis: vnde hæc est falsa: *Socrates secundùm colorem est albus*: hæc autem est vera: *Socrates secundùm albedinem est albus*: nunc autem essentia est ratio fuundamentalis paternitatis: est tamen transcendens: sed respectus æqualitatis est ratio fundamentalis, non transcendens, sed adæquata & ideò secundùm Logicam Augustinus propriè locutus est, vt hæc sit vera: *aliquo modo Pater secundùm essentiam est æqualis*, quo modo ista non est vera: *secundùm essentiam est Pater*: imò ista est vera: *secundùm memoriam est Pater*, quia ista ratio fundamentalis est adæquata relationi illi.

COMMEN

COMMENTARIVS.

31. a *Prima ratio videtur esse fundamentum vnius opinionis,* Hîc Doctor arguit contra vnam opinionem quæ tenet quòd æqualitas realis requirit distinctas magnitudines, & commensuratas. Et probat quòd æqualitas realis potest immediatè fundari, in vno fundamento habente præcisè vnitatem numeralem. Prima ratio stat in hoc: Relationes originis oppositæ, vt paternitas,& filiatio,immediate fundantur in essentia habente vnitatem numeralem, vt ab omnibus conceditur; ergo à fortiori, & duæ æqualitates possunt fundari in eodē fundamento numero,puta in magnitudine. Probatur consequētia, quia æqualitas requirit ex sua ratione vnitatem fundamenti, vt patet 5. *Met.* ita quòd vnitas fundamenti est ratio proxima fundandi æqualitatem; sed relatio originis ex sua ratione non requirit vnitatem fundamenti, vt patet; ergo.

Nota.

Speculare.

b Secundò arguit, quia essentia est formaliter infinita, ideò ipsa potest habere rationem principij communicatiui, & rationem termini formalis; & sic eadem non vt bis accepta per intellectum, sed ex natura rei potest, imò actu fundat relationes originis oppositas, ergo pari ratione ipsa, vt sic quanta, siue formaliter infinita, poterit fundare duas æqualitates oppositas, imò à fortiori quia relationes originis ex sua ratione formali non requirunt tantam vnitatem fundamenti, sicut istæ.

32. c *Quod additur de quantitatibus distinctis commensuratis.* Hîc improbat opinionem specialiter quantùm ad hoc, quod dicit, quòd æqualitas requirit commensurationem quantitatum, quia posito quòd æqualitas sit scilicet inter plures magnitudines, & præexigat illas, tamen non videtur sequi quòd præexigat, vt commensuratas, & arguit sic: *aut commensuratio intelligitur vt ratio formalis æqualitatis, aut intelligitur aliqua ratio præuia fundamentalis*, &c. *Vnde Corpus Christi vt in Eucharistia non est commensuratum alicui habenti quantitatem*, &c. Nam Corpus Christi, vt in Eucharistia est tantæ quantitatis,quantæ nunc est in cœlo, vt patet à Doctore *in quarto, distinct.* 10. ergo vt in Eucharistia est verè æquale alteri corpori existenti extra Eucharistiam habenti æqualem magnitudinem, & tamen vt existens in Eucharistia nullo modo commensuratur illi, vt patet per Doctorem vbi suprà. Est ergo ibi æqualitas sine commensuratione; siue actuali coëxtensione. Nam Corpus Christi, vt in Eucharistia etsi habet eandem quantitatem, quam nunc habet in cœlo, non tamen habet eam secundum modum quantitatiuum, vt patet à Doctore vbi suprà, vide ibi.

Nota quomodo corpus Christi sit in Eucharistia, & in Cœlo.

33. d Nunc Doctor soluit argumenta facta contrà. Ad primum dicit, quòd si essent duæ quantitates æquales, tunc inter illas esset æqualitas realis, & haberet fundamentum non vnum numero, sed vnum vnitate specifica, sicut exposui *in secundo, distinct.* 3. *quæst.* 1. & ideò esset ibi vnitas fundamenti secundùm *quid*; ergo à fortiori vbi esset vnitas fundamenti simpliciter, sicut vnitas numeralis cum reali distinctione extremorum magis esset simpliciter æqualitas realis, sic est in proposito.

Solutio argumētorum.

e *Ad secundum dicit, quòd illa propositio Philosophi est exposita, quæst.* 2. *& etiam in secundo, distinct.* 3. *quæst.* 7. vide ibi quomodo accipiatur materia, quia accipitur pro hæcceitate contrahente naturam, & vbi non est talis singularitas, ibi non est pluralitas formæ eiusdem rationis, & non accipit ibi Philosophus *materiam* pro altera parte compositi, vt patet *in secundo, dist.*3. de ratione singularitatis: vide ibi. Et hoc modo æqualitas habet materiam, quia pluralitas æqualitatis necessariò præexigit pluralitatem alterius rationis, scilicet proprietates hypostaticas, secundùm quàm necessariò determinatur ad pluralitatem certam, puta dualitatem.

Quomodo æqualitas habeat materiam.

f *Ad tertium, cum dicitur extremum relationis*, vt extremum terminat relationem, dicit quod per ly *videtur*, vel *inquantum*, vel reduplicatur relatiuum; vel reduplicatur ratio formalis vltima,quâ scilicet vltimatè est relatiuum, vel correlatiuum; vel tertio reduplicatur ratio formalis non vltima, sed fundamentalis, quasi præuia. Exemplum primi, in creaturis pater inquantùm pater vt terminat, vel vt est correlatiuum Filij distinguitur realiter à filio. Exemplum secundi, pater vt est ratio formalis, quare pater sit extremum filiationis realiter distinguitur à filiatione. Exemplum tertij, potentia generandi, siue humanitas est ratio formalis terminandi, siue quòd pater dicatur extremum terminans filiationem. In proposito in diuinis æquale, vt æquale, realiter terminat vt correlatiuum æqualitatem,secundùm quàm haberet esse ad aliud correlatiuum, & vt sic, realiter distinguitur ab alio correlatiuo,similiter æqualitas in patre est ratio formalis vltima, quare pater dicatur extremum, siue correlatiuum terminans æqualitatem filij, & sic illa distinguuntur realiter ab æqualitate Filij, & est ratio,quare pater, vt æqualis filio distinguitur realiter à filio, vt æquali. Sed magnitudo intensiua siue infinitas est ratio fundamentalis, quare pater sit æqualis filio,& econtra, quare filius sit æqualis patri, & secundùm illam pater non distinguitur realiter à filio, cùm sit omnino indistincta in patre, & in filio.

Quomodo infinitas sit ratio fundamentalis.

34. g *Ad quartum* dicit,quòd ly *secundùm*,quando *fit comparatio ad prædicatum respectiuum*,&c. *Dico enim Socratem secundùm albedinem,esse similem Platoni*, albedo, quæ immediatè sequitur dictionem reduplicatiuam dicitur casuale, & tamen albedo non est ratio formalis, & proxima, quòd Socrates dicatur similis, sed tantùm est ratio fundamentalis. Ratio verò proxima est similitudo in Socrate, & sic Socrates secundùm similitudinem dicitur similis Platoni, & sic similitudo in Socrate est ratio formalis, & proxima quare Socrates dicatur similis Platoni. Dico tūc, quòd Augustinus intelligit ibi, quòd Filius est æqualis Patri secundùm substantiam tantùm fundamentaliter, non autem formaliter. Quando ergo dicitur, quod conuenit personis diuinis secundùm substantiam non numeratur in eis, conceditur ista prout ly *secundùm* non notat

Quomodo filius sit æqualis patri.

proximam rationem formalem, sed postea minor est falsa, scilicet, quòd pater secundùm substantiam,vt proximam rationem formalem sit æqualis Filio, imò secundùm æqualitatem, vt secundùm rationem proximam, & vltimatam dicitur æqualis Filio.

Dubium. h *Et si obiiciatur.* Doctor facit vnam obiectionem contra hoc, scilicet, quòd Pater secundùm substantiam dicitur æqualis Filio, vt secundùm rationem fundamentalem, quare similiter Pater non dicitur pater secundùm substantiam, vt secundùm rationem fundamentalem, cùm ipsa substantia sit ita fundamentum paternitatis, sicut & æqualitatis.

Responsio. Respondet Primò realiter. Secundò Logicè. Realiter sic, quòd substantia, vt est fundamentum æqualitatis, accipitur vt vna, & ita secundùm substantiam, vt vnam in tribus, est æqualis; sed cùm dicitur Pater secundùm substantiam, non accipitur vt vna, licèt sit vna, non tamen fundat vt vna, quia vt suprà patuit, vnitas substantiæ non est ratio fundandi paternitatem vt exposui suprà.

SCHOLIVM.

Contra tertium dictum positum num. 19. scilicet æqualitatem præëxigere distinctionem extremorum, adducit rationem D. Thom. tenentis æqualitatem non distingui à personalibus, quia includit personarum distinctionem, & essentiæ vnitatem, refutatur. Æqualitas est conceptus vnus: ergo non includit per se, & non tantùm præëxigitiuè essentiam & relationem, quæ non faciunt conceptum per se vnum. Secundò. Æqualitas in Patre, & Filio, est eiusdem rationis: ergo non includit per se paternitatem & filiationem, quæ sunt diuersæ rationis, ex 1. dist. 13. Resoluit ergo, quòd æqualitas includit fundamentaliter essentiam, & præsuppositiuè relationes, & soluit rationem D. Thom.

D. Thom. in 1. script. d. 31. Vide 1. reportationũ d. 31. q. 2. ar. 3. ad propositum.

SEcundò Contradicit his, [i] quæ dicta sunt in secundo articulo de præëxigentia. Dicitur enim quòd æqualitas nō est aliqua realis relatio distincta à personalibus: sed in suo intellectu includit illas,& essentiæ vnitatē, & hoc sic deducitur. In Diuinis non est considerare nisi essentiam, & relationes reales, quibus fit distinctio: idem autem ad se non refertur:nec relatio refertur ad aliam relationem per aliquam relationem aliam: cùm enim dicitur, quòd paternitas opponitur relatiuè filiationi, oppositio non est relatio media inter filiationem, & paternitatem, quia isto modo relatio multiplicaretur in infinitum, & ideò æqualitas vtrunque importat, scilicet & personarum distinctionem, & essentiæ vnitatem: quia ex hoc sunt æquales, quia sunt eiusdem, siue vnius magnitudinis; includit ergo æqualitas in suo intellectu,& relationes distinguentes, & essentiæ vnitatem. 29.

Nihil includit per se absolutum & respectiuũ.

Contra istud: [k] si enim intelligatur per se includere, & non tantùm quasi materialiter siue præexigendo, hoc videtur falsum. Primò, quia essentia, & relatio non faciunt conceptum per se vnum: nullus enim conceptus vnus est per se ad se, & per se ad alterum: æqualitas autem videtur habere conceptum per se vnum.

Præterea [l] quod per se includit altera alterius rationis, non est per se eiusdem rationis; æqualitas autem est per se vnius rationis in Patre, & Filio, ergo non includit per se relationes originis istarum personarum: quia illæ relationes sunt alterius rationis.

Æqualitas includit essentiam fundamentaliter, & præsuppositiuè relationes.

Dico ergo, quòd æqualitas fundamentaliter importat essentiam, præëxigitiuè autem relationes personales: sed nec per se hoc, vel illud importat, sed per se importat relationem aliquam, etiam alterius rationis à relationibus originis, quæ relatio habet idem fundamentum remotum quod alia relatio habet fundamentum propinquum, secundùm hanc relationem communem, personæ constitutæ per relationes originis referuntur. 30.

Per æqualitatem nō refertur essentia nec relatio, sed relatiuum.

Et per hoc ad argumentum: [m] Concedo enim, quòd secundùm æqualitatem essentia non refertur ad se, neque etiam secundùm æqualitatem paternitas refertur ad filiationem: sed non sequitur; ergo paternitas non est alia relatio ab æqualitate: imò secundùm æqualitatem refertur Pater habens essentiam, & paternitatem ad Filium: nec apparet probabilitas in ista consequentia, æqualitas est relatio alia ab illis originis; ergo secundùm illam, vel idem refertur ad se, vel relatio ad relationem oppositam: imò quod plus est, secundùm paternitatem nec refertur idem ad se, nec relatio ad relationem oppositam, sed relatiuum ad correlatiuum oppositum. Et sic est in proposito: nisi quòd ibi relatiuum constituitur primò relatione, quâ refertur: hîc autem tantùm denominatur à relatione, quâ refertur quasi adinuentitia.

COM

COMMENTARIVS.

35. *Opinio aliquorum.* i Secundò contradicetur his, quæ dicta sunt in secundo articulo de præexigentia. Hic Doctor recitat vnam opinionem quæ vult quòd æqualitas non sit aliqua relatio realis distincta à relationibus originis, quia æqualitas in suo intellectu includit per se relationes originis, & vnitatem essentiæ.

Scotus improbat hanc opinionem. k *Contra istud.* Doctor improbat hanc opinionem dupliciter: Primò, quia essentia, & relatio non faciunt per se vnum conceptum, ergo æqualitas per se non includit relationem originis, & essentiæ vnitatem, vt constituentia vnum per se conceptum. Si enim ex essentia, & relatione originis esset per se vnus conceptus, tunc ille conceptus per se esset ad aliud, quia per se includit relationem, & esset per se ad se, siue absolutus, quia per se includit absolutum, quia essentiæ vnitatem.

l Præterea, *quod per se includit relationem alterius rationis, non est per se eiusdem rationis*: patet, hoc modo, æqualitas in Patre, & in Filio est eiusdem rationis, vt suprà patuit; sed paternitas est alterius rationis à filiatione, vt patet *in primo, dist.* 13. ergo si æqualitas in Patre per se includit paternitatem, & æqualitas in Filio filiationem, sequitur, quòd æqualitas in Patre non erit eiusdem rationis cum æqualitate in Filio. Dico ergo secundùm Doctorem, quòd æqualitas fundamentaliter importat essentiam, sed præexigitiuè importat relationes personales tamen nec hoc, nec illud per se includit. Sed per se, & quiditatiuè dicit relationem aliam à relationibus personalibus, quæ est alterius rationis à relationibus originis, nam fundamentum æqualitatis proximum est vnitas magnitudinis, & fundamentum remotum est ipsa essentia: fundamentum autem paternitatis non ponitur vnitas magnitudinis, vt suprà patuit. Et secundùm hanc relationem communem, scilicet æqualitatem personæ cõstitutæ per relationes originis referuntur, nam Pater secũdùm æqualitatem refertur ad Filium, vt sibi æqualis.

m Ad rationem quam facit opinans patet, quia relatiuum refertur, & non essentia, nec relatio, & pater cùm refertur ad Filium, vt æqualis sibi refertur secundùm æqualitatem, quæ est alia relatio ex natura rei, à paternitate, & etiam est alterius rationis ab ipsa paternitate. *Quomodo Pater referatur ad Filium.*

SCHOLIVM.

Resolutio huius articuli æqualitatem in Deo esse relationem realem, quia inest extremis secundùm fundamentum reale, quod fusè tractat 1 *d.*19.*q.*1.*& d.*31.*q.*1. *Probat hic ex Euangelio, Paulo & August. & duplici ratione. Prima est, relationes fundatæ super quantum, non vt vnum numero, sed specie, vt genere, sunt reales: ergo idem de relationibus fundatis super quantum, vt vnum numero, quia fundamentum hîc est magis reale. Secunda, inæqualitas est relatio realis: ergo & æqualitas, quia hoc est oppositum perfectius, quod magis admittendum est à parte rei in entibus, quàm oppositum imperfectius.*

31. De tertio articulo [n] dico quòd ista relatio, quæ inest extremis istis, inest secundùm fundamentum, quod est in eis ex natura rei. Et hoc probatur duplici auctoritate Euangelij, & duplici auctoritate Augustini, & duplici ratione. Prima auctoritas est Ioann. 5. priùs allegata: patrem suum dicebat esse Deum, & æqualem se faciendo Deo: quâ enim necessitate, & realitate Pater genuit Filium, eadem genuit sibi æqualem, dicente Augustino contra Maximinum. *Si dicimus*, inquit, *quòd Pater maior est Filio: quia Pater genuit, Filius non genuit: citò respondebo: imò ideò Pater maior non est Filio; quia æqualem genuit Filium.* Et hoc Iudæi cæci intellexerunt secundùm quòd pertractat Chrysostomus super Ioann. 5. quia Christus in dicendo se Filium Patris, dicebat se ex hoc esse æqualem Patri. Et hoc iterum probatur ex secunda auctoritate Euangelij, & secunda Augustini super illa Euangelij Ioann. 10. *quod dedit mihi Pater, maius omnibus est.*: & verbum Augustini, huic consonans est 15. de Trinit. cap. 14. Pater, inquit, *genuit Filium per omnia æqualem sibi, non enim seipsum integrè, perfectèque dixisset, si, aut minus, aut amplius esset in Verbo, quàm in seipso.* *Art. 3.* *Æqualitatẽ in Deo esse relationem realẽ, probat ex Euangelio & August.*

Ex istis formatur talis ratio: perfectissima communicatio non est nisi perfectissimi termini communicabilis, & perfectissima magnitudine, secundùm quam omnino sit æqualis productus producenti Si ergo ex natura rei cõmunicatio illa in generatione diuina est necessariò perfectissima, sicut terminus perfectissimus cõmunicatur in magnitudine perfectissima, qua datur filio quod est maius omnibus, sicut ipse dicit: sic ex natura rei data est sibi æqualitas ipsi Patri habenti eandem essentiam in eadem magnitudine.

32. Huic concordat tertia auctoritas scripturæ, quæ est ad Philip. 2. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Et cum hac tertia auctoritate concordat August. super Ioann. hom. 17. super illud, *æqualem se faciens Deo: sed non ipse se faciebat æqualem: sed ille illum genuerat æqualem: si ipse se faceret æqualem Deo, caderet in rapinam.* Augustinus vult dicere, non se fecit æqualem Deo, rapiendo vel vsurpando æqualitatem: sed faciebat, id est, asserebat se æqualem Deo, propter hoc, quòd dixit se natum ex Deo. Vnde

Vnde dicit ibidem: *Christus æqualis Patri natus est: Vnde sic illum commendat Apostolus, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo: quid est non rapinam arbitratus? nisi quòd non vsurpauit æqualitatem Dei, sed erat in illa, in qua natus est, vnde præmisit antè: ecce, inquit, intelligunt Iudæi, quod non intelligunt Arriani, qui Dei Filium inæqualem Patri dicunt: nec Iudæi intellexerunt Patrem esse æqualem Filio, sed tantùm intellexerunt in verbis, quia talis commendaretur Filius, qui æqualis esset Patri.* Ex omnibus istis verbis scripturæ, & Augustino videtur haberi, quòd sicut per naturalē generationē cōmunicata est Filio natura eadē, & magnitudo substātiæ, sic & æqualitas.

Ad conclusionem istam, ratio prima est ista: si esset alia magnitudo in Patre, & in Filio, secundùm Arianos, Filius esset minor Patre, minoritate, quæ esset relatio realis, & non tantùm rationis: relationes enim de primo modo fundatæ super quantum, non, vt vnum, sunt reales, ideo magis, vel æquè, si eadem magnitudo communicatur, erit æqualitas realis.

Secunda ratio est, quæ quasi confirmat istam: quia non videtur probabile, quòd 33.
oppositum imperfectum sit in entibus ex natura rei: & non possit ibi esse oppositum perfectum ex natura rei: nunc autem æqualitas est oppositum perfectum, & inæqualitas oppositum imperfectum, secundùm Augustinum *de quantitate animæ*, vbi loquitur ad discipulum sic: *æqualitatem*, inquit, *inæqualitati iure anteponis, nec quisquam est, vt æstimo, humano sensu præditus, cui illud non videatur.* Nunc autem in entibus est perfecta inæqualitas: quia maioritas, & minoritas ex natura rei & realis: ergo videtur irrationabile, quòd in entibus non sit perfecta æqualitas realis, & ex natura rei: nusquam autem est perfecta nisi in personis diuinis, quia nusquam alibi est magnitudo perfecta.

Æqualitas perfectior inæqualitate.

Consimiliter posset argui de identitate, & diuersitate; quia identitas est extremū siue oppositum perfectius, est autem secundùm multos aliqua diuersitas perfecta in entibus, quæ sit relatio realis; ergo aliqua identitas perfecta, quæ sit relatio realis: nusquam autem est ita perfecta, sicut in personis diuinis: illa enim quæ est eiusdem suppositi ad se, non est relatio realis: illa autem, quæ in creaturis alterius ad alterum, non est perfecta; quia non est ibi, nisi diminuta vnitas.

Identitas inter extrema; distincta est realis relatio.

Ex his tribus articulis concluditur solutio quæstionis. Si enim secundùm communem sententiam relatio realis non requirat nisi ista tria: Primum, fundamentū reale: quod scilicet sit in re, & ex natura rei. Secundum, & extrema realia, & realiter distincta. Tertium, & quòd ipsa ex natura rei insit extremis: absque, scilicet omni consideratione intellectus, vel absque operatione potentiæ extrinsecè. Et ista tria conueniunt æqualitati in Diuinis, æquè, sicut cuicunque æqualitati in entibus: vel magis, vt patet de se, in articulis præmissis, sequitur quòd hæc æqualitas erit relatio realis, sicut alia quæcunque realis, & magis ista, quàm quæcunque alia.

Epilogus eorum quæ dicta sunt in hac quæstione, Tria requisita ad relationem realem.

Ad arg. 1. Ad primum argumentum principale, patet ex prima sententia, quæ ponitur de 34.
magnitudine in primo articulo, quia non est illa magnitudo molis, sed perfectionis: & sic Deus est magnus secundùm Augustinum, non sine quacunque magnitudine, quia esset contradictio; nec per consequens sine quantitate quacunque, sed est magnus vno modo, sine quantitate, alio modo, non.

N. 26. Ad secundum argumentum, patet quòd magnitudo non numeratur: respondendo ad primam obiectionem contra dicta in secundo articulo.

Tertiò arguitur sic: illa relatio non inest ex natura rei, quæ æquè inesset, si inesset ex sola consideratione intellectus, circumscriptâ existentiâ reali; sed circumscriptâ, per impossibile, existentiâ reali diuinarum personarum, positâ tamen solâ consideratione in intellectu earum, adhuc intelligitur æqualitas: quemadmodū nunc in entibus rationis intelligitur, quæ non excedunt se secundùm suam entitatem: æqualitas ergo personarum non necessariò requirit existentiam realem personarum, sic, quin sine ea possit intelligi esse.

Respondeo, quòd omnino necessariò consequitur aliquid, sicut existens, siue secūdùm existentiam, consequitur illud, vt existens: ita ipsum, vt intellectum, necessariò consequitur illud, vt intellectum, vt quemadmodum, ad hominem realiter existentem consequitur ipsum esse risibilem existentem, ita si intelligatur homo, siue sit, siue non sit, necessariò intelligitur risibile consequens ipsum in intellectu; nec tamen sequitur, quod risibile non sit eius passio realis; ita hîc propter necessariam consecutionem æqualitatis ad supposita distincta in natura diuina, siue illa existant, æqualitas conuenit eis existenter, siue illa intelligantur circunscribendo existentiam, vel abstrahendo ab existentia, in intellectū consequitur æqualitas.

Ad

Ad formam ergo argumenti dico, quòd illa maior, quæ accipit relationem non esse realem, quæ competit extremis habentibus omnino esse rationis: concedi potest, si intelligatur, quòd eis tantùm competeret, vt habentibus *esse* rationis: sed sic minor est falsa: non enim tantùm conuenit istis, vt habentibus *esse* rationis, sed *esse* reale; & ideò realiter.

COMMENTARIVS.

36. *An æqualitas sit relatio realis.* DE *tertio articulo principali.* In isto articulo Doctor probat quod æqualitas sit relatio realis, quia ex natura rei inest extremis, scilicet personis secundùm fundamentum reale, siue quod est in eis ex natura rei. Et hoc probat multis auctoritatibus, quæ in litera patent, nec aliter expono eas. Deinde probat aliquibus rationibus satis claris. Primò sic: relationes primi modi fundatæ super quantum non vt vnum, scilicet numero: licèt vnum specie, sunt reales; ergo multò magis, vel æquè, relationes, quæ fundantur super eadem magnitudine numero erunt reales, quia & fundamentum est magis reale, cùm vt sic, habeat esse simpliciter, vt suprà patuit.

Secundò arguitur, quia non videtur probabile, quòd oppositum imperfectum sit in entibus ex natura rei, & non possit in entibus esse oppositum perfectum ex natura rei. Nunc autem est æqualitas oppositum perfectum, & inæqualitas imperfectum secundùm Augustinum. Sequentia vsque in finem articuli, & quæstionis clara sunt.

37. *Dubia.* Occurrunt aliqua dubia. Primò in hoc, quòd dicit, quòd *æqualitas in diuinis habet materiam, accipiendo materiam, pro hacceitate.*

Secundò dubitatur in hoc, scilicet, quòd *æqualitas in diuinis, scilicet in Patre, & Filio est eiusdem rationis, & quòd est determinata ad certum numerum per proprietates personales.*

Tertiò dubitatur in hoc, scilicet, quòd *relationes originis fundantur in essentia diuina, non vt vna, ita quòd vnitas non est ratio proxima fundandi.*

Contra primum dictum instatur sic, si æqualitas in diuinis habet materiam, siue hæcceitatem contrahentem ipsam ad *esse* singulare, ergo æqualitas diuina non est in vltima actualitate. Consequens est falsum, quia quicquid est in diuinis, cùm sit simpliciter necesse, est in vltima actualitate, vt etiam patet à Doctore *in q.4 quodl. & in 1. dist.* 28. Consequentia patet, quia contrahibile, siue determinabile per aliud ad actualitatem singularem non est in vltima actualitate, vt etiam patet à Doctore *in 1. & in quodl.*

Secundò instatur contra secundùm dictum, & primò contra illud, scilicet, quòd *est determinata ad certum numerum per proprietates personales*, primò, quia quod ex se est infinitis singularibus communicabile ex natura sua, non est determinabile ad certum numerum, vt patet à Doctore *quæst.* 2. nec etiam est determinabile per extrinsecum, nisi pro quanto illud extrinsecum ponatur à causa præcisa effectuum singularium illius communicabilis, & sic ab extrinseco determinabitur ad certum numerum. Sicut nunc *Exemplum de sole.* patet de Sole, quia etsi natura Solis sit infinitis communicabilis, vt patet à Doctore tamen solum est in vno supposito, & hoc ab agente extrinseco producente tantum vnum Solem numero. Sed in proposito proprietas personalis nullam causalitatem habet respectu æqualitatis, vt patet, quia nullam rationem agendi habet.

Si dicatur quod quia sunt præcisè tot proprietates personales, quibus personæ distinguuntur, & per consequens præcisè tot sunt extrema, ergo tot præcisè erunt æqualitates. Contra, tum, quia in Patre sunt duæ æqualitates: vna ad Filium, & alia ad spiritum sanctum. 38. *In patre sunt duæ æqualitates.* Non enim pater eadem æqualitate refertur ad filium, & ad Spiritum sanctum; sed alia, & alia, aliter eadem relatio esset primò, & per se duo correlatiua, quod est impossibile. Tum etiam, quia quot sunt æqualitates in vna persona, tot etiam sunt in alia, quia sicut Pater alia, & alia æqualitate refertur ad Filium, & Spiritum sanctum, ita Filius alia & alia æqualitate refertur ad Patrem & Spiritum sanctum: & similiter Spiritus sanctus alia & alia: æqualitate refertur ad Filium & Patrem. Tum etiam, quia quot sunt magnitudines formaliter distinctæ in diuinis, tot sunt fundaměta proxima alterius & alterius æqualitatis formaliter distinctæ. Sed quot sunt perfectiones in diuinis formaliter distinctæ ad inuicem, tot sunt fundamenta æqualitatis. Modo quodlibet attributum habet propriam infinitatem, vt patet à Doctore *in primo, dist.8. q. penult.* & per consequens in personis diuinis multiplicabuntur æqualitates secundùm multiplicationem fundamentorum proximorum, & ita respectu vnius fundamenti proximi erũt saltem sex æqualitates, quia in qualibet persona erunt duæ secundùm illud fundamentum; ergo videtur quòd non sit certus numerus æqualitatum præcisè propter proprietates, cùm illis non repugnet esse plures; ergo hoc magis erit ratione fundamenti proximi. *Attributum est infinitum formaliter ex se per se, sed non à se.* Sed hoc etiam non impedit, quia si illud fundamentum proximum esset in infinitis personis, tunc in illo fundarentur infinitæ æqualitates, cùm omnes illæ personæ essent ad inuicem æquales ratione eiusdem fundamenti. Tum etiam, quia si Pater haberet infinita producta, vel saltem essent infinita supposita in diuinis, quibus esset communicata eadem perfectio, tunc in Patre essent infinitæ æqualitates, & similiter in Filio, & Spiritu sancto: ergo istæ proprietates personales non determinant æqualitatem ad certum numerum.

Præterea instatur, quia si non possunt esse plures productiones eiusdem rationis in diuinis, hoc erit secundùm vnam opinionem, quia principium formale productiuum vnius rationis, habet productum vt terminum adæquatum, tam intensiuè, quam extensiuè, vt patet à Doctore *in primo, dist.2. & dist.1*; Vel saltem hoc erit, quia talis productio vnius rationis sic est vna præcisè, quòd si illa præcisè non esset nulla alia esset, vt patet à Doctore *in quæst. 2. quodl.* modò in proposito

posito sic oportebit dicere de æqualitate, quòd vel præcisè tot sunt & illæ præcisè tantū, quòd si illæ non essent, nullæ aliæ essent, vel quod sunt à tali principio vnius rationis sic adæquatæ extensiuè, quòd plures esse non possunt. Sed est difficile assignare tale principium, non enim proprietates sunt tale principium, & quodcunque aliud assignetur, statim sequitur quòd æqualitas non determinatur ad certum numerum per proprietates personales. Si etiam ponantur tot præcisè ex eorum formali ratione, ergo non per proprietates.

Nota.

Deinde instatur, quòd æqualitas in Patre, & æqualitas in Filio non sunt eiusdem rationis, quia aut hoc est ratione fundamenti proximi; aut ratione proprietatum; aut ratione alicuius alterius.

Non primo modo, quia tunc paternitas, & filiatio essent eiusdem rationis, quia sunt in fundamento eiusdem rationis, quod tamen est falsum, & contra Doctor. in *primo dist.7.& 13.& q. 2. quodlib.*

Non secundo, quia proprietates illæ sunt primò diuersæ, vt patet à Doct. *in primo, vbi supra.*

Non tertio, scilicet ex eorum formali ratione, cum formaliter opponantur. Tum etiam, quia æqualitas in Patre terminatur ad Filium, ita quòd filiatio est ratio formalis terminandi æqualitatem Patris, & æqualitas in Filio terminatur ad Patrem, ita quod paternitas est ratio formalis terminandi æqualitatem Filij: Sed illæ relationes non videntur esse eiusdem rationis, quæ terminantur necessariò ad terminos alterius, & alterius rationis, vel quòd saltem rationes formales terminandi sunt necessariò alterius rationis, sic in proposito sunt proprietates personales.

Secundò instatur, quia si sunt plures diuinæ æqualitates eiusdem rationis; ergo æqualitas diuina multiplicatur, & diuiditur in illa, vt solo numero differentia, & tale habet propriè rationem speciei specialissimæ. Sed in diuinis simpliciter negatur omne prædicabile, nihil enim in diuinis ponitur in aliquo prædicamento, vt patet à Doctore *in primo, distinct. 8. quæst. 2 vide ibi.*

Deus non est in prædicamento.

Responsionem quære.

Qvæstio VII.

Vtrùm Deum esse omnipotentem possit naturali ratione, & necessariâ demonstrari?

Alens. 1.*p.q.21.m.1.ar.2.* Scot. 1.*d.2. q.2.n.25. & q.3. &* 42. Henr.*quodl.12.q.3.* Ægid.3. *d.20.* Durand.1. *d.2.q.2.* Argent.1. *d.3.q.1.* Mayron. 1.*d.2.q.1.*



Viso de his, quæ conueniunt Deo per comparationem ad intrà, & specialiter de his, quæ important respectum personæ ad personam, restat videre est his, quæ conueniunt Deo per comparationem ad extrà, siue quæ important respectum Dei ad creaturas. Et primò de respectu potest esse difficultas vno modo, quantùm ad extremum, cui conuenit. Secundò modo, quantùm ad extremum siue obiectum, quod respicit.

De respectu ad extrà, quantùm ad illud, cui conuenit, duo sunt quæsita. Primò, de illo extremo in generali. Secundò in speciali: prima quæstio est ista.

Vtrùm Deum esse omnipotentem possit naturali ratione, & necessariâ demonstrari: & hoc in generali intelligendo, non descēdendo ad aliquam personam in speciali: Secunda quæstio est, specialiter comparando ad vnam personam: Vtrùm verbū Dei, vel Filius in Diuinis, habeat aliquam causalitatem propriam respectu creaturæ.

Argum.

Ad primum sic proceditur: videtur primò quòd Deum esse omnipotentem possit naturali ratione demonstrari, quia naturali ratione demonstratur Deum esse infinitæ potentiæ; ergo & omnipotētiæ. Antecedens probatur, quia Philosophus probat 8. *Physic.* Deum esse infinitæ potentiæ ex hoc quod mouet tempore infinito. Probo cōsequentiā, infinita potentia nō potest ab aliqua potentia excedi, nec intelligi excedi, quia tunc aliqua posset esse maior illa, & ita illa non esset infinita; sed omnis potētia, quæ non est omnipotentia, potest intelligi excedi à potentia, quæ est omnipotentia.

Tex.18.& 29. idē 12. Met.1. co. 41.

Ad oppositum, si potest demonstrari Deum esse omnipotentē; ergo & Deum posse generare Filium: consequens falsum: quia est merè credibile, & per consequens nō naturali ratione demonstrabile. Cōsequentia probatur per August. contra Maximinū lib.3.cap.7. Vbi arguit sic: si *Pater non genuit Filium sibi æqualem: aut quia non potuit: aut quia non voluit:* Et vlteriùs arguit, *si non voluit, eum inuidum dixisti: si non potuit, vbi est omnipotentia Dei Patris?* Vult ergo arguere, si Pater non potuit gignere Filium sibi æqualem, non fuit omnipotens; ergo ex opposito, si est omnipotēs potest gignere Filium sibi æqualem: & ita si antecedens est demonstrabile, & consequens. 2.

Ratio opp.

Prætereà. Si sic, ergo posset demōstrari Deum posse creare omne creabile: consequēs est falsum, quia Angelus est quoddā creabile: & tamen non potest demonstrari naturali

naturali ratione, vt videtur, quòd Angelus sit ab eo creabilis: quia Philosophus sequens rationem naturalem non posuit Intelligentias creatas à Deo, imò eas necessariò à se posuit, hoc est, non ab alio effectiuè 12. *Metaph.c.* 5. Vbi postquàm ostendit substantiam separatam nullam habere magnitudinem, per hoc medium: quia habet potentiam infinitam, & infinita potentia non potest esse in magnitudine: quærit, vtrùm, ponendum sit esse vnam talem, aut plures, & determinat quòd plures. Est ergo, non solùm, secundùm ipsum, prima substantia immaterialis, sed quæcunque infinita, & pari ratione est à se necessaria.

SCHOLIVM.

Ponit duas distinctiones; prima est demonstrationis in propter quid, *&* quia, *quàm benè explicat hîc, licèt breuiter, de qua latiùs q.1. Prol. Et 1. post. q.1. & 1. d.2. q.2. & d.3. q.4. Quòd ait principia ex terminis nota non posse demonstrari demonstratione* quia, *loquitur de principiis ex terminis communissimis, vt* Quodlibet est, vel non est, *vel saltem de terminis per se notis confusè apprehensis: quia hæc,* animal rationale est risibile, *quod est per se notum terminis distinctè conceptis demonstratur experientia: vide 2. d.2. q.2. Et Leuch. hic §. Contra 2. dictum. Secunda distinctio est omnipotentiæ, quæ propriè sumpta est tantùm respectu possibilis, prout idem est, quod causabile dupliciter intelligi potest. Primò, vt sit respectu omnis causabilis immediatè, vel mediatè. Secundò, vt sit immediata causa omnis causabilis, ita vt nulla alia causa concurrente vel præuia, possit causare omnia. Vide 1, d.8. q. vlt. Ponit 5. Conclusiones de vtraque demonstratione: ex quibus quæstio resoluitur. Vide eum de hoc 1. d.2. q.2. n.27. Et latè d.42. per totum.*

3. HIc præmittendæ [a] sunt duæ distinctiones necessariæ. Et secundò iuxta membra distinctionum, soluenda est quæstio. *Art.1.*

Prima distinctio est nota *ex primo posteriorum*, quæ est, quòd demonstrationum alia est *propter quid*, siue per causam; alia *quia*, siue per effectum. Probatur ista distinctio per rationem: quia omne necessarium verum, non euidens ex terminis, habens tamen connexionem necessariam, & euidentiam ad aliud, vt necessarium euidens ex terminis, potest demonstrari per illud verum euidens: nunc autem, aliquod verum necessarium non euidens ex terminis, habet connexionem necessariam ad aliquod verum acceptum à causa, & aliquod ad verum acceptum ab effectu, non solùm enim veritates de causis non possunt esse sine quibusdam veris de effectibus, sed necè conuerso, igitur potest aliquod verum demonstrari per aliquod verum euidens acceptum à causa, & tunc *propter quid*, vel per aliquod verum acceptum ab effectu, & tunc *quia*. Et videtur hinc sequi corollarium, quòd principia immediata siue euidentia ex terminis, non possunt demonstrari demonstratione *quia*: quod si verum est [b] tunc quædam media vera inter prima vera, & conclusiones vltimas, & solùm illa sunt demonstrabilia, quia per vera vltima. Qualiter autem verum acceptum ab effectu possit esse euidens, & tamen verũ acceptum à causa nõ euidens; patere potest, si aliquis consideret modum illum acquirendi scientiam, *primo Metaph.* & *secundo Posteriorum* per experientiam: quia per experientiam est frequenter notum de effectu, quia est, ex multis singularibus acceptis à sensu, & nondum scitur propter quid ita est, quia illud non habetur à sensu, nisi mediante vlteriore inquisitione [c].

Tex.30.& circiter. Demonstratio alia propter quid, alia quia, explicatur vide 1.d.2. q.2.& d.3. q.4.

Principia euidentia non possunt demõstrari.

In proœmio Tex.vlt.

Verum acceptum ab effectu quomodo euidens, & nõ à causa.

4. Secunda distinctio est de omnipotentia, [d] & illa præsupponit confusum intellectum huius termini, *omnipotentia*: qui talis est, quòd omnipotentia non est passiua, sed actiua, non quæcunque, sed causatiua. Per hoc habetur, quòd ipsa est respectu alterius in essentia causabilis: quia non est causalitas nisi respectu diuersi simpliciter; ergo est potentia respectu possibilis, non generaliter, vt opponitur impossibili: nec etiam vt opponitur necessario omni modo à se, prout conuertitur cum producibili: sed respectu possibilis, prout possibile idem est, quod causabile: quia terminus potentiæ causatiuæ: includit etiam omnipotentia quandam vniuersalitatem, non quidem ipsius potentiæ in se (non enim omnipotentia est, quæcunque potentia formaliter: quia non est potentia aliqua creaturæ.) Sed ista vniuersalitas est ipsius potentiæ, non simpliciter, sed respectu huius causabilis, quod est possibile, siue creabile; vt sit sensus: omnipotentia est ipsa potentia actiua respectu cuiuscunque creabilis. Et hoc potest intelligi dupliciter: vno modo, quòd sit cuiuscunque creabilis immediatè, vel mediatè: alio modo quod sit cuiuscunque creabilis, & immediatè saltem immediatione causæ, hoc est, nulla alia causa actiua mediante.

Omnipotentia est actiua non passiua.

Omnipotentia describitur.

De secundo articulo [e] videndum est de demonstratione, & primò de demonstratione *propter quid*: secundò de demonstratione *quia*. De demonstratione *propter quid*, sunt tres conclusiones.

Concl. 1. Prima est ista, *Deum esse omnipotentem*, vtroque modo accipiendo *omnipotentiam*, est verum demonstrabile in se demonstratione *propter quid*.

Secunda conclusio, istud verum est demonstrabile viatori stante simpliciter statu viæ.

Tertia conclusio, istud verum non potest demonstrari viatori ex notis sibi naturaliter & de lege communi. De demonstratione *quia*, sunt duæ conclusiones.

Prima est ista: *Deum esse omnipotentem omnipotentia respiciente immediatè quodcunque possibile*, licèt sit verum: non tamen est à nobis demonstrabile demonstratione *quia*.

Secunda conclusio: *Deum esse omnipotentem omnipotentia immediatè, vel mediate quodcunque possibile respiciente*, potest demonstrari à viatore demonstratione *quia*: sic ergo sunt quinque conclusiones, ex quibus integratur solutio quæstionis.

COMMENTARIVS.

1. *Duplex demonstratio.*



IN ista quæstione Doctor duo facit. Primò præmittit vnam distinctionem. Secundò respondet ad quæstionem.

De primo præmittit quòd demonstratio alia *propter quid*, alia *quia*. Et hæc distinctio probatur à Doctore quia *omne necessarium verum, non euidens ex terminis.*

b *Quod si verum est, tunc quædam media vera inter prima vera, & conclusiones vltimas, & solùm illa sunt demonstrabilia, quia per vera vltima.* Exemplum, omnis homo est risibilis, est verum necessarium, quia risibilitas necessariò inest homini, vel verum necessarium, quia ista propositio nunquam potest falsificari, sicut propositio contingens, quæ aliquando potest esse vera, aliquando falsa: & non est verum euidens ex terminis: patet; quia cognoscens extrema, scilicet *hominem* & *risibilitatem* ex sola terminorum notitia, hæc non est euidentet nota: *omnis homo est risibilis.* Et habet necessariam connexionem ad aliquod verum acceptum à causa euidens ex terminis, puta ad hoc, *animal rationale est risibile*, hoc verum est acceptum à causa, quia explicat causam propter quid homo sit risibilis, & est euidens ex terminis, quia ex sola notitia distincta terminorum est per se notum, vt patet à Doctore *in primo, d. 2. q. 2. & d. 3. q. 4.* Et per tale verum acceptũ à causa demonstratur hoc verũ, sic arguẽdo: omne animal rationale est risibile: omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis. Exemplum, de vero necessario quod demonstratur per verum acceptum ab effectu. Nam hoc verum: *Reubarbarum est purgatiuum cholera* est verum necessarium euidens acceptum ab effectu, quia per experientiam video quod hoc Reubarbarum est purgatiuum choleræ, & hoc similiter, & sic de aliis, & per consequens hæc vniuersalis erit mihi euidens, scilicet *omne reubarbarum est purgatiuum cholera*, quod verum est acceptum ab effectu, quia esse purgatiuum choleræ est effectus. Et per hoc verum demonstratione *quia* poterit demonstrari aliud verum non notum ex terminis: habens necessariam connexionem ad hoc verum acceptum ab effectu; & sic poterit demonstrari causa de aliquo, scilicet causa purgationis choleræ, puta sic: omne purgatiuum coleræ est *A* & intelligo per *A* causam immediatam huius passionis, quæ est esse purgatiuum choleræ: sed reubarbarum est purgatiuum choleræ; ergo reubarbarum est *A*, & sic demonstratur reubarbarum esse *A* per aliud verum acceptum ab effectu. Et quod addit, quòd principia euidentia ex terminis non possunt demonstrari demonstratione, *quia*, hoc patet esse verum *in primo, d. 2. q. 2.* quia talis notitia præcisè dependet à notitia terminorum, vt ibi prolixè exposui. Sequitur ergo quòd solum illa vera necessaria, quæ sunt intermedia inter prima vera euidentia ex terminis, & conclusiones vltimas, sunt demonstrabilia, quia scilicet per vltima vera, siue per vltimas conclusiones. *Notitia principiorum à quo pendeat.*

Exemplum.

c *Quia illud non habetur à sensu nisi mediante vlteriori inquisitione*, quæ fit per intellectum, scilicet inuestigando causam talis effectus, quâ inuenta potest effectus demonstrari de aliquo *propter quid*. De hoc vide in primo Doctorem dist. 3. q. 4. & quæ ibi exposui. 2.

d *Secunda distinctio est de omnipotentia.* Nunc declarat Doctor quid intelligat per omnipotentiam, & dicit quòd omnipotentia non est passiua, siue receptiua, quasi illud dicatur omnipotens passiuè quod potest recipere omnia. Sed dicitur actiua non quæcunque, accipiẽdo tamen *actiuum* pro productiuo, quia omnipotentia non est quæcunque potentia productiua: patet, quia Pater non dicitur omnipotens respectu productionis Filij. Sed dicitur potentia actiua causatiua, quæ respicit aliud in essentia, siue in natura. Sequitur ergo quòd omnipotentia non est potentia, nisi respectu possibilis: omne enim causabile necessariò est possibile, vt ly *possibile* opponitur necessario. Et hoc patet à Doctore *in primo, dist. 8. quæst. vlt. & in secundo dist. 1. q. 3.* vbi vult quòd ista implicent, *A* causat necessariò, quia cùm dico causat, sequitur quòd contingenter, & si addo *necessariò*, sequitur quòd simul contingenter, & necessariò causabit, & sic implicatio. Et declarat de quo possibili intelligat, non enim intelligitur de possibili, quod opponitur impossibili, quia hoc modo filius Dei dicitur possibilis, quia non impossibilis, vt patet à Doctore *in primo, distinct. 2. parte 2. quæst. 3.* Respondendo ad argumenta principalia. Nec accipitur *possibile*, vt opponitur *necessario* omni modo à se prout conuertitur cum producibili, quia Pater in diuinis dicitur necesse esse omni modo à se, scilicet *Quid omnipotentia.*

cet tam formaliter, quàm originatiuè; Filius verò est necesse esse formaliter, sed non originatiuè cum hoc habeat à Patre. De hoc vide Doctorem *in primo, vbi suprà*, & sic Filius in diuinis dicitur possibilis, vt ly *possibile* opponitur *necessario* omni modo à se, & hoc modo *possibile* conuertitur cum *producibili*, & sic quia Filius est producibilis, ideò hoc modo dicitur possibilis, sed accipit *possibile* pro *causabili*, quia tale possibile est propriè terminus omnipotentiæ, & potentiæ causatiuæ. Et addit quòd omnipotentia propriè respicit omne possibile. Et hoc potest dupliciter intelligi, scilicet immediatè, vel mediatè. Immediatè quòd possit causare omne causabile nulla alia causa secunda concurrente. Mediatè quòd possit ad omne causabile concurrere, vt causa prima, licèt illud causabile etiam ab alia causa causetur. Et hæc de primo articulo principali sufficiant pro nunc.

e *De secundo articulo*, qui est responsiuus ad quæstionem. Hîc Doctor respondendo ad quæsitum ponit quinque conclusiones, tres pertinentes ad demonstrationem *propter quid*, & duas ad demonstrationem *quia*. Prima conclusio est, *Deum esse omnipotentem*, tam mediatè quàm immediatè, est verum demonstrabile *propter quid*. Secunda: Istud verum est demonstrabile viatori stante simpliciter statu viæ. Tertia, Istud verum non potest demonstrari viatori ex notis sibi naturaliter, & de lege communi. Quarta, Deum esse omnipotentem omnipotentia respiciente immediatè quodcunque possibile, licèt sit verum, non tamen est nobis demonstrabile demonstratione *quia*. Quinta, Deum esse omnipotentem omnipotentia immediatè, vel mediatè quodcunque possibile respiciente, potest demonstrari à viatore demonstratione *quia*.

SCHOLIVM.

Prima conclusio. Deum esse omnipotentem etiam immediatè, est demonstrabile in se propter quid. probatur primo, quia si Deus haberet voluntatem infinitam & intellectum talem cum reali distinctione, ex his concluderetur esse omnipotentem: ergo idem concluditur, esto non sit distinctio realis, Secundo, hoc non est verum immediatum, Deus est omnipotens, *quia omnipotentia cum sit ad extra supponit notionale, & hoc non immediatè conuenit Deo, quia dicere conuenit per memoriam fœcundam de quo q. 1. num. 16. 17. ergo est verum demonstrabile.*

5. PRima conclusio [f] probatur sic: illud est verum demonstrabile in se *propter quid*, per aliud verum prius, generaliter, quod ex terminis suis habet, quòd sic posset demonstrari: tale est istud verum, *Deus est omnipotens*, vtroque modo: ergo, &c. Maior patet quia tale verum est in se, quale est ex ratione terminorum, vnde illud est in se verum notum per se, quod ex rationibus terminorum est per se notum. Ex hoc sequitur quòd tale verum in intellectu concipiente sic terminos, sit per se notum. Minor probatur, quia verum illud quod ex terminis suis est necessarium, & mediatum, ex terminis etiam habet quòd in se sit demonstrabile *propter quid*: tale verum est istud: *Deus est omnipotens*, vtroque modo intelligendo *omnipotentiam*. Probatio: patet enim quòd sit verum, & necessarium. Nec hoc hic probatur, quia de hoc non est quæstio: sed tantummodò de modo, quo illud verum possit ostendi, siue innotescere. Quòd etiam sit verum necessarium mediatũ, probatur dupliciter. Primò, qualis est ordo realis inter aliqua distincta realiter, talis est ordo cognoscibilitatis inter eadem, qualitercunque distincta in *esse* cognoscibili, nunc autem, si esset distinctio realis inter naturam, intellectum voluntatem, & potentiam ad extrà: esset talis ordo realis, quòd quia natura habet talem intellectum, & talem voluntatem; ideò est sic potens respectu talium ad extrà: ergo qualitercunque est de hæc distinctio, semper est ordo cognoscibilitatis, quòd quia natura diuina habet talem intellectum, & talem voluntatem, ideo habet talem potentiam, quæ est omnipotentia. Patet ergo quod hoc verum necessarium habet medium; & quod medium: quia intellectum, vel voluntatem, vel vtrunque.

Concl. 1. prob. Verum notum in se quid? Quid est verum demonstrabile. Deus est omnipotẽs, demonstratur.

6. Hoc idem [g] scilicet quòd illud verum sit mediatum, probatur secundò sic: quia omne verum necessarium vel est mediatum, vel immediatum: illud autem non est immediatum: ergo, &c. Probatio minoris: quia notionale immediatius videtur conuenire essentiæ, quàm illud quod dicit respectum ad extrà, vt habetur ex solutione primæ, quæstionis: nunc autem notionale non ita immediatè conuenit essentiæ diuinæ, sicut aliquod essentiale, sicut probatur in solutione eiusdem quæstionis: quia *dicere* conuenit per hoc medium, quod est perfecta memoria, ergo multò magis omnipotentia, quæ dicit respectum ad extrà, non conuenit Deo siue cuicunque personæ diuinæ omnino immediatè. Prima probatio istarum duarum posset habere quandam declarationem annexam, quæ scilicet potentia sit formaliter omnipotentia, vel magis propriè loquendo, immediatum fundamentum respectu omnipotentiæ: an scilicet intellectus in Deo, an voluntas: sed huiusmodi explanatio non est ad propositum simpliciter necessaria: quia ex vtroque membro æquè habetur intentum.

Omne verum, mediatum, vel immediatum. Notionale immediatius essentiæ, quàm essentiale ad extrà q. 1. n. 17. 7.

COMMENTARIVS.

3. f PRima *conclusio* ostenditur sic, supponendo quòd intellectus, & voluntas diuina sit causa talis omnipotentiæ, respicientis omne causabile, saltem secundùm rationem, quia si potentia illa actiua respectu omnis causabilis esset realiter distincta, posset verè demonstrari de Deo per causam, ergo si sola ratione distinguuntur saltem secundùm rationem potest sic demonstrari. Arguitur ergo sic: Deum esse omnipotentem modo præexposito est verum necessarium non euidens ex terminis, & habet necessariam connexionem ad aliud verum notum ex terminis acceptum à causa; ergo tale verum est demonstrabile *propter quid.* Antecedens patet quoad omnes particulas, nam Deum esse omnipotentem, immediatè est verum, & necessarium, quia omne verum in diuinis est necessarium, etiam verum contingens, non de actu, sed de potentia, vt patebit. Non euidens ex terminis, patet, quia ex sola notitia terminorum, scilicet Dei, & omnipotentiæ non est euidens, Deum esse omnipotentem, quia fortè posset dubitari, habens necessariam connexionem, &c. patet, quia esse omnipotentem necessariò dependet à voluntate diuina. Et sic potest formari demonstratio *propter quid*: omne includens formaliter voluntatem infinitam est omnipotens; sed Deus est huiusmodi, ergo, &c. Maior est nota ex terminis, quia cognoscens distinctè voluntatem diuinam, & potentiam actiuam respectu omnis causabilis statim est sibi euidens, quòd voluntas diuina est causa immediata, & adæquata omnipotentiæ. Sicut cognoscens distinctè animal rationale, & risibile statim est sibi euidens, quòd animal rationale est immediata, & adæquata causa risibilitatis, & sic hæc est immediata: animal rationale est risibile. Sic in proposito de voluntate diuina respectu omnipotentiæ. Et quod dicit, vel intellectus, vel voluntas, vel vtrumque, hoc dicit non determinando se, an intellectus sit immediata causa respectu omnis causabilis, sicut aliqui voluerunt, an sola voluntas, an vtrumque, quicquid ponatur causa immediata habebitur verum notum ex terminis, per quod poterit demonstrari Deum esse omnipotentem immediatè.

Esse omnipotentem depēdet à voluntate diuina.

g Ostendit etiam hoc verum, scilicet Deum esse omnipotentem, esse verum mediatum, & non immediatum, & arguit à fortiori. Si enim notionale non sit ita immediatum Deo, quin aliquod essentiale sit immediatius, vt patet de voluntate, & intellectu, quæ insunt essentiæ immediatius, quàm notionale, vt probatum est *in prima quæst. quodl.* à fortiori omnipotentia, quæ includit respectum ad extrà non erit immediata ipsi Deo, imò erit mediante voluntate, & intellectu, imò notionale est immediatius, quàm omnipotentia, vt patet *prima q. quodl. & in secundo dist.* 1. *q.* 1. ergo hoc verum erit mediatum, & per aliquid immediatius Deo, vel diuinæ personæ, poterit demonstrari de Deo, vel persona diuina. Et sic patet ratio.

SCHOLIVM.

Secunda conclusio: Deus est omnipotens strictè demonstrari potest propter quid *à viatore non habente notitiam, statui viæ repugnantem, qualis fuit Pauli in raptu. Probatur: quia potest habere conceptum virtualiter includentem hoc verum, quia vt dictum est, hoc non est verum immediatum. Quod Paulus viderit essentiam Dei in raptu, tenet Augustinus & alij. De quo vide Doct. 4.d.49.q.12. & 2.d.3.q.9. Probatur etiam de scientia abstractiua, quia viator citra raptum, & beatum scientiam potest habere conceptum distinctum de Deo, qualem fortè habuit Angelus in via per speciem distinctè repræsentantem diuinam essentiam, vt vult Doctor 2.d.3.q.9.n.17. Et ex tali conceptu demonstrari potest omnipotentia, tam cum causa alia, quàm sine illa, sicut in conceptu distincto cuiuslibet obiecti demonstrantur de eo suæ proprietates. Vide de his q.1. & 3. Prologi.*

Concl. 2. declaratur. Deum esse omnipotentē, à viatore demonstrari potest.

SEcunda conclusio [h] sic intelligitur, quòd viator nihil habens, quod repugnet statui viæ, nec simpliciter, nec etiam ad tempus permanens, cuiusmodi ponitur raptus Pauli, potest habere istam notitiam per medium *propter quid*; Deus est omnipotens, intelligendo de vtraque omnipotentia. Hæc conclusio probatur sic. In quocunque intellectu potest haberi conceptus simplex virtualiter includens veritatem immediatam, & vlterius mediatam, in illo intellectu haberi potest notitia *propter quid* veritatis mediatæ sed stante simpliciter statu viæ, citra scilicet omnem notitiam permanentem vel transeuntem, quæ scilicet repugnat statui viæ, potest haberi talis conceptus simplex virtualiter includens istam, *Deus est omnipotens*: & etiam virtualiter includens suam immediatam præcedentem; ergo, &c. Minor ista, quantùm ad hoc, quòd aliquis cōceptus simplex virtualiter includit istā, mediāte aliqua alia immediata, patet ex hoc, quòd in probatione primæ cōclusionis ostensū est, istā esse immediatā. 7.

Sed restat hic probandum, quòd talis conceptus in intellectu viatoris possit haberi stante simpliciter statu viæ, hoc est, citra cognitionē, nō tātùm beatificā, sed etiā raptus. Hoc autē probatur, primò, exēplo, secundò, ratione. Exēplo sic: aliquid intelligitur per accidens, sicut intelligitur homo, intelligendo album, vel risibile. Vlteriùs aliquid intelligitur

intelligitur per se, sed in vniuersali, vt intelligitur homo, intelligendo animal. Tertiò, intelligitur aliquid per se, etiam in particulari, sed adhuc quodammodò confusè, sicut intelligo hominem antequàm intelligam definitionem, & quotcunque gradus ponantur: quia licèt primus gradus possit distingui per absolutum & respectiuum vltimus tamen gradus cognoscendi aliquod incomplexum cognitione scientifica, siue præuia scientiæ est cognitio definitiua: quia ipsa est cognitio per se in particulari distinctissima: excedens etiam illam confusam cognitionem, de qua loquitur Philosophus primo Phys. *sustinent autem hoc, quod nomina ad rationem*, &c. Saltem in hac cognitione definitiua habetur conceptus euidenter & virtualiter includens omnes veritates necessarias de tali obiecto. *Tripliciter aliquid cognoscitur: per accidēs per se in vniuersali, per se in particulari. Tex. c. 5.*

8. Ex hoc arguitur sic: Cognitio distinctissima præuia actui scientiæ, siue conceptus maximè euidenter includens veritates principiorum, & conclusionum, qui potest haberi citra visionem claram, siue cognitionem intuitiuam eius obiecti, sufficit ad habendum scientiam de tali obiecto: sed quæcunque cognitio de Deo, quæ sit citra visionem claram, vel cognitionem intuitiuam, est simpliciter possibilis statui viæ; ergo talis conceptus potest simpliciter haberi de Deo stante simpliciter statu viæ, qui sufficiat ad cognoscendum verum complexum. Huius syllogismi maior apparet exemplo iam posito. Et cùm hoc ex quadam distinctione inter intellectionem abstractiuam, & intuitiuam. quæ posita est *q. 6. ar. 1.* Et breuiter hîc repetitur: quia etsi cognitio abstractiua possit esse non existentis, æquè sicut & existentis: tamen intuitiua non est nisi existentis, vt existens est: cognitio autem hominis abstractiua, & definitiua potest esse non existentis, & existentis. Patet ex dictis ibi. Et patet ex se, quia ita habetur, si res non existat; sicut si existat: ergo illa cognitio definitiua est citra cognitionem intuitiuam obiecti definiti vniuersalis. Minor etiam patet ex dictis ibidem, quia sola cognitio intuitiua diuinæ essentiæ est illa, quæ ponit hominem extra statum viæ: si simpliciter, simpliciter, si ad tempus, ad tempus. *Quę cognitio sufficit ad scientiā. Cognitio abstractiua & intuitiua quomodo differunt.*

Quod probatum est exemplo; probatur etiam ratione sic. De quocunque obiecto scientiæ potest haberi cognitio simpliciter distinctissima abstractiua obiecti citra intuitiuam, Deus autem est per se obiectum alicuius scientiæ: ergo de ipso potest haberi talis notitia distinctissima citra intuitiuam, & per consequens, propositum: quia illa non poneret aliquem extra statum viæ, & tamen virtualiter, & euidenter est includens omnes veritates necessarias de Deo. Probatio maioris, omnis scientia est de re non præcisè, vt existens est; quod intelligo sic, quòd ipsa existentia, etsi sit ratio intellecta in obiecto, vel citra obiectum, tamen non necessariò requiritur, vt actualiter conueniens obiecto, inquantùm obiectum est scibile. *De Deo haberi potest notitia abstractiua distincta.*

9. Istud probatur ex intentione Philosophi 7. Metaph. c. 13. *Demonstratio*, inquit, *est necessariorum, & definitio scientifica, & non contingit, sicut nec scientiam quandoque scientiam, quandoque ignorantiam esse: ita nec demonstrationem, nec definitionem*: supple quandoque contingit esse talem: quandoque non esse talem. Ex hoc concludit, *palam autē ipsorū, scilicet singulariū corruptibiliū, neque scientia neque definitio. Neque enim sunt manifesta corrupta, scientiam habentibus; cùm à sensu abscesserint; & saluatis in anima rationibus eisdem, non erit determinatio neque definitio.* Intelligo sic rationem Philosophi, quòd si de contingenti, siue de corruptibili, vt tale, esset definitio; vel demonstratio, cùm illud tale posit quandoque esse, quādoque non, saluatā tamen ratione in anima, sequitur quòd esset quandoque scientia de illo obiecto, quandoque ignorantia: & quandoque demonstratio, & quandoque non: quod est impossibile. *Tex. 53. Demonstratio tātùm necessariorum.*

Ex hoc ergo habeo istam propositionem, quòd cùm ratio in anima posit manere non manente existentia actuali obiecti, sequitur quòd existentia non est per se ratio obiecti, vt scibile est, quia ratio scientifica non potest manere eadem in anima, non manente illo eodem, quod est per se ratio scibilis, vt scibile est: siue autem scibile possit existere in re, siue non, saltem ratione eius, vt scibile est, potest manere eadem in anima, non manente existentia: abstrahit ergo scientia ab existentia: ita quòd non includit eam in ratione scibilis.

10. Iuxta istam conclusionem haberi potest corollarium, quomodo Theologia potest esse scientia in intellectu viatoris, stante simpliciter statu viæ: quia intellectus potens habere conceptum virtualiter includentem omnes veritates de ipso necessarias ordinatas, immediatiùs scilicet, & mediatiùs, potest de illo obiecto habere scientiam completam: sic autem potest intellectus viatoris habere de Deo: ergo, &c. Minor

De his vide clarius in prima, & 3.q.prolog.

De contingentibus que ad possibilitatem datur scientia.

patet, quia distinctissimus conceptus subiecti Theologiæ, quod est Deus, potest haberi citra cognitionem intuitiuam, & ille conceptus, & virtualiter, & euidenter, continet omnes veritates necessarias de subiecto: Contingentes autem non potest includere: quia illæ non sunt natæ includi in ratione alicuius subiecti: quæcunque enim veritas includitur sufficienter in aliquo simplici conceptu, est necessaria. Tamen de contingentibus sunt quædam veritates necessariæ, non quidem de actu eorum, sed de possibilitate, & illæ etiam modo prædicto sciri possunt, vtpote, Deus est potens creare, potens resuscitare, potens beatificare: & sic de aliis articulis fidei respicientibus contingentiam: nec vltra istud verum necessarium de eo quod est, Deum posse, est aliquid propriè scientificè cognoscibile, quantùm ad tale proprium. Esset ergo viator perfectè scientificè Theologus, qui per conceptum distinctissimum diuinitatis possibilem haberi, citra cognitionem intuitiuam, cognosceret ordinatè veritates omnes necessarias, siue illas, quæ sunt de intrinsecis, quæ necessariò insunt, siue illas, quæ sunt de posibili, comparando ad extrinseca.

Henr. quodl.12. q. 21. vide in 3.d. 24. & in prol. reportatorum.

Ex hoc sequitur [i] quòd si poneretur Theologiam esse propriè scientiam in quodam lumine citra lumen gloriæ & supra lumen fidei: & illud lumen poneretur talis cognitio, siue conceptus obiecti, vera esset opinio de lumine. Sed sic non videtur intellexisse, qui posuit lumen: quia videtur posuisse lumen in quo cognosceretur obiectum: non autem, quod esset formalis ratio, siue formalis cognitio ipsius obiecti: sicut hîc est positum.

COMMENTARIVS.

4. *Secunda conclusio.*

h Secunda *conclusio* probatur, & antequam probetur declarat plura, Primò, quòd ille dicitur viator, qui non habet intuitiuam cognitionem Dei, nec permanentem, vt beati; nec ad tempus, siue transeuntem, vt habuit Paulus in raptu. Quæcunque alia cognitio de Deo non ponit viatorem extra viam. Secundò, quod potest esse vera scientia de obiecto etiam non existente, quia cognitio abstractiua potest esse tam non existentis, quàm existentis, & si quandoque sit de existente, non tamen talis existentia necessariò requiritur ad cognitionem abstractiuam. Et etiam potest haberi cognitio distinctissima obiecti, loquendo de cognitione merè abstractiua. Tertiò præmittit, quòd conceptus perfectissimus est conceptus definitionis, siue cognitio distinctissima illius, quod importatur per definitionem, vt patet hîc in exemplo, & *in prologo, quæst.* 3. Quarto præmittit, quòd conceptus perfectissimus obiecti, qui est conceptus definitionis obiecti si habet definitionem, vel conceptus quiditatis obiecti continet virtualiter omnes veritates de illo conceptu verificabiles, si sint necessariæ. Quintò, præmittit, quòd veritates contingentes, quæ sunt de actu vt ista: Deus actu creat non continentur virtualiter in aliquo obiecto, vt satis patuit *in prologo, quæst.* 3. tamen illæ veritates contingentes, quæ sunt de potentia, vel aptitudine, virtualiter continentur in ratione quiditatiua obiecti sicut ista; *Deus est potens creare*, & huiusmodi.

Quid viator.

5. *Quomodo viator scit hanc demonstrationem propter quid.*

His præmissis probatur conclusio scilicet, quòd viator, vt viator potest scire hanc demonstratione *propter quid*, Deus est omnipotens, tam immediatè, quàm mediatè, & arguitur sic. Intellectus potens habere conceptum virtualiter continentem omnes veritates de ipso necessarias, vel contingentes, non de actu, sed de potentia, potest de illo obiecto habere scientiam completam, & demonstrare de illo omnes illas veritates *propter quid*, Hoc patet hîc & in prologo *quæst.* 3. Sed viator, vt viator existens potest habere distinctissimum conceptum de Deo virtualiter continentem omnes veritates necessarias, & hæ mediatas, & immediatas & etiam omnes contingentes de potentia, scilicet tam mediatas, quàm immediatas; ergo omnes illas potest demonstrare *propter quid* de ipso Deo. Hæc ratio est euidens. Nota primò de veritatibus immediatis siue per se notis, quomodo continentur virtualiter ab obiecto, & similiter de mediatis, vide quæ exposui prolixè *in quæst. 3. prologi, articulo* 10. ibi *subiectum, siue obiectum continet primum prædicatum*, vide ibi singularia. Nota secundò de ordine contingentium, qualiter vna dicatur prima, &c. vide quæ exposui *in prologo, quæst.* 3. vbi Doctor loquitur de subiecto Theologiæ contingentium. Tertiò nota, quomodo viator de communi lege non potest habere cognitionem abstractiuam Dei sub ratione distinctissima Deitatis; sed benè ex speciali priuilegio auctoritate diuina in intellectu viatoris, potest causari immediatè notitia abstractiua distinctissima Deitatis, vel species intelligibilis, sicut in Angelis, repræsentans distinctè Deum sub ratione Deitatis eo modo, quo exposui *in quæst.3.prologi, & in secundo, d.* 3. vide quæ ibi exposui. Et sic patet ista ratio Doctoris.

i *Ex hoc sequitur, quòd si poneretur Theologiam esse propriè scientiam, in quodam lumine citra lumen gloriæ*, &c. Quod dicit de lumine 6.
gloriæ, an illud necessariò requiratur ad cognitionem intuitiuam Dei, patebit *in 4. dist.*49. Et de hoc satis dixi in primo *dist.*3. *q.* 3. improbando opinionem Thomæ Caietani, vide ibi. Thomas etiam de Aquino ponit aliud lumen, quod non est lumen gloriæ, sed dicitur lumen, quo cognoscuntur substantiæ separatæ distinctè, & abstractiuè. Et posuit illud lumen esse aliud à cognitione actuali, ita quod esset impossibile intellectum viatoris cognoscere substantias illas, nisi mediante tali lumine, & sic præcedere cognitionem illam. Et Doctor improbat hoc *in primo, dist.*3. *quæst.*3. quòd nullo modo sit necessarium. Sed in proposito lumen, quod hîc ponit

medium inter lumen gloriæ, & lumen fidei, ponit ipsum esse formaliter notitiam abstractiuam, & distinctam ipsius Deitatis. Et nota, quòd cognitio fidei dicitur lumen, quæ cognitio nunquam est de Deo distinctè cognito, sed confusè vt exposui *in prolog. q.* 3. vide ibi. Lumen verò gloriæ pro nunc, potest poni cognitio intuitiua Dei; cognitio ergo distincta Deitatis dicitur lumen medium inter lumen gloriæ, & lumen fidei, modo præexposito.

SCHOLIVM.

Tertia Conclusio. Viator ex naturalibus non potest demonstrare propter quid *Deum esse omnipotentem vtroque modo. Probatur primò, quia talis conclusio non potest sic haberi, nisi per propositionem ex terminis notam, & specialiter ex parte termini subiecti: de quo q. 3. Prologi: & non potest haberi conceptus distinctus de eo in via naturali, quia à nobis concipitur tantùm per conceptus causatos per intellectum agentem, & phantasmata, quæ tantùm confusè nobis Deum repræsentant, de quo Doctor 1. dist. 3. q. 2. n. 17. & q. 3. n. 14. & per totum. Secundò, quia Metaphysicus non cognoscit aliquid de Deo proprium nisi à posteriori per aliquam propositionem particularem affirmantem aliquod prædicatum conueniens enti creato, vt aliquid est causatum: ergo aliquid causans non causatum de quo 1. dist. 2. q. 2. Obijcit tripliciter, & per additionem aliorum soluuntur obiectiones, quæ tamen ferè eadem est cum additione quæ putatur Doctoris, ponitúrque in fine huius tractatus. vide 1. dist. 2. q. 2. & dist. 3. q. 1.*

11. TErtia conclusio [k] est ista, quòd homo viator ex puris naturalibus non potest demonstratiuè *propter quid* cognoscere istam: *Deus est omnipotens*. Hoc probatur sic: quia propositio mediata non potest cognosci *propter quid*, nisi per propriam immediatam: nec illa potest simpliciter cognosci nisi ex terminis, & specialiter nisi ex ratione termini subiecti: quod scilicet subiectum includit prædicatum, & propter hoc includit veritatem, siue notitiam illius immediatè.

Viator ex naturalibus non demonstrat Deum omnipotentem esse.

Coordinatio ergò scientiæ *propter quid*, non est possibilis intellectui nisi habenti conceptum de subiecto virtualiter & euidenter includentem totam illam coordinationem; sed talis conceptus de Deo non est possibilis viatori ex puris naturalibus pro statu isto. Probatio huius: quia non est sibi possibilis ex naturalibus nisi conceptus, qui potest causari virtute intellectus agentis, & phantasmatum: nihil enim aliud est naturaliter mouens intellectum viatoris de lege communi: Istorum autem virtute, scilicet phantasmatum, & intellectus agentis non potest causari in nobis conceptus distinctus de Deo, qui virtualiter & euidenter includit veritates ordinatas vsque ad istam, *Deus est omnipotens*, vtroque modo; cuius probatio dependet ex solutione quæstionis illius, *quomodo Deus est cognoscibilis à viatore*. Sed nunc breuiter potest sic ostendi: viator habens conceptum simplicem, & perfectissimum, ad quem attingit homo ex naturalibus, non transcendit cognitionem perfectissimam simplicem de Deo possibilem Metaphysico: cognitio enim fidei non tribuit conceptum simplicem de Deo, sed tantummodò inclinat ad assentiendum quibusdam incomplexis: quæ non habent euidentiam ex terminis simplicibus apprehensis, & per consequens per fidem non habetur conceptio simplex transcendens omnem conceptum simplicem apud Metaphysicum. Hoc etiam patet: quia Metaphysicus infidelis & alius fidelis eundem conceptum habent. Cùm iste sic affirmans de Deo: ille verò negans, non tantùm contradicunt sibi inuicem ad nomen, sed etiam ad intellectum.

Conceptus distinctus de Deo nõ potest haberi ex naturalibus.

Vide d. 1. q. 1. & inf. q. 14.

12. Nunc autem [l] conceptus simplex perfectissimus, ad quem attingit Metaphysicus de Deo, non includit euidenter veritates ordinatas ad istam, *Deus est omnipotens* vtroque modo; quia Philosophi multi attingentes, vt supponitur, ad conceptus perfectissimos possibiles viatori ex naturalibus de Deo, ad notitiam huius veritatis attingere non potuerunt; quod tamen fuisset eis possibile, si talem conceptum simplicem habuissent, imò fuisset eis quasi necessarium: quia ex virtute illius vidissent illam veritatem, quasi immediatam: & vlteriùs applicando, per illam ex ista necessaria deductione, sciuissent veritatem illam mediatam.

Quære 8. phys. & 12. Meta. Deus est omnipotẽs non demõstratur propter quid a Metaphysico

Probatur hoc aliter: quia primum principium ad quod attingit Metaphysicus, & hoc proprium de Deo non est sibi notum nisi tantùm *quia*: esset autem notum sibi *propter quid*, si posset habere conceptum de Deo virtualiter, & euidenter includentem veritates ordinatas de Deo, ergo &c.

Prima propositio, quòd Metaphysicus non attingit ad principium proprium de Deo magis notum, quàm *quia*; Probatur, quia præmissa media ad concludendum

A posteriori tantū cognoscit Metaphysicus quæ sunt propria Dei.

quodcunque proprium de Deo est aliqua propositio particularis affirmans de ente particulariter aliquod prædicatum, quod competit enti creato, & ex tali præmissa concludit Metaphysicus de ente particulariter prædicatum proprium de Deo, vtpote si arguitur: Aliquod ens est causatum; ergo aliquod ens est causa non causata. Vel aliquod ens est finitum: ergo aliquod ens est infinitum: vel aliquod ens est possibile: ergo aliquod est necessarium. Omnes istæ consequentiæ probantur per hoc, quòd conditio imperfecta non inest alicui enti, nisi enti insit conditio perfectior: cùm imperfectum dependeat à perfecto. Omnes istæ consequentiæ non probant aliquid nisi *quia*: sicut manifestum est.

Contra illud obiicitur [m], quia cùm voluntas sit medium ad concludendum omnipotentiam de Deo, & hoc demonstratione *propter quid*, sicut dictum est in prima probatione primæ conclusionis: & intellectus viatoris potest cognoscere ibi esse voluntatem: imò esse primam, & perfectissimam voluntatem: ergo per hoc medium potest cognoscere *propter quid*, omnipotentiam in Deo esse. 13.

Item, omnis propositio vera & necessaria de extremis habentibus conceptus simpliciter simplices, est per se nota: talis est illa, quæ affirmat de Deo passionem aliquam: ergo, &c.

Præterea, passiones notæ de ente naturali concludunt aliquas perfectiones de Deo, quia imperfectio in mobili concludit de primo mouente perfectionem. Physicus ergo potest attingere ad cognitionem habendam de Deo, quia per effectus naturales: non ergo videtur quòd cognitio Metaphysici possit transcendere Physicam: si Metaphysicus possit tantùm habere cognitionem *quia*, per tales effectus.

d. 2. 1. q. 2. & d. 3. q. 1.

Responsiones ad ista quære alibi.

ADDITIO. *Medium demonstrationis distinctè cognoscitur.*

Ad primum dicitur distinguendo de voluntate: quia aut viator cognoscere potest voluntatem Dei in conceptu confuso, & sic conceditur quod ex puris naturalibus cognoscere potest esse ibi voluntatem perfectißimam, & infinitam, sed negatur, vt sic, esse medium propter quid, ad demonstrandum Deum esse omnipotentem, quia oportet medium cognosci distinctè. Aut viator potest ex puris naturalibus cognoscere pro statu isto, voluntatem diuinam conceptu distincto, & isto modo negatur. 14.

Extrema esse simplicia non facit propositionem per se notam.

Ad secundum, maior posset negari, quia datur instantia. Nam ista, ens est verum, ens est bonum, *sunt veræ, & necessariæ propositiones, & extrema habent conceptus simpliciter simplices, quia tam ens, quàm verum, & bonum non habent conceptus resolubiles in alios conceptus priores: & tamen sunt demonstrabiles per primam passionem entis, puta per vnum, tanquam per medium* propter quid. *minor tamen verè negatur, quia simpliciter falsa: quia essentia diuina, & qualibet positiua passio de Deo, habet conceptum resolubilem in priorem conceptum, scilicet in conceptum entis, licèt sit ipsa summè simplex simplicitate oppositâ compositioni, & componibilitati.*

Perfectiùs scit Metaphysicus de Deo, quàm Physicus, vterque tamen quia.

Ad tertium dicitur, quod sicut in demonstrationibus propter quid, *est ordo: ita in demonstrationibus* quia, *ideò, vt si Physicus posit demonstrare de Deo,* quia: *tamen Metaphysicus perfectiùs demonstrat de Deo,* quia.

Responsiones etiam ad ista habentur in principio additionis huius quodlibeti positæ in fine.

COMMENTARIVS.

7. k TErtia *conclusio* probatur, scilicet quòd viator ex puris naturalibus non possit cognoscere demonstratione *propter quid*, istam *Deus est omnipotens*, tam mediatè, quam immediatè, quia cùm sit mediata, vt suprà patuit, ergo non potest demonstratiuè cognosci, nisi per immediatam, quæ naturaliter cognosci non potest, etiam stante lumine fidei. Illa enim non cognoscitur, nisi ex terminis, & specialiter ex ratione termini subiecti, quod virtualiter continet primum prædicatum, vt patuit *in prolog. q. 3.* Sed talis conceptus distinctus de Deo non potest via naturali haberi, quia via naturali non est sibi possibilis conceptus, nisi conceptus, qui potest causari virtute intellectus agentis, & phantasmatum. Hæc omnia prolixè exposui *in q. 1. & 3. prolog. dist. 3. q. 1, primi.* vide ibi plura notanda. Modò cognitio fidei non tribuit conceptum simplicem, & distinctum de Deo, siue non inclinat ad assentiendum tali conceptui simplici, & distincto de Deo, sed præcisè inclinat ad assentiendum quibusdam complexis, quæ non habent euidentiam ex terminis simplicibus apprehensis, & per consequens non habetur per fidem conceptus simplex, transcendens omnem conceptum simplicem apud Metaphysicum. Declarat enim *in prolog.* quomodo fides, tantum inclinat ad assentiendum complexis mediatis, puta huic *aliquod ens est trinum & vnum*, sed quid sit illud ens in se, nec ex puris naturalibus, nec ex lumine fidei potest cognosci. Si dicatur, quòd per conceptum simplicem perfectum, qui haberi potest à Me

à Metaphysico potest demonstrari *propter quid,* Deum esse omnipotentem mediate,& immediatè. Contrà, quia talis conceptus non virtualiter includit hanc veritatem : patet, quia multi Philosophi attingentes ad conceptus Metaphysicales perfectissimos, vt supponitur, ad notitiam huius veritatis attingere non potuerunt, quod tamen fuisset eis possibile, si talem conceptum simplicem habuissent, qui virtualiter contineret illam veritatem; imò fuisset eis quasi necessarium, quia virtute illius vidissent illam veritatem, quasi immediatam, quia & primum prædicatum,& pòst ex illa immediata sciuissent hanc mediatam, scilicet *Deus est omnipotens*, immediatè,& mediatè.

8. l *Deinde probat etiam,* quòd Metaphysicus non possit attingere ad illam *propter quid*, quia Metaphysicus non attingit ad principium proprium Deo,nisi tantùm *quia.*

Metaphysicus attingit ad principiũ commune nõ proprium.

m Contrà obiicitur. Hîc Doctor arguit tribus mediis, probando quòd Deum esse omnipotentem, potest via naturali demonstrari. Prima ratio stat in hoc; quia voluntas ponitur medium ad demonstrandum omnipotentiam de Deo, vt suprà patuit. Sed via naturali potest cognosci, quòd in Deo est perfectissima voluntas, ergo per ipsam naturaliter cognitam potest *propter quid* demonstrari omnipotentia de Deo. Aliæ claræ sunt.

Scotus tribus mediis arguit.

Ad istas rationes respondet Doctor in additionibus positis in fine Quodlibeti.

Ad primum dico, quòd ad concludendum *propter quid* Deum esse omnipotentem requiritur cognitio distincta voluntatis diuinæ, quæ naturaliter haberi non potest, licèt naturaliter possit cognosci, quòd in primo ente est voluntas perfectissima, sed quid sit in se, distinctè non potest cognosci.

In primo ente est voluntas perfectissima.

Ad secundum negatur illa maior. Non enim hæc est per se nota, *ens est bonum*, & tamen tam *ens*, quàm *bonum* dicunt conceptus simpliciter simplices,vt patet à Doctore *in primo,dist.3.q.3.* Potest enim bonitas demonstrari, vel per rationem entitatis, vel per passionem priorem, si est dabilis. Tamen quicquid sit de illa maiore minor est falsa, quia etsi essentia ex natura rei sit simplicissima, tamen conceptus essentiæ non est simpliciter simplex,cùm sit resolubilis in conceptus priores quiditatiuos, vt in conceptum substantiæ transcendentis,& in conceptum entis.

Conceptus essentiæ non est simpliciter simplex.

Ad tertium respondet Doctor quòd cognitio Metaphysici de Deo, excedit cognitionem Physici de Deo,tam extensiuè, propter multitudinem passionum, quàm intensiuè propter maiorem perfectionem, & perfectiorem modum cognoscendi. Et propter hoc ad formam argumenti, dicitur concedendo primam consequentiam, & consequens ad istum intellectum, quod Metaphysicus potest ad altiorem cognitionem attingere, quàm sit ista cognitio, quàm Physicus potest attingere. Nam in cognitione *quia*, est dare latitudinem, & excessum secundùm maius,& minus, tam intensiuè,quàm extensiuè.

SCHOLIVM.

Loquendo de demonstratione à posteriori, certum est primò, Deum non posse immediatè omnia causare, ita vt non mediet effectus præuius, quia relatio non est ab eo producibilis, nisi priùs producto fundamento. Loquendo de immediatione causæ secundùm Philosophum, impossibile est omnia fieri à Deo immediatè, quorum fundamentum est, quia principium necessarium, & perfectum ad nihil immediatè se habet contingenter, quia ex tali principio nulla potest esse nouitas, quia cùm sit necessarium, non potest aliter se habere, & eo vniformiter stante nihil aliud requiritur, quia est infinitum, & inimpedibile; Deus autem est tale principium secundùm eos. De quo vide Doctorem 1.d.8. q.vlt. & d.19. & 3.d.16.q.2. Ex hoc principio infertur primò, si Deus causare posset omnia immediatè, quòd posset priuare omnes causas secundas propriis actibus, & tollere ordinem essentialem causarum, quæ sunt inconuenientia. Secundò, si immediatè causaret, moueret corpus in tempore, potentia finita in æquali tempore illud moueret. Tertiò, secundùm Philosophum, separata à materia non possunt immediatè mutare eam.

15. IAm consequenter videndum est de demonstratione *quia.* Primò autem videndum est de omnipotentia immediata respectu omnis possibilis : vbi primò intellectus illius immediationis exponetur. Secundò, positio Philosophorum videbitur. Et tertiò,quid sit tenendum.

Vide 2.d.1. q.2.& 3.d. einsdem & 8.& q.3. prol.

n De primo sic,immediatio causæ respectu effectus potest intelligi dupliciter: vel scilicet,quòd causat per causam mediam, vel quia causat mediante aliquo effectu : non enim omnis effectus medius ad alium effectum est semper causa illius effectus : ita potest intelligi immediatio causæ actiuæ : vel excludendo causam actiuam mediam,vel excludendo effectum medium priorem illo effectu.

Immediatio duplex.

De vtraque immediatione simul, dico quòd non solùm Philosophi, sed etiam Theologi negarent Deum esse omnipotentem immediatè : quia non conceditur Deum posse causare relationem,nisi priùs,vel duratione,vel natura, causando fundamentum, & ita non potest in quemcunque effectum immediatè, sic quòd nullo effectu quasi medio priùs natura causato.

Relatio non potest causari immediatè à Deo.

Est ergo

Est ergo difficultas de immediatione, vt excludit solummodò causam efficientem mediam,& intelligendo effectiuam generaliter,siue illa causa media in causando attingat effectum principalem, siue tantùm aliquem effectum præuium,vel disponentem ad illum.

8.Phys.& 12.Meta. *Principiū necessariū & perfectū secundum Philosophos,nihil facit contingenter.*

Secundum °, scilicet de positione Philosophorum. Circa hoc Philosophi videntur sentire non solùm quòd non sit demonstrabile Deum esse omnipotentem immediatè, sed etiam quòd hoc sit impossibile; & videtur fundamentum eorum in ista propositione stare. *Principium necessarium & omnino perfectum ad nihil immediatè contingenter se habet.* Hoc probatur,quia nulla nouitas, seu contingentia potest assignari in principiato immediatè à tali principio; non enim quia illud principium aliter se habet cùm sit simpliciter necessarium; nec quia illo vniformiter se habente, aliquid aliud requiritur, vel impedit, quia non est principium imperfectum, & per consequens nec impedibile,nec insufficiens,siue aliud requirens. 16.

Si ista propositio iam probata,vera esset, scilicet quòd nihil potest esse immediatè & contingenter à principio necessario,& sufficiente:statim sequitur,quòd non potest causare omne possibile immediatè. Ista consequentia probatur, primò, in speciali de motu:quia sequitur quòd Deus non potest immediatè causare motum, siue specialiter motum localem,siue specialissimè,motum circularem Cœli.

Et hoc videtur secundùm intentionem Philosophorum probari. Primò generaliter:quia si posset omnem effectum immediatè causare sine causa secunda, sic posset facere,quòd nulla causa secunda haberet actionem propriam: sed secundùm Commentatorem 9. Metaphys. super illud, *igitur possibile. Cùm enim entia non habent actiones proprias,non habebunt essentias proprias.* Manifestum est, quòd apud Philosophum inconueniens est Deum posse essentias omnium aliorum destruere: cùm secundùm ipsum aliqua alia à Deo sint formaliter necessaria. 17.

Com. 7.

Si immediatè Deus posset omnia producere,ordo causarum non esset essentialis.

Confirmatur, quia si præter ordinem causarum in vniuerso possit quemcunque effectum causare ergo ordo causalitatis in causis non esset simpliciter necessarius:ergo nec essentialis,quod est inconueniens apud Philosophos.

Tex.79. Idem 12. Met.t.41.

Secundò, specialiter videtur hoc ostendi de motu: quia secundùm Philosophum 8. *Physicorum*,potentia infinita non potest immediatè mouere corpus in tempore:quia si sic,aliqua potentia finita posset mouere corpus in æquali tempore, sicut ipse deducit ibi,eo quòd augmentata virtute motiua,minuitur tempus,in quo mouet.

Tex.28. Com.28.& 31.

Habetur ergo ex intentione Aristotelis quòd Deus non potest immediatè causare motum propriè dictum:quia cùm sit succesiuus,necessariò erit in tempore.

Si dicatur,quòd potest rem motus causare,sed sine successione, quia per mutationem subitam,ad illud ad quod finitum mouens moueret in tempore.

Motus circularis non potest esse a Deo immediatè secundùm Phil.

Contrà,hoc non soluit:quia Deus non potest immediatè causare motum circularem Cœli:quia non in tempore, vt conceditur: nec in instanti:quia in illo instanti totum Cœlum esset in eodem loco,& quælibet pars sui in eodem loco, in quo priùs:ergo in illo instanti Cœlum non mutatur.

Separatum à materia non mutat materiam secundùm Phil.

Tertiò, hoc videtur ostendi de quocunque effectu materiali: quia per transmutationem materiæ,vt videtur, habet produci. Videtur enim Aristoteles 7. *Metaph. contra Platonem*, probare quòd separatum à materia non possit immediatè transmutare materiam: Et Commentator ibidem: *impossibile est, quòd formæ separatæ transmutent materiam,nihil enim transmutat materiam, nisi quod est in materia, & hoc conuenit dicentibus mundum generari,quod transmutans ipsum,sit aliquod indiuiduorum, vel indiuiduum, vt corpus particulare.* Hæc Commentator. 18.

Vbi suprà & t.10.& 11.& inde idem 12. Met.t.29.

Vltimò, videtur istas probationes posse confirmari,& ex intentione Philosophi 8. *Phys.* vbi videtur velle,quòd quicquid Deus potest immediatè causare, & hoc totaliter,necessariò causat,quia non videtur posse poni contingentia ad causandum,& non causandum, nisi propter aliquam mutabilitatem in agente, & hoc quando effectus totaliter & præcisè dependet ab agente: nunc autem si Deus posset immediatè in quodlibet causabile, quodlibet dependeret totaliter & præcisè ab eo, & per consequens necessariò quodlibet causaret, & tunc sequitur multiplex inconueniens, scilicet quòd causæ secundæ priuarentur actionibus suis,quod tangit prima ratio;& quod Deus immediatè causaret omnem motum, quod tangit secunda ratio;& quod Deus immediatè causaret omnem effectum materialem:quod tangit tertia ratio.

COMMENTARIVS.

9. In *DE demonstratione quia.* Antequam probet conclusionem quartam præmittit quòd immediatio causæ respectu effectus potest dupliciter intelligi, vel quia non causat per causam mediam, sicut nunc Deus producit vermem mediante Sole causante; vel quia non causat mediante alio effectu, licèt ille effectus priùs causatus non causet effectum posteriorem; & sic aliquando vna causa non causat vnum effectum, nisi priùs alio causato, vt patet in multis exemplis Doctoris. Dicitur ergo causa immediatè causare, quia nec causat mediante alia causa, vel quia causat nullo alio effectu priùs causato. De immediatione secundo modo, tam Philosophi, quàm Theologi, simpliciter negarent Deum immediatè posse causare omnem effectum, quia negarent ipsum posse causare relationem immediatè, nisi priùs causatis fundamento, & termino. Est ergo difficultas de immediatione, vt solùm excludit causam efficientem mediam, & intelligendo effectum non generaliter, siue illa causa media in causando contingat effectum principalem, siue tantùm aliquem effectum præuium, vel dispositionem ad illum.

Immediatio causa respectu effectus potest intelligi dupliciter.

o Hoc præmisso videndum est primò de intentione Philosophorum. *Circa hoc Philosophi videntur sentire*, &c.

SCHOLIVM.

Secundùm Theologos Deus est omnipotens immediatè, ita vt sine coagente omnia facere possit. Probatur auctoritate: item ratione; continet eminenter actiuitatem omnium aliarum causarum. Ex 1. d. 2. q. 1. qua ratione causa æquiuoca potest effectus ita perfectos producere, sicut vniuoca. Vide 1. d. 8. q. vlt. Ad hanc adducit responsionem Philosophi, quam non refutat, quia tenet conclusionem hanc non esse demonstrabilem.

19. DE tertio tenendum est secundùm communem sententiam Theologorum, Deum sic esse omnipotentem, quòd sine quocunque alio agente possit causare quodlibet causabile, nec tamen istud potest demonstrari demonstratione, *quia.*

Primum probatur auctoritate *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* *Gen. 1.*

Adducitur etiam ad hoc ratio, quia virtus actiua cuiuscunque causæ secundæ eminentiùs est in prima causa, & in primo agente, quàm in ipsa causa secunda: habens autem eminentiùs virtutem actiuam, videtur posse in effectum absque illo, quod diminutè habet virtutem illam, non enim ad productionem effectus requiritur imperfectio virtutis actiuæ: quia nulla imperfectio est ratio agendi, sed est magis impedimentum actionis.

Causa eminenter cõtinens effectum, potest illum causare.

Confirmatur; quia videmus causas æquiuocas ita perfectos effectus producere, sicut vniuocas; quod non esset, nisi haberent virtutem actiuam eo modo, quo sufficit ad causandum perfectè; non autem habent virtutem vniuocam, sed tantùm eminentem, ergo, &c.

Ista ratio, licèt videatur probabilis: non tamen esset Philosopho demonstratio. Negaret enim istam propositionem, quicquid in se eminenter, vel virtualiter habet virtutem actiuam causæ proximæ, ipsum potest immediatè effectum illius causæ causare. Diceret enim quòd eminentiori modo habens talem virtutem potest quidem in suo ordine in effectum talis virtutis; sed ordo suus est, quòd sit causa superior, & remotior.

Continens virtualiter causam, nõ potest immediatè in eius effectum, secùndùm Phil.

20. Cùm adducitur, quòd imperfectio non requiritur ad causandum: diceret quòd, cùm dico, immediatè causare, duo dico, scilicet causationem, & illa requirit perfectionem: & modum siue immediationem causandi, & ille requirit imperfectionem annexam: ergo ad immediatè causandum requiritur imperfectio, non sicut ratio causandi, sed sicut conditio necessaria in agente.

Ad immediatè causandum requiritur imperfectio secundùm Phil.

Vbi enim est ordo essentialis, ibi non potest aliquid esse proximum imperfectissimo, nisi ipsum sit aliqualiter imperfectum: quia si perfectum esset proximum imperfectissimo, esset æquè immediatum cuilibet alij à se: & tunc ista non haberent ordinem essentialem: sicut non esset ordo essentialis in speciebus numerorum, si quælibet æquè immediatè procederet ab vnitate. Ex quo patet, quòd istam propositionem negaret Philosophus, *perfectior causa immediatiùs causat*: intelligendo per *immediatiùs*, exclusionẽ causæ propinquæ actiuæ: imò diceret, quòd sicut perfectior est causa superior, ita per plures causas medias causat. Nec istæ causæ mediæ requirũtur, vt addatur perfectio causalitatis, quæ tota perfectissimè est in sola prima: sed magis requirũtur, vt habeatur ordinata perfectio descendens ad vltimum imperfectum, ordinata autẽ perfectio non habetur sine diminutione perfectionis, & cum imperfectione annexa.

Negaret Phil. hanc, perfectior causa, immediatiùs causat.

SCHO

SCHOLIVM.

Non est demonstrabile à posteriori Deum esse omnipotentem immediatè. Ita Doctor 1. d. 1. q. 1. & d. 2. q. 2. n. 27. & q. 3. n. 6. & latè d. 42. Vide eum 1. d. 20. Probatur primò, quia Philosophi id non potuerunt demonstrare. Secundò, quia ordo causalitatis non infert, quòd superior possit in effectum sine inferiori, v. g. Sol sine homine generare. Item, anima non potest materiam informare nisi præuia alia forma. De quo 4. d. 9. q. 3. adducit clara exempla in aliis generibus causarum.

SEcundum, scilicet quòd illud verum non potest demonstrari demonstratione *quia*, Probatur primò auctoritate: quia Philosophi ad notitiam talium verorum, scilicet possibilium demonstrari demonstratione *quia*, deuenire potuerunt, non autem ad notitiam huius veri, imò eius oppositum tenuerunt, quod non est verisimile de aliquo demonstrabili demonstratione *quia*. 21.

Philosophi non potuerunt demõstrare Deũ esse omnipotentẽ immediatè, sed oppositum tenuerunt.

Secundò, hoc probatur ratione, quia ordo causalitatis non concludit, quòd superior possit sine inferiori in effectum, in quem potest cum inferiori, sicut Sol non potest per se generare hominem sine patre, sicut cum patre: ergo pari ratione, ordo iste non concludit, quòd prima causa possit sine secunda in effectum istum, in quem potest cum secunda. Hoc etiam manifestius est in aliis generibus causarum. Si enim, secundùm aliquos, esset ordo essentialis in materiis: puta, quòd prima materia animæ intellectiuæ propinqua, sit corpus organicum, & sic vlterius vsque ad materiam simpliciter primam quæ sit propria materia respectu formæ primæ substantialis: nõ oportet quòd materia simpliciter prima possit esse materia immediata respectu cuiuscunque formæ, cuius potest esse alia materia secunda. Hoc etiam patet in formis: non enim oportet quòd prima forma possit esse immediata forma cuiuscunque informabilis, cuius potest esse immediatè alia forma secunda, & hoc, siue prima forma & secunda accipiantur ordine generationis, siue perfectionis.

Ista, quæ dicta sunt de causa materiali, & formali, habent maiorem euidentiam, si vera sit opinio de pluralitate formarum, de quo modò non est quæstio. Sed ad propositum sufficit, quòd si in causis materialibus, & formalibus esset ordo, non oporteret quòd primum esset causa immediata cuiuscunque causabilis: ergo modo, vbi talis ordo est, puta in causis efficientibus, non oportet quòd prima possit esse causa immediata cuiuslibet. 22.

De pluralitate formarum. vide doct. 4. d. 11. q. 3.

Hoc etiam patet in causis efficientibus respectu cognitionis. Nam principia ponuntur causæ respectu cognitionis conclusionis: vt habetur *secundo Phys.* licèt primum principium habeat veritatem euidentissimam, & etiam contineat eminenter, & virtualiter veritates omnium posteriorum: non tamen oportet quòd possit esse immediatè causa cognoscendi quodcunque posterius: imò oportet per media ordinatè procedere, ad hoc vt acquiratur cognitio conclusionis remotæ.

Principiũ est causa notitiæ cõclusionis, sed mediata.

Hoc tandem patet in ordine causarum finalium: accipiendo enim vltimum in aliqua coordinatione finium, non oportet quòd illud possit esse causa finalis immediata respectu cuiuscunque: quia aliquod remotum non ordinatur ad ipsum nisi mediante fine propinquiori: sicut organa exteriora ordinata ad potionem vel incisionem non ordinantur ad sanitatem, nisi mediantibus istis finibus propriis.

SCHOLIVM.

Respondet ad rationes pro Philosopho adductas, n. 16. & seqq. Ad primam ostendit, Deum posse priuare omnes causas secundas suis actionibus, nec tamen ideò esse desinerent. Ad secundam, (quæ tertio loco soluitur) Arist. & Auerr. errasse, negando posse immediatè mouere corpus. Ad tertiam (quæ secundo loco soluitur) Aristotelem non negasse Deum immediatè inducere posse formam in materiam, sed Commentatorem ei imposuisse. Ad quartam positam n. 18. explicat intentionem Aristot. An Deus necessariò causet quicquid immediatè causet. De quo latè agit 1. d. 8. q. vlt.

SEd licèt hæc [p] conclusio non sit demonstrabilis: quia tamen, cùm vera sit, oppositum demonstrari non potest: ideò ad rationes adductas pro opinione Philosophorum respondendum est. 23.

Ad pri

Ad primam, Theologus benè concederet, quòd causa prima potest ista causata non solùm priuare suis actionibus: sed etiam propriis entitatibus: quia ea potest annihilare. Nec concordat cum Philosopho in ista propositione, quod *omne sempiternum est formaliter necessarium*, & hoc vocando omne æuiternum sempiternum: quia æuiternum simpliciter potest non esse, licet non tali potentia passiua intrinseca: qualis est in corruptibilibus. *Causa prima potest priuare secundas suis actionibus.*

Aliter, licèt Deus priuet entia secunda actionibus suis, præueniendo causalitatem eorum, & causando effectus, quos illa possent causare, non oportet quòd priuet illa suis entitatibus: manent enim & non causant suos effectus: quia alia causa immediatè causat illos, possent tamen illos causare. Sicut manet iste ignis, & tamen non causat ignem in hoc ligno, si aliud agens fortiùs præueniat in igniendo: posset tamen causare; quia formam, quæ est principium igniendi, habet: & ita potest intelligi dictum Commentatoris cum ait: *Cùm entia non habebunt actiones proprias, non habebunt essentias proprias.* Quòd in antecedente neget habere actionem propriam, debet intelligi, non tantùm actualiter: quia tunc argueretur à destructione posterioris ad destructionem prioris, & esset fallacia consequentis: quia pluribus aliis modis potest poni destructio istius posterioris, puta per fortius agens præueniens, vel per contrarium impediens. Sed debet intelligi in antecedente, non habebunt actiones proprias, nec actualiter, nec aptitudinaliter, nec virtualiter; & benè sequitur, quòd non habebunt proprias essentias: quia quodlibet actiuum per propriam formam, & virtutem habet virtualiter suam actionem, etiam quando non actualiter producit. Exponit commentatorem vt non sequatur auferri naturas, si priuarentur actionibus propriis.

24. Et ista expositio antecedentis potest haberi ex illo verbo Commentatoris, quod præmittit, *conuenit istis, vt nullum ens habeat actionem propriam naturalem*, & subdit: *Cùm entia non habebunt actiones proprias*, supple naturaliter, vel aptitudinaliter secundùm propriam naturam, *non habebunt essentias proprias.* Illi autem, contra quos arguit ibi, scilicet moderni, ponunt vnum agẽs omnia entia sine medio: sed non sicut Christiani: quia secundùm Augustinum 7. de Ciui. ca. 30. *sic Deus res, quas condidit administrat, vt eas agere proprios motus sinat.* Licèt enim posset agere omnia, & sic agendo, entitates quidem rerum non destrueret, sed eas, quasi ociosas & vanas relinquerent: maluit tamen eis, sicut entitatem, sic & virtutem actiuam, & propriam tribuere actionem: non enim vniuersaliter perfectionem rebus subtraxit, cuius sunt capaces. *Deus secùndum Aug. sinit res agere proprios motus.*

Ad secundam formam q materialem non negat Philosophus immediatè induci in materiam à Deo, imò inferiùs in quæstione de bona fortuna dicetur, quid Aristot. sensit de anima intellectiua: de intentione eius 7. *Metaphys.* vbi adducitur Commentator: & videtur dicere quòd nullum immateriale possit transmutare materiam immediatè: & si intelligat de Deo, sicut videtur specialiter per illud verbum, dicentibus mundũ generari: negaret cùm Theologus: & eandem sententiam dicit in commento tertio, post, *illud quod mouet materiam, necessariò est corpus habens qualitatem actiuam, aut potentiam, quæ agit per corpus habens qualitatem actiuam:* & imponit Aristotele quod idem sensit. Tex. 28. *Negat cõmentatorẽ quia imponit Arist.* Com. 21. ad finem.

25. Sed melius videtur, quòd quando litera Aristotelis potest habere sanum intellectum, & litera Commentatoris sanum intellectum habere non potest: quòd dicatur Auerroëm non habere intentionẽ Aristotelis & saluetur eius intẽtio. Quod hîc etiã videtur posse fieri. Nam de hoc ad præsens, breuiter transeundo, dici potest, quòd Aristoteles ibi arguit contra Platonem probando, quòd ideæ non sunt necessariæ ad generationem: quia sufficit hoc aliquid ad generandum hoc aliquid: sed nec ideæ possunt generare hoc aliquid: quia si generans nõ est hoc aliquid, nec genitũ erit hoc aliquid. Vtráque consequentia satis tenet nõ esse genitũ per ideã Platonis, nec tamen extẽdenda est ad propositũ nostrũ, scilicet de Deo: quia si idea generaret, esset generans vniuocum: quia eiusdem speciei: Non est autem aliqua causa vniuoca necessaria, nisi composita, & materialis, sicut genitum est compositum, & materiale. Hoc pro prima parte rationis, scilicet quòd ideæ non sunt necessariæ. Vide in expositione 7. Met. & q. *Idea non generat.*

Pro secunda parte, scilicet quòd ideæ non possunt generare, facit illud, quod si generans vniuocum non sit hoc aliquid compositum, & materiale, nec genitum erit hoc aliquid. Deus autem, & potest esse causa generationis, & requiritur ad generationem, non sicut causa vniuoca, sed æquiuoca, & hoc suprema, in cuius virtute agit omnis alia causa, tam vniuoca, quàm æquiuoca. *Deus est causa æquiuoca generationis.*

Ad tertium [r] absolutè concedendum est tam Aristotelem quàm Auerroëm Deum posse immediatè mouere corpus, negasse. Et in hoc habet Theologus vtrũq; negare. Vt inquit Auerr. 12. Met. com. 41.

 Posuerunt

Posuerunt tamen Deum mouere Cœlum mediatè, scilicet mediante Intelligentiam, quæ est propria motrix Cœli. De hoc ampliùs tangetur respondendo ad tertium argumentum principale ad quæstionem.

Ad quartum [f] quod confirmat istas tres probationes, dici potest, quòd non est de intentione Aristoteli quòd Deus absolutè necessariò causet quicquid immediatè causat, hoc est sine causa media agente; sicut dicetur inferiùs de anima intellectiua in quæstione de bona fortuna. Sed secundùm ipsum, Deus necessariò agit quicquid potest agere immediatè, hoc est, sine omni medio siue agente ad ipsum; siue ad aliquod præuium disponens ad illud, & sine omni medio causato, siue præuio ad illud. Illud ergo quod sine omni medio causato præuio, siue causante præuio, potest agere, hoc necessariò agit. Et ratio huius est apud eum: quia ex quo istud à solo Deo immediatè omnino dependet, ipsius nouitas in essendo, siue contingentia non reduceretur, secundùm ipsum, vltimatè, nisi in aliquam nouitatem in Deo. Et sic intendit ipse arguere 8. *Physic.* quia illa nouitas motus in vniuersali, siue omnino primi causati, quodcúmque illud esset, esset immediatè à Deo sine omni causa media agente, vel disponente, & sine omni causato medio. 26.

De illo autem, quod potest Deus immediatè causare, sine, scilicet causa media agente attingente illud, dum tamen sit aliqua causa dispositiua ad illud, vel saltem aliquod causatum præuium requisitum ad illud, non diceret Aristoteles quòd Deus necessariò simpliciter illud causaret: sed tantummodò necessitate ineuitabilitatis, & hoc posito illo primo, vel præuio, quod requiritur.

In neutro autem istorum concordat cum eo Theologus: quia ponit, quòd Deus per voluntatem liberè, & contingenter se habet ad quodcunque causabile extra, & hoc exclusa necessitate, non solùm immutabilitatis, sed etiam ineuitabilitatis.

Negaret Aristot. aliqua fieri posse immediatè à Deo.

Concedo ergo, quòd Aristoteles secundùm sua principia negaret Deum multa posse immediatè causare: puta omnia illa, in quorum productione est simpliciter contingentia, absque vtraque necessitate prædicta; sed in hoc Theologus contradicit sibi, sicut dictum est. Est ergo de demonstratione, conclusio principalis & ordine quarta: ista, scilicet quòd Deum habere omnipotentiam immediatè, respectu cuiuscumque causabilis, licèt sit verum, non tamen est nobis demonstrabile, demonstratione quia.

COMMENTARIVS.

10. p SEd licèt. Hìc respondet Doctor tenendo opinionem, Theologorum quod non est inconueniens concedere Deum, posse priuare omnia alia à Deo suis entitatibus, nec in hoc habet concordare cum Philosopho. *Nec similiter concordat in hoc, quòd omne sempiternum sit formaliter necessarium*, &c. Secundùm enim Philosophum, sempiternum non habet materiam, quæ est causa corruptionis intrinseca, est tamen à Deo annihilabile. Et dicitur æuiternum, quia mensuratur æuo, vt expositum est *in secundo dist.* 2. Dicit etiam Doctor quòd licèt Deus priuet causas secundas actionibus suis, non tamen sequitur quòd priuet suis entitatibus. Posito enim quòd ignis nunquam calefaceret, non sequitur propter hoc quòd non sit ignis. Exponit etiam Commentatorem, quòd debet intelligi de aptitudine, quia si priuaret Deus ignem aptitudine, & virtualitate ad agendum, non esset ignis, quia talis aptitudo, & virtualitas consequitur formam essentialem ignis.

9. Metaph. contex 17. Vnde dicatur æuiternum.

q Ad secundum respondet quòd absolutè est concedendum Philosophum, & Auerroëm negasse Deum posse immediatè mouere cœlum. Sed in hoc habet Theologus vtrumque negare, quia ponit Deum mouere in tempore, & expectare tempus, vt exposui in secundo, & in tertio. Posuere tamen ipsi mouere cœlum mediatè, scilicet mediante Intelligentia, quæ est propria motrix cœli. Sed de hoc tangetur amplius, respondendo ad tertium principale.

r Ad tertium respondet quòd Theologus non negat formam materialem, immediatè induci in materiam à Deo, imò inferius in quæstione de bona fortuna, scilicet vlt. dicetur quid Philosophus sensit de anima intellectiua. De intentione eius 7. Met. tex. com. 28. vbi adducitur Commentator & videtur dicere quòd neque immateriale possit transmutare materiam immediatè. Et si intelligat de Deo, sicut videtur specialiter per illud verbum, *debentibus mundum generari*, negatet eum Theologus, & eandem sententiam, dicit Commentator 3. post illud quod mouet materiam, necessariò est corpus habens qualitatem actiuam, aut potentiam quæ agit per corpus, habens qualitatem actiuam. Et imponit Aristoteli quòd idem sentit. Sed melius videtur quòd quando litera Aristotelis potest habere sanum intellectum, & litera Commentatoris sanum intellectum habere non potest, quòd dicatur Auerroëm non habere intentionem Aristotelis, & saluetur eius intentio, quod hic etiam videtur posse fieri. Nam de hoc ad præsens, quasi transeundo dici potest, quòd Aristoteles ibi contra Platonem probando quòd ideæ non sunt necessariæ ad generationem, quia sufficit hoc aliquid ad generandum hoc aliquid, sed nec ideæ possunt generare hoc aliquid, quasi generans non est hoc aliquid, nec genitum

Specula

genitum erit hoc aliquid. Vtraque consequentia satis tenet contra ideam Platonis, nec tamen extendenda est ad propositum nostrum, scilicet de Deo, quia si idea generaret, esset generans vniuocum, quia eiusdem speciei, non est autem aliqua causa vniuoca necessaria, nisi composita, & materialis, sicut genitum est compositum, & materiale, Hoc pro prima parte rationis, scilicet quòd ideæ non sint necessariæ. Pro secunda parte, sc. quòd ideæ nō possunt generare, facit illud, quod si generans vniuocū non sit hoc aliquid compositum, & materiale, nec genitum erit hoc aliquid. Deus autem, & potest esse causa generationis, & requiritur ad generationem non sicut causa vniuoca, sed æquiuoca, & hæc suprema in cuius virtute agit omnis alia causa, tam vniuoca, quàm æquiuoca. De istis ideis, an sint causa generationis, &c. vide expositionem Doctoris super 7. Met. in opere suo, quod intitulatur *opus aureum*.

¶ Ad vltimum Respondet quòd non est de intentione Aristotelis quòd Deus absolutè necessariò causet, quicquid immediatè causat. Nā secūdùm ipsū, anima intellectiua immediatè est à Deo, vt patet 16. *de Animalibus*, & tamē nō causatur necessariò, & hoc, quia ipsā animā pcedit necessariò organicatio, & materia in qua recipitur. De hoc vide Doctorem infrà. q. vl. & in 4. d. 43.

SCHOLIVM.

Quinta Conclusio huius Quæstionis est, demonstrabile esse à posteriori, quòd Deus est omnipotens mediatè vel immediatè, id est, potens producere omnia, vel per se, vel cum aliquo medio. Probatur primò, quia necessariò datur status in causis, ita vt tota vniuersitas causatorum sit ab aliquo extra eam, & illud est Deus. De quo latè 1. *d.* 2. *q.* 2. *à nu.* 11. *Secundò, in quodcunque potest causa inferior, potest & superior, saltem mediante causa proxima. Adducit duas instantias, quas resoluit per hoc, quòd vnum tantùm est ens à se vt loco cit. probauit, & per consequens vnum agens à se.*

27. QVinta conclusio principalis est ista, quòd demonstrabile est viatori demonstratione, *quia* Deum esse omnipotentem mediatè, vel immediatè: hoc est, quòd possit causare quodcunque causabile; vel immediatè vel per aliquod medium, quod subsit causalitati eius. Concl. 5.

Hæc conclusio probatur per hoc, quòd necesse est statum esse in causis efficientibus, & hoc probatur *secundo Metaphysicæ:* & probatio Aristotelis, breuiter nunc tangendo, stat in hoc: tota vniuersitas causatorum causam habet, non autem quæ sit aliquid istius vniuersitatis, quia tunc idem esset causa sui: ergo aliquid extra tota vniuersitatem illam. Si ergo in causis non ascendatur in infinitum, non solùm quælibet est causata, sed tota multitudo erit causata, & per consequens ab aliquo extra totam illam multitudinē, ergo in illo erit status, tanquā in simpliciter primo causante. Tex. 5. *Vniuersitas causarum causā habet extra se, de quo* 1. *d.* 2. *q.* 2.

Potest autem illius conclusionis adduci alia probatio talis Causa effectiua quantò superior, tantò perfectior in causalitate: ergo si supra istam datam est alia in infinitum superior in causando illa erit in infinitum perfectior in causalitate, & per consequens habebit causalitatem infinitè perfectam; causalitas autem causata, vel dependens in causando, non est infinitè pefecta: quia est imperfecta respectu illius: à quo dependet: ergo si in infinitum ascendatur in causis, aliqua erit omnino incausata nec dependens in causando, & per consequens in illa erit status: sic quòd ipsa erit effectiua, non causata, nec dependens in causando, & ab ipsa est omnis causalitas causæ inferioris, vel saltem in virtute eius causat.

Ex hoc ad propositum sequitur, quòd in quodcunque causatum potest aliqua causa inferior mediatè, vel immediatè, in illud idem potest illa causa superior, & hoc saltem mediante causa proxima, & per consequens prima causa habet omnipotentiam secundùm intellectum pertinentem ad istum articulum. *In quodcūque potest causa inferior, potest superior saltem cum inferiori.*

28. Ista ratio videtur dupliciter [u] posse impediri. Primò, quia diceretur quòd in ordine causarum efficientium, licèt status sit ad vnum principium efficiens: tamen istud non est Deus; sed aliqua Intelligentia mouens primum Cœlum. Nec ratio naturalis deducit, quòd vltra tale mouens Deus immediatè moueat, nisi in ratione causæ finalis. Sicut videtur Philosophus illum modum mouendi appropriare ipsi Deo 12. *Met.* vbi ait, quòd mouet sicut amatum, & desideratum. Tex. 25.

Secundò diceretur, quòd efficiens primum quodcunque sit, non probatur habere potentiam respectu omnis omnis causabilis qualitercúnque, scilicet immediatè, vel mediatè, sed tantùm respectu omnium causabilium in sua coordinatione: oportet ergo probare, quòd præter illa non essent alia possibilia causari extra illam coordinationem. Ista duo excluduntur per hoc, quòd non est nisi vnicum ens à se, siue non ab alio; ex hoc enim sequitur quòd non est nisi vnicum agens non dependens in agendo, quod enim dependet in essendo, si agat, dependet in agendo. *Vnicum tantùm est ens à se, ac per consequens vnū agens independens.*

COMMENTARIVS.

t *Qvinta conclusio probatur*, &c. Et probatio stat primò in hoc, quòd in causis essentialiter ordinatis est status ad vnam primam, & adducit duas rationes, quas etiam adducit in primo *dist.2.*& ibi eas exposui. Ex hoc præmisso infert, quòd in quodcunque causatum potest causa inferior, potest etiam superior, saltem mediante causa proxima, & sic hoc modo prima causa habet omnipotentiam.

u *Ista ratio videtur dupliciter posse impediri*, scilicet quòd stante statu in causis, non sequatur primam mediatè concurrere ad omnem effectum secundarum causarum, quia primò diceretur, quòd illud primum efficiens, ad quod est status, non esset Deus, *sed aliqua Intelligentia mouens primum cœlum*, &c.

SCHOLIVM.

Ad primum reiecta resolutione aliorum; *de quo* 1. *d.* 8. *qu. vlt. Respondet quòd Philosophus ibi* 8.*Physic. intellexit de potentia infinita intensiuè, & non tantùm secundùm durationem infinita, quia nulla virtus potest mouere semper, nisi vel à se vel virtute alterius, & sic ad aliquam status, quæ moueat à se, quæ etiam consequenter est à se, quæ etiam consequenter est à se, & infinitum intensiuè, quia nihil est limitatum nisi ab alio id limitante. Vide de hoc* 1. *d.* 2.*q.*2. *à num.*20. *Ad consequentiam illam, licèt infinita potentia sit omnipotentia, non tamen concluditur hoc demonstratiuè, quia Philosophus negaret dabilem esse omnipotentiam immediatam, quia non est notum naturaliter eam dari. Argumẽtum ergo probat tantùm quintam conclusionem, id est, Deum esse omnipotentem mediatè, vel immediatè & non facit contra alias.*

AD argumenta principalia. [a]

Ad primum; primò videndum est de antecedente; & posteà de consequentia. De antecedente dicunt quidam quòd Aristoteles nonintellexit primum ens esse infinitæ potentiæ intensiuè, siue vigoris, sed tantùm extensiuè, siue duratione. Ratio enim sua non plus concludit, nisi quòd ipsum mouet motu infinito: quia motus ille non est infinitus nisi duratione; & ad hoc videtur sufficere virtus infinita in duratione. 29.

Contrà dupliciter, Primò contra illud, quod imponitur Aristoteli. Secundò contra rationem, quæ ad hoc adducitur. De.1. Aristoteles enim ex hoc quòd Deus est infinitæ potentiæ, concludit quòd non potest esse in magnitudine, nec habere magnitudinem: quia nec infinitam, cùm nulla talis sit nec finitam; quia quacunque potentia in magnitudine finita posset aliqua esse maior. Intelligit ergo in antecedente talem infinitatem potentiæ, cum qua, secundùm intentionem eius, non posset stare oppositum consequentis, scilicet habere magnitudinem, vel esse in magnitudine: quia hoc esset dicere, quòd faceret consequentiam, quæ secundùm intentionem eius, non teneret, si oppositum consequentis posset stare cum antecedente. Nunc autem cum potentia infinita secundum durationem potest stare oppositum consequentis, scilicet esse in magnitudine, secundum intentionem eius, cùm manifestum sit Cœlum habere magnitudinem, & tamen secundùm ipsum habet potentiam infinitæ durationis; imò secundùm ipsum 9.*Metaph.* & 1.*Cæl.* & *Mun.* & in multis aliis locis. Omne sempiternum est formaliter necessarium, & ita, si est actiuum, habet potentiam actiuam infinitam secundùm durationem: ergo in antecedente non tantùm intelligit ille de potentia infinita duratione: sed de aliqua alia, quæ repugnat magnitudini: illa autem non est nisi infinitas intensiua. Concedo ergo cum ista conclusione, quòd Aristoteles siue sufficienter probauerit intentum suum, siue non, intellexit de infinitate potentiæ intensiua.

8. Physic. ad finem. *Arist voluit Deum esse infinitæ potentiæ intensiuè, non tantum extensiuè, seu secundum durationem*

Tex. com. 17. Tex. com. 12.& inde.

Sed tunc restat secundum, scilicet de probatione: qualiter, scilicet eius probatio procedat. De hoc dico, quòd tanta perfectio potest concludi de potentia, ex hoc quòd sufficienter potest in talem actum, quantum potest concludi ex hoc, quòd erit in talem actum: etsi ergo antecedens Aristotelis, scilicet quòd Deus mouet motu infinito, falsum sit, secundùm Theologos tamen multi eorum concedunt quòd potest mouere motu infinito, etiam à parte ante: sicut omnes concedunt, quòd à parte post: tamen differunt à Philosopho in hoc: quia Philosophus ponit istam potentiam necessariò coniunctã actui quia inter extrema, secundùm se immutabilia, est habitudo omnino necessaria: talia, secundũ eũ, sunt Deus, & Cœlũ ergo inter ista est habitudo necessaria necessitate immutabilitatis, ad quã sequitur motũ, qui causatur ad hoc in illo, esse necessariũ nõ illa necessitate, quę repugnat motui, sed necessitate ineuitabilitatis, 30.

An creatura possit esse ab æterno, vide 2. d.1.q.4.

non

non poteſt ergo ceſſare, Nec concordat ſecum Theologus in prima propoſitione: inter extrema, &c. Nec in ſecunda de Cœlo: quia non ponit mouere neceſſariò competere Deo actualiter: ponit tamen poſſe infinito tempore mouere. Ex iſto poſſe, ſicut ex ipſo mouere, concludi poteſt infinitas potentiæ.

31. Sed nunquid intenſiue? Dico, quòd ſic: nulla enim virtus poteſt per infinitum tempus mouere, niſi vel à ſe, vel virtute alterius: & tandem oportet ſtare ad aliquam primam, quæ mouet ex ſeipſa. Ariſtoteles ergo arguit de potentia primi mouentis, qui non mouet virtute alterius, ſed à ſe: & ex hoc poteſt inferre, quòd ipſa ſit infinita intenſiuè: quod autem habet à ſe potentiam actiuam, habet à ſe entitatem; quod autem habet à ſe aliquid, habet illud in tota plenitudine, quæ ſibi poteſt competere: nihil enim habetur limitatè in aliquo, niſi habeatur ab aliquo agente determinante illud ad certum gradum: quia ſi vnum ens habeat à ſe plenitudinem entitatis, & aliud ens non haberet à ſe talem plenitudinem, ſed entitatem limitatam, omnino nulla eſſet ratio, quare illud plus haberet plenitudinem entitatis, quàm iſtud: ſed videtur eſſe caſus, qui non poteſt eſſe in his, quæ ſunt à ſe. Ex hoc igitur, quòd primum mouens mouet à ſe: & per conſequens, eſt à ſe, cùm tota plenitudo potentiæ actiuæ, & entitatis non poſſit eſſe ſine infinitate intenſiua: ſequitur quòd ipſum ſit infinitæ potentiæ intenſiuè. *Nulla virtus poteſt infinito tēpore mouere, niſi vel à ſe, vel virtute alterius.*

Contra hoc, quod accipit in antecedente, quòd mouet motu infinito: quia æquè habetur, ſecundùm te, propoſitum, ſi moueret motu infinito, ſed à ſe. Concedo quòd vis principalis in hoc ſtat, quòd eſt mouere à ſe: ſed aliquam euidentiam habet ratio de motu infinito: quia ſecundùm Ariſtotelem motus primus eſt primò infinitus: & ita ille eſt magis proprius primo mouenti: primitas autem motionis eſt medium proprium ad propoſitum, vt intelligatur in antecedente: mouet motu infinito in prima infinitate, quæ, ſcilicet non eſt ab infinitate motus alterius, ſed à ſola virtute illius mouentis.

32. De conſequentia autem, licèt infinita potentia actiua ſit verè omnipotentia, non tamen ſequitur: ſi ratione naturali poteſt concludi hoc habere infinitam potentiam: ergo & omnipotentiam, quia non eſt notum ratione naturali infinitam potentiam eſſe omnipotentiam: & hoc totum intelligendo de omnipotentia immediata reſpectu cuiuſcunque poſſibilis. *Non ſequitur naturaliter concluditur infinita potētia, ergo & omnipotentia immediata.*

Cùm probatur, quòd infinita potentia ſit omnipotentia: quia infinita potentia non poteſt excedi, nec intelligi excedi: quæcunque autem potentia, quæ non eſt omnipotentia, poteſt intelligi excedi.

Reſponderet Philoſophus, quòd potentia ſuprema non eſt omnipotentia, ſicut intelligimus omnipotentiam: & tamen eſt infinita potentia: non ergo poteſt intelligi excedi ſecundùm intenſionem: quia ſic infinita eſt: ſed licèt poſſit intelligi excedi aliquo modo ſecundùm extenſionem, quia non eſt omnipotentia: non tamen propriè hoc intelligi poteſt, quia non ſine contradictione: quia diceret Philoſophus, quòd omnipotentiam immediatam reſpectu cuiuslibet in aliquo eodem eſſe, includeret contradictionem: quia deſtrueret ordinem eſſentialem cauſarum.

Verum eſt ergo, quòd ſuprema poten ia actiua, ſiue potentia infinita eſt omnipotentia, ſed non eſt notum per rationem naturalem, quòd ſuprema potentia poſſibilis etiam intenſiuè infinita, ſit omnipotentia propriè dicta: quæ, ſcilicet poteſt in quodcunque poſſibile immediatè. *Potentia ſuprema nō demonſtratur eſſe omnipotentiā immediatam.*

COMMENTARIVS.

a AD *argumenta principalia.* Primò arguit, probando, quòd Deum eſſe omnipotentem, poſſit naturali ratione demonſtrari, quia naturali ratione demonſtratur eſſe infinitæ potentiæ; ergo & omnipotentiæ. Antecedens patet 8. Phyſ. tex. com. 78. Deus mouet tempore infinito, ergo eſt infinitæ potentiæ, &c.

Reſpondet Doctor primò ad antecedens, & reſponſio patet hîc, & in primo *diſt.2. q.1.* vbi prolixè pertractata eſt authoritas Philoſophi. Et dicit Doctor quòd Philoſophus per hoc intellexit de potentia imperfecta intenſiuè, & non extenſiuè tantum, puta, quòd ſemper duret, *quia nulla virtus poteſt mouere per infinitum tempus.*

SCHO

SCHOLIVM.

Ad argumentum ad oppositum deductum num.2. Respondet, omnipotentiam propriè sumptam, vt de ea loquuntur sancti, habere pro obiecto causabile non producibile vel notionale, de quo latè 1.d.20. vbi etiam locum Aug. hic adductum explicat, vide ibi. Hic aßignat bonam rationem nu.36. quare omniſciens, omniuolens inferunt scire & velle notionalia, & omnipotens non infert posse in ea, quia scilicet sunt scibilia & volibilia, sed non sunt poßibilia.

AD primum [b] argumentum in contrarium, quòd scilicet est de generatione filij. 33.
Respondeo, quòd potentia actiua potest intelligi propriè: quia pro potentia causatiua, cui correspondet possibile, id est, causabile: alio modo potest intelligi magis extensiuè, pro potentia productiua, cui respondet possibile, id est, obiectum producibile: & ita omnipotentia potest intelligi dupliciter. Primo modo, potentia causatiua omnis causabilis. Secundo modo potentia productiua omnis producibilis. Si secundo modo intelligeretur, solus pater omnipotens: quia solus pater habet fontalem fæcunditatẽ ad producendum omne producibile. Sancti verò non sic loquuntur de omnipotentia: sed tantùm primo modo, vt scilicet importat potentiam causatiuam omnis causabilis, id est, possibilis: quomodo nec Filius est possibilis, nec Spiritus sanctus licèt sit producibilis: quia non est causabilis, nec in alietate naturæ producibilis. Secundùm ergo quòd Sancti loquuntur de omnipotentia, scilicet pro potentia causatiua omnis causabilis, quæ est communis tribus personis, absolutè concedendũ est, quòd omnipotentia non respicit actum notionalem intrinsecum, & si ergo posset demonstrari Deũ esse omnipotentẽ, non tamen potentẽ in tales actus notionales.

Omnipotentia, sumitur pro potentia actiua omnis causabilis, vel pro productiuo omnis producibilis; Sancti sumunt primo modo.

Filius non est possibilis.

Sed contra hoc est difficultas in auctoritatibus Augustini & Ricchardi adductis.

Ad auctoritatem Augustini quæ allegata fuit priùs in contrarium, dici potest quòd ista cõsequentia, si Pater nõ potest generare filiũ, vel non æqualẽ Filiũ, non est omnipotẽs, nõ est formalis eo modo quo arguitur à destructione partis in quãtitate ad destructionẽ totius, sed est à destructione posterioris necessariò consequentis ad destructionẽ prioris: quiasi nõ posset generare Filiũ, aut Filiũ æqualẽ, aut hoc esset, quia non cõpetit eius perfectioni essentiali aut quia non cõpetit eius proprietati personali: non cundo modo: quia illa persona est à se, & ideò non repugnat proprietati suæ aliquid actiuè producere. Si primo modo, ergo non habet naturam perfectam, cui possit in aliquo supposito, competere potentia productiua omnis producibilis: & si ergo negatio actus notionalis non infert formaliter negationem omnipotentiæ, tamen gratia materiæ tenet consequentia de ista persona, cui non repugnat ratione proprietatis suæ actus talis notionalis. 34.

Expositio mirabilis ad aucto. Aug.

Negatio actus notionalis quomodo infert negationem omnipotentiæ.

Sed contra hoc arguitur, per hoc, quòd omnipotentia videtur propriè respicere Deum, vel personam diuinam pro obiecto. Iuxta illud Ricchardi 12. *de Trin.* vbi arguit, quòd si duo essent omnipotentes: vnus faceret alium nullipotentem, quod non sequeretur, nisi respectu omnipotentiæ in vno eorum, obiectũ esset alter omnipotens.

Cap. vlt.

Ad hoc potest dici, sicut dictum est ad argumentum Augustini quòd non tenet illa consequentia tanquam à toto in quantitate; est omnipotens: ergo est potens circa alium Deum siue circa alium omnipotentem, quia alius Deus, si poneretur, non esset obiectum omnipotentiæ propriè dictæ, sed necessariò esset à se. Sed consequentia sic tenet per locum extrinsecum. Vno modo: quia vnus omnipotens possęt sua voluntate omnia possibilia, & compossibilia producere: alius verò omnipotens posset ex sua voluntate eadem possibilia impedire: ergo ille faceret illum nullipotentem, non agendo aliquid circa ipsum: sed circa obiectum potentiæ ipsius. 35.

Si essent duo Dij, quomodo vnus faceret alium nullipotentem.

Si dicas illum cum isto in obiectis volitis vniuersaliter concordare.

Contrà, quamquam illud videatur esse pura fictio de illis, respectu quorum vtraque voluntas merè contingenter, & æquè independenter se habet: tamen ex hoc sequitur quòd ille faciat istum nullipotentem: quia non possunt esse duæ causæ totales causantes idem causatum quia vel illud bis acciperet *esse*, vel non vtraque vt distincta ab alia esset causa completa. Iste autem, qui, per te, ponitur concordare cum illo in volitis, per suam propriam voluntatem potest esse causa totalis, & completa volitorum; ergo ille non potest esse causa totalis distincta respectu eorundem Et sicut est de duobus, ita de omnibus: ergo per voluntatem illius ex parte obiectorum potest ille fieri nullipotens: hoc est non potens aliquid ponere in actum, voluntate istius præueniente, vt distincta, & totaliter causante idem.

Idem causatum non potest esse à duabus causis totalibus eiusdem ordinis.

Sed

36\. Sed contra responsiones istas datas ad auctoritates Augustini & Richardi arguitur per hoc, quòd formaliter sequitur; si Filius est omnisciens; ergo est sciens generationem Patris; & consimiliter, si est omniuolens, est volens istam generationem; ergo à simili de omnipotentia, sequitur in consequentia vera, & formali; est omnipotens, ergo est potens in generationem illam: & non tantùm gratia materiæ, sicut dicit responsio. Ægidius de Roma lib. 4. dist. 20.

Hic potest dici, quòd in omnibus istis nominibus: *omnipotens, omnisciens, omniuolens* est distributio, non actus, sed obiecti ipsius actus: ergo formaliter inferri potest de obiecto hoc, & illo: & ita de quibuscúmque obiectis actus talis: nunc autem scientiæ, & voluntatis diuinæ in quacunque persona diuina, obiectum simpliciter est actus notionalis: non sic est obiectum omnipotentiæ: igitur formaliter omnisciens, & omniuolens inferunt scire & velle actum notionalem, non sic omnipotens posse actum notionalem. Ratio illius differentiæ est, quia actus notionalis est quid scibile, & volibile: non autem simpliciter possibile, prout possibile intelligitur causabile, quia & si habeat rationem boni, & veri: non tamen rationem causabilis, & causati. *Notionale est scibile, & volibile, sed non possibile.*

COMMENTARIVS.

b AD oppositum, arguit Doctor probando, quòd non possit quouis modo demonstrari Deum esse omnipotentem, quia si hoc potest demonstrari, ergo & Deum posse generare Filium potest demonstrari; consequens est falsum; ergo. Ratio ista cum sua responsione patet hîc in litera, & in primo exposita est, d.20. vbi exposui authoritatem Augustini, vide ibi.

SCHOLIVM.

Ad argumentum secundum nu.2.adductum respondet, si hæc, Angelus est creabilis, *posset demonstrari, similiter demonstraretur Deum posse creare ipsum, iuxta quintam conclusionem, sed D.Thom.dicit, tantùm esse creditum Angelum esse creabilem. Secundò, quòd Philosophus id neget, quia posuit Intelligentias esse à se, quia posuit esse necessarias. Henricus verò ait Philosophum posuisse. Intelligentias esse infinitas, & consequenter à se.*

37\. AD aliud argumentum [c] de creatione Angelorum, concedo quòd sicut ista demonstratur, quòd Deus potest in omne causabile, mediatè vel immediatè, ita potest demonstrari in particulari, quòd possit in hoc, quando minor, mediante qua infertur talis conclusio, est euidens vel demonstrata, aliter non: quia secundùm Philosophum *primo Priorum*: Contingit scire de omni mula esse sterilem, & ignorare de hac mula: si hæc minor est ignota, scilicet *hanc esse mulam:* Nunc autem minor respectu huius conclusionis, *Deus potest causare Angelum*, est ista, *Angelus est causabilis.* Cap. 20. Thom.1. p. summæ q. 66. art. 2.

De ista autem minore dicitur, quòd tantùm est credita, & non demonstrabilis, & ideò conclusio sequens est tantùm credita: licèt maior vniuersalis sit demonstrabilis. *Hæc*, Angelus est creabilis. *secundùm D. Thom. est tantùm credita.*

Dicitur secundò, quòd ista minor neganda esset secundùm Philosophum, & ita conclusio. Posuit enim Philosophus (vt dicunt isti) omnem Intelligentiam esse simpliciter à se: quia posuit omnem Intelligentiam esse necessariam, sicut patet 12. *Metaph.* causatum autem ab alio est ex se non ens, & de se possibile; quod autem est simpliciter necesse esse, nullo modo est possibile; non ergo posuit Aristotele, ista contradictoria, scilicet Intelligentiam esse necessariam, quod planè posuit: & tamen eam esse causatam ab alio. Tex. 43.

Dicitur etiam à quibusdam, quod Aristotele, posuit Intelligentiam esse infinitam: & ex hoc sequitur etiam quòd ipsa sit à se: quia quod est ab alio, est finitum. Antecedens probatur: quia 12. *Metaph. cap.* 4. repetit ostensum esse, quòd non conuenit primum mouens habere magnitudinem: quia habet potentiam infinitam; & finitum non habet potentiam infinitam. Post illud statim in principio 5. *cap.* quærit, vtrùm ponendum sit vnam talem substantiam, aut plures: & determinat quòd plures secundùm numerum lationum: intentio ergo sua est, comparando conclusionem præcedentem ad conclusionem sequentem, quòd plures sint substantiæ sine magnitudine: quia infinitæ potentiæ. Henric. quol. 6. q. 14. Tex. 41. f. 8. Physic. Tex. 41.

Text. 43. Item cap. 5. post principium : *Palam*, inquit, *est, quia tot substantias necesse est esse natura sempiternas, & immobiles secundùm se, & sine magnitudine propter prædictam cau-*
Tex. 4. *sam in* 4. cap. scilicet habere potentiam infinitam, quia illa non potest esse in magnitudine, nec finita, nec infinita, quia nulla est.

COMMENTARIUS.

c SEcundò principaliter arguit, quia si potest demonstrari, ergo potest demonstrari Deum posse creare omne creabile, & per consequens & ipsum Angelum esse creabilem, quod est falsum, quia Philosophus posuit omnes Intelligentias esse à se, vt patet *in* 12. *Met.c.5.tex. com.*41. Vbi postquam ostendit substantiam separatam nullam habere magnitudinem per hoc medium, quia habet potentiam infinitam, & potentia infinita non potest esse in magnitudine, quærit vtrùm ponenda sit vna talis, aut plures; & determinat quòd plures. Est ergo non solùm secundùm ipsum prima substantia immaterialis, sed quæcunque infinita, & quali ratione est à se necessaria.

Respondet Doctor quòd si hæc minor scil. *Angelus est creabilis*, potest demonstrari, potest etiam demonstrari Deum posse ipsum creare. Opi. S.Thom. Sed de ista minore dicit Thomas *prima parte sum.q.66.art.2.* quòd tantùm est credita, & non demonstrabilis. Dicitur secundò, quòd ista minor esset neganda apud Philosophum, & ita conclusio. Posuit enim Philosophus, vt dicunt isti, omnem Intelligentiam esse à se. Dicitur etiam à quibusdam, quòd posuit omnem Intelligentiam esse infinitam, & sic sequitur quòd sit à se. Sed quia tota ista materia hîc est clara, & prolixè exposita partim in primo *dist.*2. scilicet illud, quomodo potentia infinita non est in magnitudine, nec per se, nec per accidens, & quomodo sequeretur quòd posset mouere in non tempore. Vide in responsione ad principalia argumenta primæ quæstionis, dist.2. partis. 1. Et illud aliud, scilicet quomodo secundùm mentem Philosophi, omnis Intelligentia (præter primam) non sit formaliter infinita, vide in primo dist. 8. q. vlt. vbi diffusè exposui istam materiam.

SCHOLIUM.

Probat contra Diuum Thomam & Henricum hanc esse demonstrabilem iuxta quintam conclusionem 1.*nu.*27.*quia non possunt esse duæ naturæ intellectuales infinitæ; & si essent à se, essent infinitæ, quia vtraque alteram intelligeret, & vellet, & sic beatificaretur in se, & in alia, & vna potentia comprehenderet duo obiecta adæquata; imò comprehenderet, quòd nullo modo esset obiectum eius, scilicet aliam naturam. Vide alias multas rationes ad hoc* 1. *d.*2.*q.*3.*&* 4. *Quod verò id sit infinitum, quod est à se, patet ex ratione allata nu.*31.

Aristotelem non posuisse Angelum esse à se: vide d. 8.q.5. Vide 1.d.8. q.5.& d.4. q. 1.

SEd quia nulli auctori imponenda est sententia falsa, vel multùm absurda, nisi habeatur expresè ex dictis eius, vel sequatur euidenter ex dictis eius: Et cùm istud, *Angelum esse ens* à se sit non tantùm falsum, sicut patet, sed etiam valdè absurdum: quia oppositum eius potest demonstrari, vt patebit; nec istud legatur expresè ex litera Aristotelis, non videtur hoc sibi rationabiliter imponi. 38.

Dico ergo de ista minori, *Angelus est causabilis*, duo opposita prædictis. Primum, quòd illa est demonstrabilis; secundùm, quòd illud fuit ab Aristotele concessum. Primum probo sic: non possunt esse duæ naturæ intellectuales simpliciter infinitæ: sed quæcunque natura intellectualis, si est à se, siue in causata, ipsa est simpliciter infinita: ergo non possunt esse plures naturæ intellectuales simpliciter incausatæ. Prima est incausata, alioquin non esset prima: ergo quælibet alia est causata.

Quære 2. d.1.q.3. vbi ponit septé vias ad probãdum Dei vnitatem.

Si essent duo infinita intellectualia, neutrum intelligeret alterum.

Prima propositio istius deductionis probatur diffusiùs in quæstione de vnitate Dei; nunc tango vnam probationem: quia vtraque illarum intelligeret alteram perfectissimè; tantùm scilicet quantum ipsa est intelligibilis, & comprehensibilis, & similiter vna diligeret aliam, quantum ipsa est diligibilis, & sic etiam vtraque seipsam comprehendit, & diligit, & ita vtraque tam secundùm intellectum, quàm secundùm voluntatem beatificatur, tam in seipsa, quàm in alia; eandem autem potentiam simul comprehendere duo obiecta adæquata infinitè est impossibile, quoniam vtrùmque obiectum toti virtuti potentiæ totaliter adæquatur: imò nec vna potentia potest habere duo obiecta æquè prima; essentia autem istius esset primum obiectum sui intellectus: non ergo essentia illius erit primum obiectum istius; sed nec erit obiectum secundarium: quia non est entitate posterius, quàm si essentia illius, cùm sit infinita sicut ista; nec per consequens est posterius ea in intelligibilitate. Potentiam etiam ita perfectè comprehendere essentiam alterius sicut propriam est impossibile, præcipuè quando natura propria non includit eminenter naturam alterius, nec dependet essentialiter ab illa altera, nec est eiusdem speciei cum illa: quæ omnia sunt 39.

vera

vera in proposito de Deo, scilicet & Intelligentia.

Secunda propositio huius deductionis, scilicet quòd natura, quæ est à se, est infinita; patet ex illo, quod dictum est suprà, qualiter Philosophus probat primum mouens esse infinitæ potentiæ, quia est à se potens: & ideò habet plenitudinem potentiæ. *Quod est à se est infinitum.*

SCHOLIVM.

Contra eosdem DD. Diui Thomam & Henricum probat fusè iuxta intentionem Aristotelem Angelum esse creabilem, adducendo varia eius loca, & refutando solutiones, quæ eis adhibentur ab aliis aliter de Aristotelis mente sentientibus. Idem probat secundùm Auerroëm, & Auicennam: de qua re etiam fusè agit 1.d.8. q.vlt. Soluit loca in contrarium adducta ex Philosopho nu. 37. per subtilissimam doctrinam. Vide multa, & præclara dubia circa hanc quæst. apud Leuch. hîc à §. In ista quæst. *&c.*

40. SEcundum, scilicet quòd Aristoteles concessit istam minorem: Probo, & primò ex intentione eius, 12. *Metaph.* Concedit enim omnia habere ordinem essentialem inter se, & magis ordinem essentialem ad vnum primum: nunc autem infinitum intensiuè non potest esse subordinatum essentialiter alicui alteri, nec sicut ad finem; quia bonum infinitum non est propter alterum bonum; bonum autem totius vniuersi vtroque modo se habet: & scilicet in ordine entium inter se, & in ordine eorum ad optimum separatum: nec infinitum potest esse subordinatum alteri principaliori, quia habet virtutem actiuam infinitam; & etiam secundùm ipsum in fine 12. *Entia non volunt malè disponi: vnus ergo princeps.* Tex. 51. & idem. *Omnia habent ordinē essentialē, & ad vnū primum secundùm, Philosophi.* Tex. vlt.

Respondetur quòd Aristoteles ordinem concessit in entibus separatis, quia secunda causa dependet à prima, licèt non sit causaliter ab ea, sicut est in speciebus numerorum, & figurarum. Hen. quol. 8. q. 9. & vlt.

Contra hoc, nihil est dependens ab aliquo in essendo, à quo non habet in aliquo genere causæ esse, & similiter de permanentia: & non obstat illud de numeris: quia numerus minor potentialiter, seu materialiter acceptus est pars maioris; pars autem habet rationem materiæ, vt habetur 5. Metaph. *partes*, inquit, *totius vt ex quo causæ sunt*, & idem ibidem. *horum autem hæc quidem quasi subiectum vt partes*: numerus verò minor actualiter, & formaliter acceptus non est pars maioris, nec ab ipso sic accepto dependet maior in essendo. *Quod dependet ab aliquo aliquomodo accipit ab eo esse.* Tex. 3.

Præterea in eodem 12. *cap.* 4. de primo mouente dicit, quòd mouet sicut appetibile, & intelligibile: huiusmodi autem mouent non mota: sic autem Deus mouet Intelligentiam sibi proximam: ergo causat *intelligere* ipsius Intelligentiæ; sed illud *intelligere*, vt isti dicunt, secundum Aristotelem est idem quod substantia Intelligentiæ. Tex. 36.

Si dicatur, quòd illud *mouere* est metaphoricum, & non propriè aliquid causare.

Contrà: omnis intellectio, quæ non est eadem obiecto causatur ab obiecto, & videtur, quòd effectiuè, secundùm Commentatorem ibi dicentem, quòd *balneum in mente mouet, vt efficiens, & vt extra mouet, vt finis.* Probatur idem secundò secundùm intentionem Aristotele 8. *Physic.* quia ibi probat, quòd mouens infinitæ potentiæ non potest immediatè mouere; cœlum mouetur: igitur immediatè ab aliquo mouente potentiæ infinitæ, illud autem est Intelligentia propria motrix: vult ergo quòd illa sit infinita, & per consequens non à se, hæc consequentia est superiùs ostensa. 12. Met. Tex. 27. & 3. de anima. Tex. 15. Com. 36. Tex. 79. *Balneum in mente mouet vt efficiens, vt extra, vt finis.*

Præterea ex eodem octauo arguitur sic: Philosophus vult ibi, quod mouens infinitæ potentiæ moueat Cœlum motu infinito, & non immediatè vt dictum est: ergo mediatè, scilicet mediante Intelligentia. Et hanc esse eius intentionem, scilicet mouens finitum mouere Cœlum immediatè, & mouens infinitum mediatè, dicit Commentator 12. *Metaph. comment.* 41. sunt igitur respectu Cœli duo mouentia ordinata. Tunc arguo sic: quandocunque sunt plura agentia essentialiter ordinata, aut secundum accipit *esse* à primo; exemplum de Cœlo & igne: aut secundum, licèt non accipiat *esse* à primo, tamen accipit aliquam influentiam exemplum. Baculus motum accipit à manu, vt possit vlteriùs mouere pilam: aut tertio modo ambo attingunt eundem effectum immediatè, sed ordine quodam, primū, scilicet principalius, & secundum minùs principaliter: tamen ipsum eundem effectū attingit. Exemplum de patre, & matre respectu generationis prolis, secundū opinionem ponentem matrem esse actiuam. Quæro ergo, quo istorum trium modorum se habent ista duo agentia Tex. 78. & inde. Idem in 1. d. 3. q. 7. in solut. qu. *Tripliciter vnum agēs subordinatur alteri.*

Huic opi. ad hæret Doctor in 4. d. 3. in 13.d.1.q.7. 2.Met.Argu. efficacissimum.

gentia in mouendo Cœlum? non tertio modo: quia statim sequitur quòd in æquali tempore; imò in eodem tempore moueat virtus finita & infinita; quia vtraque attingit motum immediatè tanquam proprium effectum. Si detur secundum, cùm nihil secundùm Aristotelem recipiat ab Intelligentia aliud ab eius essentia, habetur propositum. Si detur primum, patet quòd hoc est propositum: patet ergo, quòd Aristoteles sic intellexit ista agentia esse ordinata, quòd secundum esset à primo, & tunc primum mouet mediatè, & dat *esse*, & virtutem proximo mouenti, & quia perpetuò dat illud *esse*, & virtutem, ideò est causa perpetuitatis in motu finitas autem virtutis, quæ non est aliud à natura Angeli, est causa successionis motus: quia illi virtuti potest esse aliqua resistentia in mobili, quæ non posset esse virtuti infinitæ.

1.& 2.Cœli, & mundi, & 12. Metaph.

Tertiò probatur hoc idem ex intentione Auerrois qui de intentione Aristotelis loquens in tractatu de substantia Orbis c.3.dicit sic: *Corpus cœlestè non indiget tantùm virtute mouente in loco, sed etiam virtute largiente esse & substantiam suam & permanentiam æternam*, &c. Et pòst, *dixerunt quidam ipsum, scilicet Aristotelem non dicere causam agentem Cœlum, sed tantùm causam mouentem, & illud fuit valde absurdum*. Ita posuit Aristoteles Cœlum esse formaliter necessarium sicut Intelligentias: quia vniuersaliter omnem substantiam sempiternam dixit formaliter esse necessariam, vt patet 9. *Metaph.c.*7.est autem potentia nihil sempiternũ, &c.& 12.*Metaph.*satis habetur intentio eius de hoc *c.*5.ergo ita staret cum intentione eius quòd Deus esset causa *esse*, & substantiæ ipsius Intelligentiæ, sicut secundùm Auerroëm fuit intentio eius de Cœlo. 42.

Tex. 17. Tex. 41.

Auicenna ponit Intelligentias à Deo causatas.

Prætereà hæc est intentio Auicennæ expresè 9. *Metaph. c.*4. quòd omnis Intelligentia causata est à primo; & fortè in hoc non solùm non contradicit Aristoteli, sed explicat illud de modo & ordine productionis, quod Aristoteles non explicauit. Et si dicatur Aristotelem posuisse omnem Intelligẽtiam à primo immediatè productam: tunc Auicenna quantùm ad ordinem, quem ponit, contradicit ei: sed ad propositum, quòd Intelligentia sit producta habetur concordia. De modo autem illius causationis satis haberi potest ex intentione Auicennæ, quo ad hoc, scilicet quòd non posuit eam per motum, vel mutationem, vel cum aliqua nouitate, sed quod totum *esse* Intelligentiæ semper esset à primo, & in diuersitate essentiæ, sicut nos ponimus, quòd filius est à patre semper in eadem essentia, & sicut secundùm Arist. sempiternum est lumen in illis corporibus perspicuis, quæ nunquã cadunt in vmbra alicuius corporis, scilicet corporum causantium vmbram in vniuerso, & tamen illud lumen perpetuum in corporibus illuminatis poneretur à Sole effectiuè: non enim lumen illud diceretur à se formaliter: quia tunc non esset eiusdem rationis cum lumine in illa parte, quæ aliquando non illuminatur: nam illud lumen cùm sit nouum, certum est, quòd causatum est à Sole, quod autem causatum est, non est eiusdem rationis cum eo, quod est à se.

12. Cœli, & 1. Metheo.c.3.

Quæ sunt necessaria, non ideò secundùm Arist. sunt incausata.

Vide lib.1. q.5.

Quando ergo probatur secundùm intentionem Aristoteli, Angelum non esse causatum, quia secundùm ipsum est formaliter necessarium. 43.

Tex. 4.

Dico, quòd ipse non posuit ista inter se repugnare causatum & formaliter necessarium: cùm dicat 2.Metaph.*sempiternorum principia semper esse verissima necesse est, quia sunt aliis causa veritatis*. Sempiterna ergo, quæ ipse posuit formaliter necessaria, concessit principia habere.

Tex. 5.

Item 5.Metaph.cap.de Necessario, *nihil prohibet necessariorum quorundam esse alteras causas*. Hoc etiam patet in veritatibus principij, & conclusionis: si tamen principium sit causa conclusionis in essendo verum.

Negatio essendi à se potest competere necessario.

Cùm arguitur, causatum est de se non ens, sed possibile esse propriè. Dicendum esset, quòd non est de se ens, vel magis non est à se ens: ita quòd causato non oportet quòd competat aliqua non entitas, sed negatio modi essendi, qui est à se esse; & ista negatio est compossibilis necessario, licèt negatio entitatis non sit cõpossibilis ei.

Causatio & nouitas non necessariò connectuntur, secundùm Philosophum nec etiam aliquos Theol. de quo 2. d.1.q.3.

Quod etiam dicitur, quòd causatum est de se posibile, si intelligitur de potentia, quæ est differentia entis opposita actui; talis potentia non necessariò inuenitur in causato, nisi quod causatur cum nouitate; non autẽ necessarium fuit apud Aristotelem connexio causationis, & nouitatis, sicut nec apud illos Theologos, qui dicunt Deum posse produxisse aliquid ab æterno; est tamen omne causatum posibile, hoc est, obiectum potentiæ causatiuæ, sed † ista posibilitas, licèt repugnet necesitati à se, non tamen, secundùm Aristotelem repugnat necesitati formali.

Ad aliud, cùm imponitur Aristoteli de infinitate Intelligentiæ, oppositum est verum: & etiam in se demonstrabile, & ostensum est priùs, quòd sit de eius intentione.

Ad

Ad illas ergo auctoritates eius pro hoc adductas. Tex. 41.

Ad primam, conclusio vltima 4.c. non est illa, quòd primum est sine magnitudine: quia infinitæ potentiæ, sed post illam sequitur alia conclusio, quasi recitata, vt priùs ostensa, scilicet *quod est impassibilis, & inalterabilis. Omnes enim alij motus sunt posteriores illo, qui est secundùm locum.* Hæc ille. Non est autem illa substantia mobilis secundùm locum: quod probari potest ex præhabitis ibi, & tunc concludit; ergo non est mobilis aliquo posteriori motu, & ita inalterabilis. Et tunc sequitur principium 5. c. *vtrùm autem vnam talem*, &c. Ità quòd tàlis ista refertur ad *esse* inalterabile; de quo immediatè præcessit sermo. Non autem refertur ad *esse*, potentiæ infinitæ, de quo fuit sermo in præcedente §. quæ enim continuatio esset sermonis, quòd *esse* tale referatur ad conditionem priùs habitam mediatè, & non ad illam, quæ priùs immediatè habetur? Vel posset dici, quòd si tale referatur ad illam conditionem mediatè propositam, referenda est ad illud quod fuit in conclusione, scilicet non habere magnitudinem, & concedo quòd plures sunt tales sine magnitudine, sicut plures sunt inalterabiles, & impassibiles.

Tex. 49. ad authoritates positas n. 37.

Tex. 42.

Ad aliam auctoritatem dico, quòd negatio potest per tot media propter *quid* de aliquo concludi, quod possunt esse in ipso causæ repugnantiæ ad affirmationem oppositam. Et si aliquid vnum sit causa adæquata repugnantiæ, illud erit medium adæquatum ad ostendendum talem negationem: infinitas autem intensiua est vna causa repugnantiæ ad habere magnitudinem: sed non adæquata; habere autem intellectualitatem sine materia est ratio adæquata. Ista autem duo oportet coniungi, scilicet intellectualitatem, & immaterialitatem ad habendum medium sufficiens, quia sicut non sufficit intellectualitas sola secundùm mentem Aristotelis sicut patet in homine; Sic nec immaterialitas: sicut patet in Cœlo.

Infinitas non est causa adæquata repugnantiæ ad magnitudinem.

45. Ad istam ergo auctoritatem dico, quòd non habere magnitudinem potest concludi ex infinitate potentiæ, & sic concluditur ibi. *cap. 4. conclusione penul.* & etiam concluditur 8. Physic. Potest etiam concludi ex alio, scilicet immaterialitate cùm intellectualitate. Purum enim intellectuale non potest habere magnitudinem: quia forma intellectualis non est extensibilis; sed si aliquod intellectuale sit quantum, habet materiam, quæ perficitur à forma intellectuali, & tunc recipit quantitatem, non ratione intellectualitatis, sed ratione materialitatis, quam perficit forma intellectualis, sicut est in homine. Hæc ergo est vera: *natura habens infinitam potentiam non habet magnitudinem*: & hæc, *natura intellectualis non habens materiam non habet magnitudinem.* Ibi ergo versus finem 4.*c.* probatur, non habere magnitudinem per habere potentiam infinitam: sed illud non est medium adæquatum respectu prędicati: ibi autem *c.* 3. post principium habetur de substantiis immobilibus, quòd oportet eas esse sine materia, sempiternas enim eas esse oportet. Et si aliquid est actu sempiternum; ergo actu sine materia, & postea in principio 4. *cap.* habetur, quomodo istæ substantiæ mouentes sunt naturæ intellectuales.

Tex. 141. Tex. 28. *Purum intellectuale caret magnitudine.* Tex. 41. Tex. 30. Tex. 36.

Ex istis habetur secundum medium ad remouendum magnitudinem, quod est *esse* intellectuale sine materia, & istud est medium adæquatum respectu prædicati: quando ergo dicitur *c.* 4. quòd oportet tot substantias esse sine magnitudine, propter causam prædictam; hoc debet intelligi de illa causa adæquata, quæ scilicet est intellectualitas sine materia, quæ dicta est in principio tertij capituli, & in principio quarti capituli, non autem debet referri ad illam proportionem, quæ tacta est in fine de infinitate potentiæ. Nec hoc videtur destruere sententiam literæ, cùm intellectualitas immaterialis sit propria causa; imò adæquata respectu prædicati; hoc autem, quod est habere infinitam potentiam, vel non est eius causa, vel non adæquata: quia prędicatum omni Intelligentiæ conuenit, medium autem conuenit soli Deo, Cui honor est & gloria in sæcula sæculorum.

Tex. 43. Tex. 30. Tex. 36.

COMMENTARIVS.

IN ista quæstione occurrunt nonnulla dubia. Primò in hoc, scilicet *aliquod verum necessarium non euidens ex terminis, habet necessariam connexionē ad aliquod verum acceptum ab effectu.*

Secundò, in hoc: *prima principia euidentia ex terminis nō possunt demōstrari demōstratione* quia.

Tertiò in hoc: *aliquod verum acceptum ab effectu, potest esse euidens, & aliquod verum acceptum à causa non euidens erit.*

Quartò in hoc, *Deum esse omnipotentem, tam mediatè, quàm immediatè potest demonstrari demonstratione* propter quid.

Quintò in hoc, scilicet quòd *omne verum necessarium est mediatum, vel immediatum.*

Sextò

Sextò in hoc, quòd *viator potest habere conceptum simplicem, virtualiter continentem omnem veritatem necessariam de Deo, & omnem contingentem de possibili non de actu; Et per illum potest demonstrare omnem illam veritatem de ipso Deo, & per consequens potest* propter quid *demonstrare Deum esse omnipotentem, tam immediatè, quam mediatè.*

Septimò in hoc, scilicet, quòd *de Deo potest haberi cognitio abstractiua, & distinctissima.*

Octauò, in hoc: *viator ex puris naturalibus, non potest demonstratiuè,* propter quid *cognoscere istam:* Deus est omnipotens.

Nonò in hoc, scilicet *conditio imperfecta non potest inesse alicui enti, nisi alicui enti insit conditio perfectior, cùm imperfectum dependeat à perfecto.*

Decimò in hoc quòd *ad demonstrandum* propter quid *Deum esse omnipotentem, non sufficit scire, quòd in primo ente est voluntas perfectissima, sed requiritur quòd illa in se cognoscatur distinctè.*

Vndecimò in hoc, quòd *quamuis diuina essentia sit summè simplex, tamen conceptus eius non est simpliciter simplex.*

Duodecimò in hoc, *Deus non potest causare relationem nisi priùs, vel duratione, vel natura causet fundamentum, & ita non potest in quemcumque effectum immediatè.*

Tertiodecimò dubitatur de hac consequentia, scilicet *non habent actiones proprias, nec actualiter, nec aptitudinaliter, nec virtualiter, ergo non habebunt proprias essentias.*

Quartodecimò, *Deum habere omnipotentiam, immediatè respectu cuiuscunque causabilis, licèt sit verum, non tamen nobis est demonstrabile* demonstratione quia.

Quintodecimò in hoc, quòd *Deum esse omnipotentem saltem mediatè est nobis demonstrabile* demonstratione, quia, *& via naturali.*

Sextodecimò dubitatur de hoc, scilicet *nihil enim habetur limitatè in aliquo, nisi habeatur ab aliquo agente, determinante illud ad certum gradum.*

Decimoseptimò, dubitatur de ista consequentia *primum mouens mouet à se, ergo est infinitum intensiuè.*

Decimooctauò, dubitatur de hac consequentia, *est infinitum intensiuè, ergo est omnipotens*, videtur enim quòd consequentia sit vera.

14. *Obiectiones contra primũ dictum.* Contra primum dictum instatur: primò, supponendo aliquod verum sumptum à causa, etiã necessarium, & tale habere necessariam connexionem ad verum necessarium sumptum ab effectu, sicut etiam Doctor supponit, vt patet in litera. Tunc arguo sic: primò, nullum prius essentialiter habet necessariam connexionem ad posterius essentialiter: hoc patet, quia prius essentialiter nullo modo dependet à posteriori essentialiter, & non repugnat, posse esse sine posteriori. Sed verum sumptum à causa est prius essentialiter vero sumpto ab effectu; patet, quia sicut prior est causa essentialiter effectu, ita verum sumptum à causa erit prius essentialiter.

Secundò instatur: Si euidentia veri sumpti à causa dependet ab euidentia veri sumpti ab effectu, sequitur quòd verum sumptum ab effectu, vel notitia talis veri virtualiter, contineat verum sumptum à causa, & sic effectus virtualiter continebit causam, vel si notitia veri sumpti ab effectu, continet notitiam euidentem veri sumpti à causa, sequitur quòd imperfectius continebit virtualiter perfectius, cum notitia euidens veri sumpti ab effectu sit imperfectior notitia euidenti veri sumpti à causa.

Tertiò instatur sic: Si aliquod verum sumptũ à causa habeat necessariam connexionem, quo ad euidentiam ad aliquod verum sumptum ab effectu, ergo nullus intellectus poterit euidenter cognoscere tale verum, nisi priùs cognoscat verum acceptum ab effectu, ita quòd talis cognitio veri accepti ab effectu, det illi intellectui notitiam euidentem respectu veri sumpti à causa.

Quartò instatur: omne verum sumptum à causa necessariò est magis euidens vero sumpto ab effectu. Hæc enim est magis euidens, *homo est animal rationale*, quàm ista, *homo est risibilis.* Similiter ista. *Reubarbarum est. A.* accipiendo per *A.* causam, quàm ista, *Reubarbarum est purgatiuum cholere*, verum sumptum à causa nullã connexionem habet ad verum sumptum ab effectu, sic, quòd habeat euidentiam ab illo.

Respondeo præmittendo aliqua: primò, quòd aliud est loqui de intellectu nostro, ex natura intellectus, scilicet considerando ipsum absolutè; & aliud est loqui de intellectu nostro, vt pro statu isto. Primo modo non dependet à sensibus in cognoscendo, sed benè secundo modo, vt patet à Doctore *in 1. dist. 3. q. 3.* Secundò præmitto, quòd verum acceptum ab effectu, prout nunc loquitur, conclusio est verum euidens acceptum per sensum, & experientiam, & sic operatio facit nos cognoscere formam, quæ operatio est effectus formæ, quæ forma facit cognoscere materiam, vt patet *primo Phys.* Nam per experientiam est notum quod reubarbarum purgat choleram, & sic ex multis singularibus notis per experientiam, & per sensum infertur ista vniuersalis vera per experientiam, & per sensum infertur ista vniuersalis vera per experientiam, scilicet *omne reubarbarum est purgatiuũ choleræ.* Deinde inuestigatur causa huius, quare, scilicet sit purgatiuum choleræ, & dicatur. *A.* & tunc ista, *reubarbarum est. A.* erit euidens per istam, *omne reubarbarum est purgatiuum choleræ*, & hoc modo ista sumpta à causa, scilicet *reubarbarum est. A.* vel similiter ista, *omne. A.* accipiendo. *A.* pro causa adæquata, & conuertibili, *est purgatiuum choleræ* dependet aliquo modo ab ista euidenti per experientiam. *15. Responsio ad omnes obiectiones.*

Tertiò præmitto, aliquod verum habere connexionem necessariam ad aliud verum, potest multipliciter intelligi. Primò, quòd sit simpliciter impossibile cognoscere, puta istam. *A. est purgatiuum choleræ*, nisi priùs cognoscatur, quòd reubarbarum est purgatiuum choleræ. Secundò, quòd sit tantùm impossibile pro statu isto, & de lege communi. Tertiò, quòd cùm dicit, habet necessariam connexionem, id est quòd euidentia huius. *A. est purgatiuum choleræ*, habet necessariam connexionem ad hanc euidentem per experientiam, scilicet *omne reubarbarum est purgatiuum choleræ*, & talis connexio potest dupliciter intelligi: primò, quòd notitia euidens huius, *omne reubarbarum*, immediatè causet in intellectu notitiam euidentem huius. *A. est purgatiuum choleræ.* Secundò, quòd non causet, sed quòd tantùm præexigatur, sic, quòd intellectus

intellectus pro statu isto nō possit habere hāc, vt euidentem. *A. est purgatiuum cholera*, nisi priùs euidenter nouerit istam, *reubarbarum est purgatiuum cholera*, qua nota inuestigando deuenit ad notitiam huius, scilicet. *A. est purgatiuum cholera*, quia inuento vero accepto ab effectu, inuestigando peruenit ad notitiam veri accepti à causa ad notitiam, dico euidentem, talis qualis haberi potest euidens pro statu isto.

16. *Ad primam instantiam.* His præmissis respondeo ad instantias, ad primam dico, quòd etsi prius inesse non dependeat aliquomodo à posteriori essentialiter, potest tamen aliquomodo dependere à posteriori in *cognosci*, non quòd posterius causet immediatè notitiam prioris essentialiter, quia tunc sequeretur quòd posterius essentialiter, virtualiter contineret entitatem prioris, vt patet à Doctore *in primo dist. 3. q. 1. dist. 8. q. 1. in 2. dist. 3. q. 10. & in quolib. q. 14. artic. 2.* sed dicitur dependere, quia pro statu isto necessariò præexigit notitiam illius; nam quia video talem passionem, deuenio in notitiam subiecti, & tandem in notitiam causæ. Hoc modo verum acceptum à causa habet necessariam connexionem ad aliquod verum acceptum ab effectu, & quasi arguitiuè per verum necessarium euidēs, acceptum ab effectu deuenio in notitiam euidentem veri accepti à causa.

Ad secundam. Ad secundam patet, quòd argumentum benè concluderet, si notitia euidens veri accepti à causa, esset verè causata à notitia euidenti veri, accepti ab effectu. Sed non sic habet necessariam connexionem, sed tantùm præexigit, ita quòd immediatè non posset deuenire in euidentem notitiam, nisi priùs haberet euidentem notitiam veri accepti ab effectu, & per experientiam noti.

Ad tertiam. Ad tertiam dico, quòd conclusio non intelligitur de vero, vt comparato ad intellectum ex natura intellectus, qui non necessariò dependet à cognitione per viam sensus, sed intelligitur de vero, vt comparato ad intellectum coniunctum sensibus, & simpliciter pro statu isto, & hoc loquendo de necessitate, quia benè intellectus solutus potest per verum acceptum ab effectu deuenire in notitiam euidentem veri necessarij accepti à causa, sed non necessariò, sic, quòd aliter non possit cognoscere verum acceptum à causa. Et de hoc vide Doctorem *in tertio dist. 2. & in 4. dist. 45.*

Ad quartam. Ad quartam dico breuiter, quòd omne verum acceptum à causa est euidentius vero accepto ab effectu, & hoc ex natura talis veri; & comparando etiam ipsum ad intellectum solutum. Sed comparando ad intellectum coniunctū, & pro statu isto, dico quòd non est sic. Dico secundò, quòd quia pro statu isto verum necessarium sumptum à causa non potest euidenter cognosci, non præcognito vero necessariò euidenti per experientiam, vero, dico accepto ab effectu, sed non è contra, quia potest cognosci per experientiam euidentem verum necessarium sumptum ab effectu, non præcognito vero accepto à causa, ideò quantùm ad hoc potest dici euidentius, non tamen absolutè euidentius, quia postea per verum acceptum à causa, potest euidentius cognosci *propter quid* verum acceptum ab effectu, vt patet.

17. *Contra secundum.* Contra secundum dictum, quod tale est, *prima principia euidentia ex terminis non possunt demonstrari demonstratione* quia, instatur primò, quia illa propositio est euidens ex terminis, in qua passio prædicatur de definitione, vt ista, *animal rationale est risibile. A.* est purgatiuum choleræ. Hoc patet per Doctorem *in primo dist. q. 2. prima partis, & dist. 3. q. 4.* & tamen hæc potest demonstrari demonstratione *quia*, arguendo ab effectu sic; omnis homo est risibilis; omne animal rationale est homo, ergo omne animal rationale est risibile.

Secundò instatur sic: supponendo quòd illa propositio sit per se nota, quæ includit subiectum vt causam adæquatam præcisam prædicati, & conuertibilem cum ipso prædicato; patet, quia cognitis terminis, statim est euidens, & tamen illa potest verè demonstrari demonstratione *quia*. Hoc patet, quia pro statu isto primò procedimus per viam sensus, & ab effectu deueniendo in notitiam causę. Priùs enim cognosco hominem esse risibilem, quàm cognoscam animal rationale esse risibile, tunc sic: per hominem risibilem, siue per notitiam huius deuenio in notitiam huius, *animal rationale est risibile*; ergo per illam demonstratur ista demonstratione *quia.*

Tertiò, quia Doctor in hoc sibi contradiceret, vbi vult quod verum aliquod acceptum à causa, & necessarium, habeat euidentiam à vero necessario sumpto ab effectu; ergo demonstratur demonstratione quia. Sed communiter verum necessarium sumptum à causa, loquendo de causa immediata, & adæquata, & præcisa, & conuertibili, est per se notum, saltem ex natura sua; ergo.

Quartò instatur, quia tunc videretur perire omnis doctrina de demonstratione *quia* posita ab Aristotele primo Posteriorum, primo Physi. primo Metaphy. vbi vult quòd per effectum demonstretur causa, & communiter propositio explicans subiectum, vt causam adæquatam prædicati est per se nota, vt etiam patet à Doctore *in primo dist. 2. q. 2.*

Respondeo, præmittendo aliqua pro maiori declaratione conclusionis. Primò, quòd aliquæ sunt propositiones omnibus per se notæ terminis apprehensis, vt illæ quæ constituuntur ex terminis communissimis, vt *de quolibet dicitur esse, vel non esse, & de nullo ambo eorum simul*, quæ principia sunt nota terminis apprehensis, sicut ianua in domo, quæ neminem latet, & talia principia per se sic nota nullo modo demonstrantur. nec demonstratione *propter quid*, nec *quia*. Aliæ sunt propositiones per se notæ, non constitutæ ex terminis communissimis, & istæ sunt in duplici genere; quædam sunt per se notæ terminis confusè apprehensis, & etiam terminis distinctè conceptis, vt ista: *Si ab aqualibus aqualia demas, remanentia erunt aqualia* (quæ est vna petitio Euclidis in principio Mathematico) erit per se nota terminis, tantùm confusè acceptis, & Metaphysico erit per se nota terminis distinctè cognitis. Hoc patet à Doctore *in primo dist. 2. parte prima q. 1. & dist. 3. q. 4.* & talis propositio, quæ est per se nota, terminis confusè acceptis non potest demonstrari. Puta Mathematico, cùm illam habeat per se notam ex ex sola apprehēsione terminorum confusè cognitorum: Nec similiter Metaphysico vt Metaphysicus (quod replico, quia Metaphysicus cognoscit distinctè, quod aliæ scientiæ appre- 18. *Quomodo aliqua propositiones sunt per se nota.*

hendunt confusè, vt patet à Doctore *in primo vbi suprà*) non erit demonstrabilis demonstratione *quia*, cùm ipsam ex notitia distincta terminorum habeat per se notam. Quædam verò sunt per se notæ ex sola cognitione distincta terminorum, & nullo modo ex cognitione confusa terminorum vt ista, *animal rationale est risibile*, vt patet à Doctore *vbi supra*, & ista similiter, vbi superius prædicatur de suo inferiori, vt exposui in primo *dist.2.q.2.* ibi etiam improbaui positionem Gregorij de Arimino. Et tales propositiones, quæ nullo modo sunt per se notæ cognitione confusa terminorum possunt demonstrari demonstratione *quia*; id est quòd per notitiam propositionis sumptæ ab effectu possum deuenire in notitiam propositionis sumptæ à causa, ita quòd primò deuenio in notitiam confusam, qua habita postea per inuestigationem possum deuenire in notitiam distinctam terminorum, & sic tandem habere illam vt per se notam ex distincta notitia terminorum. Et fortè Doctor sic intelligit.

Quomodo quædam propositiones sũt per se notæ, ex sola cognitione distincta terminorum.

19. Dicerem ego, quòd nulla propositio per se nota ex terminis communissimis (qui termini secundùm Auicennam in sua Metaphysica statim sunt impressi in anima) potest demonstrari demonstratione *quia*, cùm sit communis animi conceptio. Nec similiter illa propositio, quæ statim est per se nota terminis confusè cognitis, vt ista: *omne totum est maius sua parte*. est demonstrabilis demonstratione *quia*. Sed illæ propositiones, quæ nullo modo sunt per se notæ terminis confusè acceptis, sed tantùm terminis distinctè conceptis, sunt demonstrabiles demonstratione *quia*, non quòd demonstretur mihi ista, *animal rationale est risibile*, terminis à me distinctè conceptis, quia vt sic, esset mihi nota per se ex sola terminorum apprehensione. sed si ego dubito quòd animal rationale sit risibile, terminis sic confusè conceptis, potest mihi fieri euidens, puta per istam mihi per experientiam notam; *omnis homo est risibilis*, & sic ero certus de ista: *animal rationale est risibile*, terminis tamen confusè conceptis. Non tamen dico quòd notitia huius, *homo est risibilis*, causet nec totaliter, nec partialiter notitiam euidentem huius, *animal rationale est risibile*, conceptæ, sed quòd habita notitia illa in inuestigando, & arguitiuè inuenio quòd animal rationale est primò risibile, & quòd animal rationale est causa immediata risibilitatis, & tandem possum deuenire in notitiam distinctam terminorum. An modo pro statu isto talis notitia distincta possit naturaliter haberi, non est præsentis speculationis. Ex his patet responsio ad instantias, tenendo quòd aliqua propositio, quæ ex se est per se nota, & cuicunque intellectui concipienti terminos, distinctè possit demonstrari alicui intellectui concipienti terminos confusè, & dubitanti de veritate illius vt confusè conceptæ. Et hoc modo intelligendo, valent instantiæ, quas admitto, nec credo eas esse contra conclusionem Doctoris, quia absolutè loquitur, quòd nulla propositio per se nota alicui intellectui est demonstrabilis illi demonstratione *quia*, cùm habeat illam per se notam ex sola notitia terminorum. non negaret tamen, quòd aliqua quæ esset per se nota terminis distinctè conceptis, possit demonstrari alicui intellectui concipienti illam tantum confusè & dubitanti de illa, vt sic confusè concepta: imò simpliciter pro statu isto omnis talis, quæ non est constituta ex terminis communissimis, nec est per se nota terminis confusè conceptis, sed tamen terminis distinctè conceptis est demonstrabilis, quia nec potest habere immediatè notitiam confusam de causa, cùm illa pro statu isto, non sit primo nota. Primò enim cognoscitur homo, quàm cognoscatur animal, loquendo de cognitione confusa, vt patet à Doctore *in primo, dist.3.q.2.* nec per consequens hæc erit primo nota, puta *A. est purgatiuum cholera.* si sit nota per aliam acceptam per experientiam, & ab effectu, vt suprà dixi. Hæc omnia quæ dixi ad hanc materiam pertinentia non videantur, nec iudicentur esse contra mentem conclusionis, sed subtiliter ponderentur.

Responsio ad instantias.

Contra tertium dictum, non oportet aliter instare, cùm possit esse notum ex dictis suprà. 20.
Tamen aliqualiter expono ipsum, quia multipliciter potest intelligi: primò potest intelligi sic, quòd verum acceptum cùm non sit euidés, loquendo de causa immediata, & adæquata prædicati, sicut hîc, *rationale est risibile*, hoc verum terminis distinctè conceptis est statim euidens, & hoc modo non intelligitur dictum Doctoris, sed hoc verum terminis confusè conceptis pro statu isto, non est euidens ex cognitione sola terminorum, sed potest fieri euidens per verum necessarium acceptum ab effectu, vt suprà exposui. Secundò, potest intelligi de vero, cuius subiectum non est causa immediata, & adæquata prædicati, vt hîc, *Sol est causa vermis*, & tale verum potest fieri euidens per effectum. Similiter verum acceptum ab effectu potest intelligi euidens, vel ex sola terminorum notitia, vt ex sola notitia huius *Reubarbarum est purgatiuum choleræ*, & hoc modo tale verum est immediatè euidens. Sed si sit notum per experientiam plurium singularium illius vniuersalis, s. *omne reubarbarum est purgatiuum choleræ*, quæ fiat nota, & euidens per experientiam singularium, puta quia experitur quòd hoc reubarbarum purget choleram, & similiter hoc, & sic de aliis, tunc talis vniuersalis sumpta ab effectu erit euidens. Et de huiusmodi, vide Doctorem *in primo dist.3.quæst.4.* & quæ ibi exposui, & notaui.

Expositio tertij dicti.

Contra quartum dictum, quod tale est, scilicet *Deum esse omnipotentem, tam mediatè, quàm immediatè, est verum demonstrabile* propter quid. 21.
Instatur primò, nullus respectus rationis potest *propter quid* demonstrari de ente absoluto, sed omnipotentia, cùm dicat respectum ad extrà, vt patet per Doctorem, est respectus rationis, quia omnis respectus Dei ad extra est simpliciter respectus rationis, vt patet à Doctore *in primo dist.30.* & in secundo, & specialiter hîc. Maior est nota, quia nullus respectus rationis virtualiter includitur in ente absoluto, cùm non oriatur ex natura rei. Si dicatur quòd omnipotentia accipitur, non in actu, sed in potentia, siue in aptitudine, id est, quòd potest demonstrari Deum posse causare omnia causabilia, tam immediatè, quàm immediatè. Contrà, quia aptitudo ad extrà dicit tantùm respectum rationis, vt patet à Doctore *in quolib.q.6.* vbi dicit de æternitate, prout dicit potentiam, siue aptitudinem coëxistendi omni existentiæ ad

Contra quartum dictum.

ad extrà est respectus rationis, ergo sic erit in proposito.

Secundò instatur sic, quia omnipotentia, quæ de Deo demonstratur, aut accipitur formaliter pro significato, puta pro relatione ad extrà etiã aptitudinali? aut accipitur pro connotato, siue pro fundamento immediato talis respectus, aut tertiò accipitur pro aggregato ex fundamento, & respectu illo: Quocunque modo accipiatur: patet quòd omni potentia non est *propter quid* demonstrabilis de Deo. Non primò, quia, vt dixi, respectus rationis non potest *propter quid* de Deo demonstrari. Non secundò, quia vt sic, accipitur pro voluntate diuina. Non tertiò, quia est vnum per accidens, & nullum tale est *propter quid* demonstrabile de aliquo.

22. *Quomodo omnipotentia demonstretur de Deo.*

Tertiò instatur, quia si omnipotentia demonstratur de Deo, debet assignari aliquod medium in tale demonstratione. Sed dicit Doctor quòd est voluntas diuina. Contrà, tum, quia aptitudo ad causandum omnia, tam mediatè, quàm immediatè, inest Deo, etiam per possibile, vel impossibile, circunscripta voluntate, ergo ipsa non est medium *propter quid,* quia tale non potest circunscribi, manente passione demonstrabile *propter quid*, cùm illud sit causa immediata, & adæquata talis passionis. Probatur antecedens, quia circunscripta voluntate ab essentia diuina, cùm ipsa non ponatur de intrinseca ratione ipsius, vt patuit *in 1. q. & hic,* loquendo vt est potentia volitiua, vt *ibi* exposui, adhuc manente essentia, & omnibus quæ sunt de intellectu eius, sicut existentia, erit potens causare omnia, tam mediatè, quam immediatè, cùm vt sic, sit infinita formaliter, quia infinitas est gradus eius intrinsecus, vt patuit. *q. 5.* si ergo talis aptitudo inest circunscripta voluntate, ergo non demonstratur *propter quid* per voluntatem, & nullum aliud medium assignatur à Doctore. Tum; quia si ipsa ponatur medium, tunc sequitur quòd Deitas, vt Deitas non erit ratio formalis demonstrandi omnia necessaria de Deo, quod est falsum, quia ipsa ponitur ratio formalis demonstrandi omnem veritatem necessariam, vt patet *in prologo. q. 3.*

Infinitas est gradus intrinsecus.

Quartò instatur, quia si est demonstrabile *propter quid* omnipotentia de Deo, talis aptitudo erit in Deo necessariò ab æterno, ergo potuit ab æterno reduci ad actum, aliter talis potentia causatiua omnium non foret perfecta, quod non est asserendum: ergo ab æterno potuit mundum creare, & tamen Doctor *in 2. dist. 1. q. 3.* hoc non asserit, sed vtramque partem, sustinet, scilicet, & illam quæ dicit esse simpliciter impossibile aliquid ab æterno posse causare, & aliam similiter quæ dicit non esse impossibile Deo. Et tamen si est verum demonstrabile *propter quid,* oportet aliquid creare.

23. Quintò instatur, repugnat Deo posse immediatè causare omnia causabilia; ergo hoc non est demonstrabile *propter quid.* Consequentia nota. Antecedens probatur, quia causabilia sunt infinita numeraliter, nam infinita indiuidua possunt esse in eadem specie, cùm species sit communicabilis infinitis singularibus; ergo si immediatè respicit illa, sequitur quòd simul potest illa causare, cùm æquè immediatè se habeat ad omnia, sed infinita posse esse in actu est impossibile; ergo.

Sextò instatur, quia si potest immediatè causare omnia causabilia, ergo potest causare immediatè quamlibet partem continui; ergo potest causare primam partem illius continui, quæ est causabilis, cum quælibet pars sit vere causabilis, & sic alicuius continui posset dari prima pars, quod est impossibile, vt patet à Doctore *in 2. dist. 2.*

Respondeo ad istas instantias. Ad primam, dico, quòd demonstratur de Deo quòd potest causare omne causabile, siue illud posse, vel aptitudo sit ex natura rei distincta à Deo, siue sola ratione; ista enim distinctio pro nunc non est disputanda, quia non facit ad propositum. Et posito quòd demonstretur aptitudo, siue potentia ad causandum omnia immediatè, & quòd talis aptitudo sit distincta aliquo modo à Deo, tunc dico quòd non est respectus rationis accipiendo respectum rationis pro causato, vel derelicto per actum comparatiuum intellectus, vel alterius potentiæ collatiuæ; sed potest dici talis aptitudo respectus rationis pro quanto terminatur ad aliquid extrà, sicut etiam intellectio diuina, etsi in se sit entitas realis, & absoluta, tamen vt terminatur ad lapidem cognitum, talis terminatio potest dici respectus rationis, sic in proposito. Cùm dicitur, quòd *respectus rationis non includitur virtualiter,* &c. Dico, quòd verum est de relatione rationis causata per actum collatiuum alicuius potentiæ, sed non est verùm de aptitudine, quæ oritur ex natura rei, sicut etiam aptitudo ad ridendum non est relatio realis propriè, vt aliàs patuit; sed dicitur relatio rationis, quia actu non terminatur ad ens reale, sicut etiam relatio, quæ fundatur in ente reali, & terminatur ad nihil; dicitur relatio rationis, non tamen per actum potentiæ collatiuæ fabricata. Sic dico in proposito, quòd aptitudo ad causandum, tam mediatè, quàm immediatè omnia causabilia, inest Deo ex natura rei, quæ tamen aptitudo non dicitur relatio propriæ rationis. Dico vltra quòd aptitudo ad causandum omnia causabilia, potest dupliciter considerari. Vno modo absolutè, alio modo vt terminatur ad obiecta extrinseca. Primo modo inest ex natura rei, & potest dici realis; secundo modo includit respectum rationis ad extrà. Et sic patet, quomodo talis aptitudo potest propter quid demonstrari de Deo.

Responsio ad instantias ad primam.

Aptitudo potest dupliciter considerari.

Ad secundum. Dico, quòd omnipotentia quæ de Deo demonstratur, accipitur pro potentia, vel aptitudine ad causandum omnia causabilia, accipiendo aptitudinem modo præexposito. Demonstratur enim *propter quid,* quod Deo inest aptitudo ad causandum omnia, id est quòd aptitudo, quæ respicit omnia causabilia, potest demonstrari de Deo *propter quid.* 24.

Ad secundã. Omnipotentia quomodo accipiatur.

Ad tertium. Dico, quòd medium ad hoc demonstrandum est voluntas diuina, & talis aptitudo præcisè inest per voluntatem. Cùm dicitur, quòd *circunscripta voluntate aptitudo inest,* negatur. Cùm probatur per hoc, quia adhuc consideratur Deus, vt infinitus, ergo, vt potens causare omnia. Dico primò, quòd circunscripta ratione voluntatis non erit amplius Deus. Dico secundò, quòd voluntas est immediatior Deo, quàm illud posse. Dico tertiò, & magis ad rem, quòd ratio formalis causandi aliquid ad extrà est simpliciter voluntas diuina, quæ sola contingenter causat, & ipsa remota est impossibile Deo aliquid causare propter implicatio-

Ad tertiam.

Voluntas diuina est ratio causandi aliquid ad extra.

nem contradictionis, implicat enim quòd causa prima agens simpliciter necessariò, & per modum naturæ, causet aliud à se in essentia, quia tunc causaret simul necessariò, & contingenter: necessariò, quia per modum naturæ; contingenter, quia aliud in natura. Hoc patet à Doctore *in primo dist.8. quæst.vltima, & in secundo.dist.1.q.3.* medium ergo ad demonstrandum *propter quid*, Deum esse omnipotentem est voluntas. Cùm vltrà infertur, quòd tunc Deitas non poneretur ratio formalis demonstrandi omnes veritates necessarias. Dico primò, quòd ponitur ratio formalis respectu illarum veritatum, quæ non includunt respectum ad extrà. Dico secundò, quòd ratio immediata est voluntas, & propinqua, sed remota est Deitas; & sic vltimatè omnes veritates attribuuntur Deo sub ratione Deitatis, vt patet à Doctore *in prolog.q.3.*

Ad quartam Ad quartum. Dico primò, quòd Doctor videtur declinare ad hoc, quòd sit demonstrabile, Deum posse producere ab æterno, vt patet intuenti rationes, & responsiones Doctoris. Dico secundò, quòd est demonstrabile Deum posse causare omne causabile loquendo absolutè, sed non est demonstrabile, quòd possit illud causare cum tali, vel tali conditione, puta ab æterno, quia oporteret demonstrare quòd non repugnat effectui esse ab æterno, & sic posset demonstrari Deum posse illud producere ab æterno, omnipotentia enim solùm respicit possibile. Isti ergo qui dicunt quòd Deus non potest aliquid causare ab æterno, dicunt propter hoc, quia repugnat effectum posse esse ab æterno, & esse causatum.

Ad quintam Ad quintum. Dico, quòd est demonstrabile Deum posse causare omne causabile; si tamen non implicet illud causare; sed est implicatio quòd sint actu infinita indiuidua, ideò non possunt simul causari, sed bene possunt causari infinitum.

Ad sextam. Ad sextum. Dico breuiter, quòd prima pars continui nullo modo est causabilis per se, quia quacunque parte causata, illa semper est diuisibilis in infinitum, vt prolixè exposui *in 2. dist.2. q.9.* Et sic patet, responsio ad istas instantias.

25. Contra quintum dictum instatur, quòd tale est, scilicet *omne verum necessarium est mediatum, vel immediatum*, primò arguitur sic; inter duo extrema datur medium: Sed verum necessarium mediatum, & verum necessarium immediatum sunt duo extrema: ergo datur medium, scilicet aliquod verum necessarium, quod nec erit mediatum, nec immediatum, hoc est, nec euidẽs ex sola ratione terminorum, nec euidens ex alio.

Secundò instatur, quia hoc verum est simpliciter necessarium, scilicet *Deitas est paternitas*, vel *bonitas est paternitas*, & tamen non est mediatum, nec immediatum, quia in vero mediato demonstratur euidentia inhærentiæ prædicati ad subiectum; & in vero immediato apparet euidens inhærentia prædicati ad subiectum, vt patet à Doctore: modò paternitas, vt sic, nullo modo inhærendi inhæret subiecto, cum sit prædicatio simpliciter identica, & in tali prædicatum non inest formaliter subiecto, vt patet à Doctore *in primo dist.5.q.1.*

Tertiò instatur, quia ista est necessaria, *ens est bonum*, & tamen non est immediata; patet, quia nulla propositio est immediata, in qua passio prædicatur de subiecto, vt patet à Doctore *in 1.dist.8.q.2.* nec est mediata (ponendo quòd bonitas sit prima passio, vel saltem, quod non sit ordo inter passiones entis, vt Doctor videtur tenere *in primo dist.39.* quòd omnes passiones entis insint æquè immediatè ipsi enti) patet, quia nullum medium est assignabile inter ens, & ipsam, vt patet.

Respondeo ad primam instantiam, quòd non semper inter extrema est medium, nam inter ens, & non ens, non est aliquid medium, quid, scilicet sit ens, & non ens simul. Similiter absolutum, & respectiuum videntur duo extrema diuidentia ens, & tamen inter illa non datur medium ens, scilicet quòd non sit nec absolutum, nec respectiuum. Similiter inter contingens, & necessarium non datur ens medium, quod non sit, nec contingens, nec necessarium, & sic de multis aliis. Si ergo illa propositio habet aliquam veritatem, erit vera de extremis, inter quæ potest cadere medium per abnegationem vtriusque extremi, sicut dicimus album, & nigrum sunt duo extrema, ergo inter illa cadit medium, quod nec erit album, neque nigrum: quod conceditur, quia tale medium nullum istorum sibi determinat. Sed verum necessarium, de necessitate alterum sibi determinat, scilicet quòd vel ex se est euidens, vel ex alio, inter euidens ex se, & euidens ex alio, nullum pænitus medium cadit, vt etiam patet à Doctore *in primo dist. 1. qu. 3.* & vide quæ ibi notaui. *Inter album, & nigrum est medium.*

Ad secundum. Dico primò quòd ista bonitas est paternitas, licèt sit identica, tamen sit euidens, vt sic identica per aliquod medium, scilicet per infinitatẽ bonitatis, propter quam realiter identificat sibi omne sibi compossibile, vt suprà patuit. *q.5. & in primo dist.8.q.penultima, respondendo ad vltimum principale.* Dico secundò, quòd si teneatur quòd propositio dicatur mediata, vel immediata quando prædicatum inest formaliter subiecto, tunc non potest dici quòd Doctor loquitur de vero necessario, in quo prædicatum formaliter inest subiecto. Sed tamen prima responsio est realior, & magis ad mentem Doctoris. 26.

Ad tertium potest primo dici, quòd est mediata, quia inest enti per rationem entis. Et licèt non ponatur medium secundùm rem inter ipsam & ens, tamen potest poni secundùm rationem quòd ens dicatur subiectum passionis, de quo demonstratur passio, & entitas in abstracto ratio formalis, quæ sola ratione differt ab ente, vt patet à Doctore *in 1.dist.8.q.3.* Et si talis entitas ex natura rei esset distincta ab ente, vel formaliter eo modo, quo rationale distinguitur ab homine, esset vere medium demonstrandi, ergo & nunc, per propositionem Doctoris sæpe allegatam, *Qualis est ordo inter aliqua, vbi præter opus intellectus distinguuntur, talis est vbi sola ratione distinguuntur.* Dico secundò quòd si passio entis inest immediatè ipsi enti, fortè erit immediata, quia concipiẽdo ens, & bonitatem, esset sibi euidens, ipsum ens esse causam immediatam & adæquatam, quare talis passio immediatè insit. Et quando dicit Doctor quòd illa propositio non est per se nota, in qua passio prædicatur de subiecto, verum est de passione, & subiecto, inter quæ cadit medium, quid est causa immediata passionis, sicut quando ca

do cadit definitio media,& ideò Doctor in loco præallegato, scilicet dist.2.primi, exemplificat de istis, *animal rationale est risibile*, & *homo est risibilis*, prima est immediata,& secunda mediata. Si ergo omnes passiones entis insunt enti æquè primo,& immediatè,fortè omnis propositio, in qua prædicatur passio conuertibilis de ente,erit per se nota, & euidens ex sola terminorum notitia. Sicut etiam fortè Doctor haberet dicere si poneretur passio medium ad demonstrandum passionem, quòd illa passio prima non demonstraretur de subiecto, sed esset per se nota de subiecto apud intellectum concipientem distinctè terminos. Et tunc si esset verum quòd passiones, quæ immediatè insunt enti, sunt per se notæ de ipso ente, & hoc intellectui distinctè concipienti extrema propositionis, quòd tunc omnes propositiones in diuinis, in quibus ponitur quasi passio immediatè inesse ipsi Deo essent per se notæ.Sed de hoc aliàs.

27. *Nota.* Contra sextum dictum instatur, probando quòd nullus conceptus abstractiuus Deitatis sub ratione propria continent virtualiter veritates necessarias de Deo, & primò sic, ille conceptus, siue ponatur cognitio Dei abstractiua, siue aliquid aliud, si contineret virtualiter notitiam illarum veritatum,sequitur quòd virtualiter contineret illas veritates; patet, quia continens virtualiter notitiam alicuius, continet æqualiter entitatem illius, vt patet à Doctore *in 1.d.3.q 1.d.8.q.1. & in 2.d.3.q.10.in quodl.q.14. art. 2.* sed nullus conceptus etiam Deitatis, vt distinctè, potest virtualiter cõtinere aliquã proprietatem diuinam, quia nulla creatura potest cõtinere aliquid Deo conueniens,vt patet ergo.

Secundò instatur,quia si contineret virtualiter omnes veritates de Deo, habens talem conceptum,siue talem notitiam,posset ex tali notitia demonstratiuè scire Deum esse trinum,& sic *propter quid* cognoscere Trinitatem, & tamen Doctor *in secundo dist. 3. qu. 9.* dubitat de hoc, quia licèt in Angelo possit creari species intelligibilis,representans Deum sub ratione deitatis, non tamen videtur sequi quòd si cognoscat distinctè Deitatem, quod propter hoc cognoscat Trinitatem.

Tertiò instatur,quia sequeretur quòd habens talem conceptũ posset cognoscere omnes creaturas, & per consequens ille conceptus virtualiter, vel eminenter contineret omnes creaturas, quid est manifestè falsum: patet, quia nec beatus per actum beatificum cognoscit omnes rerum quiditates,vt ab omnibus tenetur,qui tamen actus intuitiuus Deitatis est multo perfectior omni actu abstractiuo. Probatur consequentia, quia si ille conceptus virtualiter continet omnes veritates de Deo necessarias, & omnes contingentes, non de actu, sed de possibili, à fortiori continebit veritates omniũ creaturarum. *Actus intuitiuus est nobilior abstractiuo.* Si ergo per talem actum potest omnes illas cognoscere distinctè, superfluè in Angelis concreatæ fuerunt species omniũ quiditatũ:patet,quia per speciẽ intelligibilẽ Deitatis potuerũt habere cõceptũ distinctũ de Deitate sub ratione deitatis,vt patet per Doctorẽ *in 2.d.3.q.9.*

Quartò instatur, quia si talis conceptus de Deo distinctùs virtualiter continet omnem veritatem necessariam,& omnem notitiam illius; ergo continet hanc veritatem: *Deus est trinus, & vnus*, ergo continet extrema illius veritatis, quia continens totum, continet & partem, sed non continet ipsum Deum, quia tunc ille conceptus posset causare alium conceptum distinctum de ipso Deo. Tum etiam,quia ista veritas quamuis necessaria, non est demonstrabilis de Deo, quia tunc idem demonstraretur de seipso,quia scilicet Deus de Deo,ergo non continet illam, cùm non sit demonstrabilis de Deo *propter quid*, ergo non omnem necessariam veritatem continet virtualiter.

Quintò instatur, quia Doctor *in prolo. q.3.* vult quòd continens euidenter veritates scibiles in aliqua scientia continet eas virtualiter,vt primò notum, ergo si talis conceptus virtualiter contineret omnes veritates necessarias de Deo, contineret illas, vt primò notus: hoc autem est manifestè falsum. Tum quia non esset primò notus, nisi per actum reflexum, vt patet; sed talis actus reflexus nullo modo est necessarius in demõstratione *propter quid*. Tum etiam, quia quæreretur à quo talis actus, esset causatus? an à primo conceptu & intellectu,an à voluntate diuina sola, quæ omnia importaut speciales difficultates.

Sextò instatur sic,continens virtualiter omnes veritates alicuius scientiæ continet illas *Nota.* primò,sic quòd in continendo à nullo dependet,vt patet à Doctore *in prolo. q.3.artic.1.* Sed talis conceptus necessariò dependet à voluntate diuina causante,& seruante ipsum;ergo.

Contra septimum dictum instatur,probando quòd non possit causari in intellectu viatoris 28 aliquis conceptus abstractiuus Dei sub ratione Deitatis,& instatur sic primò,& quæro ad quid terminetur ille conceptus:oportet dicere quòd terminetur ad Deitatem, vt actu existentem,& sub ratione qua existit,patet,quia existentia est de conceptu eius quiditatiuo, vt patet à Doctore *in 1.dist.2.q.1.& in quoli.q.1.artic.1.* si ergo ille conceptus non terminaretur ad Deum sub ratione Deitatis, sic quod Deus sub ratione Deitatis terminet, tunc per illum non cognosceretur Deus distinctè. Sed Deus sub ratione Deitatis non potest terminare, nisi etiam terminet sub ratione existentiæ propriæ, cùm sit de quiditate Dei. Tunc vltrà sequitur inconueniens imò impossibile,scilicet quod talis conceptus abstractiuus esset formaliter intuitiuus: patet, quia omnis notitia quæ terminatur ad rem existentem,inquantùm est existens,siue sub ratione formali,quã existit,est intuitiua, vt patet à Doctore *in primo di.1.q.2.dist.8.q.3.in 2.d.3.in 3.d.14.in4.d.10.45.49.q.12.in quo.q.5.7.14.*

Secundò instatur, & quæro à quo ille conceptus immediatè causetur; aut enim causatur *A quo causetur conceptus.* à Deo sub ratione deitatis,aut à voluntate Dei. Si primò,sequitur quòd tunc Deus moueret intellectum, vel causaret illum conceptum per modum naturæ, vt patet à Doctore *in quodl.q.8.art.1.& q.14.ar.2.* hoc autem est falsum,vt patet *vbi suprà*. Si secundò,sequitur manifestè inconueniens, quòd voluntas diuina contineret suo modo virtualiter ipsam Deitatem. Probatur,quia causans conceptum proprium alicuius, continet illum virtualiter,vt patet à Doctore *in primo dist.3. d.8. & alibi sæpè*. Nec valet dicere quòd quia voluntas diuina est realiter idem essentiæ diuinæ,ideò non potest continere, quia accipio propositionem Doctoris vulgatam,scil.

Qualis est ordo inter aliqua vbi realiter distinguuntur, talis est vbi sola ratione distinguuntur. Sed si voluntas esset realiter distincta ab essentia, & contineret notitiam distinctam essentiæ realiter virtualiter contineret ipsam Deitatem, vt etiam probat Doctor de creatura *in primo dist.* 3. *&* 8. quòd si posset causare notitiam distinctam essentiæ diuinæ, quòd virtualiter contineret ipsam; ergo cùm voluntas diuina, saltē ratione distinguatur ab essentia saltē secundùm rationē virtualiter, & eminenter continebit illam, & sic posterius virtualiter cōtinebit prius.

29. Tertiò instatur, si talis conceptus potest haberi in intellectu viatoris, ergo viator per illam poterit distinctissimè cognoscere Deum sub ratione deitatis, & vltrà poterit distinctissimè cognoscere eius infinitatem intensiuam, & sic poterit ipsam comprehendere; patet, quia cognosceret illam secundùm quòd est cognoscibilis; est autem cognoscibilis sub ratione distinctissima infinitatis intensiuè: imò videtur sequi quòd tunc viator esset perfectè beatus, si Deo vt sic distinctè concepto, & sub ratione infiniti intensiuè voluntas frueretur.

Quartò instatur, si talis conceptus potest causari in intellectu viatoris, aut immediatè causatur, nulla specie intelligibili priùs causata, aut mediante ipsa. Si primò, sequitur quòd talis conceptus non est abstractiuus; patet, quia ille est obiecti, non in se, sed in aliquo repræsentatiuo existente. Si secundò, ergo voluntas diuina non poterit causare absolutum realiter distinctùm ab alio absoluto sine ipso, & tunc causa prima determinabitur à secunda quid est falsum, sic enim arguit Doctor *in primo d.* 1. *q.* 4. quòd si voluntas diuina non potest causare fruitionem absolutè, nisi priùs causet visionem, sequitur quòd ipsa determinabitur ad causandum à secunda causa, si sine visione non posset absolutè causare fruitionem.

Quintò instatur, quia sequitur quòd voluntas diuina non posset immediatè causare conceptum distinctum Deitatis, nisi priùs causaret conceptum distinctum suimet, vt patet à Doctore in pluribus locis, quòd causans notitiam alterius in aliquo intellectu, priùs causat notitiam sui. Et ideò essentia non posset causare notitiam in intellectu diuino, nec alicuius creaturæ, nec alicuius intrinseci, nisi priùs causaret notitiam sui distinctam, vt patet à Doctore suprà *q.* 5. ergo si voluntas non potest causare notitiā distinctam Deitatis, nisi priùs causet notitiam sui distinctam, sequitur quòd non poterit immediatè causare absolutum sine alio absoluto, à quo essentialiter non dependet.

30. Sextò sequeretur, quòd habens talem conceptum, siue notitiam, necessariò intelligeret omnem veritatem necessariam de Deo, & omnem contingentem de possibili; patet, quia talis conceptus includeret virtualiter omnem talem veritatem, & per modum naturæ ageret, & similiter intellectus; sed hoc non videtur verum, quia posset stare notitia distincta Deitatis sine notitia personarum, vt patet à Doctore *in* 1. *d.* 1. *q.* 2.

Responsio. Respondeo primò ad instantias contra sextū dictum. Ad primam antequam respondeam formaliter, præmitto aliqua: primò præmitto, quòd non omne causans notitiam alicuius, continet virtualiter, & eminenter entitatem illius; patet, quia notitia distincta hominis continet notitiā distinctam passionis, & tamen non continet passionem, cùm illa præcisè contineatur à ratione formali hominis. Est tamen verum quòd continens notitiam distinctam alicuius subiecti, cōtinet entitatem illius, & omnium virtualiter contentorum, adæquatè tamen contentorum; & sic continens notitiam hominis distinctam continet virtualiter, non tantum entitatem hominis, sed etiam omnes veritates, & omnes passiones illius. Nec enim aliquid posset virtualiter continere passionem subiecti, quin etiā virtualiter contineret entitatem subiecti, quia in hoc poneretur causa passionis adæquata, quæ realiter identificatur subiecto: posito ergo quòd in me causaretur notitia distincta hominis ab ipso homine talis notitia, & si contineret virtualiter notitiam omnium proprietatum hominis mediatè tamen, ita quòd primo notitia definitionis hominis, quæ dicitur propriè distincta contineret notitiam prædicati, & per consequens notitiam propositionis immediatè, & notitia euidens propositionis immediatè contineret notitiam conclusionis. Sic dico in proposito, quòd notitia distincta Deitatis, & si contineat notitiam proprietatis, & per consequens notitiam euidentem propositionis immediatè, & notitia illa euidens notitiam conclusionis, non tamen virtualiter continet illas proprietates. Si tamen illa notitia distincta esset causata ab alio, quàm à Deo immediatè, tunc causans illam contineret ipsum Deum, & omnes proprietates illius.

Secundò præmitto, quòd notitia euidens propositionis immediatè, & propositionis mediatè potest dupliciter intelligi virtualiter contineri in alio. Primò in notitia subiecti distincta, ita quòd talis notitia præcisè causetur à notitia distincta subiecti. Secundò potest intelligi causari ab ipso obiecto, siue obiecto immediatè, ita quòd homo præsens in specie intelligibili, siue ipsa species, primò causat notitiam distinctam hominis: secundò notitiam proprietatum; tertiò notitiam propositionum immediatarum; quartò notitiam conclusionum. Et breuiter vtráque via est sustentabilis, secundùm ea quæ exposui *in prolog. q.* 3. contra Greg. & Ocham, & Alphōsum Toletanum, vide ibi. In proposito, si teneatur quòd conceptus distinctus Deitatis cōtineat omnes veritates, necessarias de Deo, id est, omnium veritatum notitiam euidentē patet quòd ex hoc non sequitur quòd virtualiter contineat entitatem illarum proprietatum. Et propositio Doctoris, scilicet quòd *continens virtualiter notitiam distinctam alicuius, continet entitatem illius*, patet quòd illa non est in omnibus vera, vt suprà exposui. Sicut etiam patet de specie intelligibili, puta hominis, quæ continet notitiam hominis, & tamen non continet virtualiter ipsū hominem, & similiter continet notitiā risibilitatis, & tamen non continet ipsā risibilitatem. Si verò teneatur quòd obiectum virtualiter continet, tunc oportet ponere aliquā speciem intelligibilē supplentem vicem obiecti, quæ partialiter non solùm causet notitiam subiecti, sed etiam omnium proprietatum virtualiter in illo contentarum, quia nisi talis species poneretur respectu cognitionis abstractiuæ, tunc nihil esset ibi, quod causaret; nisi fortè diceretur quòd voluntas diuina primò causat notitiam distinctam Deitatis, & secundò alias notitias

31. *Propositio potest intelligi duobus modis*

Notitia hominis quid contentorum.

notitias sequentes, & tamen melius, & magis ad propositum conclusionis esset ponere speciem intelligibilem Deitatis, vt dixi *in prolo.q.* 3.*& in* 2.*dist.*3. *q.*9. Et sic patet quid sit dicendum ad primam instantiam.

32. Posset etiam dici, & non extra propositum, quòd aliud est causare notitiam alicuius propositionis absolutè, & aliud ipsam causare, vt euidentem. Nam Deus posset immediatè causare in me notitiam huius, *Homo est risibilis*, quæ tamen nullo modo esset euidens, nisi ex notitia propositionis immediatè, notitia ergo conclusionis posset esse immediatè ab vno, & alio euidenti. Conceptus ergo distinctus Deitatis diceretur continere virtualiter omné veritatem, &c.i.notitiam omnium veritatum, vt euidentem, ita quòd talis notitia, puta conclusionis, vel primi prædicati, non esset immediatè causata à tali conceptu Deitatis, sed benè haberet euidentiam à tali conceptu, ita quòd euidentia propositionis, immediatè esset primo à tali conceptu, & euidentia conclusionis esset ab euidentia propositionis immediatè. Et sic posset concedi quòd continens virtualiter notitiam alicuius, continet entitatem illius, licèt hoc non sit simpliciter, & in omnibus verum, sed non sequeretur quòd continens euidentiam notitiæ propositionis, quòd contineat entitatem imò, &c.stat quòd notitia sit ab vno, & euidentia ab alio. *Nota.*

Dico etiá quòd aliud est continere notitiam simplicé alicuius, & aliud est continere notitiá euidentem inhærentiæ, puta passionis ad subiectum. Et fortè subiectum causat notitiá sui absolutè, & post notitiá passionis absolutè; sed notitia euidens inhærentiæ passionis ad subiectú, immediatè causatur à notitia euidenti præmissarum, & mediatè à notitia distincta subiecti. Tunc dico quòd etsi concedatur quòd continés notitiá simplicé alicuius contineat entitatem illius; non tamé sequitur quòd continens notitiá euidentem inhærentiæ passionis ad subiectum, quòd contineat virtualiter ipsam passionem. Omnes istæ responsiones sunt satis probabiles.

33. Ad secundum. Dico quòd Doctor ibi concedit quòd Angelus posset per talem speciem cognoscere Trinitatem. Dico secúdò, quòd Deus benè potuit causare speciem intelligibilem, per quam Angelus præcisè cognosceret distinctè Deitaté, & non cognosceret alias proprietates. Si dicatur quòd non apparet ratio diuersitatis de conceptu immediatè causato à voluntate diuina, non per speciem intelligibilem, & de conceptu causato à specie intelligibili, cùm vterq; distinctè repræsentat Deitaté sub ratione propria, ergo si vnus virtualiter continet omnes veritates de Deo virtualiter, quare, & non alius? & si per vnum potest cognosci Trinitas, quare & non per alium? non apparet ratio diuersitatis. Sicut habens notitiam distinctam de homine per speciem intelligibilem ipsius, & habens eandem, vel similem notitiam causatam aliunde, ita per vnam potest cognoscere proprietates hominis, sicut per aliam. Dico breuiter, quòd voluntas diuina potuit causare speciem intelligibilem in Angelo, & concurrere cum ipsa præcisè ad conceptum distinctum Deitatis, & non concurrere ad notitiam aliarum proprietatum, quamuis ille conceptus causatus à specie intelligibili natus fuisset virtualiter continere omnes veritates de Deo necessarias. Sed in proposito voluntas non solùm causaret conceptum distinctum Deitatis, sed etiam cum ipso concurreret ad euidentem notitiam omnium veritatum contentarum in illo. Et ideo Doctor hìc dicit quòd *potuit in intellectu viatoris causare conceptum simplicem Deitatis virtualiter continentem veritates*, &c. ita quòd non tantùm contineret potentia remota, sed etiam potentia propinqua, propter hoc, quòd voluntas diuina disposuisset actu concurrere ad notitiam euidentem contentarum veritatum. *An Angelus possit cognoscere trinitatem.*

Ad tertium. Dico quòd non sequitur quòd contineret ille conceptus notitiam simplicem omnium creaturarú, quia talis notitia non virtualiter includeretur in tali conceptu, præcisè enim continentur omnes veritates de Deo necessariæ, & omnes de Deo contingentes de possibili, non de actu. Nec essentia diuina causat in intellectu diuino notitiam creaturarum, vt nota, ita quòd notitia essentiæ diuinæ sit præcisa ratio causandi notitiam omnium creaturarum, sed ipsa præcisè vt habet rationem memoriæ, & vt sic, non consideratur vt actu cognita; hoc patet à Doctore *in prolo. q.penul.* licèt ergo essentia priùs causet notitiam sui, quàm notitiam creaturarum, non tamen talis notitia ponitur ratio causandi notitiam creaturarum. Sicut etiá quamuis intellectus diuinus prius cognoscat essentiam, quàm generet Filium, tamen talis notitia nullo modo est ratio formalis generandi Filium, vt patet à Doctore *in primo dist.*2.*parte* 2.*q.*3.*&* 4. Dico vltrà, quòd ad concludendú quòd talis notitia contineret virtualiter notitiam omnium creaturarum, oporteret priùs cócludere quòd ipsa virtualiter contineret essentiam, vel voluntatem diuinam, quæ virtualiter continet omnes creaturas. Sicut si. *A.* virtualiter includeret notitiam distinctam hominis, & per consequens ipsam entitatem hominis, quòd etiam concludi posset, quòd *A.* contineret virtualiter notitiam omnium virtualiter cótentorum in ipso homine, & per consequens entitatem eorum. Sed in proposito, conceptus distinctus Deitatis causatus à voluntate diuina non includit virtualiter notitiam Deitatis distinctam, vt patet. 34. *Nota.*

Ad quartú. Dico, quòd quando dicimus quòd subiectum vel obiectum continet veritaté scibilem, non intelligitur quòd virtualiter contínet extrema propositionis, quia tunc homo cótineret se; patet, quia continet hanc veritatem, *homo est risibilis*, & tamen non continet virtualiter hominem. Sed inhærentiam passionis ad subiectum, puta, quia homo continet quiditatiuè, & essétialiter rationale, & rationale est causa adæquata, & præcisa inhærentiæ risibilitatis ad hominem, ideò dicimus quòd homo mediáte rationalitate, continet inhærentiam passionis ad subiectum. Et similiter cùm dico, quòd notitia distincta subiecti continet veritates necessarias de subiecto, sic intelligitur, quòd remotè tamen continet virtualiter notitiam euidentem inhærentiæ passionis ad subiectum, vel quòd præcisè continet ipsam euidentiam passionis, vt inhærentis, id est quòd notitia inhærentiæ passionis ad subiectum est euidens immediatè, & propinquè à notitia euidenti præmissarum immediatarum, & mediatè, & quasi remotè est euidens à notitia distincta subiecti. 35.

36. *Doctrina singularis.* Ad quintum. Dico quòd continere veritates in aliqua scientia, vt primò notum, non est conditio notitiæ distinctæ subiecti, sed conditio subiecti, sicut dicimus, quòd homo secundùm animam est subiectum scientię moralis, non erit subiectum immediatum, ita quòd immediatè de ipso possint demonstrari omnes veritates in scientia morali contentas, nisi sic primò notus, id est quòd vt primò notus ponitur subiectum, & sic patet quomodo hoc non pertinet ad notitiam subiecti, quòd sit primo nota, &c. Cùm enim dicimus, subiectum, vt primò notum continet omnes veritates, potest intelligi dupliciter; vel primò notum notitia habituali; vel primò notum notitia actuali. Primo modo intelligitur quòd subiectum, vt præsens in specie intelligibili continet virtualiter omnem veritatem, & dicitur tunc primò notum notitia habituali, quia vt sic, est pars memoriæ perfectæ, & in potentia propinqua ad causandum notitiam sui, & omnium virtualiter contentorum. *Subiectum, vt sit primo notum notitia actuali potest intelligi duobus modis.* Secundo modo intelligitur, quòd subiectum sit primò notum notitia actuali, & tunc dupliciter potest intelligi. Primò, quod notitia actualis contineat notitiam euidentem, tam præmissarum, quàm conclusionum modo præexposito. Secundò, quòd talis notitia nullo modo contineat, sed quod nihil esset subiectum scientiæ virtualiter continens veritates illius scientiæ in potentia propinqua, nisi priùs esset notum, non quòd notitia requiratur vt ratio continendi, sed vt dispositio præuia; nisi enim priùs causaret notitiam sui simplicem, nunquam posset causare euidentem notitiam veritatum inclusarum virtualiter de obiecto primo noto notitia habituali, & notitia actuali. Primo modo. Vide quæ prolixè exposui *in primo prologo. q. 3. artic. 1.* & specialiter contra Gregorium, Ocham, Alphonsum, & multos alios. Si volumus etiam tenere de primo noto notitia actuali, secũdo modo accepta, erit sustentabile, licèt non ita fortè ad mentem Doctoris sicut aliis modis.

37. *Conditio subiecti.* Ad sextam, siue vltimam instantiam. Dico quòd hæc est conditio subiecti primi, scilicet in continendo veritates in scientia considerata à nullo dependeat, à nullo, scilicet pertinente ad illam scientiam, si sit simpliciter primum. Hoc patet à Doctore *in prolo. q. 3.* Sed hæc conditio non videtur competere notitiæ distinctæ subiecti, cùm talis notitia dependeat à subiecto, vel á supplente vicem subiecti. Si volumus etiam tenere quòd hęc sit conditio talis notitię, possumus sic exponere. Notitia prima, & distincta subiecti continet virtualiter omnes veritates in scientia, cuius est, consideratas, scilicet euidentem notitiam illarum, modo præexposito, & in continendo à nullo dependet, scilicet quòd à nulla alia notitia ad illam scientiam pertinente dependet, sicut & subiectum à nulla entitate ad scientiam cuius est subiectum, dependet in continendo veritates illius scientiæ, sic conceptus distinctus illius subiecti à nullo alio conceptu ad illam scientiam pertinente in continendo veritates, dependet.

Existentia est de conceptus Dei. Ad instantias contra septimum dictum. Ad primam dico: primò, quòd etsi existentia sit de conceptu Dei, non tamen talis existentia ponitur ratio terminandi, vt patet à Doctore in præsenti. Posito enim quod, per impossibile Deus non esset, adhuc posset abstractiuè cognosci, & etiam eius existentia. Si dicatur hoc non saluat, quia certum est quòd Deus necessariò existit, & existentia est de intrinseca ratione eius, quęro tunc, si Deus sub ratione Deitatis terminet hanc notitiam abstractiuam, & distinctam, aut tunc in ratione, formali includit existentiam actualem, aut non? Si sic, ergo existentia actualis erit ratio formalis terminandi: aut non includit, ergo actualis existentia non erit de formali conceptu ipsius Dei. Si ergo talis conceptus terminatur ad Deum sub ratione Deitatis, & Deus sub ratione Deitatis, necessariò includit actualem existentiam, ergo Deus sub illa ratione, quâ actu existens terminat, & per consequens talis conceptus erit intuitiuus. Dico breuiter, quòd non dicitur cognitio intuitiua, ex hoc, quòd terminatur ad rem existentem actualiter, siue etiam ponendo quòd existentia sit de intrinseca ratione illius; & patet, nunc cognosco abstractiuè existentiam, puta albedinis, ita quòd talis cognitio terminatur ad existentiam immediatè, & tamen non dicitur cognitio intuitiua. Sed vltrà omnia requiritur præsentia rei actu existentis, non enim sufficit quòd actu existat propria existentia, quòd cognitio terminetur ad actualem existentiam, sed requiritur quòd talis res sit in se præsens, & non in aliquo repræsentatiuo. Dicitur ergo cognitio intuitiua, quæ terminatur ad rem existentem inquantùm existens, & in se præsentem potentiæ cognitiuæ. Concedo ergo quòd conceptus distinctus Dei terminatur ad Deum sub ratione Deitatis, & ad Deum vt actu existentem & in se præsentem, & potentiæ cognitiuę perfectè pręsentem. Et sic Doctor intelligit de cognitione intuitiua, vnde in multis locis addit *ad rem existentem, & in se præsentem.* *Vnde dicatur cognitio intuitiua.*

Si quæratur, pono quòd voluntas diuina immediatè causet conceptum abstractiuum, & distinctum Deitatis, nulla specie intelligibili pręexistente in intellectu, in quo talis conceptus causatur, ille conceptus ad quid terminabitur, aut enim terminabitur ad notitiam existentem actu, & in se præsentem, aut non in se præsentem, sed præsentem in aliquo repræsentatiuo. Si primo modo, patet quòd talis conceptus erit intuitiuus, quia terminatur ad rem existentem, & in se præsentem. Si secundo modo, oportet assignare illud repræsentatiuum, non erit species intelligibilis per positum; non conceptus ille, quia vt habet *esse* in tali conceptu, habet præcisè *esse* cognitum, vt patet à Doctore *in primo dist. 8. q. 3. & alibi sæpe*, & aliud repræsentatiuum non videtur posse assignari, ergo talis cõceptus erit necessariò intuitiuus. Dico breuiter, quòd non erit præsens, nec in specie intelligibili, nec in conceptu, sed erit præsens in specie intelligibili, nec in conceptu, sed erit præsens in se, sed non erit intellectui præsens; potest enim cognitio abstractiua terminate ad aliquid, quod non etit præsens in aliquo repræsentatiuo, alio à re, sed sufficit quòd terminetur ad ipsam, vt nõ præsentiá secundùm suã existentiam potentiæ cognitiuæ. 38. *Doctrina singularis.*

Ad secundam instantiam. Dico primò, quòd voluntas, cùm transeat in perfectam identitatem realem in essentiam diuinam, nullo modo potest ipsam continere, nec propriè, nec quasi, vt etiam Doctor tenet in pluribus locis. Dico secundò, quòd si voluntas haberet à se originatiuè, *Nota.*

originatiuè, quòd sic posset causare talẽ notitiã, posset cócedi quòd cótineret; vel quasi cótineret; sed nõ sequitur de essentia, quia ipsa esẽtia originatiuè continet voluntatẽ, accipiendo *voluntatem* pro potentia volitiua; & hoc patet à Doctore *in primo dist.* 8. *q.* 3. *& in quodlib. qu. prima.* 25. & ideò quamuis possit causare notitiam distinctam Deitatis, siue astractiuam, siue intuitiuam, non sequitur quòd contineat essentiam, nec propriè, nec quasi, cùm hoc habeat non à se, sed fundamentaliter, & originatiuè ab ipsa essentia diuina. Dico tertiò, quòd non sequitur de omni notitia distincta, sed si habet veritatem, habet veritatem de prima notitia, & adæquata essentiæ diuinæ, qualis notitia est in intellectu diuino, quæ notitia est formaliter infinita, & perfectè adæquatur obiecto essentiæ diuinæ, siue ipsi essentiæ diuinæ: potens ergo causare immediatè talem notitiam continet virtualiter, vel quasi continet ipsam essentiam. Sed hoc non sequitur de notitia non adæquata ipsi essentiæ diuinæ, qualis est omnis notitia causata in intellectu creato à voluntate diuina. Quamuis ergo possit causare notitiam distinctam Deitatis, tam abstractiuam, quàm intuitiuã in intellectu creato, nõ tamen sequitur quòd contineat virtualiter ipsam essentiam diuinam; quam responsionem benè nota propter multa.

39. *Quomodo potest cognosci infinitas intensiua.* Ad tertiam instantiam. Dico, quòd poterit distinctissimè cognoscere infinitatem intensiuam, & secundùm omnem gradum infinitatis. Et cùm infertur quòd tunc potest comprehendere ipsam. Dico, quòd non omnis cognitio, etiã distinctissima, est comprehensiua obiecti cogniti, sed præcisè illa quæ obiecto adæquatur, sic, quòd in se sit talis intensiuè quantum obiectum est intensiuè cognoscibile. Si enim obiectum est intensiuè infinitum, sequitur quòd erit intelligibile infinitè intensiuè, & natum intelligi intellectione formaliter infinita, vt exposui suprà *quæst.* 5.

Et cùm vltrà infertur, quòd habens talem conceptum sic distinctum posset esse perfectè beatus. Dico quòd si loquamur de beatitudine viatoris inquantùm viator, quòd tunc esset perfectissimè beatus, imò magis beatus, quàm aliquis Philosophorum potuerit esse in cognitione substantiarum separatarum, quia nullus potuit peruenire ad cognitionem distinctam alicuius substantiæ separatæ, vt probat Doctor *in prolog. q.* 1. *&. in primo dist.* 3. *q.* 1. Sed hîc viator haberet ex hypothesi cognitionem distinctam obiecti beatifici. Sed loquendo de beatitudine comprehensoris, qualem nunc beati habent in patria, dico quòd intellectus viatoris in tali cognitione, etiam distinctissima, non fuisset beatus, quia talis beatitudo consistit in cognitione faciali, & intuitiua obiecti beatifici. Si dicatur quomodo cognitio intuitiua obiecti beatifici, & abstractiua eiusdem differunt. Si numero tantùm, ergo erit viator in tali conceptu æquè beatus, vel saltem erit similiter beatus formaliter, sicut nunc existẽs in patria est beatus, quia istæ, beatitudines non differrent, nisi numeraliter. Si differunt tantùm sicut perfectum & minùs perfectum, patet quòd adhuc erit beatus, licèt non ita perfectè, & si talis conceptus abstractiuus potest intendi, intantum posset intendi, quòd in illo esset æquè perfectè beatus; sic enim arguit *Contra S Th.* Doctor *in* 4. *d.* 49. Contra opinionem Thomæ. Si differunt specie sicut Doctor videtur tenere *in* 3. *d.* 31. *& in quarto dist.* 49. quia cognitio abstractiua, & intuitiua eiusdem obiecti, specie distinguuntur, vt patet à Doctore *in secundo dist.* 25. Et sic in proposito cognitio abstractiua, & intuitiua eiusdem Deitatis differunt specie. Et hoc propter aliam, & aliam præsentiam obiecti, vt dicit Doctor *in tertio d.* 31. *& in quarto d.* 49. & sic patet quòd habens cognitionem abstractiuam, etiam distinctissimam, non erit beatus, propriè loquendo de beatitudine. Si dicatur, quòd fortè hoc non videtur sequi, scilicet, quòd alia, & alia præsentia obiecti causet, & alium, & alium actum specie distinctum, quia secundùm Doctorem *in primo d.* 1. *q.* 4. vbi dicit quòd actus voluntatis non variatur propter aliam, & aliam approximationem ad obiectum, vide ibi. Sed quia hoc non est præsentis speculationis, vide *in tertio dist.* 31. *& in quarto dist.* 41. vbi pertractaui hanc materiam soluendo etiam præsentem, & aliàs instantias in hac materia, ista pro nunc sufficiant.

Quare cognitio intuitiua, & abstractiua differunt specie.

Ad quartam instantiam de specie intelligibili respectu talis conceptus distincti. Dico, quòd vtrumque membrum potest dari. Et primò potest dari, quòd priùs causet speciem, quia talis species necessariò requiritur, vt habeatur præsentia obiecti, prout potest haberi in aliquo repræsentatiuo, ita quòd esset impossibile in cognitione abstractiua aliter esse præsens. Cùm dicitur quòd potest quodlibet absolutum immediatè causare alio absoluto non causato. Dico primò, quòd etsi actum voluntatis absolutum possit immediatè causare in aliqua voluntate, actu intelligendi absolutè non causato, tamen voluntas secundùm illum actum, nihil vellet, cùm *velle* necessariò terminetur ad obiectum cognitum; non posset ergo immediatè causare volitionem alicuius obiecti, quæ includit relationem aliquam ad obiectum, vt patet à Doctore *q.* 14. *quolib.* non priùs causato actu intelligendi eiusdem obiecti, cùm talis necessariò requiratur. Sic in proposito, tenendo quòd species intelligibilis necessariò requiratur ad hoc vt obiectũ sit præsens in cognitione abstractiua, diceretur quòd non posset voluntas diuina causare in intellectu viatoris conceptum distinctũ Deitatis, quo distinctè conciperet illam, non priùs causato repræsentatiuo eiusdem, scilicet specie intelligibili; posset tamẽ causare absolutè talẽ conceptũ, qui nullo modo terminaretur ad obiectum. Et cùm infertur quòd si talis species necessariò prærequiritur, tunc voluntas diuina posset determinari à secunda causa, quod habet pro inconuenienti vt patuit *in primo dist.* 1. *q.* 4. Dico breuiter, quòd ibi in primò esset inconueniens, quia verè prima causa determinaretur ad agendum à secunda causa, quia Henricus posuit quòd ad visionem obiecti beatifici necessariò sequatur fruitio eiusdem, ita quòd si voluntas diuina causet in aliquo intellectu visionem claram Deitatis, quòd necessariò causabit fruitionem essentiæ in voluntate eiusdem, & sic benè sequitur quòd si necessariò causat fruitionem priùs causata visione, tunc determinabitur à secunda causa. Sed in proposito hoc non sequitur; quia non pono quòd causata specie intelligibili Deitatis, quòd necessariò causet conceptum distinctum eiusdem, imò pono quòd stante tali specie, potest esse, quod talis

40.

Nota de specie intelligibili.

Opin. Henrici.

talis conceptus nullo modo erit, sed dico, quòd conceptus non poterit esse, nisi priùs causata specie, vt proprio repræsentatiuo eiusdem obiecti. Sicut etiam dico de actu volendi, quòd potest stare cognitio perfectissima obiecti, etiã intuitiua, & tamen non erit volitio eiusdem, sed non potest esse volitio actualis obiecti, nisi præcedat cognitio eiusdem. Hoc idem ponit Doctor quòd de potentia Dei absoluta potest perfectissima visio Deitatis, & non erit fruitio, cuius oppositum dicebat Henricus *in primo vbi suprà*, sed non potest esse fruitio sine visione præcedente, cum illa necessariò requiratur. Et sic patet quomodo potest sustineri quòd in cõceptu distinctio Deitatis præ requiritur species intelligibilis repræsentans eam in ratione obiecti actu intelligibilis.

Quomodo possit esse visio deitatis, sine fruitione.

41. Si dicatur, quòd multa obiecta possint intelligi abstractiuè, quæ tamen non habent speciem intelligibilem, vt patet de materia prima, de passionibus, de relationibus, quæ non habent proprias species intelligibiles. Dico, quòd obiectum esse præsens potentiæ cognitiuè respectu cognitionis abstractiuę potest pro nunc dupliciter intelligi. Primò, quòd sit præsens præsentia propria, & formali & hîc voco præsentiam propriam, & formalem, quando habet propriam speciem: secundò, quòd sit præsentia alterius præsens, quòd ipsum virtualiter continet. Hoc præmisso. Dico, quòd semper requiritur species intelligibilis, vel quòd habeat speciem propriam, vel quòd contineatur virtualiter in aliquo obiecto habente speciem propriam. Sicut etiam aliquid potest esse præsens in cognitione intuitiua, vel in se formaliter, & secundùm propriam existentiam præsens, vel quòd virtualiter contineatur in alio habente propriam præsentialitatem. Hæc distinctio habetur à Doctore *in primo dist. 8. q. 3. & quodl.* patet ergo quòd sicut in cognitione intuitiua obiecti, requiritur, quòd tale obiectum, vel sit in se præsens secũdum propriam existentiã, vel quòd contineantur in alio virtualiter perfectè præsente, secundùm propriã existentiam. Sic in cognitione abstractiua obiecti requiritur quòd tale obiectũ, vel sit præsens secũdũ propriã speciẽ intelligibilẽ, vel quòd virtualiter cõtineatur in alio perfectè pręsente secundũ propriam speciem intelligibilem. Sed de hac materia, scilicet speciei intelligibilis prolixè tractatum est in primo *dist. 3. q. 2. & q. 6.* vide ibi singularia dubia, & præcipuè, q. 2. & 3.

Obiectum esse præsens potẽtia, potest intelligi dupliciter.

42. Si teneatur aliud membrum, scilicet quòd possit immediatè à voluntate diuina causari conceptus distinctus Deitatis nulla specie intelligibili præcedente, potest faciliter responderi ad instantiam, quòd aliud est loqui de obiecto cognoscibili abstractiuæ, vt terminatiuo cognitionis abstractiuæ; & aliud de obiecto motiuo intellectus respectu cognitionis abstractiuæ. Primo nullo modo videtur necessaria species intelligibilis, quia sine illa obiectum potest perfectè terminare illam cognitionem; & patet, quia obiectum, vt quiditatiuè acceptum, & vt absolutè consideratum terminat hanc cognitionem; quando enim cognoscitur distinctè obiectum cognitione abstractiua, talis cognitio terminatur ad obiectum sub ratione quiditatiua propria, aliter distinctè non cognosceretur. Sed si terminaret prout habet *esse*, sic repræsentatum, tunc terminaret, non per se nec quiditatiuè, sed tantùm per accidens, & secundùm *quid*, quia accidit sibi sic esse præsens. Secundò modo loquendo de obiecto motiuo. Dico breuiter, quòd Doctor ponit in nobis necessitatem speciei intelligibilis, quia stante absentia obiecti in se, nulla cognitio eiusdem haberi posset. Sed posita specie intelligibili, talis species supplet vicem obiecti, & sic ipsa vnà cum intellectu agente causat in intellectu possibili notitiam abstractiuam, vt patet à Doctore *in primo dist. 3. q. 6. & 8. & dist. 17. & in secundo dist. 3. & in quarto dist. 10. & in quol.* requiritur ergo species intelligibilis, vt causa respectu notitiæ abstractiuæ, & hoc exposui in primo *vbi suprà.* Modò voluntas diuina potest supplere vicem omnis causalitatis secundæ, vt patet, & sic poterit supplere causalitatem cuiuscúmque speciei intelligibilis, & immediatè causare conceptum abstractiuum cuiuscúmque obiecti, & sic immediatè poterit causare in intellectu nostro conceptum distinctum, & abstractiuum essentiæ diuinæ, nulla specie intelligibili præsupposita. Et sic patet quomodo vtrumque membrum est sustentabile; tamen secundum membrum videtur magis verùm & magis ad mentem Doctoris subtilis.

An species intelligibilis sit necessaria.

Scotus ponit necessitatem speciei intelligibilis

Ad quintam instantiam dico primo, quòd aliud est mouere intellectum ad cognitionem alterius in ratione obiecti; & aliud est mouere in ratione obiecti. Exemplum, puta homo mouet intellectum necessarium ad cognitionem puta risibilitatis, & tunc aut mouet in ratione obiecti, id est, vt habens præcisè rationem obiecti motiui; aut alio modo mouet non habendo rationem obiecti motiui, sed præcisè habendo rationem talis entis. Primo modo concedo quòd non potest mouere aliquem intellectum, nisi priùs in tali intellectu causet notitiam sui, quia vt sic, cùm moueat per modum naturæ, necessariò priùs causabit notitiam sui perfectam quantùm potest, quam notitiam alterius in eo virtualiter contenti. Et hoc modo essentia diuina, quæ est præsens intellectui diuino in ratione obiecti perfectissimè intelligibilis nunquam posset mouere talem intellectum ad cognitionem alterius extrinseci, puta creaturæ, nec alicuius intrinseci, puta attributi, vel proprietatum, nisi priùs moueret ad notitiã sui distinctam, vt patuit suprà *q. 5. quol.* 43.

Exemplum.

Nota de essentia.

Secundo modo, aliquid posset mouere ad notitia alterius, sine hoc quòd moueat ad sui notitiam, quia vt sic, tale obiectum non esset præsens intellectui in ratione obiecti intelligibilis. Et hoc expressè patet in multis. Nam species intelligibilis, mouet immediatè intellectum ad notitiam obiecti cuius est, & tamen non mouet ad notitiam sui primò, & hoc est, quia talis species non est pro tunc præsens intellectui in ratione obiecti intelligibilis. Similiter intellectus agens immediatè mouet ad notitiam aliorum, & tamen non primò cognoscitur, imò pro statu isto nullo modo mouet ad notitiam sui, vt patet à Doctore & hoc est, quia talis intellectus pro statu isto, nunquam potest esse præsens intellectui possibili in ratione obiecti actu intelligibilis, & voco obiectum actu intelligibile, quid immediatè potest mouere intellectum ad sui notitiam, vel quod saltem virtualiter contineatur in alio, quid immediatè potest

Quomodo species intelligibilis moueat intellectum.

potest mouere, vt exposui in primo *dist.3, qu.7.* declarando titulum, q. 1. licèt ergo intellectus agens secundùm suam formalem entitatem sit perfectè præsens intellectu possibili, pro statu tamen isto nullo modo est in specie intelligibili propria, nec in se præsens in ratione obiecti actu intelligibilis, vt patet à Doctore *in prolog. q.1.* Sic dico in proposito, quòd quamuis voluntas diuina sit in se perfectè præsens intellectui creato, non tamen necessariò est præsens in ratione obiecti actu intelligibilis. Et ideò potest immediatè causare conceptum distinctum Deitatis, & non erit priùs cognita.

Dico secundò, quòd aliud est loqui de obiecto præcisè mouenté per modum naturæ, & de obiecto præcisè mouente per modum voluntatis, quia primo modo tale obiectum, vt præsens in ratione obiecti actu intelligibilis, necessariò prius mouet ad notitiam sui, quàm aliorum, etiam virtualiter in ipso contentorum. Sed secundo modo nó apparet necessitas, quòd priùs moueat ad sui notitiam, etiam tenendo quòd sit perfectè præsens in ratione obiecti actu intelligibilis, & hoc est, quia est obiectum voluntarium. Et hoc patet *in 1. dist.3.* vbi multa de istis exposui.

Ad vltimam instantiam. Dico breuiter quòd stante tali conceptu nullo existéte impedimento, & concurrente influentia generali voluntatis diuinæ, quòd tunc cognoscet omnia virtualiter contenta. Si stante tali conceptu perfecto, posset voluntas diuina suspendere actionem talis conceptus, quia potest omnem actionem cuiuscunque causæ secundæ suspendere.

44. *Viator non potest cognoscere Deum esse omnipotentem ex puris naturalibus.* Contra octauum dictum, quod tale est, quòd *viator non potest ex puris naturalibus demonstratiuè,* propter quid *cognoscere istam,* Deus est omnipotens, *& hoc tam mediatè, quàm immediatè,* instatur sic, primò supponendo aliqua; primò, quòd viator est ille, qui non habet notitiã intuitiuã, vt suprà dixi, sed potest habere cognitioné abstractiuam Deitatis, & hoc per potentiam diuinã, vt suprà patuit. Et de isto viatore non intelligitur conclusio, quia talis habens huiusmodi conceptum, siue notitiam Deitatis posset demóstratiuè scire, Deum esse omnipotenté, vt suprà patuit. Sed cóclusio intelligitur de viatore, qui tantum habet fidem, & cognitione secundùm inclinationem fidei, vel etiam aliam cognitionem, quæ sibi non repugnet ex puris naturalibus, vt patet in litera. Conclusio ergo intelligitur, quòd stante cognitione, quæ de lege communi habetur per fidem, non potest ex puris naturalibus cognoscere hanc, *Deus est omnipotens*; non intelligitur ergo conclusio ex puris naturalibus simpliciter, sed præsupposito lumine fidei, quæ habetur de communi lege, adhuc ex naturalibus non potest pertingere ad huiusmodi notitiam. Secundo suppono, quòd secundùm fidé viator potest esse certus, Primò, quod Deum esse omnipotentem ést demonstrabile *propter quid,* vt suprà patuit. Ex lumine etiam fidei est certus, quòd viator potest scire in generali, qualé sit mediũ demóstrandi illã conclusioné, quia, s. est volũtas Dei perfectissima, vt ipse Doct. cócedit. Et etiã de multis aliis pót esse certus, ex quibus intendo inferre propositũ, s. quòd stante lumine fidei secundũ legé cõmuné, potest demóstratiuè scire *propter quid,* Deũ esse omnipotenté. Primò ergo instatur sic: Aut scit *propter quid,* Deũ esse omnipotentem, aut scit ipsũ non esse omnipotenté. Si primò, ergo pót cognoscere demonstratiuè *propter quid,* Deũ esse omnipotenté: patet, quia si scio hominé esse risibilem propter quid, ergo scio demonstratiuè *propter quid.* Si secundò, ergo nõ erit demóstrabile *propter quid,* quia nihil scitur nisi verũ. Si. n. scio hominé non esse risibilem *propter quid,* ergo hominé esse risibilem propter quid, non est demonstrabile *propter quid.*

Secundò instatur sic; viator scit voluntatem perfectissimam esse medium *propter quid* ad demonstrandum Deum esse omnipotentem, & hoc scit ex puris naturalibus vel solo, solo lumine fidei, præsupposito ergo ex puris naturalibus, pót scire *propter quid* Deum est omnipotenté. Antecedens patet, quia etiã est concessum à Doctore Consequentia etiã patet, quia habés medium *propter quid* potest scire conclusionem *propter quid.* Si enim cognosco animal rationale esse medium, *propter quid* ad demonstrandum istam conclusionem, *homo est risibilis,* statim possum demonstratiuè *propter quid* scire hominem esse risibile. 45. *Nota.*

Tertio instatur sic; viator ex puris naturalibus, vel saltem præsupposito lumine fidei scit Deum merè contingenter agere ad extrà, vt patet à Doctore in pluribus locis. Secundo scit quòd prima causa cótinet causalitaté omnium secundarũ causarum. Scit etiã quòd si cótingenter producit quicquid ad extrà producit, quòd potest immediatè producere effectum imperfectũ, hoc non sequeretur apud Aristot. quia ipse vellet quòd nõ posset immediatè producere effectũ imperfectũ, & hoc quia agit per modum naturæ, & necessariò. Si sic agit liberè tollitur hoc impedimentũ. Ex istis sequitur propositũ, auctor scit Deũ continere omnem causalitatem causæ secundæ, & scit ipsum merè contingéter agere ad extrà, & à nulla secunda causa necessariò determinari ad agendum, ergo ex puris naturalib. scit Deũ posse agere omné effectũ immediatè, & per cósequés scit ipsũ esse omnipotenté omnipotétia immediata, de qua est dubiũ. 46.

Respondeo ad omnes istas instantias. Ad primam, dico quòd negatur vtrunque membrum. Sic etiam hìc patet in diuinis si generat Deũ, aut generat alium Deum, aut generat alium non Deum, nulla propositio illius disiunctiuæ conceditur, nec sunt contradictoriæ, sed benè istæ, aut generat alium Deum, aut non generat alium Deum. Secunda est concedenda, vt patet à Doctore *in primo distinct.4. quæst.1.* Sic dico in proposito, nec illæ duæ contradicunt, sed benè istæ duæ, aut scit Deum esse omnipotentem, esse demonstrabile *propter quid*; aut non sit ésse demonstrabile *proter quid.* Conceditur secunda, quia hoc tantùm creditur. Si etiam concedatur prima in hoc sensu, scilicet, scio per fidem Deum esse omnipotentem, esse demõnstrabile *propter quid,* ergo possum ex puris naturalibus demonstratiuè *propter quid* cognoscere Deum esse omnipotentem non sequitur. Si dicatur ad primam responsionem, scilicet, quòd bene sequitur quòd viator sciat Deum non esse omnipotentem *propter quid,* quia à negatiua de prædicato finito ad affirmatiuã de prædicato infinito, valet consequentia. Dico, vt dixi in primo *dist.4.q.1. & dist.21.* vide ibi quomodo teneat illa consequentia. 47. *Respondeo ad omnes instãtias.*

Ad secun

Ad secundum. Dico, quòd quamuis sciam in confuso quòd voluntas perfectissima est medium,&c. non tamen ex hoc sequitur quòd ergo possum illam conclusionem demonstrare *propter quid*, sed requiritur quòd ego sciam illud medium distinctè, quia medium in demonstratione potissima debet esse primò notum distinctè, non enim sufficit scire medium sic in generali, & in confuso, quia nec vt sic, ponitur medium in demonstratione *propter quid*, sed ponitur medium sub sua ratione formali, & distincta, & vt sic debet cognosci si vult demonstrare propter quid. Per hoc idem dico ad secundam instantiam.

Ad dubia sequentia pro nunc omitto, sed relinquo illa ingeniosiori, & subtiliori me.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm Filius vel Verbum diuinum [a] habeat causalitatem aliquam propriam respectu creaturæ.

D.Thom. 1.*q.q.*63.*ar.*5.*&* 2.*d.*1. Scot. *d.* 10.*ad vltimum, & d.*12.*ad vltimum,*2.*d.*1.*q.*1. *Et quod.* 14. Henr. *quod.* 6. *q.* 2.



ARGVITVR quòd sic; quia ars dicit respectum causalitatis ad artificiatum,& idea ad ideatum; sed Verbo diuino competit propriè esse artem,& habere in se ideas omnium factibilium ergo, &c. Minor patet per August.6. de Trin. cap.9. vel.39.*verbum*,inquit,*perfectum,cui non deest aliquid,est ars quidem omnipotentis, & sapientis Dei*; hoc pro prima parte minoris. Et sequitur: *Plena omnium rationum viuentium incommutabilium:* Et hoc pro secunda parte minoris; quia per rationes illas intelligit ideas,vt patet ex intentione eius 83.*qu.quæst.*46. & sequitur ibi: *Nouit Deus omnia,quæ fecit per ipsum.* Hoc pro vtraque parte minoris:intelligendo sic; nouit tanquam in arte, in qua relucent rationes artificiatorum. 1.

Ratio ad opp. Ad oppositum Augustinus,2.*de Trin.c.*5. loquens de Filio incarnato:*Mitti*,inquit, *à Patre sine Spiritu sancto non potuit:* & sequitur paucis interpositis, *Fortasse aliquis cogitat, vt dicamus etiam à seipso missum esse Filium: quia ille Mariæ conceptus, & partus operatio Trinitatis est,qua causante,omnia causantur.* 2.

Et istam conclusionem concedit implicitè, cùm respondet ad obiectionem, quæ posset fieri contra eam,dicens: *Quomodo*,inquit,*Pater Filium misit,si ipse se misit?Cui primò respondeo*,&c. Item ibidem,intelligit istam Incarnationem vna eadémque operatione Patris & Filij inseparabiliter esse factã,nõ vtique inde separato Spiritu sancto.

Item, idem li.4.cap.22.vel 38. *Planè fidenter dixerim Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnius eiusdémque substantiæ, Deum creatorem, Trinitatem omnipotentem inseparabiliter operari.*

SCHOLIVM.

Non est aliqua ratio agendi ad extra propria Verbo,vel Filio Dei. Probat primò ex Aug. & Dionys. Secundò à posteriore ex authoritate Euangelij, quia Filius quicquid facit Pater, facit eodem modo cum eo; ergo non habet propriam rationem agendi,quia hæc vel informat, vel est idem supposito agenti; & neutro modo Filius est in Patre vel è contra, & reijcit responsionem Henrici. Tertiò à priori, quia principium formale agendi in Deo est intellectus,& voluntas, vel actus harum potentiarum, vel alterius earum,& ista sunt eodem modo in tribus personis, hanc rationem attingit Augustinus citatus. Reijcit rationem D.Thomæ ad conclusionem, quia scilicet essentia est vna in tribus, ideò non est propria ratio agendi alicui illarum.Contrà quia per essentiam non agitur ad extrà, quia naturaliter ageret Deus ad extrà:De quo 1.*dist.* 10.*& infrà q.*16.*Hanc conclusionem latè probat Doctor* 2.*d.*1.*q.*1.

QVÆSTIO ista generaliter proposita intelligi potest de quacumque causalitate, quæ Deo conuenit respectu creaturæ; sed argumenta magis tangunt de causalitate effectiua. 3.

De ista ergo causalitate primò inquirenda, sunt tria videnda. Primò vtrùm aliqua ratio formalis causandi sit propria Verbo. Secundò vtrùm aliquis modus, vel ordo in causalitate, seu causãdo, sit proprius sibi. Tertiò, vtrũ aliquis respectus causalitatis, vel aliquis suis respectus ad creaturã includatur per se in eius proprietate constitutiua.

De pri

De primo dici poteſt [a], quod non eſt propria ſibi aliqua ratio formalis agendi ad extrà.

Et hoc poteſt tripliciter oſtendi. Primò, auctoritate. Secundò, ratione ſumpta à poſteriori, & tandem ratione ſumpta à priori.

Auctoritas eſt Auguſtini 5. Trin. 14. vel 34. vbi dicit ſic: *Ad creaturam Pater & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnum principium, ſicut vnus creator, & vnus Deus.*

Tres perſonæ vnum principium creaturæ.

Ex hoc videtur, quòd ſicut eſt in eis vna formalis deitas, per quam dicuntur vnus Deus: ſic eſt vna formalis ratio cauſandi, & principiandi, per quam dicuntur vnus Creator, & vnum principium. Hoc idem vult Dionyſius *de Diu. Nom.* dicens *communia toti diuinitati ſunt cauſabilia omnia.*

Cauſabilia omnia communia ſunt Trinitati.

4. Ratio à poſteriori ſumitur [b] ab actu cauſandi, de quo actu ait Saluator Ioan. 5. *Quæcunque ille*, ſcilicet Pater *fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Per hoc, quòd ait; *quæcunque*, patet quòd non ſe habent Pater & Filius in agendo, ſicut cauſa vniuerſalis & particularis: ſicut Sol, & Pater in generatione animalis. Ex hoc, quòd ait, *hæc*, patet, quòd non ſunt cauſæ variæ reſpectu aliorum cauſatorum, ſed eorundem. Ex hoc quòd ait: *facit*, patet quòd non ſe habent, ſicut agens, & ratio agendi: ratio quippe agendi non propriè agit. Ex eo quòd ait *ſimiliter*, patet, quòd non habent ſe in agendo, ſicut cauſa ſuperior, & inferior, quæ non agit virtute propriâ, ſed virtute alterius, puta dependenter & imperfectè reſpectu eius: nec etiam agunt ſicut duæ cauſæ partiales † continentes vnam cauſalitatem completam, ſiue ſint eiuſdem rationis, vt duo trahentes nauem: ſiue ſint alterius rationis, vt intellectus agens, & phantaſma ſecundùm aliquos in mouendo intellectum poſſibilem: quia in talibus neutra cauſa poteſt dici completè facere: ſed ambæ faciunt completè, & totaliter: vtraque autem per ſe non niſi diminutè & partialiter vnde magis propriè dici poteſt vtraque alteri coagere, quàm facere effectum. Similiter tales duæ cauſæ non omnino ſimiliter cauſant effectum.

Ratio agendi nō agit propriè.

His ergo differentiis, & imperfectionibus excluſis, intellexit Chriſtus, quòd Pater, & Filius, & pari ratione tota Trinitas quæcunque cauſata ſimul cauſant, & hoc æquè perfectè & completè.

Tres perſonæ æquè perfectè cauſant. vide iñ d. 3. q. 8.

Ex hoc ſequitur, quòd Verbo non eſt propria aliqua ratio formalis agendi. Conſequentia iſta probatur [c] nullum ſuppoſitum formaliter agit niſi ſit actu per illud, quod eſt ſibi formaliter ratio agendi, & intelligo ſic: vel quòd habeat illud tanquam formã informantem, vt eſt in creaturis, propter quod Ariſt. 2. *de Anima* concludit animam eſſe actum & formam corporis; quia eſt principium, quo conueniunt ei operationes corporis animati: vel ſic, quòd illud, quod eſt principium agendi ſit omnino idem ſuppoſito agenti, ſicut eſt in forma ſimplici ſubſiſtente, quæ ſe tota ſtatim eſt illud, quod eſt, *ex* 8. *Metaph.* & ita ſe tota agit. Nunc autem illud, quod eſt proprium vni perſonæ non poteſt eſſe actus alterius perſonæ: nec primo modo, nec ſecundo modo, ſicut vult Auguſt. 7. *de Trin.* c. 1. vel 9. vbi vult, quod *pater non poteſt eſſe ſapiens ſapientia genita* Sequitur ergo, ſi illud quod eſt ratio formalis agendi in aliqua actione ſit proprium vni perſonæ, quòd alia perſona non agit formaliter illa actione.

Vtitur eadē ratione in 2. d. 1. q. 1. Tex. 6. & 18. & 24. Tex. 16.

5. Si dicatur ad illud ſecundùm vnam opinionem, quòd tres perſonæ in ſuo intellectu communi, & eſſentiali habent vnum verbum, quod eſt formale principium cauſandi quaſi proximum, & eſſentia quaſi remotum; ſed Pater habet illud Verbum à ſe, quaſi dicendo ipſum: Filius & Spiritus ſanctus habent ipſum à ſolo Patre, qui vice omnium vnicum Verbum dicit ad perficiendum intellectum eſſentialem: & ſimiliter dicitur de Spiritu ſancto, reſpectu voluntatis.

Henr. quol. 6. q. 2.

Contrà, certum eſt [d] quòd Pater non habet Verbum vt actum ſuum formalem, altero prædictorum modorum: ergo tantummodò habet ipſum vt correlatiuum, vel conſubſtantiale, diſtinctum tamen in ſuppoſito; ſed neuter modus habendi ſufficit ad hoc, vt ſic habens dicatur formaliter agere iſta actione, reſpectu cuius illud, quod ſic habetur, eſt proprium formale principium: quia neuter modus habendi ſaluat hoc principium formale haberi, tanquam formam, vel actum habentis quod tamen requiritur ad hoc, quod habens poſſet dici agere tali actione. Iſtud patet de creaturis non tantùm de correlatiuis, ſed quibuſcunque diſtinctis hypoſtaticè comparatis ad eandem actionem.

Habens aliquid vt correlatiuū vel conſubſtantialē, non poteſt per illud agere.

6. Tertiò arguitur [e] ad propoſitum à priori, primò per medium proprium ſic. Formalis ratio cauſandi in Deo, & proxima eſt intellectus, vel voluntas, vel aliquis actus intellectus, vel voluntatis; ſed trium perſonarum eſt idem intellectus, & eadem voluntas, & per conſequens, eorum eſt omnino idem actus intelligendi & volendi, & idem obie-

Eadē ſunt potentia & actus triū perſonarū.

obiectum, siue primarium, siue secundarium : ergo & eadem ratio formalis causandi etiam proxima est communis tribus personis.

Prim.Ioan. 10.2.Ioã.17 Prim Rom. 5.2.Gal.2. Hanc rationem tangit Augustinus secundo de Tri.†.5. *Quomodo* inquit, *Pater eum*, scilicet Filium, *sanctificauit, si ipse seipsum sanctificauit? vtrunque enim ipse Dominus ait, sicut probat ibi*: & pòst, *quomodo Pater eum tradidit, si ipse se tradidit? vtrunque enim dicit Apostolus*:sicut ipse probat ibi. Et subdit responsionem, *credo, respondebis, si probè sapis: quia vna voluntas est Patris & Filij, & inseparabilis operatio*, quasi dicat, huiusmodi veri, quòd Pater agit & Filius similiter agit, causa est propter eandem rationem agendi: quia vna voluntas est Patris, & Filij, & ex hoc sequitur inseparabilis operatio. Hoc etiam confirmatur per illud 3. Trin. 4. *Voluntas Dei prima est, & summa causa omnium*, id est, formalis ratio causandi.

Henr. vbi supra. Diceretur ad hoc [f], quòd licèt voluntas, vel intellectus sit formalis ratio causandi, non tamen in qualibet persona, sed aliqua propriè habet potentiam, vt est principium formale, vel proximum causandi.

Potentia eadem in quocunque supposito, est eadem ratio agendi. Contra hoc, si est eadem potentia, & habens eundem actum, & circa idem obiectum, ipsa in quocunque supposito sit semper habebit eandem rationem causalitatis, respectu obiecti causabilis per ipsam potentiam: nam suppositum non tribuit aliquam rationem causalitatis ipsi rationi formali agendi, sed ipsum habet rationem causæ agentis præcisè per hoc, quod habet rationem formalem agendi: quæcunque ergo persona habet eandem potentiam, habebit eandem habitudinem ad obiectum causabile. 7.

Tho.1.p. sum.q.45. art.6. Aliud medium [g] proprium accipitur ad propositum, ipsum, scilicet *esse* diuinum, & ex hoc medio arguitur sic: *esse* diuinum commune est tribus, quia ipsa essentia communis est tribus: *esse* autem diuinum est proprium principium causandi. Probo, *esse* rerum propriè est esse causatum, & oportet quòd causetur à suo simili: ergo per se causatur ab *esse* diuino.

Essentia non agit ad extra. Contra hoc: essentia vt essentia non est principium agendi nisi per modum naturæ: Deus autem ad extrà nihil agit hoc modo.

Omne causatum dependet à causa prima vt imperfectum à perfecto. Vltimò potest ostendi propositum per medium commune à priori, & hoc sic: omne causatum per se dependet à causa prima, sicut imperfectum & possibile à perfecto, & simpliciter necessario: ergo illud, quod est formalis ratio causandi, est formalis ratio terminandi istam dependentiam causati, & per consequens formalis ratio essendi perfectum, & necessarium: sed necessitas, & perfectio eadem est communis tribus personis; ergo & ratio terminandi dependentiam causati erit communis, & per consequens formalis ratio agendi erit communis.

COMMENTARIVS.

1. a  *E primò*. Quamuis Doctor hunc primum articulum probauerit *in secundo, dist.1.q.1. art. primo, & in primo, dist.25.* imò ibi *in primo* quasi totam quæstionem hîc positam, & omnia sint ibi exposita, tamen quia etiam hîc addit aliqua, ordinatè procedam exponendo quæstionem. Et primò primum articulum. Probat ergo in isto primo articulo quòd Filius non habeat propriam rationem formalem causandi creaturas effectiuè, & primò auctoritatibus.

b Secundò probatur ratione à posteriori sumpta ab actu causandi, siue ab effectu, de quo actu causandi, &c. Et dicitur causa vniuersalis, quia ad plura se extendit, quàm particularis. Dicitur etiam vniuersalis, quia superior, & talis communiter determinat particularem ad agendum. Si ergo omne causabile, ita est à Filio sicut à Patre, patet quòd vna non erit vniuersalis, & alia particularis, imò vtraque vniuersalis erit. Ex hoc quòd ait *Hæc*, patet quòd non sunt causæ variæ respectu aliorum causatorum, sed eorundem; patet, quia benè sequitur, quæcunque facit Pater, hæc facio, ergo eadem quæ præcisè producuntur à Patre producuntur à Filio. Ex hoc, quòd ait *facit*, patet quod non se habent Pater, & Filius sicut agens, & ratio agendi, &c. Cùm ergo dicitur, *quæ Pater facit*, notatur per hoc verbum *facit*, quòd Pater sit agens, & non ratio agendi, & si Filius eadem facit, notatur quòd ita sit agẽs, & non ratio, scilicet agendi sicut & Pater. Et quod dicit, quod *illud quod est ratio agendi non agit*, quomodo hoc debeat intelligi, vide quæ exposui de hoc *in 2.dist.1.q.1.* Ex eo quod ait *similiter*, patet quod non se habent in agendo sicut causa superior, & inferior, quæ non agit virtute propria, sed virtute alterius, puta dependenter, & imperfectè respectu eius: nec etiam agunt sicut duæ causæ partiales continentes vnam causalitatem completam, siue sint eiusdẽ rationis, vt duo trahentes nauem, siue sint alterius rationis, vt intellectus agens, & phantasma (secundùm aliquos) in mouendo intellectum possibilem, quia in talibus neutra causa potest dici completè facere, sed ambæ faciunt completè, & totaliter, vtraque autem per se non nisi diminutè, & partialiter. Vnde magis propriè dici potest vtraque alteri coagere, quã facere effectum. Similiter tales duæ causæ non omnino similiter causant effectum,

Quomodo Sol sit Pater in generatione animalis.

Do

De istis differentiis causarum, vide Doctorem *in primo, distin.* 3. *q*.8. *& in secundo, dist*.3. & vide quæ ibi exposui. Quod dicit de intellectu agente, & phantasmate, secundùm vnam opinionem, Hæc est opinio Gothofredi quam Doctor improbat in primo dist.3.4.7.

2. c *Consequentia ista probatur*, scilicet, quòd Verbum non habeat propriam rationem agendi, nec per consequens sit ratio formalis agendi ipsi Patri. Et probatio stat in hoc, quòd nullum suppositum formaliter agit, nisi sit in actu per illud quod est sibi formalis ratio agendi. Nota quòd dicitur suppositum formaliter agere, ex hoc, quòd principium formaliter agendi est formaliter in tali supposito; sicut cùm dico ignis formaliter calefacit lignum, id est, quòd ignis habet in se formaliter calorem, per quem, vt per rationem formalem calefaciendi, calefacit lignum, oportet ergo quòd tale suppositum per tale principium formale sit in actu, non in actu suppositum, sed quòd actu habeat rationem formalem agendi, si debet dici formaliter agere. Hoc etiam expositum est *in primo, dist*.17. *& in secundo, distin*.1.*q*.1. *art.primo*. Nota etiam quòd aliquid formaliter agit, vel per formam inhærentem, sicut ignis calefacit per calorem inhærentem: & similiter anima est ratio formalis corpori, quâ conueniunt ei operationes vitales, vt patet 2. *de Anima*: vel aliquando principium agendi est omnino idem, sicut cùm dicimus Ludouicus generat Ioannem, ratio formalis generandi est entitas quiditatiua Ludouici, vt aliàs exposui. Oportet ergo quòd si *A* sit ratio formalis agendi formaliter ipsi *B*, quòd *B* sit in actu per *A*, id est, oportet quòd *B* habeat in se formaliter, vel quiditatiuè, vel denominatiuè ipsum *A* per quod sit in actu ad agendum formaliter: modò in proposito, Verbum nullo modo est formaliter in Patre, vt patet: ergo Verbum non erit ratio formalis agendi Patri, quia tunc Pater esset in actu per Verbum, id est, actu haberet in se Verbum vel vt formam informantem, vel vt pertinens ad *esse* quiditatiuum Patris, quæ omnia sunt absurda, cùm nec Pater sit sapiens sapientia genita secundùm Augustinum 7. *de Trin.c*.4. *id est* 19. id est, quòd Pater non est formaliter sapiens ipso Verbo, quia tunc Verbum esset formaliter in Patre.

Quomodo anima sit ratio formalis corpori.

Si dicatur ad illud, &c. Hîc nititur ostendere secundùm opinionem Henrici quomodo Verbum est in Patre. Et dicit ista opinio, quòd tres personæ in suo intellectu communi, & essentiali habent vnum verbum, quod est formale principium causandi quasi proximum, & essentiam quasi remotum; sed Pater habet illud Verbum à se, quasi dicendo ipsum, sed Filius, & Spiritus sanctus habent ipsum à solo Patre, qui vice omnium vnicum verbum dicit ad perficiendum intellectum essentialem. Dicit ista opinio quòd Verbum diuinum accipitur in intellectu essentiali, siue nudo, & communi tribus personis: vult enim quòd intellectus, vt formatus notitia simplici, quâ cognoscit essentiam, sit ratio formalis producendi Verbum, & ipsum Verbum accipitur in intellectu, non vt informato notitia simplici & essentiali, sed vt nudè considerato, & quia talis intellectus est in tribus personis, sequitur etiam quòd verbum erit in tribus, & sic verbum hoc modo erit ratio formalis causandi proxima, tam Patri, quàm Spiritui sancto, quàm etiam sibimet: essentia tamen diuina erit ratio formalis agendi remota. Et hæc opinio prolixiùs est exposita in secundo *dist*. 1. *q*.1. *art*. 1. & specialiter in primo *dist*. 2. *parte* 2. *q*. 4. *& dist*. 27. vide ibi.

Quomodo Verbum sit in Patre secundum Henric. quodl.6.q.2.

d Contra hanc responsionem instat Doctor dicens: *Certum est quòd Pater non habet Verbum vt actum, &c.* Vult dicere quòd habere Verbum nec vt correlatiuum, nec vt consubstantiale, non sufficit vt per illud Pater dicatur formaliter agere. Dicitur Pater habere Verbum vt correlatiuum, sicut dicimus, Pater habet Filium ad quem refertur: modò correlatiuum non est formaliter in Patre, cùm sint formaliter opposita: ergo hoc modo Pater non aget per Verbum, vt per principium formale agendi, quia tunc Verbum vt correlatiuum esset formaliter in Patre. Dicitur etiam Pater habere Verbum vt consubstantiale, distinctum tamen in supposito, id est, quòd Verbum vt suppositum distinctum à Patre est consubstantiale Patri, id est, eiusdem substantiæ cum Patre. Sed Verbum vt sic habitum, vt consubstantiale Patri, non est ratio formalis agendi ipsi Patri, quia æquè Pater est consubstantialis Filio. Neuter ergo modus habendi Filium est ratio formalis agendi ipsi Patri, quia neutro modo Pater est in actu per Verbum, cùm ipsum Verbum vtroque modo semper sit personaliter distinctum à Patre, & vt sic, nullo modo potest esse formaliter in Patre, quod tamen requireretur, si Pater per Verbum ageret, vt per rationem formalem agendi. *Et istud patet in creaturis, non tantùm de correlatiuis, sed de quibuscunque distinctis hypostaticè comparatis ad eandem actionem*, nunquam vnum suppositum est ratio formalis agendi, alteri supposito, vt patet per experientiam. 3.

e *Tertiò arguitur ad propositum à priori*, id est, per rationem sumptam à forma, siue à causa, quæ propriè est ratio formalis causandi, sicut ratio sumpta ab actu principij formalis dicitur ratio sumpta à posteriori: sic ratio sumpta à principio formali productiuo est ratio sumpta à priori. Ratio ergo stat in hoc: voluntas, vel intellectus, vel aliquis actus voluntatis, vel intellectus, est proxima ratio formalis agendi, & illa eadem est in tribus: ergo tres personæ habent simpliciter eandem rationem formalem agendi, ergo Verbum non habebit propriam rationẽ formalem agendi.

Quomodo voluntas, vel intellectus sit proxima ratio formalis agendi.

f Adducit vnam responsionem, quam improbat, scilicet, quòd *diceretur ad hoc, quòd licet voluntas*, &c.

Contra hoc, si est eadem potentia, &c. Hoc etiam suprà clariùs patuit in primo, d. 7. & 27, & in secundo, d.1.q.1.art.1.

g *Aliud medium proprium*. Doctor adducit aliud medium vnius Doctoris ad probandum propositum, & accipit ipsum *esse* diuinum. Sed hæc ratio prolixiùs tractatur in quarto, d.1.q.1.

Doctor hoc improbat, quia essentia, vt essentia non est principium agendi, nisi per modum naturæ, vt patuit in primo, d.2. & infrà patebit *q*. 14. *art*. 2. Deus autem ad extrà nihil agit hoc modo, quia tunc ageret de necessitate naturæ, & secundùm vltimum potentiæ suæ, vt patet à Doctore in primo, dist.8.q.vlt.

An essentia sit principium agendi.

SCHOLIVM.

Obijcitur ex Henrico tenente amorem & notitiam, vt procedentes esse rationes a Deo operandi ad extra. Primò, quia sapientia essentialis est speculatiua, personalis est practica; hæc autem requiritur ad operandum ad extra. Secundò, artifex habet vnam notitiam vniuersalem purè speculatiuam, vltra quam habet aliam practicam dispositiuam ad opus: ergo sic in Deo est notitia essentialis & notionalis. Tertiò, forma naturalis non est principium, nisi vt respicit effectum: ergo amor & sapientia non sunt principium nisi vt respiciunt effectum, & hoc est vt sunt procedentes. Quartò, si pater haberet in se omnem rationem operandi ad extra, producere posset etiam non genito filio.

vbi supra. Rationes Henr.

Amor & notitia procedentes, sunt rationes operandi ad extrà secundum Henr.

Contra ista potest argui:[h] notitia, & amor in diuinis, secundùm quod sunt procedentes sunt rationes secundùm quas creaturæ producuntur, & hoc secundùm genus causæ formalis, sine quibus intellectus & voluntas essentiales non sufficienter disponerent ad ipsas creaturas producendas: nunc autem notitia procedens verbum est, & amor procedens Spiritus sanctus est: ergo verbo est aliqua ratio formalis causandi propria, & similiter Spiritui sancto: maior ostenditur quadrupliciter. Primò sic, sapientia vt est essentialis non est nisi speculatiua, sed vt personalis est practica respectu operandorum continens in se ideas, quæ sunt principia operandi: nunc autem non sufficit ad operandum aliqua notitia, tanquam ratio proxima, nisi sit practica, ergo, &c. 8.

Notitia artis duplex, speculatiua & practica secundum Henr.

Secundò ostenditur per exemplum de artifice creato: artifex enim in sapientia artis duplicem habet notitiam de artificiato: vnam simplicis notitiæ in arte vniuersali, qua intuetur operanda purè speculatiuè, & aliam habet notitiam dispositiuam ad opus, qua in arte particulari concepta de arte vniuersali intuetur ordinem productionis suæ in opus, & est cognitio practica: sine qua impossibile est artificem procedere in opus. Similiter Deus in notitia simplici essentiali nouit singula simpliciter & absolutè, tanquam in manifestatione quadam: in notitia verò producta nouit eadem intrinseca & extrinseca, tanquam in quodam declaratiuo, & specialiter nouit factibilia in eo, tanquam in quodam dispositiuo eorum ad opus. Sicut ergo notitia artis vniuersalis non sufficit sine notitia artis particularis, quæ est dispositiua, & practica: ita in Deo non sufficit notitia essentialis sine notitia producta.

Forma naturalis tantũ est principium operandi vt respicit effectum secundum Henr.

Tertiò ostenditur ista maior per quoddam simile in naturalibus: quia sicut forma naturalis non est principium actionis, secundum quod est perfectio eius in quo est, sed solummodo, secundum quod habet respectum ad effectum, similiter sapientia vel amor solummodo secundum quod habet respectum ad effectum, est principium operandi, sapientia autem disponens, & amor affectans, quæ respiciunt effectum, non sunt nisi sapientia & amor procedentes. 9.

Quartò ostenditur eadem maior ex ordine productionis intrinsecæ ad extrinsecam: & hoc sic, vbi in diuinis terminatur ordo rationis in essentialibus; ibi incipit ordo originis in personis: ergo pari ratione, vbi terminatur ordo originis in personis, ibi incipit ordo originis creaturarum: non potest ergo pater creaturam producere: nisi prius productis Verbo, & Spiritu sancto: si autem pater haberet in se formaliter omnem rationem causandi creaturam, ita quod in Verbo non esset aliqua propria ratio causandi, videtur quod posset pater causare, licet non produceret filium.

Creatura non potest esse nisi per verbũ Dei.

Confirmatur istud per August. 15. de Trin cap. 11. vel 28. *potest esse*, inquit, *verbum nostrum quod non sequatur opus*: opus *autem esse non potest nisi præcedat verbum, sic & verbum Dei esse potuit, nulla existente creatura, creatura autem nulla esse potest, nisi per ipsum per quod facta sunt omnia.*

SCHOLIVM.

Respondet Doctor ad rationes Henrici per solidam & subtilem doctrinam ad multa deseruientem: ostendit, quod in tribus primis rationibus falsum assumit. & ad 4. benè explicat qua ratione processiones ad intra præexigantur productionibus ad extra, licet non sint ratio aliqua propria vel formalis ad eas. Habet in solutionibus exquisita & clara Philosophica dogmata, quæ noto in margine: vide eum de his d. 1. q. 1. n. 12. & 14. vbi etiam latè Henr. refutat.

Ad ista

10. AD ista, maior primæ rationis neganda est: quia(vt dictum est prius)notitia & amor, secundùm quòd Deus est causa creaturæ, sunt communes formaliter tribus personis.

Ad primam probationem istius maioris, notitia in memoria, & notitia verbi non different in nobis vt speculatiua & practica: quia non differunt nisi sicut habitualis notitia & actualis,quæ conueniunt semper in ratione speculatiui vel practici: si ergo notitia essentialis in patre se habet sicut notitia in memoria respectu notitiæ, quæ est in verbo, non erit illa in patre speculatiua & alia practica: sed vel vtraque practica, vel vtraque speculatiua. Quod additur ibi de continentia idearum, soluetur respondendo ad argumentum principale.

Al. quæ. *Notitia in memoria, & verbo, se habet sicut habitualis & actualis.*

Ad secundum,notitia in patre de creatura non se habet, sicut notitia artis vniuersalis respectu notitiæ eiusdem in verbo. Patet hoc ex prædictis, quia se habent sicut notitia memoriæ & intelligentiæ & licet prima sit quasi habitualis, & secunda quasi actualis:tamen vtraque est æquè vniuersalis,vel particularis.

Notitia patris de creatura, & in verbo, æquè vniuersales.

11. Illud etiam quod dicitur de arte vniuersali,quod ipsa sit speculatiua,& ars particularis practica,non videtur verum:quia secundùm definitionem artis 6. Ethic. *Ars est habitus cum recta ratione factiuus*:patet ergo quòd omnis ars est habitus practicus: quia omnis habitus factiuus est practicus. Hoc etiam arguitur ex eo, quòd dicitur, artem particularem concipi de arte vniuersali: quia conclusiones practicæ resoluuntur in principia practica,saltem vt in principia proxima: imò videtur, quòd non possint resolui aliquo modo in principia speculatiua, nisi practica sit subalternata speculatiuæ: quia omnis doctrina conclusiones proprias resoluit in principia propria, nisi sit subalternata alicui superiori,cuius conclusiones habet pro principiis. Si quandoque ergo inueniatur dictum ab aliquo auctore, quòd ars vniuersalis est speculatiua,& particularis practica,hoc indiget expositione, & potest sic intelligi:quantò aliquod medium recedit magis ab vno extremo: tantò non solùm accedit ad alterum, sed dicitur habere rationem alterius;sicut patet *ex 5. Phys.* quòd rubeum respectu albi dicitur nigrū: nunc autem cognitio merè speculatiua est illa, quæ nullo modo est directiua in opus: cognitio verò merè practica est illa,quæ immediatè est directiua in opus:quæcunque ergo cognitio media pro quanto magis recedit ab vno extremorum, tanto magis potest dici contineri sub altero:nunc autem cognitio artis vniuersalis non est immediatè directiua in opus,quia operationes sunt circa singularia *1. Metaph.* notitia autem artis particularis est immediatè directiua. Pro tanto igitur notitia artis vniuersalis potest dici speculatiua,pro quanto non est immediatè directiua in opus, sicut est particularis:nec tamen est simpliciter speculatiua,sed directiua:licèt mediatè;quia particularis, virtute eius,est immediatè directiua.

Cap. 5. Omnis ars est habitus practicus. Conclusiones practica resoluuntur in principia practica. Tex. cō. 5 ii Rubrum respectu albi, dicitur nigrum. Cognitio purè speculatiua, quæ nullo modo dirigit ad opus: verè practica quæ immediatè sic dirigit.

12. Quod igitur additur,quòd in Verbo tanquam in dispositiuo nouit Deus factibilia: quæro quid intelligit per notitiam dispositiuam in Deo. In nobis video vnā notitiam de agibili determinantem quid sit agendum, & hanc sequitur actus voluntatis: quā rectè volo sic agere,sicut ratio dictat agendum esse. Istam volitionem sequitur quædam cognitio, quâ scio me sic velle:& si scirem volūtatem meam esse immutabilem, & non impedibilem,scirem me aliquando sic facturum esse: in Deo autem non possumus habere distinctos actus,re, sed quasi ratione:aut ergo per notitiā dispositiuam intelligis in Deo notitiam quasi præcedentem omnem actum voluntatis, siue illum, quo vult se sic facturum esse, & tunc sequitur quòd si talis notitia in Deo dispositiua est in vna persona,& in alia; quia omnis notitia in Deo, quæ quasi præcedit omnem actum voluntatis, habetur in intellectu diuino virtute primi obiecti mouentis: illud autem mouet necessariò intellectum diuinum ad quamcunque notitiam præcedentem actum voluntatis: quia in tota ista motione non inuenitur principium motiuum nisi per modum naturæ,& per consequens necessariò.

De quo 1. d. 38. n. 2. In proximo. In nobis est vna notitia determinās de agibili, quam sequitur actus voluntatis.

Aut per notitiam dispositiuam intelligis illam, quæ sequitur determinationem voluntatis, & tunc sequitur, quòd cùm quælibet persona nouit determinationem voluntatis in quacunque persona, sicut in se ipsa, quòd quælibet habet æquè notitiam dispositiuā de quolibet operabili. Nec valet dicere,quòd hæc persona nouit aliam sic disponere de operabili,sed non seipsam,quia sicut argutum est ad conclusionē principalem istius articuli. Vnius voluntatis vna est dispositio, & ita si vna persona disponat de hoc operabili,per consequens & alia,quæ habet eandem voluntatem eodē modo:imo eodem actu disponit, & per consequens reflectendo se per actum intellectus super actum voluntatis,sicut vna scit se sic disponere de hoc operabili,sic & alia,& sic

Vnius voluntatis vna est dispositio; & sic communis tribus.

notitia dispositiua isto modo intellecta est communis tribus personis.

Ad tertiam probationem, quæ est de forma naturali actiua. Respondeo, licèt forma naturalis actiua habeat respectum quendam ad productum, qui respectus significatur per nomen *principij*, vel *potentiæ*: tamen illud, quod dicitur esse principium, vel potentia tanquam substratum huic respectui est aliqua forma absoluta. Quod probatur, quia non minùs formale principium actionis vel motus est aliquod absolutum, quàm terminus: & præcipuè si ista propositio est vera: *Illud est formale principium agendi, in quo agens & productum aßimilantur*: nunc autem terminus formalis actionis vel motus non solùm potest esse forma absoluta, sed necessariò videtur *ex* 5. *Phys.* quod est forma absoluta, non includens aliquam relationem; ergo vel est necessarium vel saltem possibile, quod illud quod est principium formale agendi sit forma absoluta, & vt forma absoluta. Hoc declaratur in exemplo: quia licèt calor sit potentia calefaciendi, & hoc quod dico, *potentia*, importat respectum in concreto, tamen ille respectus per se non includitur in ratione principij actiui, sicut loquimur de principio actiuo, accipiendo pro illo, quod immediatè denominatur ab illo respectu. Hoc patet in alio exemplo magis remoto, hoc quod est, esse obiectum, importat ex significatione nominis respectum. 13.

Principiũ operandi sicut & terminus est absolutum.

Tex. c. 10. & expressius 7. Phy. Tex. 17. & 20.

Si tamen quæratur, quid sit primum obiectum visus, non respondetur per aliquod relatiuum, quia tunc esset facilè assignare omnia obiecta potentiarum, puta quòd primum obiectum visus est visibile, & auditus audibile: & sic de aliis: sed oportet assignare pro primo obiecto aliquod absolutum substratum illi relationi, quæ importatur per hoc, quod est obiectum, cuius absoluti forma sit per se motiua talis potentiæ: sicut lux, vel color respectu visus, & sonus respectu auditus. Et sic de aliis; hoc est quod dicit Arist. secundo de anima, *cuius*, inquit, *est visus, hoc est visibile*, & sequitur, *visibile est color, hoc autem est secundùm se visibile, secundùm seipsum autem, non ratione, sed quoniam in seipso habet causam esse visibile, omnis enim*, &c. Vult dicere, quòd si color est primum obiectum visus, ipsum secundùm se est visibile, non per se primo modo: & hoc est, quod dicit, non ratione, hoc est, hoc prædicatum quod est visibile, non cadit in ratione subiecti: sed per se secundo modo: quia in subiecto est causa prædicati, & hoc intendit, cùm subdit: *sed quoniam in seipso habet causam.* 14.

Obiecta visus & auditus sunt absoluta.

Explicat descriptionem obiecti visus.

Consimiliter est in multis aliis, & specialiter in proposito: quia cùm quærimus principium actiuum respectu alicuius actionis, non intelligimus de respectu, qui importatur in concreto, per hoc quod est principium actiuum: tunc enim facilè esset ostendere respectu omnis actionis suum principium: quia principium actiuum respectu calefactionis est calefactiuum: & illuminationis illuminatiuum: & sic de singulis. Sed intelligimus de illo, quod est proximum fundamentum illius respectus: illud autem est forma absoluta, & hoc non includendo aliquem respectum, quia respectus ille non posset alicui esse prior natura termino respectus: forma autem actiua est prior natura termino actionis, saltem in actionibus æquiuocis. Applicando ergo ad propositum, si notitia, quæ est ratio formalis producendi creaturam, non plus includat rationem respectus ad eam, quàm ratio respectus includitur in forma in ratione principij actiui naturalis, & ibi non includitur, sed tantùm consequitur, videtur sequi, quòd in ratione notitiæ, vt est formale principiũ producendi creaturã, non includitur respectus ad eã.

Cùm quæritur principiũ actionis, quæritur de fundamento respectus, non de respectu.

Aliter breuissimè potest dici, quòd in notitia producta non est aliquis respectus ad creabile, qui non sit in notitia communi tribus personis, sicut priùs probatum est.

Ad quartam probationem maioris, licèt ista congruentia de prioritate productionis intrinsecæ ad extrinsecam posset multipliciter impediri: tamen conceditur conclusio, quòd vera est, scilicet, quòd Pater non posset producere creaturas, nisi priùs productis Filio & Spiritu sancto; & ratio huius est: quia quando ab eodem vnum simpliciter necessariò producitur, & aliud contingenter, non potest producere illud, ad quod contingenter se habet, nisi priùs producto illo, ad quod necessariò se habet: & maximè quando eadem est necessitas producti, & producentis: productum autem extrinsecum contingenter producitur; intrinsecum verò necessariò, sic quòd ipsum est necessarium eadem necessitate, quã & producens. Non potest ergo inchoari ordo productorum extra nisi prius terminato ordine productorum intra. 15.

Productio ad intrà, quia omnino necessaria, præcedit productionem ad extrà.

Alia ratio est, quia producto priori communicatur causalitas respectu posterioris, si non repugnet propriæ rationi illius producti, nam ex ordine productorum nulla repugnat sibi causalitas, cùm ipsum sit priùs productum. Cùm ergo persona producta (vt tactum est in ratione priori) sit producta priùs quacunque creatura: & cum non repugnet

Producto priori communicatur causalitas respectu

repugnet sibi ex ratione productionis causalitas respectu creaturæ; sequitur quòd est prius creatura non tantùm vt est priùs producta quàm ipsa creatura, sed & vt productiua ipsius.

posteriorũ, si sit capax.

16. Et hæc duplex ratio prioritatis potest haberi ex verbis Augustini ibi adductis; prima ratio in hoc, quòd ait, *verbum Dei esse potuit non existente creaturâ, non autem à conuerso*; secunda, in hoc quòd subdit, *per quod omnia facta sunt*. Nec tamen ex istis duabus rationibus, nec ex ista auctoritate sequitur, quòd Verbo sit aliqua propria ratio formalis causandi, quia absque tali proprietate rationis causandi potest stare tam prioritas personæ ad creaturam tanquam producti ad productum, quàm prioritas, tanquam principij productiui ad productum: non enim oportet quòd productum immediatius producenti, vel productioni, & etiam productiuum tertij habeat propriam rationem producendi illud tertium: sed sufficit; quòd habeat rationem communem eandem cum primo producente: sic quòd necessariò sibi illam communicat antequàm vltimum productum producatur, & sic est in proposito. Per hoc apparet, quare Pater Filio, & Spiritu sancto non productis, non posset creare: quia non producto illo, ad quod producens necessariò se habet, non potest produci illud aliud, ad quod contingenter se habet: non producto etiam illo, quod natum est habere eandem causalitatem respectu tertij cum producente non potest produci illud tertium: ergo illa propositio assumpta: si verbum non haberet propriam rationem causandi, pater, etsi non produceret verbum, tamen posset creare, falsa est propter duplicem rationem prædictam.

Non oportet quod productum prius sit ratio producendi posterius productũ.

17. Si arguitur contra hoc, quia secundùm auctoritatem Augustini, creatura necessariò præexigit Verbum in ratione causæ, vnde ait, *creatura nulla esse posit nisi per ipsum, per quod omnia facta sunt*, scilicet Verbum, non autem necessariò præexigeretur in ratione causæ, si totalis & completa causabilitas esset in Patre. Respondeo, quod Verbum necessariò præexigatur in ratione causæ ad productionem creaturæ, potest dupliciter intelligi, vel tanquam causalitatem perficiens, vel tanquam in eadem causalitatem perficiens, vel tanquam in eadem causalitate cum primo præexacto conueniens. Primo modo non requiritur Filius, quia non perficit causalitatem Patris: sed Pater in se: & à se habet causalitatem perfectam, & eam communicat Filio: & ideò Filius habet, quia Pater habet, secundo modo requiritur Filius: quia enim priùs quàm creatura producatur, communicatur sibi eadem natura cum Patre, & per consequens eadem virtus actiua respectu cuiuscunque posterioris: sequitur quòd Filius tanquam conueniens in eadem causalitate cum Patre præexigitur ad productionem creaturæ.

Per hanc resp. soluuntur hæ auctoritates Verbo Domini cæli, &c. Omnia per ipsum facta sunt. Per quem fecit & sæcula: ly Per, non dicit causam formalem.

Aliter potest dici, & redit in idem, quod effectum præexigere aliquid in ratione causæ potest esse dupliciter. Vno modo ex parte ipsius effectus simpliciter, quantum est de se ita scilicet quod effectus non haberet à quo sufficienter posset produci; nisi illud esset causa: alio modo ex parte necessariæ comcomitantiæ in causa: primo modo Filius non præexigitur in ratione causæ, sed secundo modo: quia eandem perfectionem totalem causandi haberet Pater si per impossibile solus esset; sed non potest in actu illius causalitatis exire nisi priùs Filius concurrat secum, vel communicet secum in eadem perfectione, & secundùm eam exeat in eundem actum.

Filius præexigitur creaturæ, quia eandem habet actiuitatem cum Patre.

COMMENTARIVS.

4. h Contrà, *ista potest argui*. Hìc Doctor intendit probare per aliquas rationes, quòd Verbum dicat propriam rationem causandi, & similiter Spiritus sanctus. Et arguit sic primò, n.8. *Notitia, & amor in diuinis, secundùm quòd sunt procedentes, &c.* Vult dicere in maiori, quòd sunt rationes formales producendi, & hoc est quod dicit, *secundùm genus causæ formalis*, sicut dicimus, calor in igne est ipsi igni forma, secundùm quam potest calefacere, sic Verbum est forma, & ratio secundùm quam creaturæ producuntur. Deinde cùm dicit de intellectu essentiali potest dupliciter accipi intellectus, & similiter voluntas. Primò dicitur intellectus essentialis, prout ponitur potentia intellectiua communis tribus; & similiter voluntas: secundò potest accipi pro actu intelligendi communi tribus, & similiter voluntas pro actu volendi, & sic

Voluntas potest dupliciter accipi.

multoties apud Sanctos accipitur *voluntas* pro actu volendi, sicut Augustinus accipit *primo Retrac.* cùm dicit quòd nihil est tam in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas, id est, actus voluntatis, & exponit Doctor in primo d.., q.4. & in quarto dist. 46. In proposito accipit *intellectum*, & *voluntatem* primo modo, & possunt dici potentiæ essentiales dupliciter. Primò, quia sunt communes tribus, sicut etiam Doctor p.1. accipit *essentiale*. Secundò dicuntur essentiales, pro quanto sunt in potentia remota ad agendum: sicut etiam dicimus quòd intellectus ante speciem intelligibilem est in potentia essentiali, siue remota ad actum intelligendi abstractiuam; & habita specie est in potentia accidentali, & propinqua ad producendum actum intelligendi, vt patet à Doctore *in primo, d.3.q.6.* & vide quæ ibi exposui. Hoc modo in diuinis istæ potentiæ

Voluntas, & intellectus sunt potentiæ essentiales dupliciter.

possunt dici essentiales, quia & potentia remota ad producendum creaturas, sed habita notitia, procedens, siue ipso verbo in intellectu diuino, tunc potest intellectus dici potentia accidentalis, siue propinqua ad producendum creaturas:& sic Verbum erit ratio formalis ipsi intellectui, & propinqua ad producendum creaturas: & similiter Spiritus sanctus, vt existens in voluntate diuina, erit ratio formalis, & propinqua ipsi voluntati ad producendum creaturas. Et sic patet intellectus illius maioris quam Doctor negat, scilicet, quòd Verbum in intellectu sit formalis ratio producendi, & quod negat de Verbo similiter negat de Spiritu sancto. Probatur ergo ista maior quadrupliciter. Et sigillatim adducam rationes. Prima probatio stat in hoc: Sapientia, vt est essentialis, non est nisi speculatiua, sed vt est personalis, est practica respectu operandorum continens in se ideas, quæ sunt principia operandi; nunc autem non sufficit ad operandum aliqua notitia tanquam ratio proxima, nisi sit practica. Accipit hîc sapientiam essentialem, vel pro actu intelligendi communi tribus, vel pro memoria, quæ dicitur sapientia habitualis, vt expositum est *in primo, d.2. par.2. d.6. d.27.* In proposito accipit, vel pro notitia habituali, vel actuali. Dicitur speculatiua, pro quanto notitia, siue habitualis, siue actualis nullo modo est directiua ad agendum:& dicitur practica, pro quanto est directiua ad agendum extrà: de hoc vide in prolo. q. vlt.

Quomodo accipiatur sapientia.

5. Respondet n. 10. negando maiorem primi argumenti, quia notitia, & amor secundùm quæ Deus est causa creaturæ sunt communes tribus, & accipit hîc *notitiam* pro actu intelligendi communi tribus, vel pro actu volendi cómuni tribus, Doctor tamen tenet quòd principium immediatum producendi creaturas ponitur actus volendi, vel actus, voluntatis, vel ipsa voluntas. Est tamen differentia inter actum voluntatis, & actum volendi, quia omnis actus volendi est actus voluntatis; sed non omnis actus voluntatis est actus volendi. Patet, quia actus, siue productio, quâ voluntas producit actum volendi dicitur actus voluntatis productiuus, & tamen non est actus volendi. Similiter in intellectu actus intelligendi, & actus intellectus differunt: quia omnis actus intelligendi est actus intellectus, sed non omnis actus intellectus est actus intelligendi. Patet quia actus, siue productio, quo, vel qua producitur actus intelligendi in nobis, est actus intellectus, sed non est actus intelligendi; actus enim intelligendi est actus, quo intellectus formaliter intelligit, sed actu productiuo non intelligit. Sed Doctor hîc ponit vel actum intellectus, vel actum voluntatis esse principium creaturarum immediatum, & non habet hîc discutere an producantur actu intelligendi, vel actu productiuo, vel actu volendi, vel actu voluntatis productiuo, quia qualitercunque ponatur, sunt isti actus communes tribus personis. Et quòd sint necessariò communes tribus prolixè ipse probat in secundo, d.1.q.1.

6. *Ad primam probationem maioris.* Dicit, quòd *in nobis notitia in memoria, & notitia in verbo non differunt, vt speculatiua, & practica,* &c. Hîc aduerte pro maiori intelligentia, quòd notitia in memoria in nobis, quæ dicitur habitualis, potest dupliciter accipi. Primò, pro ipsa memoria, quæ nihil aliud includit, nisi præsentiam obiecti, vel in se, vel in aliquo repræsentatiuo, & intellectus, vt patet à Doctore *in primo, d.2. p.2. q.3. dist.6.* & dicitur memoria hoc modo notitia habitualis, quia sicut habens habitum ex frequentatis actibus, promptè, & faciliter operatur, sic habens memoriam perfectam, id est, præsentiam obiecti in intellectu faciliter intelligit. Secundò, potest accipi notitia habitualis pro habitu causato ex frequentatis notitiis actualibus. Et dicitur etiam pertinere ad memoriam, quia sicut memoria propriè, vt memoria ponitur principium productiui, sic omne concurrens ad talem productionem dicitur pertinere ad memoriam, vt memoria est, & quia habitus ponitur etiam causa partialis actus, vt patet à Doctore *in primo, d.17.* & ideò dicitur pertinere ad memoriam: notitia ergo in memoria accipitur vel pro habitu, qui dicitur in memoria, pro quanto pertinet ad memoriam productiuam; vel accipitur pro obiecto relucente, vel præsente intellectui, cùm sit principium productiuum actus intellectus, vt patet à Doctore *in primo, d.3. q.7.* vel accipitur pro tota memoria, quæ tunc includit necessariò obiectum, & potentiam, quia vno istorum deficiente, non posset haberi actus intelligendi, vel actus intellectus: habitus verò non requiritur, nisi ad perfectiorem actum, sed non necessariò requiritur ad actum absolutè. De istis vide quæ exposui *in primo, d.3. q.7. & d. 17. & in d.2. par.2. q.3.* Sed notitia in Verbo idem est quòd ipsum Verbum. Vnde est ibi constructio intransitiua, quia in nobis omnis notitia actualis dicitur verbum, vt patet à Doctore *in primo, d. 27.* eo modo, quo ponitur notitia etiam verbum, quia si est notitia perfecta, erit verbum perfectum, si imperfecta imperfectum, vt patet à Doctore *vbi suprà.*

Notitia in verbo quid sit.

Nota secundò, quòd si notitia actualis, puta cœli, est speculatiua, etiam habitualis causata ex frequentatis notitiis, erit speculatiua, vt patet, quia si actus est speculatiuus, & habitus, ex quo generatur, erit similiter speculatiuus. Similiter si notitia actualis cœli est speculatiua, & notitia habitualis, accipiendo habitualem pro obiecto præsente in memoria (vt exposui) erit similiter speculatiua, quia tale obiectum, puta cœlum, vt præsens intellectui, non est natum producere de se, nisi notitiam speculatiuam, cùm sit obiectum merè speculabile. Similiter si notitia actualis sit practica, id est, directiua in praxim, etiam habitualis vtroque modo erit practica, & de omnibus istis vide Doctorem *in prolo. q. vlt.* & vide quæ ibi prolixè exposui. 7.

Tertiò nota de notitia in diuinis: nam notitia in diuinis potest tripliciter accipi. Primò, pro notitia habituali, & talis est præcisè memoria fœcunda, non enim ponitur in diuinis aliquis habitus, qui sit generatus ex frequentatis actibus, vel ex vno actu, cùm hoc dicat imperfectionem, & quòd talis habitus non ponatur, patet à Doctore *in quarto, d. 46. q. 1.* Secundò, ponitur notitia actualis communis tribus, & ideò essentialis: & talis notitia est intellectio actualis, quâ personæ diuinæ formaliter intelligunt omnia, tam creata, quàm increata. Tertiò ponitur notitia verè genita, & talis est Verbum, quod dicitur notitia genita. Si ergo notitia in Patre essentialis, siue habitualis, siue actualis est speculatiua, ita notitia in Verbo, siue notitia genita, quæ est Verbum, erit speculatiua. Patet, si enim notitia habitualis, siue ipsa memoria nullo modo est productiua cognitionis actualis practicæ respectu cuiuscunque obiecti,

Notitia in diuinis potest tripliciter accipi.

Practicum, & speculatiuum à quo accipiantur. obiecti, nec ipsa notitia actualis erit practica, quia speculatiuum, & practicum accipiuntur per comparationem ad obiecta, à quibus sic denominantur, vt exposui *in prolo.q.vlt.* vide ibi: notitia enim essentialis in Patre, & actualis, quæ etiam est communis Filio, & Spiritui sancto est declaratiua omnis obiecti, tam intrinseci, quàm extrinseci, vt patet à Doctore *in primo, d 27. & in 2.d.1. q.1.* & vt sic declaratiua, quasi producitur à memoria diuina, sequitur quòd si memoria non est practica, quòd nec notitia actualis erit practica. Et si illa actualis non est practica, nec notitia in Verbo erit practica, siue notitia genita, quæ est Verbum: patet, quia illa est declaratiua omnis obiecti. Tum etiam, quia illa est producta ab eadem memoria, à qua & notitia essentialis actualis. Tum, quia si illa essentialis actualis esset realiter distincta à Patre, esset verè genita, & eadem præcise, quæ nunc est, & quæ Verbum est, vt patet à Doctore *in primo, d 2. par.2.* & vide quæ ibi exposui super ista materia, de notitia genita, & ingenita. Ex his ergo patet qualiter probatio maioris non est vera scilicet, quòd notitia essentialis sit speculatiua, & illa quæ est in Verbo practica, imò simpliciter si vna est practica similiter, & alia, & si vna speculatiua, similiter, & alia erit speculatiua, vt suprà patuit.

8. Secundò principaliter probatur eadem maior, n. 8. quia artifex in sapientia artis duplicem habet notitiam de artificiato, &c.

Quid sit ars. Pro declaratione huius rationis nota primò, ars, secundùm quam quis denominatur artifex, est cognitio verè practica, quæ est directiua in opus, siue ad operandum sic & sic. Et vltra vult ista ratio quòd notitia in vniuersali, quam habet artifex, puta de domo ædificanda, non sufficit ad operandum. Est enim pro nunc duplex notitia in artifice, vna scilicet, qua respicit in generali, puta, quòd domus ædificanda debet ædificari sic, & sic, puta ex lapidibus, lignis, ferro, & huiusmodi; & hæc notitia dicitur notitia simplex, siue speculatiua, quia non dirigit opus, & non dicitur simplex notitia prout distinguitur contra complexam, sed dicitur simplex, quia stat in illa sola speculatione, siue consideratione, & prout distinguitur contra practicam, quæ non solùm est consideratio mediorum ad opus, sed actu dirigit in opus. Vult ergo ista ratio, quod solùm illa notitia, quæ immediatè dirigit ad opus in particulari, puta ad hanc domum ædificandam, quæ tunc actu dirigit, quando actu dictat de omnibus mediis in particulari, necessariò requisitis, illa verò, quæ tantùm sic dictat in vniuersali dicitur speculatiua, alia verò practica. Secundò dicit ista ratio, quòd notitia essentialis in Deo, quæ est communis tribus quâ omnia intelligit est speculatiua, & non practica, & ista non dirigit ad opus. Sed cognitio in Verbo, siue ipsum Verbum est verè directiua in opus, quæ notitia necessaria est artifici, & sine illa operari non posset, & sic patet ratio.

Duplex notitia in artifice. Simplex, siue speculatiua. Alia vero practica.

9. Respondet Doctor & primò dicit, quod notitia essentialis in Patre de creatura non se habet sicut notitia artis vniuersalis respectu notitiæ, &c. Patet, quia si accipiatur habitualis pro memoria fœcunda, illa est productiua notitiæ respectu omnium intelligibilium Si etiam essentialis, est notitia actualis non producta, sed omnibus communis, illa respicit omnia intelligibilia, & omnium declaratiua Sic similiter notitia, quæ est verbum est omnium declaratiua, cùm sit de omnibus intelligibilibus producta secundùm *quid* prætérquam de essentia diuina, vt patuit in secundo, *d. 1. q. 1.* & sic sequitur quòd si vna sit vniuersalis, & alia similiter erit, cùm vna præcisè respiciat obiecta sicut alia, & vna non plus se extendit quàm alia. Et quod dicit quòd notitia essentialis in Patre, & notitia in Verbo se habent sicut notitia memoriæ, & intelligentiæ, notitia in memoria est notitia habitualis, vel quasi habitualis modo præexposito superiùs: notitia in intelligentia est notitia actualis, vel quasi. Et idem est notitia in intelligentia, quòd intellectio actualis, & notitia in memoria, quòd notitia habitualis. Posset etiam dici quòd quando loquitur de notitia in Verbo quòd multoties loquitur non de notitia genita, quæ est Verbum, sed de notitia essentiali, quæ est communis tribus, quæ tamen appropriatur Verbo, vt patet *in primo. d. 27. & in 2. dist. 1. q. 1.* vide quæ ibi exposui. Sed in probatione illius maioris, accipitur notitia in Verbo pro ipsa notitia genita, quæ verbum est. Patet, quia si acciperet notitiam essentialem appropriatam tamen Verbo: tunc talis notitia non est propria ratio producendi ad extrà in Verbo, nisi tantùm appropriatè, quod Scotus concedit *in primo, d. 27. & in secundo, dist. 1. quæst. 1.* Si ergo accipit rationem propriam, accipit vt est notitia genita, quæ Verbum est.

Subtilis doctrina.

Secundò dicit de arte in vniuersali, quòd ipsa non est verè speculatiua sed practica, cùm ars sit habitus cum recta ratione factiuus, vt patet *6. Ethi.* si ergo habitus artis est directiuus ad factibile, sequitur quòd erit practica. Tum etiam, quia iste vult quòd ars particularis concipiatur ab arte vniuersali, sequitur quòd ipsa vniuersalis sit practica, quia conclusio practica non potest resolui in principia speculatiua, saltem in proxima principia, imò fortè nec in remota. Tertio addit, quòd ars vniuersalis, licèt sit practica, potest tamen dici speculatiua, pro quanto recedit à verissimè practica, qualis est ars particularis. Nec oportet hic multùm insistere, cùm omnia ista de arte vniuersali, & particulari sint prolixè exposita in prolog. q. vlt. vide ibi singularia dicta. *Ars est practica non autem speculatiua.*

Tertia probatio maioris est à simili, n. 9. quia sicut forma naturalis non est principium actionis, secundùm quod est perfectio eius, in quo est, sed solummodò secundum quod habet respectum ad effectum; sic sapientia, vel amor, &c. Et per consequens talis respectus ad effectum erit ratio formalis principiandi, siue causandi, & sic Verbum habebit rationem propriam causandi creaturam, quia respectum proprium ad effectum, & similiter Spiritus sanctus, siue amor productus. 10.

Respondet Doctor primò, n. 13. quòd licèt forma naturalis actiua habeat respectum quendam ad producendum, quia respectus significatur per nomen *principij*, vel potentiæ, tamen id, quod dicitur esse principium, vel potentia tanquam substratum huic respectui, est aliqua forma absoluta. Et hoc patet per propositionem sæpiùs allegatã à Doctore *in primo & secundo,* quòd ad absolutum in causa sequitur absolutum in effectu, ita quòd prius est absolutum in causa, & similiter in effectu, quàm sit respectus causæ ad effectum, & è conuerso, & vide huius propositionis expositionem in secundo, d. 1. Doctor tamen hoc probat dupliciter. Primò, quia principium formale motus, vel actionis non est minùs absolutum, quàm terminus *Forma naturalis actiua habet respectum ad producendum.*

terminus motus, vel actionis. Patet ista propositio, quia non minoris entitatis est principium formale productiuum, quàm terminus formalis, cùm talis terminus sit per tale principium communicatus; sed terminus motus, præcipuè loquendo de motu, qui est ad substantiam, quantitatem, & qualitatem, est ens absolutum, vt patet per Philosophum. *5. Phy.* qui terminus non includit, scilicet formaliter siue quiditatiuè aliquem respectum, cùm ille necessariò sit posterior, vt suprà dixi. Et fortè etiam terminus motus ad *vbi*, accipiendo *vbi* non formaliter, & pro respectu, sed pro substrato, vt patuit in secundo, dist. 2. respondendo ad obiectiones Gregorij contra Doctorem: vide ibi. Probat secundò quòd si terminus formalis generationis, vel actionis, sit forma absoluta, quòd est principium formale producẽdi, quia principiũ formale productiuũ est id, in quo producto assimilatur producens, sicut & terminus formalis actionis, siue generationis, est id, in quo productum assimilatur producenti, ergo si terminus actionis sit forma absoluta, etiam principium formale producendi, imò à fortiori, quia terminus formalis dependet à principio formali

Exemplum de calore. productiuo. Et hoc declarat per exemplum de calore, qui etsi dicatur potentia calefaciendi, & illa potentia importet respectum in concreto, tamen ille respectus non includitur in ratione formali caloris, vt principij productiui. Exempla sequentia sunt clara in litera.

11. *Contra Henricum.* Deinde applicat ad propositum dicens, n. 14. *si notitia, quæ est ratio formalis producendi creaturam non plus includit rationem respectus ad eam*, &c. Et patet, quia prius est absolutum in creatura producta, quàm sit respectus ad causam producentem, vt patuit *in primo, d. 3. q. 5.* contra Henricum *& in secundo, d. 1. q. 2.* Et quod dicit de notitia, quòd est principium formale producendi creaturam, hoc non dicit secundùm opinionem propriam, siue loquendo de notitia genita, vt suprà patuit; siue de notitia ingenita, quæ nullo modo est principium producendi: tum, quia eius actio esset necessaria, quia omnis forma actiua agit per modum naturæ præter voluntatem, vt

Scotus loquitur ad hominem. patet à Doctore in pluribus locis. Tum etiam, quia notitia non ponitur forma productiua, cùm sit terminus potentiæ, vt patet à Doctore *in primo, d. 2. par. 2. q. 3. & 4. & d. 6.* Nec etiam talis notitia ponitur dispositiua causa eo modo, quo in nobis ponitur notitia practica, quæ pro tanto dicitur causa dispositiua, pro quanto dirigit voluntatem ad operandum. Sed nulla notitia in Deo, quæcunque sit illa, dirigit voluntatem ad operandum aliquid extra, vt subtiliter patet à Doctore *in prolog. q. vlt.* imò prius voluntas diuina determinat quid sit agendum ad extrà, quam intellectus diuinus intelligat, vt patet à Doctore *vbi suprà, & specialiter in 39. d. primi, & q. 14. quodl. art. 3.* Et sic patet quomodo nullo modo ponit notitiam, siue genitam, siue ingenitam esse rationem formalem producendi. Sed dicit Doctor hîc ex intentione quòd posito quòd notitia genita sit principium formale producendi, ex hoc non sequitur quòd in tali ratione formali includat respectum ad creaturam, quia nullus talis respectus requiritur ad agendum, cùm sit posterior principio formali. Dat vltimò aliam responsionem, quòd posito, quòd in principio formali productiuo creaturæ includatur respectus ad creaturam (quod tamen nullo modo est verum, vt patet in primo, *d. 27.* & in secundo, *d. 1. q. 1.* & in præsenti quæst. *ar. 3.*) tamen ille respectus erit communis tribus personis, vt prius patuit, & sic patet.

Quartò, & vltimò probatur illa maior n. 9. ex ordine productionis intrinsecæ ad productionem extrinsecam, &c. 12.

Nota. Respondet primò, n. 15. quòd illa congruentia de prioritate productionis intrinsecæ ad extrinsecam, posset multipliciter impediri. Et patet quomodo posset impediri; primò, quia in aliquo priori terminatur ordo rationis in essentialibus, & tamen ibi non incipit ordo originis. Et declaro hoc, nam ordo rationis in essentialibus in diuinis est ordo, qui est inter perfectiones diuinas, quia saltem secundùm rationem priùs intelligitur essentia diuina, quàm alia. Deinde priùs secundùm rationem intelligitur intellectus voluntate, & priùs secundùm rationem intelligitur intellectus actu suo intelligendi, & voluntas actu suo volendi. Dicit ergo, quòd in illo signo, in quo terminatur ordo rationis, qui est inter perfectiones diuinas, incipit ordo originis. Hoc non videtur verum, quia omnis perfectio diuina est prior omni notionali, vt patet à Doctore in primo; non ergo in eodem signo, quo habetur omnis perfectio diuina, est ordo originis, imò in aliquo posteriori incipit ordo originis, vt posset deduci ex dictis Doctoris *in primo, d. 1. q. 2. par. 2. d. 6. 7. 26. in secundo, d. 1. q. 1.* & vide quæ ibi exposui de istis ordinibus, & in multis aliis locis. Secundò, impeditur etiam in hoc, quod dicit scilicet, vbi terminatur ordo originis personarum, ibi incipit ordo originis creaturarum, quia in aliquo priori naturæ terminatur ordo originis in personis, & tamen in illo priori non incipit ordo originis in creaturis, vt patet à Doctore *in secundo, d. 1. q. 1.* qui vult, quòd in secundo signo naturæ sit ordo originis creaturarum, & in primo signo naturæ completus est ordo originis productionis personarum possent etiam assignari alia impedimenta, quæ breuitatis causa transeo. *Omnis perfectio diuina est prior omni notionali.*

Deinde Doctor concedit quòd Pater non potest producere creaturam, nisi priùs productis Verbo, & Spiritu sancto, quia productio necessaria est prior contingenti. Et hæc materia est prolixè tractata à Doctore *in secundo, d. 1. q. 1. art. primo*, & vide dubia, quæ ibi adduxi. Aduerte tamen, quod si per impossibile non esset productio Filij, adhuc Pater posset producere creaturas, quia in eo esset perfecta ratio producendi scilicet voluntas; & hoc patet à Doctore *in secundo, d. 1. q. 1. art. 3.* Et nunc necessariò Filius eadem productione producit, qua & Pater, quia Pater producendo Filium necessariò communicat sibi eandem voluntatem, & hoc ante productionem creaturarum, & hoc idem dico de Spiritu sancto. Et patet litera. 13. *Productio necessaria est prior contingenti.*

Ad auctoritatem Augustini cum dicit quod creatura non potest esse nisi per Verbum. Dicit, quod creatura benè necessario præexigit Verbum tanquam conueniens in eadem causalitate cum Patre: sed non præexigit in ratione causæ, quasi ipsum sit formalis ratio causandi, quia illa est sola voluntas, quæ est communis tribus, sed præexigit vt necessariò concausans Patri, quia necessariò habet idem principium formale causandi, & si, per impossibile, Verbum non esset, adhuc Pater posset causare, vt suprà dixi: ergo nullo modo præexigitur vt ratio formalis causandi; *Quomodo creatura non potest esse nisi per Verbum.*

si enim

ſi enim neceſſariò hoc modo præexigeretur, tunc eſſet impoſſibile Patrem (Verbo, per impoſſibile, non exiſtente) aliquid creare, quia non haberet rationem formalem, imò etiam ſi Verbum actu exiſteret, adhuc Pater non poſſet creare, quia Verbum non eſſet formaliter in Patre, & ſic non eſſet actu per ipſum, vt ſuprà patuit. Tota litera huius articuli ſequens clara eſt nec indiget alia expoſitione.

SCHOLIVM.

Datur ordo originis inter Patrem, & Filium in cauſando, quia Pater à ſe, Filius à Patre habet cauſare: & hac ratione Ioan. 5. Chriſtus negat à ſe auctoritatem primariam cauſandi, quam Patri attribuit, ſibi ſubauctoritatem aſſumendo. Eodem modo dicendum de Spiritu ſancto reſpectu vtriuſque; neque hinc ſequitur aliquid bis produci, ſcilicet prius & poſterius; ſed tantùm aliquid produci ab vno habente à ſe virtutem, & ab alio non ſic eam habente. Materia huius literæ tractatur 2. d. 1. ad longum. Vide 1. d. 15. vbi hac ratione vna perſona dicitur ab alia mitti. Vide etiam 1. d. 12. q. 2. vbi oſtenditur Spiritum ſanctum, non prius ſpirari à Patre, quàm à Filio.

18. DE Secundo articulo principali dico, quòd Filius negat à ſe auctoritatem primariam cauſandi Ioan. 5 *non poteſt Filius à ſe facere quicquam*; concedit autem ſubauctoritatẽ in cauſando, cùm ſubdit: *niſi quod viderit Patrem facientem.* Et infrà ibidem: *opera, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea; ipſa opera, quæ ego facio,* &c. *Dedit mihi Pater,* ecce ſubauctoritas, *ergo facio*, ecce cauſalitas. Conſimiliter reſpectu Spiritus ſancti, habet Filius auctoritatem in agendo; & ratio vtriuſque eſt, quia à quo aliquid habet principium agendi, ab eo habet & agere, & per conſequens virtute illius agit, non virtute eius tanquam cauſæ ſuperioris, quia non habet virtutem diſtinctam ab eo, ſed virtute illius tanquam principij communicantis ſibi cauſalitatem, & ideò habentis auctoritatem in iſta cauſalitate, in qua recipiens habet ſubauctoritatem.

A quo habetur principium agendi; ab eodem & agere.

Sed hîc obiicitur: quia ſi Pater priùs ordine cauſat, quàm Filius: ergo Filius non cauſat illud cauſatum: quia quod priùs cauſatum eſt, poſteriùs cauſari non poteſt, niſi idem bis cauſaretur, quod eſt impoſſibile. Similiter poteſt argui de ordine originis, ſicut de ordine cauſalitatis, quia ſi Pater facit à ſe, & Filius non à ſe, ergo Pater cauſat priùs origine, & tunc, vt priùs, non poterit cauſari à Filio quaſi in ſecundo ſigno originis, quia idem non poteſt bis cauſari.

19. Ad iſta reſpondeo, quòd ordo in cauſando poteſt intelligi, vel vt actio reſpicit producens, vel vt reſpicit productum Si primo modo, eſt ordo auctoritatis, & ſubauctoritatis in propoſito: quia ille eſt inter ſuppoſita agentia in habendo principium formale agendi, pro quanto, ſcilicet vnum illorum habet illud ab altero, Secundo modo non eſt hic ordo, quia non priùs ponitur creatura in *eſſe* per actionem Patris, & poſteà ſequitur actio Filij: ſed virtus cauſandi ordinatè ſecundùm ordinem originis habetur in vtroque priùs natura quàm terminus producatur. Et iſta virtute habita à tribus in eodem ſigno naturæ: completo tamen toto ordine originis, ponitur effectus omnino ſimul à tribus. Quod ergo dicitur, quòd priùs cauſatum non poteſt poſteriùs cauſari, concedatur, referendo prius & poſterius ad ipſum cauſari. Et ſic probatur propoſitio, ſed non propter hoc eſt negandum quin priùs habens virtutem cauſandi, & poſteriùs origine habens eandem, poſſint per ipſam ſimul natura habitam, in vtroque ſimul effectum cauſare.

Ordo auctoritatis, & ſubauctoritatis in perſonis quoad operari ad extra.

Aliter poſſet dici ſpecialiter ad ſecundum quòd priùs origine cauſare eſt, cauſare à ſe: poſteriùs origine cauſare, eſt cauſare ab alio: ſicut autem ab alio habet virtutem cauſandi, vel à ſe, ſic & cauſare: nec eſt verum, quòd ſic priùs cauſatum ab aliquo, non poſſit poſteriùs cauſari ab alio: quia huiuſmodi intellectus eſt iſte, quod aliquid non poſſit cauſari ab vno à ſe, & ab alio non à ſe, qui intellectus falſus eſt; vbi eadem virtus actiua eſt in producente, & producto.

Prius origine productum ab aliquo, poteſt ab alio poſterius origine produci.

SCHOLIVM.

Nullus reſpectus ad creaturam poteſt per ſe includi in conſtitutiuo Verbi; quia talis eſſet realis, & neceſſe eſſe, quæ repugnant. De quo latè Doctor 1. d. 27. q. 3. num. 22. Occaſione ſecundæ obiectionis, benè explicat quomodo Verbum primariò importet expreſſionem intellectualem paſſiuam. Secundò, connotat notitiam per talem expreſſionem communicatam, quæ appropriatur Verbo. Tertiò connotat omnia noſcibilia, & iuxta hac explicat

ſubtiliter

subtiliter locum Augustini. Vide eum loco citato, vbi ista fusius habet. Ad secundam obiectionem num. 23. benè explicat, qualiter Deo necessariò coëxistat esse cognitum creaturæ, non tamen esse reale. Non vult Doctor, quòd non possit esse respectus passiuus rationis ad creaturam proprius vni personæ, quia vt habuit 3. d. 1. q. 1. Verbum dicit talem respectum ad naturam humanam, sed quòd nullus talis respectus includitur in proprietate Verbi, quod verissimum est. Quod ait hìc num 20. respectum esse communem, quando fundamentum est tale, habet instantiam, quia Paternitas fundatur in essentia, & similiter æqualitas Patris, tamen isti respectus non sunt communes. Dici potest quòd Doctor hoc non asserat, vt patet ex verbis eius ibi in fine, vel, &c. quòd paternitas proximè fundatur in memoria, vti est principium productiuum: qua ratione est proprium Patri, & æqualitas in eius magnitudine, & comitatur tale principium, & sic de aliis, prima solutio magis placet.

Nullus respectus ad extrà includitur in Verbo.

DE Tertio articulo principali [a] dico, quòd nullus respectus ad creaturam potest per se includi in constitutiuo personæ Verbi, tum, quia quicquid in ea includitur per se, est reale, distinguendo reale contra ens rationis: quia constitutum est sic reale, & per consequens quicquid in ipso per se includitur, est hoc modo reale. Nunc autem quicunque respectus in diuinis ad creaturam est tantummodò ens rationis: ergo, &c. tum quia quicunque respectus Dei ad creaturam habet pro fundamento proximo, aliquid commune tribus, non dico sic proximo, quòd ex natura fundamenti oriatur relatio illa, quia tunc esset relatio realis, sed sic proximo, quòd illud sit proxima ratio comparandi per actum intellectus diuini, personas diuinas ad creaturam: sicut etiam tactum est in primo articulo de intellectu, & voluntate. Sic posset probari de quocunque, secundùm quòd Deus per actum intellectus est comparabilis ad creaturam. Quando autem fundamentum proximum est commune tribus: respectus non potest esse proprius vni: non ergo respectus ad creaturam includitur per se in proprietate alicuius personæ: quia quicquid includitur, sic est proprium illi personæ. Tum tertiò: quia iuxta primam viam posset argui, quòd quicquid est in persona diuina est necesse esse à se, & hoc excludendo, per ly, *à se*, aliud in ratione causæ, non autem in ratione principij: quia quicquid est ibi, est incausatum: licèt aliquid ibi posset poni principiatum: nunc autem respectus ad creaturam, etiam in quocunque *esse* reali, vel cognito, non potest esse necessarius à se, hoc modo: quia nec terminus respectus potest esse necessarius sic: quia in quocunque *esse* creatura est vel possibilis, vel saltem non necessaria à se: ergo nullus respectus ad creaturam in quocunque *esse* potest per se includi in persona diuina. 20.

Quicquid est in persona diuina est necesse esse à se, quia incausatum.

Sed ista ratio, licèt fortè procedat ex veris, tamen apparenter posset multipliciter improbari, & impediri, & non euidenter solui, nisi cum prolixitate tanta, quantam hic aggredi non intendo.

b Sed obiicitur contra istud: quia Verbum importat per se proprietatem secundæ personæ, & cum hoc per se importat respectum ad creaturam; ergo, &c. Prima propositio patet ex principio Euangelij Ioan. *In principio erat Verbum*, vbi Euangelista per hoc, quod est Verbum, intendit exprimere propriè secundam personam in Diuinis: Et Aug 7. de Trin. c. 2. *Eo Verbum, quo filius.* Secunda propositio probatur per illud 83. qq. q. 63. vbi exponitur illud, *In principio erat verbum, quod Græcè*, inquit, λόγος *dicitur; Latinè Verbum, & rationem significat; hìc tamen Verbum meliùs interpretatur, vt significetur non solum ad Patrem respectus, sed etiam ad illa, quæ per Verbum facta sunt, operatiua potentia.* Vult ergo quòd cùm dicitur Verbum, importetur respectus ad creaturam. 21.

Quòd Dei respectus ad extrà sit necessarius bonum argumentum.

c Item contra rationem factã obiicitur: quia si verum sit hoc, quod accipitur in illa ratione, quòd creatura in quocunque *esse* non est necessaria à se, nec per consequens quicunque respectus ad creaturam est sic necessarius. tunc sequitur, quod nec respectus Dei, vt intelligentis ad creaturam intellectam, nec respectus eius, vt creatiui ad creaturam, vt creabilem, sit necessarius à se, sed Deus nihil est formaliter, & necessariò, nisi illud sit necessarium à se: ergo sequeretur quod Deus non necessariò est intelligens creaturam, nec causatiuus creaturæ, quorum vtrumque est falsum.

d Ad ista; ad primum posset esse duplex difficultas, vna ex re, alia ex significato huius nominis, *Verbum*. 22.

Quantùm ad primum dico, quòd in proprietate secundæ personæ non includitur aliquis respectus per se proprius ad creaturam, propter rationes ad hoc positas.

Idem q. 1. quodl. & alibi.

Quantùm ad secundum dico, quòd respectus realis, & respectus rationis non faciunt aliquid per se vnum & ideò si tales duo respectus importentur per hoc nomen

Verbum,

Verbum, sequitur quòd illud non præcisè significat vnum per se conceptum quia respectus ad Patrem vt dicentem est realis, respectus autem ad creaturam, vt dictam vel causatam, est rationis tantùm ergo si hoc nomen *Verbum* per se importat tantùm vnum conceptum, sequitur quod alterum illorum significabit, & alterum connotabit tantummodò: quod si verum est, probabiliter dici potest, quòd sicut idem significat Filius, & filiatio, licèt alio modo significandi, sic idem significat Verbum, vt est quasi concretum, & eius abstractum, (si licèt fingere) quod, scilicet est verbatio, quod significat idem: licèt alio modo: *verbari* est enim idem quod *dici*, siuè intellectualiter exprimi, & per consequens Verbum importat in concreto hoc quod est intellectualiter expressum, & tunc connotabit relationem ad illud, quod dicitur per Verbum, pro tanto, quòd connotat notitiam perfectam: quæ notitia habet respectum rationis ad cognita per eam: secundùm hoc igitur quantùm ad significatum huius vocis *Verbum*, esset iste ordo; quòd primò & per se significatur respectus originis, scilicet expressio intellectualis passiua, sed modo concreto. Secundò connotatur notitia, quasi terminus formalis communicatus per istam expressionem, & illa est communis tribus, tamen appropriata Verbo. Tertiò verò per hoc, quòd ista notitia habet respectum ad noscibilia, connotaretur in nomine Verbi talis respectus.

Verbum & verbatio, idem.

Vide de hoc 1.d.27 qu. 3.

Verbū primo significat expressionē passiuā, quæ est respectus originis: secundò connotat notitiam cōmunicatā per illū respectū quæ est communis tribus sed appropriatur Verbo. Tertiò respectus ad noscibilia.

23. Secundùm hoc ergo neganda esset secunda propositio assumpta in argumento. Et cùm probatur per Augustinum. 83. *quæst. q.* 63. dici potest quòd pro tanto melior est translatio huius, quod est λόγος, in hoc, quod est Verbum, quàm in hoc quod est ratio: quia hoc nomen *ratio* nec respectum originis proprium, nec illum consequentem appropriatum, qui est ad creaturam, ita importat, sicut hoc nomen *Verbum*; quare Verbum, vt Verbum, potest comparari per intellectum ad quodcunque, & per consequens habere appropriatam relationem rationis. Quod verò ait, *vt significatur ad Patrem respectus*, hoc debet intelligi de eo, quod primò & principaliter significatur: quod autem addit *ad ea, quæ facta sunt*, ibi debet intelligi *significare*, pro *connotare*.

Exponit optimè August.

Ad secundum potest dici, quòd necessarium à se absque omni repugnantia, quantùm ex parte sui, potest esse sine *esse* reali cuiuscunque non necessarij à se: quia non est contradictio, quantùm est ex parte prioris absoluti, quòd ipsum sit sine posteriori: tamen illud necessarium non potest esse sine *esse* cognito cuiuscunque alterius: quia *esse* eius necessariò requirit cognitionē alterius: & per consequens alterū in *esse* cognito: & consimiliter est de *esse* possibili. Non igitur personæ diuinæ competere aliquid reale potest, nisi illud sit necessarium à se, hoc est incausatum: (quicquid autem includitur in proprietate personæ, competit personæ vt aliquod reale) potest tamen personæ diuinæ competere aliquod cognoscere, vel aliquod posse: licèt illud non sit necessarium à se, sicut nec terminus.

Hanc eandem regulam docet in 1 dist.8. Esse Deum causatiuū, & cognoscitiuū, creaturæ, est necessariū à se, id est, incausato, sed nō quid reale in Deo.

24. Aliter potest dici, quòd Deus est sic necessariò intelligens creaturam, & causatiuus creaturæ, quòd vtrumque istorum formaliter dicitur aliquid necessarium à se, prout *à se* excludit causam: sed non necessarium in *esse* reali: sed in aliquo *esse* diminuto: quicquid autem includitur in proprietate personæ, sic est necessarium à se, quòd est in *esse* reali: nunc autem necessarium à se non necessariò coëxigit aliquid aliud in *esse* reali, licèt coëxigat aliquid aliud in *esse* cognito, vel *esse* diminuto. Tertio modo posset dici, quòd alio modo est necessarium illud, quod necessariò requiritur: & hoc siue præexigatur, siue coëxigatur ad *esse* necessarij: alio modo est necessarium illud, quod ad *esse* necessarij necessariò consequitur.

Hinc collige illum respectū esse multipliciter necessarium præexigitiuè, coëxigitiuè & consecutiuè.

Ex dictis [e] de causalitate effectiua patet solutio quæstionis de causalitate exemplari & finali: quia cùm causa exemplaris in aliqua ratione formali exemplans, & causa finalis sit aliqua ratione terminans, siue finiens, sicut causa efficiens aliqua ratione formali efficiens, sequitur ex consimili ratione, quòd nulla istarum causalitatum potest esse propria, nisi ratio formalis causandi, sit propria: non ergo potest alicui personæ esse propria ratio exemplandi, siue finiendi, sicut nec formalis ratio agendi.

Nullā ratio finiēdi, vel exemplandi, est propria alicui personæ.

Hoc posset probari hîc sicut priùs probatum est de causa effectiua: sed de probationibus priùs positis euidentior ad propositū videtur illa vltima; quia ratio formalis terminādi dependentiam causati ad causam in quocunque genere causæ, de quo est

Ratio terminādi dependentiā causati, est perfectio:

hîc sermo; est aliqua perfectio, & loquendo de causa prima in quocunque illorum generum est aliqua perfectio simpliciter: si ergo quæcunque perfectio simpliciter eadem est in tribus, sequitur quòd quæcunque causalitas in quocunque generum illorum sit communis.

Ad argumenta in initio quæst. Ad argumentum in oppositum. Ad minorem dico; quòd quælibet persona sicut est creatrix, sic est artifex, & cùm sit simplex, in qua non differt habens, & illud quod habetur: quælibet est ars, & ars æquè particularis, & æquè actualis, sicut patet respondendo ad obiectiones in primo articulo: tamen appropriatè Verbum dicitur ars sicut sapientia siue notitia, pro tanto, quia ex modo suæ processionis competit sibi, quòd sit notitia actualis procedens de memoria paterna, declarans omne intelligibile, quod in memoria illa continetur. Hoc patet per Augustinum 7. Trin. cap. 7. *Ita dicitur Filius sapientia Patris quemadmodum dicitur lumen Patris*, & qualiter hoc fit, statim subdit, id est, *quemadmodum lumen de lumine, & vtrunque idem lumen: sic intelligitur sapientia de sapientia, & vtraque vna sapientia*: Consimiliter dico ars de arte, & vtraque vna ars. 25.

Qualibet trium personarum est artifex & ars, sed appropriatè Verbum est ars.

Ideæ sunt personis cõmunes. Ad aliud, quod additur in minore de ideis, patet priùs in responsione ad primam obiectionem in primo articulo: quia ideæ sunt communes cuilibet personæ: licèt approprientur Verbo propter modum proprium emanationis eius: quia procedit vt notitia actualis declaratiua omnis obiecti: quod quasi habitualiter continetur in memoria paterna.

COMMENTARIVS.

14. a DE tertio articulo principali, scilicet an aliquis respectus ad creaturam per se includatur in constitutiuo personæ Verbi, siue in ratione ipsius Verbi. Dicit Doctor quod non, *quia quicquicquid per se includitur in Verbo est reale*, vt patet, quia Verbum est verè ens reale, sed respectus ad creaturam est tantùm ens rationis, vt probat Doctor *in primo, distinct.* 30. Tum etiam, quia respectus Dei ad creaturam habet pro fundaméto proximo aliquid commune tribus personis, quia actum voluntatis, quem Deus comparatat ad creaturam, vel ipsam voluntatem, quia actus, vel voluntas est proxima ratio comparandi per actum intellectus diuini personas diuinas ad creaturam; quia enim intellectus cognoscit in personis eandem voluntatem, vt rationem formalem causandi, ideò intellectus comparat personas diuinas, vt causas creaturarum. Tum tertiò, quia quicquid est in persona diuina, est necesse à se, & hoc excludendo per ly *à se* aliud in ratione causæ, non autem in ratione principij, quia quicquid est ibi est incausatum, licèt aliquid posset poni ibi vt principiatum, quia causatum, vt causatum, semper est aliud essentialiter à causa, sed non semper principiatum est aliud; causa enim semper producit aliud inquantùm aliud. Sed respectus ad creaturam etiam in quocunque *esse* reali, vel cognito, non potest esse necessarius à se hoc modo, scilicet incausatus, quia nec terminus respectus potest esse necessarius sic, quia in quocunque esse creatura est, vel possibilis, vel non necessaria à se: ergo nullus respectus ad creaturam, in quocunque esse potest per se includi in persona diuina. Sed ista ratio licèt procedat ex veris, tamen apparenter posset multipliciter improbari, & impediri, & non euidenter solui, nisi cum prolixitate tanta, quantam hîc aggredi non intendo.

Quicquid est in persona diuina est necesse esse à se.

15. b *Sed obiiciatur contra istud.* Hîc Doctor primò obiicit probando quòd Verbum importet per se respectum ad creaturam, quia Verbum dicit proprietatem secundæ personæ, vt patet Ioánis 1. *In principio erat Verbum*, vbi Ioannes intendit per hoc exprimere proprietatem secundæ personæ. Et quòd dicat respectum ad creaturam, patet per Augustinum 83. *qu. q* 63. vbi exponit illud: *In principio erat Verbum.*

c Secundò instat contra rationem illam vltimam, *quia si verum sit hoc*, &c.

d Respondet Doctor ad primam obiectionem. Sed quia ista littera est hîc clara, vt *in primo, distinct.* 27. exposita, ideò hîc eam aliter non expono.

e *Ex dictis de causatione effectiua*, &c. Nunc Doctor ostendit quomodo Verbum non sit aliqua ratio propria respectu causæ exemplaris nec finalis, quia ratio formalis exemplandi, & ratio formalis finiendi est communis tribus, & posset probari per eadem media, per quæ est probatum de ratione formali efficiendi, & inter omnes rationes hæc videtur præcipua, quia ratio formalis terminandi dependentiam causati ad causam in quocunque genere causæ, siue exemplaris, siue finalis, siue efficientis, est aliqua perfectio, & illa eadem, quæ est causa terminandi est etiam ratio formalis efficiendi, si est ratio terminandi dependentiam causati ad causam vt supra patuit.

Argumentum principale cum sua responsione patet hîc in littera, & in primo, dist. 27. Et quod additur de ideis patet quòd sunt communes tribus personis. Et de hoc satis dictum est in primo, dist. 35. vide ibi.

Ideæ sunt cõmunes tribus personis.

16. In ista quæstione occurrunt aliqua dubia, primò in hoc, quòd *essentia, vt essentia diuina non est principium agendi, nisi per modum naturæ.*

Secundò dubitatur de hoc scilicet, *illud quod est ratio formalis causandi est ratio formalis terminandi istam dependentiam causati.*

Tertiò dubitatur de hoc, quòd *omnis notitia in Deo*

Quomodo essentia est principium. *in Deo quæ præcedit à causa voluntatis habetur in intellectu diuino virtute primi obiecti mouentis necessariò,& illud mouet necessario intellectum diuinum ad quamcunque notitiam præcedentem actum, voluntatis, quia in tota ista motione non inuenitur principium motiuum, nisi per modum naturæ.*

Quartò dubitatur in hoc,scilicet,quòd *in notitia producta non est aliquis respectus ad creabile, quod non sit in notitia communi tribus personis.*

Quintò dubitatur de hoc, quòd *non producto illo, ad quod Pater necessariò se habet, non potest producere aliud, ad quod contingenter se habet, non producto etiam illo, quod natum est habere eandem causalitatem respectu tertij, cùm producent, non potest produci tertium.*

Sextò dubitatur de hoc,scilicet,quòd *quicquid per se includitur in Verbo est ens reale.*

Septimò dubitatur in hoc, *quando fundamentum proximum est commune tribus, respectus in ipso fundatus necessariò est communis tribus.*

Octauò dubitatur, de hoc, scilicet,*quòd quicquid includitur in persona diuina est necesse esse, licèt illud posset poni principiatum, non tamen causatum.*

Nonò dubitatur de hoc, scilicet,quòd *Deus est sic necessariò intelligens creaturam, & causatiuus creaturæ, quòd vtrunque istorum formaliter dicitur aliquid necessarium à se prout* à se, *excludit causam, sed non necessarium in* esse *reali sed in aliquo* esse *diminuto.*

Decimo dubitatur de hoc,scilicet,*quicquid includitur in persona diuina sic est necessarium à se, quòd est in* esse *reali.*

17. *Contra ista instatur.* Contra ista instatur.Et primo contra primum, probando quòd essentia diuina, vt essentia, non agat per modum naturæ.Et instatur sic; essentia, vt essentia, agit liberè, & per modum libertatis: ergo non per modum naturæ. Consequentia est nota, etiam apud Doctorem qui vult quòd agere per modum voluntatis, & per modum naturæ sint oppositi modi agendi, ita quòd sit simpliciter impossibile quòd vnum, & idem sub eadem ratione formali consideratum, possit agere per modum naturæ, & per modum libertatis. De hoc vide *in primo, dist.3. parte, 2. qu. 4. & dinst. 10. q. vnica, & in secundo,dist.1.q.3. & in quodl. qu. 16.* Antecedens probatur multipliciter, primò quando aliquid in sua ratione formali, & quiditatiua includit aliquid, quod simpliciter est principium formale productiuum per modum libertatis, illud quiditatiué acceptum agit per modum libertatis. Sed essentia diuina sub ratione essentiæ in suo intellectu essentiali, & quiditatiuo formaliter includit entitatem libertatis, siue entitatem principij productiui per modum libertatis; ergo essentia, vt essentia,siue vt quiditatiuè accepta, erit principium liberum, & per modum libertatis. Maior patet, quia est impossibile quòd homo in suo conceptu quiditatiuo includat animal, & quòd formaliter homo, non sit animal. Minor patet per Doctorem *in primo,dist.8.q.pen.& in quodl. quæst.1.*vbi vult quòd intellectus, & voluntas non sint attributa, sed vult quòd si essentia definiretur, definiretur per hoc quod dico *intellectuale*, & similiter per entitatem formalem voluntatis.

18. *Secundò probatur.* Secundò probatur idem antecedens, supponendo quòd Spiritus sanctus producatur ab essentia, vt essentia, & à voluntate diuina, vt patet à Doctore *in primo, dist.* 10 *& in secundo,d.1.qu* 1. licet non ita expressè nominet essentiam, tamen ex intentione eius in pluribus locis, vult quòd essentia ibi concurrat. Hoc præsupposito arguitur sic: Spiritus sanctus liberè, & per modum libertatis producitur, vt probat Doctor *in primo, dist.10. in secundo,dist.1.in quodl.q.16.*ergo principale principium in tali productione erit principium productiuum per modū libertatis. Consequentia probatur, quia Spiritus sanctus magis suo modo dependet à principaliori principio, quàm à minus principali, vel sic: productio Spiritus sancti magis est à principaliori principio, quàm à minùs principali. Hoc patet,& illa productio, vt productio, formaliter Spiritus sancti dicitur libera, quia à principio productiuo libero; ergo vt libera erit à principio principaliori; ergo principalius principium liberè, & per modum libertatis erit productiuum. Et illud est essentia diuina, vt essentia,patet, tum, quia essentia, est fundamentum, & origo omnis perfectionis diuinæ, vt suprà patuit, *quæst.1. art.1.& q.5.* Tum, quia est principium magis vniuersale,quia ipsâ concurrit cum intellectu ad productionem Filij, & cum voluntate ad productionem Spiritus sancti: ergo magis, & perfectius, & vniuersalius principium.

19. *Tertiò probatur.* Tertiò probatur idem antecedens:voluntas diuina agit merè liberè, & per modum libertatis, imò sola illa, licet aliquæ aliæ potentiæ dicantur liberè agere participatiuè tamen. Hoc patet à Doctore *in primo, dist.2.& 10. d.6. d.13.in secundo, d. 1. dist.25. in quodl.qu.16. &alibi sæpe*, & sic patet hoc antecedens, ergo essentia diuina, vt essētia, agit liberè.Probatur cōsequentia,supponēdo duo dicta Doctoris primū, quòd omnis perfectio diuina simpliciter est ab essentia, vt essentia, vt à fundamento, & origine talium perfectionum; & si realiter distingueretur, esset verè ab ipsa originata, secundùm Doctorē *in primo, dist.8. q. 3. & in quodl. quæst. prima, & 5.* Secundum suppositum est,quòd si aliquod principium inferius agit liberè, & contingenter, sequitur quòd prima causa agat magis liberè. Hæc est consequentia Doctoris, quàm facit *in primo, distinct.2.parte prima,qu.1. distinct.8.quæst.vlt. dist.39.in secundo, dist. 1. & in multis aliis locis.* Istis præsuppositis, patet consequentia sic: voluntas diuina est per modum libertatis productiua: ergo & essentia diuina, vt essentia. Patet consequentia, quia voluntas diuina suo modo agit liberè in virtute essentiæ diuinæ, quia ab ipsa habet quicquid habet: ergo magis essentia concurrit ad illam actionem, vt patet per consequentiam Doctoris. Si dicatur quòd vera esset consequentia, si realiter distingueretur. Contra, quia qualis est ordo inter aliqua vbi realiter distinguuntur, talis est vbi etiam sola ratione distinguuntur, vt patet à Doctore *in prolo. q.3. & & in quodl.q.1.*Sed si volūtas distingueretur realiter ab essentia diuina,ageret in virtute essentiæ, & per consequens magis essentia ageret, ergo & nunc, saltem secundùm rationem, voluntas agit in virtute essentiæ, & sic essentia principaliùs, & magis liberè aget.

20. *Quartò probatur.* Quartò probatur idem antecedens: conceditur à Doctore *in 4. distinct. 49.* imò ibi subtiliter probatur quòd voluntas est formaliter perfectior intellectu. Tunc: sic in natura intellectuali, vt est intellectualis formaliter debet includi, imò magis illud, quod est ex sua ratione perfectius in tali natura; patet, quia si ibi formaliter includitur illud, quod ex sua formali ratione est imperfectius, vel non ita perfectum, à fortiori debet includi quod est formaliter perfectius, & pertinens ad naturam intellectualem: sed essentia diuina, vt essentia, est formaliter natura intellectualis, vt patet à Doctore *suprà qu. 1.* & voluntas pertinet ad naturam intellectualē, vt patet. Et de ratione voluntatis est libertas, vt patet à Doctore in pluribus locis. Si ergo natura diuina, vt natura intellectualis, includit principium formale productiuum per modum naturæ, quia ipsum intellectum, ergo à fortiori, vt formaliter natura intellectualis, includit principium productiuum per modum libertatis, cùm illud ex sua ratione formali sit perfectius, licèt non sit in Deo perfectior voluntas, quàm intellectus, cùm vterque sit formaliter infinitus: tamen si ab vtroque posset circumscribi infinitas intensiua, formaliter voluntas esset perfectior; ergo essentia, vt natura intellectualis magis erit principium productiuum per modum libertatis, quàm sit principium productiuum per modum naturæ.

21. *Quintò probatur.* Quintò probatur idem antecedens, supponendo dictum Doctoris *in primo, dist. 3. qu. 1. & alibi sæpe*, scilicet quòd omnis perfectio, quæ ex sua ratione formali non includit necessariò aliquam imperfectionem formaliter, debet Deo attribui sub ratione perfectissima. Tunc arguo sic: præscindatur ab essentia omnis ratio attributalis, sola essentia, vt hæc essentia, remanente, libertas voluntatis ex sua formali ratione nullam includit imperfectionem; ergo ipsa est attribuenda Deo sub ratione Deitatis, aliter essentia, vt essentia, non includeret formaliter quicquid est perfectionis in creaturis, non includentis aliquam imperfectionem, quod non videtur verum.

Sextò probatur. Sextò, & vltimò probatur idem antecedens, supponendo secundùm multos, quòd essentia sub ratione essentiæ est obiectum beatificum, vt expresè patet à Doctore *in primo, dist. 1. qu. 2. & in 4. dist. 49.* ergo essentia, vt essentia beatificat, siue intellectum, siue voluntatem, pro nunc non curo, an scilicet beatitudo sit in visione, vel fruitione. Et si beatificat, quæro tunc à quo sit ista beatitudo? Non à creatura, vt patet secundùm omnes. Non à voluntate diuina, vt voluntas, quia tunc non essentia, vt essentia, beatificaret, sed voluntas diuina, vt voluntas. Si igitur essentia, vt essentia, beatificat, quia illa sola est obiectum beatificum; ergo ipsa saltem vt principalis causa, causat beatitudinem in creatura beata, ergo essentia, vt essentia causat liberè ipsam beatitudinem. Ista vltima consequentia patet per Doctorem in *primo, distinct. 2. 8. & 39. & in secundo, d. 1. & in quodl. qu. 7. & alibi sæpe*, vbi vult quòd omnis causatio Dei ad extrà sit merè contingens.

22. *Responsio ad primum.* Respondeo ad omnes istas obiectiones. Ad primā, quā probatur antecedēs primæ consequētiæ. Dico primò, quòd essentia vt esētia, non includit intellectum, & voluntatem, vt sunt potentiæ, siue operatiuæ, siue productiuæ, vt exposui *in 1. q quodl.* nec Doctor dicit quòd si esētia definiretur, definiretur per intellectū, & voluntatem, sed benè dicit quòd definiretur per hoc quod est *intellectualitas*, & per hoc quod est *volitiuitas*, siue entitas voluntatis, quæ vt sic non nominat potentias neque operatiuas, neque productiuas, sicut dicimus quòd Angelus est quiditatiuè natura merè intellectualis, & tamen in illo signo non intelligo in Angelo neque potentiam intellectiuam, neque volitiuam, cùm illæ sint posteriores. Sicut etiam dicimus quòd anima intellectiua, vt intellectiua, est natura quædam intellectualis, & tamen vt sic, non includit in sua quiditate neque intellectum, neque voluntatem, vt sunt potentiæ operatiuæ, siue productiuæ, cùm ipsæ suo modo pullulent, vt posteriores ab ipsa anima intellectiua; & ipsa similiter contineat eas per identitatem, & non ècontra, vt patet à Doctore *in secundo, dist. 16. qu. vnica.* Sic dico in proposito, quòd essentia diuina, vt hæc essentia, est quædam natura merè intellectualis, & vt sic, non includit neque intellectum, neque voluntatem, vt sunt potentiæ operatiuæ, siue productiuæ, sed suo modo originantur ab essentia, vt natura intellectuali. *Anima est natura intellectualis.*

Si dicatur, essentia, vt essentia est principium formale, quasi productiuum intellectionis, & verè productiuum notitiæ genitæ, ergo si sibi conuenit in illo priori, quòd sit potentia verè productiua respectu notitiæ genitæ, & quasi productiua intellectionis essentialis, quare etiam in eodem signo non potest sibi competere potentia intellectiua, & potentia volitiua. Dico primò, quòd aliud est loqui de principio productiuo, vel quasi per modum obiecti, & aliud per modum potentiæ, vt potentia, quia primo modo competit in primo signo, sed non secundo modo. Sicut etiam patet de anima intellectiua, quæ vt præsens intellectui, puta Angelico, mouet ipsum ad sui cognitionem, quæ terminatur ad animam absolutè, & tamen in illo priori non intelligitur habere potentiam neque intellectiuam, neque volitiuam. Sic in proposito. Dico secundò, quòd quia intellectus, & voluntas sunt tales potentiæ, quæ pullulant ab essentia; ideò pro primo signo non conueniunt essentiæ, & quia esentia est talis entitas, ideò conuenit sibi pro illo signo, quo est esentia, quod sit ratio formalis mouendi intellectum in ratione obiecti, non enim omnium licet rationes assignare. *Voluntas & intellectus pullulant ab essentia.*

23. Secundò potest dici, quòd quamuis voluntas creata includat formaliter libertatem, tamen potest considerari, non vt libera, sed vt quidam appetitus, & vt per modum naturæ inclinans, sicut patet ab Anselmo de casu Diaboli, qui finxit illum Angelum, &c. De quo vide Doctorem *in secundo, distinctione 6. quæstione 2.* Sic pariformiter posset dici (posito, sed non concesso, quòd esentia, vt esentia includat intellectum, & voluntatem, vt potentias operatiuas, & productiuas) quòd esentia potest absolutè considerari, vt hæc esentia, præscindendo ipsam ab omni ratione potentiæ operatiuæ, vel productiuæ, siue natura, vt est quædam merè intellectualis, & vt sic, ageret tantùm per modum naturæ. Sed responsio prima est melior, & realior, & magis

& magis ad mentem Doctoris. Licèt etiam secunda posset sustineri, sed tunc oporteret soluere multa dubia, quæ non essent præsentis speculationis.

24. *Ad secundum.* Ad secundum dico primò, sicut dicit Franciscus Mayronis in suo Conflatu, quòd quando aliquid est à duobus, quorum vnum sit agens per modum libertatis, quòd tale productum dicitur liberè produci, & exemplificat de essentia diuina, & voluntate diuina respectu Spiritus sancti. Dico secundò quòd in re voluntas diuina est ita perfectum principium Spiritus sancti, sicut essentia, cùm vtrunque sit formaliter infinitum. Et cùm dicitur quòd essentia est principium magis vniuersale, hoc non intelligitur absolutè de quolibet principio, sed intelligitur vbi est ordo essentialis, quia semper causa superior est vniuersalior, quia ad plures effectus se extendit, quia tunc talis causa vniuersalis intelligitur semper principalior, cùm secundæ agant in virtute illius. Sed in proposito non est ordo essentialis producendi Spiritus sancti inter voluntatem, & essentiam diuinam, nec quasi ordo; quia vbi est ordo essentialis inter aliqua, ibi est distinctio naturarum specifica, quia superior causa est essentialiter, & specificè perfectior, vt patet à Doctore *in primo, dist. 2.* Vbi etiam est quasi ordo essentialis, ibi est quasi distinctio specifica: modò inter essentiam diuinam, & voluntatem non est aliqua distinctio specifica, nec quasi, vt patet *in primo, d. 8. qu. 2.* Dico tertiò, & breuiùs, & magis ad propositum, quòd in causis partialibus ad eundem effectum, vel quasi effectum concurrentibus (& non ex æquo, sicut concurrunt duo trahentes nauem, siue alterius rationis, sicut concurrunt intellectus, & obiectum, vt patet à Doctore *in primo, dist. 3. qu. 8.*) non semper effectus denominatur à principaliori: & patet, quia intellectio, puta lapidis, est ab ipso lapide, & ab intellectu, & tamen denominatur ab ipso lapide, quia specificatur ab ipso, patet à Doctore *in primo, d. 3. qu. 7.* sequitur quòd volitio diuina magis denominabitur ab essentia quàm à voluntate, quia essentia concurrit, vt obiectum, & operatio dicitur talis, quia est talis obiecti: non enim distinguuntur per potentiam (quia omnium est idem intellectus) sed per obiecta.

Vbi ordo essentialis, ibi distinctio.

25. Dico ergo quòd quàuis operatio habeat principaliter ab obiecto vnitatem talem, tamen modum talis vnitatis, puta, quòd talis vnitas sit producta per modum naturæ, vel per modum libertatis non habet ab obiecto. Et tunc dico quòd quando est à potentia libera, & ab obiecto, illa operatio dicetur simpliciter libera. Potest etiam quartò dici, quòd sicut ex vna de necessario, & altera contingenti, semper sequitur conclusio contingens, vt patet *primo Priorum,* & hoc est, quia conclusio sequitur partem debiliorem: & vltrà, quia maior vnitas potest concludi in conclusione, quàm sit inter extrema in præmissis, vt patet à Doctore in pluribus locis, sic in proposito, quando ad eundem effectum concurrunt duæ causæ, quarum vna agit per modum naturæ, & alia per modum libertatis, quod effectus sequitur causam liberam: & sic dicetur liberè producere, quia nunquam potest esse maior necessitas in effectu, quàm sit in his causis partialibus; si enim ille effectus esset simpliciter necessarius, tunc sequeretur, quod haberet necessitatem à causa liberè, & contingenter producente.

Nota. Nec valet dicere quod partim erit necessarius, & partim contingens, cùm æquè sit à causa necessariò agente, sicut à causa contingenti agente. Dico quod hoc non sequitur, sicut nec sequitur de conclusione sequente ex vna necessario, & ex alia contingenti, quia semper conclusio erit contingens. Dico vltimo loco, quod causa huius est natura causarum, quod quando scilicet causa per modum naturæ, & causa per modum libertatis ad inuicem vniuntur ad productionem alicuius effectus, semper producitur ille effectus liberè, & contingenter. Sicut etiam licèt ex propositionibus de possibili sequatur cóclusio de possibili, tamen aliquando ex duabus de possibili adinuicem vnitæ, & pertractatæ, sequitur conclusio de impossibili, vt hîc *possibile est omne currens esse asinum: possibile est omnem hominem esse currens; ergo possibile est omnem hominem esse asinum:* non sequitur imo sequitur conclusio impossibilis, & hoc est ex natura talium propositionum, & nulla alia causa videtur assignanda. Sic videtur dicendum in proposito, quod quamuis Spiritus sanctus, simul sit à voluntate diuina, & essentia, vt essentia, vt principiis partialibus productiuis, tamen erit liberè productus, & hoc ex natura talium principiorum sic vnitorum: & fortè nulla alia melior causa videtur posse assignari, quicquid alij dicant, tamen omnis alia responsio hîc data videtur sustentabilis, licèt vna magis sustentabilis, quàm alia.

Ad tertium. Spiritus sanctus est liberè productiuus.

Ad tertium principale concedo antecedens, quod voluntas, vt voluntas, semper liberè agat, sed negatur consequentia. Ad probationem concedo absolutè illa duo præsupposita sano modo intellecta. Et cùm dicitur quod voluntas diuina agit in virtute essentiæ diuinæ. Dico, quod hoc potest habere multiplicem intellectum. Primo, quod agat in virtute essentiæ, id est, quod habeat originatiuè ab essentia virtutem, siue perfectionem; qua agit, & hoc verum est per primum præsuppositum, sed vltrà non sequitur quòd si voluntas liberè agat, quod etiam essentia: sicut non sequitur, voluntas nostra secundùm totam suam operationem pullulat ab anima intellectiua, ergo si voluntas elicit actum liberè; sequitur quod etiam anima, vt anima eliciat eundem actum liberè, patet quod non sequitur. Secundo, potest intelligi sic quod agat in virtute essentiæ sic, quod in agendo dependeat ab essentia ita quod actio voluntatis diuinæ, vel verè, vel quasi, dependeat ab essentia diuina, vt essentia: sicut dicimus quod Sol agit in virtute primæ causæ, non solùm quia habet virtutem agendi ab illa; sed quia in agendo necessario dependet à prima causa, ita quod esset impossibile Solem agere, nisi prima causa simul ageret, vt exposui *in primo, distinct. tertia; quæst. prima,* contra Ocham. Vide ibi multa singularia. Hoc modo intelligendo, negatur quod voluntas diuina agat in virtute essentiæ, quia si sic ageret, sequeretur necessario quod priùs saltem secundùm perfectionem ageret essentia diuina, vt essentia, ad eundem effectum, quod est impossibile simpliciter. Cùm infertur, quod *qualis est ordo inter aliqua;* &c. concedo propositionem, sed postea negatur quod si voluntas, per possibile,

26.

Contra Ocham.

possibile, vel impossibile, esset realiter distincta ab essentia, quòd ageret in virtute essentiæ modo prædicto; quia nec illi qui dicunt potentias animæ realiter distingui ab anima, & ipsas habere virtutem, & perfectionem ab anima, non diceret quòd illæ potentiæ agerent in virtute animæ, ita quòd in agendo dependerent, modo præexposito.

27. *Ad quartum* Ad quartum principale dico, quòd voluntas vt voluntas, saltem in creaturis est perfectior intellectu secũdùm quòd Doctor loquitur *in quarto, dist.* 49. Et cùm infertur quòd in natura intellectuali magis deberet includi, quàm intellectus. Dico primò, quòd perfectioni quasi secundæ repugnat quòd sit perfectio prima, vt patet: potentia intellectiua, & volitiua sunt perfectiones secundæ naturæ intellectualis, vt patet; modò si includerentur formaliter; & quiditatiuè in illa, essent perfectiones primæ, ideò nego absolutè quòd in essentia diuina, vt est simpliciter quædam natura intellectualis, includantur quiditatiuè tales potentiæ operatiuæ, & productiuæ, imò ab ipsa quasi originantur.

Ad quintum Ad quintum. Dico breuiter, quod illa propositio, scilicet, quòd *omnis perfectio in creaturis, quæ ex sua ratione formali non includit necessariò imperfectionem necessariò debet attribui Deo*; debet intelligi vel formaliter quiditatiuè, vel formaliter quasi denominatiuè; illa enim perfectio, quæ etiam in creaturis est tantùm nata prædicari quasi denominatiuè, vt sapientia, bonitas, & huiusmodi, non potest sic attribui Deo, quòd de ipso prædicetur quiditatiuè, vel quòd sit de eius ratione intrinseca, quia huiusmodi perfectio præsupponit quiditatem, de qua prædicetur. Concedo ergo quod omnis talis perfectio est formaliter in Deo, & in summo: accipiendo *formaliter* denominatiuè, si sit talis perfectio secunda: vel formaliter quiditatiuè, vt entitas, quæ in summo reperitur in Deo, & intellectualitas. Sed in proposito intellectus, & voluntas sunt perfectiones consequentes entitatem quiditatiuam, ideò non possunt Deo attribui; nisi vt perfectiones, quasi secundæ, & sic concedo quòd essentia, vt essentia, in primo signo, quo absolutè consideratur essentia, istæ perfectiones non insunt formaliter, imò nullo modo insunt. Sed sufficit quòd insunt fundamentaliter, & originaliter, quia essentia diuina, vt essentia est talis entitas, & sola illa quæ nata est esse fundamentum, & origo omnium talium perfectionum, & hoc sufficit.

Essentia est verum obiectum beatificum. Ad sextum, & vltimum. Dico absolutè quòd essentia sub ratione essentiæ, & sola illa est obiectum verè beatificum, & cùm infertur, ergo sub ratione essentiæ beatificat. Dico quòd beatificare potest dupliciter intelligi, scilicet vel effectiuè, vel obiectiuè, effectiuè, causando beatitudinem; obiectiuè, terminando actum beatificum puta visionem, vel fruitionem. Primo modo, voluntas diuina beatificat. Secundo modo sola essentia, vt essentia beatificat, quia illa sola terminat primò actum beatificum. Sed hæc materia differatur vsque ad 49. quarti.

28. *Primò instatur.* Secundò principaliter instatur contra secundum dubium, probando quòd illud, quod est ratio terminandi non sit ratio causandi. Et primò sic: essentia diuina, vt hæc essentia, est ratio terminandi omnes relationes creaturæ ad Deum, & tamen non est ratio causandi ipsas. Primum patet à Doctore *in prolo. q.*1. *penult.* Secundum patet, quia voluntas est ratio formalis causandi, siue creandi, vt patet à Doctore *præsenti quæst. & in primo, distinct.* 2. *&* 39. *& in secundo, distinct.* 1. *quæst.* 1. *&* 37. *& in quodlib. quæstion.* 7. *&* 14.

Secundò instatur, quia essentia, vt essentia, est ratio formalis terminandi dependentiam effectus, vt ad causam finalem, & tamen non est ratio causandi causa finali, nisi vt amata, & desiderata. Primum patet secundùm Doctorem, quia nullus respectus est ratio formalis terminandi aliquam dependentiam realem: sed omne causatum realiter dependet non tantùm à causa efficiente, sed etiam à causa finali. Secundum patet, quia essentia non causat, vt causa finalis, nisi vt amata, vt ostendit Doctor *in primo, distinct.* 2. *par.* 2. *quæst.* 1. sed ipsam esse amatam, vt huiusmodi, dicit respectum rationis, vt patet: ergo. *Secundò instatur.*

Tertiò instatur, quia species intelligibilis est causa, saltem partialis, causandi intellectionem abstractiuam, & tamen non est ratio formalis terminandi illam intellectionem. Primum patet à Doctore *in primo, distinct.* 3. *quæst.* 6. *&* 8. *& in secundo, distinct.* 3. Secundum patet, quia obiectum intelligibile est simpliciter ratio formalis terminandi intellectionem, vt ab omnibus conceditur. Similiter patet de intellectu agente, qui ponitur ratio formalis causandi cognitionem obiecti, puta lapidis, vt patet à Doctore *in primo, d.*3. *q.*7. & clariùs *q.*15. *quodl.* & tamen non est ratio formalis terminandi huiusmodi cognitionem. *Tertiò instatur.*

Quartò instatur, quia ideæ in mente diuina ponuntur rationes formales causandi ideata, vt patet à communiter Doctoribus. Vnde Doctor *in primo, distinctione* 35. dicit quòd idea est ratio æterna in mente diuina, secundùm quam natum est produci vnumquodque, &c. & tamen non ponuntur rationes formales terminandi dependentiam ideatorum, imò talis dependentia terminatur ad Deum sub ratione Deitatis. *Quartò instatur.*

Quintò instat, quia materia, quæ ponitur causa intrinseca compositi naturalis est ratio formalis causandi materialiter ipsum compositum, vt patet; & tamen nullo modo est causa, siue ratio formalis terminandi dependentiam suppositi ad ipsam, quia si talis dependentia necessariò terminaretur ad materiam, sequeretur quòd idẽtificaretur realiter ipsi composito: patet, quia omnis relatio identificatur realiter identificatur fundamento, cui simpliciter repugnat esse sine termino, vt patet à Doctore *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 4. sed impossibile est compositum esse sine materia; ergo dependentia, quâ dependeret ad materiam esset realiter idem composito, quòd non videtur verum. Tum etiam, quia videretur materia nobilior composito, quia terminans dependentiam alicuius est nobilius ipso, quia terminans habet rationem independentis; nam terminans dependentiam alicuius est independens independentia opposita dependentiæ illius, quod dependet, vt dicit Doctor *in* 3. *dist.* 1. *q.* 1. compositum autem esset dependens, ergo imperfectius: 29. *Quintò instatur.*

perfectius: Nec valet dicere quòd totaliter non dependet à materia, sed tantùm partialiter, quia etiam dependet à forma. Dico quòd hoc nihil est, quia saltem habeo quòd compositum sit imperfectius materia, & forma etiam simul sumptis, quia totaliter ab illis dependet; modò compositum est perfectius omnibus partibus, etiam simul sumptis, vt patet à Doctore *in tertio, distinct. 2. in 4. distinct. 43. & in quodli. quæst. 9.*

Sextò instatur. Sextò instatur, quia Pater in diuinis, vt Pater, est ratio formalis terminandi generationem passiuam Filij: patet, quia solus Pater est terminus talis relationis, & tamen Pater non est ratio formalis generandi Filium, sed est memoria fœcunda, vt patet à Doctore *in primo, dist. 2. par. 2. quæstion. 3. & distinct. 7. & 28.* & sic patet quomodo illa non est simpliciter vera, *quòd est ratio terminandi, est ratio agendi.*

30. *Responsio ad primum.* Respondeo ad instantias omnes. Ad primam dico primò quòd ipsa voluntas est simpliciter ratio terminandi, & cùm dicitur quòd relatio creaturæ terminatur ad essentiam, vt hæc. Dico, quòd Doctori sufficit ibi accipere essentiam, vt hæc, pro aliqua perfectione formaliter infinita, quæ sub ratione sua formali, & distinctissima terminet, quæ via naturali non potest cognosci. Multoties enim accipit *Deitatem* pro aliquo debente perfectionem simpliciter perfectè identificato ipsi Deitati, & hoc sufficit. Dico secundò, quòd posito quòd talis relatio terminetur ad essentiam, vt hæc, non requiritur quòd ipsa, vt hæc, sit ratio formalis causandi: sed sufficit quòd ipsa, vel aliquid quod est realiter ipsa essentia diuina, sit ratio causandi, vt patet à Doctore infrà *qu.14. articulo 3.* Si dicatur quòd eodem modo potest dici de Verbo, quòd licèt essentia diuina sit ratio formalis terminandi dependentiam creaturæ ad ipsam, tamen ratio formalis causandi ipsam erit Verbum, quod realiter est ipsa essentia diuina. Dico, quòd non est simile de Verbo, & voluntate diuina, quia sicut ratio formalis terminandi dependentiam causati, saltem æquiuocè, in Deo necessariò dicit perfectionem simpliciter sic, & ratio formalis causandi; sufficit ergo pro veritate propositionis scilicet, quod est ratio formalis terminandi dependentiam creaturæ, quòd ipsum, vel aliquid quod est realiter ipsum dicens perfectionem simpliciter sit ratio causandi; & hoc sufficit: modò Verbum, siue proprietas verbi nullam perfectionem dicit.

Responsio ad secundum. Ad secundum. Dico, quòd essentia sub ratione essentiæ est ratio formalis terminandi, & similiter ratio formalis causandi, siue mouendi effectus, sed actu non mouet nisi, vt actu amata; actu ergo amari requiritur, non vt ratio formalis, sed vt conditio agentis siue, vt finis causantis.

Responsio ad tertium. Ad tertium de specie intelligibili, & intellectu agente, dico, quòd vterque terminat dependentiam cognitionis; dependentiam dico causati ad causam, & hoc partialiter, sicut etiam partialiter causant, & talis notitia, vt terminatur ad obiectum non dicit dependentiam causati ad obiectum causans, sicut causans in aliquo similitudinem, si est causabilis, terminat dependentiam illius, vt causati, & tamen ipsa similitudo terminatur ad aliud correlatiuum.

Ad quartum de ideis, dico quòd ideæ non ponuntur rationes formales causandi, sed sola voluntas diuina. Sed benè præsupponuntur, quia voluntas nihil potest velle nisi sit præcognitum, *esse* enim cognitum creaturarum ponitur ideæ in mente diuina vt patet à Doctore *in primo, distinct 35.* & ideò dicuntur ideæ rationes causandi, pro quanto per ipsas ideas obiecta causabilia sunt pœnitentiæ voluntati diuinæ. 31. *Responsio ad quartum.*

Ad quintum, concedo quòd materia terminat dependentiam partialiter ipsius compositi naturalis, cùm necessariò dependeat ab illa, vt à causa materiali. Et cùm infertur, quòd talis dependentia compositi ad materiam esset realiter idem ipsi composito. Dico quòd non solùm est verum, imò est necessarium, vt patet per propositionem Scoti. Cùm secundò infertur, quòd materia est perfectior si terminat talem dependentiam. Dico, quòd terminare dependentiam qualemcunque non semper arguit perfectionem in terminante, sed benè terminans vel esse rationem formalem terminandi dependentiam causati ad causam effectiuam, vel finalem, vel exemplarem, vel mensurati ad mensuram, semper arguit perfectionem in terminante, & imperfectionem in terminato. *Responsio ad quintum. Quomodo Ideæ dicuntur rationes causandi. Duplex est dependentia, quædam est in genere causæ efficientis, & finalis, & arguit imperfectionem.*

Ad vltimum dicò, quòd propositiò Doctoris intelligitur de ratione formali terminandi dependentiam essentialem causati, aliquorum modorum, quos immediatè diximus; modò generatiò Filij non est relatio aliquo modo dependentiæ, cùm Filius non dependeat à Patre; dependentia enim propriè est inter essentias, vt patet à Doctore *in primò, distinct. secunda, parte 2. quæst. 3. respondendo ad argumenta principalia.*

32. Tertiò principaliter instatur contra tertium dubium; probando quòd obiectum primum in diuinis, & solùm illud non mouet immediatè ad omnem notitiam antè actum voluntatis diuinæ, & primò instatur sic; quia quod est obiectum immediatius intellectui diuino, quàm essentia diuina, & est obiectum ex sua formali ratione motiuum immediatius mouet intellectum ad sui notitiam, si non sit impedimentum. Sed intellectus diuinus est immediatius sibimet in ratione obiecti actu intelligibilis, & ex ratione sua formali natus est mouere ad sui notitiam; ergo immediatè potest mouere intellectum diuinum, siue seipsum ad sui notitiam. Maior patet; & minor similiter. Nam & intellectus Angeli immediatè mouet se ad sui notitiam intuitiuam, vt patet à Doctore *in 2. dist. 3. qu.8.* multò fortiùs intellectus diuinus cùm sit formaliter infinitus intensiuè. *Alia est dependentia in genere causæ formalis, & materialis, & arguit perfectionem, quomodo includit illa à quibus pendet tanquam partes eius.*

Secundò instatur, quia in diuinis sunt plura per se obiecta ex ratione sua formali nata mouere ad sui notitiam, vt intellectus, voluntas, bonitas, & breuiter omnia attributa, cùm sint formaliter infinita: imo à fortiori, quia ista in creaturis, vbi sunt limitata, & formaliter finita habent rationem propriam mouendi ad sui notitiam; ergo multo magis vbi sunt formaliter infinita, & simpliciter illimitata. *Quomodo in diuinis sint plura per se obiecta.*

Tertiò instatur de actu reflexiuo, quo intellectus diuinus cognoscit se cognoscere, quia talis

talis actus videtur quòd immediatè causetur ab intellectu diuino, & à primo actu, super quo reflectitur, & non immediatè ab essentia diuina.

Quartò instatur, quia si essentia diuina immediatè mouet ad notitiam omnium obiectorum ante actum voluntatis, sequitur quòd in illo instanti, in quo est perfectissimè præsens intellectui diuino in ratione obiecti actu intelligibilis, quòd ipsa necessariò moueret intellectum diuinum ad notitiam omnium obiectorum, & sic ante productionem diuinarum personarum erit in intellectu diuino notitia omnium creaturarum. Cuius oppositum probat Doctor in *secundo, distinct.* 1. *quæst.* 1. *& infra, qu.* 14. *art.* 3.

33. Quintò instatur, quia posito quòd notitia sit immediatè ab essentia, quòd tamen talis notitia terminetur ad tale, vel tale obiectum, hoc non videtur esse ab essentia, quia intellectionem terminari ad obiectum dicit relationem, quæ videtur oriri ab illa intellectione, & obiecto intelligibili. Et posito quòd non sic oriatur, tamen illa relatio rationis non erit ab essentia, quia quicquid est ab essentia, vt essentia est ens reale, vt posset probari ex dictis Doctoris *in primo, distinct. secunda, quæst.* 7. *& distinct.* 8. *quæst.* 3.

Sextò instatur, quia immediatè posset causare, vel quasi causare in intellectu diuino notitiam omnium creaturarum; ergo virtualiter contineret omnes creaturas, vt patet à Doctore *in primo, distinct.* 3. *quæst.* 1. *distinct.* 8. *quæst.* 2. *in secundo, distinct.* 3. *quæst.* 10. *& quodlib. quæst.* 14. *articulo* 2. Sed si virtualiter continet illas, ergo essentia, vt essentia, potest illas immediatè causare. Patet consequentia, quia continentia virtualis est continentia causalitatis effectiuè, vt patet à Doctore in pluribus locis, præcipuè in prologo, quæst. 3. artic. 1.

Septimò instatur, quia si immediatè mouet intellectum diuinum ad notitiam omnium intrinsecorum, vt attributorum, & proprietatum, ergo realiter continet notitiam illorum, ergo & entitatem eorum, quæ omnia sunt absurda cùm in Deo nulla sit continentia nec virtualis nec eminentialis, vt patet à Doctore.

Respondeo simul ad primum, & secundum, quòd sola essentia diuina est præsens intellectui diuino in ratione obiecti actu intelligibilis, & motiui, quia ipsa propter sui perfectionem infinitam tam formaliter, quàm originaliter, & fundamentaliter, vt patet à Doctore *in primo, dist.* 8. *quæstione tertia, & suprà quæst.* 5. & ideò necessariò mouet ad notitiam omnium, licèt si non moueret immediatè alia intrinseca dicentia perfectionem simpliciter, posset mouere ad sui notitiam, & de hoc aliàs multa singularia dixi, & exposui.

Sola essentia est præsens intellectui diuino.

34. Ad tertium dico quòd actus reflexus est immediatè ab essentia, & intellectu, & non à primo actu.

Ad sextum, concedo quòd continet virtualiter omnem creaturam, & cùm arguitur, ergo immediatè potest omnem creaturam creare: Dico, quòd sufficit quòd originaliter, & fundamentaliter contineat voluntatem eandem sibi realiter: quæ est immediatum principium respectu omnium creaturarum.

Ad septimum dico, quòd notitiam omnium intrinsecorum continet virtualiter, accipiendo *virtualiter*, id est, originaliter, & fundamentaliter, non autem accipiendo propriè virtualiter, quod dicit causalitatem effectiuam.

Ad quartum responsum est in secundo, dist. 1. q. 1. vide ibi, & etiam responsio patet in quodl. q. 14. art. 3. vide ibi.

Ad quintum dico, quod sicut notitia immediatè est ab essentia, ita terminatio est ab illa, & talis terminatio, si dicat relationem rationis, certum est, quòd non est immediatè ab essentia, cùm non sit causatiua entis rationis, tamen si ponatur talis relatio, illa poterit esse ab actu collatiuo intellectus, qui actus etiam est ab intellectu, & essentia. Potest tamen breuiter dici quòd producens notitiam formaliter infinitam, illa erit omnium obiectorum, vt aliàs exposui.

Contra quartum dubium instatur, probando quòd in notitia genita sit aliquis respectus proprius sibi. Et primò sic: Verbum est productum, saltem secundùm *quid* de omnibus cognoscibilibus vt patet à Doctore *in secundo, dist. prima, quæstio.* 1. ergo dicit proprium respectum ad illa cognoscibilia. Probatur consequentia, quia sicut notitia genita de memoria fœcunda dicit relationem propriam ad ipsam memoriam vt patet à Doctore *in primo, distinct.* 27. *& in quodlib. qu. præsenti*, ergo similiter si est producta secundùm *quid* de omnibus obiectis secundariis, videtur dicere proprium respectum ad ipsa obiecta secundaria. 35.

Secundò instatur, quia intellectus diuinus potest comparare Verbum vt productiuum creaturæ subauctoritatiuè, & sic potest causari respectus rationis in Verbo, qui tantùm Verbo competat, & sic non erit necessariò communis tribus.

Tertiò, Verbum dicit relationem rationis ad naturam humanam, vt vnitam, vt patet à Doctore *in tertio, d.* 1. *q.* 1. ergo.

Respondeo, quòd nasci secundùm *quid* de obiectis secundariis, non est proprium notitiæ genitæ; sed tantùm appropriatum, vt prolixè exposui *in secundo, distinctione prima, quæstione prima*, vide ibi multa necessaria ad hoc propositum.

Ad secundum dico, quòd comparatio actiua est communis tribus personis, vt patet à Doctore *in primo, distinct.* 27. *& in secundo, distinct.* 1. *qu.* 1. Sed comparatio passiua immediatè fundata in notitia genita soli illi conuenit. Sed Doctor hoc modo non intelligit, sed intelligit quòd nullus respectus rationis sit proprius, ita quòd includatur in proprietate Verbi, vt patet in *præsenti quæst.*

Comparatio actiua est cõmunis tribus.

Respondeo ad tertium per idem, quòd non necessario includit, talem respectum rationis. Et breuiter non intelligit Doctor quin possit esse aliquis respectus passiuus in vna sola persona fundatus, cùm possit ab intellectu diuino comparari specialiter ad creaturam, & sic erit talis comparatio passiua in vna persona; sed intelligit quod nulla relatio rationis actiua, vt comparatio actiua, & similiter omnis respectus creationis, & huiusmodi est communis tribus personis.

Quinto principaliter instatur contra septimum 36.

mum dictum probando quòd non ſit verum, videlicet, quòd ſi fundamentum eſt commune, quòd fundatum in illo erit neceſſariò commune.

Nota diligenter. Inſtatur ſic primò, quia eſſentia, vt eſſentia diuina, eſt communis tribus perſonis, & in ea fundatur paternitas, & tamen paternitas non eſt communis tribus; quia tunc ſequeretur quòd Filius eſſet Pater, & ſimiliter quòd Spiritus ſanctus eſſet pater. Similiter filiatio fundatur in eſſentia communi tribus, & tamen filiatio non eſt communis tribus, aliter ſequeretur quòd Pater eſſet Filius, & ſimiliter Spiritus ſanctus, quæ omnia ſunt inconuenientia.

Secundò inſtatur, quia ſequeretur quòd æqualitas, quæ formaliter eſt in Filio, & qua Filius eſt formaliter æqualis Patri, eſſet formaliter in Patre, & in Spiritu ſancto. Probatur, quia fundamentum proximum, & immediatum eſt magnitudo intenſiua, ſiue infinitas intenſiua, ſiue vnitas magnitudinis, ſiue vnitas infinitatis intenſiuè, quæ eſt communis tribus perſonis, vt patet, & ſic ſi æqualitas fundata eſſet communis ſequeretur quòd Pater æqualitate Filij eſſet æqualis Filio, & Filius æqualitate Patris, eſset æqualis Patri, imò ſequeretur quòd ſimul eſſent in Filio duæ æqualitates, quia duæ ſunt in Filio ad Patrem, & Spiritum ſanctum, & duæ in Spiritu ſancto ad Patrem, & Filium. Cùm ergo illæ ſex fundentur in eadem magnitudine intenſiua communi tribus, ſequitur quòd illæ ſex ſimul ſint in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto.

Quid ſit fundamẽtum ſimilitudinis in diuinis. Tertiò inſtatur de ſimilitudine, quia fundamentum ſimilitudinis in Diuinis eſt vnitas perfectionis attributalis, puta vnitas ſapientiæ; vel bonitatis, quæ eſt communis tribus perſonis; ergo ſimilitudo, quæ formaliter denominat Patrem, eſset formaliter in Filio, & formaliter denominaret illum, & ſimili modo arguatur ſicut argutum eſt de qualitate.

Quartò inſtatur, quia in memoria diuina immediatè fundatur generatio actiua, qua Pater dicitur generans, & illa eadem memoria eſt communis tribus perſonis; ergo generatio actiua erit communis Filio, & Spiritui ſancto; ergo Filius denominatur à tali generatione actiua, & tunc ita erit verum dicere quod Filius generat Filium, & ſimiliter quòd Spiritus ſanctus generat, ſicut eſt verum dicere de Patre.

Reſpondeo primò ad omnes inſtantias ſimul, quod aliud eſt loqui de relationibus pertinentibus ad originem, & aliud eſt de non pertinentibus. De pertinentibus dupliciter, primò, & immediatè, vt generatio actiua, & paſſiua, & ſpiratio actiua, & paſſiua. Secundò mediatè, vt æqualitas, ſimilitudo, & identitas. Omnes enim relationes originis, ſiue originem conſequentes non conſiderantur præciſè, in eodem fundamento Nam generatio actiua fundatur in memoria, vt eſt principium formale productiuum, & generatio paſſiua fundatur in eadem, vt eſt terminus formalis generationis, vt patet à Doctore *in primo.* Similiter æqualitas in patre fundatur in magnitudine infinita non abſolutè, ſed vt concomitatur principium formale productiuum, & æqualitas in Filio, vt concomitatur primum terminum formalem. Et ſic dico breuiter, quòd non fundatur in aliquò; vt ſimpiiciter communi, quia memoria, etſi abſolutè ſit communis tribus, tamen eſt principium formale productiuum, tantùm Patri conuenit, & vt eſt formalis terminus generationis ſoli Filio conuenit. Concluſio igitur intelligitur propriè de fundamento communi, & ſic omnis reſpectus ad extrà fundatur in aliquo communi tribus, & ſic Doctor intelligit. 37.

Vbi fundetur generatio actiua.

Quibus conueniat memoria fœcunda.

Sextò inſtatur contra octauum dictum, probando quòd non ſit formaliter neceſſe eſſe omne quòd eſt in Verbo. Et primò ſic; quia ſi filiatio eſt ex ſe neceſse eſse, ergo formaliter dicit perfectionem. Patet, quia ſecundùm Doctorem *in primo, diſtinct.* 2. neceſſitas eſt conditio perfectionis, quia ens diuiditur per neceſſarium, & poſſibile.

Secundò inſtatur, quia ſequitur quod plures neceſſitates formaliter includerentur in Filio, & tunc eſſet neceſſe multiplici neceſſitate, quod eſt falſum, & contra Doctorem *in primo, diſt.* 2.

Filiatio eſt producta. Tertiò inſtatur, quòd filiatio non ſit à ſe neceſse eſse, id eſt, non cauſata, ſicut ipſe exponit, quia ipſa filiatio eſt producta, vt realiter diſtincta à Patre, & eſt ſimpliciter alterius rationis à Patre, imò primo diuerſa à paternitate, vt patet à Doctore *in primo, diſtinct.* 13. ergo dicit aliam entitatem quaſi eſsentialiter à Patre, ergo ſaltem erit quaſi cauſata, & ſic non erit ex ſe neceſse eſse. Multæ aliæ inſtantiæ poſsent adduci, quas pro nunc omitto.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IX.

Vtrùm Deus poßit facere Angelum informare materiam?

D.Thom.1.*p.q.76. art.5.& q.* 89.*art.*1. Scot. 4. *d.*43.*q.*2.Rich. 2.*d.*3.*art.*1.*q.*2.Henr.*quodl.*1.*q.*9. ægid. *tract de esse & essentia.*



ONSEQVENTER quæritur de omnipotentia in comparatione ad obiectum, quòd respicit: & sunt tres quæstiones. Prima quæstio de omnipotentia, vt respicit substantiam immaterialem, & est ista: *Vtrùm Deus posit facere Angelum informare materiam?* Secunda quæstio est de omnipotentia, vt respicit formam accidentalem, sed habentem *esse* modo supernaturali, & est ista: *Vtrùm Deus posit species in Eucharistia conuertere in aliquid præexistens?* Tertia est de omnipotentia, prout respicit formam accidentalem habentem *esse* modo naturali, & est hæc: *Vtrùm Deus posit facere quòd manente corpore & loco, corpus non habeat* vbi. *siue* esse *in loco?* 1.

Argum. Ad primam quæstionem, arguitur quòd sic. Deus potest facere formam materialem esse sine materia: ergo & formam immaterialem esse in materia, & per consequens Angelum esse in materia, & informare materiam. Antecedens probatur sic: quia Deus facit accidens materiale sine subiecto in Sacramento Altaris. Consequentia probatur: quia non magis videtur repugnare formæ immateriali esse in materia, quàm formæ materiali esse sine materia.

Ratio opp. Contrà, si Angelus informaret materiam, aut daret ei actum simpliciter, siue substantialem, aut actum secundùm *quid*, siue accidentalem. Non primo modo, quia cùm sit per se subsistens, non potest facere per se vnum cum alio, actus autem substantialis facit per se vnum cum illo, quod informat. Nec secundo modo, quia secundùm Aristotelem primo Physicorum, *quod verè est, nulli accidit* Angelus est id quòd verè est, id est substantia; ergo, &c. *Tex.26. & 27.*

Hîc sunt tria videnda. Primò intellectus quæstionis exponatur. Secundò solutio eius, prout possibile fuerit, declaretur. Tertiò aliqua dubia dissoluantur. 2.

Explicatur titulus quæstionis. De primo breuiter. Hîc non quæritur si Angelus habeat materiam partem sui, quia tunc Angelus non informaret materiam, sed forma, quæ esset altera pars eius informaret eam, sicut ignis non informat materiam, sed forma, quæ est altera pars eius. Nec quæritur vtrùm Angelus possit informare materiam, hoc est, effectiuè transmutare materiam ad formam ᵃ & hoc virtute Dei, licèt fortè virtute sui non possit, vt sic Deus faciat Angelum effectiuè informare materiam, sicut secundùm aliquos, facit corpus effectiuè agere in spiritum.

Ricard. & D.Thom. Sed quæritur de informatione formali, an scilicet Deus possit facere Angelum esse formam informantem.

COMMENTARIVS.

1. ᵃ 

Ec quæritur, an Angelus possit informare materiam, hoc est, effectiuè transmutare materiam ad formam, puta transmutare materiam, quæ nunc est sub forma ligni, facere eam sub forma ignis, corrumpendo formam ligni, & inducendo formam ignis, & hoc virtute Dei, *licèt fortè virtute propria non posset, vt sic Deus faciat Angelum informare materiam,* scilicet faciat ipsum effectiuè transmutare materiam, *sicut secundùm aliquos facit corpus effectiuè agere in Spiritum.* Et dicit *secundùm aliquos,* quia ipsè expresse tenet, nullum corpus posse agere in Spiritum, & hoc actione corruptiua, nec similiter posse in Spiritum causare tristitiam, vt patet in *quarto, distinctione* 44. *quæstione secunda,* licèt tamen corpus posset agere in Spiritum actione perfectiua, quia potest saltem partialiter causare in intellectu Angeli speciem intelligibilem sui, & similiter cognitionem sui intuitiuam, vt patet à Doctore *in secundo, distinctione tertia, quæstone* 11. & *in quarto, distinctione* 45. Sed quæritur de informatione formali, an scilicet Deus possit facere Angelum esse formam informantem materiam aliquam. Et sic intelligitur titulus quæstionis.

SCHO

SCHOLIVM.

Angelus nulla potentia potest informare materiam. Probatur quia est ens per se complete subsistens: de quo pulchram habet doctrinam. Secundò, Actui simpliciter per rationem propriam conuenit aptitudo ad informandum, vel repugnantia: primum non conuenit Angelo: ergo secundum: sed propria ratio Angeli est sua essentia: ergo essentialiter repugnat ei informare. Tertiò, Angelus magis recedit à materia, quàm anima rationalis. Hac sibi relicta potest esse sine materia: ergo ille necessariò est sine ea. Hanc soluit. Quartò, operatio Angeli, vt intelligere, est immaterialis, ergo & potentia, ergo & natura: ergo non potest informare materiam. Contra hanc, quæ est D. Thomæ instat, quia probat idem de anima rationali. Latè tractat hanc rationem, & replicas eius, adducens triplicem sensum, quo dici potest immaterialis. De quo vide eum 4. distinct. 43. quæstione 2. vbi de immortalite animæ, an sit demonstrabilis.

3. DE secundo b conclusio negatiua est tenenda, & ad hoc possent poni duæ rationes: quarũ prima sumitur ex medio cõmuni; secunda ex medio magis proprio. Addentur postmodùm rationes, inquirendo de eis, si concludant.

Prima ratio est ista, illud quod est simpliciter per se subsistens, non potest esse forma materiæ; Angelus est huiusmodi: ergo, &c. Maior declaratur: ens per se potest intelligi tripliciter: vno modo intelligitur ens per se solitariè, prout accipitur *primo posteriorum* in tertio modo *per se*, c & hoc modo accidens potest esse ens per se, quãdo non est in subiecto. Secũdo modo dicitur ens per se prout distinguitur contra ens in alio, & sic per se ens est idem quod non inhærens actualiter, nec aptitudinaliter, & hoc modo quæcunque substantia non tantùm composita, sed etiam materia, & forma est ens per se, quia forma substantialis, licet insit materiæ informando, non tamen inhæret, quia inhærere dicit non per se informare: quia inhærens nec est actus simpliciter, sed actus secundùm *quid*; nec cum illo, cui inhæret facit per se vnum, opposita conueniunt ei, quod per se informat. Tertiò modo ens per se dicitur illud, quod habet actualitatem vltimam, ita quòd non est per se ordinabile ad aliquẽ actum simpliciter, vltra istum, quem habet, qui quidem actus vlterior possit esse actus eius per se: & hoc, vel primò, vel participatiuè: quod, hoc modo est per se ens communiter dicitur suppositum, & in natura intellectuali dicitur persona: hoc modo intelligitur maior de ente per se. Istud solum dicitur propriè subsistens, sicut Philosophus loquitur *secundo de Anima* dicens, *quòd materia est potentia hoc aliquid, species autem, secundùm quam aliquid dicitur hoc aliquid: tertium, quod est ex ipsis, quod simpliciter est hoc aliquid*, scilicet per se subsistens habet actualitatem vltimam non ordinabilem per se ad aliquem actum vlteriorem. *Tex. 9* *Ens per se tripliciter sumitur, primo, actu nõ inhærens: 2. non aptum inhærere; 3. quod habet vltimã actualitatẽ, nec est ordinabile ad aliquem actum simpliciter, quod cõuenit antùm supposito.*

4. Maior sic intellecta probatur: quia forma substantialis per se ordinatur ad *esse* totius: illud autem *esse* est actus simpliciter, compositi quidem per se primò d sed formæ participatiuè: quia pars dicitur esse per se, per accidens, hoc est per se participatiuè, totum autem primò: quod igitur e est per se subsistens nec potest ordinari ad aliquod *esse* per se, illud non potest esse per se forma. Probatio minoris: Angelus est perfectus in specie perfecta, imò perfectiori, quàm sit aliqua species substantiæ materialis (ordo enim specierum est vt ordo numerorum 8. *Metaphys.*) nunc autem aliqua substantia materialis est ita in actu vltimo, quòd est per se ordinabilis ad aliquem actum vlteriorem, alioquin posset esse processus in infinitum in substantiis materialibus, vt quælibet posset esse pars alterius: ergo multò magis Angelus est per se subsistens, secundùm intellectum prædictum. *Per se perfecte subsistens nõ potest esse forma.* *Tex. 16*

Hæc ratio procedit ex medio communi, quia medium illud, quod est per se subsistens æquè concludit propositum de igne, sicut de Angelo, imò de quocunque, quod est completè in aliqua specie substantiæ.

Hinc etiam patet f quòd non vnibile non est differentia distinguens Angelum ab anima: quia est commune Angelo, & igni. Hinc etiam patet quare anima separata non est persona: licèt enim non sit nata inhærere, & ideo sit ens per se secundo modo prædicto, licèt etiam posset esse ens per se primo modo, id est, solitariè: non tantùm per virtutem causæ extrinsecè, sicut potest accidens vel forma materialis: sed virtute naturæ suæ sibi derelictæ, & hoc quia non necessariò dependet à materia in proprio suo *esse*: tamen non potest esse ens per se tertio modo prædicto, & solũ illud, quod *Anima nõ est persona: quia nõ est pe. se tertio modo.*

Persona est incõmunicabilis, vt vniuersale & vt forma. quod est sic per se ens, dicitur suppositum: in natura autem intellectuali dicitur persona, & sic est persona incommunicabilis: quia sibi repugnat communicari, non tantùm vt vniuersale, singularibus, sed vt forma materiæ actuandæ per ipsam.

Tex.15. & inn. Secunda ratio ad propositum est hæc. Quicquid potest esse forma substantialis hoc sibi competit immediatè per essentiam suam, scilicet posse dare actum simpliciter ipsi materiæ; quia 8. *Metaph.* patet quòd non est alia ratio, quare hoc posset facere per se vnum cum materia: nisi quia hoc est per se actus, & illud per se potentia, & huius non est aliqua ratio vlterior: nisi propria ratio huius & illius; ergo cui repugnat esse actum materiæ, hoc præcisè repugnat sibi per rationem propriam. Consequentia ista probatur: quia maiori perfectioni attestatur quòd alicui repugnat esse formam materiæ: quam quòd sibi conueniat: si ergo non potest hoc sibi conuenire nisi per suam propriam rationem, sequitur quòd cui repugnat, maximè repugnabit per propriam rationem formalem ipsius. Si igitur ratio propria quiditatiua Angeli esset nota: per illam propter *quid* posset ostendi, quod sibi repugnet informare materiam. 5.

Dare actũ simpliciter cõuenit formæ substãtiali, & nõ accidẽtali, quia hoc est hoc, & illud, secundùm Phil.

Actui simpliciter cõuenit aptitudo, vel repugnantia ad informandum. Ista ratio, licèt ostendat, quòd medium esset proprium ad conclusionem, si ipsa esset nota, tamen non ostendit conclusionem esse veram: vnde negans eam, diceret quòd non repugnat huic informare, nec essentia sua propria est ratio per se repugnantiæ. Ideò vlteriùs confirmatur ratio sic: cuilibet actui simpliciter, per rationem propriam, vel conuenit aptitudo ad per se informandum, vel repugnat informare: de essentia Angeli non est dari primum, ergo secundum: & tunc vltrà, vt argutum est, ipsa essentia est propria ratio repugnantiæ. Probatio minoris [h] aptitudo non est sine actualitate, quin sit imperfectio aliqua.

Vide 2. de Anima & 2. de Ge. *Angelus plus recedit à materia, quã anima.* Tertia ratio posset poni talis: ordo perfectionis in formis videtur esse per recessum earum à materia, sicut actus perfectior plus recedit à potentia; sed anima intellectiua tantùm recedit à materia, quòd naturæ suæ relicta, potest habere *esse* suum proprium sine ea: ergo Angelus, qui est perfectior quacunque anima intellectiua, plus recedit à materia, sed non videtur quòd plus possit recedere, nisi sibi repugnet inesse materiæ. 6.

Ista ratio non videtur multum probare: quia multiplex datur excellentia actus ad actum alia, quàm ista, sic recedere à materia: imò anima intellectiua, licèt possit esse sine materia: tamen ita perfectè potest vniri materiæ sicut aliqua forma inferior; ita diceretur quòd Angelus potest quidem esse sine materia, etiam perfectiori modo, quàm anima intellectiua, sed tamen potest esse in materia: quia licèt dependere à materia sit imperfectionis, non tamen est euidens, quòd posse communicare actualitatem suam materiæ sit imperfectionis; & præcipuè, quando talis communicatio potest esse sine dependentia, sicut poneretur in proposito.

D Th prima p. summæ q. 89. art. 1. vide eum q. 50. ar. 2. & qu. 28. art. 2. Quarta ratio videtur sumi, secundùm aliquos, ex operatione Angeli, quæ est *intelligere*; & hoc sic: *intelligere* est operatio immaterialis: ergo intellectus est potentia immaterialis: & vlteriùs, ergo natura intellectualis est natura immaterialis. Prima consequentia probatur per hoc, quòd operatio non est magis abstracta à materia, quã potentia, cuius est operatio: operatio enim inest operanti secundùm potentiam propriam, vt secundùm rationem proximam operandi: & per consequens, si potentia sit materialis, illa operatio non est immaterialis. Secunda consequentia probatur, quia potentia non excedit substantiam: & videtur ista consequentia præcipuè tenere de natura illa, quæ est merè intellectualis, cuiusmodi est natura Angelica: non sic manifestè tenet de natura, quæ est diminutè intellectualis; & cum hoc sensitiua quantùm ad aliquam potentiam: sicut ex anima nostra: quia illa dependet à materia in operando, saltem aliqua operatione, sed natura merè intellectualis nullo modo dependet à materia in operando, nec per consequens in essendo Videtur etiam consequentia à primo ad vltimum confirmari per commentum propositionis penultimæ de Causis, vbi habetur. *Impossibile namque est vt sit res, cuius substantia cadat sub tempore, & eius actio sub æternitate, sic enim eius actio melior esset ipsius substantia*, hoc est impossibile. Primum antecedens probatur ex obiecto: quia ab obiecto actus quilibet recipit speciem, & perfectionem; nunc autem obiectum intellectus, inquantùm huiusmodi, à materia abstrahitur; quia formæ in materia sunt indiuiduales; quas non apprehendit, secundùm quòd huiusmodi. 7.

Sequitur, si operatio est immaterialis: ergo & potẽtia, ergo & natura.

1. & 2. de Anima.

Iuxta rationẽ datã, anima non posset Si huic rationi instetur, quia simili ratione posset concludi per operationem; & vlteriùs per potentiam, quòd anima intellectiua esset immaterialis, & tamen conclusio est 8.

est falsa:hoc est, quòd non est perfectiò materiæ, licèt secundùm aliquos vera sit de immateriali:hoc est,non composita ex materia,& forma.

informarà materiam.

Diceretur, quòd benè potentia intellectiua est immaterialis, & etiam anima hoc modo est immaterialis;quia non est immersa materiæ, nec à materia totaliter apprehensa:& hoc declaratur,quia quantò forma est nobilior,tantò magis dominatur materiæ corporali, & minùs ei coniungitur,& magis eam sua virtute excedit:anima autem nostra vltima est in nobilitate formarum:vnde in tantum sua virtute excedit materiam corporalem, quòd habet aliquam operationem & virtutem, in qua nullo modo communicat cum materia corporali; & hæc virtus dicitur intellectus.

Qualiter anima est immaterialis.

Contra istud,homo non est homo secundùm animam,siue per animam,nisi secundùm quòd anima informat materiam: ergo nec operatur operatione propriâ hominis,secundùm animam, nisi vt anima informat materiam: ergo vel non intelligit secundùm animam,vt secundùm formam,quæ sit principium huius operationis,vel intelligit secundùm eam,vt informat materiam.

Homo non est homo, nec operatur secundùm animam,nisi vt informat materiam.

Prima propositio probatur,quia compositum non est illud, quod est nisi ex partibus,& hoc non vt diuisis,sed vt vnitis, vt patet *ex 7. Metaph.* respectu huius syllabæ, *ab*,de *a.* & *b.* & ita vniuersaliter de partibus,& toto, nec solum est hoc verum de partibus materialibus,quas vocat ibi Philosophus elementa,sed etiam de partibus essentialibus,quæ sunt materia,& forma:compositum enim ex hoc vnum est, quia hoc est potentia,& illud actus,sicut vult 8.Metaph.hoc est,quia vna pars quæ est potentialis informatur,& alia quæ est actus informat ipsam.

Tex.60. *Tex.15.*

9. Item secundò contra idem:anima secundum supremum gradum perfectionis suæ essentialis informat materiam; sed intelligere non potest competere sibi secundum aliquem gradum superiorem quam sit supremus: non ergo competit sibi vt excedit materiam:intelligendo per excedere non informare.Prima patet,quia alioquin homo non esset supremum ens corporale,nec per consequens proximum Angelo in ordine specierum,quia non esset actu formaliter per illud, quod est supremum in anima intellectiua,quæ est proxima forma Angelo.

Intelligere conuenit animæ, vt informat materiam.

De ista quarta ratione videndum est primò de antecedente. Illud autem antecedens,scilicet quod intellectio est operatio immaterialis,potest intelligi tripliciter. Vnò modo per oppositum ad operationes sensitiuas, quæ dicuntur organicæ, quia exercentur per organa determinata,& sic materiales, quæ requirunt determinatam partem corporis determinatè complexionatam,& per oppositum intellectio est operatio non organica: non enim per aliquam partem corporis determinatam exercetur, & hoc modo intellectus dicitur esse nullius partis corporis actus, intelligendo sic, vt in nulla parte vel per nullam partem propriè exerceat operationem suam, sicut potentiæ sensitiuæ.

Intellectio vno modo dicitur immaterialis, quia inorganicus.

10. Sed ex isto intellectu antecedentis non videtur sequi immaterialitas formæ. Forma enim purè materialis, dum tamen sit vniformis in toto & in qualibet parte, non dicitur operari per organum,sicut ignis non dicitur operari per organũ & Commentator 7.Metaph. super illud:*ergo sicut dictum est, Virtutes istæ assimilantur intellectui in hoc,quod non agunt per organum*, & loquitur de virtutibus, quæ sunt in seminibus: & paulo post,*virtutes, quæ sunt in corporibus animalium agunt per instrumenta determinata & membra propria.* Virtus autem formatiua non agit per membrum proprium, & ratio huius est,quia illa sola forma dicitur principium operandi organicè, quæ, scilicet quodammodò illimitata in agendo potest esse principium difformium actionum, quæ tamen non possunt elici,nisi mediantibus partibus dissimilibus; & ideò requiritur,quòd perfectibile à tali forma habeat partes dissimiles, per quas operationes illæ organicæ exerceantur, & talis forma est propriè sola anima, quæ propter sui perfectionem, vltra formas inferiores potest esse principium plurium operationum per ipsam conuenientium suò toti, & ideò requirit pro suo perfectibili adæquato corpus habens partes maioris dissimilitudinis, quæ conueniunt pluribus operationibus dissimilibus,quarum potest esse principium.

Forma vniformis, vt ignis, non est organica. Com.31. non longe à fine. *Forma organica non describitur.*

Imò ex isto intellectu antecedentis videtur posse argui, quòd intellectio est operatio æquè materialis, sicut visio: quia visio potest exerceri per partem materialem determinatam: intellectio autem non per aliquam partem, sed est totius primò: non enim manus intelligit, sed homo: sed si anima non vt perficiens totum possit esse principium intelligendi:ergo ipsa vt perficiens quamcunque partem æquè posset esse principium intelligendi,

ADDITIO.

sicut ipsa, vt perficiens totum, & tunc dici posset ita digitus intelligere, sicut homo, quia ita digitus esset in actu per formam, vt est principium intelligendi. Si ergo totum est æquè materiale, sicut pars, vel magis, sequitur quòd ista operatio, quæ non competit formæ nisi vt est in toto, sit æquè materialis, sicut illa, quæ sibi competit vt est in parte.

Respondeo ad hoc, operatio quæ competit formæ, vt est quodammodo illimitata perfectio, si communicetur materiæ vel toti, communicatur ei, quod est in actu per formam sic illimitatam: tale est totum, & non aliqua pars eius, respectu animæ intellectiuæ, cui, vt sic illimitata est, competit intellectio.

Quiditas rei materialis potest esse obiectum intellectus nostri. De quo. 2. d. 3. q. 3.

ALio modo posset intelligi antecedens, quòd intellectio est immaterialis terminatiuè, hoc est, tendit in obiectum abstractum à materia: & in hoc intellectu videtur antecedens probatum fuisse per immaterialitatem obiecti: sed ista probatio non concludit immaterialitatem simpliciter, etiam terminatiuè, siue obiectiuè; quia secundùm omnes quiditas rei materialis potest esse per se obiectum intellectus nostri sed tantummodò, si requiritur in obiecto immaterialitas, hoc est, abstractio à materia indiuiduali, & ex hoc sequitur quod operatio sit immaterialis terminatiuè, hoc est, indifferens ad obiecta singularia materialia, & tunc ad habendum conclusionem intentam, oportet probare quòd operatio, quæ respicit vniuersale pro obiecto, non posset aliquo modo communicari materiæ. 11.

Receptiuũ intellectionis, anima; sensationis organum compositum ex anima, & parte corporis.

Tertius intellectus antecedentis est iste: intellectio non est primi alicuius materialis tanquam proximi receptiui, sed eius receptiuum proximum & proprium est forma, non illa totius, quæ est quiditas, sicut est humanitas, sed illa, quæ est simplex, & altera pars compositi; quælibet autem operatio sensitiua est primò compositi ex materia, & forma, sicut proprij receptiui, sicut patet in principio de sensu & sensato: non enim ipsa anima est immediatè receptiua visionis, sed ipsum organum, quod est compositum ex anima, & determinata parte corporis est proxima ratio recipiendi visionem, nec est anima, nec aliquid animæ nec illa forma mixtionis, quæ est in determinata parte corporis, sed forma totius organi eo modo, quo humanitas est forma totius hominis, est proxima ratio recipiendi visionem.

Quare oculus cæcus non est oculus?

Ex hoc patet, quòd si organum dicatur illa pars totius animalis, in qua tanquam in proximo receptiuo, recipitur sensatio, organum dicetur esse aliquid compositum ex anima, vt est principium talis operationis, & ex parte corporis sic mixta, & tunc patet, quare oculus cæcus non est oculus, nisi secundùm *quid*: quia non est nisi altera pars compositi, quod natum esset dici oculus carens alia parte, qua completè oculus est oculus. 12.

Anima separata potest intelligere, sed nõ sentire, & quare.

Ex hoc etiam patere potest, quòd si potentia dicatur illud, quod est ratio proxima recipiendi actum, potentia visiua non erit aliquid præcisè animæ, sed vel erit forma totalis ipsius organi, vel aliquid consequens illam formam.

Patet etiam, quare anima separata non potest sentire, quia non habet receptiuum sensationis, quod est organum, nec formalem rationem recipiendi, quæ est forma totalis ipsius organi. Per oppositum est de intellectione, quia receptiuum eius proximum, & proxima ratio formalis recipiendi eam est anima, vel aliquid ex parte animæ præcisè, non includendo aliquam materiam; & propter hoc potest ipsa competere animæ separatæ, quia ibi manet proximum eius receptiuum.

Al. enim.

Secundùm † etiam istum tertium intellectum, qui plus continet veritatis, *intelligere* est operatio immaterialis: quia proximum receptiuum habet non includens materiã, saltem corporalem, & ideò sine tali materia potest ipsa operatio haberi; nunc autem potens habere operationem sine materia potest habere *esse* sine materia: ergo natura illa, cuius est ista operatio propria, potest habere *esse* sine materia.

Ex hoc ergo medio, scilicet operatione, potest concludi ipsius naturæ talis immaterialitas, hoc est, à materia in essendo separabilitas: non autem illa immaterialitas vlterior, quæ est impossibilitas informandi materiam, & hoc est rationabile, quod ex intellectione, quæ est medium, & commune animæ & Angelo, possit concludi immaterialitas communis vtrique.

COM

COMMENTARIVS.

2. b De secundo principali, dicit Doctor quòd repugnat Angelo posse esse formam informantē materiam, & adducit duas rationes, quarum prima sumitur ex medio communi, quia scilicet concludit non tantùm de Angelis, sed etiam de omni substantia corporali per se subsistente. Secunda sumitur ex medio magis proprio, quia talis ratio non concluderet de omni substantia per se subsistente. Prima ergo ratio stat in hoc; quod est per se subsistens non potest informare materiam, Angelus est huiusmodi; ergo.

Ens per se potest intelligi tribus modis primo modo habetur primo post cõtex.9.

Maior declaratur: *Ens per se potest tripliciter intelligi. Primò intelligitur ens per se solitariè, prout accipitur primo Posteriorum in tertio modo per se*, id est, quando tantùm prædicat secundum adiacens; & hoc modo accidens potest esse ens per se, quando non est in subiecto, vt albedo separata est, sed quando est in subiecto, non dicimus, albedo est, sed album est. *Secundò dicitur ens per se prout distinguitur contra ens in alio*, &c. *Nec cum illo cui inhæret facit per se vnum*, vt patet 8. Met. opposita verò conueniunt ei, quod per se informat, & dicitur per se informare, quia ex ipsa forma, & materia, quam informat, fit per se vnum compositum, sicut forma accidentalis dicitur per accidens informare subiectum, quia ex tali forma, & subiecto fit vnum per accidens, vt patet 8. Met.

Tertiò dicitur ens per se illud quod habet actualitatem vltimam, &c. *Illud autem esse totius est actus simpliciter compositi, quidem per se primo*, id est, quòd compositum, siue *esse* compositi est per se primò subsistens, sed *esse* formæ est per se subsistens participatiuè tantùm, pro quanto est pars compositi, & omnis pars, vt participat *esse* compositi, vt etiam patet à Doctore, in 2. d. 17. & ideò dicitur per se ens per accidens, tamen accipiendo per accidens participatiuè. Et hoc modo *per accidens* distinguitur contra illud, quod est per se primò ens, siue subsisteus, & non participatiuè ens sicut pars.

Quod est igitur per se subsistens, & non participatiuè; *nec potens ordinari ad aliquid esse per se* (& dicit *per se*, quia benè subsistens primò potest ordinari ad aliquod esse per accidens, quia potest recipere multa accidentia, quæ tantùm informant per accidens, sed non potest ordinari ad aliquam formam substantialem, quæ per se informat: quia si posset sic ordinari tunc ex ipso & illa forma posset per se fieri vnum compositum, & sic illud compositum esset per se primò subsistens, & illud quod ordinaretur esset participatiuè existens, quia pars alterius per se compositi) illud non potest esse per se forma informans materiam, vt patet suprà.

f *Hinc patet, quod non vnibile non est differentia distinguens Angelum ab anima.* Et fuit opinio Boëtij & Thomæ vt patuit *in secundo, d.* 1. *quæst. vltima*, quam opinionem ibi Doctor improbat, scilicet, quòd Angelus, & anima non distinguuntur specie per vnibile, & non vnibile. 5.

Anima separata non est persona.

g *Hinc etiam apparet quare anima separata non est persona*, licèt enim non sit nata inhærere, quia non est nata informari per accidens, cùm sit forma substantialis, & sit per se ens, secundo modo prædicto, quia forma per se informans, tamen non potest esse per se ens tertio modo prædicto, quia tunc non esset forma per se nata informare, imò simpliciter sibi repugnaret, vt suprà patet. Dicit etiam Doctor quòd ipsa separata potest esse per se ens, primo modo, id est, solitariè, non tantùm per virtutem causæ extrinsecæ (sicut potest esse accidens, scilicet absolutum, & forma materialis per diuinam potentiam tantùm. De accidente absoluto patet à Doctore *in quarto, dist.* 11. De forma materiali patet *in secundo, dist.* 12. *q.* 2.) sed virtute naturæ suæ sibi derelictæ, & hoc quia non necessariò dependet à materia in proprio suo *esse*, hîc tamen non est notum via naturali ipsam in suo *esse* non dependere à materia, vt ostendit Doctor *in dist.* 43. *q.* 2.

Secunda ratio ad propositum stat in hoc: Cui repugnat esse actum materiæ, hoc præcisè repugnat per rationem propriam, quia maiori perfectioni attestatur, quòd alicui repugnat esse formam materiæ, quàm quòd sibi conueniat; sed non posset alicui conuenire, nisi per rationem propriam, ergo à fortiori non posset alicui repugnare, nisi per rationem propriam. Cùm ergo repugnet Angelo informare materiam, ergo sibi repugnat per rationem propriam; quæ tamen est nobis ignota. Et ista ratio procedit ex medio proprio quia ex ratione propria ipsius Angeli.

h *Probatio* minoris, scilicet quòd non conueniat ei aptitudo ad informandum, quia aptitudo non est sine actualitate, quin sit imperfectio aliqua. Si ergo essentia Angeli, cùm sit perfecta inter omnes substantias, esset apta nata informare, & actu non informaret, tunc in ipso Angelo esset imperfectio aliqua.

SCHOLIVM.

Contra duas rationes allatas pro Concl. à num. 3. hîc ponit 7. obiectiones, & soluit per selectissimam, & claram doctrinam, explicando multa & abstrusa in Philosophia, vt noto in magine. Ad sextam, de animatione Cælorum non respondet, quia de hoc tractatum est 2. d. 8. q. vnica. Vide Leuch. qui hîc in fine mouet varia, & acuta dubia circa hanc quæstionem & in ea tractata.

13. De tertio i principali, obiicitur contra primam rationem: quia ex 7. Metaph. *forma est magis ens, quàm compositum*: ergo illa non ordinatur ad *esse* totius tanquam ad aliquid perfectius. *Tex. c.* 7.

Præterea specialiter de anima, videtur quòd ipsa sit per se subsistens [k] quia ipsa per se operatur: operatio enim quâ compositum operatur per se, non competit soli formæ, animæ autem separaræ competit *intelligere.*

Præterea *esse* animæ [l] est *esse* compositi: ergo non ordinatur ad illud *esse.*

Antecedens probatur: propter hoc enim anima humana remanet in suo *esse*, totius *esse* destructo, non autem aliæ formæ: quia hoc idem *esse* quod est totius, est ipsius animæ, non sic in aliis.

Præterea. Hæc aqua potest esse pars alicuius totius aquæ, & ita est ordinabilis ad *esse* perfectius, quòd sit eius participatiuè, & per consequens hæc aqua nunc non est per se subsistens.

Præterea. Idem non repugnat eidem nisi per eandem rationem repugnantiæ: si ergo Angelo repugnet informare materiam, hoc est per aliquam vnam rationem in Angelo propter quam sit ista repugnantia: non ergo sunt duæ rationes: vna communis, sicut processit prima ratio: & alia propria, sicut processit secunda ratio.

2.cal.&12. Met.& 9. Met. Auic.

Præterea. Secundùm Philosophos, Cœli videntur esse animati: non autem potest poni ibi anima intellectiua: quia intellectiua inferior Angelo non potest perficere corpus, nisi perficiat secundùm perfectionem vegetatiuæ, & sensitiuæ, quas includit; vel nisi illæ, si sint distinctæ, simul perficiant.

Præterea. Angelus quandoque sumit sibi corpus, per quod exercet actus vitæ: ergo cùm *agere* præsupponit *esse*, dabit illi corpori *esse* viuum, & per consequens informabit illud.

Enumerat tantùm 5. hic soluenda, quia duo vltima habet solui in 2.1. dist. 14.q.1.2.d. 8.q.vnica.

Ad ista quinque. Ad primum [m] non intelligitur *prius*, & *magis*, secundùm perfectionem, sed secundùm principalitatem, & independentiam: quia *esse* principij principalioris est independens respectu principiati, & respectu principij minùs principalis. 14

Ad secundum, quamuis ista ponatur ratio fundamentalis pro conclusione ista, quòd anima intellectiua est subsistens, tamen conclusio non videtur vera loquendo propriè de subsistente eo modo, quo priùs dictum est, quòd ens per se, tertio modo ibi accipiendo, dicitur subsistens, sed nec anima intellectiua vnita est per se subsistens, id est, solitariè, sicut accidẽs in Altari dicitur per se ens: quia tunc vnita non informaret corpus: separata enim, quia sic est per se ens, non informat: si ergo vnita, esset sic per se ens, eundem modum essendi haberet informans, & non informans.

Anima separata proximum receptiuum intellectionis, vnita non.

Quomodo homo dicitur receptiuum remotum intellectionis.

Ad rationem ergo illam: intellectio, quæ est operatio immanens in operante, potest dici competere per se alicui dupliciter. Vno modo sicut proximo susceptiuo: alio modo sicut remoto. Exemplum, primo modo superficies dicitur alba. Secundo modo non, sed benè dicitur, homo est albus. Sic anima dicitur per se intelligere tanquam proximum receptiuum intellectionis: sed non primum, quando est vnita: quia quando est vnita est ratio, secundùm quam intellectio conuenit homini, tanquam toti per formam: homo autem dicitur per se intelligere, tanquam receptiuum remotum: quia non recipit intellectionem, nisi per hoc, quòd anima, quæ est eius forma proximius recipit eam. Quando ergo accipitur in maiori, quod per se operatur, est per se subsistens; verum est de primo operante, quod, scilicet sic operatur, quòd non est vlteriùs alicui ratio operandi illâ operatione: si autem non esset subsistens, sed forma informans, non posset operari, quin vlteriùs esset ratio operandi suo toti; sed isto modo minor est falsa, quòd anima per se intelligit: hoc enim non est verum nisi eo modo, quo operatio conuenit formæ, sicut proximo susceptiuo.

Ex ista patet, quomodo intellectio est immaterialis, scilicet non quòd non sit ipsius animæ vnitæ, prout informat materiam: sed quia ipsa est solius animæ, vt proximi susceptiui: totius autem compositi, tanquam remoti susceptiui & tantùm secundùm partem formalem sui. 15.

Ad tertiũ. Inconuenientia, quæ sequũtur, si dicatur quòd anima habet idem esse cum toto.

Ad aliud: [n] habens omnino idem *esse*, non videtur simpliciter imperfectum, per hoc, quòd non communicat alteri illud *esse*: si ergo animæ esset idem *esse*, quod & totius, quare anima separata esset imperfecta in essendo, cùm tunc nihil sibi tollatur, nisi quòd suum *esse* non communicat alteri? quare etiam idem *esse* habens, anima esset imperfecta in essendo, & totum habens idem *esse*, esset perfectum in essendo; quomodo etiam manet *esse* totius nisi maneat totum habens illud *esse*?

Dico ergo, quod *esse* animæ manet idem, dum anima manet ens illo *esse*, & hoc siue sit coniuncta siue separata: & consimiliter videtur, quòd *esse* totius non manet idem, nisi dum totum manet idem in illo *esse*: quia nullius esse actuale videtur manere idem: nisi

nisi manente illo actualiter habentente illud *esse*. Videtur ergo ista neganda ° quòd *esse* animæ est idem, quod *esse* totius: quia anima habens *esse*, videtur pars totius habentis *esse*. Consimiliter videtur *esse* se habere ad *esse*.

16. Et illa probatio, quæ adducitur ad propositum, scilicet, quòd anima remanet in suo *esse*, non sic aliæ formæ, non concludit propositum; imò oppositū. Ideò enim ᵖ remanet in suo *esse*, quia *esse* eius est omnino incorruptibile, & per se, & per accidens: videretur autem corruptibile, si esset idem cum *esse* compositi. Compositum enim verè corrumpitur: sicut enim generatio videtur terminari ad *esse* generati: ita *esse* corrupti videtur esse terminus *quo* corruptionis: & per consequens non manere; aliæ autem formæ materiales non manent in suo *esse*, corrupto toto: non quia *esse* earum non fuerit aliud ab *esse* compositi corrupti: sed quia ipsæ corrumpuntur per accidens: hoc autem est, vel quia agens corrumpens per principium suum actiuum contrarium illis, attingat illas vt contraria: vel saltem attingit compositum corrumpendo ipsum: & formæ tales sunt inseparabiles à composito in essendo: neutrum autem istorum verum est de anima intellectiua. *Anima rationalis manet separata, quia est incorruptibilis per se, & per accidens, quia nec ratione sui, nec ratione compositi corrūpitur.*

Si etiam (vt isti dicunt) anima intellectiua sit incorruptibilis, quia *esse* per se conuenit formæ, quæ est actus: quod autem secundùm se conuenit alicui, inseparabile est ab illo: sicut ergo impossibile est, quòd forma separetur à seipsa: sic impossibile est, quòd forma subsistens desinat esse. Si, inquam, ista sit ratio incorruptibilitatis animæ intellectiuæ, sequitur quòd non est incorruptibilis, propter hoc, quod idem est *esse* eius, & totius: est enim separabilis à toto, manens tamen inseparabilis à seipsa. *Causa quare formæ non remanent post compositum.*

17. Potest tamen ᑫ ad clarius videndum responsiones ad duo argumenta prædicta distingui de *esse*: vno modo *esse* potest intelligi illud, quo primò formaliter aliquid recedit à *non esse*: primò autem receditur à *non esse* per illud, per quod aliquid est extra intellectum, & potentiam suæ causæ. Hoc modo cuiuslibet entis extra intellectum & causam, est proprium *esse*. Alio modo dicitur *esse* vltimus actus, cui, scilcet non aduenit aliquis alius dans *esse* simpliciter, & ipsum dicitur simpliciter habere *esse* cui primò conuenit *esse* sic dictum, primo inquam, sic, quòd non sit alicui alteri ratio essendi illo *esse*. Isto modo compositum perfectum in specie dicitur esse, & solum illud: pars autem eius dicitur esse per accidens tantummodò, vel magis propriè participatiuè isto *esse* totius: sic igitur solum compositum est per se ens, accipiendo *esse* secundo modo: anima autem intellectiua non dicitur subsistens nisi impropriè, & secundùm *quid*, licèt dicatur ens, & per se ens primo modo, accipiendo *esse*, & hoc pro responsione ad primum argumentum. *Esse sumitur dupliciter, 1. pro poni extra causam, 2. pro vltimo actu, qui non potest esse ratio essendi alicui. Compositum perfectum solum dicitur esse, & pars per accidens esse.*

Per eandem distinctionem patet ad secundum: quia primo modo accipiendo *esse* formæ, & totius non est idem *esse* omnino. Secundo modo est idem *esse*: sed illud non est vtriusque eodem modo, sed totius primò, & partis participatiuè.

18. Ex hoc patet quomodo anima separata dicitur imperfecta in essendo: quia eo modo quo ipsa est vnita potest dici perfecta in essendo, non essentialiter, & primariè, sed participatiuè: suo quidem proprio *esse* est æquè perfecta separata, & coniuncta: sed coniuncta perfecta est *esse* totius participatiuè, licèt non primariè. Et quantùm ad hoc separata esse imperfecta, quia caret ipso *esse* totius: & posset dici quòd ista imperfectio est imperfectio simpliciter, quia caret illo *esse*, quod est perfectio simpliciter, licèt non propria, imò ipsa est maior perfectio, quàm *esse* eius proprium, quia includens illud *esse*. Non igitur dicitur forma imperfecta ex hoc solo, quòd non communicat suam perfectionem alteri, sicut nec ipsa perficitur in hoc, quod communicat, sed dicitur imperfecta ex carentia perfectionis *esse* totius, quæ carentia concomitatur illud non communicare. *Quomodò anima perfectius habet esse vnita, quàm separata.*

Ad quartum illud, quod potest esse pars integralis homogenea totius, etsi participet *esse* eius, quando est in toto, & non participet, quando est extra totum, tamen separatum non dicitur imperfectum, quia habet *esse* æquè perfectum cum illo *esse* quod potest participare. Vnde non dicitur propriè ordinabile ad *esse* totius, sicut illud quod natum est esse pars essentialis per se ordinabilis ad *esse* illius, cuius natum est esse aliquid, nec potest esse in se aliquid eiusdem rationis cum illo. *Hanc solutionem require in 2. d. 2. q. 10.*

Ad aliud dico, quòd in eodem possunt plura includi; quorum cuilibet secundùm propriam rationem, etiam alio circunscripto repugnat aliquid idem, & tunc quodcunque illorum potest esse ratio repugnantiæ illius includentis ad aliud. *Hanc regulam supra q. 7. & in 1. d. 16.*

Aliquid potest repugnare alicui per varias rationes.

Exemplum: homini per rationem substantiæ repugnat, quòd sit albedo, etiam quocunque alio circunscripto. Item, per rationem rationalis: illa ergo propositio est neganda, quòd *vnum vni non repugnat*, nisi per vnam rationem repugnantiæ, sed si addatur, non nisi per vnicam rationem primam, distingui potest: quia ratio repugnantiæ vni extremo competit illi, cui est ratio repugnandi, & alteri repugnat, vel ergo primitas ista refertur ad istam conuenientiam, & tunc illa erit prima ratio repugnantiæ, quæ primò conuenit isti, & cum hoc repugnat alteri: vel primitas ista refertur ad repugnantiam, & tunc illa erit prima ratio repugnantiæ, quæ primò opponitur illi, & cum hoc conuenit isti, & vtroque modo potest distingui de primitate communitatis & perfectionis: 19.

Priùs repugnat substantiæ esse quantitatē, quàm animali, prioritate communitatis, non perfectionis.

Quantùm ad primitatem communitatis, priùs repugnat substantiæ esse quantitatem, quàm animali: è conuerso tamen quantùm ad primitatem perfectionis, quia animal plura includit, propter quæ repugnat sibi, quòd sit quantitas, quàm substantia includit; accipiendo tamen vniformiter primitatem, vera est propositio, quod *eiusdem ad idem vna est prima ratio repugnantiæ*: & ex hoc sequitur, quòd non processit vtraque posita ad conclusioné ex ratione repugnantiæ: prima, eadem primitate, quod concedo.

Prius homo est substantia quam animal, communitate, non perfectione.

Similiter quantùm ad primitatem communitatis, priùs competit homini esse substantiam, quàm rationalem, & quantùm ad primitatem perfectionis est è conuerso. 20.

Sed si arguatur, idem non competit eidem nisi per eandem rationem; ergo similiter est de repugnantia.

Respondeo: non est simile, quia multis communiter non conuenit idem prædicatum saltem, quod non est de essentia eorum, nisi per idem commune eis, sed multis repugnare potest idem non per aliquid commune eis. Exemplum: repugnat homini, & albedini esse Angelum, & licèt fortè homini, & albedini sit ens commune vniuocè, tamen ens non est ratio istius repugnantiæ quia conuenit Angelo. Exemplum manifestius, lapidi, albedini, chimeræ repugnat esse Deum; non tamen per aliquid commune, sicut manifestum est.

Cœlū nō est animatum, vide 2. d. 19. q. 1. Additio.

Ad textum dici potest, quòd licèt Auicenna hoc posuerit 9. suæ Metaphysicæ cap. 4. scilicet Cœlum esse animatum: *tamen Aristoteles nunquam posuit. Et si dicatur, quòd Aristoteles in de Cœlo & mundo, & 12. Metaphysicæ videatur hoc dicere, vel alibi.*

Angeli quomodo formæ Cœli.

Respondetur, quòd anima duplex officium habet, vt patet secundo de anima, *scilicet mouendi, & informandi. De primo dicit Aristoteles, quòd est secundùm quam intelligimus, & sentimus, & mouemur, & secundùm hanc vltimam proprietatem Cœli dici possunt esse animati, & sic Angeli sunt formæ Cœli non informantes, sed mouentes.*

Ad aliud per idem dico, vt patet in 2. dist. 8. quòd Angelus potest assumere corpus, & vniri illi, vt motor naui, & mobili, non autem per informationem, vt patet de multis Angelis & bonis & malis, vbi suprà in secundo, &c.

Ad argumentum principale, nego consequentiam, & ratio est, quia prius potest esse ratio repugnandi alicui ne insit sibi, quod si inesset, esset posterius sicut repugnat homini esse rugibilem, & illud, quo formaliter homo est homo, est ratio illius repugnantiæ, & tamen rugibile si inesset, esset posterius homine, sicut passio est posterior suo subiecto. Est igitur prius simpliciter necessariò causa repugnantiæ sic, scilicet quòd contradictio est illa coniungi: non sic necessariò potest esse ratio conuenientiæ alicuius posterioris sic, scilicet quòd contradictio sit illa non vniri, quia non est contradictio absolutum prius separari à suo posteriori. 21.

Forma potest separari à materia 2. d. 12. q. 2. quia non est ratio suæ vnionis.

Ad propositum, formam materialem separari à materia non requirit nisi, quòd forma non sit simpliciter necessaria ratio suæ vnionis ad materiam, quod verum est, quia est entitas absoluta, & ita prior natura illa vnione; sed formam immaterialem, vt Angelum, posse vniri materiæ poneret aliqua vniri, quorum vnum est ratio repugnantiæ, vt ostensum est in solutione quæstionis.

COMMENTARIVS.

4. i De tertio articulo principali, in quo mouentur dubia. Instat ergo Doctor, primò probando quòd formæ substantiali magis repugnet per se ordinari ad aliud, quàm cōposito, imò si compositum non est per se ordinabile ad vlteriorem actum, multo fortiùs forma substantialis non erit ordinabilis; & probatur, quia magis ens est minùs per se ad aliud ordinabile; patet, quia ordinari ad aliud, vel non ordinari, siue esse ordinabile, vel non ordinabile, sequitur

sequitur entitatem quantò enim aliquid est magis ens, & magis perfectius, tantò est minùs ordinabile. Sed forma substantialis est magis ens, quàm compositum, vt patet 7. Met.

k Secundò specialiter arguit de anima, quòd ipsa sit per se subsistens. Et cùm dicit *anima per se operatur*. siue per se intelligit, accipitur ly *per se* solitariè, vt suprà dixi.

l Tertiò instat, probando quòd anima sit per se subsistens, quia *esse animæ est esse compositi*, &c. Et hæc est ratio Thomæ, quam etiam Doctor improbat *in 4. dist. 43.*

Improbatio huius opinionis. Quartò arguit per argumentum ducens ad impossibile, probando quòd ordinari ad aliud vt ad perfectius, cuius sit pars, non impediat ipsum esse per se subsistens, arguit ergo sic: *Hæc aqua potest esse pars totius aquæ*, &c.

Quintò instat, probando quòd illæ duæ rationes prima non procedant ex diuersis mediis, quorum vnum sit commune, & aliud proprium, quia idem non repugnat eidem.

Secundo Cæli & 9. met. Auicenna cap. 4. Sextò instat, quia secundùm Philosophos cœli videntur esse animati, &c. Et quòd anima intellectiua non possit informare cœlum secundùm mentem Philosophi, ostendit Doctor *in 2. dist.* 14. vbi quærit an in cœlo sit materia.

Angelus potest informare materiã. Septimò, & vltimò arguit, quia *Angelus, quandoque sumit sibi corpus*. Et sic Doctor per has duas rationes vltimas probat quòd Angelus potest informare materiam, imò secundum penultimam, quòd de facto informet secundùm Philosophos, quia anima intellectiua, vt suprà patuit, non informat cœlum, & tamen ipsum est animatum, non animâ sensitiuâ, nec vegetatiuâ, nec animâ nostra intellectiuâ; ergo erit informatum aliqua forma quæ sit quiditatiuè Angelus.

5. *Forma quomodo sit magis ens composito.* m Respondet Doctor ad omnes istas instantias. Et primò ad primam dicit quòd propositio Philosophi non intelligitur quòd forma sit magis ens, id est perfectius composito, sed magis, quoad *principalitatem, & independentiam*, &c. Et sic forma substantialis dicitur magis ens, quàm compositum, quia compositum principalius dependet ab ipsa, & ipsa respectu compositi non dependet. Est etiam independens respectu principij minùs principalis, scilicet materiæ, quæ est aliud principium, minùs tamen principale ipsius compositi.

Intelligere competit animæ & composito. Ad secundum dicit primò, quòd intelligere competit per se animæ, vt proximo susceptiuo, toti verò composito, vt remoto susceptiuo. Et quando est anima separata, est immediatum; & primum receptiuum; quando verò est vnita est immediatum receptiuum, sed non primò, imò compositum est per se primò receptiuum, quia tunc homo per se primo intelligit, & anima vnita non primò intelligit, sed est ratio ipsi homini, vt intelligat. Quando ergo accipitur in maiore; *quod per se operatur est per se subsistens*; verum est de primo operante, quod scilicet sic operatur, quòd non est vlteriùs alicui ratio operandi illa operatione; sed anima (etsi etiam separata per se operetur, id est, solitariè sic accipiendo ly *per se*) non potest dici per se subsistens, quia composito, cuius potest esse pars principalis, potest esse ratio operandi eadem operatione: patet, quia quando est coniuncta composito compositum per animam per se intelligit.

6. n Ad tertium, primo respondet negando animam habere idem *esse*, quod est *esse* compositi, & adducit multa inconuenientia, quæ sequerentur si præcisè diceret idem *esse*, quod *esse* compositi. Primum est, quia anima ab istis ponitur imperfecta in essendo, quando est separata; sed non quando est coniuncta, quia vt coniuncta participat *esse* compositi. Si ergo dicetur simpliciter esse ipsa separata secundùm suum *esse*, esset perfecta, & imperfecta; imperfecta quia separata à composito; perfecta quia totum *esse* compositi dicit. Secundum, quia anima separata esset imperfecta in essendo, cùm tunc nihil sibi tollatur, nisi quòd suum *esse* non communicat alteri: hoc autem non dicit imperfectionem quoad *esse* animæ. Tertium, quomodo manet *esse* totius, nisi maneat totum habens illud *esse*? Si enim anima dicit totum *esse* totius compositi, ergo ipsâ separatâ manet totum *esse* compositi, quia ipsa dicit totum esse ipsius, & tamen tunc non maneret compositum. Si ergo compositum non manet, quomodo potest manere totum *esse* compositi? &c.

o Videtur ergo ista neganda, quòd *esse* animæ est idem quòd *esse* totius, &c. id est, quòd sicut anima quæ habet *esse*, est pars totius habentis *esse*, sic *esse* animæ videtur pars alterius *esse*, scilicet compositi, & per consequens anima non dicit idem *esse* compositi, quia tunc idem esset totum, & pars.

p *Ideò enim remanet in suo* esse, *quia* esse *eius est omnino incorruptibile, & per se*, id est, quòd corruptio non terminatur per se, & primò ad ipsam animam, & per accidens, id est, quòd non corrumpitur ad corruptionem alterius (sicut aliæ formæ dicuntur per accidens corrumpi, & per corruptionem corrupti. Sicut enim forma materialis per se non generatur, sed dicitur per accidens generari, quia per generationem corrupti, ita non dicitur per se corrumpi, sed tantùm per accidens, quia per corruptionem totius, cuius est pars. De hoc vide Doctorem *in 2. dist.* 17 & quæ ibi exposui) videretur autem *esse* animæ corruptibile, si esset idem cum *esse* corrupti, compositum enim verè corrumpitur. Sicut enim generatio terminatur ad *esse* totius generati, ita *esse* totius corrupti est terminus, *à quo* corruptionis, & per consequens non manet, formæ vero materiales non manent in suo *esse* corrupto toto, non quia *esse* earum non fuit aliud ab *esse* compositi, quia dicunt proprium *esse*, sed quia ipsæ corrumpuntur per accidens, scilicet ad corruptionem totius. Hoc autem est, vel quia agens corrumpens per principium suum actiuum contrarium illis, attingit illas, vt contraria, vt patet de igne corrumpente aërem; vel saltem attingit compositum corrumpendo ipsum, & formæ tales sunt inseparabiles à composito in essendo: neutrum istorum verum est de anima intellectiua, nec quia sit aliquid corruptiuum ipsius per se attingendo immediatè illam, nec sequitur corruptio ipsius ad corruptionem totius compositi.

q *Potest tamen*. Hîc Doctor clarius respondet ad illa duo argumenta, quæ procedunt de *esse* animæ, distinguendo de *esse* animæ. Vno modo accipitur *esse* illud, quo aliquid primò recedit à *non esse*, & sic primò *A* recedit à *non esse* per illud quod *A* habet *esse* extra intellectum, & extra suam causam, & sic omnis forma tam materialis, quàm immaterialis habet *esse*, quia extra intellectum, & extra suam causam. Alio modo 7. *Esse animæ duobus modis sumitur.*

accipitur *esse* pro vltimo actu, cui non aduenit aliquis alius actus dans *esse* simpliciter, & ipsum dicitur simpliciter habere *esse*, cui primò conuenit esse, sic quòd non sit alicui alteri ratio essendi illo *esse*, quia etsi anima habeat primò *esse*, non tamen dicitur per se subsistens, quia alteri est ratio essendi illo *esse*, quia composito est ratio essendi animatum simpliciter. Anima ergo intellectiua non dicitur subsistens, nisi impropriè, & secundùm *quid*, licèt dicatur ens, & per se ens, primo modo accipiendo *esse*. Et hoc pro responsione ad primum argumentum, scilicet, quòd per se operatur, est per se subsistens, siue ens per se, conceditur, quòd est ens per se, vel primo modo, vel secundo modo: & sic anima, quæ per se operatur, erit ens per se primo modo, non tamen secundo modo. Per eandem distinctionem patet ad secundum, quia primo modo accipiendo *esse*, *esse* formæ, & *esse* totius non est idem *esse* omnino, imò distinguuntur realiter, vt probat Doctor *in tertio, dist.* 2. Sed accipiendo *esse* secundo modo, est idem *esse* formæ, & *esse* totius, sed formæ est participatiuè, totius verò primò. Totum enim primo habet *esse* subsistens, vt suprà patuit, & pars in toto participatiuè est illud idem *esse*.

Nec potest esse in se aliquid eiusdem rationis cum illo, sicut est pars integralis homogenea cum toto homogeneo, & ideò si totum homogeneum est per se subsistens, etiam quælibet pars integralis illius homogenea erit per se subsistens, saltem quando est separata, vt clarè ostendit Doctor *in secundo, dist.* 2. *q* 9. Vide ibi multa necessaria ad hoc propositum, & maximè dubia, quæ ibi adduxi in ista materia singulariter.

8. In ista quæstione occurrunt aliqua parua, & facilia dubia contra aliqua dicta. Et primò contra hoc, quod dicit, scilicet *compositum ex materia, & forma est per se subsistens, & non ordinabile ad vlteriorem actum, siue quod perfectè, & per se continetur in prædicamento substantiæ est verè per se subsistens, & Angelus est huiusmodi*: Primò instatur contra primam partem de composito in Prædicamento Substantiæ per se, quia aut intelligit per se subsistens pro supposito formaliter prout includit negationem duplicis dependentiæ vel communicabilitatis, de quibus *in* 1. *dist.* 2. *parte* 2. *q.* 1. *& in tertio, dist.* 1. *quæst.* 1. *& in quodl. q.* 19. aut intelligit de singulari priori tali negatione. Si primò, hoc non videtur, quia illud per se non ponitur in Prædicamento Substantiæ, cùm talis negatio maximè negatio actualis dependentiæ sibi accidat. Si secundò, nec hoc videtur, quia sicut potest alteri communicari *vt quo*, ita videtur quòd possit esse forma informans, quia forma informans propriè communicatur *vt quo*, vt patet à Doctore in *vbi suprà*.

Compositum an sit per se subsistens.

Secundò, sicut materia potest esse pars alterius, ergo multò magis compositum. Antecedens patet. Consequentia probatur, quia materia minùs simpliciter dependet, quàm compositum: patet, quia compositum dependet intrinsecè à materia, & forma, materia verò nullo modo dependet, nec aliquo modo alteri inhæret, vt patet.

Materia non dependet.

Tertiò, quia illud ens videtur magis subsistens; & per se stans, quod nec alteri inhæret, nec formaliter includit aliquid quod formaliter alteri inhæret, quàm illud quod in suo *esse* essentiali includit aliquid, quod formaliter alteri inhæret. Sed materia nec formaliter inhæret, vt patet: nec formaliter includit aliquod inhærens, quia materia prima nullam formam quouis modo includit. Maior videtur manifesta, & similiter minor: ergo cùm compositum realiter, & essentialiter includat formam quæ per se inhæret, non erit ita formaliter, & essentialiter per se stans, & subsistens sicut materia: ergo si materiæ, vt magis per se stanti, quàm compositum, non repugnat posse alteri communicari, vt pars: ergo multò magis non repugnabit composito substantiali posse alteri communicari vt pars formalis.

Quartò arguitur sic: Illud magis est ens subsistens, siue per se stans, quod vltimatè terminat dependentiam omnis formæ, tam substantialis, quàm accidentalis, quàm illud quod non vltimatè terminat, imò si terminat dependentiam formæ materialis, terminat ratione alterius partis, siue ratione illius, quod vltimatè terminat. Hæc videtur clara, & manifesta, quia subsistens propriè, etsi dependeat ad aliud vt ad causam effectiuam, vel finalem, vel exemplarem, tamen nullo modo dependet, vt alteri communicabile, & illud quod terminat vltimatè dependentiam formatum materialium, tam substantialium, quàm accidentalium, semper est minùs communicabile, quam illud quod non sic terminat, imò in suo *esse* essentiali includit verè communicabile. Sed materia videtur huiusmodi, quia dependentia formarum substantialium vltimatè terminatur ad materiam primam, loquendo de formis materialibus, & quia forma accidentalis immediatè terminatur ad formam substantialem, sequitur quòd vltimatè terminetur ad materiam, & compositum non terminat huiusmodi formas materiales, nisi ratione materiæ, quia nim compositum materiale ideò terminat. Et vltrà includit in suo *esse* essentiali formam substantialem, quæ verè est communicabilis materiæ, & materia nullam includit formam; ergo materia prima est simpliciter magis subsistens, & per se stans & tamen cum hoc potest esse pars alterius materialis: ergo multò magis compositum substantiale, cùm essentialiter non sit ita subsistens poterit esse pars alterius per se. 9.

Quintò principaliter instatur sic: Si de quo minus videtur, ergo, & de quo magis, sed minus videtur, quòd essentia diuina possit alteri communicari in ratione, quasi formæ, quàm compositum: sed ipsa potest sic communicari: ergo multò magis compositum substantiale. Maior patet, quia essentia diuina, vt essentia, est magis ens per se, quàm quæcunque substantia creata, quia per Augustinum si omnis res ad se subsistit, multò magis Deus, nec aliquis de hoc dubitat, quòd essentia diuina non sit magis per se stans, licèt non incommunicabiliter, vt patet à Doctore *in primo, di.* 2. 8. 26. *& q.* 1. *quodl.*

Sextò specialiter instatur de ipso Angelo, posito quòd sit in perfecta specie Substantiæ prædicamentalis, tamen videtur, quòd non repugnet ita posse informare materiam, sicut repugnat composito materiali, quia compositum materiale includit essentialiter aliquid, cui formaliter repugnat posse informare materiam, quia includit materiã, cui repugnat aliquid informare. Et hoc modo arguit Doctor *in* 2. *dist.* 16. contra D. Bonauenturam, qui videbatur ponere in anima 10.

Opinio S. Bonauent. anima materiam, & formam, quia tunc ipsa anima non posset informare materiam, si includit materiam, vide ibi. Modò Angelus ponitur substantia omnino immaterialis, & sic non includit materiam, cui repugnat informare, & tamen composito materiali non repugnat, ergo multò minùs repugnabit Angelo.

Septimo, si de quo magis videtur inesse, & non inest, ergo nec de quo minùs. Sed magis videtur repugnare Angelo posse dependere ad aliud in vnitate suppositi, quàm esse formam materiæ ipsam informantem, & perficientem: & tamen potest dependere non tantùm ad suppositum diuinum, sed etiam creatum, vt patet à Doctore *in tertio, dist.* 1. ergo. Probatur maior quia Angelo magis repugnat suppositari in alio, quia vt sic, nullam perfectionem alteri communicat, sed imperfectionem dicit si suppositetur in supposito creato, quia tantùm ibi dependet non perficiendo ipsum, vt explanaui *in tertio, dist.*1.*&* 2. vide ibi: si informat materiam tunc communicat suam perfectionem materiæ, & hoc est perfectionis.

11. Responsiones ad diffic. Respondeo ad omnes istas obiectiones præmittendo aliqua. Primum, quod Doctor *in præsenti q.* non loquitur de supposito propriè dicto, siue formaliter, prout actu includit negationem duplicis dependentiæ, scilicet aptitudinalis, & actualis, de quo Doctor *in tertio, dist.*1.*q.*1. *& infra q.*19.*quodlib.* siue prout includit negationem duplicis communicabilitatis, scilicet, vt *quo*, & vt *quod*, prout Doctor loquitur *in primo, dist.*2.*parte* 2.*q.*1.*& dist.*26. quia accipiendo sic suppositum, siue per se subsistens, quæstio non habet difficultatem, quia tali subsistenti ex sua formali ratione repugnat simpliciter, non solùm posse communicari, vt forma informans, imò simpliciter repugnat posse communicari alteri supposito, vt clarè patuit *in* 3.*dist.* 1.*q.*1. & clarè patebit infrà *q* 19. non est ergo conclusio de supposito formaliter sumpto.

Secundò præmitto, quòd Doctor in ista conclusione loquitur præcisè de natura, quæ actu non est suppositum, sed de natura verè suppositabili, siue in se, siue in alio, id est, quòd loquitur de natura singulari nata primò, & per se suppositari. Et dico *primò, & per se* ad differentiam illius, quæ tantùm nata est suppositari participatiuè, sicut pars in toto, vt suprà patuit: accipiendo ergo illam naturam singularem (ex sua ratione nata primo, & per se suppositari, siue in proprio supposito, siue alieno) vt priorem ratione formali suppositationis, siue in illo priori, in quo non includit negationem duplicis dependentiæ, quærit Doctor an sibi repugnet posse esse formam informantem, & materiam perficientem.

Communicabile sumitur tripliciter. Tertiò præmitto, quòd esse communicabile vt *quo*, potest tripliciter intelligi pro nunc. Primò, quod sit communicabile alteri non perficiendo, nec inhærendo, nec dando aliquod *esse*, sed tantùm in alio sustentari. Secundò, quòd sit communicabile alteri per se informando, & per se perficiendo aliquod per se informabile, & per se perfectibile. Tertio, quòd sit communicabile tantùm per accidens informando, & per accidens perficiendo aliquod tantùm per accidens informabile, & perfectibile. Primo modo, quælibet natura creata in perfecta specie Prædicamenti Substantiæ per se, & primò existens est verè communicabilis. Secundo modo omnis forma substantialis est per se communicabilis materiæ. Tertio modo omnis forma accidentalis, siue materialis, siue immaterialis est per accidens communicabilis. Omnis natura primo modo est verè suppositabilis, & nulla forma secundo modo, & tertio modo est per se suppositabilis, quia omnis talis nata est esse pars formalis perficiens. Primo modo natura accepta non est nata esse pars alterius, nec formalis, nec materialis, quia tunc non esset in perfecta specie Prædicamenti Substantiæ per se, quia nulla pars est in Prædicamento per se, sed tantùm reductiuè, & participatiuè: quia per rationem illius cuius est pars, vt patet à Doctore *in secundo, dist.* 1. *q. vlt.* Et hoc primo modo loquitur Doctor.

His præmissis respondeo ad primam instantiam, & concedo quòd accipitur suppositum tantùm secundo modo, prout scilicet actu non includit negationem duplicis dependentiæ. Et cùm instatur contra secundum modum per omnes instantias sequentes, dico quòd sibi repugnat informari, quia tunc esset necessariò pars essentialis; modò parti repugnat esse per se in genere Substantiæ, & in recta linea prædicamentali, sicut ponitur compositum substantiale, de quo intendit conclusio. Sed ponere ipsum alteri communicari non informando, nec essentialiter perficiendo, sed tantùm ibi sustentari, vel suppositari non impedit ipsum esse per se in Prædicamento Substantiæ, quia vt sic dicit totum, & naturam perfectam, nec aliquo modo essentialiter vlteriùs perfectibilem. 12.

Ad secundam instantiam negatur consequentia. Ad probationem cum dicitur, quod materia est magis per se stans, siue subsistens, Dico, quòd subsistens potest tripliciter accipi. Primo pro omni eo quod nec actu, nec aptitudine alteri inhæret, nec potest esse pars alterius essentialis, nec includit aliquam partem propriè essentialem (de accidentali parte non loquor, quia suppositum substantiæ est pars materialis compositi per accidens, puta huius, *album est*) Secundò pro omni eo, quod nec aptitudine, nec actu inhæret alteri, nec potest includere essentialiter aliquid, quod sit pars eius, cum hoc tamen potest esse pars essentialis alterius Tertiò pro omni eo, quod nec actu, nec aptitudine potest alteri inhærere, nec potest esse pars alterius essentialis, essentialiter tamen includit tam partem materialem quàm formalem. Primo modo ponitur Angelus per se subsistens; secundo modo ponitur materia per se subsistens; tertio modo ponitur compositum substantiale per se subsistens. De primo & tertio modis intelligitur conclusio de per se subsistente. Oporteret ergo probare quòd materia prima magis per se subsisteret primo, vel tertio modo, & sic haberet intentum; sed illæ instantiæ præcisè probant, quòd est magis subsistens, secundo modo, quàm compositum substantiale, quia nihil essentialiter includit, quòd alteri inhæreat; sicut compositum includit formam substantialem (licèt illa propriè non inhæreat, quia inhærere est accidentaliter, & non per se perficere, siue inhærere est tantùm secundùm *quid* perficere illud, quod substantialiter in se est perfectum) & hoc modo nulla forma substantialis inhæret, vt suprà patuit in istis quodlib. Et ex his patet solutio ad alias instantias, quæ procedunt ad probandum materiam magis subsistere, quia non procedunt de *subsistere*, nec primo, nec tertio modo, sed tantùm

Subsistens sumitur tripliciter.

Nulla forma substantialis inhæret.

tantùm secundo modo, & hoc non est ad propositum, vt patet.

13. Ad sextum, quod procedit de Angelo, concedo quod essentia diuina est magis subsistens, & per se stans, licèt non incommunicabiliter, quàm quæcunque natura creata. Sed postea negatur, quòd ipsa sit quasi pars alterius, nec quasi formalis, nec quasi materialis, cum in diuinis non sit pars, nec quasi pars, vt probat Doctor *in primo, dist. 5. q. 2.* sed tantùm est communicabilis tribus suppositis, nec tamen vt pars, nec quasi pars. De hoc vide prolixè in primo, *dist. 5. q. 2. dist. 6.*

In diuinis non est pars.

Ad vltimum negatur minor, quia nullo modo repugnat per se existenti in genere Substantiæ posse communicari in vnitate suppositi, vt suprà patuit, repugnat tamen posse esse partem.

Secundò principaliter instatur contra hoc dictum, scilicet quòd *essentia principij principalioris est independens respectu principiati, & respectu principij minus principalis, & secundùm hanc principalitatem dicitur magis ens, & non secundùm perfectionem.* Contrà, primò, quia forma materialis, quæ ponitur principalius principium, necessariò dependet à composito, ergo respectu compositi est magis dependens, quàm è contra. Antecedens patet in sequenti quæst. vbi dicit, quòd formæ materiales sunt inseparabiles à composito in essendo, imò tantùm corrumpuntur per accidens, quia per corruptionem totius compositi.

Enumerat ea quæ soluenda.

Secundò instatur, quia forma, vt in composito participat nobilius *esse*, quàm extra compositum habeat, & perfectius *esse* participat à composito, quàm compositum à forma: patet, quia *esse* compositi est perfectius esse formæ, ergo forma magis dependet à composito, quàm è contra.

Tertiò instatur, quòd non sit independens respectu principij minùs principalis, quod est materia, quia forma materialis necessariò inhæret materiæ, & non ècontra, vt patet; ergo ipsa dependet in *esse* à materia, vt patet.

14. Quartò instatur, quia forma materialis nullo modo causat, nisi priùs inhæreat materiæ: per hoc enim compositum est, quia forma est in materia, vt patet præsenti quæstione: ergo tunc sequitur quòd ipsa dependeat à materia, & per consequens non videtur verum dicere, quòd sit independens respectu principij minùs principalis; imò magis ècontra.

Quintò instatur, quia terminans dependentiam alterius est independens independentia opposita dependentiæ quam terminat. Hæc est propositio Doctoris *in 3. dist. 1. q. 1.* Sed materia prima terminat dependentiam formæ materialis: patet, quia terminat eius inhærentiam: ergo materia prima erit independens independentia opposita dependentiæ formæ; ergo formaliter non est independens respectu materiæ.

Sextò instatur, illud est simpliciter magis independens, quod potest per se stare, quàm illud quod tantùm habet *esse* in alio; sed materia prima potest per se stare, imò non potest in alio esse, vt patet à Doctore *in 2. dist. 12. q. 2.* forma autem non potest per se stare. Et posito quòd possit per se stare, tamen conuenit sibi posse ad materiam dependere, & ipsam informare, vt patet: sed hoc simpliciter repugnat materiæ, quæ licèt possit esse pars alterius, scilicet compositi naturalis, tamen simpliciter repugnat quòd possit esse in alio, vt forma ponitur in materia.

Septimò instatur, quia materia prima præsupponitur omni generationi, cùm sit simpliciter ingenerabilis, & incorruptibilis, vt patet *primo de Generatione.* Forma autem non præsupponitur, imò forma per generationem recipit *esse* in materia, vt patet; ergo sequitur quòd materia erit simpliciter magis independens, quàm forma. Si sic, sequitur quòd erit magis ens, (accipiendo magis, secundùm principalitatem) quàm forma, quia & magis independens.

Respondeo ad istas instantias præmittendo aliqua. Primò, quòd aliud est loqui aliquid ab alio dependere in *esse*, loquendo de *esse* proprio, sic quòd sit simpliciter impossibile ipsum habere aliquod *esse* sine ipso; & aliud est loqui de ipso, quod habet suum *esse* proprium, licèt postea ab alio posset dependere, quo ad aliquod *esse* sibi aduentitium. Primo modo compositum simpliciter dependet à forma, quia est simpliciter impossibile ipsum posse habere aliquod *esse* sine forma, & etiam sine materia, & licèt ab vtroque habeat *esse*, tamen magis dependet in *esse* à forma, quàm à materia, cùm perfectius esse habeat à forma, quàm à materia, vt patet. Secundo modo forma dicitur dependere à composito, & sic tantùm participatiuè, & ex hoc sequitur quòd compositum simpliciter dependeat à forma, quia quo ad *esse* eius simpliciter, forma verò dependet tantum secundùm *quid*, quia non quo ad esse eius proprium, sed tantùm aduentitium. Et similiter dico de materia, quod compositum simpliciter dependet in *esse* à materia, quia est impossibile habere *esse* sine materia, materia vero tantùm dependet à composito secundùm *quid*, quia quo ad *esse* eius aduentitium, quia tamen forma est magis ens, quàm materia, ideo forma in principalitate causandi compositum præcedit materiam. 15.

Responsio ad instantias.

Compositum dependet à forma.

Secundò præmitto, quod materia, & forma possunt ad inuicem dupliciter comparari. Primò in ratione causandi compositum. Secundò, vt forma perficit materiam.

Secundo modo conceditur simpliciter quòd forma aliquo modo dependet à materia, quia vt sic aliquo modo inhæret. Et similiter materia dicitur dependere à forma, quia materia perficitur à forma. Modò perfectibile, vt perfectibile dependet à forma perficiente. Et fortè isto secundo modo magis materia dependet à forma, quàm forma à materia, sed parum de hoc curo, cùm non sit multum ad propositum principale. 16.

An materia dependeat à forma, vel forma à materia.

Primo modo dico, quòd in causando compositum, nec materia dependet à forma, nec èc ontra, quia nec materia accipit causalitatem à forma: nec forma à materia, sed vtraque causat secundùm propriam entitatem, & causalitatem, vt patet à Doctore *in 2. & in 3.*

Tertiò præmitto, quòd loquendo de causis intrinsecis, illud quod est in se formaliter magis ens, & perfectius ens, magis dicitur causare, vt patet, quia forma substantialis est simpliciter magis ens, & perfectius ens, quàm materia, sequitur quòd magis, & perfectius causat compotum, quam materia, & quia compositum in suo *esse* proprio magis dependet à forma, quàm à materia, sequitur quòd forma erit magis dependens respectu ipsius principiati: & dicitur etiam

respectu

reſpectu materiæ independens non abſolutè, ſed tantùm in cauſando. His præmiſſis, patet ſolutio ad omnes inſtantias.

Tertiò principaliter dubitatur de hoc, ſcilicet, quòd *pars integralis homogenea totius, vt ſeparata habet eſſe æquè perfectum, cum illo eſſe, quod poteſt participare.*

Quartò, videtur multum dubium, ſcilicet, *quod per ſe operatur eſt per ſe ſubſiſtens, quòd hoc eſt verum de primo operante*, quod ſic, ſcilicet operatur, quod non eſt vlteriùs alicui ratio operandi illa operatione.

Quintò dubitatur de illa ratione, quam facit in primo articulo, ſcilicet, *cuilibet actui ſimpliciter per rationem propriam, vel conuenit aptitudo ad per ſe informandum, vel repugnat informare.* De eſſentia non eſt dare primum.

Sexto, & vltimo dubitatur de illa reſponſione ad principale argumentum, quæ non videtur euacuare rationem, quia oporteret probare quod prius non ſit neceſſaria ratio conuenientiæ. Sed de his difficultatibus pro nunc non curo aliter inſiſtere, ſed ſubtiliores, & me in via Doctoris acutiores inueniant media ad propoſitas difficultates, &c.

QVÆSTIO X.

An Deus poßit ſpecies in Euchariſtia conuertere in aliquid præexiſtens.

D. Thom. 3.*p.q.*75.*art.*4.*&* *q.*76.*art.*1. Scot. 4. *d.*10.*q.*1. D.Bona.*q.*1. Rich. *art.*1.*q.*1. Varro *d.*11. Henr. *quodl.*9.*q.*9. *&* *quodl.*4.*q.*12. Ægid.*Theor.*1.*&* 34. Suar. 3.*p.to.*3.*diſp.*50.*ſ.*10.

1. 
D ſecundum quæſitum, an Deus poſſet ſpecies in Euchariſtia conuertere in aliquid præëxiſtens. Arguitur quòd non, quia non poteſt aliquid conuerti in aliud, niſi habeat aliquid commune, iſtæ ſpecies non habent aliquid commune cum aliquo præëxiſtente: ergo, &c. Maior probatur, ſi nihil maneret commune: ergo eſſet iſtarum ſpecierum annihilatio, & non conuerſio. Minor probatur, quia iſtæ ſpecies non habent ſubſtantiam ſubiectam, nec etiam materiam: quæ eſt primum ſubiectum in his, quæ tranſmutantur ad inuicem.

Argum.

Ratiò in primo Phy. ſic. & 3. de ge. & 7. Met. & 12. eiuſdem, & alibi ſæpè.

Contrà: natura poteſt iſtas ſpecies conuertere in aliquid non præëxiſtens: ergo Deus poteſt illas conuertere in aliquid præëxiſtens. Antecedens patet, quia iſtæ ſpecies conuertuntur per actum nutritionis in ſubſtantiam nutriti: ita quòd ex eis virtute naturæ generetur caro non præëxiſtens: quia ſi præëxiſtens, magis habetur propoſitum. Conſimiliter ex eis virtute ignis poſſet generari ignis: & virtute Cœli poſſet generari aliquod animal per putrefactionem. Probatio conſequentiæ: magis videtur potentia diuina poſſe ſuper iſtas ſpecies vt conuertendas in præëxiſtens, quàm potentia naturæ in non præëxiſtens, quia potentia excedit potentiam in infinitum, præëxiſtentia termini, & non præëxiſtentia non variant rationem termini in infinitum: ergo, &c.

2. Quæſtio iſta non quærit generaliter de poſſibilitate totalis conuerſionis vnius in aliud, ſed ſpecialiter de conuerſione inter tales terminos: de quibus eſt ſpecialis, & propria difficultas.

Ad cuius ſolutionem propriam videndum eſt primò, ſi in iſtis terminis, de quibus quæritur, ſit aliqua ſpecialis ratio impoſſibilitatis ad conuerſionem totalem.

Et hoc videndum eſt primò ex parte illius termini *à quo*, qui dicitur quantitas ſeparata. Secundò ex parte termini *ad quem*, qui intelligitur per hoc, quod eſt aliquid præëxiſtens. Tertiò ex parte conuerſionis, qualis eſt iſta conuerſio: puta ſi illa ſecundùm quòd tangit argumentum, ſit annihilatio.

COMMENTARIVS.

1. 
Ro maiori intelligentia huius quæſtionis, præmitto aliqua de iſto termino, *conuerſio*. Nam aliquid conuerti in aliud poteſt multipliciter intelligi.

Primo, quod *A* conuertatur in *B*, ita quod remaneat ratio formalis *A*, & dicatur verè conuerti in *B*, & talis conuerſio eſt impoſſibilis, quia tunc ſequeretur quod *A* eſſet formaliter *B*.

Aliquid conuerti in a.

liud poteſt multipliciter intelligi. Nota diligenter.

Secundo, quod *A* terminatur in *B*. Sic quod totaliter annihiletur, & in eodem inſtanti, quo *A* annihilatur, immediatè ſuccedat *B*, non præëxiſtens, ſed quod in eodem inſtanti mutatur in *B*, & hoc modo Deus annihilando vnum Angelum, & in

& in eodem instanti creando alium, diceretur vnum Angelum conuertere in alium, scilicet per annihilationem vnius, & per creationem alterius immediatè succedentis, & talis conuersio est possibilis; quia sicut Deus potest annihilare lapidem in instanti *C*, ita in eodem instanti potest creare Angelum, & tunc diceretur lapidem conuerti in Angelum.

Tertiò potest intelligi *A* conuerti in *B*, non secundùm totum, nec categorematicè, nec syncategorematicè, sed præcisè secundùm vnam partem, ita quòd conuertatur in totum non acceptum categorematicè, nec syncategorematicè, sed præcisè acceptum secundùm vnam partem, ita quòd talis pars, in quam fit conuersio non sit præexistens, & hoc modo terra conuertitur in aquam, ita quòd in eodem instanti, quo forma substantialis terræ (loquendo de forma partis) desinit esse, forma substantialis aquæ (loquendo de forma partis) incipit esse in eadem materia, in qua erat forma terræ, & talis conuersio est possibilis, etiam per agens naturale, vt patet.

2. Sed an forma terræ possit conuerti in formam aquæ præexistentem, ita quòd in eodem instanti, quo forma partis terræ desinit esse, succedat in eadem materia terræ forma aquæ præexistens? Dico, quòd talis conuersio non est possibilis per agens naturale, sed benè per agens supernaturale, quia est impossibile agens naturale separare formam ab vna materia, & inducere eandem formam in alia materia.

Quartò potest intelligi *A*, secundùm totum categorematicè acceptum, conuerti in *B*, secundùm totum categorematicè acceptum, & hoc in *B* non præëxistens: & hoc modo terra dicitur conuerti in aquam, ita quòd in eodem instanti, quo forma totius terræ desinit esse, immediatè succedit forma totius aquæ, ita quòd in eodem instanti, quo agens corrumpit terram secundùm *esse* totius, siue secundùm formam totius, in eodem instanti generet aquam secundùm *esse* totius, quod tunc fit quando corrumpit formam partis terræ, & inducit formam partis aquæ in eadem materia terræ; quia sic aqua secundùm *esse* totius dicitur generari, ex hoc; quòd forma partis aquæ, inducitur in materia terræ per agens, vt patet à Doctore *in* 4. *dist.* 1. *q.* 1. ita terra secundùm *esse* totius, dicitur desinere *esse*, ex hoc, quòd separatur forma partis terræ à materia terræ, & hæc conuersio est possibilis per agens naturale. *Nota.*

Sed an hoc modo accipiendo *totum*, possit totum conuerti in totum præëxistens, ita quod in eodem instanti, quo terra secundùm *esse* totius desinit esse per aliquod agens succedat in eodem loco definitiuo *esse* totius aquæ præexistens? Dico, quòd hoc est possibile per agens supernaturale, vt infrà patebit, sed non per agens naturale, quia agens naturale non potest aliquid corrumpere, nisi generando aliud; non enim posset conuertere terram in aquam, nisi corrumpendo terram, & nouam aquam generando.

Quintò potest intelligi *A* conuerti in *B*, secundùm *esse* totius, & hoc syncategorematicè, scilicet secundùm totum, & secundùm omnes partes totius: & hoc modo si lapis desineret esse secundùm omnem partem sui, & in eodem instanti sibi succederet in eodem loco, puta lignum, ita quòd lignum, nec secundùm totum, nec secundùm aliquam partem sui præexisteret, sed secundùm omnem partem sui de nouo inciperet esse, & hoc modo diceretur totum syncategorematicè conuerti in totum syncategorematicè, & talis conuersio esset tantùm possibilis per agens supernaturale, vt infrà patebit: nullo enim modo est possibilis per agens naturale, quia agens naturale, siue corrumpendo, siue generando necessariò præsupponit aliquid præëxistens, scilicet materiam. Deus autem posset in instanti *A* annihilare lapidem secundùm omnem sui partem, & in eodem instanti posset creare lignum secundùm omnem sui partem in eodem præcisè loco, in quo erat lapis. Sed an posit totum syncategorematicè conuerti in aliud totum syncategorematicè præëxistens, ita quòd lapis totaliter desinat esse, & in eodem instanti, quo desinat esse fiat lignum, præëxistens in eodem loco definitiuè, in quo erat substantia lapidis? Dico, quòd hoc est benè posibile per diuinam potentiam, sed non per agens naturale, vt infrà patebit. 3.

Sextò potest intelligi *A* conuerti in *B*, intelligendo per *A* quantitatem molis, quæ præcisè sit in loco palmali, & intelligendo per *B* corpus quantum, puta lapidem, an talis quantitas posit conuerti in lapidem, ita quòd in eodem instanti, quo talis quantitas desinat esse, succedat lapis in eodem præcisè loco, in quo erat talis quantitas, loquendo de lapide præëxistente, & sic diceretur quantitatem conuerti in lapidem præëxistentem. Est ergo in proposito specialis difficultas de quantitate separata in Eucharistia. An scilicet posset conuerti in corpus Christi præëxistens, ita quòd illa quantùm ad suum *esse*, siue categorematicè, siue syncategorematicè desinat esse, & in eodem instanti, quo desinit esse corpus Christi per diuinam potentiam, posit succedere in eodem præcisè loco, in quo erat talis quantitas, & sic debet intelligi titulus quæstionis. Et ista quæstio est specialis, & alia ab illa quæ est posita in 4. dist. 10. vbi quæritur. An panis posit conuerti in corpus Christi. *Nota.*

S C H O L I V M.

Nullam esse repugnantiam, quin species consecrata, seu quantitas separata conuerti possit in aliquid præëxistens. Probatur: quia conuersio est possibilis, quando vterque terminus est in perfecta obedientia conuertentis, tam quoad esse, *tam quoad secundò quodlibet creatum secundùm se totum & secundùm quodlibet eius potest succedere alteri creato in eadem præsentialitate. Non loquitur Doctor de conuersione strictè sumpta, in qua aliquid remanet commune vtrique termino, vt patet ex eius secunda ratione. De quo 4. d. 11. q. 2. vbi idipsum notaui. vide ibi q. 3. multa de conuersione totali.*

3. DE primo [a] dico, quòd non est aliqua specialis ratio impossibilitatis in quantitate separata, quin ipsa possit æquè conuerti in quodcunque, sicut posset aliud creatum,

creatum, vbi ponitur conuersio totalis esse possibilis; hoc potest ad præsens breuiter ostendi sic, illud agens æquè potest quemcunque terminum in quemcunque totaliter conuertere, quod in virtute sua actiua habet vtrumque terminum æquè totaliter, quantùm ad *esse*, & *non esse*, & etiam quodlibet necessariò concomitans vtrunque terminum in essendo; Deus habet quæcunque duo creata æquè isto modo in sua potestate, siue potentia actiua: ergo, &c. Maior primò exponitur sic: totum aliquando tenetur categorematicè, & significat idem, quod perfectum ex partibus: aliquando syncategorematicè, & significat idem, quod quælibet pars. In generatione substantiæ secundùm Phil. 1. *de Gener* conuersio est totius in totum. Hec intelligitur primo modo, quia tam corruptum, quàm generatum est per se vnum, & ideò verè totum. In generatione verò secundùm *quid*, qualis est in alteratione, vel augmentatione, ibi generatum non est per se vnum secundùm Phil. 7. Metap. c. 6. *Non fit*, inquit, *quale, sed quale lignum, nec quantum, sed quantum lignum*: & ideò ibi genitum non est verè vnum.

Vide in 4. d. 12. q. 1. & in 2. d. 4. q. 1.

Conuersio est possibilis ei, qui habet vtrũque terminum in sua potestate perfectè.

Tex. 10. & 21. vide 1. & 5. Phy. & 1. de Gen. Tex. c. 31.

In proposito verò intelligitur conuersio totalis, siue totius in totum accipiendo totum syncategorematicè: vtpote, quòd sic conuertatur compositum in compositum, vt materia in materiam, & forma in formam. Maior sic exposita probatur: quia agens, quod æquè habet in virtute sua actiua vtrunque terminum conuersionis, quantùm ad aliquid partiale in eo, æquè potest vnum in alterum conuertere conuersione partiali: sicut enim generans, quod habet in virtute sua actiua formam huius corrupti, & formam huius geniti, potest illud in illud conuertere conuersione partiali, quæ est secundùm formam, sic illud agens, quod æquè habet in virtute sua formam huius corrupti, & formam huius geniti, æquè potest partialiter conuertere istud in illud, corrumpendo, vel generando, ergo pari ratione, agens, quod æquè habet in virtute sua actiua vtrunque terminum istum, & vtrunque illum, & hoc quantùm ad quodlibet vtriusque, & quantùm ad quodlibet necessariò concomitans vtrunque in essendo, quæ potest vtrobique istum terminum conuertere in illum, conuersione totali, tale autem agens est Deus.

Habens in sua potestate æquè formam & materiam, secundùm vtranque potest conuertere.

Secundò sic [b], eodem modo potest aliquid conuerti in aliquid, quo modo illud potest succedere isti, nunc autem, virtute diuina potest quodcunque creatum secundùm se totum, & quodlibet eius, succedere alteri creato: ergo, &c.

COMMENTARIVS.

4. [a] De primo. Hîc Doctor dicit quòd non est aliqua specialis ratio impossibilitatis in quantitate separata, quin ipsa possit æquè conuerti in quodcunque, sicut posset aliud creatum, vbi ponitur conuersio totalis esse possibilis. Et sic primo modo exponit, quòd *totum* potest capi dupliciter, scilicet categorematicè pro toto resultante ex partibus, & syncategorematicè, scilicet pro ipso toto, & pro qualibet eius parte.

Totum potest capi dupliciter.

Primo modo in generatione Substantiæ, est conuersio totius in totum secundùm Philosophum, 1. de Gener. tex. com. 10. *Est* (inquit) *igitur generatio simplex, & corruptio non congregatio, & separatio, sed quoniam transmutatur hoc in hoc totum.* Et ibi Commentator: *Generatio simpliciter est transmutatio rei, secundùm totum ex hoc in hoc, vt hæc aqua in hunc aërem.* Hoc idem patet tex. com. 23. *Corrumpitur ergo totum categorematicè, & in eodem instanti generatur aliud totum categorematicè, quod succedit ipsi corrupto,* & addit, quòd totum substantiale corrumpitur per se, & generatur per se: quia tale totum est vnum ens per se distinctum à partibus. Et hoc dicit ad differentiam totius per accidens, siue geniti, siue corrupti per accidens, quia tale genitum non est per se vnum, secundùm Philosophum, 7. Metaph. tex. commen. 32. *Non enim fit quale, sed quale lignum, nec quantum, sed quantum lignum.* Vult dicere, quòd quale non est aliquod totum distinctum à subiecto, & accidente, quia totum per accidens, nihil aliud est, nisi partes vnitæ, quicquid Commentator ibi dicat. Nam ibi vult; quòd qualitas non generetur per se, sed generatur corpus habens qualitatem aliquam. Et similiter forma generabilis non generatur per se; & quo ad hoc benè dicit, quia forma partis propriè non dicitur generari per se, vt patet *in 2. dist. 17.* Si verò Comment. sic intendit, quòd in cõposito naturali non sit aliqua tertia entitas absoluta, quæ per se primò generetur distincta à partibus, vt ipse tenet 1. Phys. c. 17. in hoc Com. est negandus.

Videtur ergo dicendum, quòd secundùm Philosophum, nec quale, nec quantum est vnum ens 5. per se, quod generetur, sed benè substantia composita est vnum ens per se distinctum à suis partibus. Et loquendo de toto categorematicè, siue per se, siue per accidens, non est præsentis speculationis, quia per agens naturale tale totum, siue per se, siue per accidens potest conuerti in totum. Sed est specialis difficultas de toto syncategorematicè, an tale totum per diuinam potentiam possit conuerti in quodcunque totum. Et quia *in 4. dist. 10. q. 2.* probauit Doctor generaliter de quolibet ente, videlicet, quòd quodlibet ens per diuinam potentiam possit conuerti in quodlibet, hîc verò specialiter probat de quantitate separata, qualiter ipsa per diuinam potentiam potest conuerti in quodlibet ens, & hîc loquitur de conuersione non alicuius in præexistens, quia hoc pertinet ad secundum articulum,

ſed de conuerſione totius, quod totaliter deſinit eſſe in aliquid, quod de nouo inceperit eſſe, vt ſupra patuit; probat ergo quomodo quantitas poteſt conuerti in quodlibet per diuinam potentiam, & probatio ſtat in hoc: Illud agens æquè, poteſt quamcunque formam in quemcunque totaliter conuertere, quod in virtute ſua actiua habet vtrunque terminum æquè totaliter quantùm ad *eſſe* illius termini, & *non eſſe*, & etiam quodlibet neceſſariò concomitans vtrunque terminum in eſſendo. Sed Deus habet quæcunque duo creata iſto modo, æquè in poteſtate ſua, ſiue in potentia actiua.

6. *Expoſitio tituli quæſtionis.* b Secundo modo ſic: *Eodem modo poteſt conuerti aliquid in aliud, quomodo illud poteſt ſuccedere iſti*: patet iſta, quia eo modo, quo *B*, poteſt ſuccedere ipſi *A*, eodem modo *A* poteſt conuerti in *B*: poteſt autem *B* ſuccedere ipſi *A*, vel omnibus mediis præmiſſis in exponendo titulum quæſtionis, vel aliquibus illorum modorum, cum eiſdem mediis, ſi *A* poteſt conuerti in *B*. Sed in propoſito virtute diuina poteſt quodcunque creatum, ſecundùm ſe totum, & quodlibet eius ſuccedere alteri creato: ergo quodcunque creatum, ſecundùm ſe totum, & quodlibet eius, poteſt conuerti in quodlibet creatum, Patet minor, quia ex quo Deus habet omne creatum in poteſtate ſua, quantùm ad *eſſe*, & *non eſſe* ipſius, ſequitur quòd poteſt facere illud, ſecundùm ſe totum ſuccedere alteri creato; ſic intelligendo, quòd in eodem inſtanti, quo vnũ creatum deſinit eſſe virtute diuina, aliud creatũ incipit eſſe, & per conſequẽs ſuccedere illi creato deſinenti eſſe. Et ſic patet quomodo virtute diuina quodlibet ens, ſecundùm ſe totũ, & quodlibet eius poteſt conuerti in quodlibet ens, ſaltem diſiunctiuè, ſic intelligendo, quòd accipiendo hoc ens, puta lapidem, poteſt lapis virtute diuina conuerti in hominem, in Angelum, in cœlum, in qualitatem, & in huiuſmodi; patet, quia Deus poteſt annihilare lapidem, & in eodem inſtanti creare Angelum, vel cœlum, vel qualitatem. Et ſic facere Angelum ſuccedere lapidi annihilato, & ſic lapis dicitur conuerti in Angelum.

SCHOLIVM.

Ponit tria argumenta contra concluſionem poſitam, & ſoluit clariſſimè quod ait ad tertium, abſolutum poſſe conuerti in relatiuum, & ècontra. Videtur quòd intelligendus, ſit de reſpectu extrinſecus adueniente, vel ſi de alio reſpectu loquatur, intelligi debet de conuerſione mediata, quia reſpectus intrinſecus adueniens non eſt producibilis niſi ad productionem fundamenti: vt habet Doctor 1. q. n. 15.

An corporeum conuertibile ſit in incorporeum, vel è contra. COntra c iſtud obiicitur, primò ſic: quia ſecundùm hoc Deus poſſet æquè conuertere ſubſtantiam corpoream in ſubſtantiam incorpoream, & vnam incorpoream in aliam, ſicut poteſt conuertere vnam corpoream in aliam corpoream. Conſequentia patet, quia potentia diuina æquè habet terminum vtrobique, ſed conſequens eſt falſum. Hoc probatur, primò per Auguſtinum ſuper Gen. 7. *cap. 12.* *Omne corpus in omne corpus poſſe mutari non defuerunt, qui aſſererent: corpus autẽ aliquod conuerti in animam, fierique naturam incorpoream, nec quemquam ſenſiſſe ſcio: nec fides habet.* In eod. lib. c. 20. expreſſiùs habet idem: *Omne*, inquit, *corpus in omne corpus mutari, credibile eſt: quodlibet autem corpus poſſe mutari in animam credere abſurdum eſt.* 4.

Præterea. Boëtius lib. de duabus naturis, & vna perſona Chriſti, in parte, qua diſputat contra Eutychen dicit: *neque corporea ſubſtantia in incorpoream mutari poteſt: nec incorporea in ſe inuicem proprias formas mutant: ſolæ enim in ſe mutari poſſunt, quæ habent vnius naturæ ſubiectum commune.* Hæc ille.

Secundò inſtatur contra iſtam rationem, quia cùm non ſolùm ſubſtantiæ creatæ, ſed quæcunque creata æquè ſubſint virtuti diuinæ: ſequeretur quòd ſi aliquod creatum poſſet Deus totaliter conuertere in aliud creatum, quòd hoc poſſit æquè de quibuſcunque creatis: & tunc ſequuntur multa, quæ videntur inconuenientia: puta quòd ſubſtantia poſſet conuerti in accidens, & ita poſſet fieri, & inhærens, & abſolutum poſſet conuerti in reſpectiuum: & ita poſſet habere duos terminos, & pari ratione è conuerſo, in vtraque conuerſione.

Tertiò inſtatur contra iſtam rationem: quia quòd agens in virtute actiua habeat totaliter vtrunque terminum non infertur, niſi quòd poteſt totaliter iſtum deſtruere, quod eſt creare: ſed hoc creare, & illud annihilare non eſt conuertere hoc in illud: ergo, &c.

Ad iſta. Ad primum d intentio Auguſtini ibi eſt probare, quòd anima in prima productione non ſit producta de aliquo corpore, ſicut ipſe procedit: & primò per viã diuiſionis de ſingulis corporibus; & tandem ſummatim de omni corpore, per illud quod *Corpus cõuerti poſſe in animam & è contra.* allegatum eſt. *Corpus conuerti in animam*, &c. *Productio autem primaria non habet opus miraculoſum, ſed talis eſt, qualis competit rebus productis.* Non vult ergo negare: quin Deus poſſet conuertere corpus in animam: ſed vult dicere, quòd hoc in prima rerum productione non ſit factum, vel non potuit fieri ſecundùm modum illius productionis: quia illa non erat miraculoſa, ſed correſpondens naturis rerum productarum; hoc eſt de intentione Auguſtini ibidem. 5.

Si verò arguatur ex verbis Augustini quia dicit, omne corpus posse mutari in omne corpus, sed non in animam: non est autem primum possibile, nisi per omnipotentiam diuinam: ergo nec secundum per illam est possibile: quod est propositum.

Respondeo: si aliquid est impossibile, vbi concurrunt multæ rationes impossibilitatis, quodcunque aliud, vbi deficit aliqua illarum rationum comparatum ad illud, potest dici possibile non absolutè, sed respectu huius, verbi gratiâ: Si lapidem est impossibile videre, & animal excæcatum est impossibile videre, & catulum ante nonum diem impossibile est videre. In istis semper posterius est possibile respectu prioris. quia non remanet ratio illa, quæ est præcipua respectu impossibilitatis in priori. *Impossibile sumitur dupliciter.*

6. Patet discurrendo [e] per rationes impossibilitatis in istis exemplis ad propositum, vt ignem conuerti in Cœlum, multas habet rationes impossibilitatis: puta quia non habent ista corpora principia transmutandi se inuicem, cuiusmodi sunt qualitates actiuæ, & passiuæ formaliter, vel virtualiter oppositæ. *Ignis quare non conuertibilis in Cœlum.*

Non etiam habent subiectum receptiuum transmutationis ad inuicem, non propter istas rationes solas est impossibile corpus conuerti in animam, sed propter aliam rationem repugnat, quæ, scilicet est, quod vnum est extensum, aliud non: & sic non conueniunt in aliquo, quod est manere commune in transmutatione vnius corporalis in aliud: quia corporale non transmutatur in aliud, nisi per alterationem, quæ recipitur in corporali, & modo extenso, & ita nec vt productum producitur nisi vt extensum & habens modum extensi. *Animam conuerti in corpus, quo sensu impossibile.*

Ad aliam auctoritatem [f] quæ est Boëtij: dico quòd intentio sua est, quòd non sunt conuertibilia in se inuicem nisi quæ habent materiam communem; nec hæc omnia, sicut ait ibi: sed ea tantùm, quæ in se facere, & pati possunt. Vnde dicit ibidem, quòd non potest æs in lapidem permutari; ergo non loquitur de quacunque conuersione possibili Deo, sed de conuersione, quæ requirit materiam communem: imò & vltra hoc etiam, qualitates actiuas, & passiuas oppositas: quæ sufficiunt ad conuersionem merè naturalem: quia aliter intelligi non potest, quòd æs non posset conuerti in lapidem, nisi de conuersione naturali, & non quacunque: sed immediatà. *Æs non potest naturaliter conuerti in lapidem.*

7. Si obiicias, quòd sic [g] intelligendo dicta sua non potest haberi conclusio, quàm intendit probare, scilicet quòd humanitas non posset conuerti in deitatem: quia secundùm prædicta, ex præmissis suis non poterit prædicta conclusio concludi. nisi de conuersione immediata, quæ posset fieri virtute naturæ, de tali conuersione non fuit contradictio inter ipsum, & Eutychen.

Respondeo: ratio Boëtij in præmissis suis non plus concludit, quàm quod dictum est suprà, scilicet quòd natura humana non potest conuerti in diuinitatem tali conuersione, quæ requirit subiectum commune, & principia agendi, & patiendi mutuò in conuersis: sed vt habeatur conclusio, quam intendit, scilicet quòd per nullam potentiam potest humanitas conuerti in diuinitatem: oportet addere istam propositionem: *diuinitas non minùs excedit actiuam potentiam quamcunque causatiuam in ratione termini, quàm vnum ens naturale excedit quamcunque potentiam naturalem comparatum ad aliud ens naturale.* Patet hæc propositio: quia cùm diuinitas sit infinita, & incausabilis; nullo modo potest esse terminus potentiæ causatiuæ: quodcunque autem creatum potest esse terminus potentiæ causatiuæ: & hoc non tantùm absolutè, sed comparatum ad quodcunque aliud ens creatum, tanquam succedens illi, tunc fiat argumentum Boëtij per locum à maiori: si per totam potentiam creatam non potest æs immediatè mutari in lapidem: ergo magis, vel æquè non potest per quamcunque potentiam actiuam natura creata conuerti in diuinitatem. *Diuinitas quare non potest causari?*

8. h Ad illud de substantia & ente absoluto, concedi potest conclusio quæ infertur, quòd substantia potest conuerti in accidens, & ens absolutum in ens respectiuum: non tamen sequitur, quòd substantia inhærebit manens substantia: quia vterque terminus conuersionis habebit proprium modum essendi sibi correspondentem, ita quòd terminus *à quo* si fuerit substantia, habuit modum per se essendi: terminus autem *ad quem* istius conuersionis, si fuerit accidens, habebit proprium modum sibi correspondentem, scilicet *esse in alio*: non ergo substantia existit in alio, sed substantiæ per se enti, tanquam termino *à quo*, succedit ens in alio tanquam terminus *ad quem*. *Ad secundum. Substantia cõuerti potest in accidens, & ècontra.* *Absolutũ conuertibile in relatiuum & ècontra.*

Consimiliter de ente absoluto & respectiuo. Ad tertium dici potest [i], quòd non improbat conuersionem totalem quantitatis, nec etiam in aliquid præëxistens, sed si ali

aliquid improbat, improbat generaliter conuersionem totalem, quæ tamen in ista quæstione supponenda videtur: & illa supposita, difficilia declaranda essent.

COMMENTARIVS.

7. c Contra istud obijcitur. Hîc Doctor contra hanc conclusionem, scilicet *quodlibet ens, secundùm se totum syncategorematicè potest conuerti in quodlibet*, instat tribus mediis.

Primò, quia tunc Deus posset conuertere substantiam corpoream in spiritum: patet, quia tam spiritus quàm corpus, quo ad totum eius *esse*, & *non esse*, sunt in potestate diuina, & per consequens potest annihilare corpus, & in eodem instanti creare spiritum succedentem corpori annihilato, & per consequens posset corpus conuerti in spiritum, quod est contra Augustinum, & Boëtium.

d Respondet Doctor primò exponendo literam, Augustini, &c.

Nota pro intelligentia huius literæ, quòd quando dicit quòd *in prima rerum productione non est opus miraculosum*, debet sic intelligi, quòd quamuis prima productio rei, puta animæ, sit immediatè à solo Deo, non tamen propriè dicitur opus miraculosum, quia illud opus, quòd communiter recipit primum *esse* rei, non dicitur miraculosum, vt etiam patet de anima intellectiua, quæ quamuis immediatè sit à solo Deo, non tamen dicitur miraculosè creari. Sed illud propriè dicitur esse miraculosum, quod præsupponit *esse* rei, in quo immediatè recipiatur, quod tamen à nulla natura creata, nec mediatè, nec immediatè potest esse. Et hoc modo charitas, & alij habitus infusi, dicuntur propriè opera miraculosa, quia nec à natura habente illos, nec ab aliqua causa, secunda ponuntur in *esse* tali naturæ.

Habitus infusi sunt opera miraculosa.

8. Dicit ergo Doctor quòd productio primaria non est opus miraculosum, sed est talis qualis competit rebus productis.

Secundò nota, quòd cùm dicit, quòd *anima in prima productione non est producta de aliquo corpore*, ly *de aliquo corpore* non notat causam materialem intrinsecam; sicut dicimus, quòd substantia fit de substantia, sed magis notat oppositum; sicut dicimus, quòd ignis fit ex ligno, tanquam ex opposito, & quomodo hoc, exposui super primo, *dist. 2. parte secunda, q. vltima.* Sic in proposito, quòd anima non fit de aliquo corpore tanquam ex opposito, puta, quòd immediatè succedat corpori corrumpendo, sicut dicimus quòd ignis fit de ligno tanquam ex opposito, quia in eodem instanti, quo lignum consumitur, generatur ignis, quia in eodem instanti, quo forma ligni desinit esse in materia ligni, forma ignis incipit ibi esse. Si ergo anima fieret de aliquo corpore, tanquam ex opposito, tunc in illo instanti, quo anima crearetur in aliqua materia, forma corporis desineret esse, quod tamen est falsum, quia ipsa anima præsupponit formam corporis organizati. Non posset ergo anima immediatè succedere alicui corpori, secundùm totum suum *esse*, nisi illud corpus totaliter desineret esse, & per consequens productio prima ipsius animæ, esset simpliciter miraculosa. Non vult ergo negare Augustinus quia Deus posset conuertere corpus in animam, scilicet annihilando tale corpus, & in eodem instanti creando animam: sed vult dicere quòd hoc in prima rerum productione non sit factum: patet, quia in eodem instanti, quo anima Adæ fuit creata, de qua loquitur ibi specialiter Augustinus, non fuit creata de aliquo corpore, sic, quòd in eodem instanti, quo fuit creata, aliquod corpus fuit annihilatum, cui immediatè succederet, & hoc, quo ad intellectum Augustini.

Quomodo anima non fit de aliquo corpore.

Super Gen. 7. cap 4.

e *Patet discurrendo per rationes impossibilitatis, in istis exemplis ad propositum, &c.*

9. Nota cùm dicit in litera ista, quòd *ideò ignis non potest conuerti in cœlum, nec èconira, quia cœlum non habet principia transmutandi*, scilicet qualitates actiuas, vel passiuas. Hoc debet sanè intelligi, quia secundùm Doctorem principium transmutandi substantiam, puta principium corrumpendi, vel generandi substantiam, non est aliqua qualitas actiua, sed tantùm substantia, vt subtiliter probat *in 4. dist. 13.* & hoc modo cœlum habet principium transmutandi; patet, quia Sol secundùm substantiam suam causat aliam, & aliam formam substantialem, non tantùm numero differentem, sed etiam specie, secundùm quòd approximatur alij, & alij materiæ: sed qualitates actiuæ, & passiuæ sunt principium transmutandi, quoad dispositiones præuias generationi, & corruptioni: nam caliditas in igne est principium disponendi lignum frigidum, ita quòd corrumpit frigiditatem in ligno, & inducit caliditatem, & tandem forma ligni corrumpitur, & inducitur in materia ligni forma substantialis ignis: & sic frigiditas in ligno dicitur qualitas passiua, pro quanto lignum frigidum patitur à calido, & vincitur ab eo. Si verò calidum vincatur à frigido, tunc calidum haberet rationem passiui, & frigidum rationem actiui. Vult ergo Doctor quòd illa quæ sunt ad inuicem transmutabilia via naturali, non tantùm habeant principia actiua, & passiua, scilicet principium actiuum generandi substantiam, & passiuum quo substantia nata est corrumpi. Sicut ignis habet principium generandi formam substantialem ignis in materia ligni, & lignum habet principium passiuum, secundùm quod forma ligni nata est corrumpi: sed etiam requiritur quod talia transmutabilia ad inuicem, scilicet, secundùm eorum *esse* substantiale, quod sunt transmutabilia ad inuicem, secundùm qualitates actiuas, & passiuas, quæ sunt dispositiones præuiæ, quia nullum agẽs naturale immediatè agit in passum, nisi priùs disponendo ipsum, secundùm qualitates actiuas, quibus idipsum disponit, nec aliquod passum potest immediatè transmutari, secundùm formam substantialem ab aliquo agente naturali, nisi priùs disponatur, & recipiat qualitates conuenientes formæ generandi: licèt ergo cœlum habeat materiam eiusdem rationis, cum materia istorum inferiorum, vt patet à Doctore *in 2. dist. 14.* & per consequens, quantùm est de se posset passiuè transmutari: quia tamen nullam qualitatem actiuam, vel passiuam habet, ideo nullo modo potest transmutari ab agente naturali: potest tamen actiuè transmutare materiam istorum inferiorum ab vna forma ad aliam formam, quia etsi

Nota.

etsi non habeat qualitates actiuas formaliter, habet tamen virtualiter, hoc sufficit, & si esset transmutabile passiuè ab agente naturali, esset tamen susceptiuum qualitatum corporalium.

10. *Notabilis declaratio qualitatum actiuarum & passiuarum.* Nota secundò, quòd dicit de qualitatibus actiuis, & passiuis formaliter, vel virtualiter. Qualitates actiuæ, & passiuæ formaliter sunt illæ, quæ mutuò formaliter se expellunt; sicut caliditas, & frigiditas. Et nota quòd caliditas in igne, dicitur qualitas actiua pro quanto est ratio formalis causandi caliditatem in ligno frigido, ita quòd caliditas formaliter causata opponitur frigiditati ligni, & ipsam expellit tantùm formaliter, & non actiuè. Et hoc modo caliditas in igne posset dici virtualiter opponi frigiditati ligni, quia est ratio producendi in ligno caliditatem, quæ formaliter opponitur illi frigiditati, quia aliquid opponi virtualiter alteri est habere in virtute sua effectum, qui formaliter opponitur illi alteri, vt suprà patuit *in primo, dist. 2. parte 1. q. 1. & in 4. dist. 49. q. 11.* Hoc idem dico de frigiditate, puta in terra, si esset fortior caliditate, puta aëris, tamen frigiditas in ligno, & caliditas in igne dicuntur esse qualitates oppositæ formaliter, quia vna ex sua ratione nata est opponi formaliter alteri, & ècontra; & sic possunt dici qualitates oppositæ formaliter, scilicet formaliter, & virtualiter modo præexposito. Sed caliditas in igne, tantùm opponitur virtualiter humiditati ligni, si tamen illa caliditas sit ratio formalis producendi siccitatem formaliter oppositam humiditati; quia videtur continere virtualiter effectum formaliter oppositum humiditati.

11. Nota etiam, cùm dicit, quòd *cœlum, & ignis non habet obiectum receptiuum transmutationis ad inuicem.* Si intelligit, quòd cœlum non habet materiam receptiuam formæ ignis, quantùm est ex parte illius materiæ, hoc non videtur, quia materia cœli est eiusdem rationis cum materia ignis, vt suprà dixi. Si verò intelligit quòd materia cœli non potest transmutari ab igne, quia ignis non posset abiicere formam cœli à tali materia, hoc verum est, quia ex quo forma cœli à solo Deo est immediatè creata, ab ipso, etiam solo potest immediatè corrumpi, vt patet à Doctore *in 2. distinct. 14.* Ex his patet quomodo corpus non potest conuerti in animam. *Quomodo corpus non possit conuerti in animã.* Tum, quia anima non est nata pati ab aliquo corpore, secundùm aliquas qualitates passiuas corporales tantùm (sed benè nata est pati, secundùm qualitates spirituales, & recipi à corpore, saltem vt causa partialis speciem intelligibilem, & actum intelligendi, vt patet *in primo, distin. 3. quæst. 7.* Imò, & Angelus natus est sic pati, de quo minus videtur, vt patet à Doctore *in secundo, distin. 3. q. 10. & dist. 9. & in 4. dist. 45.*) vt patet. Tum etiam, quia anima non habet aliquam materiam, & non propter istas duas rationes, corpus non potest conuerti in animam, nec ècontra, quia omne agens naturale, agit tantùm in corpus, & per consequens agit in extensum; anima autem est omnino inextensibilis.

12. f *Ad aliam rationem,* Doctor soluendo auctoritatem Boëtij, dicit quòd loquitur tantùm de conuersione eorum ad inuicem, quæ habent materiam communem, & sic ignis virtute naturali, dicitur conuerti in aërem, pro quanto forma ignis desinit esse, & forma aëris immediatè inducitur in materia ignis, quæ forma aëris immediatè succedit formæ ignis. Similiter aër dicitur conuerti in ignem, pro quanto forma aëris desinit esse, & in materia illius in eodem instanti, quo forma aëris desinit esse, inducitur forma ignis. Talia ergo habentia materiam communem sunt virtute naturali ad inuicem conuertibilia, loquendo semper de conuersione totius in totum, accipiendo *totum* tantùm categorematicè, & non syncategorematicè. Si totus ignis syncategorematicè conuerteretur in aërem, sic quòd etiam materia ignis desineret esse, tunc ignis, & aër non diceretur communicari in materia communi; tunc enim ignis, & aër communicant in materia communi, pro quanto materia ignis recipit formam aëris, & materia aeris recipit formam ignis. Et addit quòd etiam non omnia quæ habent materiam communem, sunt ad inuicem conuertibilia, loquendo de conuersione immediata, quæ tantùm fit per vnam transmutationem, & hoc virtute agentis naturalis; patet, quia licèt æs, & lignum habeant materiam communem, non tamen ab agente naturali potest æs immediatè conuerti in lignum, ita quòd in eodem instanti, quo forma æris desinit esse, immediatè inducatur ab agente naturali forma ligni in materia æris, licet fortè possit conuerti mediatè, scilicet per multas transmutationes, puta, quia æs primò transmutetur in terram, & terra in lignum, &c.

Et nota quòd illa sunt ad inuicem, immediatè conuertibilia ab agente naturali, quæ habent qualitates actiuas, & passiuas Sicut ignis immediatè potest conuerti in aerem, quia ignis est calidus, & siccus, aër verò calidus, & humidus.

q *Si obiicias, quòd sic. Intelligendo dicta sua,* &c. & sic Boëtius per hoc non probat quòd intendit probare contra Eutichem, scilicet quòd humanitas non potest conuerti in Deitatem, quia apud Eutichem non sequeretur humanitas, quia non communicat cum Deitate in materia communi, nec in qualitatibus actiuis, & passiuis: ergo non potest conuerti in Deitatem, quia nec hoc modò corpus communicat cum anima, & tamen corpus virtute diuina potest immediatè conuerti in animam, vt suprà patuit. 13. *Solutio auctoritatis Boëtij.*

Respondet specialiter Doctor quòd ratio Boetij in præmissis suis non plus concludit, quàm quod dictum est suprà, scilicet quòd natura humana non potest conuerti in Deitatem tali conuersione, quæ requirit subiectum commune, & principia agendi, & patiendi mutuò in conuersis. Si tamen ex dictis Boetij volumus concludere esse simpliciter impossibile humanitatem posse conuerti in Deitatem, etiam per diuinam potentiam poterit concludi per argumentum à maiori, & hoc præsupponendo aliqua. *Responsio.*

Primò, quòd diuinitas non minùs excedit actiuam potentiam, etiam increatam in ratione termini; scilicet producibilis, quàm vnum ens naturale excedit quamcunque potentiam naturalem comparatam ad aliud ens naturale, puta comparando æs ad lignum, sic quòd vtrunque comparetur ad potentiam actiuam naturalem, ita quòd Deitas non minus excedit potentiam actiuam increatam in ratione producibilis, comparando illam ad aliud ens, puta ad humanitatem, quàm æs in ratione causabilis excedat totam potentiam actiuam creatã, vt comparatur ad aliud ens, puta ad lignum. Sequitur ergo, si tota natura creata non potest immediatè conuertere lignum in æs, scilicet corrumpendo *Nota.*

lignum;

lignum, & in materia ligni immediatè inducere formam æris, quæ tamen sunt causabilia, & corruptibilia virtute creata, & etiam ad inuicem conuertibilia, licèt non immediatè: multò magis sequitur quòd etiam virtute diuina humanitas non potest, nec immediatè. nec mediatè conuerti in Deitatem, ita quòd Deitas succedat ipsi humanitati cum sit omnino incausabilis, & omne quod alteri succedit, siue mediatè, siue immediatè est causabile. Et sic patet intentio Boëtij.

14. num. 4. Secundò principaliter * arguit contra illam rationem, quia tunc videtur sequi quòd Deus posset immediatè conuertere substãtiam in accidens, cùm vtrunque subsit virtuti diuinæ, tam quo ad *esse*, quàm quoad *non esse*. Et sic, si substantia conuerteretur in accidens, ipsa posset fieri inhærens, sicut & accidens. Et similiter posset conuertere absolutum in respectiuum propter causam superiùs dictam, & ita absolutum posset habere duos terminos, & sic absolutum esset respectiuum.

Quid sit conuerti substantiam in accidens.

h Et patet responsio ex supradictis, quia substantiam conuerti in accidens est substantiam desinere esse, & accidens immediatè causari succedens ipsi substantiæ desinenti esse: sed si substantia sic conuerteretur in accidens, ita quòd substantia sit realiter accidens, & non desineret esse formaliter, & realiter accidens, tunc substantia esset formaliter inhærens, sed casus est imposibilis, sicut quod homo conuertatur in asinum, sic quod maneat homo, & sit formaliter & quiditatiuè asinus, sed benè homo potest conuerti in asinum, sic quod asinus potest immediatè succedere homini desinenti esse. Per idem patet ad illud de absoluto, & respectiuo: potest enim Deus conuertere lapidem in similitudinem, quia in eodem instanti, quo annihilat lapidem potest immediatè creare duo alba, inter quæ oritur similitudo, & sic talis similitudo in eodem instanti, quo lapis desineret esse, succederet lapidi desinenti esse.

Tertio principaliter instat * contra illam rationem, quia quod agens in virtute actiua, &c. num. 4.

i Respondet Doctor quod hæc ratio non improbat specialiter conuersionem totalem quantitatis in aliquid de nouo sibi succedens, nec in aliquod præexistens, sed si aliquid improbat, improbat generaliter conuersionem totalem, scilicet quod aliquod totum syncategorematicè non posit conuerti in aliud. Sed hoc in præsenti quæstione supponitur tanquam verum, scilicet quod Deus potest aliquod totum syncategorematicè conuertere in aliud, puta lapidem in Angelum, annihilando scilicet ipsum lapidem, & creando Angelum succedentem lapidi annihilato: hoc probatur *in quarto, dist.* 10 Licèt ergo generaliter concedatur quòd Deus posit conuertere totaliter aliquid in aliud, est tamen specialis difficultas an posit conuertere ipsum in aliquod sibi succedens, vel in aliquod præexistens, & sic ex supradictis patet primus articulus.

Deus potest conuertere lapidem in Angelum annihilando lapidem.

SCHOLIVM.

Quoad secundum articulum, supposito secundùm fidem, quòd non repugnet ex parte termini præexistentis fieri conuersionem, Ægidius in huius posibilitatis declaratione ait totum conuerti in totum per hoc, quòd materia termini à quo, *informetur forma termini* ad quem, *& identitas formæ infert identitatem materiæ, & hic conuertitur totum in totum, materia in materiam, & forma in formam. Refutatur quod ait, materiam hanc fieri illam eo, quòd informatur forma illius, 1. ex Arist. 2. Si de materia panis educeretur forma corporis Christi, non ideò hæc materia est ista, vel conuerteretur in illam. Tertiò, materia eadem esse suo oppositis formis: ergo sicut non est diuersa ad diuersitatem formarum, nec erit eadem ex identitate formæ, & ratio est, quia forma est quid posterius, ad cuius variationem, vel vnitatem, non sequitur variatio vel vnitas prioris.*

DE secundo principali [k] conceditur communiter, quòd non est aliqua ratio specialis imposibilitatis ad istam conuersionem in præexistentia termini *ad quem*: 9.
quia in Eucharistia ponitur panis conuerti in corpus Christi præexistens. Huius autem crediti posibilitas declaratur vno modo sic: Deus quia non agit vt instrumentum, cùm sit primum agens, ideò potest agere non per motum, & sic sequitur, quòd potest formam destructam eandem reducere, & hoc in eadem materia: nam ideo prohibetur forma eadem redire actione alicuius agentis creati, quia illud agens agit per motum, qui cùm sit succesiuus, non potest idem redire.

Ægidius de Roma in Theorematibus Theor.

Vlteriùs, Deus respicit materiam vt est *quid*, & vt sic, est indistincta: quamcunque ergo formam potest ponere in hac materia, eandem potest ponere in quacunque materia. Ex istis duobus declaratis arguitur: quia Deus potest formam destructam eandem reducere in suam materiam, ex primo: & per consequens ex secundo potest illam formam in quamcunque materiam reducere: & pari ratione formam manentem in materia propria, potest eandem in quamcunque materiam inducere: sed ad identitatem formæ in numero sequitur quod eadem sit materia: ergo Deus potest facere quod quæcunque materia fiat hæc materia, sicut potest facere quòd fiat sub hac forma: potest ergo Deus facere, quòd forma corporis Christi ponatur in materia panis, sicut potest facere quòd materia panis fiat sub hac forma, & sic ista materia conuertitur in materiam illius corporis, & forma in formam, & totum in totum.

Assumpta

Assumpta multa in ista deductione declarantur diffusè: sed declarationes illæ causa breuitatis possunt omitti: imò istam deductionem breuiando, vis eius in hoc videtur stare: compositum *A* conuerti totaliter in compositum B est potentiale; *A* informari forma ipsius *B* hoc autem est possibile; ergo, &c. Prima probatur, quòd potentiale ipsius *A* informari forma ipsius *B* est istud potentiale fieri illud: quia identitas formæ concludit identitatem materiæ: & ita conuertitur *A* in *B*, non solum forma in formam, sed materia in materiam, & è contra. Probatio secundæ: quia potentiale ipsius *A*, & potentiale ipsius *B* est quid indistinctum, & sic in hoc, & in illud potest eadem forma induci ab agente respiciente illud potentiale, vt est *quid*.

Isto modo breuiando istam deductionem non videtur necessarium esse ad propositum, illud, quod ibi tangitur, de reditione formæ destructæ.

10. Contra istud [l] materia tota, vt est *quid*, sub qua ratione Deus attingit in agendo, aut intelligitur esse eadem identitate numerali, aut tantummodò eadem, quia eiusdem rationis: Si primo modo, hoc videtur falsum: & contra Arist. 12. Metaph. c. 2. *horum*, inquit, *quæ sunt in eadem specie diuersa*, *supple sunt principia*, *non specie: sed quia singularium aliud tua materia*, *& species & mouens*, *& mea: ratione autem vniuersali, eadem*. Tex. 27.

Si etiam sit eadem [m] numero materia *A*, & materia *B*: ergo cùm forma *A* non possit educi de materia *A*, quia materia *A* iam actu habet illã formã, pari ratione non poterit educi de materia *B*. Intelligatur per *A*, corpus Christi, & per *B*, panis: si de materia panis educatur forma corporis Christi, nõ propter hoc materia panis fiet materia corporis siue conuertetur in eam: quia materia quadam prioritate est prior forma, secundùm Aug. 12. *Confess. c. 16*. Esse vtique aliquid non formatum potest formari, quod autẽ non est, non potest: sic ergo est prior materia, quàm illud, quod ex ea fit: & in l. 13. c. 18. *Cùm aliud sit Cæli & terræ materies*, *aliud Cæli & terræ species. Materiam quidem de nihilo omnino: mundi autem speciem de informi materia: simul tamen vtrunque fecisti*: & secundùm illud † 1. *Metaph* in fundamento naturæ non est aliquid distinctum, &c.

Si de materia panis educeretur forma corporis Christi, non ideò hæc materia fieret illa, vel cõuerteretur in illam. Al. 2.

Et per rationem: [n] quia ipsa materia est eadem sub oppositis formis: forma autem non potest sine ipsa manere: Nunc autem ad variationem posterioris non sequitur variatio prioris: non ergo, si hæc forma recipiatur in aliqua alia materia, sequeretur quòd illa fieret ista: nam ibi non est nisi inductio formæ in materiam, quæ priùs eam non habuit: materia autem transiens à priuatione ad formam, non propter hoc fit materia, quæ ipsa priùs non fuit.

Si autem intelligatur secundo modo, quòd quæcunque materia vt *quid*, est eadem: hoc est eiusdem rationis, ex hoc non sequitur quòd forma, quæ est ista materia, posset eadem numero simul inesse illi: sed tantummodò quòd aliqua eiusdem rationis cum ea, hoc autem non sufficit ad habendum intentum.

COMMENTARIVS.

15. k *De secundo articulo principali*, qui est, an sit possibile quòd quantitas separata possit conuerti in aliquid præexistens, vt in corpus Christi actu præexistens. Hìc Doctor adducit primã opinionẽ Ægidij de Roma in Theorematibus suis, *Theoremate primo*, qui concordat cũ Doctore quoad conclusionem, videlicet, quòd est possibile, quantitatem separatam conuerti in corpus Christi præexistens, sed discordat in modo probandi eandem conclusionem, quem modum Doctor improbat. Adducit ergo primò probationem ipsius Ægidij, & præsupponit duo. Primò, quòd Deus non agit per motum, cùm sit simpliciter primum agens, & per consequens potest eandem formam distinctam reducere in eadem materia, in qua priùs fuit; nam ideò prohibetur eadem forma redire actione alicuius agentis creati, quia agens creatum agit per motum, qui motus cùm sit successiuus non potest idem numero redire. Vult ergo quòd forma acquisita per motum, si est destructa, non potest eadem numero redire, nisi & idem motus numero, per quem prius fuit acquisita, possit redire. Sed hoc est impossibile

Opinio Ægidij.

secundum Ægidium. Secundum est, quòd Deus respicit materiam, vt est *quid*, & vt sic est indistincta. Nam materia, vt *quid* accepta secundum hanc opinionem consideratur præcisè, vt est omnino indistincta, & per consequens consideratur vt simpliciter prior omni forma, quia materia distinguitur per aliam, & aliam formam, quia per aliam, & aliam formam ponitur alia, & alia materia, & vltrà materia vt *quid* accepta est simpliciter indifferens ad omnem formam, & sic indifferenter potest recipere quamcunque formam, & per consequens agens recipiens materiam vt *quid*, potest inducere in eam quamcunque formam.

Istis præsuppositis, probat Ægidius quòd Deus potest conuertere qualitatem separatam in corpus Christi præexistens. Nam ex primo præsupposito Deus potest formam destructam eandem reducere in suam materiam. Et ex secundo præsupposito potest illam formam in quamcunque materiam inducere, cùm omnem materiam respiciat, vt *quid*. Et pari ratione formam manentem in materia propriè potest eandem in quamcunque 16.

Probatio Ægidij lucidi Doctoris.

cunque materiam inducere. Sed ad identitatem formæ in numero sequitur quod eadem sit materia, ergo Deus potest facere, quod quæcunque materia fiat hæc materia, sicut potest facere quod fiat sub humana forma, potest ergo Deus facere, quod forma corporis Christi ponatur in materia panis, sicut potest facere, quòd materia panis fiat sub humana forma. Et sic illa materia conuertitur in materiam illius corporis. Et forma in formam, & totum in totum. Et vis huius rationis in hoc videtur stare, compositum, puta *A* conuerti totaliter in compositum, puta *B*, est potentiale *A* informari forma ipsius *B*, hoc autem est potentiale; ergo prima probatur, scilicet, quòd si potentiale, puta materia lapidis informetur forma ligni, tunc tale potentiale fit illud, puta fit forma ligni; patet, quia identitas formæ numeralis concludit identitatem materiæ, ita quòd materia, vt sub tali forma dicitur præcisè eadem numero identitate numerali talis formæ. Et ita conuertitur *A* in *B*, non solùm forma in formam, sed materia in materiam, & è contra, scilicet *B* conuertitur in *A* nam si materia lapidis actu fiat sub forma ligni, tunc est eadem numero identitate illius formæ, & sic materia, quæ desinit esse sub forma lapidis, dicitur conuerti in materiam ligni, pro quanto fit sub forma ligni, & habet præcisè eandem identitatem numeralem, quam & forma ligni habet; & per consequens forma lapidis conuertitur in formam ligni, & sic totum in totum. Et sic patet hoc primum, quomodo scilicet compositum idem numero potest conuerti in aliud compositum. Probatio secundæ, quomodo scilicet Deus potest conuertere panem in corpus Christi, quia materia panis, & materia corporis Christi consideratæ vt *quid*, sunt simpliciter quid indistinctum. Et sic tam in materia panis, quàm in materia corporis Christi potest eadem forma induci ab agente respiciente eandem materiam vt *quid*, & sic Deus potest formam corporis Christi inducere in materiam panis, & sic corpus Christi fiet panis, & similiter formam panis potest inducere in materiam corporis Christi, & sic panis fit corpus Christi, vt conuertitur in illud. Et similiter dico de quantitate separata, quia Deus potest illam inducere in materiam corporis Christi

Nota.

12. l *Contra illud.* Hìc Doctor improbat positionem illam, & dicit, quod omnes materiæ, puta materia Francisci, Ioannis, Benedicti, & huiusmodi, vt *quid*, vel sunt præcisè vnum numero, aut sunt eiusdem rationis, puta quia conueniunt in materia communi, sed numero distinctè. Si primo modo, instat multipliciter probando quòd tales materiæ, vt *quid* non sunt idem numero. Et primò, quia est contra Philosophum 12. *Met. cap.2.tex.com.27.* qui sic dicit: *Eorum quæ sunt in eadem specie diuersa sunt principia non specie, sed quia singularium aliud materia tua, & species, scilicet*, forma, *& mouens, scilicet*, efficiens, *& mea materia, ratione autem vniuersali eadem.* Et sic patet quomodo materia Francisci est alia numero à materia Ioannis, similiter, & forma Francisci est alia numero à forma Ioannis. Si dicatur quòd illa diuisio materiæ numeralis est præcisè per aliam, & aliam formam. Contra hoc sic arguit, quia materia est prior forma, ergo in illo priori alia est materia Francisci, & alia est materia Ioannis, vt magis, & clariùs infrà patebit.

Scotus improbat opinionem Aegidij.

m Secundò subtiliter probat, quòd si materia, puta ligni, & materia puta lapidis, & huiusmodi, vt *quid* acceptæ essent idem numero, tunc forma ligni non posset educi, quia eam actu habet. Quod enim educitur de potentia alicuius actu non est, nec potest esse in illo, nec etiam sic forma lapidis posset educi de materia ligni, patet, quia ex quo eadem materia ligni, & eadem materia lapidis sunt eadem numero, sequitur quòd materia ligni actu haberet illam, supple materiam lapidis, quod est impossibile.

Tertiò probat quòd etiamsi de materia panis educeretur forma corporis Christi, non propter hoc de materia panis fieret materia corporis Christi, nec per consequens materia panis conuerteretur in materiam corporis Christi, vt iste Aegidius intendit, quòd scilicet sic intendit, quòd ideò materia panis conuerteretur in materiam corporis Christi, quia si forma corporis Christi educeretur de materia panis, ita quòd reciperetur in materia panis, tunc materia panis esset eadem numero cum materia corporis Christi, quam identitatem numeralem haberet præcisè per formam corporis Christi inductam in materiam panis. Et propter talem identitatem numeralem dicit materiam panis conuerti in materiam corporis Christi. Sed Doctor probat quòd etiamsi forma corporis Christi educeretur de materia panis, quod non propter hoc, modo materia panis esset idem numero cùm materia corporis Christi. Et ratio Doctor stat in hoc, quia ex quo materia panis est prior forma corporis Christi, in illo priori habet propriam vnitatem numeralem; & similiter materia corporis Christi est prior tam forma corporis Christi, quàm forma panis, & in illo priori habet propriam vnitatem numeralem; & sic materia panis, & materia corporis Christi, vt sunt priores forma, tam corporis Christi, quàm panis, sunt numero ab inuicem distincta, ergo materia panis per hoc quod recipit formam corporis Christi, non fit materia corporis Christi, cùm nec materia panis, nec materia corporis Christi habet suam propriam vnitatem à tali forma: nec similiter si in materia corporis Christi induceretur forma panis, non propter hoc materia corporis Christi fieret materia panis, quia materia corporis Christi, & materia panis non habent propriam vnitatem numeralem ab vnitate numerali formæ panis, cùm materia sit prior forma; & sic in illo priori sicut habet propriam entitatem numeralem, & realem, & realiter distinctam à forma, vt probat Doctor *in 2. d.12.quæst.1.* Ita habet propriam vnitatem. Sicut ergo materia non habet propriam entitatem à forma, cùm sit posterior, ita nec propriam vnitatem. Quòd autem materia sit prior forma probat auctoritate, & ratione. Vnde Augustinus 12. Confess. cap. 16. *Esse vtique aliquid non formatum potest formari, aut quod non est non potest.* Vult dicere, quod *esse* materiæ actu non habens formam potest informari tali forma, & per consequens erit prius forma, quia omne formabile aliqua forma est prius ea; & quod non habet esse non formatum, siue quod non habet *esse* formabile non potest formari, hoc idem patet, lib.13. cap. 18. *Cum aliud*, inquit, *sit cœli, & terræ materies, aliud cœli, & terræ species, id est, forma, materia quidem de nihilo omnino* supple creata est, *mundi autem speciem de informi materia, simul tamen vtrunque fecisti.* Hæc

18.

Probatio Doctoris.

Hæc ille. Ex quo patet quòd si forma mundi est facta de materia informabili, quòd materia illa saltem priùs natura fuit illa forma. Et secundùm illud primi Met. tex.comm. 17. in antiqua translatione. *In fundamento naturæ non est aliquid distinctum*, quod debet intelligi de distinctione, quæ est per formam, vt satis patet *in 2. dist.12.q.1.*

19. n Probatur etiam per rationem, quia illa materia, puta materia ligni est eadem sub oppositis formis, quia eadem materia, quæ actu est sub forma ligni, manens eadem potest fieri sub forma ignis, prius corruptâ formâ ligni. Cùm ergo materia possit manere sine forma, & forma non possit manere sine materia, sequitur quòd materia sit prior forma: nunc autem ad variationem posterioris non sequitur variatio prioris. Non ergo si hæc forma reciperetur in aliqua materia, sequeretur quòd illa materia fieret illa, nam ibi non est nisi inductio formæ in materiam, quæ materia priùs eam non habuit; materia autem transiens à priuatione alicuius formæ ad illam formam, non propter hoc talis materia fit illa materia, quæ præfuit sub forma ad quam transit.

Si intelligatur secundo modo, scilicet, quòd quæcunque materia, vt *quid* est eadem, hoc est eiusdem rationis, patet quòd non sequitur quòd forma quæ est in illa materia, puta forma panis quæ est in materia panis posset eadem numero simul inesse alij materiæ, sed tantummodò vt aliqua forma eiusdem rationis cum ea: puta aliqua forma panis possit inesse alij materiæ: sed hoc non sufficit ad habendum intentum secundùm Ægidium, qui ex hoc vult quòd totum dicitur conuerti in totum, puta *A* in *B*, quia cùm potentiale *A* sit sub forma *B* tunc materia *A* fit materia *B* & per consequens forma *A* fit forma *B* & sic *A* fit *B* &c.

SCHOLIVM.

Explicat tripliciter aliquid in præexistens conuerti posse. Primò in id, quod fuit, nunc tamen non est; & hoc esse possibile patet, quia non est aliud, quàm Deum posse idem numero reproducere. Secundò, in præexistens manens simpliciter in esse præhabito, addita tamen sibi quadam nouitate, & hoc modo videtur corpus Christi manens in eodem esse simpliciter, per conuersionem fieri præsens speciei panis. Tertiò, in præexistens, ita vt nulla habeatur nouitas, nec in esse eius, nec in aliquo posteriori eius, & hoc modo videtur possibile quantitatem conuertibilem esse in præexistens. Contra secundùm modum ponit vnum argumentum, & duo contra tertium modum conuersionis.

11. VLteriùs o quantùm ad istum articulum dico, quòd dupliciter potest intelligi conuersionem fieri in præexistens Vno modo, scilicet in illud, quod aliquando fuit, sed nunc non manet: alio modo in præexistens, quod scilicet præfuit, & nunc in eodem *esse* manet. *Dupliciter potest aliquid conuerti in præexistẽs.*

Et hoc secundum adhuc dupliciter intelligitur. Vno modo, quòd manens simpliciter in *esse* præhabito, tamen aliqua nouitate superaddita illi *esse*, sit terminus nouæ conuersionis, puta quòd ibi sit noua præsentia illius termini alicui, cui priùs non fuit præsens. Alio modo, quòd ibi non sit aliqua nouitas, nec in ipso *esse*, nec in aliquo posteriori.

De istis tribus intellectibus per ordinem est videndum. Primus non habet aliquam difficultatem magis de termino præexistente, hoc est, quòd aliquando præfuit, quàm de non præexistente, nisi istam, si Deus potest destructum idem numero reparare, quod conceditur ab omnibus Catholicis, nec mirum, quia non est ibi contradictio. *Deus potest destructum idẽ numerò reparare.*

De alio autem intellectu præexistentiæ, quòd scilicet in eodem *esse* manet est amplior difficultas: quia nulla mutationum, de quibus loquitur Philosophus, 5. *Phys.* videtur posse poni ad terminum præexistentem sic. Primus verò intellectus subdiuisionis est secundus principalis, qui videtur possibilis, quia ita videtur de facto ponendum in Eucharistia; corpus enim Christi præhabens, & retinens idem *esse* simpliciter, per istam conuersionem fit de nouo præsens speciei panis: & consimiliter posset poni de quantitate conuertenda in præexistens, quia non est aliqua repugnantia ex parte termini *ad quem*. *Tex.7. & inde. Corpus Christi præexistens simpliciter fit præsens speciei panis.*

12. Contra ista arguitur. p Primò contra istud, quod dicitur de Eucharistia, & hoc sic: secundum illud aliquid est per se terminus *ad quem* conuersionis, secundùm quòd succedit termino *à quo*, sed, per te, corpus succedit pani secundùm istam præsentiam, quam habet de nouo, & non secundùm *esse* substantiale: ergo est per se terminus, secundùm quòd habet illam præsentiam, vel secundùm quòd fit præsens: sed sic esse præsens non dicit formaliter substantiam, nec aliquid substantiale: quia eadem substantia, per te, manens non fuit priùs præsens, & nunc est præsens: ergo per se terminus *ad quem* conuersionis in Eucharia non esset substantia, & per consequens ista conuersio

conuersio non esset transubstantiatio; quia transubstantiatio est transitio vnius substantiæ in aliam.

Quare genitum est, vbi fuit corruptum.

Prætereà, secundò arguitur contra illud, quod dicitur, hoc esse possibile de quantitate. Primò sic, ideò genitum est vbi priùs corruptum fuit, quia ratio locandi, quæ est quantitas, manet eadem in vtroque; sic etiam in Eucharistia, quod fuit ratio locandi panem, manet idem in conuersione, & per hoc, corpus Christi, quod est terminus conuersionis, potest poni ibi esse, siue habere præsentiam talem: ergo per oppositum, si non manet illud, quod fuit in termino *à quo* ratio locandi, sequitur quòd terminus *ad quem* non est ibi, vel non habebit talem præsentiam, sed si quantitas conuertatur in aliquid, patet quòd ratio locandi non manet: quia quantitas fuit illa ratio locandi.

Prætereà. Si per conuersionem quantitatis in aliud, aliud fieret hîc præsens, sequeretur quòd illud esset hîc tali modo essendi, quali modo conuersum habuit hîc præsens esse, sed conuersum, quod est quantitas, fuit localiter circumscriptiuè: igitur terminus *ad quem* conuersionis est hîc localiter, ex quo videntur sequi duo impossibilia. 13.

Impossibilia quæ videntur sequi ex eo, quòd vnum corpus sit localiter in pluribus locis.

Primò, quòd idem sit simul in duobus locis localiter. Consequentia probatur, quia terminus, qui fit hîc localiter, potest manere in suo proprio loco localiter, sicut corpus Christi nunc manet localiter in Cœlo: consequens autem, quòd idem sit simul in duobus locis localiter, videtur inferre multa impossibilia, puta quod idem simul moueretur, & quiesceret: quia posset ibi moueri, & hîc quiescere. Similiter, quod idem simul calefieret, & frigefieret si hîc habeat approximatum ignem, ibi aquam. Similiter idem esset continuum, & non continuum: si hîc habeat diuidens partem à toto, & ibi non. Similiter idem erit simul mortuum, & viuum, si animal habeat ibi corruptiuum inferens mortem, & hîc non habeat, sed quæcunque necessaria, & sufficientia ad salutem.

Secundum impossibile principale sequens ex hoc, quod terminus conuersionis sit hîc localiter, est istud, quod duo corpora possent esse simul in eodem loco. Consequentia probatur: tum quia conuertitur istud in duo corpora, qua ratione est hîc localiter vnum, & aliud: tum quia conuertatur istud in aliquod maius: illud maius si sit hîc localiter, par erit cum parte: consequens autem, scilicet quod duo corpora sint simul, videtur Aristoteles probare esse impossibile, ex intentione 4. *Physic.*

SCHOLIVM.

Ad primum, explicat non requiri ad transubstantiationem quòd terminus ad quem *secundùm substantiam propriè succedat termino* à quo, *quia hîc inciperet corpus post* desinere *panis, sufficit ergo quòd succedat secundùm illud, quòd de nouo habet, id est, secundùm præsentiam, neque dicitur transubstantiatio, quòd substantia producatur; sed quia vna substantia desinente altera ei succedit saltem secundùm aliquàm nouitatem. Ad secundum contra tertiummodum de conuersione quantitatis, ostendit non requiri, quòd maneat eadem ratio locandi tertium* à quo *in terminum* ad quem, *quia de facto quantitas panis non est ratio locandi corpori Christi. Ad tertium, non oportet terminum* ad quem *habere eundem modum essendi cum termino* à quo, *quia corpus Christi non est circumscriptiuè sub speciebus, sicut fuit panis Videtur secundùm mentem Doctoris ad conuersionem vt sic, sufficere quòd vnum desinat, & aliud ex intentione conuertentis succedat, esto nihil sit commune vtrique termino. Vide Schol.* 4. *dist.* 11. *q.* 2.

Non succedit alteri propriè, quod non incipit post illud.

AD ista. Ad primum, si terminus per se transubstantiationis est substantia, & secundùm *esse* substantiæ, vt arguitur, cùm corpus secundùm *esse* substantiæ non succedit pani, propriè loquendo de successione, quia etsi habeat *esse* post *esse* panis, non tamen incipit habere illud *esse* desinente pane: quod videtur necessarium ad hoc, quòd propriè diceretur succedere ibi in *esse*: alioquin posset dici Sol succedere vermi corrupto, quia habet *esse* suum post *esse* vermis. Neganda est ergo illa propositio *secundùm hoc aliquid est per se terminus* ad quem, *secundùm quod succedit termino* à quo; quia secundùm idem est priùs, & nunc manens, & per consequens alteri propriè non succedens corpus Christi, diceretur terminus esse *ad quem* transubstantiationis. Et hoc ideò, quia illa non est productiua termini *ad quem*: sed tantummodò conuersiua alterius in ipsum secundùm autem illud *esse*, non dicitur propriè succedere termino *à quo*, sicut priùs dictum est: posset tamen ista concedi, quòd secundùm illud est nouitas in termino *ad quem*, secundum quod succedit termino *à quo* accipiendo propriè *succedere* 14.

& tunc

& tunc concedi potest, quòd non esset hîc nouitas in termino, nisi secundùm istam præsentiam, secundùm quam nunc verè, & realiter est hîc, & priùs non fuit hîc dum substantia panis fuit hîc.

15. Ad secundum dico, quòd nunc corpus Christi est, vbi fuit panis: nec tamen quantitas, quæ fuit pani formalis ratio essendi hîc: est formalis ratio corpori Christi essendi hîc, tum quia quantitas ista non est formaliter in corpore Christi; ergo nec aliquid corpori Christi competit per illam, vt per rationem formalem, tum quia quantitas non potest esse formalis ratio locandi nisi circunscriptiuè: quia illa est ratio determinata ad illum modum locationis; quidquid ergo per quantitatem, vt per rationem formalem, locatur, hoc circunscriptiuè locatur, corpus Christi non sic est præsens in Sacramento: patet, ergo, &c. Licèt ergo non maneret illud, quod fuit conuerso ratio formalis locandi, adhuc poterit Deus terminum conuersionis facere ibi præsentem, vbi conuersum fuit: & quod adducitur de generato, & corrupto, si concedetur eandem quantitatem manere, & ideò per illam generatum localiter esse vbi corruptum fuit: hoc non concludit propositum: quia per istam conuersionem non oportet terminum esse localiter vbi fuit ipsum conuersum: imò est hîc eodem modo essendi, quem tribuit sibi agens conuertens aliud in ipsum.

Quantitas panis non est ratio essendi hîc corpori Christi, quia ei non inest, & quia tantum circūscriptiuè locat.

16. Ad aliud, negari potest ista propositio: *terminus est hîc eodem modo essendi, quo modo fuit hîc illud, quod conuersum est.* Instantia enim est: quia substantia panis, quæ conuersa fuit, fuit hîc localiter suo modo, sicut, scilicet substantia panis potest esse alicubi localiter: quia pars sub quantitate fuit in parte loci, & tota in toto: nec tamen substantia corporis Christi, in quam conuertitur, est hîc tali modo: imò tota est vbique: non ergo sequitur quòd terminus, in quem conuertitur quantitas necessariò sit sic localiter.

Non oportet terminum ad quem eodem modo esse præsentem quo fuit præsens terminus à quo.

COMMENTARIVS.

20. o VLteriùs quantùm ad istum articulum. Hîc Doctor ponit modum proprium quomodo aliquid potest conuerti in præexistens, & dicit quòd hoc potest dupliciter intelligi. Primò, quòd potest conuerti in illud, quod aliquando fuit: sed nunc non manet, puta, vt lapis possit conuerti in ignem, quòd aliquando fuit, & postea annihilatus est, & hoc modo si lapis debeat conuerti in lignum præexistens, priùs tamen annihilatum, oportet quòd in eodem instanti, quo lapis desinit esse, creetur idem lignum, quod succedat lapidi desinenti esse. Et tunc in hoc est sola difficultas, an scilicet idem annihilatum possit redire per diuinam potentiam: Et hæc difficultas habet prolixè videri *in 4.d.* 43. Secundo modo potest intelligi conuerti in præexistens, quod scilicet præexistens præfuit, & nunc in eodem esse manet. Et hoc adhuc potest dupliciter intelligendi. Vno modo, quòd manens simpliciter in *esse* præhabito, tamen aliqua nouitate superaddita illi *esse* sit terminus nouæ conuersionis, puta quòd ibi sit noua præsentia illius termini alicui, cui priùs non fuit præsens, puta quòd panis conuertatur in corpus Christi actu præexistens, sic quòd corpus Christi succedens pani annihilato non acquirat nouum *esse* substantiale, cùm priùs habeat illud, sed tantùm nouam præsentiam, puta, quòd pane desinente fiat præsens quantitati panis, cui quantitati panis priùs fuit præsens, vel si quantitas panis separata conuertatur in corpus Christi, ipsi quantitati desinenti esse corpus Christi, fuit præsens loco, in quo priùs erat quantitas illa, puta, quòd fiat præsens aëri continenti illam quantitatem. Et sic corpus Christi diceretur terminus talis conuersionis per nouam talem præsentiam. Et hic modus conuersionis est possibilis, quia corpus Christi priùs habens *esse* potest acquirere nouam præsentiam, quam priùs non habuit, vt diffusè pertractatur à Doctore *in 4.d.*10.*q.*1.*&* *d.*11. Alio modo, quod posset conuerti in præexistens, ita quod tale præexistens, quod ponitur terminus conuersionis, fiat terminus, quia ponitur terminus talis conuersionis nulla facta nouitate in illo. Et quoad hoc videtur difficile sustinere quod aliquid possit conuerti in sic præexistens. De primo ergo intellectu principalis diuisionis, & similiter de secundo intellectu subdiuisionis Doctor aliter non curat, quia primus intellectus (vt dixi) nullam difficultatem importat, nisi an idem annihilatum possit redire. Et similiter secundus intellectus subdiuisionis nullam aliam difficultatem importat, nisi an idem præexistens, nulla nouitate facta in illo possit esse terminus talis conuersionis. Et de hoc habet magis videri *in* 4. *d.* 10. vbi etiam Doctor videtur tenere quod Deus possit facere corpus Christi esse vbi panis præfuit sine noua præsentia, accipiendo *præsentiam* pro aliquo addito corpori Christi, siue illud additum sit entitas realis, siue respectiua. Sed de alio intellectu subdiuisionis, videlicet, quod tale præexistens sit terminus conuersionis per aliquid sibi additum, puta per nouam præsentiam sibi additam, de hoc Doctor principaliter intendit in hoc articulo. Et possibilitas talis intellectus clariùs patet *in* 4.*d.*10.*&* 11.

Aliquid conuerti in præexistens potest intelligi dupliciter.

An idem annihilatum possit redire.

p *Contra ista argumenta n.* 12. Hîc Doctor instat, primò, probando quòd corpus Christi non dicatur terminus conuersionis panis per nouam præsentiam. Et ratio stat in hoc; quia conuersio panis in corpus Christi est vera transubstantiatio, cum sit transitio substantiæ ad substantiam; ergo terminus talis conuersionis erit præcise substantia corporis Christi. Et similiter ratio formalis terminandi illam conuersionem erit substantia corporis Christi; ergo illa præsentia noua 21.

non

non est ratio terminandi talem conuersionem: quod tamen habet ponere, quia corpus Christi non ponitur terminus talis conuersionis, nisi secundum nouam præsentiam. Sed tunc aliquid dicitur esse per se terminus *ad quem* conuersionis secundum illud, secundum quod succedit termino *à quo*. Cum ergo corpus Christi, per te, secundùm nouam præsentiam succedat pani, vt termino *à quo*, ergo corpus Christi secundùm illam præsentiam erit terminus *ad quem* talis conuersionis.

22. Respondet *n.* 14. Doctor præmittendo vnum, scilicet, quod loquendo de successione propriè dicta, corpus præexistens secundùm suum *esse* substantiale non dicitur propriè, nec verè succedere alteri; nam sic posset dici quòd Sol succedit vermi desinenti esse, quia Sol secundùm *esse* suum, est quando vermis desinit esse, quod *esse* idem priùs habet. De ratione ergo successionis propriè dictæ est, quod terminus *ad quem*, qui succedit termino *à quo* capiat *esse* de nouo. Et sic, si in eodem instanti, quo lapis desineret esse crearetur lignum, tunc lignum propriè succederet lapidi desinenti esse, & propriè lapis diceretur conuerti in lignum tale. Et conuersio talis diceretur productiua, pro quanto scilicet terminus ad quem talis conuersionis de nouo capit *esse* per productionem; & loquendo de hac conuersione productiua in qua terminus *ad quem* dicitur propriè succedere termino *à quo*, hæc propositio esset vera, scilicet *Secundùm hoc aliquid est per se terminus* ad quem, *secundùm quod succedit termino* à quo & quia lignum secundùm *esse* substantiæ suæ succedit propriè lapidi desinenti esse, cùm capiat illud *esse* de nouo. Vnde sequitur quòd lignum secũdùm tale *esse* erit terminus *ad quē* illius cõuersionis. Si verò terminus *ad quē* conuersionis non capit *esse* suum in illo instanti, quo terminus *à quo*, neque enim talis conuersio dicitur productiua termini, *ad quem*, sed tantùm dicitur conuersiua termini *à quo* ad terminum *ad quem*. Et sic quando panis dicitur conuerti in corpus Christi præexistens, secundùm suum *esse* substantiale, ita quòd corpus Christi secundùm tale *esse* dicatur terminus illius conuersionis, tunc talis conuersio non est productiua termini *ad quem* conuersionis, sed est tantum conuersiua termini *à quo* in terminum *ad quem*, & talis conuersio conuersiua dicitur transsubstantiatio, ita quòd transsubstantiatio est duplex. Quædam quæ est tantum conuersio productiua termini *ad quem*: & sic lapidis dicitur transsubstantiari in lignum, quando in eodem instanti, quo lapis desinit esse, lignum de nouo generatur, vt verè succedens lapidi desinenti esse. Alia est tantum conuersiua, qualis est in proposito conuersio panis in corpus Christi præexistens: ita quòd corpus Christi secundum suum esse intelligitur terminus ad quem talis conuersionis. Loquendo de hac conuersione non productiua, in qua terminus *ad quem*, non dicitur propriè succedere termino *à quo*, falsa est ista propositio, scilicet *secundùm hoc, aliquid est per se terminus* ad quem *secundùm quod succedit termino à quo*: quia in proposito corpus Christi secundum *esse* prius, & nunc manens, & per consequens alteri propriè non succedens diceretur terminus *ad quem* transsubstantiationis panis; cùm ergo corpus Christi secundum *esse* suum sit terminus transsubstantiationis panis, & nullo modo succedens termino *à quo*, Patet falsitas propositionis, scilicet quòd corpus Christi secundum illud *esse*, secundum quod est terminus ad quem transsubstantiationis panis, quòd etiam secundum illud idem *esse* succedat termino *à quo*, quia secundum tale *esse* nullo modo succedit. Et hoc est quod intendit Doctor, & addit quòd ista propositio posset concedi, scilicet quòd *Secundùm illud est nouitas in termino* ad quem, *secundùm quod succedit termino* à quo, accipiendo propriè *succedere*. Et hoc modo hæc esset concedenda, corpus Christi secundum præsentiam nouam est terminus conuersionis, secundum quam verè succedit termino *a quo*, quia talis præsentia noua quæ ponitur terminus *ad quem*, acquiritur de nouo in corpore Christi. Et sic patet responsio ad deductionem.

Nota diligenter.

Duplex conuersio.

Considera hanc responsionem.

Secundò principaliter *n.* 12. arguit Doctor specialiter de quantitate, probando quòd quantitas separata nullo modo possit conuerti in corpus Christi præexistens, sic quòd acquirat nouam præsentiam secundùm quòd fiat præsens illi loco, vbi quantitas separata priùs fuit præsens, puta superficiei aeris priùs immediatè continenti eã. Et arguit tripliciter, primò sic: Ibi est genitum, vbi prius fuit corruptum, quia ratio locandi, quæ est quantitas, manet eadem in vtroque, scilicet, tam in corrupto, quàm in genito. Verbi gratia, si ignis generatur ex ligno, ita quòd lignum contineatur in tali superficie aëris localiter, & quantitas ligni est ratio formalis, quòd lignum sit in tali loco. Quando ergo dicitur quòd ignis genitus ex ligno, est in eodem loco, vbi priùs fuit lignum corruptum, hoc non videtur verum, nisi eadem quantitas, quæ fuit in ligno corrupto maneat eadem in igne genito, quia talis quantitas fuit ratio ligno essendi in tali loco. Si ergo quantitas panis conuertatur in corpus Christi, quæ fuit ratio essendi in tali loco, puta in tali superficie aeris, sequitur quòd corpus Christi non erit præsens in illo loco, in quo priùs fuit talis quantitas, cùm illa in tali conuersione non maneat. 23.

Respondet *n.* 15. quòd illa ratio, scilicet, quòd *genitum est vbi fuit corruptum*, si tenet, tantum tenet de loco circunscriptiuo, sicut exemplificaui de igne genito ex igne, sed in proposito non ponitur corpus Christi esse præsens circunscriptiuè loco, in quo fuit quantitas. Sicut etiam nunc ponitur præsens quantitati panis. Et tamen non localiter sine circunscriptione, vt prolixè patet à Doctore *in* 4. *d.* 10. Dico etiam quòd ista propositio, scilicet, quòd *genitum est, vbi priùs fuit corruptum*, non dicitur vera, ex hoc, quòd maneat eadem quantitas in genito, quæ fuit in corrupto, quia ista quantitas corrupti nullo modo manet in genito, vt magis patebit in quarto, in materia de Eucharistia.

Vltimò arguit *n.* 13. probando quòd talis quantitas non possit conuerti in corpus Christi, quia si per conuersionem quantitatis in aliud, illud aliud fieret hîc præsens, sequeretur quòd illud tale esset præsens tali modo essendi, quali modo conuersum habuit hîc esse præsens; sed conuersum, vt hæc quantitas, fuit localiter circunscriptiuè, quia in vltima superficie aëris immediatè continentis illam; igitur corpus Christi, quod ponitur terminus *ad quem* talis conuersionis, erit in illa superficie aëris localiter; ex quo videntur sequi duo impossibilia. Primum, quòd idem sit simul in duobus locis localiter: patet, quia corpus Christi est in cælo localiter, & vt manens ibi, erit 24. *Nota.*

erit etiam hîc localiter, vbi priùs fuit quantitas panis. Et quòd idem sit simul in duobus locis localiter, videntur sequi multa impossibilia; tum, quia idē simul moueretur, & quiesceret, quia in vno loco posset moueri, & in alio quiescere. Tum, quia idem simul posse calefieri, & frigefieri, si in vno loco esset ignis, & in alio aqua. Tum, quia idem simul esset continuum, & non continuum, si in vno loco haberet diuidens partem à toto, & in alio non. Tum, quia idem simul erit mortuum, & viuens, si in vno loco habeat corruptiuum inferens mortem, & in alio loco non haberet, sed habeat ibi necessaria, & sufficientia ad salutem.

Doctrina singularis. Secundum impossibile principale sequens est, quòd tunc duo corpora possent esse simul in eodem loco; patet, quia si quantitas conuertatur in duo corpora, qua ratione esset hîc localiter vnum, & aliud: Et sic duo corpora in eodem loco. Similiter si talis quantitas conuertatur in corpus maius, tunc illud maius si fit hîc localiter, tunc pars erit cum parte, & sic duo corpora in eodem loco, quod est contra Philosophum, *quarto Physic. tex.com.76.*

Respondet * ad hoc argumentum, primò negando hanc propositionem, scilicet, quòd corpus Christi eodem modo sit in loco, sicut fuit quantitas panis præexistens. Et patet instantia de facto, quia nunc corpus Christi est, vbi fuit substantia panis, quæ est conuersa in illud, & tamen non eodem modo continetur sub eadem quantitate panis, sicut substantia panis ibi continebatur; patet, quia substantia panis fuit suo modo localiter sub quantitate panis, ita quòd vna pars sub vna parte quantitatis, & tota substantia sub tota quantitate. Sed corpus Christi sit sub sua quantitate, sic quòd vna pars corporis non præcisè correspondet vni parti illius quantitatis; sed præcisè est sub tota quantitate, & sic totum continetur sub illa quantitate, & totum sub qualibet parte. Et de hoc magis prolixè patebit in quarto, dist. 10. *nu.16.*

SCHOLIVM.

Ostendit, dato quòd quantitas conuerteretur in præexistens, quódque terminus ad quem *esset localiter in duobus locis, nulla inde sequi impossibilia; & ad soluenda multa talia apparentia hinc sequentia ponit duas regulas. Prima, formæ priores ipso* vbi, *id est, omnes formæ absolutè non variantur variato* vbi. *Secunda, quæ sequitur ex prima: eandem formam accipit corpus in duobus* vbi *approximatis ei duobus agentibus, quam acciperet, si in eodem* vbi *eadem agentia ipsi approximarentur. Explicat optimè exemplis. De quo latè agit* 4. *dist.* 10. *quæstion.* 2. *&* 3.

q SI tamen daretur, quòd Deus posset conuertere quantitatem in illum terminum, & quòd ille fieret hîc localiter, alicui fortè videretur, quòd illa, quæ sequuntur ex hoc, non sunt impossibilia simpliciter: sic, scilicet quòd includant contradictionē; quæ sola dicūtur esse impossibilia Deo, apud quem non est impossibile omne Verbum: hoc est omnis cōceptus possibilis in intellectu, qualis est omnis conceptus, in quo non includuntur contradictoria. Cùm ergo ex proximo istorum, quod est, idem corpus esse simul in duobus locis localiter, inferuntur multa, quæ apparent impossibilia, per duas propositiones videtur probabiliter posse respondere.

Prima est, *Formæ priores ipso* vbi *non variantur propter variationem ipsius* vbi: *quia propter variationem posterioris non variatur priùs.* Ex qua propositione habetur quòd idem habens duo *vbi*, non propter hoc variatur secundùm aliquam formam substantialem, nec secundùm aliquam de genere Quantitatis, vel Qualitatis: quia formæ istorum generum sunt simpliciter priores ipso *vbi*. *Formæ priores ipso vbi non variantur variatio vbi. De quo 4.d.10. q.2. & 3.*

17. r Secunda propositio est ista; *Quamcunque passionem ad formam substantiæ, vel quantitatis, vel qualitatis, reciperet idem corpus à duobus agentibus sibi in isto eodem vbi approximatis, illam & non aliam reciperet ab eisdem sibi in diuersis locis, vel* vbi *approximatis.* Exemplum: si hîc circa lignum approximentur ignis, & aqua, qualem transmutationem facient circa illud lignum in hoc *vbi*, eandem, & non aliam facient circa idem lignum si habeat duo *vbi*, & in vno approximetur sibi ignis, & in alio aqua. Istud probatur ex prima propositione præcedente, quia in diuersis *vbi* non variatur forma absoluta, quæ est simpliciter prior ipso *vbi*. Istas duas applicando, soluuntur quæ tanguntur in argumento, & multa similia. *Quam reciperet corpus formam in vno loco à duobus agentibus, eandem reciperet, si in duobus locis esset, eisdem agētibus ei approximatis.*

Primum, scilicet idem moueri in hoc loco siue *vbi*, & quiescere in alio *vbi*, non sunt repugnantia, sicut nec habere hoc *vbi*, & illud quia ista duo, scilicet moueri, & quiescere secundùm *vbi*, sunt posteriora ipso *vbi*, ideò possunt variari secundùm variationem in illo priori.

Secundum de *calefieri, & frigefieri*, soluitur per secundam propositionem: non enim aliter calefieret, & frigefieret idem existens in duobus *vbi*, quàm existens in vno *vbi*, in quo haberet ista duo agentia approximata; & sicut tunc si alterum agentium simpli- *Mouere, & quiescere non repugnant eidē,*

sed frigefieri, & calefieri sic. simpliciter vinceret virtutem reliqui agentis, illud assimilaret sibi passum,& impediret reliquum, quod esset minoris virtutis assimilare sibi passum:si autem essent aliquo modo æqualia in virtute, alterarent etiam passum quasi ad quoddam medium inter duo extrema; sic etiam nunc quando ponitur idem in duobus *vbi.*

Non potest corpus esse continuum in vno loco, & discontinuum in alio:nec viuum in vno, & mortuum in alio. Tertium de continuitate soluitur per idem: quia si agens soluens continuitatem vinceret virtutem conseruantis continuitatem:absolutè continuitas esset diuisa vtrobique:non tamen,vt ab aliquo vtrobique,sicut respondetur de corpore Christi in pixide,quando idem corpus fuit diuisum in cruce. 18.

Quartum similiter,vel faciliùs soluitur:quia forma substantialis,si virtute alicuius agentis circa istud in vno loco separetur à materia simpliciter, nusquam esset vnita eidem materiæ: vt diceretur de corpore Christi,quando fuit mortuum in cruce, non fuit viuum in Eucharistia.

Plura corpora posse esse in eodem loco. Secundum principale,quod infertur tanquam inconueniens,scilicet duo corpora posse esse simul,diceretur non esse inconueniens,nec impossibile: quia contradictio non apparet: cùm vnitas loci nòn sit formaliter vnitas corporis: sed corpus habet propriam vnitatem intrinsecam,cui accidentaliter aduenit esse in vno loco:ergo nòn sequitur, quodcumque corpus est in hoc eodem loco; ergo est idem corpus; nec simultas variat vnitatem corporis, vel loci.

Ad auctoritatem Aristotelis 4. *Physic.* dici potest:quòd probatio sua ad hoc procedit,quòd virtute propria,vel naturæ creatæ propter sui limitationem,non potest idem corpus esse in diuersis locis adæquatis,sed de virtute diuina illimitata non concludit.

COMMENTARIVS.

25. q *SI tamen daretur.* Concesso quòd corpus Christi sit etiam localiter,vbi panis conuersus præfuit, negantur illa impossibilia, quæ inferuntur esse impossibilia. Et quòd non sint impossibilia, patet ex duabus propositionibus, quas præmittit,quarum prima est; *Formæ priores ipso* vbi *non variantur propter variationem ipsius* vbi, *quia ad variationem posterioris non sequitur variatio prioris.* Cùm ergo *vbi* formaliter acceptum,quod nihil aliud est nisi circumscriptio passiua fundata in corpore locato, & terminata ad vltimam superficiem continentis, est simpliciter posterius substantia, quantitate, & qualitate,& breuiter omni absoluto existente in corpore contento,& per consequens non videtur implicatio contradictionis idem corpus simul habere duo,& tria,imò etiam infinita *vbi* per diuinam potentiam.

r Secunda propositio est ista: *Corpus quamcunque passionem ad formam substantiæ,*&c.

s *Et illud probatur ex prima propositione præcedente:* Et tunc dico, quòd si ignis,& aqua essent sibi approximata in eodem *vbi*, aut ignis totaliter vinceret virtutem aquæ, & tunc illud corpus tantùm calefieret,aut non totaliter vinceret, sed esset æqualis in virtute. Et tunc aut nullum effectum inducerent,aut si aliquem inducerent,tantum inducerent effectum medium, in quo passum nec perfectè assimilaretur igni, nec perfectè aquæ. Eodem modo dico, si idem corpus esset in diuersis *vbi.* Et in vno haberet ignem approximatum,& in alio aquam,& hoc clariùs patet à Doctore in 4.d.10.q.2. Dico tamen quòd in vno loco alteraretur,puta si calefieret ab igne,& in alio loco non alteraretur ab igne, si ignis non esset sibi præsens, accipiendo *alterari* pro respectu consequente illud *vbi:* quia vt ibi alteraretur, & vt in alio *vbi*, vt ibi non alteraretur,licèt esset eadem caliditas in eodem corpore in vtroque *vbi* existente.

Ad aliud impossibile de *moueri*, & *quiescere* concedit Doctor quòd simul moueretur, & quiesceret,quia respectu vnius *vbi* moueretur, & respectu alterius quiesceret,quia moueri, & quiescere consequuntur illud *vbi.* Et si vltrà inferatur, quòd tunc simul quiesceret, & non quiesceret, & simul moueretur, & non moueretur. Respondet Doctor alibi,scilicet *in 2.dist.* 2.*q.*7. *& in* 4.*dist.*10.*q.*2. quòd ibi est ignorantia Ellenchi, & fallacia secundùm *quid* ad *simpliciter*, nam licèt sequatur, quiescit in illo *vbi*, ergo quiescit absolutè, non tamen infertur absolutè non moueri, sed tantùm cum illa determinatione,cũ qua accipiebatur, *quiescere* prout antecedebat,ad *quiescere simpliciter.* Et ideò non sequitur, nisi quòd hoc mouetur in hoc *vbi*, & non mouetur in illo *vbi*, quæ non sunt contradictoria,quia non sunt respectu eiusdem, essent tamen contradictoria, si simul moueretur, & non moueretur in eodem *vbi.*

26. Ad aliud impossibile de continuitate, soluitur per idem, quod dictum est de *frigefieri*, & *calefieri*, quia si agens soluens continuitatem, vinceret virtutem conseruantis continuitatem, absolutè continuitas esset diuisa vtrobique,non tamen vt ab aliquo vtrobique *vbi*, quia vt in vno *vbi* fuisset facta talis diuisio, & non vt in illo, licèt illa diuisio esset in eodem corpore existente in vtroque, sicut etiam patet de corpore Christi,vt in pyxide, & vt in Cruce, quia idem vulnus, quod habuit etiam vt in pyxide, non tamen vt in pyxide vulnerabatur, sed vt in Cruce,quia talis vulneratio fit per motum localem,qui consequitur ipsum *vbi.*

Ad secundum principale impossibile de duobus corporibus in eodem loco, hoc patet non esse impossibile, cùm vnitas loci non sit formaliter vnitas corporis, quasi quòd si sit vnum corpus numero tantùm sit vnus locus adæquatè sibi correspondens, nam corpus habet propriam vnitatem, scilicet intrinsecè, cui accidentaliter aduenit esse in vno loco. Et per

consequens

conſequens non ſequitur, ſi aliquid corpus eſt ſimul in eodem loco ergo eſt idem corpus cum alio corpore, quia ad vnitatem loci continentis non ſequitur neceſſariò vnitas corporis contenti. Et accipitur hîc *locus* non pro reſpectu locantis ad corpus locatum, quia quot ſunt corpora locata tot ſunt reſpectus fundati in ſuperficie continente; ſed accipitur hîc *locus*, pro vltima ſuperficie continentis, quia in eadem ſuperficie poſſunt ſimul contineri plura corpora, & hoc propter penetrationem dimenſionum illorum corporum. Et hoc magis patebit in 4. diſt. 44. quæſt. 6. quæ eſt vltima in ordne.

SCHOLIVM.

Declarat quomodo quantitas conuerti poſſet in præëxiſtens, licèt præëxiſtens per hoc nihil noui habeat; quia ſicut conſeruatio non requirit nouitatem intermino, ita nec conuerſio. Nihil reſoluit Doctor, ſed tantùm diſputat: puto eum non loqui de conuerſione propriè dicta, quæ videtur exigere, quòd aliquid maneat commune vtrique termino, ſed lato modo, prout idem eſt, quod hoc conſeruare poſt illud; & ad hunc finem deſtruere illud. Quòd addo, quia aliàs quidquid annihilaretur, eſſet conuerſum in omne, quod remanet. De quo 4. d. 11. q. 3. idque conſtat eſſe de mente Doctoris, quia hîc nu. 15. nihil commune requirit vtrique termino conuerſionis præter habitudinem ad idem agens, id eſt, quòd ſubjaceat potentiæ agentis quoad eſſe, *&* non eſſe.

19. TErtius intellectus principalis,[a] ſcilicet quòd aliquid manens in eodem *eſſe*, quòd iam priùs habuit, nulla omnino nouitate facta circa ipſum poteſt eſſe terminus nouæ conuerſionis, declaratur eſſe poſſibilis hoc modo; quando Deus conſeruat creaturam; terminus illius conſeruationis non eſt aliquid nouum: ſed idem, & ſecundùm idem *eſſe*, quod priùs habuit; non ergo requirit conſeruatio actio, vel paſſio nouitatem in termino: ergo nec conuerſio. Conſequentia declaratur ex hoc, quòd ſicut Deus volens hoc habere *eſſe* quaſi poſt idem *eſſe*, conſeruat illud, ſic volens illud habere *eſſe* poſt *eſſe* illius, conuertit illud in iſtud: quia facit *eſſe* iſtius, & ſi non eſt propriè, tamen aliquo modo ſuccedere ipſi *eſſe* illius; non requiritur autem ad hoc, quòd illud ſit terminus actionis, quòd ſimpliciter, & propriè ſuccedat alteri, ſcilicet tanquam nouum: ſicut patet in conſeruatione. Secundùm hoc diceretur, quòd ſicut Deus eodem *velle* creat illud, inquantùm vult hoc *eſſe* poſt *non eſſe*, & conſeruat illud inquantùm vult hoc *eſſe* quaſi poſt idem *eſſe*, ſic eodem *velle* conuertit aliud in iſtud: quia vult illud *eſſe* poſt iſtud.

Poteſt aliquid eſſe terminus conuerſionis, ſine vlla nouitate in ipſo facta.

Si arguitur, quo modo poteſt illud eſſe terminus conuerſionis poſitiuè, ſi per eam non accipiat aliquod *eſſe*: cùm etiam in diuinis illud, quod eſt terminus actionis, accipiat *eſſe* per illam actionem.

Diceretur, quòd non oportet omnem terminum actionis poſitiuè habere *eſſe* acceptum per illam actionem, niſi vel ſimpliciter, vel in ordine ad aliquod aliud: & ſic terminus conuerſionis poteſt dici accipere *eſſe* in ordine ad conuerſum inquantùm Deus vult iſtud *eſſe* poſt illud.

20. Aliter diceretur, quòd actio poſitiua vel eſt productiua termini ſimpliciter, vel æquiualenter; & iſta conuerſio ſecundo modo eſt productiua: quia quantùm eſt ex parte ſua ipſa ſufficeret ad hoc, quòd terminus acciperet *eſſe* per eam: ſed ſi non accipit *eſſe*, hoc ideò eſt: quia iam præhabet illud *eſſe*.

Contra iſtam declarationem arguitur: quia ſecundùm hoc poſſet dici, Deum quicquid annihilat, conuertere in Solem: quia vult Solem manere in ſuo *eſſe* poſt *eſſe* illius annihilati: ſicut hoc præëxiſtens manet poſt *eſſe* illius conuerſi.

Aliter poteſt declarari poſſibilitas illius intellectus, & hon ſic; quod poteſt eſſe terminus conuerſionis, concomitante ipſum aliquo poſteriori, quod non includitur in per ſe termino ipſius, illo circunſcripto, poteſt eſſe terminus eiuſdem. Hoc patet, quia vt priùs, eſt terminus conuerſionis, & à priori vt prius, poteſt circunſcribi poſterius: nunc autem ſubſtantia corporis Chriſti eſt per ſe terminus tranſubſtantiationis, licèt concomitetur præſentia illa, qua de nouo eſt præſens ſpeciei panis, ſicut declaratum fuit exponendo intellectum præcedentem: ergo ſine tali præſentia, & quacunque nouitate alicuius poſterioris ipſo *eſſe* corporis, poſſet corpus eſſe terminus conuerſionis.

Subſtantia corporis Chriſti eſt terminus conuerſionis.

COMMENTARIVS.

27. *Opinio Doctoris.* a Tertius intellectus principalis. Hîc Doctor intendit probare quomodo aliquid manens in eodē *esse*, quid iā priùs habuit, nulla omnino nouitate facta circa ipsum, potest esse terminus nouæ conuersionis. Et hoc declarat esse possibile, nam quando Deus conseruat creaturam, terminus illius conseruationis non est aliquid nouum, sed idem est secundùm idem *esse* manens, quid priùs habuit; patet, quia res dicitur conseruari pro quanto ponitur eadē res in *esse*, quæ priùs posita fuit, puta in primo instanti, quo capit *esse* dicitur creari, & vt ponitur eadem res in *esse* in tempore immediatè sequenti illud instans, dicitur conseruari, vt suprà patuit *in 2. dist. 2. q. 1.* & infrà patet q. 12. Cùm ergo eadem res ponitur in *esse* in tempore immediatè sequenti est terminus conseruationis, & tamen quando ponitur in tali *esse* nihil noui nec re, nec ratione ponitur in ipsa, quòd non re, patet, quia est præcisè eadē res, quæ priùs; quòd non ratione, patet quia dum ponitur in tali *esse*, non causatur aliquid reale in illa. Si dicatur, quòd res, vt conseruatur, est distincta ratione à seipsa, vt dicitur creari, vt patet à Doctore infrà, *q 12.* Dico, quòd dicitur distingui ratione, non actu, sed tantùm potentia pro quanto intellectus potest eandem rem, vt accipientem *esse* in tempore immediatè sequenti primum instans, comparare ad seipsam, vt accipientem *esse* in illo primo instanti, & ex tali comparatione causantur isti respectus rationis, qui dicuntur *creari*, & *conseruari*. *Subtilis doctrina.* Ad propositum ergo, si eadem res potest esse terminus huius actionis, quæ dicitur *conseruatio* nulla facta mutatione circa ipsum, ergo similiter in proposito potest aliquid esse terminus alicuius conuersionis, nulla mutatione facta in tali termino. Et patet ista consequentia, quia sicut Deus volens *A.* habere *esse* quasi post idem *esse* conseruat illud; sic volens *A.* habere *esse* post *esse* alterius, & sit *B.* tunc conuertit *B.* in *A.* & sic *A.* non dicitur propriè succedere *B.* desinenti esse, quia *A.* non capit *esse* de nouo, nec aliquid noui fit in *A.* per talem conuersionem, tamen aliquo modo potest dici *A.* succedere *B.* pro quanto, scil. in eodem instanti, quo *B.* desinit esse, in tali loco fit *A.* nihil noui acquirendo.

b *Dicitur, quòd non oportet omnem terminum actionis positiuè habere* esse *acceptum per illam actionem, nisi simpliciter.* Sicut etiam filius Dei per generationem æternam accipit *esse* simpliciter, quid in primo instanti originis priùs non habuit: vel in ordine ad aliquid aliud: & si terminus conuersionis potest dici accipere *esse* non in se, cùm tale *esse* præcesserit, sed in ordine ad conuersum inquantum Deus vult hoc esse post illud. Et hoc modo corpus Christi potest dici accipere *esse* pro quanto Deus vult ipsum esse post annihilationem panis.

Et si quæratur, an tunc corpus Christi esset præsens speciei panis? Dico, quòd sic, loquendo de præsentia fundamentali, non autem formali. Quod sic intelligo, si corpus Christi, quid est in cœlo, illud idem realiter esset contentum sub quantitate panis, & perfectè præsens tali quantitati, non tamen diceretur præsens præsentialitate formali, quæ est quædam relatio realis fundata in tali corpore, & terminata ad quantitatem; quia Deus posset facere corpus illud esse præsens tali quantitati sine tali respectu præsentialitatis, cùm talis respectus poneretur extrinsecus adueniens, sicut etiam potest facere corpus reale contineri sub aliqua quantitate sine respectu commensurationis passiuæ talis quantitati, vt clarè patet à Doctore *in 4. dist. 10.* vide ibi multa singularia.

SCHOLIVM.

Sententia Henrici panem non annihilari, quia quod præfuit panis est corpus Christi, vel aliquitas corporis est eius, quod fuit panis. Contrà, corpus non se habet aliter in se post conuersionem, quàm ante. Secundò terminus ad quem *petit* non esse *termini* à quo*: ergo non accipit aliquitatem eius. Ægidius ait non annihilari, quia manet in materia corporis Christi in potentia. Contrà, sic nullum materiale esset annihilabile manente aliquo materiali. Secundò, in conuersione totali materia non manet. Sententia Varronis non esse annihilationem, quia conuersio panis habet terminum positiuum. Contrà, quia iste terminus est concomitans & termini per se desitionis sunt* esse *&* non esse *totale panis. Tandem ait posse dici ideò non esse annihilationem, quia eius terminus non est negatio extragenus, id est, purum nihil, sed negatio in genere, id est, inclusa in* esse *corporis Christi. De his negationibus vide eum 1. dist. 28. An verò absolutè dicendum panem annihilari Doctor nihil resoluit. De quo vide eum 4. d. 11. q. 4. mihi videtur parum referre, siue sic, siue sic loquamur; propriùs tamen loquendo videtur admittendum annihilationem, quia terminus per se desitionis panis est totale* non esse *eius; & per accidens est ex Dei institutione, quòd succedat corpus Christi. Ita Gabr. Maior. Occam, Albertus, Rubion, Bassol. Leuch. & alij quos citaui* 4. *d* 11. *q.* 2. *Scholio ad n 14. vnde comprehendendus est, quòd asserat* 4 *d.* 9. *q.* 2. *ar.* 4. *hanc opinionem non posse doceri citra errorem.*

Quære Ochā quol. 5. q. 35. Hér. quol. 9. q. 9 quol. 11. q. 4. quol. 12. q. 4.

De tertio c principali tenetur communiter, quòd in conuersione non est annihilatio termini *à quo*. Vna opinio deducit ex hoc, quòd post conuersionem panis non est nihil: & probatur consequentia: quia si esset nihil, oporteret dicere, quòd esset annihilatus: & vltrà deducit. Si non est nihil, est aliquid: non autem est quod præfuit: 21.

fuit : quia illud conuersum est : nec aliquid extra terminum *ad quem*. Patet discurrendo; ergo post conuersionem est illud, in quod conuersum est, vt sic verum sit dicere : quod præfuit panis est corpus Christi; aut si ista negaretur, necessarium est dare, quòd aliquitas corporis Christi sit eius, quod fuit panis.

Contrà : illud quod ipse addit, quòd panis post conuersionem non est nihil, sed aliquid, sic quòd aliquitas corporis sit eius, quod fuit panis, potest argui primò sic. Quod nullo modo aliter se habet in se post conuersionem, quàm priùs se habuit, nec aliquid in se aliter habet, non habet aliquam aliquitatem, quam priùs non habuit; corpus Christi nullo modo se habet in se aliter post conuersionem, quàm ante, sed ante conuersionem panis non habuit in se aliquitatem panis, nec aliquitas corporis erat aliquitas panis : ergo nec post conuersionem.

Præterea. *Esse* termini *ad quem* conuersionis requirit *non esse* termini *à quo*. Patet, si termini sint oppositi : cùm *esse* vnius oppositi excludat *esse* alterius oppositi : ergo terminus *ad quem* conuersionis, vt talis, non habet in se entitatem vel aliquitatem termini *à quo*. *Terminus* ad quem *petit* non esse *termini à quo.*

e Aliter dicitur, quòd non annihilatur, quia manet in potentia in materia corporis Christi. Ægidius in Theor. 1.& 34.

Contra hoc arguitur : quia tunc non posset Deus annihilare aliquid materiale, nisi simul annihilaret omnia materialia, quia quocúnque materiali non annihilatio semper in materia eius manet in potentia quodcúnque materiale.

Præterea Vbi totum transit in totum, ibi non manet materia termini *à quo* : cùm ergo in transmutationibus, quæ requirunt materiam, materia manens sit illa, quæ fuit corrupta : ergo, &c.

Aliter dicitur quòd sicut secundùm Aristotelem 5. *Physic.* transmutatio naturalis aliqua est à non subiecto in subiectum, & illa est generatio, aliqua contra, vt corruptio, aliqua à subiecto in subiectum, vt alteratio : & generaliter omnis motus propriè dictus. Sic in transmutatione supernaturali aliqua est versio à non subiecto in subiectum vt creatio; aliqua è conuerso, vt annihilatio, & aliqua à subiecto in subiectum, vt conuersio totali vnius positiui in aliud; non est ergo ista conuersio annihilatio, quia habet per se terminum positiuum. Var. 1.4.d. 11. cum cõcordat Ioã. Parisičsis. Tex. 7.

Contra hoc [f] licèt sint duo termini positiui, tamen concomitantur duo termini negatiui, sicut quando concurrunt generatio, & corruptio communiter in naturalibus sunt duo termini negatiui concomitantes duos terminos positiuos, sicut *esse* aquæ corrumpendæ concomitatur *non esse* ignis generandi, & *esse* ignis concomitatur *non esse* aquæ. *In generatione & corruptione sunt duo termini positiui & duo negatiui.*

22. Consimiliter in proposito *esse* panis concomitatur *non esse* corporis Christi; & *esse* corporis concomitatur *non esse* panis. Tunc arguitur : mutatio dicitur esse creatio, vel annihilatio ex per se terminis eius, non autem ex concomitantibus per se terminos, sicut generatio non est per se creatio propter hoc, quòd terminus per se *à quo*, non est nihil, sed priuatio; & consimiliter est de per se termino *ad quem* corruptionis. Cùm ergo comparando per se terminos huius conuersionis, qui sunt *esse* panis, & *non esse* panis, cùm illud *non esse* sit totale *non esse*, quia nihil panis manet, sequeretur quòd ipsa destructio per se considerata sit annihilatio. *Generatio nõ est creatio, quia terminus à quo non est nihil.*

Aliter potest dici, [g] & deduci ad propositum illud exemplum de corruptione, vbi non tantùm per accidens terminat aliquod positiuum, quod, scilicet est per se terminus generationis concomitantis, sed cùm corruptio sit destructio partialis, scilicet totius, non nisi secundùm formam, ibi relinquitur altera pars compositi, scilicet materia per se : ergo corruptio non est annihilatio, quia aliquid corrupti manet : sed si ista esset præcisa ratio, tunc forma videretur annihilari, quia nihil eius remaneret. *Corruptio non ideò nõ est annihilatio, quia aliquid corrupti manet.*

23. Similiter illud manens non est per se terminus corruptionis *ad quem*. Ideò magis adhuc distinguitur per se corruptio ab annihilatione per suum per se terminum, quia ille non est nihil, siue negatio absoluta, sed est negatio in apto nato, siue priuatio : & pro tanto etiam forma posset dici non annihilari quia ei succedit pro termino non nihil, sed priuatio illius formæ. Adhuc si vtráque istarum rationum deficeret, puta si Deus subitò conuerteret totum ignem in totam aquam, non manente eodem subiecto communi, adhuc non esset annihilatio, quia terminus *ad quem* destructionis ignis, etsi non sit propriè priuatio formæ ignis, tamen non est negatio extra genus, sed est negatio, vt includitur in forma opposita positiua, negatio autem in genere non potest esse terminus *ad quem* annihilationis, sicut nec talis negatio *Quare corruptio non est annihilatio.*

poteſt eſſe terminus *à quo* creationis. In propoſito, licèt duæ primæ rationes non inueniantur, quia nec aliquid termini *à quo* manet, nec formæ eius ſuccedit priuatio ipſius, propriè loquendo; quia non in eodem ſuſceptiuo. Tertia tamen ratio inuenitur, quia deſtructionem panis terminat negatio *eſſe* panis, non extra genus, ſed vt includitur in *eſſe* termini *ad quem*.

Negatio in genere terminat deſitionem panis, de quo 1. d. 28.

h Sed contra hoc arguitur, quia termino deſtructionis accidit, quòd ſit terminus aliquis *ad quem* poſitiuus: ergo qualis eſſet iſta deſtructio, ſi non eſſet terminus poſitiuus concomitans: talis eſt modo quantùm ad per ſe rationem deſtructionis; non ergo prohibetur eſſe annihilatio per hoc, quòd terminus poſitiuus concomitatur.

Negatio extra genus, & in genere abſolutè, & priuatio quomodo differunt.

i Diceretur autem hîc, quòd negatio extra genus, & negatio in genere abſoluta tamen, & negatio, quæ dicitur priuatio non differunt formaliter ſecundùm rationem negationis, & tamen ſic diſtinguuntur, quòd alicuius mutationis vnum eſt per ſe terminus, & non aliud, vt patet de corruptione: ita negatio, vt includitur in termino poſitiuo ſuccedente, eſt hîc per ſe terminus.

COMMENTARIVS.

28. *Opin. Henric.*

c SEntentia Henrici. *De tertio principali*, videlicet an illa conuerſio, quâ ſcilicet panis conuertitur in corpus Chriſti ſit neceſſaria annihilatio? Et dicit quòd communiter tenetur quòd in conuerſione totali non eſt annihilatio termini *a quo*, & ſic panis, qui totaliter conuertitur in corpus Chriſti, accipiendo totum ſyncategore maticè, vt ſuprà expoſitum eſt, non dicitur annihilari. Et hoc expreſsè tenet *hîc, & in 4. diſt.* 11. Sed de modo iſtius annihilationis tres recitantur opiniones, quæ licèt conueniant in concluſione, tamen in modo probandi differunt adinuicem, quas opiniones quoad modum probandi Doctor improbat.

Prima opinio eſt Henrici *quol. 9. q. 9. quol.* 12. *qu.* 4. qui dicit quòd poſt conuerſionem panis non eſt nihil, quia ſi eſſet nihil, oporteret dicere quòd eſſet annihilatus, quod communiter non conceditur. Si ergo poſt conuerſionem panis non eſt nihil, ſequitur quòd eſt aliquid, ſed non eſt illud, quod præfuit, ſupple non eſt panis poſt conuerſionem, cùm panis ſit conuerſus, nec eſt aliquid extra terminum *ad quem*, id eſt, non eſt aliquid, in quod conuertitur; ergo poſt conuerſionem eſt illud, in quod conuertitur; patet, quia ex quo panis poſt conuerſionem eſt verè aliquid, & non eſt illud quod præfuit, quia non eſt panis, nec eſt aliquid aliud à termino *ad quem* conuerſionis; ergo erit terminus ipſius conuerſionis, vt ſit verum dicere quod præfuit panis eſt corpus Chriſti, id eſt, illud aliquid, quod præfuit panis poſt conuerſionem, eſt corpus Chriſti; aut ſi iſta negaretur, ſcilicet quòd illud aliquid, quid præfuit panis, ſit corpus Chriſti, tunc neceſſariò eſt dare aliquid, quod eſt corpus Chriſti, ſit eius quod fuit panis. Vult dicere, quòd ex quo panis poſt conuerſionem eſt verè aliquid, & non conceditur quòd illud aliquid ſit corpus Chriſti, ſaltem oportet concedere è contra, ſcilicet, quòd aliquitas corporis Chriſti ſit eius, quod præfuit panis id eſt, quòd ſit illud aliquid, quod priùs fuit panis. Et hoc patet, quia ſi poſt conuerſionem panis eſt verè aliquid, & illud tale non eſt panis, nec eſt corpus Chriſti, in quod panis eſt conuerſus, ergo aliquitas corporis Chriſti erit illius, quod priùs fuit panis quàm quòd corpus Chriſti poſt conuerſioné panis, habuit iſtud aliquid, quod præfuit panis: ſiue aliquã aliquitaté poſt conuerſionem panis, quã priùs non habuit.

d *Contra hoc* Doctor probat quòd corpus Chriſti poſt conuerſionem panis non habet aliquam aliquitatem nouam, quam, ſupple, priùs non habuerit. Et arguit ſic, illud quod nullo modo aliter ſe habet in ſe poſt conuerſionem, quàm priùs ſe habuit ante conuerſionem, nec in ſe aliquid aliter habet, non habet aliquam aliquitatem quam priùs non habuit; iſta propoſitio eſt nota: ſed corpus Chriſti poſt conuerſionem panis nullo modo aliter ſe habet in ſe; patet, quia eſt illud idem corpus poſt conuerſionem, quod fuit ante conuerſionem, nec etiam habet in ſe aliquid aliter poſt conuerſionem panis, quod priùs non habuerit ante conuerſionem, ſed ante conuerſionem panis non habuit in ſe aliquitatem panis; patet, quia nihil panis fuit in corpore Chriſti, nec ſimiliter ante conuerſionem aliquitas corporis Chriſti erat aliquitas panis, quia non erat aliquid ipſius panis; ergo nec poſt conuerſioné aliquitas corporis Chriſti erit aliquitas eius quod præfuit panis: ſiue non erit illud aliud quod præfuit panis. Et hoc manifeſtè patet, quia ex quo panis totaliter, cõuertitur nihil panis omnino remanet. 29. *Scotus improbat hanc opinionem.*

Secundò arguit ad idem, quia *eſſe* termini *ad quem* conuerſionis totalis requirit *non eſſe* termini *à quo*; patet, ſi termini ſint oppoſiti, ſicut eſt in propoſito, quia *eſſe* panis, & *eſſe* corporis Chriſti ſunt termini oppoſiti, ſicut etiam diceremus quòd lignum conuertitur in ignem, terminus *ad quem*, ſcil. ignis excludit terminum *à quo* id eſt, quòd poſt cõuerſionem ligni in igné, ignis, & lignum non ſtant ſimul in eodem, & ſi terminus *à quo* quoad totum ſuum *eſſe* conuertitur in terminum *ad quem*, ſicut eſt in propoſito de conuerſione panis in corpus Chriſti, tunc terminus *ad quem* totaliter excludit terminum *à quo* quoad totum ſuum *eſſe*, ita quòd nihil ipſius termini *à quo* ſtat poſt conuerſionem cum termino *ad quem*, cùm *eſſe* vnius oppoſiti excludat *eſſe* alterius oppoſiti; ergo corpus Chriſti, quod ponitur terminus *ad quem* totalis conuerſionis panis, non habet in ſe aliquam entitatem termini *à quo*; ergo poſt conuerſionem panis non eſt verum dicere quòd ſit aliquid, &c.

e Alius modus dicendi eſt Ægidij de Roma qui dicit quòd imo panis in hac cõuerſione totali non annihilatur, quia etſi panis poſt conuerſionem non maneat in ſe, nec aliquid ipſius panis 30. *Opinio Ægidij theor. 1. & 34.*

panis, quia tamen manet in potentia in materia corporis Christi, cùm illa sit in potentia ad formam panis, sicut etiam fuit in potentia ad corpus Christi antequam informaretur forma corporis Christi, & propter talem potentialitatem panis post conuersionem non est annihilatus.

Contra hunc modum arguit Doctor deducendo ad hoc inconueniens: quia tunc sequeretur quòd Deus non posset annihilare aliquod materiale, &c.

Præterea, vbi totum syncategorematicè trãsit in totum, ibi non manet materia termini *à quo* cùm illa transeat. Cùm ergo in transmutationibus, quæ requirunt materiam, quales sunt vbi totum syncategorematicè non transmutatur in totum, sed tantum categorematicè in talibus transmutationibus materia manens est illa, quæ fuit incorrupta, sicut quandò lignum transmutatur in ignem, materia manens est materia ligni corrupti, quæ est in potentia ad formam ignis, & ideò forma ignis, quæ educitur de potentia materiæ ligni non dicitur creari, nec similiter forma ligni dicitur annihilari. Vbi ergo totum transit in totum, sic, quòd nihil ipsius maneat, sequitur quòd materia termini *à quo* nullo modo maneat, &c.

31. Tertius modus dicendi est Varronis *in* 4. *dist*. 11.

f *Contra hoc*, Doctor improbat hunc modum dicendi. Et ratio stat in hoc, quia mutatio accipitur propriè ex per se terminis mutationis, qui sunt priuatio, & habitus. Termini enim per se generationis sunt *non esse*, & *esse*, ita quòd terminus *à quo* est *non esse*, & terminus *ad quem* est ipsum *esse*. Et termini per se corruptionis sunt *esse*, & *non esse*, nam terminus per se *à quo* est *esse*, & terminus per se *ad quem* est *non esse*, & ex talibus terminis dicitur per se generatio, vel corruptio. Et termini per se creationis sunt *non esse simpliciter*, & *esse simpliciter*, quia creatio per se est à *non esse simpliciter* ad *esse simpliciter*, & similiter annihilatio per se est ab *esse simpliciter* in *non esse simpliciter*. Si ergo terminus *ad quem* per se alicuius conuersionis est verè nihil, talis conuersio erit per se annihilatio. Cùm ergo terminus *ad quem* per se conuersionis panis sit nihil simpliciter, cùm panis totaliter desinat esse, sequitur quòd conuersio panis erit annihilatio. Et licèt ad *non esse* panis sequatur *esse* corporis Christi, vt terminus *ad quem* talis conuersionis, erit tamen terminus *ad quem* per se, quia si *esse* non est panis, sed tantùm concomitans, & tali termino concomitanti non determinatur per se mutatio aliqua.

g *Aliter potest dici*. Hîc Doctor ponit modum proprium satis singularem, & subtilem, & dicit, quòd ideò panis in hac conuersione totali non annihilatur propriè, quia terminus per se annihilationis est nihil simpliciter, siue est negatio simpliciter extra omne genus, sicut etiã terminus *à quo* creationis est nihil simpliciter, siue negatio extra omne genus, quæ nullum subiectum sibi determinat. In proposito ergo, cùm panis totaliter conuertitur, siue transit ab *esse* in *non esse*, negatio panis est tantùm negatio in genere, quia talis negatio determinat sibi corpus Christi, quod immediatè succedit; si enim ad *non esse* panis nihil positiuum succederet, verè annihilaretur, quia negatio panis nõ determinat sibi aliquod subiectum. Quando ergo ad *non esse* alicuius aliud succedit, tale *esse* non est nihil simpliciter, quia non est negatio extra omne genus, sed negatio in genere. Et ideò illud tale non diceretur per se, siue propriè annihilari, quia terminus *ad quem* per se non est simpliciter nihil, quia non est negatio extra omne genus. Et hoc est quod dicit in sententia.

h *Sed contra hoc arguitur*. Hîc intendit Doctor probare quòd talis negatio in genere tantum accideret termino *ad quem* conuersionis. Et propter hoc talis conuersio non esset annihilatio tantũ per accidens, & hoc probat. Nam termino *ad quem* destructionis accidit, quod sit terminus aliquis ad quem positiuus: siue accidit ipsi negationi, quæ ponitur terminus *ad quem*, quod succedat aliquod positiuum; ergo qualis esset ista destructio, supple per se si non esset terminus positiuus concomitãs ipsam negationẽ, quæ ponitur terminus per se *ad quem*, talis est modo ista destructio quantùm ad per se rationem destructionis, non ergo prohibetur esse annihilatio per hoc, quòd terminus positiuus concomitatur. 32.

Negatio duplex. Respondet Doctor quòd negatio extra genus, & negatio in genere, loquendo de negatione absoluta in genere, prout scilicet distinguitur à negatione, quæ dicitur priuatio, non distinguitur à negatione priuationis secundùm rationem formalem negationis, quia tam negatio in genere, quam negatio extra genus, & negatio quæ est priuatio est formaliter negatio. Non ergo istæ negationes in formali ratione negationis distinguuntur ad inuicem, sed præcisè distinguuntur ex hoc, quòd negatio extra genus dicitur illa, quæ nullum subiectum sibi determinat; & negatio in genere absoluta dicitur illa, quæ aliquod subiectum sibi determinat, & hoc absolutè, quia non determinat sibi illud vt aptum natum, &c. Negatio verò quæ est priuatio, distinguitur per hoc quod determinat sibi subiectum tale, puta, quòd sit aptum natum, &c. quia priuatio est negatio in subiecto apto nato. Sic ergo terminus *à quo* per se generationis non est negatio simpliciter, sed negatio in subiecto apto nato, quæ est priuatio; & per se terminus *ad quem* corruptionis non est negatio absolutè, sed est negatio in subiecto apto nato, quæ est priuatio, quæ ponitur terminus per se *ad quem* corruptionis. Sic dico in proposito, & hæc conuersio est, quòd terminus *ad quem* conuersionis per se non dicitur negatio absolutè, sed negatio in genere, ergo talis conuersio dicitur per se habere talem terminum *ad quem*. Si enim est conuersio totalis panis in corpus Christi, terminus *ad quem* per se illius conuersionis erit negatio in genere. Et licèt terminus *ad quem* positiuus, qui succedit accidat negationi absolutè sumptæ, non tamen dicitur propriè accidere negationi in genere, cùm negatio in genere determinet sibi necessariò aliquid subiectum; sicut etiam subiectum aptum natum potest dici accidere negationi absolutè sumptæ, non tamen dicitur propriè accidere negationi, quæ est priuatio, cùm priuatio sit per se negatio in subiecto apto nato.

SCHOLIVM.

Ad primum docet non requiri aliquid commune realiter terminis conuersionis, tantùm enim habent communem habitudinem obedientiæ ad idem agens; & loquitur de conuersione latè sumpta, vt notam sup. in Scholio nu. 19. Ad argumentum ad oppositum explicat quare agens creatum corrumpere posśit species Eucharistiæ: de quo latè q. 4. d. 12. q. 4. & 5. Item, quæ substantia succedit corrupta Eucharistia; de quo 4. d. 12. qu. 6. & dicendum quòd substantia composita, nata affici accidentibus inductis à causa naturali: quod est contra D. Thom. 3. p. qu. 77. à 5. qui asserit redire materiam, cuius sententiam solidiisimè refutat Doctor. d. 12. q. 6. num, 5. quia illa materia non potest poni ante vltimum instans conuersionis, neque in ipso vltimo instanti ob grauisśima conuenientia, quæ inde sequuntur. Refutat etiam ibid. quod D. Thom. ait materiam conuersam, vel annihilatam non posse redire probans id manifestè falsum esse.

Alter terminus creationis, & nihilationis non continetur sub ente.

AD argumentum [k] principale, aliquid esse commune terminis potest esse dupliciter, vel communitate reali, sicut materia, quæ est commune substratum vtrique termino in corruptione: hoc modo non oportet in conuersione totali aliquid esse commune terminis; imò tale commune repugnat conuersioni totali. Alio modo potest intelligi commune communitate rationis, puta quòd vterque terminus contineatur sub ente, & hoc sufficit ad excludendum rationem creationis, & annihilationis, quia in illis alter terminus non continetur sub ente, & hoc modo diceretur, quòd istæ species, & illud præexistens, in quod conuerterentur, haberent aliquid commune. 25.

Quid requiritur cõmune vtrique termino in conuersione.

l Aliter posset poni aliquid commune terminis non essentialiter: sed communis habitudo ad idem agens; quia potentiæ agentis eodem modo subiacet vterque terminus conuersionis; & hoc etiam sufficit ad excludendum annihilationem, quia nihil propriè non subiacet potentiæ agentis; cùm non sit aliquid causabile.

Quare agens naturale non potest transubstantiare, de quo 4. d. 13. q. 1.

Quomodo agens naturale corrumpit Eucharistiam, de quo 4 d. 12. q. 4. 5.

m Argumentum ad oppositum probat, quòd natura potest conuertere aliquid in aliud conuersione totali, & ita non requirit subiectum commune, quod manifestè est inconueniens in quacunque transmutatione naturali, secundùm Philosophum; ideò ad illud argumentum dicendum est quòd agens naturale potest omnem transmutationem illam, & solùm causare circa istas species; quæ transmutatio potest hîc habere subiectum transmutabile. Nulla autem transmutatio substantialis habet hîc subiectum transmutabile, quia nulla est hîc substantia, nec composita, nec materia; ideò agens naturale non potest hîc transmutationem substantialem causare, sed accidentalem, in qua sufficit quantitas pro subiecto. In illo ergo *nunc*, in quo per actionem agentis naturalis, Eucharistia habet primò *non est*, cùm natura nihil corrumpat nisi aliquid incompossibile producendo, produceretur virtute naturæ quoddam cõpositum per accidens, scilicet quantùm quale, qualitate incompossibili Eucharistiæ, quæ corrumpitur, & istius compositi subiectum præfuit, & forma inducta est ab agente creato habente eam in virtute sua actiua.

Sed nunquid tunc [n] producitur aliqua substantia. 26.

Ad corruptione Eucharistiæ Deus producit substantiam natam affici accidentibus causatis à agento naturali.

Respondeo non actione naturæ, quia non habet passum, de quo producat substantiam: si ergo tunc substantia producatur, hoc est actione Dei, qui disposuit nusquam accidens esse sine subiecto, nisi in Eucharistia manente; & ideò illa destructa Deus producit substantiam compositam, quæ nata est affici illis accidentibus causatis per agens naturale, nec illa substantia noua requiritur propter actionem naturæ: imò actionem illam sequitur ordine naturæ: nec necessariò, quia Deus posset non producere substantiam illam, sed sequitur ordine dispositionis diuinæ.

Opinio Innocentij de desitione Eucharistiæ, de quo d. 12. q. 6.

De ipsa autem desitione Eucharistiæ duplex est opinio. Vna quæ videtur esse Innocentij *de officio Missæ, Parte tertia*, vbi dicit, quòd quamuis species maneant, quæ possent afficere substantiam panis, & vini, si essent ibi, si tamen tanta fiat alteratio circa species, quòd panis eis affectus non esset conueniens nutrimentum, desinit esse Eucharistia: & in eodem instanti actione diuina fiet ibi noua substantia, quæ nata est affici illa qualitate: hæc autem est substantia panis, & tunc illa manet vlteriùs in alteratione vsque ad instans generationis nouæ substantiæ: & illam generat natura, corrumpendo illam substantiam compositam, quam potentia diuina reduxit.

Alia est opinio, quòd manet quamdiu manent qualitates, quæ possent afficere substantiam

ſubſtantiam conuerſam: licèt ipſa ſic affecta non eſſet conueniens nutrimentum: non ergo deſinit eſſe Euchariſtia, niſi quando deſineret ipſa ſubſtantia panis, & ſecundùm hoc eſſet dicendum, quòd in illo inſtanti corruptionis ſpecierum, eſt ibi ſubſtantia noua: ſed non panis: quia illa non eſſet nata affici qualitatibus incompoſſibilibus pani iam inductis, ſed talis eſt illa ſubſtantia noua, qualem natura generaret de pane corrupto, ſi ſubſtantia panis ibi fuiſſet.

Manet Euchariſtia, quamdiu maneret ſubſtantia panis, ſi adeſſet, & ea deſtructa fit noua ſubſtantia, quam agẽs naturale faceret, ſi adeſſet panis.

COMMENTARIVS.

33. *Quid prinx-tio.* k AD *argumentũ principale.* Doctor arguit, probando, quod ſpecies in Euchariſtia nõ poſſit virtute diuina conuerti in aliquid præexiſtens, & per conſequens, quod non poſſit conuerti in Corpus Chriſti. Et arguit ſic: quia omne quod conuertitur in aliud, habet aliquid commune cum illo in quod conuertitur; patet iſta, quia ſi lignum conuertitur in ignem, materia ligni eſt communis tam formæ ligni, quã formæ ignis. Et dicitur communis non communitate prædicationis, ſed quia eſt receptiua vtriuſque formæ non ſimul, ſed ſucceſſiuè. Sed ſpecies in Euchariſtia, quæ ſunt ſeparatæ à ſubſtantia panis non habent aliquod commune cum aliquo præexiſtente, patet: nec ſubſtantiam panis, nec materiam, quæ eſt primum ſubiectũ, in quo tranſmutantur ad inuicem. Si ergo illæ ſpecies non habent aliquod commune, & totaliter conuertuntur in Corpus Chriſti, ſequitur quòd annihilentur. Et ſic talis conuerſio eſſet annihilatio.

Aliquid eſſe commune poteſt dupliciter intelligi. Reſpondet quòd *aliquid eſse commune terminis poteſt dupliciter intelligi, vel communitate reali, ſicut materia quæ eſt commune ſubſtratum vtrique termino in corruptione*, ſcilicet formæ corrumpendæ, & formæ generandæ, *hoc modo non oportet in conuerſione totali* ſyncategorematicè *aliquid eſse commune terminis, imò tale commune repugnat conuerſioni totali*; patet, quia quando totum ſyncategorematicè tranſit in totum, nihil illius totius manet, & per conſequens nõ manet materia receptiua vtriuſque termini. *Alio modo poteſt intelligi* commune communitate rationis, puta, quòd vterque terminus contineatur ſub ente, & hoc ſufficit ad excludendũ rationem creationis, & annihilationis, quia in illis aliter terminus continetur ſub ente, *& hoc modo diceret, quod illæ ſpecies, & illud præexiſtens,* in quod conuerterentur haberẽt aliquod commune, quia illum ens. Si dicatur, quòd terminus *ad quem*, qui ponitur Corpus Chriſti præexiſtens, non eſt per ſe terminus *ad quem* conuerſionis ſpecierum, ſed tantum concomitans, vt ſuprà patuit, & ſic talis conuerſio non diceretur annihilatio, niſi per accidens, tamen per ſe eſſet annihilatio, quia terminus *ad quem* per ſe eſt nihil. Dico, quòd ex hoc Doctor dicit talem conuerſionem non eſſe annihilationem, quia ad talem conuerſionẽ concomitatur Corpus Chriſti præexiſtens non vt terminus per ſe ad quem, ſed vt aliquid requiſitum ad per ſe terminũ *ad quem*, quia terminus per ſe *ad quem* talis conuerſionis eſt negatio in genere, quæ ad hoc vt ſit negatio in genere determinat ſibi aliquod ſubiectũ, & hoc modo Doctor intelligit.

34. l *Aliter poſset poni aliquod commune terminis non eſsentialiter*, puta, quòd non prædicetur de illis in *quid*: *ſed poſset poni communis habitudo ad idem agens.* Vult dicere, quòd tam terminus *à quo* conuerſionis, quàm terminus *ad quem*, loquendo de termino *ad quem* poſitiuo, ſubiacet potentiæ agentis primi: ſubiacet dico, tam quoad *eſſe* illorum totale, quàm quoad *non eſſe*. Et ideò in eodem inſtanti, quo terminus *à quo* totalis deſinit eſſe in ſe virtute agentis primi virtute eiuſdem agentis aliquod ens poſitiuum poteſt ſuccedere, ſiue ſit præexiſtens. Sicut patet de corpore Chriſti, quod ſuccedit deſitioni panis, ſiue non ſit præexiſtens, ſed de nouo producatur, quoad *eſse* totale, in quo *eſse* fundatur negatio, quæ dicitur negatio in genere, & per conſequens talis conuerſio non erit annihilatio. Si verò terminus *ad quem* non ſubiacet potentiæ agentis, ſicut eſt nihil ſimpliciter, ſiue negatio extra genus, quæ nullo modo eſt cauſabilis, tunc quod conuertitur in talem terminum *ad quem*, verè annihilatur. Nota tamen quod negatio in genere non dicitur formaliter ſubiacere potentiæ agentis, ſed ex hoc dicitur ſubiacere, pro quanto ſubiectum, quod ſibi determinat, ſubiacet potentiæ agentis; quia ergo tale ſubiectum virtute agentis poteſt ſuccedere termino *à quo* conuerſionis, ideò negatio in genere, quæ ponitur per ſe ad terminum *ad quem* talis conuerſionis dicitur ſubiacere potentiæ agentis. Et hoc eſt quod dicit.

m Secundò principaliter arguit ad oppoſitum, probando ſcilicet quòd Deus poſſit illas 35.
ſpecies conuertere in aliquid præexiſtens, & arguit ſic: Natura creata poteſt illas ſpecies conuertere in aliquid præexiſtẽs, ergo, & Deus, &c.

Reſpondet quòd agens naturale tantum poteſt tranſmutare illa quæ habent ſubiectum commune; vnde ſi generat aliquam ſubſtãtiam corrumpendo aliam, vt quando ignis corrumpit lignum, & generat ignem: ſi ignis non haberet materiam ligni pro ſubiecto communi formæ ignis, & formæ ligni, nunquam poſſet ex ligno generare ignem: nec per conſequens poſſet conuertere lignum in ignem. In aliqua tranſmutatione ſubſtantiali ſemper agens naturale ſupponit materiam communem tam formæ ſubſtantiali corrumpendæ, quàm formæ ſubſtantiali generandæ, ita quòd nũquam poſſet corrumpere formam ligni, niſi in eodem inſtanti, in quo expellitur forma ligni induceret formam ignis incompoſſibilem formæ ligni, quia vtraque forma eſt nata tantum recipi in materia. In tranſmutatione verò accidentali, vbi agens naturale corrumpit illud accidens inducendo aliud, ſufficit quòd habeat aliquod ſubiectum commune, puta, quantitatem. Et ſic quando agens naturale corrumpit, puta ſaporem in Euchariſtia fundatum in quantitate ſeparata, ſuffit quòd habeat illam quantitatem pro ſubiecto; non poſſet ergo agens naturale tranſmutare aliquod accidens in ſubſtantiam, quia quando tranſmutat aliquid in ſubſtantiam,

ſtantiam, præſupponit materiam illius tranſmutabilis, vt ſubiectum receptiuum formæ ſubſtantialis: ſed non eſt ſic in tranſmutatione accidentali, quia qualitati ſufficit habere quantitatem pro ſubiecto. Dicit ergo Doctor quòd in illo *nunc*, ſiue inſtanti, in quo per agentis naturalis actionem Euchariſtia habet non eſſe, cum natura nihil corrumpat, niſi aliquid incompoſſibile producendo, produceretur virtute naturæ quoddam compoſitum per accidens, ſcilicet aliquod quantum quale qualitate incompoſſibili Euchariſtiæ, quæ corrumpitur, & iſtius compoſiti ſubiectum præfuit, ſupple illa, quantitas, quæ recipit qualitatem incompoſſibilem qualitati pertinenti ad Euchariſtiam.

36. n *Sed nunquid tunc producitur aliqua ſubſtantia?* Nunc quærit Doctor quando Euchariſtia corrumpitur, an in eodem inſtanti, quo corrumpitur generetur aliqua ſubſtantia? Et dicit quòd ſi aliqua ſubſtantia generatur, hoc non fit actione naturæ creatæ, quia illa non habet paſſum, ſupple materiam, de qua producat ſubſtantiam, quia in Euchariſtia corrumpenda nulla eſt materia; ſed hoc erit ſola actione Dei, qui diſponit nuſquam accidens eſſe ſine ſubiecto, niſi in Euchariſtia manente, & ideò in illo inſtanti, quo Euchariſtia corrumpitur per agens naturale, Deus in eodem inſtanti producit ſubſtantiam compoſitam, quæ nata eſt affici illis accidentibus cauſatis per agens naturale; nec illa ſubſtantia noua acquiritur per actionem naturæ, imò actionem illam, ſequitur ordine naturæ talis ſubſtantia, nec tamen neceſſariò, quia Deus poſſet non producere ſubſtantiam illam, ſed tantùm ſequitur ordine diſpoſitionis diuinæ, quæ diſpoſuit nullum accidens eſſe ſeparatum à ſubſtantia, niſi in ſola Euchariſtia, & ideò ſi quantitas aliqua eſſet ſeparata, & eſſet alba, ab agente naturali poſſet induci nigredo incompoſſibilis albedini, & tamen ad corruptionem albedinis non ſequitur generatio alicuius ſubſtãtiæ, ſed tantùm fieret quantũ nigrũ.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm Deus poßit facere, quòd, manente corpore, & loco, corpus non habeat vbi *ſiue* eſſe *in loco.*

Alenſ.4.*p.q.*11. D.Thom.*q.*52.*ar.*1.Bonau.2.*d.*2.*q.*5.Scot.*q.*5.*an.*10.Io.Baccon.2.*d.*3.*q.*3.Mayron. 2.*d.*1.*q.*6. Ricchard.4.*d.*2.*q.*2.Bellarm.*lib.*3.*de Euchar.cap.*3.4.Suar.3.*tom.d.*48.*ſ.*4.

Vide in 4. d. 20. q.3. Argum.



D tertium ſic proceditur. Arguitur, quòd Deus non poteſt facere, quòd manente corpore, & loco, corpus non habeat *vbi* in loco: quia non poſſunt manere extrema, quin maneat relatio media: ſicut non poſſunt eſſe duo alba, quin ſint ſimilia: corpus, & locus videntur eſſe extrema: inter quæ ipſum *vbi* eſt quaſi habitudo media, ſecundùm illud ſex Principiorum; vbi *eſt circumſcriptio corporis à circumſcriptione loci procedens.* 1.

Ratio opp. Contrà, ſic ſe habent corpus, & locus ad *vbi*, ſicut actiuum & paſſiuum ad actionem, & paſſionem: nunc autem Deus poteſt facere, quòd manente actiuo & paſſiuo, non ſit inter illa actio, & paſſio: ergo, &c. Maior probatur: quia ita videtur *vbi* habitudo media inter locum & corpus: ſicut actio, & paſſio inter agens, & patiens. Minor probatur, quia ſicut habetur Daniëlis 3. Tres pueros in fornacem, miſſos ignis non combuſſit, & tamen fuit actiuus: quia flamma erumpens interfecit eos, qui miſerunt eos in fornacem, & corpora eorum erat paſſiua: quia non eſt veriſimile, quòd tunc habuerunt dotem impaſſibilitatis.

Pueri in fornace non fuerunt impaſſibiles.

Iſta quæſtio poteſt habere duplicem intellectum: vnum de corpore & loco in communi; alium de corpore & loco determinato, & vterque poteſt ſubdiſtingui. Et ideò ſunt hìc quatuor declaranda. 2.

Quatuor ſint examinanda.

Primò, *ſi corpori in communi repugnat non habere* vbi, *poſito loco in communi.*

Secundò, *ſi repugnat loco in communi eſſe ſine* vbi, *ſiue non circumſcribere: & hoc poſito corpore in communi.*

Tertiò, *ſi poßibile ſit hoc corpore, & hoc loco manentibus, ſed hoc corpore huic loco non præſente, quòd hoc corpus non habeat hoc,* vbi.

Quartò, *ſi hoc corpore, & hoc loco manentibus, & hoc corpore huic loco præſente, poßibile eſſet hoc corpus non habere hoc* vbi?

SCHOLIVM.

Poſſe dari corpus ſine corpore locante, imo de facto ſic datur vltimum Cælum. Patet, quia abſolutum poteſt eſſe ſine reſpectu ad id, quod nec eſt priùs nec ſimul natura cum ipſo: tale eſt corpus

corpus respectu loci. Soluit tria argumenta in contrarium adducta. De hoc vide ipsum 4.d.10. qu.2.& 3.& 2.dist.2.q.5. Ad replicam primam contra solutionem tertij, dicendum, vbi *Cœli pertinere ad* vbi *actiuum. Ad secundum, si moueretur, nullo existente contento, esset motus localis quodammodò secundùm partes. Vide Doct. de motu in vacuo 2.d.2.q.9.an. 41.*

3. DE primo dico, quòd non includit contradictionem corpus esse sine corpore aliquo continente, & per consequens sine *vbi*: imò ita est de primo Cœlo, quòd non habet corpus continens: posito etiam, quòd esset locus; non tamen quicunque, sed aliquis capax huius corporis, non esset adhuc contradictio, quòd hoc corpus non haberet *vbi*. Ratio primi est [a], quia non est contradictio absolutum maneret absque respectu ad illud, quod non est prius eo, vel saltem quod nec est prius, nec simul natura cum ipso: nunc autem locus nec est prius natura corpore, nec simul, imò videtur posterius corpore; ergo, &c. Ex hoc potest accipi ratio secundi. [b] 4. Phys. & 1. cœli & alibi. *Potest absolutum esse sine eo, quod non est prius, nec simul natura cum eo.*

Contra istud: [c] corpori per se competit esse in loco, ita quòd corporeitas est per se ratio essendi in loco, sed contradictio est rationem formalem esse, nisi illud sit, cuius est ratio formalis. 4. Physic.

Prætereà. Corpus locatum dependet à locante, ergo illa habitudo locati ad locans, est habitudo quædam dependentiæ; sed absolutum non potest esse sine dependentia propria, quam natum est habere.

Prætereà. Contra illud, quod dicitur de primo Cœlo, arguitur; quia illud corpus si moueatur non est dare quo motu moueretur, nisi locali, sed moueri localiter requirit esse in loco; quia moueri localiter est aliter se habere in loco nunc, quàm priùs. Si detur quòd Cœlum quiescit, sequitur quòd quiescit quiete opposita illi motui, quem natum est habere, & ita quiescit localiter: & tunc propositum. 5. & 6. Physic.

4. Ad primum potest dici, [e] quòd dimensio est ratio fundamentalis proxima respectu *vbi*, vel si sic intelligeretur ratio formalis, benè potest talis ratio formalis separari ab illo, respectu cuius dicitur esse ratio, & hoc intelligendo in actu: licèt non separaretur ab aptitudine vel potentia ad illud. Exemplum: albedo isto modo est ratio essendi simile, & tamen non est contradictio, quòd sit sine similitudine actuali. *Dimensio est ratio fundamentalis respectu* vbi *aptitudinalis.*

Contrà, si dimensio est propria [f] ratio fundamentalis respectu passiuæ locationis, saltem ista erit per se secundo modo; etsi non primo modo, corpus locatur, sicut color videtur, sed in propositione per se secundo modo, cùm sit necessaria simpliciter, subiectum non potest esse sine prædicato.

Respondeo, [g] quòd corporeitas est ratio fundamentalis respectu huius, quod est esse locabile, & respectu huius etiam, quod est locari. Propria quidem & proxima vtriúsque, quia cuius est potentia, eius est & actus: sed respectu primi est ratio necessaria, respectu secundi ratio non necessaria: quia aptitudo est intrinseca per istam rationem etiam præcisè acceptam; sed illud, ad quod est aptitudo non inest actualiter, nisi per agens, reducens aptitudinem ad actum: negandum est igitur quòd assumitur, scilicet hanc esse per se secundo modo, *corpus locatur*, licèt concedendum sit hanc esse per se: *corpus est locabile*. Exemplum huius, hæc est per se secundo modo: *homo est risibilis*; hæc autem contingens: *homo ridet*. Primo de Somno & Vigilia c.1.

5. h Ad secundum: illa dependentia, quæ est locati ad locans, non est simpliciter necessaria ex parte eius, quod dicitur dependere: sicut est dependentia causati ad causam, sed est dependentia aliqualis, tanquam ad illud, quod natum est conseruare in sua dispositione naturali, corpus quidem naturale in suo loco naturali natum est sic conseruari: sine tamen tali conseruante potest absolutè esse. *Dependentia locati ad locum, non necessaria.*

Ad tertium potest dici, quòd si mouetur, mouetur secundùm *locare*, non secundùm *locari*: quia nunc aliter locat corpus contentum, quàm priùs locauit: sed non aliter locatur: quia non locatur: & isto modo intelligitur dictum Auerrois, quòd *Cœlum est in loco per centrum*: quia suum esse in loco est locare locabile fixum in loco. 4. Physic. *An cœlum mouetur localiter.* 4 Phy. c 43

i Si quæratur de isto *locare* ad quod Genus pertinet, vt sic motus ille diceretur esse in illo Genere: non ad Genus *vbi*: quia *vbi* est circunscriptio passiua, non ad aliquod aliud Genus tum quia motus esset in pluribus Generibus, quàm ponit Philosophus 5. *Physic.* Tum quia discurrendo, non inuenitur ad quod Genus aliud pertineat. Tex. 9. & inde.

6. Prætereà. Sicut Cœlum potest circulare, licèt non contineatur à corpore, sic potest circulare, licèt non contineat corpus, puta si esset idē corpus continuum, & sphæricū, igitur illa forma fluēs, secūdū quā est per se motus circulationis, posset per se esse sine respectu, tam ad continens, quam ad contentum, & ista est forma merè absoluta.

Responsionem quære

Ad pri

Ad primum dicitur, quòd illud locare *pertinet ad Prædicamentum* vbi : *& licèt non definiatur nisi* vbi *passiuum à Philosopho : tamen est aliud* vbi *actiuum, quod est species alia ipsius* vbi,*quod est Prædicamentũ cõmune ad* vbi *actiuum,&* vbi *passiuũ,patet in* 4.*d*.10.*q*.1.

Ad secundum dicitur ab aliquibus, quòd in tali casu non moueretur Cælum.

Aliter tamen dico,quòd talis motus esset ad vbi *imaginarium,non actuale, & reale ; nec hoc est inconueniens concedere:cùm hoc sequatur ex casu.Patebit inferiùs in ista quæstione*,&c.

COMMENTARIVS.

1. a RAtio primi est, *&c.* Patet ista propositio in secundo, dist. 1. q. 5. vbi eam prolixè exposui; ideò enim res, siue absolutum patris, non potest manere sine respectu,&dependentia adDeum,quia absolutũ patris, necessario dependet à Deo essentialiter, vt à priori. Similiter pater in quantum pater nõ potest manere sine filio, quia est simul natura cũ filio.Vbi ergoab solutum potest manere sine alio absoluto, sequitur quòd tale absolutum possit manere sine respectu ad illud aliud absolutum; nunc autem locus non est priùs natura corpore, nec simul, imò videtur posterius. Et loquitur hîc de loco materiali, scilicet de vltima superficie continentis,quia loquendo de loco formali, scilicet de respectu locantis, talis respectus est simul natura cum locato, & locante. Et quòd dicit, quòd est quòd est quasi posterius natura, hoc patet, quia corpus facit latera continentis distare, & per consequens talis superficies est posterior corpore, vt patuit in 2.d.2 p.2,in materia de loco Angelorum.

Absolutum potest esse sine respectiuo.

b *Ex hoc potest accipi ratio secundi.* Secundum declaratum erat, quòd etiam posito loco capace huius corporis non esset adhuc contradictio,quòd hoc corpus non haberet *vbi*:& patet ratio huius secundi,quia si corpori absolutè non repugnat posse esse sine superficie locantis corporis,sequitur quòd nec huic corpori repugnat posse esse sine ista superficie capace huius corporis, & per consequens non repugnat sibi posse esse sine respectu ad eam.

c *Contra istud.* Nunc Doctor instat multipliciter contra illam conclusionem; probando quòd repugnet absolutè corpori esse sine loco. Primò arguit sic : *Corpori competit per se esse in loco*,&c. Si enim rationale est ratio quòd homo sit,si rationale est:necessariò homo erit, sic in proposito, si corporeitas est ratio formalis, quòd *A* sit in loco, si corporeitas *A*. est necessariò *A*. erit in loco.

d Secundò arguit, *corpus locatum dependet à locante*,&c. Patet,quia si *A*. dependet à *B*. in *esse* & *conseruari*, erit impossibile *A*. posse esse sine *B*. ergo erit impossibile *A*. posse esse sine dependentia ad *B*. Patet per propositionem Doctoris *in secundo,dist*.1.*q*.5. Cuicumque absoluto repugnat esse sine termino relationis ad ipsum, impossibile est tale absolutum posse esse sine relatione ad ipsum terminum.

2. e Respondet ad primum,quòd dimensio est ratio fundamentalis essendi in loco, sed ratio formalis essendi in loco est respectus locati, ad locantem. Primo modo potest esse sine loco passiuè, siue sine tali respectu locati ad locantem: secundo modo non, quia est impossibile effectum formalem esse sine causa formali. Sicut albũ absolutè potest esse sine similitudine ad aliud album, licèt sit ratio proxima fundamentalis similitudinis, tamen album formaliter simile non potest esse sine similitudine, quia simile formaliter est effectus formalis similitudinis.

Dimensio est ratio fundamentalis essendi in loco.

f *Contrà,si dimensio*,&c. Adhuc instat probando, quòd talis dimensio non potest esse sine respectu ad locum.

g Respõdet,quòd dimẽsio est ratio fundamẽtalis respectu huius,quod est esse locabile, &c. Sicut rationale respectu risibilitatis est ratio necessaria,sed respectu actus ridẽdi nõ est necessaria.Ista ergo,*Corpus est locabile*, est per se secundo modo,& necessaria; sed ista,*Corpus locatur*, nullo modo est per se sed accidentalis, & cotingens.

An rationale sit ratio necessaria.

h Ad secundum dicit quòd dependentia quæ est locati ad locans,non est simpliciter necessaria &c.Aduerte tamen, quòd dependentia causati ad causam non inest necessariò causato, comparando ipsum ad qualemcunque causam, sed tantum inest necessariò comparando ipsum ad causam simpliciter primam,quia ab illa sola simpliciter dependet *inesse,& conseruari*, & est simpliciter impossibile causatum esse sine dependentia ad primam causam.Sed comparando ad causam secundam non simpliciter in essendo dependet ab illa quia prima simpliciter, & sola illa necessaria,vt aliàs probaui.Et dependet necessariò à secunda in essendo,non tamen dependet in *conseruari*.Vnde Doctor *in secundo, dist*. 2. *parte*. 1. *q*. 4.dicit quòd effectus præcisè pro illo instanti,quod accipit *esse* à causa secunda, depẽdet ab illa;sed in toto tempore sequente immediatè dependet à prima,& vide ibi bonam difficultatem. Dico vltrà,quòd conclusio Doctoris de loco loquitur absolutè de ipso loco,scilicet de ipsa superficie locantis & non de loco naturali, qui vltra superficiem includit qualitates conuenientes loco naturali.Sed quomodocunque intelligatur conclusio,siue de locato,& loco absolutè sumptis, siue de locato, & loco naturalibus, patet quòd locatum non necessariò includit respectum ad ipsum locum.

Diligentia considera.

i *Si quæratur &c.* Respondeo ad primum primò,quòd locare actiuum, siue vbi actiuum est in eodem prædicamẽto in quo & *vbi* passiuum, nec secundum Aristotelem habetur expressè quòd tantùm *vbi* passiuum sit in prædicamento *vbi*, quia hoc idem esset quærendum de omnibus alijs *vbi* actiuis. Sicut enim acquiritur per motum aliud,& aliud vbi passiuum in corpore locabili,ita acquiritur aliud,& aliud *vbi* actiuum in corpore locãte.Et si hoc non placet, dic sicut Doctor dicit in 4.dist.10. de *vbi*. Corporis Christi in Eucharistia. vide ibi.

Ad secundũ dico, quòd motus circulationis formaliter est relatio,quia formaliter est quædã successio,vt patet à Doctore in pluribus locis,sed forma secundum quam est talis successio alias patebit.

SCHO

SCHOLIVM.

Posse dari superficiem concauam sine respectu ad corpus contentum, probatur, quia iste respectus non est ad prius, nec ad id quod est simul naturâ cum ista superficie. Ostendit Deum posse causare vacuum, conseruando Cælum; & annihilando omnia elementa, quo casu latera Cæli non concurrunt in instanti, & ideò esset vacuum. Obiicit tripliciter. Ad primum, procedit ratio Philosophi contra vacuum, sumptum pro spatio quanto, non quali, de quo 2. d. 2. qu. 9. Ad secundum, ad distantiam non requiri medium positiuum, idem à nu. 40. Ad tertium, explicat quomodo quies mensurari potest tempore, id est, imaginario nullo corpore moto. Vide 2. d. 2. q. 11. n. 3. 5. & q. 4. n. 10. 11.

7. DE secundo articulo dico, quòd non apparet contradictio, superficiem concauam esse sine respectu ad aliud corpus, vt contentum, esto etiam quod aliud corpus sit, quod esset natum contineri, quia vt prius argutum est de respectu locationis passiuæ: ita potest hîc argui de locatione actiua.

Item confirmatur, quia Cœlum est incorruptibile, & licèt elementa secundùm se tota sint incorruptibilia secundùm Philosophum, non tamen eo modo sunt incorruptibilia, quo Cœlum; quia forma elementi, cùm sit eiusdem rationis in toto & in parte, non est formalis ratio incorruptibilitatis in toto, sicut nec in parte, & licèt non sit aliqua causa naturalis corruptiua totius elementi, sicut partis, tamen istam possibilitatem intrinsecam ad corruptionem reduci ad actum non est ita impossibile, sicut Cœlum corrumpi: aut saltem secundùm Theologos possibile est Deum elementa annihilare, quæ quantum est ex formis suis, sunt corruptibilia, licèt non annihilet Cœlum, quod secundùm formam suam est incorruptibile, quia in conseruando prius & magis necessarium non requirit tanquam medium, aliquod minùs necessarium conseruari. Absolutè igitur potest annihilare elementa, & nihil innouare circa *esse* Cœli: hoc posito, latera Cœli non concurrent in instanti, quia natura non potest facere talem transmutationem in instanti: remanere igitur potest superficies concaua Cœli, & tamen non continens aliquod corpus. *2. & 3. c. & in de Ge.* *Aliter Cœlũ est incorruptibile, & aliter elementa.* Vide 2. d. 14. q. 1. & 4. d. 49. q. 6. *Cap. de Vacuo ferè per totum.* *Tex. 37.*

Contra ista: vacuum esse est impossibile simpliciter, vt probat Aristoteles 4. *Phys.* sed si superficies concaua esset sine corpore, esset vacuum, igitur, &c.

8. Ad probationem maioris, vna ratio Philosophi in ca. de Loco contra ponentes locum esse spatium, est ista; quia tunc infinita vtique essent loca, & subdit ad probationem istius consequentiæ: *distante enim aëre, & aqua, idem faciunt omnes partes in toto, quòd omnis aqua in vase.*

Prætereà. Inter latera vacui nihil est medium, sed secundùm Philosophum 5 *Phys.* illa sunt simul, quorum nihil est medium, si igitur esset vacuum, latera essent simul, & non simul. *Tex. 21. & inde. Idẽ 6. Phy. tex. c 9. expressim.*

Prætereà. In tempore est contradictio duo instantia esse distantia, & non esse tempus medium: igitur pari ratione in loco contradictio est duo esse localiter distantia, & non esse corpus medium.

Ad primum: ista probatio consequentiæ secundùm Philosophum multipliciter exponitur, sed qualitercunque consequentia declaretur, non tenet, nisi ponendo vacuum esse spatium actu dimensionatum: licèt non habeat qualitates naturales, quamdiu enim ponitur ibi dimẽsio in actu, semper remanet ratio secundùm Philosophum, quare non compatitur secum aliud corpus, nisi vnum diuidat alterum: sed vacuum istud, quod ponitur possibile Deo in isto membro, non est aliquod spatium habens dimensiones positiuas: sed tantummodò est ibi possibilitas ad tantas dimensiones positiuas, cum carentia cuiuscunque dimensionis in actu; & hoc modo potest dici de omnibus rationibus Philosophi ibi positis, quòd procedunt contra vacuum, vno modo imaginando, scilicet quòd sit spatium actu dimensionatum sine corpore, & ita nihil concludunt contra intellectum, qui conceditur. Deo esse possibilis. *Quare Auerroëm & alios.*

9. Ad secundùm dico, quòd medium potest intelligi vel positiuum, & actuale, vel priuatiuum potentiale: & vtroque modo debet intelligi nullum esse medium eorum, quæ tangunt se, & quæ sunt simul, latera autem vacui, etsi non habeant medium primo modo, habent tamen medium secundo modo: quia inter ea posset tantùm corpus *Latera vacui habent mediũ virtuale, non actuale reale.*

corpus intercipi, quantum eſt illud corpus, quod intercipitur, quando ſpatium eſt actu plenum: eſt ibi igitur medium potentiale, & ſequitur ex hoc, quòd eſt ibi medium priuatiuum, ſiue participatiuè: quia carens tanto medio, quantùm poſſet intercipi inter illa extrema.

Loquitur de tempore imaginario.

Ad tertium diceretur, quòd nullo motu exiſtente, poſſet eſſe quies aliqua etiam propriè accepta, quia nullo corpore moto poſſet aliquod corpus vniformiter ſe habere, & cum hoc eſſe aptum natum aliter, & aliter ſe habere, ſicut poſt iudicium corpus Beati poſſet vniformiter ſe habere in ſua diſpoſitione; licèt nullum corpus aliter ſe haberet, quia non oportet, quòd aliqua corpora inferiora aliter ſe habeant ad hoc, vt Beati vniformiter ſe habeant, nec aliqua alia corpora ponuntur tunc fore mouenda. Huic etiam vniformi diſpoſitioni correſpondet propria menſura, quæ eſt tempus: inter cuius quæcunque duo inſtantia imaginata poſſet tantus fluxus, ſiue motus intercipi, & ita ſi tempus dicitur menſura motus, ſiue fluxus, illa vniformis exiſtentia habebit tempus: licèt non vniformiter actuale poſitiuum, ſed potentiale, & priuatiuum. Vnde intellectus habens notitiam temporis actualis, & poſitiui, applicando eam ad iſtam durationem vniformem, poteſt cognoſcere quantitatem ipſius, ſcilicet quòd tantam haberet poſitiue, ſi eſſet tempus poſitiuum.

Quies quomodo menſuratur tẽpore? Vide 2.d.q.4.& 11.

Dimenſio priuatiua menſurat partes permanẽtes ſicut mora priuatiua, partes ſucceſſiuas.

Conſimiliter eſt in propoſito de diſtantia in loco poſitiua & priuatiua: ſicut mora 10.
priuatiua menſurat partes alicuius ſucceſſiuas: ſic dimenſio priuatiua menſurat partes permanentes, & hoc, quia priuatio æquatur habitui ſuo modo. Vnde illud argumentum poteſt adduci pro propoſito confirmando, & hoc ſic: poſſibile eſt diſtantiã aliquam eſſe inter aliqua, quaſi ſecundùm tempus, licèt non ſit inter illa tẽpus poſitiuum intermedium: hoc eſt poſitiua menſura motus, ſed ſufficit quòd ſit tempus potentiale, vel priuatiuè acceptum, ad hoc vt ſit diſtantia inter illa, quaſi temporalis, ſecundùm quam hoc dicitur eſſe poſterius, vel prius illo: igitur à ſimili de loco, & diſtantia locali.

Si arguitur contra hoc, quòd diſtantia non poteſt eſſe, niſi ſit aliquid, in quo ſit illa diſtantia, & hîc nihil eſt: quia nullum eſt medium.

Diſtantia formaliter eſt reſpectus inter extrema.

Poteſt dici, quòd diſtantia formaliter importat reſpectum inter extrema, reſpectus autem eſt in vno extremo, & ad aliud ſicut ad terminum: hîc autem eſt dare vtrunque terminum poſitiuum, licèt non ſit medium poſitiuum, & ſi ex ſolo primo iſtorum diceretur habitudo poſitiua, poſſet concedi, quòd hîc eſſet diſtantia poſitiua, ſed ſi vltra hoc requiratur, quòd medium ſit poſitiuum, tunc ſaltem ſaluatur propoſitum: quia hîc eſt diſtantia priuatiua, & poſitiua potentialis, ſed non actualis.

SCHOLIVM.

Dari poſſe hunc locum, & hoc corpus, quod tamen illo non locatur; quia ſi eſt in alio loco non poteſt naturaliter in iſto eſſe. *Hæc concluſio patet ex ſecundo articulo. Obiicit non poſſe eſſe hunc locum ſine hoc contento, quia locus non eſt ipſa ſuperficies, ſed reſpectus eius ad contentum. Remanere eundem locum variatis locatis, quod intellige æquiualenter; quia locus eſt immobilis, id eſt, locali mutatione immutabilis, & quo ad diſtantiam à polis mundi, per inde eſt continere vnum vel plura locata. Vide Doctorem 2.d.2. qu.6. à num.6. vbi rem hanc ſubtiliſsimè explicat, & 4. Phyſic.*

Dari poſſe hoc corpus, & hunc locum qui illud non cõtineat.

DE tertio patet, [k] quòd ſi hoc corpus non ſit huic loco præſens, non circumſcribitur iſto loco: igitur non habet *vbi* in hoc loco: ſi etiam non eſt huic loco præſens ſecundùm curſum naturæ eſt in alio loco, & ſecundùm naturam non poteſt ſimul habere duo *vbi*: ergo non habet hoc *vbi* & tamen iſte locus manet: quia hoc vltimum corporis continentis, & hoc patet in ſecundo articulo.

Contra hoc [l] locus importat rationem continentis: quia ſuperficies abſoluta circumſcripta ratione continentis non habet rationem loci. Nunc autem *continere*, cùm dicat reſpectum, non videtur manere, niſi ſit ad eundem terminum: igitur quando continetur aliud, & aliud, non videtur manere idem locus, ſed quando corpus non eſt præſens huic loco, non eſt idem contentum.

Reſpondeo

Respondeo 4. *Phys.* vult Philosophus, quòd idem locus maneat succedentibus sibi inuicē corporibus, ex hoc patet, quòd nō est alius locus, si aliud locatū contineat: quādo igitur arguitur de relatione continentis ad cōtentū, cōcedi potest quòd locus vltra superficiem addit relationem continentis, vt intelligitur per illud, quod dicitur in definitione *vltimum continentis*, hoc est, proximum, & inmediatum continens & tunc consequenter dicendum est, vel quòd variato contento non variatur relatio in alio extremo: & hoc eodem modo, quo respicit illud extremum: quia respicit pro extremo per se contentum in communi, & non hoc signatum; vel potest dici, quòd variato contento variatur relatio ipsa correspondens, & ita est aliud & aliud continere respectu alterius, & alterius contenti, sed non variatur extremum relatum, quia idem est continens, & ita idem locus. Exemplum huius: corpus habens albedinem, si secundùm eam est simile multis, multas habet similitudines, quia similitudo numeratur termino numerato, sed tamen ipsum non est multa similia, sed vnum simile: sicut habens multas scientias est vnum sciens, quia concretum non numeratur ad solam numerationem formæ, sed oportet quòd cum hoc sit numeratio suppositi habentis formam. *Tex. co. 17. 21. & 36.* *2. Phy. tex. 41.*

COMMENTARIVS.

3. k DE tertio principali, scilicet si possibile sit hoc corpore, & hoc loco manentibus, sed hoc corpore huic loco non præsente, quòd hoc corpus non habeat hoc *vbi*. Dicit Doctor quòd tale corpus non præsens illi loco, non habet *vbi* in illo loco, quia non circunscribitur illo loco. Tum etiam, quia si non est huic loco præsens secundùm cursum naturæ est in alio loco, & secundùm naturam non potest simul habere duo *vbi* adæquata tum, quia de inadæquatis non est impossibile, vt patet *in secundo, dist.* 2. de loco Angelorum. Vide ibi aliqua bona dubia. Si ergo corpus non præsens huic loco habet *vbi* in alio loco, sequitur quòd non habebit *vbi* in isto loco, cui non est præsens, aliter secundùm cursum naturæ haberet duo *vbi* adæquata, quia ab vtroque loco perfectè circunscriberetur. Et quando loquitur hîc de loco, non loquitur de loco formali, qui est circunscriptio, sed loquitur de loco materiali, id est, de vltima superficie corporis continentis, & si non est præsens illi superficiei non habebit *vbi* positiuum in illa superficie, siue non erit à tali superficie circunscriptum. Et addit Doctor quòd manet iste locus; quia manet vltimum corporis continentis. Respondet tacitæ obiectioni, quia fortè diceretur, si hoc corpus non est præsens huic loco, talis locus non maneret, sed si maneret, hoc corpus esset in illo loco, sed ipso corpore non præsente, locus non maneret. Et ideò dicit Doctor quòd ipso corpore non præsente adhuc manet locus, quia manet vltima superficies corporis continentis. *Vide in 2. sent. dist. 2. aliqua bona dubia.*

4. l *Contra hoc.* Doctor probat, quòd si corpus non continetur, non erit locus, quia locus importat rationem continētis, &c. Vult ergo ex ista ratione, quòd si locus *A* successiuè contineret *B* & *C* quòd non esset idem locus respectu *B* & *C*, si esset præcisè vnus locus respectu *C*, & alius respectu *B*, & quàm primum *B* recedit à loco illo non est amplius ille locus; licèt *C* in eodem instanti subintret in eandem superficiem, quia superficies illa nunquam dicitur locus, nisi includendo respectum ad contentum, & quia quando continet *B*, habet vnum respectum ad *B*, sequitur quòd *B* recedente, qui est terminus illius, cuius non erit amplius ille locus.

Respondet secundùm intentionem Philosophi 4. physic. quòd semper manet idem locus, loquendo præcisè de loco materiali, & vult quòd vltima superficies, etiam absolutè sumpta, dicatur locus, scilicet materialis. Vult enim quòd idem locus manet succedentibus sibi inuicem corporibus, quia quando vnum corpus subintrat aërem, & actu facit distare latera aëris continentis, & sic illa superficies vltima aeris continentis habet rationem loci materialis, & si mille corpora successiuè subintrarēt illam superficiem, semper manente illa superficie, manet idem locus materialis. Tamen non manet idem locus formalis, qui est respectus continentis ad contentum, qui respectus fundatur immediatè in vltima superficie continentis, & terminatur ad corpus contentū, & ideò nō manēte tali corpore præsente illi superficiei, corrumpitur ille respectus, qui fundatur in superficie. Et sic concedo quòd variantur illi respectus continentis ad variationem contentorum. Si etiam volumus tenere quòd manet etiam idem locus formalis, accipiendo locum pro respectu continentis ad contentum, dicit Doctor quòd hoc modo sustinere, quòd licèt respectus singulares fundati in eadem superficie continente varientur ad variationem contētorū, tamen nō variatur respectus absolutè sumptus continentis ad contentum, quia continens formaliter non respicit pro per se termino hoc, vel hoc contentum; sed respicit contentum absolutè, & in communi, & quia semper in tali superficie continetur aliquod corpus, ideò semper manet idem locus, quia semper manet idem continens formaliter, non idem numero, quia ille respectus continentis variatur variato contento, sed manet idem continens in communi. Tamen prima responsio videtur melior, & realior, scilicet, quòd maneat idem locus materialis, quantūcunque succedant sibi inuicem corpora, & hoc est magis ad intentionem Philosophi, & etiam magis ad intentionem Doctoris, tamen vtraque via est sustentabilis, &c. *4. phys. con. t. 17. 21. & 36.* *Quid cōtinēs respiciat.*

SCHOLIVM.

Quoad primum articulum, prima conclusio est; non posse hoc corpus esse quantitatiuè præsens huic loco sine aliquo corpore, quin habeat hoc vbi, *quia circunscribi est ita esse præsens loco. Mouet dubium, quòd* vbi, *videtur esse respectus quod tamen videtur esse falsum, quia secundùm Philosophum ad relationem non datur per se motus: qui tamen datur ad* vbi, *ex eodem. Respondet esse respectum extrinsecus aduenientem, vt sunt omnia sex vltima Prædicamenta, & Philosophum loqui de relatione quarti Prædicamenti. Ponit differentiam inter intrinsecos, & extrinsecos. De quo latè 4. d. 13. q. 1. & d. 6. q. 10. & d. 1. q. 1.*

DE quarto [m] videtur quòd posset esse ibi triplex intellectus. Primus, quòd hoc corpus modo quantitatiuo sit præsens huic loco sine alio corpore sic præsente. Alius intellectus, quòd simul cum alio præsente sit hoc modo præsens. Tertius intellectus, quòd sine modo quantitatiuo sit huic loco præsens. 12.

Circũscriptio est esse præsens loco quantitatiuè.

De primò planum videtur quòd talis præsentia non potest esse sine *vbi*, sicut non potest poni sine circunscriptione passiua corporis à loco: quia circumscriptio illa non videtur aliquid ponere vltra hoc, quod est corpus, esse præsens huic loco modo quantitatiuo, scilicet tanquam coëxtensum & commensuratum.

Digressio. Tex. 10. Tex. 17. & inde. Tex. 9. & inde.

Sed hoc est dubium: quia ista circunscriptio, vel præsentia non videtur dicere aliquid nisi respectum formaliter, & per consequens ipsum *vbi* nihil esset formaliter nisi respectus: hoc consequens videtur falsum: quia secundùm Philosophum 5. & 7. *Phys.* ad relationem non est per se motus, sed secundùm Philosophum 2. *Phys.* motus est per se in Genere *vbi*.

n Si dicitur, quòd *vbi* per se importat absolutum, & respectum, & per illud absolutum quod importat, distinguitur ab aliis Generibus, quæ similiter important respectus, sed determinatos per determinata fundamenta.

Absolutũ & respectus non faciunt per se vnũ.

Contrà: absolutum, & respectus non faciunt per se vnum conceptum; sed cuiuscunque Generis est conceptus per se vnus; ergo, &c. Nec absolutum per se contrahit respectum ad tale Genus, vel ad talem Speciem in tali Genere, propter idem medium: quia non facit per se vnum conceptum cum illo.

Similiter [o] ex eodem medio potest argui vlterius, quia accipiatur vterque istorum conceptuum per se; vterque, si est communis, est dicibilis de pluribus in *quid*: ergo vtrobique ascendendo status est ad vnum conceptum cõmunissimum per se dicibilem de pluribus, & tunc in vtroque processu stabitur ad conceptum proprij Generis in illo processu. 13.

Sex vltima Prædicamenta sunt respectus, nõ de Genere Relationis, de quo 4. d. 13. q. 1.

Hìc dici potest: [p] quòd, si secundùm communiter dicta, saluanda sit distinctio decem Generum: & per consequens sex Genera vltima non contineantur sub Genere Relationis, cùm non appareat quòd importent formas absolutas: nec simul important absolutum, & respectum, vt argutum est: consequens est dicere, quòd sint essentialiter respectus: nec tamen de Genere Relationis: igitur oportet distinguere inter respectum, & respectum, etiam distinctione secundùm Genus. Potest autem distinctio respectuum, quos important illa sex Genera ab illo respectu, qui propriè dicitur Relatio, quæ est quartum Genus, accipi ex illo dicto communi, quo dicuntur respectus de Genere Relationis esse respectus intrinsecus aduenientes: respectus autem illorum sex Generum extrinsecus aduenientes: hoc potest intelligi sic, nullus respectus sic intrinsecè aduenit absoluto, quòd conueniat ei secundùm se, siue ad se: quia tunc non esset respectus: de ratione enim respectus est, quòd sit vnius ad alterum: ille igitur respectus dicitur intrinsecus adueniens, qui necessariò consequitur fundamentum, posito termino: quia non potest esse respectus magis intrinsecus absoluto, & per oppositum, ille est extrinsecus adueniens, qui non necessariò consequitur fundamentum, etiam posito termino.

Quomodo differũt respectus extrinsecus, & intrinsecus. Vide in 4. d. 13. q. 1.

Ad relationẽ nõ est per se motus, bene tamen ad respectus extrinsecos.

Si ista sint vera: responderi potest ad illam auctoritatem Philosophi 5. *Physic.* quòd neget motum ad relationem propriè dictam, quæ pertinet ad quartum Genus, non autem ad quemcunque respectum pertinentem ad aliquod sex Generum, imò concedit ibi motum esse in *vbi*: qui communiter non dicitur esse motus ad formam absolutam: quia *vbi*, vt videtur, non est forma absoluta, sed respectus corporis contenti ad locum continentem. 14.

Ratio

Ratio autem differentiæ q relationis ab aliis respectibus, in non terminando motum, videtur esse, quia ex quo relatio necessariò consequitur extrema posita, nunquam potest ipsa acquiri per se, sed tantummodò per accidens, alio, scilicet absoluto acquisito in altero relatorum, & talia, quæ non acquiruntur nisi per accidens, scilicet alio acquisito, negat Philosophus *in* 5. *Phys.* per se terminare motum: respectus autem non necessariò consequens extrema, potest habere propriam nouitatem absque nouitate vnius, vel alterius extremi, & ideò potest habere propriam acquisitionem: nam ita videtur esse de *vbi*: quia potest Deus conseruare idem locabile, & eundem locum: & tamen non manebit eadem circumscriptio: quia corpus est absens ab illo loco: & hoc etiam potest natura facere, ponendo aliud corpus præsens illi loco: non igitur ista extrema, *locum*, & *locabile*, necessariò consequitur ipsum *vbi*, & ideò potest esse nouum nouitate propria, & acquiri corpori, nullo absoluto acquisito, nec corpori, nec ipsi loco.

Vide in 1 d.2.q.5. & d.5.q.1.

Tex. 10. & inde.

Quare relatio nõ potest per se terminare motum.

r Sed si acquiratur quomodo potest acquisitio respectus esse successiua, nisi successio ponatur in aliquo absoluto?

Diceretur, quòd corpus successiuè secundùm partẽ aliã, & aliã fit præsens eidem parti loci. Similiter corpus secundùm eandem partem fit successiuè præsens alij, & alij parti loci: ita quòd tam ex diuisibilitate corporis, quàm loci, sequitur diuisibilitas circunscriptionis corporis à loco, & diuisibilitas successiua, quando pars post partem acquiritur. Non est ergo diuisibilitas in respectu sine diuisibilitate in absoluto, sed est successio in respectu, qui est circunscriptio, sine successione in forma absoluta corporis, vel loci.

COMMENTARIVS.

m *DE quarto principali*, scilicet si hoc corpore, & hoc loco manentibus, & hoc corpore huic loco, scilicet materiali præsẽte, possibile esset hoc corpus non habere hoc *vbi*; sine illo loco materiali non circunscribi. Dicit Doctor quod hoc potest tripliciter intelligi. Primò, quod hoc corpus modo quiditatiuo sit præsens huic loco sine alio corpore sic præsente; corpus enim esse præsens loco materiali modò quantitatiuo, est quod corpus commensuraretur illi superficiei; ita quòd totum corpus correspondeat toti illi superficiei, & pars corporis parti superficiei. Secundùm quòd ipse exponit in quarto, distinctione 10. vide ibi. Secundò potest intelligi, quòd hoc corpus sit præsens loco materiali secundùm modum quantitatiuum & quòd aliud corpus sit simul præsens eidem loco materiali secundùm modum quantitatiuum. Tertiò potest intelligi, quòd hoc corpus sit præsens huic loco, non tamen secundùm modum quantitatiuum, sed quòd absolutè sit præsens.

Corpus potest intelligi tripliciter.

De primo dicit, quòd planũ videtur, quòd talis præsentia nõ potest esse sine *vbi*, scilicet passiuo, sicut non potest poni sine circunscriptione passiua corporis à loco, quia circunscriptio illa non videtur aliquid ponere, vltra hoc, quòd est corpus esse præsens huic loco modo quantitatiuo, scilicet tanquam coëxtensum, & commensuratum. Circunscribi enim corpus à loco nihil aliud est, quàm ipsum corpus commensurari loco, sic quòd circunscribi propriè dicit respectum totius contenti ad totum continens, & partium contenti ad partes continentis, siue dicit respectum totius correspondentis toti, & partium correspondentium totius ad partes continentis. De hoc vide Doctorem *in* 4. *distinct.* 10. Et breuiter circunscriptio passiua, siue respectus commensurati ad locum, cui commensuratur, nihil aliud importat, nisi ipsum *vbi* formaliter, quod est respectus contenti circunscriptiuè terminatus ad vltimam superficiem continentis, siue circunscribentis, & similiter *vbi* actiuum nihil aliud est, quàm respectus siue relatio fundata in vltima superficie continentis circunscriptiuè, & terminata ad corpus contentum, siue circunscriptum.

n Si dicatur, quod *vbi* per se importat, &c. quia alij, & alij respectus secundùm speciem habent alia, & alia fundamenta, vt patet de æqualitate, quæ fundatur super quantitate, similitudo super qualitate, & sic discurrendo de aliis.

6.

5. & 7 *phy.t.* 10. & *t.*17. & *inde*, & 5. *phy.tex.*9. & *inde.*

Contra. Doctor improbat hanc responsionem supponendo vnum, scilicet quòd *vbi* sit per se in aliquo genere, & in genere determinato, modo si *vbi* importaret per se absolutum, & respectiuum non esset vnus per se conceptus, quod tamen requiritur, vt possit per se esse in genere, vt sæpiùs expositum est: ex absoluto enim & respectiuo non fit per se vnum, nec similiter absolutum contrahit respectum ad talem speciem in tali genere, quia contrahens per se aliquid ad constituendum tertium semper ex contrahente, & contracto constituitur vnum per se, vt patet quando rationale per se contrahit animal ad hominem, tunc ex animali, & rationali fit homo per se; sed ex absoluto, & respectiuo, vt dictum est, non fit vnus per se cõceptus; ergo absolutum non per se contrahit respectiuũ, & tamen si ex respectiuo, & absoluto, vnus per se constitueretur conceptus, oporteret vel quòd absolutum contraheret per se respectiuum, vel ècontra, & in proposito oporteret ponere quòd absolutum contraheret per se respectiuum, quia ponitur quòd respectiuum *Vbi* distinguitur per absolutum (quòd per se includit) ab aliis generibus respectiuis.

o *Similiter ex eodem medio potest argui*, &c. Vult dicere Doctor quòd ex quo conceptus absoluti semper ascendendo prædicatur in *quid*, prædicatur de omni absoluto in eodem genere, vt patet in genere Substantiæ, & Quantitatis,& Qualitatis; similiter conceptus respectiui semper ascendendo in eodem genere, prædicatur in *quid*, de omnibus inferioribus illius generis, & sic sequitur quòd conceptus absoluti non potest per se contrahere conceptum receptiui; patet, quia si conceptus alicuius communis absoluti, vt conceptus albedinis per se contraheret conceptum communem alicuius respectiui, puta conceptum respectiui ad *vbi*, qui conceptus respectiuus verè dicitur in *quid* de conceptu respectiuo *vbi*. Tunc multa sequerentur inconuenientia, sequeretur primò quod absolutum esset de essentia respectiui quiditatiuè, sicut patet, de differentia per se contrahente genus, quæ ponitur de essentia speciei, & multa alia sequerentur, quæ breuitatis causa omittuntur.

7. p *Hîc dici potest*. Hîc Doctor tenendo quòd decem sint Genera, ostendit quomodo 6. genera, scilicet *Actio*, *Passio*, *Situs*, *Quando*, *Habitus*, & *Vbi*, distinguantur à genere Relationis, quæ ponitur quartum genus. Et dicit quòd distinguuntur, quia sunt respectus extrinsecus aduenientes,& quartum genus est respectus intrinsecus adueniens, qui respectus sæpè declarati sunt à Doctore & sic hîc non oportet aliter insistere.

Hac distinctione præmissa de respectu intrinsecùs & extrinsecùs aduenientibus, respondet ad auctoritatem Philosophi, ad quam etiam in multis aliis locis respondet. Dicit ergo, quòd licèt Philosophus neget motum ad Relationem propriè dictam, quæ pertinet ad quartum genus,non autem ad quemcunque respectum pertinentem ad aliquod sex generum, imò concedit ibi motum esse in *vbi*, qui communiter non dicitur esse ad formam absolutam, quia *vbi* (vt videtur) non est forma absoluta,sed respectus corporis contenti ad locum continentem, licèt aliqui velint, quòd *vbi* nihil dicat vltra superficiem continentem, vt Gregorius Ariminensis,& multi alij Nominales, quos improbaui in secundo, dist. 2.

q Nunc assignat rationem, quare respectus sex generum possunt distingui à respectu quarti generis in terminando, vel non terminando motum. Dicit, quòd ex quo relatio intrinsecus adueniens, necessariò consequitur extrema posita, &c.

Et hoc etiam potest natura facere, ponendo aliud corpus præsens illi loco, & tunc manebit idem locus materialis, qui priùs, & corpus quod priùs manebit, & tamen non erit circunscriptum ab illo loco, quia tunc circunscribitur aliud corpus. Dico etiam quod manente eodem corpore, etiam contento ab eadem superficie, non manente tamen modo quiditatiuo; quòd adhuc Deus potest facere quòd tale corpus non habeat *vbi* circunscriptum, vt probat Doctor *in quarto, dist.* 10. & hoc dixi ad euitandum hoc, scilicet quia fortè diceretur quòd stante perfecta approximatione, & præsentia corporis loco materiali, quòd necessario oriretur *vbi* quod ponitur respectus, & sic *vbi* per se acquiri non posset. Auctoritas Philosophi, licèt hîc aliqualiter sit exposita,tamen vide in tertio dist.prima, qu. prima, vbi eam prolixè exposui similiter vide in secundo.

r *Sed si quæratur*. Deinde mouet aliud dubium, scilicet quomodo potest respectus acquiri per motum, & per consequens successiuè nisi ponatur successio in aliquo absoluto. Dicit, quòd corpus successiuè secundùm partem aliam, &c.

Et quomodo hæc litera clarè intelligatur,eam diffusè exposui in secundo,d. 2. de loco Angelorum.respondendo ad argumenta Gregorij contra Doctorem vide ibi multa singularia dubia. *Vbi sit expositio litera.*

SCHOLIVM.

Secunda conclusio quarti articuli. Corpus præsens huic loco quantitatiuè, simul cum alio sic præsente habet vbi *in hoc loco. Primò, aliàs locus eo casu esset vacuus. Secundò, altero ablato alterum habet* vbi *non nouum, sed antiquum. Soluit optimè, & clarè obiectiones contra hoc.*

DE secundo [a] intellectu in isto articulo, scilicet an hoc corpus haberet hîc *vbi*, si simul cum ipso hîc esset aliud corpus modo extenso. Videtur posse dici, 15. quòd tunc hoc corpus non haberet hîc *vbi*: quia pari ratione aliud corpus haberet hîc *vbi*, non possunt autem esse duo *vbi* eiusdem loci, quia vnius loci vna circunscriptio.

Locatum facit distare latera cōtinentis. Item, corpus locatum facit latera continentis distare,sed hoc corpus,quod aduenit secundo huic loco,non facit latera eius distare,imò iam per aliud corpus,quod priùs fuit hîc, fuit distantia inter latera.

Et confirmatur: quia si vtrunque facerent latera distare: igitur vtrunque esset medium inter ista distantia; sed vbi est aliud, & aliud medium per se, ibi videtur esse alia, & alia distantia, & ita inter eadem latera eiusdem loci esset duplex distantia.

Corpus penetrans aliud est in eodem vbi cum illo. Potest tamen dici, quòd in isto intellectu vtrunque corpus haberet *vbi* in hoc loco, quia cum vtrunque ponatur hîc, sicut contentum coëxtensum, & commensuratum, vel vtrunque erit locatum, quod est propositum, vel neutrum; & tunc est locus

locus iste vacuus, in quo ponuntur esse duo corpora modo extensiuo, quod nullus diceret. Similiter vtroque istorum amoto, altero remanente, illud remanens habebit hic *vbi*, sed non alium modum habebit hic ex parte sui ad locum continentem, quàm modò habeat.

Istud patet per oppositum de Angelo: b quia si Angelus sit simul cum corpore, non habet propriè *vbi* in isto loco, in quo corpus coëxistens habet propriè *vbi*, quia Angelus non est ibi coëxtensus, & commensuratus illi loco: nec replet illum locum, vnde si corpore amoto solus Angelus ibi maneret, locus ille propriè diceretur vacuus. Opposita istorum sunt vera de corpore coëxistente alteri corpori. *Quare Angelus existẽs in corpore, nõ habet ibi vbi.*

Et si quæras, quomodo potest locus iam plenus iterum repleri?

Respondeo ad hoc, & ad obiectiones pro alia parte.

Ad primam secundùm istam viam c quæ ponit in eodem supposito, & fundamento posse esse plures respectus eiusdem rationis ad diuersos terminos, concedendum est, quòd eidem loco potest competere alia, & alia circumscriptio actiua; & potest sibi in alio, & alio corpore alia; & alia circumscriptio passiua correspondere. *Eidem loco conueniunt plures locationes.*

Ad aliam: facere latera distare d potest intelligi dupliciter; vel effectiuè, & sic agens distendens latus à latere facit ea distare, vel quasi formaliter, & sic medium interceptum dicitur facere distare. Et hoc secundo modo concedendum esset, quòd vtrunque corpus hîc extensiuè existens facit latera huius loci distare, quia vtrunque est medium inter extrema. Primo autem modò neutrum corpus facit latera distare, sed ipsum agens, quod primò diuidit hoc latus ab illo: & per hoc etiam patet quomodo vtrunque replet: quia non effectiuè, sed formaliter: non enim est maius inconueniens locum plenum repleri de nouo, aliquo replente formaliter, quàm continens vnum sibi commensuratum de nouo continere aliud simili modo continendi. *Vtrunque corpus penetrantium facit distare latera cõtinentis.*

16. Ad confirmationem illam diceretur, quòd accipiendo distantiam pro illa habitudine, quæ est in vno distante ad alterum, vt ad terminum, non est nisi vna distantia inter eadem extrema, siue sint plura media, siue vnicum: nec illa est vera, hoc modo loquendo de distantia, quòd vbi est aliud per se medium, ibi est alia per se distantia, nisi intelligatur aliud per se medium: hoc est, aliud necessariò requisitũ, tanquam mediũ distantiæ: sed in proposito nõ requiritur illud tanquam aliud. Si autem distantia acciperetur alio modo pro dimensione media inter extrema, quæ distant: concedendum esset, sic loquendo, quod inter latera continentis duo corpora est duplex distantia. *Inter latera continẽtis duo corpora est duplex distãtia vno sensu, alio sensu non.*

COMMENTARIVS.

8. a DE *secundo intellectu in isto articulo.* Dicit Doctor quòd si vtrunque corpus esset in eadem superficie modo extenso, quòd vtrunque esset in eodem loco materiali, & vtrunque haberet *vbi* proprium, ita quòd vtrunque haberet propriam circumscriptionem passiuam, accipiendo *circumscriptionem passiuam* pro respectu circumscripti ad locum circumscribentem. Et sic similiter in superficie circumscribente essent duæ circumscriptiones actu, siue *duo* vbi actiua correspondentia duobus *vbi* passiuis. Et probat Doctor quod vtrunque haberet *vbi*, quia cum vtrunque ponatur ibi, sicut contentum, coëxtensum, & commensuratum loco materiali, vel vtrunque erit locatum siue erit in *vbi*, vel neutrũ: si primò, habetur propositum, scilicet quod sint ibi vbicaliter. Si secundò, erit ergo locus vacuus, in quo ponuntur duo corpora modo quantitatiuo, siue extenso, quod nullus diceret. Similiter vtroque isto amoto altero remanente illud remanens habebit hîc *vbi*, ergo & nunc habet *vbi* alio simul manente; patet, quia vt manet cum alio corpore, simul non habet in loco alium modum manendi, quàm habeat quando solum manet alio corpore non manente, quia ita habet modum quantitatiuum cum alio corpore, sicut quando manet non cum alio corpore.

b *Istud patet per oppositum de Angelo.* Hic intendit probare quòd si neutrum esset in *vbi*, quòd locus esset vacuus. Et probat per oppositum de Angelo, quia si Angelus sit simul cum corpore, non habet propriè *vbi* in isto loco, scilicet materiali, puta, in quo corpus coëxistens habet propriè *vbi*, &c. *Locus ille propriè diceretur vacuus*, quia nullo corpore repletus, nec est natus repleri, nisi aliquo corpore, *opposita istorum sunt vera de corpore coëxistẽte alteri corpori*, scilicet quòd corpus coëxistens, & est coëxtensus loco, & secundo replet locum: quia verò Angelus, etsi sit in loco, non est coëxtensus; nec replet alium locum, ideò non est in *vbi* propriè, scilicet circumscriptiuè, & per consequens locus ille natus recipere corpus esset vacuus. 9. *An locus sit vacuus.*

Cùm ergo corpus coëxistens alteri corpori in eodem loco materiali coëxtendatur loco, & repleat eum, si ibi non esset localiter, tunc talis locus esset vacuus?

An duo corpora sint in eodem loco.

Doctor instat probando primò quòd illa duo corpora in eodem loco non habeant *vbi*, quia nõ possunt esse duo *vbi* respectu eiusdem loci, quia vnius loci vna circunscriptio.

c Respondet quòd non est inconueniens in eodem loco materiali posse esse duas circunscriptiones actiuas terminatas ad duo corpora contenta, vt ad duos terminos, & similiter in alio, & alio corpore ibi contento est alia, & alia circunscriptio passiua, siue aliud, & aliud *vbi* passiuum. Sicut etiam in eodem albo possunt simul esse plures similitudines terminatas ad diuersa alba, vt ad diuersos terminos, & quodlibet album includit propriam similitudinem terminatam ad idem album, sic in proposito.

Secundò instat, quia corpus locatum facit latera continentis distare, sed hoc corpus, quod aduenit secundo, non facit latera eiusdem distare, imò iam per aliud corpus, quod priùs fuit hîc, fuit distantia inter latera. Et confirmatur, quia si vtrunque faceret latera distare, igitur vtrunque esset medium inter ista distantia. Sed vbi est aliud, & aliud medium per se, ibi videtur esse alia, & alia distantia, & ita inter eadem latera eiusdem loci esset duplex distantia.

d Respondet Doctor quòd *facere latera distare potest dupliciter intelligi, vel effectiuè, & sic agens distendens latus à latere facit distare, vel formaliter, & sic medium interceptum facit formaliter distare.* Exemplum, proiiciens lapidem in aëre, vel aqua proiiciendo facit latera aëris, vel aquæ distare effectiuè, sed lapis subintrans facit formaliter distare. Sicut etiam producens albedinem in subiecto priùs nigro, effectiuè expellit nigredinem; sed albedo producta formaliter expellit nigredinem, quia est forma incompossibilis nigredini. *Secundo modo concedendum esset quòd vtrunque corpus hîc* scilicet, in loco materiali *extensiuè existens facit latera huius loci distare*, &c. *Sed ipsum agens, quod primò diuidit hoc latus ab illo*, & tunc diuidit, quando facit illa corpora esse simul in tali loco, vel saltem vnum. *Et per hoc patet etiam quomodo vtrunque replet*, &c. Vult inferre Doctor quòd si tu concedis quòd duo corpora possunt simul replere eundem locum, ita quòd sicut vnum perfectè replet, & aliud similiter, quod etiam habes concedere quòd idem locus possit vtrunque continere localiter, cum non sit maius inconueniens primum, quàm secundum.

10. *Facere latera distare potest intelligi dupliciter.*

Nota.

SCHOLIVM.

Tertia Conclusio: Corpus præsens non quantitatiuè non habet propriè vbi, *quia hoc est secundùm se diuisibile, est tamen impropriè in* vbi, *sicut Angelus, quia indistans seu quocunque modo contentus in hoc spatio.*

Vbi propria conuenit tantùm diuisibiliter se habenti.

DE tertio intellectu in isto articulo, scilicet quòd si hoc corpus esset præsens huic loco, sed non modo quantitatiuo, hoc est, non tanquam coëxtensum loco, nec commensuratum Potest dici, quòd tunc propriè non haberet *vbi* in hoc loco: quia propriè *vbi* est forma secundùm se diuisibilis, cùm secundùm eam per se posset esse motus; & ideò non conuenit alicui, nisi diuisibili, & per modum diuisibilis se habenti, corpus autem, quod non coëxtenditur loco, sed est totum præsens cuilibet parti illius loci, non habet modum diuisibilis in comparatione ad locum; nec per consequens habet *vbi* propriè respectu eius: extendendo tamen *vbi* ad talem præsentiam simplicem, secundùm quam Angelus dicitur esse hîc, sic concedendum esset, quòd corpus præsens, secundùm istum intellectum diceretur impropriè habere *vbi*, nam verè est hic præsens non circunscriptum. 17.

Ad argumentum principale; si illa maior, quæ accipitur, vera est, non habet veritatem nisi de relatione propriè dicta: respectus autem, quem importat *vbi* non est talis. Istorum autem declaratio patet ex dictis in tractando primum intellectum in quarto articulo principali.

COMMENTARIVS.

11. *Dubia notanda.*

IN quæstione ista occurrunt aliqua dubia. Et primò in hoc: *Non potest aliquod corpus esse præsens modo quantitatiuo alicui loco materiali puta alicui superficiei continentis sine* vbi.

Secundò dubitatur in hoc, quòd *absolutum, & respectiuum non possunt facere vnum per se conceptum.*

Tertiò dubitatur in hoc, quòd *respectus intrinsecus adueniens dicitur ille, qui necessariò consequitur fundamentum posito termino, quia non potest respectus magis intrinsecus esse absoluto.*

Quartò dubitatur in hoc, quòd *respectus extrinsecus adueniens est ille, qui non necessariò consequitur fundamentum posito termino.*

Quintò dubitatur in hoc, quòd *respectus intrinsecus adueniens non potest habere propriam nouitatem per se, nisi prius aliquo absoluto prius acquisito in altero relatorum, & per consequens tantùm dicitur per accidens acquiri,* quia

quia præcisè acquiritur alio absoluto prius acquisito.

Sextò dubitatur in hoc, quòd *respectus extrinsecus adueniens potest habere propriam nouitatem absque nouitate vnius, vel alterius extremi.*

Septimò dubitatur in hoc, quòd *potest esse acquisitio respectus esse successiua absque successione in aliquo absoluto.*

Octauò dubitatur in hoc, vbi *propriè est forma secundùm se diuisibilis cùm secundum eam per se possit esse motus.*

13. *Duplex relatio intrinsecus adueniens, & extrinsecus adueniens.* Contra primum dictum instatur sic; & pono quòd sit corpus pedale, quòd actu contineatur in superficie pedali, ita quòd totum sit perfectè præsens illi superficiei, & pars parti, & hoc modo erit in illa superficie secundùm modum quãtitatiuum, quia ibi est correspondentia totius ad totum, & partium ad partes. Tunc quæro, aut necessariò est in *vbi*, aut non. Si primò, ergo sequitur quòd illud *vbi* non erit respectus extrinsecus adueniens cùm necessariò oriatur positis fundamento, & termino. Si secundò, sequitur propositum videlicet, quòd erit in loco materiali, siue continebitur in vltima superficie continentis, & modo quantitatiuo, & tamen non erit in loco formali, siue *vbi*. Si dicatur, quòd quamuis non sit in *vbi* necessariò absolutè positis fundamento, & termino, tamen posita coextensione, siue commensuratione vnius ad aliud, tunc est in *vbi* necessariò. Contrà: Tum, quia illa coëxtensio siue commensuratio, aut est quid respectiuum, aut præcisè dicit vtrũque extremum. Si primò, quæro de illo respectu, aut est extrinsecus adueniens, aut intrinsecus: si primò, ergo non sequitur necessariò ad fundamentum posito termino, & similiter *vbi* sequens non erit respectus intrinsecus, & per consequens poterit non esse etiam stante illa coëxtensione, aut erit intrinsecus, & sic ipsa posita, vt respectu intrinseco adueniente necessariò ponitur *vbi*, & tunc sequitur quòd necessariò priùs ponitur respectus intrinsecus, quàm ponatur extrinsecus. Tum etiã, quia si posita necessariò tali coëxtensione, necessariò ponitur *vbi*, sequitur quòd vbi non erit respectus extrinsecus cum necessario oriatur ex natura rei. Si secundò ponatur illa commensuratio prout præcisè dicit vtrunque extremum, aut tunc ponitur vbi necessariò, ergo non est respectus extrinsecus, aut non necessariò, ergo poterit esse perfecta continentia, & coextẽsio vnius ad aliud sine *vbi*; quod est contra conclusionem, in qua ponitur, quod est impossibile corpus contineri in loco materiali modo quantitatiuo, & non esse in *vbi* formali.

Secundò principaliter instatur. Et pono quod Angelus possit esse in loco, puta vnius milliaris, vt in loco sibi adæquato, ita quod in maiori non possit esse, quia non ponitur Angelus præcisè in loco quantumcunque magno, quæ omnia patent *in secundo*, *distinctione secunda*, de loco Angelorum: hoc posito, quæro tunc aut Angelus est in *vbi* formali necessario, aut non; si primò, ergo tale *vbi* non erit respectus extrinsecus adueniens, quia necessario orietur ad fundamentum posito termino, nec est maior ratio de *vbi* definitiuo, quàm de *vbi* circumscriptiuo, quia vtrunque *vbi* dicit præsentiam contenti ad continens, licèt aliter, & aliter, quia vbi circumscriptiuum dicit præsentiam cum perfecta coextensione formali corporis contenti ad superficiem continentem. Sed *vbi* definitiuum dicit præsentiam absolutè, vt sic contenti ad continens. Si non est in tali *vbi* necessario, ergo erit respectus extrinsecus, & sic separabilis, stante Angelo in tali loco; hoc idem erit de corpore contento in loco materiali, quod non necessario erit in *vbi* formali. *Nota.*

Tertiò instatur sic, *vbi* circumscriptum ponitur à Doctore respectus extrinsecus adueniens, ergo posito corpore perfectè præsente superficiei continentis secundùm modum quantitatiuum, tale corpus non erit in *vbi*: Consequẽtia patet, quia respectus extrinsecus adueniens non necessario oritur positis fundamento, & termino, etiam perfectissimè approximatis, vt patet de combustione, quæ non necessario oritur posita perfectissima præsentia ignis circa combustibile, vt patet de tribus pueris in carmino ignis, & hoc est, quia talis combustio, siue actio, siue passio est respectus extrinsecus, vt patet à Doctore, sic erit in proposito: perfectissima enim præsentia corporis contenti ad superficiem continentem est, quod sit perfectè præsens secundùm se totum, & secundùm omnes partes, ita quod totum sit perfectè præsens toti, & partes corporis partibus superficiei: ergo sequitur quod stante perfecta approximatione, quod adhuc non erit *vbi*, cùm *vbi* ponatur respectus extrinsecus. 14.

Quartò instatur tenendo secundùm Doctorem & secundùm veritatem, quod *vbi* circumscriptiuum sit respectus extrinsecus adueniens, quæro tunc quando corpus locabile fit præsens superficiei continentis, siue locantis, & hoc secundùm modum quantitatiuum, & per te, necessario est in *vbi* circumscriptiuo, à quo causatur illud *vbi*, siue ille respectus? aut immediatè causatur à corpore contento, & superficie continente, & tunc quæro, aut simpliciter necessario causatur, & tunc non erit respectus extrinsecus adueniens: patet, quia per hoc ponitur à Doctore differentia inter respectum extrinsecus aduenientem, & intrinsecus aduenientem, quia intrinsecus adueniens necessario oritur posito fundamento, & termino: sed extrinsecus positis fundamento proximo, & termino non necessario oritur, sequitur ergo quod tale, *vbi* non necessario causetur à fundamento, & termino. Si causatur contingenter, contrà. Tum quia poterit esse corpus contentum in loco materiali modo quantitatiuo, & tamen non erit in *vbi*, & sic propositum. Tum, quia non videtur quòd contingenter possit causari, quia tam fundamentum, quàm terminus ponuntur causæ omnino naturales, & secundùm mod naturæ suo modo agentes ipsum *vbi*, cùm sola voluntas ponatur agens liberum. Aut ipsum *vbi* ponitur causari ab alio, quàm à fundamento, & termino, & tunc quæro de illo alio, quod non videtur assignandum, nisi dicatur quod immediatè causetur à fundamento, & termino, sed non necessario simpliciter; & absolutè, quia possunt impediri à Deo, sicut & combustio in camino ignis, &c. Contrà, quia tunc habetur intentum, scilicet, quod non necessario corpus coëxtensum erit in *vbi*, vt patet.

Quintò, & vltimo instatur sic; quia idem est iudicium de toto corpore contento, & de partibus eius, quia sicut totum corpus habet ibi vnum *vbi*, ita quælibet pars quantumcunque mini

minima necessario habebit proprium *vbi*, & sic *vbi* totius corporis erit integratum ex infinitis *vbi* partialibus, & tunc quæro, aut omnia illa *vbi* simul causabuntur, aut successiuè? non primò, patet, quia corpus incipit prius contineri secundùm vnam partem, quàm secundùm aliam, imò nunquam est perfectè, & adæquatè præsens quãto; super quo mouetur, nisi in puncto, vt patet à Doctore *in secundo, distinctione secunda, quæst.* 9. Non secundò, quia tunc illi respectus nunquam essent simul; patet, quia quando corpus intrat secundùm partem *A* & post immediatè secundùm *B*: *A* perdit respectum quem habebat, quia relinquit respectum, quem habebat ad partem priorem, cui desinit esse præsens subintrante parte *B*, & sic de omnibus aliis successiuè.

15. Respondeo ad omnes obiectiones præmittendo aliqua. Primò, quòd corpus contineri à loco materiali secundùm modum quantitatiuum, potest dupliciter intelligi. Vno modo, quòd sit præsens illi loco tantùm materialiter, ita quòd præcisè sit in tanta superficie continentis, ita quòd non excedat nec excedatur. Secundo, quòd sic sit præsens, quòd vltra hoc, quòd non excedit nec exceditur, sit etiam perfecta commensuratio, siue coëxtensio, ita quòd sicut totum est præsens toti superficiei continenti, sic pars determinata, siue signata corporis sit præsens parti superficiei signatæ, & determinatæ, & talis commensuratio passiua in corpore contento dicitur fortè *vbi* passiuum, quia commensuratio illa siue coëxtensio, videtur præcisè importare relationem ipsius contenti ad continens. Et quando Doctor dicit quòd non potest contineri modo quantitatiuo, quin sit in *vbi*; hoc dicit, quia talis continentia secundùm modum quantitatiuum nihil aliud videtur esse, quàm circumscriptio passiua, quæ propriè est *vbi* formale passiuum, sicut circumscriptio actiua est *vbi* formale actiuum.

Responsio ad omnes obiectiones.

Quid sit continentia secundũ modũ quantitatiuum.

Secundò, præmitto quòd ponendo quòd corpus perfectè coëxtendi, & commensurari superficiei non sit formaliter relatio, sed præcisè ipsa extrema commensurata, siue sic coæqualia, & æqualitas inter ea sit relatio intrinsecus aduenieñs; vel inæqualitas, adhuc ibi erit respectus extrinsecus adueniens: nec est inconueniens respectum extrinsecus aduenientem aliquo modo præëxigere respectum intrinsecus aduenientem, & patet, quia corpus locabile corpori locanti prius comparatur secundùm æqualitatem, vel inæqualitatem, & stante æqualitate, vel inæqualitate vtriusque, adhuc non sequitur *vbi*, quia bene potest esse æquale, & tamen actu non contineri, nec circumscribi.

16. Tertiò præmitto, quòd respectus extrinsecus adueniens propriè dicitur ille, qui non oritur necessariò ad fundamentum posito termino; sicut similitudo, quia positis duobus albis, quantumcunque distantibus, adhuc est similitudo: similiter posita causâ productiuâ, & ipso producto, quamuis maximè distantibus, ponitur relatio producentis ad productum, & relatio producti ad producens; & sic dico de aliis relationibus intrinsecus aduenientibus; respectus verò extrinsecus aliquando necessario oritur non ex absoluta positione fundamenti, & termini, sed ex positione fundamenti, & termini positi sub aliquo alio respectu. Exemplum, passio est respectus extrinsecus, quia posito passo, & actiuo, absolutè non sequitur in ipso passo respectus passiuus: tamen posito, quòd actiuum inducat formam in passum, & tunc oritur respectus intrinsecus adueniens, scilicet inducentis ad inductum, vt patet à Doctore in quarto in materia de Eucharistia, & tunc posita tali relatione inducentis ad inductum, & formæ inductæ in passo ad ipsum actiuum inducens, de necessitate in ipso passo oritur passio, quæ est respectus extrinsecus ad ipsum agens; respectus ergo, qui est passio dicitur extrinsecus pro quanto fundamentum, & terminus absolutè considerantur, quia vt sic, non necessariò oritur, sed præmissa aliqua alia relatione fundamenti, & termini, vt priùs exemplificaui, tunc non dicitur extrinsecus adueniens, cùm tunc necessariò oriatur. Hoc idem dico de *vbi* formali, quod est respectus extrinsecus adueniens, prout comparatur ad fundamentum, & terminum absolutè, & patet, quia stante corpore, & loco non sequitur locatio passiua, quia si ponatur corpus actu non contineri, tunc non erit locatio passiua, & tamen respectu *vbi* erunt tam fundamentum, quàm terminus, imò fundamentum proximum, & ratio proxima fundandi, quia superficies corporis quæ est ratio proxima fundandi ipsum *vbi*, vt suprà patuit. Si tamen ponatur corpus perfectè contineri secundùm coëxtensionem, & commensurationem, necessariò sequitur quòd sit in *vbi*, & vt sic, non erit respectus extrinsecus, cùm necessariò oriatur, stante tali continentia, non quòd continentia illa passiua sit formalis ratio recipiendi ipsum *vbi*, imò præcisè erit superficies corporis.

His præmissis, patet quid dicendum ad rationes contra. Ad primam, patet tenendo quòd talis præsentia, siue coëxistentia sit formaliter ipsum *vbi*. Si verò teneatur, quod non sit ipsum, patet responsio ex tertio præambulo, quia *vbi* dicitur respectus extrinsecus; prout comparatur ad fundamentum, & terminum absolutè; sed vt comparatur ad corpus, vt contentum modo quantitatiuo, tunc non dicitur extrinsecus, cùm necessariò oriatur, vt exemplificaui de passione, &c. 17.

Ad secundum de Angelo, dico pariformiter, quod si Angelum actu contineri à tali quantitate, dicit ipsum *vbi*, patet responsio quomodo necessario est in *vbi*, quia ipsa continentia passiua dicitur *vbi*. Si verò teneatur, quod non sit formaliter ipsa continentia. Dico tunc secundùm tertium præambulum, scilicet quòd *vbi* tale dicitur respectus extrinsecus, pro quanto absolutè comparatur ad ipsnm Angelum, vt ad fundamentum proximum, & ad ipsam, quantitatem, vt ad ipsum terminum, quia si sit Angelus extra illam quantitatem, actu ponuntur fundamentum proximum, & terminus ipsius *vbi*, & tamen non ponitur necessario *vbi*. Sed posita continentia actuali ipsius Angeli in tali quantitate necessario sequitur ipsum *vbi*. Ex his quæ suprà exposui patet responsio ad alia duo argumenta immediatè sequentia, nec oportet aliter respondere, quia præcisè respondendum est sicut ad duo præmissa responsum est.

Ad quintum, quia importat aliquas difficultates, vide responsionem in secundo, dist. secunda de loco Angelorum contra Gregorium.

Contra

18. Contra secundum dictum instatur, probando quòd ex absoluto, & respectiuo possit per se fieri vnus conceptus, quia totum, & principale fundamentum huius dicti est, quia tunc talis conceptus simul esset respectiuus, & absolutus, & sic non esset neque respectiuus, neque absolutus. Et ego multipliciter insto. Primò, quia ex natura contrahibili, & hæcceitate fit vnus per se conceptus, quiditatiuus, quia vnum singulare, quod recipit prædicationem superiorum in *quid*, & tamen hæcceitas nullo modo pertinet ad quiditatem, nec aliquo modo dicit *quid*, vt patet à Doctore *in secundo, distinctione tertia, quæst.* 6. Sic in proposito ex respectiuo, & absoluto potest fieri vnus conceptus respectiuus quamuis absolutum nullo modo dicat respectum.

Scotus in 6.d. primi dicit, quòd ex essētia, & relatione est vnū simplicissimum intelligitur id est non compositum.

Secundò instatur, quia suppositum est vnus per se conceptus positiuus, & absolutus per se in prædicamento Substantiæ, & tamen suppositum constat ex natura singulari pertinente ad prædicamentum Substantiæ, & ex negatione duplicis dependentiæ, scilicet actualis, & aptitudinalis, vt patet *in tertio, distinct.* 1. *quæst.* 1. *& infra, quæst.* 19. *quodlib.* & tamen negatio formaliter non dicit entitatem passiuam, nec absolutam, nec respectiuam; ergo à fortiori ex absoluto, & respectiuo poterit fieri vnus per se conceptus, cùm vtrunque dicat entitatem positiuam.

Tertiò instatur, quia ex actu per se, & potentia per se fit vnum per se, vt patet 8. *Met.* quia fit vnum simpliciter in actu, & tamen potentiale, vt potentiale, non dicit actum, multò fortiùs ex respectiuo & absoluto fiet vnum in actu, cùm vtrunque dicat actum.

8. met. con. tex. 15.

Quartò instatur, quia persona diuina dicit vnum per se conceptum, vt patet: & est vnum ens per se relatiuum, tenendo communem opinionem, scilicet quòd persona constituatur per relationem, & tamen persona constat ex absoluto, scilicet essentia diuina, & respectiuo, patet à Doctore in pluribus locis.

Quintò instatur sic, quia sicut ex cōceptu omnino indifferenti ad absolutum, & respectiuum, & ex gradu intrinseco contrahente ipsum fit vnus per se conceptus, vel determinatè absolutus, & vel determinatè respectiuus, vt patet, quia si conceptus entis, qui nec est respectiuus, nec absolutus, contrahitur per absolutum, fit conceptus determinatè absolutus; & si contrahitur per respectiuum, fit conceptus determinatè respectiuus; sic similiter videtur posse dici, quòd ex absoluto, & respectiuo constituatur per se aliquod respectiuum.

Sextò instatur, quia ex conceptu non formaliter infinito fit conceptus formaliter infinitus; patet, quia ex conceptu entis, qui non est formaliter infinitus, vt patet à Doctore *in primo, d.* 8. *quæst.* 2. & aliquo gradu intrinseco, puta infinitate intensiua fit vnus conceptus per se formaliter infinitus; patet, quia ex conceptu entis, qui non est formaliter infinitus, vt patet. Et tamen Doctor expresè vult suprà, *quæst.* 5. quod quicquid formaliter includitur in ente infinito intensiuo, sit formaliter infinitum intensiuè; ergo videtur à fortiori, quòd si infinitum intensiuè possit constare ex aliquo non infinito, quòd etiam conceptus per se respectiuus possit constare ex absoluto, & respectiuo.

Cōceptus entis nō est formaliter infinitus.

Septimò instatur, quia respectiuum necessariò definitur per absolutum, quia per terminum qui est absolutus, vt patet à Doctore *in primo, dist.* 30. ergo non videtur repugnantia, quin etiam possit constitui conceptus respectiuus per respectiuum, & absolutum.

Respondeo ad istas instantias, tenendo dictum Doctoris verissimum. Ad primam dico, quòd ex hæcceitate nihil quiditatiuum constituitur, cùm nullo modo pertineat ad quiditatem, & cùm dicitur quod singulare recipit prædicationem in *quid* omnium superiorū; concedo, sed non ratione hæcceitatis sed præcisè ratione naturæ inclusæ, quæ dicit *quid* imò ipsa dicit totam quiditatiuam singularis, vt patet à Doctore *in secundo*. *d* 3. *q*. 1. & 6. & vide singularissima, quæ ibi exposui, & adduxi. 19.

Responsio ad instantias. Ad primam.

Ad secundum. Dico breuiter, quòd suppositum formaliter sumptum, prout scilicet includit illam negationem non est per se in prædicamento Substantiæ, cùm negatio nec per se, nec reductiuè sit in prædicamento cum omnia Prædicamenta sint simpliciter entia positiua, nec per consequens ipsa negatio facit, nec pertinet ad conceptum per se, sed suppositum dicitur esse per se in Prædicamento, pro quanto includit singulare prædicamenti Substantiæ, quod per se ponitur in tali Prædicamento. Sicut etiam singulare, vt singulare non recipit prædicationem in *quid*, sed si recipit, hoc est præcisè ratione naturæ inclusæ, quæ dicit propriam, quiditatem.

Ad secundū.

Ad tertium. Dico, quòd fortè concluderet si ex potentia obiectiua, & actu fieret per se vnum in actu, putà quòd homo cōnstitueretur intrinsecè ex potentia obiectiua, quæ non est formaliter, & ex entitate actuali. Sed hoc est simpliciter impossibile. Ad Philosophum dico, quòd ipse loquitur præcisè de potentia subiectiua, vt subtiliter patet à Doctore *in secundo, distinct.* 12. *quæstione* 1. Et sic ex potentia per se subiectiua, cuiusmodi est materia, & ex actu per se, scilicet forma substantiali, fit per se vnum compositum. Sicut etiam ex potentia subiectiua per accidens, scilicet ex subiecto in actu, & ex actu per accidens, scilicet ex accidente fit per se vnum accidens; modò talis potentia subiectiua, siue per se siue per accidens semper est in actu, & ideò non sequitur. 20.

Ad tertiū.

Ad quartum, hoc fortè importat maiorem difficultatem. Dico tamen, quòd persona non dicit aliquod tertium resultans ex essentia, & proprietate relatiua, sed præcisè dicit ipsam essentiam cum proprietate relatiua; nec tamen erit vnum per accidens, quia relatio illa nullo modo informat essentiam, vt patet à Doctore *in primo, dist.* 5. *qu.* 2. *&* 26. *& in quodl. quæst.* 6. nec quasi informat, nec denominat nec quasi, quòd tamen requiritur ad hoc vt sit vnum per accidēs. Dicitur tamen maximè vna, vel quia maximè perfecta, quia essentia ibi inclusa est formaliter infinita, vel maximè vna propter perfectam identitatem realem, quia essentia simpliciter sibi identificat proprietatem personalem, propter sui infinitatem.

Ad quartū.

Dico secundò, quòd tenendo quòd dicat vnum per se conceptum ex essentia, & proprietate alium aliqualiter ab essentia, & proprietate, adhuc dico, quòd non erit simile, quia *vbi* respectiuum 21.

An persona dicat vnum cōceptum quiditatiuum.

respectiuum de quo Doctor loquitur *præsenti quæst.* dicit vnum conceptum per se primo modo, & per consequens quiditatiuè non potest in tali *esse*, quiditatiuo constitui per absolutum, & respectiuum, quia tūc erit ille conceptus, & quiditatiuè respectiuus, & quiditatiuè absolutus, vt patet; modò in proposito de persona tenendo quod dicat vnum per se cōceptum quiditatiuum, hoc potest dupliciter intelligi. Primo, quòd dicat conceptum per se quiditatiuum, quia includit per se aliquid quod pertinet ad quiditatem, & sic persona includit essentiam, quæ dicit quiditatem perfectissimam, sicut etiam ponitur quòd singulare creatum dicit per se vnum conceptum quiditatiuum ratione naturæ dicentis quiditatem; & hoc modo conceditur quòd quasi dicat per se vnum conceptum quiditatiuum, & tunc non est ad propositum de *vbi* vt Doctor loquitur. Vult enim ibi quòd respectiuum, & absolutum non faciant vnum per se conceptum, quiditatiuum, ita quòd vtrunque pertineat ad quiditatem ipsius. Secundò potest intelligi quòd persona dicat vnum per se conceptum quiditatiuum, sic quod proprietas pertineat ad quiditatem, sicut & essentia eo modo, quo dicimus quòd animal, & rationale constituunt hominem quiditatiuè. Responsio tamen prima videtur melior, & ad propositum magis.

Ad quintum dico breuiter, quòd non est simile, quia licèt conceptus indifferens ad absolutum, & respectiuum, non sit actu nec respectiuus nec absolutus, est tamen in potentia, quia ad vtrunque contrahibili.

Ad sextum. Dico breuiter primò, quòd sufficit quòd talis conceptus sit potentia infinitus. Dico secundò, quòd quando Doctor dicit quòd *quicquid includitur in ente infinito intensiuè est infinitum intensiuè*, hoc debet intelligi, quod inclusum in vltima actualitate, & verè realiter. Dè hoc vide quæ exposui ibi.s.q.5.quodl. & vide ibi singularia dubia.

Ad vltimum. '. ico quòd si respectiuum definiretur per absolutum definitione quiditatiua, argumentum concluderet: sed in proposito nihil concludit, quia tantum definitur per additamentum, & per aliquid omnino extra rationem formalem respectiui, cuiusmodi est absolutum. Et hoc expresè patet à Doctore *in primo, distinctione* 30. vult quòd tantum definiatur per additamentum, & non aliter, & sic patet.

22. *Similitudo est respectus intrinsecus.* Contra tertium dictum instatur, quòd respectus intrinsecus adueniens non necessariò sequatur ad fundamentum posito termino, & accipio similitudinem, quæ secundùm Doctorem est respectus intrinsecus, & suppono duo. Primò, quòd realiter distinguatur à fundamento, & quòd sit posterior fundamento. Primum patet à Doctore *in secundo, dist.*1.*quæst.*4. Secundum patet per ipsum *in primo, distinct.*26. & alibi sæpe: scilicet, quòd relatio præexigat extrema, ergo sequitur quòd est posterior fundamento, & termino. Ex his arguo dupliciter. Primò sic: Deus potest immediatè causare similitudinem non concurrentibus fundamento, & termino, vt causis necessariis: ergo similitudo non oritur necessario posito fundamento, & termino. Cōsequentia patet, quia Deus causat contingenter. Tum etiam, si immediatè causatur à Deo, non oritur necessariò ex natura extremorum. Antecedens patet, quia omne posterius realiter distinctum ab alio, quod non pertinet ad eius esse intrinsecum, (quod dico propter compositum naturale, quod distinguitur realiter à partibus componentibus, & est posterius eis, quod Deus non potest immediatè causare, quia illæ partes sunt de intrinseca ratione ipsius) Deus immediatè potest causare: patet, quia ab omnibus conceditur quòd potest supplere omnem causam secundam extrinsecam, qualis est effectiua. Sed similitudo est realiter distincta ab vtroque extremo, & posterior eis, nec aliquod extremum pertinet ad eius esse intriusecum, vt patet, ergo. Nec valet glossare illam propositionem, quod intelligitur de posteriori absoluto realiter distincto, quia Doctor expressè concedit, quòd potest immediatè causare respectum extrinsecum aduenientem, quia realiter distinguitur ab extremis, & est posterior eis; non ergo intelligitur de absoluto simpliciter. Nec valet glossare, quòd non intelligitur de respectu intrinseco, quia ego arguo quòd nullus sit intrinsecus eo modo, quo ipse ponit, qui scilicet oritur necessariò ad fundamentum posito termino.

Secundò instatur. Deus potest immediatè causare duo alba perfecta in aliquo instanti, & in eodem non causare similitudinem inter illa; ergo similitudo non oritur necessariò ex natura extremorum. Consequentia patet, quia si in illo instanti, quo ponuntur alba, non oritur, sequitur, quod non necessariò oriatur, quia in quocunque instanti ponitur causa adæquata, & necessaria alicuius effectus, & non impedita, necessariò sequitur talis effectus. Hoc patet. Antecedens probatur, quia omne absolutum realiter distinctum ab alio, & prius illo, Deus, immediatè potest causare sine illo. Sed illa alba sunt absoluta realiter distincta à similitudine, & priora illa; ergo maior huius syllogismi, Patet etiam à Doctore. Si dicatur, quòd intelligitur de priori absoluto comparato ad absolutum realiter distinctum, & prius eo, non autem vt comparato ad respectiuum. Dico, quòd hoc nihil est, quia secundum ipsum absolutum comparatum ad respectum extrinsecus aduenientem, potest Deus immediatè causare sine respectu extrinseco; patet quia potest immediatè causare ignem, & combustibile sine actuali combustione, & hoc quia illa sunt priora, & realiter distincta ab ipsa relatione, quæ dicitur formaliter combustio. Si dicatur, quod non intelligitur de absolutis comparatis ad respectus necessariò concomitantes ex natura extremorum. Et hoc est quod ego improbo, ideo oportet respondere ad instantias factas.

23. Tertiò instatur sic; & quæro à quo immediatè causatur necessariò ipsa similitudo, vt à causa totali, & adæquata, aut causatur à solo fundamento, aut à solo termino, aut ab vtroque simul: si primò, ergo posito tantùm vno albo perfecto, erit similitudo. Si dicatur, quod terminus concurrit, quæro quomodo concurrit? non vt causa, qua ponitur fundamentum totalis causa: non vt causa sine qua non, quia posita totali causa nihil aliud requiritur ad habendum effectum; hoc enim modo arguit Doctor *in primo, dist.*3.*qu.*7. contra Henricum qui ponebat animam esse totalē causam notitiæ, sed obiectum requirebatur, vt causa sine qua non, siue, vt terminus *Contra Henricum.*

terminus,& hoc improbat,quia stante causa totali,nihil aliud requiritur, vide ibi. Si secundò requiratur terminus, vt causa partialis. Sed hoc non videtur, quia tunc Deitas sub ratione Deitatis esset necessaria causa dependentiæ creaturæ, quia illa nec terminatur ad Deitatem sub ratione Deitatis siue ad voluntatem diuinam, & tunc voluntas diuina concurreret necessariò ad aliquid extrà, quod Doctor omnino improbat, imò si necessariò causat ipsam relationem,sequitur quòd necessariò causet ipsam creaturam, cùm sint penitus eadem res realiter,vt patet à Doctore *in secundo, dist.*1. *quæst.*5. Si tertiò concurrit terminus,vt causa totalis:à fortiori sequitur illud idem inconueniens de Deo, quòd scilicet necessariò causaret aliquid ad extra.

24. *Vnde oriatur similitudo.* Quartò instatur sic,quia si similitudo necessario oritur ex natura fundamenti; & termini,ita quòd necessariò sit ad terminum; tunc quæro, aut seipsa est habitudo ad terminum, siue seipsa terminatur ad terminum;aut alia relatione terminatur ad ipsum:non primò, quia ipsa eadem vt comparatur ad fundamentum, non seipsa inhæret,sed inhærentia alia inhæreret,vt etiam patet à Doctore *in secundo, dist.*1. ergo similiter vt comparatur ad terminum non seipsa terminatur,cùm non sit maior ratio de vno quàm de alio.Et si alia terminatur illa alia erit realiter distincta à termino, ergo terminabitur non seipsa sed alia, & sic processus in infinitum. Et præcipuè si ponatur dependere à termino, sequitur quòd dependebit dependentia fundata in similitudine, & illa similiter dependebit ad terminum, ergo alia dependentia,& sic in infinitum.

Quintò instatur. Si similitudo oritur necessariò à principiis intrinsecis fundamenti, ergo realiter identificatur fundamento. Hoc patet quando enim aliquod subiectum ex sua intrinseca ratione necessariò, & adæquatè producit aliquid in seipso, illud sibi necessariò identificat realiter. Hæc videtur propositio Doctoris *in secundo,dist.*1.& sic similitudo esset realiter eadem ipsi fundamento, quia terminus non poneretur causa productiua, sed tantùm terminatiua; sicut etiam risibile identificatur realiter homini; quia necessariò oritur in ipso homine ex formali ratione intrinseca hominis.

25. Sextò instatur, priori natura non repugnat posse esse sine posteriori natura; maximè à quo realiter distinguitur. Hoc patet à Doctore in primo,in secundo,& in tertio;sed fundamentum, & terminus etiam simul sumpta, sunt priùs natura; patet,quia secundùm Doctorem *in primo, dist.*3. *q.*5.*& in secundo,dist.prima* ad absolutum in causa sequitur absolutum in effectu,& pòst sequitur relatio causati ad causam, & è contra; ergo non repugnat fundamento, & termino simul sumptis posse esse sine relatione; ergo non necessariò oritur.

Septimò instatur, si ad fundamentum necessariò sequitur talis relatio posito termino, ergo sequitur quod posita magnitudine essentiæ diuinæ, & Patre, qui ponitur extremum æqualitatis Filij, necessariò ponitur æqualitas Filij ad Patrem, etiam Filio non producto, quia vnitas magnitudinis essentiæ est proximum, & immediatum fundamentum æqualitatis Filij ad Patrem. Si dicatur,quia requiritur Filius, ergo non oritur necessariò præcisè fundamento positis, & termino.

Octauò instatur,quia si relatio intrinsecus aduueniens,necessariò oritur ad fundamentum posito termino,quæro an præcisè oriatur ab illis, aut aliqua alia causa superiore concurrente?Si primò, ergo Deus non posset in intellectu suo immediatè causare notitiam intuitiuam similitudinis inter duo alba,nisi concurrentibus ipsis albis: quia si ponuntur causa immediata,& adæquata,& præcisa entitatis relationis,sequitur quòd Deus non continebit virtualiter illam; nec per consequens eius notitiam:sic enim arguit Doctor in pluribus locis. Si secundò,sequitur quod Deus poterit immediatè causare illam,quia vt sic,continebit causalitatem illorum.

Contrà quartum dictum instatur, probando quod respectus extrinsecus aduueniens non sit ille, qui non necessariò oritur ad fundamentum posito termino, quia si sic esset, multa inconuenientia sequerentur. Primò, sequeretur quod homo esset actu anima existente in cœlo, & corpore in terra, quod est impossibile. Probatur consequentia, quia stante vnione animæ ad corpus, de necessitate homo est.Hoc patet à Doctore *in tertio, dist.*2.*&* 22. sed stante anima in cœlo,& corpore in terra, potest stare vnio ipsorum ad inuicem, quia vnio ponitur respectus extrinsecus: patet, quia non necessariò sequitur stantibus fundamento, & termino;ergo Deus immediatè potest causare ipsam vnionem, & sic homo erit corpore existente in terra,& anima in cœlo, quod est absurdum. 26. *Contra quartum dictum.*

Secundò, sequeretur quòd stante aliquo loco, in Oriente, & aliquo corpore locabili in illo loco in Occidente,quòd Deus poterit ipsum facere in *vbi* respectu illius loci; patet,quia *vbi* secundùm ipsum est respectus extrinsecus aduueniens; & si corpus existens in Occidente actu erit circunscriptum à loco existente in Oriente,& sic erit vbicaliter in aliquo loco, in quo actu non continebitur, quod est absurdum.

Tertiò, vnio naturæ ad suppositum non eiusdem naturæ est respectus extrinsecus, vt patet à Doctore *in tertio, dist.*1. *quæst.*1. ergo Deus posset vnire naturam humanam existentem in terra Angelo existenti in cœlo; patet, quia posito fundamento, & termino non oritur ille respectus ex natura extremorum; ergo Deus immediatè posset causare illam vnionem. Si dicatur ad omnia ista, quòd requiritur necessariò approximatio, hoc nihil est. Tum,quia Doctor absolutè loquitur de illis ad differentiam respectus intrinsecus aduenientis,qui necessariò oritur ex natura extremorum etiam quantumcunque distantium: si duo alba distarent in infinitum,adhuc esset similitudo actualis. Tum etiam, quia etiamsi ponerentur anima, & corpus maximè propinqua, ita tamen quod anima non informaret corpus; adhuc Deus posset causare vnionem inter illa; quia non oriretur ex natura extremorum; & tamen ex hoc non esset homo, & ex alia parte esset homo quia partibus vnitis. 27. *Quid sit vnio naturæ ad suppositum.*

Quartò instatur, quia passio propriè accepta, quæ ponitur respectus extrinsecus, sequitur formam receptam in passo ab ipso agente, ita quod agens priùs habet respectum producentis ad formam productam, & respectum inducentis ad formam inductam, & isti respectus sunt intrinsecus, quia oriuntur necessariò ex natura extremorum, quia posita forma in materia, siue in passo ab ipso agente,sequuntur isti respectus: & passio

passio propriè accepta, quæ est respectus patientis, siue passi ad agens, sequitur hos respectus, quia dicitur pati ab agente pro quanto recipit formam ab ipso. Tunc vltrà, si passio non necessariò oritur ad fundamentum posito termino, sequitur quòd poterit esse forma in passo ab agente, & quòd passum non formaliter pateretur, nec in ipso esset passio respectus propriè accepta, quod videtur absurdum.

28. *Quæ sit actio propriè dicta.* Quintò instatur de actione propriè dicta, quæ etiam ponitur respectus extrinsecus, quia similiter illa est posterior productione formæ in passum, siue in materiam; priùs enim forma producitur, quàm inducatur, saltem loquendo de forma, cui non repugnat posse per se stare; & similiter priùs inducitur, quàm intelligatur (vt dixi) passio; ergo, & priùs quàm intelligatur actio, quia actio, & passio sunt simul natura, cùm sint correlatiua; ergo si actio non necessariò oritur, positis fundamento, & termino, sequitur quòd stante forma inducta ab agente in materia, quòd poterit non esse actio propriè dicta.

Sextò instatur, & præsuppono dictũ Doctoris *in primo, dist.3.quæst.5.& in secundo, dist.1.quæst.2.* quòd ad absolutum in causa sequitur absolutum in effectu: vnde vult ibi quòd omnis relatio necessariò sit posterior fundamento, & termino; ergo absolutum in agente immediatè attinget aliquod absolutum in passo, scilicet formam, quàm sit respectus ipsius ad passum, siue ipsius ad formam productam; ergo per diuinam potentiam poterit esse forma in materia, & nullo modo erit necessariò actio, nec potentia, cùm ponuntur non necessariò oriri ex natura extremorum.

Septimò instatur, quia si respectus extrinsecus non necessario oritur, &c. & acquiritur actione siue productione propriè, quæro à quo immediatè causatur à Deo immediatè, aut ab extremis? Si primò, ergo potest ipsum non causare, quando causat, cùm causet contingenter, & sic stante forma inducta in materia ab agente poterit Deus non causare nec actionem, nec passionem. Tum etiam, quia non omnis respectus extrinsecus immediatè causatur à Deo, vt patet, de *vbi*, quod acquiritur per motum, & de actione, & passione, & de multis aliis. Si secundò, sequitur quòd cum necessariò causetur ab extremis, & ex natura rei, vt patet de actione ignis circa lignum, & de passione in ligno, quòd erit intrinsecus, nam tunc oritur necessariò ex natura extremorum, vt patet, ergo nulla erit differentia inter respectus intrinsecùs, & extrà.

Non omnis respectus causatur à Deo.

29. Octauò instatur, quia sequitur quòd Deus poterit causare immediatè talem respectum, & ipsum in se conseruare, probatur, quia si talis respectus non necessariò oritur ex natura extremorum, & propria actione acquiritur, sequitur quòd productio priùs ad ipsũ terminatur, quàm intelligatur esse in subiecto. Sed si agens maximè primum pro aliquo instanti, potest producere effectum in se, potest pro toto tempore sequente ipsum conseruare in se. Et hoc patet à Doctore *in secundo, distinct. 17. & in quarto, distinct. 43.* Si enim agens creatum pro aliquo instanti, posset producere formam in se, & non in materia, posset ipsam conseruare pro toto tempore sequenti; si enim pro aliquo instanti non necessariò dependet à materia, nec pro tempore sequenti, vt exposui in secundo, dist. 17. vide ibi. Si ergo respectus extrinsecus non necessariò oritur positis extremis, & propria actione natus est acquiri, sequitur quòd Deus posset ipsum producere in se, & non in alio. Et dixi si propria productione acquiratur, ad differentiam formæ substantialis in composito, quæ non producitur productione alia à productione totius compositi, ideò non potest pro aliquo instanti secundùm Philosophum esse sine subiecto. Et quia etiam secundum Philosophum, anima intellectiua non producitur alia productione, à productione compositi, ideò non potest pro aliquo instanti esse sine composito. Et si posset produci priùs alia productione à productione compositi posset esse sine composito. Hæc omnia patent à Doctore *in secundo, dist.17. & in 4. dist.43.*

Anima intellectiua non producitur secundum philosophum.

Nonò instatur, vt conclusio magis declaretur.

Si talis respectus non necessariò oritur ex natura extremorum, & verè causatur, sequitur processus in infinitum, & ex parte passi, & agentis: patet, passio est huiusmodi respectus, & causatur ab agente in aliquo passo; ergo passum recipiendo illum patitur passione alia à prima, & illa secunda passio est respectus extrinsecus, & verè causatur in passo; ergo recipiendo illam iterum patitur passione alia ab illa secunda, & sic in infinitum, per hoc idem arguo de actione, quæ recipitur in agente, quia recipiendo illam patitur, & sicut prius.

Decimò, & vltimò instatur, quia vnio naturæ humanæ ad Verbum est respectus extrinsecus, vt patet à Doctore *in tertio, dist.1.quæst.1. & in quodlib. q. 19.* ergo Deus posset facere naturam humanam actu esse in Verbo, & dependere ad ipsum, & sustentari in ipso, & tamen non erit formaliter vnita Verbo, quod est valde inconueniens.

Respondeo ad instantias contra tertium dictum, præmittendo aliqua necessaria. Primò, tenendo quòd fundamentum sit totalis, & immediata causa relationis intrinsecæ, declaro quomodo terminus necessariò requiritur. Dico ergo quòd terminus non requiritur necessariò vt causa neque totalis, neque partialis ipsius relationis cum non causetur ab alio, sed requiritur propter formale *esse* relationis. quia relatio formaliter est habitudo ad aliud, ita quòd si nihil esset ad quod relatio terminaretur, relatio nullo modo esset; requiritur ergo aliud in ratione termini ad sui *esse*, cùm *esse* eius formaliter sit habitudo ad aliud in ratione termini, non quòd terminus sit de intrinseca eius ratione, quia tunc absolutum esset de quiditate relationis, sed requiritur vt aliquid extrinsecum ad quod terminetur talis habitudo, vt patet à Doctore *in quarto, d.11.* Si verò teneatur quòd terminus concurrat actiuè, tunc oportebit saluare, quomodo Deus non sit causa necessaria alicuius ad extrà, ideò mihi videtur quòd prima via sit tutior. 30.

Responsio ad instantias.

Secundò præmitto, quod fundamentum relationis necessariò concurrit propter duo. Primò, vt immediatum, & necessarium receptiuum illius, sic quod esset simpliciter impossibile talem relationem esse sine fundamento, vt patet à Doctore

Doctore *in quarto*, in materia de Eucharistia. Secundo, vt causa immediata præcisè, & adæquata, ideò est impossibile ab alio causari immediatè. Si dicatur quod non videtur necessariò concurrere vt causa, quia Doctor suprà, *quæst*. 7. dicit quòd Deus potest producere immediatè omne causabile, non concurrente aliqua causa secunda, & si extrema relationis sint necessaria, dicit quòd concurrunt, vt effectus prior.

31. Dico primò, quòd Doctor intelligit de effectibus absolutis, qui propriè dicuntur causabiles, & non de relatiuis. Dico secundò, & magis secundùm veritatem, quòd Doctor non intelligit de effectibus comparatis ad causam præcisam adæquatam, & immediatam, quæ propriè se habet non tantùm in ratione causæ effectiuæ, sed necessariò in ratione subiecti; & patet, quia Deus non posset immediatè causare risibilitatem in homine, quia tunc homo posset esse risibilis, & non risibilis, cùm Deus sit causa merè contingens. Nec valet dicere quòd ideò non potest immediatè causare, quia illa passio est eadem realiter cum ipso homine. Sed hoc nihil est. Tum, quia ideò est eadem realiter, quia causatur necessariò, & immediatè à principiis subiecti in ipso subiecto; ergo intelligitur quòd hoc priùs sit causa ipsius, quàm intelligatur eadem realiter ipsi homini; in illo ergo priori Deus posset præuenire causando ipsã, si immediatè esset causabilis à Deo: accidit enim quòd producat vt eandem sibi realiter. Tum, quia posito quòd propria passio realiter distingueretur, adhuc non sequitur quòd Deus immediatè possit illam producere, quia si sic, sequitur quòd aliquando homo poterit esse non risibilis, quia Deus posset ipsã nõ producere in ipso homine, & sic non esset conclusio demonstrabilis potissimæ simpliciter necessaria, quia aliquando posset esse falsa; intelligitur ergo dictum Doctoris quòd Deus potest immediatè causare omnem effectum non concurrente aliqua causa secunda, dum talis effectus non sit talis, quòd requirat causam præcisam immediatam, & adæquatam, qui effectus formaliter, & necessariò est in ipso producente. Sic est in proposito de relatione intrinsecus adueniente, quæ habet fundamentum, non tantùm vt rationem proximam fundandi eam, sed vt causam præcisam immediatam, & adæquatam; ideò est impossibile quòd immediatè ab alia producatur, quàm à fundamento proprio; nec fundamentum potest immediatè producere, nisi ponantur omnia requisita ad eius *esse*, cuiusmodi est terminus, cùm sit formaliter habitudo ad terminum.

Istis præmissis, patet responsio ad duo prima
32. argumenta.

Ad primum dico, quòd quamuis relatio sit realiter distincta, & posterior fundamento, non tamen sequitur, quòd immediatè possit produci, quia eius esse immediatè, & præcisè dependet à fundamento, vt suprà dixi. Et posito, quòd non esset causata ab extremis, tamen posito hoc, non sequitur quòd Deus posset ipsam facere sine extremis, quia ipsa requirit necessariò duo extrema, vnum in ratione fundamenti, & aliud in ratione termini. Sed tunc non orietur ex natura extremorum, quia præcisè non haberet *esse* ab extremis.

Ad secundum. Dico quòd posita causa necessaria præcisa, & immediata alicuius effectus, necessariò ponitur talis effectus; sed positis fundamento, & termino; ponitur causa hoc modo respectu relationis, ideò Deus non posset facere fundamentum, & terminum sine relatione, sicut posito homine, necessariò sequitur risibilitas, sic in proposito. Et cùm instatur quia potest facere prius esse sine posteriori, à quo realiter distinguitur. Dico, quòd ista propositio non est vniuersaliter vera, & maximè quando prius ponitur causa necessaria præcisa, & adæquata posterioris, à quo posterius essentialiter dependet; & patet, quia materia, & forma etiam vnita sunt prius composito, cùm non causent ipsum, nisi vt vnita, ergo Deus posset facere materiam, & formam simul vnita existere sine composito, non sequitur, quia compositum necessariò dependet ab illis, vt exposui in secundo contra Thomam Caietanum. Sic dico in proposito. Est ergo vera propositio vbi priùs comparatur ad posterius realiter distinctum, & cuius non sit causa præcisa, & immediata, & necessaria. Habet etiam alias limitationes, quas vide *in secundo*, *dist*. 12. *qu*. 2.

Ad tertium. Dico, quòd causatur à fundamento, vt à causa totali: & cùm dicitur, quòd tunc terminus non requiritur, dico, quòd necessariò requiritur, quia relatio essentialiter est habitudo ad terminum. Et ideò non est simile de intellectione, quia ipsa non est formaliter habitudo ad obiectum, ideò benè argumentum Doctoris concludit quòd si obiectũ nullo modo esset causa intellectionis, sed præcisè ipsa anima, quòd tunc posset causari intellectio obiecti sine obiecto præsente nec in se, nec in aliquo repræsentatiuo, quia ipsa intellectio est qualitas absoluta, nec est formaliter relatio, siue habitudo ad obiectum, vt patebit infrà q. 13. Si secundò cõcedatur quòd terminus concurrit, vt causa saltem partialis tunc oportet concedere quòd Deus ex natura rei sit causa naturalis relationis; & forte non esset inconueniens de relatione sed de absoluto. Sed hoc ego non assero, quia multa inconuenientia possent inde oriri, sed modò transeo. 33.

Ad quartum. Dico, quod relatio seipsa est habitudo ad terminum, & seipsa terminat ad terminum vt patet à Doctore suprà q 8. & cùm dicitur quòd vt comparatur ad subiectum, non seipsa inhæret. Dico primo, quod non est simile, quia inhærentia consequitur accidens, & ideò accidens non est formaliter ipsa inhærentia ad subiectum, vt patet à Doctore *in* 4. in materia de Eucharistia, & in 7. Metaphysicæ suæ, sed vt comparatur ad terminum, seipsa est habitudo ad terminum, cùm formaliter, & realiter sit habitudo ad terminum. Dico secundò, quod aliud est loqui de accidente absoluto, & aliud de respectiuo. Primo modo accidens inhæret inhærentia realiter distincta, cùm illa sit separabilis, vt patet à Doctore *vbi suprà, & in secundo, dist*. 1. Secundo modo dico, quòd relatio seipsa inhæret saltẽ realiter, quia talis inhærentia est idem realiter cum ipsa, quia repugnat relationi esse sine termino talis inhærentiæ, vt exposui in secundo, d. 1. q. 5. Sed prima responsio est magis ad propositum, quia hîc fortè oporteret ponere quòd talis inhærentia distinguatur formaliter, sed vt comparatur ad terminum seipsa formaliter est habitudo ad terminum.

Ad quintum. Dico, quòd ratio concluderet si talis relatio non requireret aliud ad sui *esse*, sed quia relatio requirit necessariò terminum ad sui *esse*, cùm ipsa sit essentialiter,& formaliter habitudo ad terminum, est enim de intrinseca eius ratione esse formaliter ad aliud, vt patet à Doctore in primo.

34. Ad sextum. Dico, quòd posito quòd extrema sint prius natura relatione, tamen quia illa necessariò consequitur illa extrema ex natura rei, & sunt causa necessaria immediata præcisa, & adæquata, ideò non sequitur posse esse sine relatione. Et vltrà dico quòd licet priori, vt priori natura non repugnet posse esse sine posteriori natura, tamen concomitanter potest repugnare, sicut homini, vt homo est prior natura, non repugnat posse esse sine risibilitate, tamen concomitanter, puta, quia ponitur causa necessaria præcisa,& adæquata risibilitatis, ideò sibi repugnat posse esse sine illa Sic dico in proposito.

Ad septimum patet responsio suprà, quæst.6. quia non tantùm requiritur immediatum fundamentum, sed necessariò requiritur extremum habens tale fundamentum, quod est ei ratio fundamentalis quo possit Filius esse æqualis Patri. Sed de hoc prolixè dictum est suprà quæst.6.

Ad Octauum. Dico, quòd quamuis notitia relationis dependeat à notitia extremorum, tamen quia Deus virtualiter, & eminenter continet extrema relationis secundùm eorum totam entitatem,& per consequens secundùm totam cognoscibilitatem, ideò sine extremis concurrentibus potest causare in intellectu diuino notitiam relationis: non quod immediatè causet notitiam relationis, non priùs causando notitiam extremorum, quia relatio non potest aliquo modo cognosci distinctè extremis non præcognitis, sed potest immediatè causare notitiam extremorum, ipsis nullo modo concurrentibus,& per consequens notitiam relationis inter illa extrema. Et sic patet responsio ad istas instantias.

35. Ad instantias contra quartum dictum, pro maiori intelligentia præmitto aliqua. Primo, quod omnes relationes primi, secundi, & tertij modi, sunt intrinsecus aduenientes, vt patet 5. *Metaph. cap. de Ad aliquid*, vbi vult Philosophus quòd omnes istæ relationes propriè dicantur ad aliquid, & pertinere ad prædicamentum Relationis. Secundò præmitto, quòd relationes huiusmodi, quæ sunt intrinsecus aduenientes præcisè in hoc differunt à relationibus extrinsecùs aduenientibus, quia illæ de necessitate oriuntur, positis fundamento, & termino, quantumcunque distantibus, dummodò sint in rerum natura:& patet discurrendo per omnes tres modos, positis producto,& producente, necessariò sequitur inter eos relatio producentis ad productum, & è contra: positis etiam duobus albis vbicunque sint, necessariò sequitur similitudo, nullo alio quouis modo requisito. Sed relationes extrinsecus aduenientes sic se habent, quòd posito fundamento, & termino in rerum natura non necessario sequitur, vt patet de actione, & passione, quia posito igne, & ligno, non sequitur in igne actio, nec in ligno passio, nec est necessarium addere quòd sint approximata, quia si actio, & passio essent respectus intrinsecus aduenientes, necessariò orirentur, etiam igne, & ligno in infinitum distantibus vt patet, de æqualitate, inter duo æqualia, quæ necessariò oritur, duabus quantitatibus positis etiam instantibus. Tertiò præmitto, quòd relatio extrinsecus, ita oritur necessariò posito fundamento, & termino, sicut relatio intrinsecus aliter tamen, & aliter, quia intrinsecus adueniens necessariò oritur positis fundamento,& termino,& nullo alio necessario requisito,& præmisso, nec approximato, nec aliquibus aliis necessario requisitis, sed extrinsecus adueniens dicitur necessariò oriri quibusdam aliis necessariò requisitis, præter fundamentum,& terminum, quæ tamen non necessariò requiruntur, nec vt terminus, nec vt ratio fundamenti, sed simpliciter præexiguntur. Sicut etiam ad esse compositi necessariò prærequiritur vnio materiæ, & formæ quæ tamen nullo modo est causa compositi, vt patet à Doctore, sed quia materia, & forma non possent causare intrinsecè ipsum compositum, nisi essent priùs vnita. Sic dico in proposito, quòd positis aliquibus præter fundamentum,& terminum, necessariò sequitur talis relatio, exemplum posito igne,& ligno absolutè nō necessario sequitur nec in igne actio de genere Actionis nec in ligno passio, sed inducta caliditate in ligno ab ipso igne, necessariò sequitur in ligno passio, qua formaliter patitur ab igne, & in igne sequitur actio, qua formaliter agit in lignum. Similiter positis absolutè corpore,& loco materiali non necessariò sequitur *vbi*, sed posito corpore in loco naturali, vt coëxtenso realiter sequitur *vbi*. Similiter posita materia, & forma absolutè non necessariò sequitur vnio, sed posita forma in materia necessario sequitur vnio, & sic de aliis: dicuntur ergo respectus extrinsecus, prout respiciunt absolutè extrema, & dicuntur intrinsecus, prout respiciunt extrema, quibusdam præmissis, vt dispositionibus, ad quas necessariò sequuntur.

Quomodo oriantur relatio extrinsecus adueniens.

His præmissis. Respondeo ad instantias, ad primum. Dico, quòd requiritur vnio, quæ sequitur informationem formæ ad materiam, & licèt dicatur talis vnio respectus extrinsecus, vt compatatur ad extrema absolutè, non tamen dicitur extrinsecus, vt comparatur ad extrema, quorum vnum informatur ab alio: nec Deus posset immediatè causare vnionem requisitam ad *esse* hominis, nisi forma actu esset in materia, nisi dicatur quòd receptio formæ in materia est vnio, quod non videtur. Et cùm dicitur in vna conclusione, quòd respectus extrinsecus potest immediatè causari,& etiam propria causatione: hoc debet sanè intelligi scilicet, quòd potest esse nouus sine aliqua nouitate alicuius absoluti pertinentis, siue ad fundamentum, siue ad terminum. Quod dico *pertinentis ad fundamentum, vel ad terminum*, dico, quia actio nec passio propriè posset inesse, nisi prius aliquo absoluto causato in passo, sed illud absolutū nullo modo pertinet ad rationem proximam fundamenti, neque ad terminum, quia nec fundat passionem, nec terminat. Sed relatio intrinsecus non potest esse noua sine nouitate, vel fundamenti, vel termini, quod benè nota. 36.

Ad secundum,& tertium similiter dico per idem. De vnione naturæ humanæ ad Verbum, si vltra dependentiam actualem ad Verbum dicit alium respectum, dico quòd talis respectus oritur in natura humana ex natura rei,& cùm dicitur quòd immediatè causatur à Deo, dico quod propter hoc dicitur causari, quia ab ipso immediatè

Vnio naturæ humanæ ad verbum à quo causetur.

immediatè causatur dependentia naturæ ad Verbum,ad quam immediatè sequitur talis vnio, & hoc sufficit. Si verò talis vnio præcisè dicat dependentiam actualē ad Verbū, patet quòd à solo Deo causatur. Ad tertium dico, quòd *vbi* dicitur respectus extrinsecus prout comparatur ad extrema absolutè, & stante distantia extremorum non potest causari, sed posita coëxistentia, & cōmensuratione immediatè sequitur talis respectus, scilicet *vbi*, nisi dicatur quòd talis coëxtensio, & commensuratio dicatur *vbi*, & tunc non potest haberi stante tali distantia, imò ad hoc, vt habeatur necessariò requiritur vnum actum contineri ab alio.

Ad quartum de passione, & quintum de actione, patet responsio ex supradictis, quòd tunc inducta forma in materia nec actio, nec passio sunt respectus extrinsecus, quia tunc necessariò oriuntur,sed dicuntur extrinseci,vt comparantur ad extrema absolutè sumpta, vt suprà patuit.

Ad sextum,patet.per idem.

Ad septimum, patet responsio ex supradictis, quòd stante tali dispositione necessariò causatur à fundamento posito termino,sed dicitur extrinsecus prout comparatur ad fundamentum absolutè,vt suprà dixi.

Ad octauum. Dico, quòd si Deus causat huiusmodi respectum necessariò causat in materia; siue in subiecto,& nullo modo in se,& quomodo dicatur nouus suprà patuit.

Quomodo subiectum dicatur pati. Ad nonum. Dico, quòd subiectum non dicitur pati,nisi recipiendo ab agente formam absolutam. Hoc idem dico de actione, sed de hoc aliàs prolixiùs exposui.

37. Ad vltimum patet responsio ex supradictis.

Contra quintum dictum, scilicet quòd respectus intrinsecus adueniens non potest habere propriam nouitatem in se,&c.instatur primò,relatio intrinsecus habet propriam entitatem realiter distinctam ab vtroque extremorum, ergo potest habere propriam causalitatem,ita quòd non causatur causalitate præcisè alterius extremi, quia tunc non haberet propriam entitatem realiter distinctam.

Instatur secundò,omne ens realiter distinctum ab alio consideratum secundùm propriam entitatem,aut est causatum, aut incausatum:non datur medium,loquendo de ente singulari actu existente,quia ens diuiditur per causatum, & incausatum. Sed paternitas in nobis est ens realiter distinctum ab extremis, ergo erit immediatè causata,vel incausata.Non secundum,quia esset Deus, ergo primum,& sic habet propriam nouitatem.

Tertiò instatur, noua paternitas est,aut est noua propria nouitate, aut præcisè noua nouitate vtriusque,vel alterius extremi. Si primò habetur intentum.Si secundò,sequitur quòd erit idem,vel cum vtroque extremo, vel cum altero tantùm, quia tunc habebit præcisè eandem causalitatem passiuam.

Quartò instatur sic, aliqua relatio intrinsecus adueniens realiter distinguitur à fundamento,ergo necessariò causatur propria causalitate.Antecedens patet etiam per Doctorem;*in secundò, d.*1. *q.*5. Consequentia probatur per argumentum Doctoris,quod facit *in secundò,d* 1.*in q.*an creatio sit idem quòd Angelus,& *in q.seq.*vbi dicit quòd si relatio creaturæ ad Deum esset realiter distincta,quòd tunc immediatè dependeret ad Deum; & tunc quærit de illa dependentia,an esset eadem cum prima,an realiter distincta,&c.Sufficit mihi quòd ipse vult quod si esset realiter distincta, quod dependeret in ratione causati ad ipsum Deum, ergò vult quod sit immediatè causata; si realiter distinguitur. *Nota.*

Quintò instatur;quia Doctor vult *in prolog.q. de subiecto Theologiæ*,quòd si attributa diuina essent realiter distincta ab essentia, quòd essent verè causata etiam propria causalitate;ergo & nunc vbi relatio realiter distinguitur ab vtroque extremorum,nec maior ratio videtur de vno, quàm de alio. Ex his patet quomodo habet propriam nouitatem,& causalitatem.

Respondeo ad istas instantias, præmittendò duo. Primum, quòd Doctor non negat quin habeat immediatam, & propriam causalitatem, & aliam à causalitate vtriusque extremi, vt patet *in secundo,dist.*1. per illud argumentum, quod feci nunc. Sed negat quòd possit immediatè produci non priùs producto aliquo absoluto in altero extremorum pertinente ad rationem extremi, putà vel ad rationem fundamenti,vel termini,vt suprà dixi.Secundò præmitto,quòd ex quo habent propriam causalitatem modo prædicto præsupposito fundamento,& termino,ita habent propriam nouitatem,priùs tamen habita nouitate alicuius absoluti pertinentis ad alterum extremorum.Ex his præmissis patet responsio ad omnes instantias; nec oportet aliter soluere eas, præter quartam; quæ importat maiorem difficultatem, quam tamen vide in secundo,dist.1,in illa quæst.*An creatio Angeli sit idem ipsi Angelo.* 38.

Aliæ difficultates sequentes pro nunc omitto, ne sim tædio legentibus, nec nimis prolixus videar.

Qvæstio XII.

Vtrùm rei [a] creatæ sit idem respectus ad Deum, vt creantem, & Deum vt conseruantem.

S. Bonauen. 2. *dist.* 2. *quæst.* Scot. 1. *d.* 2. *q.* 1. *à n.* 19. *&* 2. *d.* 2. *q.* 6. *&* 4. *dist.* 8. *q.* 1. *& quæst. de vnitate Dei quæst.* 4.



Xpeditis his, quæ quæsita erant de Deo, sequuntur aliqua quæsita de creaturis; & primò de omnibus in communi, deinde de quibusdam in speciali. De omnibus in communi fuit vnum quæsitum, & est istud: Vtrùm rei creatæ sit idem respectus ad Deum, vt creantem, & Deum vt conseruantem? 1.

Argum. Arguitur quòd non: aliquid potest creari, & non conseruari, igitur tantùm potest habere respectum ad Deum, vt creantem, & nunquam habere respectum ad Deum vt conseruantem: igitur non est idem respectus. Probatio primi antecedentis: res in instant creationis non conseruatur: quia non indiget conseruatione, nisi quando potest non esse, & de se tendit ad *non esse*, sed dum creatur non potest non esse, nec tunc tendit ad *non esse*, cùm tunc accipiat *esse*: nihil igitur conseruatur, nisi quod manet post instans creationis suæ, sed Deus potest aliquid creare, quod non maneat post instans creationis suæ, quia non est contradictio, quòd tantummodò habeat *esse* in vno instanti, & in illo creetur.

Ratio opp. Contrà: eiusdem simplicis ad idem simplex non est nisi idem respectus realis: nunc autem Dei creantis, & conseruantis eadem est voluntas, quâ formaliter creat, & conseruat; & ipsa existentia rei creatæ, & conseruatæ eadem est: igitur respectus est idem rei creatæ, & conseruatæ ad Deum, vt creantem, & conseruantem.

Hic sunt tria videnda, primò de eo, quod principaliter quæritur, scilicet si idem sit respectus realis in creatura ad Deum vt creantem, & conseruantem? Secundò, de eo, quod tangit primum argumentum, si simul posset dici res creari, & conseruari? & ista difficultas magis tangit modum loquendi. Tertiò, de quodam annexo, quod tangit idem argumentum, scilicet si posset aliquid creari, quod tamen non conseruetur post instans creationis.

COMMENTARIVS.

1. a *N rei creatæ sit idem respectus ad Deum, vt creantem, & ad Deum vt conseruantem?* id est, an creatio passiua, puta Angeli, & conseruatio passiua eiusdem, sint idem, siue importent eundem respectum; & similiter an creatio actiua Angeli, & conseruatio actiua eiusdem dicantur idem, vel aliquo modo differant.

SCHOLIVM.

Eundem esse respectum creaturæ ad Deum creantem, & conseruantem. Probatur, quia existentia creaturæ permanentis eadem est in creatione, & in conseruatione, & terminus, id est, velle *Dei, omnino idem, & habitudo eiusdem rationis, & essentialis: ergo respectus omnino vnus. Singulas partes optimè & clarè probat. Si dicas cum D. Bonauent. relationes creaturæ ad Deum creantem, & conseruantem fundari super creatione, & conseruatione passiuis: & has esse easdem non esse manifestius eo quod quæritur. Contrà, quia relationes secundi modi non fundantur super actione, & passione; sed hæ sunt dispositiones ad fundandum.* De quo 4. *d.* 13. *q.* 1. *Secundò, creatio, & conseruatio non sunt passiones: quia passio supponit passum. De quo* 2. *dist.* 1. *q.* 4. *&* 4. *d.* 14. *q.* 1. *à n.* 29. *Ad aliam obiectionem D. Bonauen. ex Augustino explicat, quomodo creatura omnis dicitur semper esse in* fieri *à Deo, quia semper ab eo dependet, non tamen per nouum, & nouum* fieri *quoad permanentia. Vide Doct. de hoc* 2. *d.* 1. *quæst.* 4. *&* 5. *& de identitate creationis, & conseruationis, d.* 2. *q.* 1. *n.* 21.

De

2. DE primo [b] dici potest, quòd idem est respectus creaturæ ad Deum vt creantem & conseruantem: & hoc probatur sic: eiusdem re, & ratione ad idem re, & ratione non est dependentia essentialis, nisi vnica eiusdem rationis; existentia autem creaturæ permanentis est eadem omnino in creatione, & conseruatione: & ex parte termini est omnino idem re; & ratione, scilicet *velle* diuinum, & habitudo non solum ad creantem, & conseruantem est habitudo dependentiæ essentialis, & eiusdem rationis: igitur, &c. Maior probatur; si essent plures dependentiæ omnino essentiales inter extrema omnino eadem, sicut dependentia creaturæ ad Deum vt ad efficientem, & vt ad finem: tamen istæ videntur esse alterius rationis: si enim essent eiusdem rationis, essent sibi incompossibiles in eodem; & secundum idem: quia quando aliquid dependet ad aliud aliqua dependentia, si illa sit sufficienter terminata, non dependet ab eo alia dependentia eiusdem rationis: quia tunc vtraque illarum sine alia terminaretur, & dependeret tali dependentia, & non dependeret, & hoc, dependentiâ sufficienter terminatâ.

Vnica est dependentia essentialis, eiusdē formaliter, ad idem formaliter. Dependentiæ essentiales, eiusdem rationis sūt incompossibiles in eodem.

3. c Minor habet tres partes. Prima, scilicet quod idem sit *esse* rei permanentis in creatione, & conseruatione, Probatur. quia in hoc est differentia permanentis à successiuo: quia successiuum, dum manet, semper habet aliud & aliud *esse*, sicut aliam, & aliam partem: sed permanens habet semper idem *esse*, nec variatur secundùm partem, & partem: quia tunc esset successiuum. nec secundùm totum, & totum: quia tunc in quolibet alio, & alio instanti habet totaliter aliud, & aliud *esse*: quod est absurdum. Secunda pars minoris [d], scilicet quod *velle* diuinum omnino idem est ratio terminandi habitudinem rei creatæ, & conseruatæ, probatur: quia *velle* diuinum respectu cuiuscunque volibilis semper manet idem, illud autem est ratio proxima intrinseca terminandi quodcunque extrinsecum. Tertia pars minoris, scilicet quòd vtraque habitudo est habitudo dependentiæ essentialis, De creatione est manifesta: de conseruatione probatur: quia ad illud dependet res essentialiter in essendo quod est sibi ratio habendi *esse*: talis est conseruatio [e] causæ conseruantis. Iuxta illud Augustini 4. super Gen. *Creatoris namque potentia, & omnipotentis, atque omnitenentis virtutis, causa subsistendi est omni creaturæ, quæ virtus ab eis, quæ creata sunt regendis, si aliquando cessaret; simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret, neque enim sicut structor ædium, cum fabricauerit, abscedit, atque alio cessante, atque abscedente, stat opus eius: ita mundus nec ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen subtraxerit.* Hæc ibi.

Idē est esse permanētis in creari & conseruari, secus de successiuo.

Nihil manere potest Deo subtrahente concursum.

4. f Diceretur hîc, quòd fundamentum relationis creaturæ ad Deum, vt creantem, non est absolutè existentia rei creatæ: sed ipsa creatio passiua. Consimiliter fundamentum relationis creaturæ ad Deum conseruantem non est existentia creaturæ absolutè: sed ipsa conseruatio passiua. Hoc probatur per Philosophum 5. *Metaph. c. de Ad aliquid*, vbi vult, quòd relationes secundi modi fundātur super actionem, & passionem; nunc autem licèt absoluta existentia creaturæ sit eadem in primo *nunc* essendi, & deinceps: tamen creationem, passionem, & conseruationem passionem esse eadem, non est manifestius quàm illud, quod quæritur [g].

S. Bon. lib. 2. dist. 2.

Tex. 20.

Hîc dici potest [h] quòd Philosophus 5. *Meta.* non intelligit, quòd actio, & passio sint proxima fundamenta relationum secundi modi: quia relatio non manet; fundamento non manente: manet autem relatio secundi modi, non manente actione, vel passione: sicut aliquis manet pater, non manente generatione. Quod autem dicit relationem de secundo modo fundari super actionem & passionem, intelligendum est, non tanquam super fundamentum proprium, vel super rationem proximam fundandi, sed tanquam super dispositionem mediam inter fundamentum proprium, & ipsam relationem, ipsa autem potentia actiua, & passiua possunt poni fundamentum immediatum relationis ipsius actionis, & passionis; & licet requiratur actio, & passio media, non vt ratio fundandi relationem, sed vt quoddam præuium ad hoc, vt ipsa in fundamento tali fundetur.

Relatio nō manet fundamento non manente.

Vide in 4. d. 13. q. 1.

5. Specialiter autem in proposito non videtur concedendum, quòd aliqua passio sit ratio fundamentalis huius habitudinis, quam habet creatura ad Deum, vt creantem, vel conseruantem: quia nunquam propriè est passio, nisi quando est aliquod passum recipiens formam ab agente: quia secundùm Philosophum 5. Metaph. *Potentia actiua est principium transmutandi aliud, inquantùm aliud*; igitur potentia passiua est principium transmutandi ab alio: talis transmutatio non inuenitur, nisi vbi est passum recipiens eam ab agente: in conseruatione & creatione non est ita, sed totum creatum, & totum conseruatum est totaliter à creante, & conseruante, non sic vt

Tex. 17. Idem 9. Met. t. 2.

aliquid eius, vt passum recipiat formam ab agente.

S. Bon. vbi suprà & super Gen. cap. 19. habetur expressè. Hîc obiicitur per illud Augustini 2. super Genes. vbi vult, quòd *aër non est factus lucidus à Sole, sed fit lucidus*: alioquin recedente Sole, remaneret lucidus: æquè autem videtur quæcunque creatura dependere à Deo in *esse*, sicut aër à Sole in illuminato *esse*, quod ipse intelligit per lucidum *esse* à Sole: igitur nulla creatura respectu Dei est facta in *esse*, sed continuè fit in *esse*: & per consequens *esse* creaturæ est in continuo *fieri*.

Tex. 15. 57. & 58. Respondeo, Philosophus 3. *Phys.* dicit quòd aliqua sunt in *fieri*, quæ non habent completum *esse*: sicut successiua, & per oppositum aliquid dicitur in facto *esse*, quando sic habet *esse* completum, quòd non dependet in essendo ab aliquo extrinseco; creatura autem semper in essendo æquè dependet à Deo in *esse*, quia æquè semper ab ipso per idem *velle* ipsius habet idem *esse*; & hoc modo posset dici, quòd productio personæ diuinæ semper est in *fieri*, quia nunquam ista persona potest habere *esse* nisi accipiendo actualiter à producente, & tamen *esse* personæ est maximè permanens; hoc modo *esse* creaturæ, licèt sit permanens, tamen respectu Dei, à cuius volitione actuali semper æquè dependet, semper est quasi in *fieri*, hoc est, actu dependens à causa dante *esse*: & nunquam in *facto esse*, hoc est, in actu separato & independente à quocunque alio: non tamen est in *fieri* nouo, & nouo, sed per oppositum illi est in *facto esse*, hoc est, in *esse* completo accepto sine aliqua nouitate addenda. 6.

Productio personæ diuinæ quomodo semper in fieri?

COMMENTARIVS.

2\. b DE *primo articulo.* Dicit Doctor quòd *est idem respectus realis creaturæ ad Deum, vt creantem, & conseruantem.* Intendit enim probare quòd sit præcisè vna realis dependentia ad Deum creantem, & conseruantem, id est, quòd relatio dependentiæ, quâ Angelus creatus dependet ad Deum creantem, & relatio dependentiæ, quâ idem Angelus dependet ad Deum, vt conseruantem, sunt in re idem, ita quòd præter opus intellectus nullo modo differunt, etsi fortè ratione, vt patebit in secundo articulo. Aduerte etiam, quòd ista, scilicet creatio passiua Angeli, & dependentia formalis, quâ Angelus dependet ad Deum creantem, important idem; similiter conseruatio passiua, & dependentia, quâ Angelus dependet ad Deum vt conseruantem, idem penitus important. Et omnia ista in re sunt præcisè vna relatio realis, & hoc Doctor vnico argumento satis euidenti intendit probare: Arguit ergo sic: *Eiusdem re, & ratione ad idem re,* &c. Vult dicere, quòd omnis habitudo fundata in eodem fundamento in se, nullo modo nec re, nec ratione distincta, & terminata ad terminum omnino idem, & nullo modo in se, nec re, nec ratione distincta, est eadem re, & nullo modo præter opus intellectus distincta. Exemplum, si sint duo alba, vt quatuor, habitudo, siue similitudo, erit in re tantùm vna fundata in vno albo, & terminata ad aliud, & erit tantùm vna alia fundata in alio albo, & terminata ad primum album. Et ratio est, quia habitudo dicitur variari secundùm speciem, termino variato, vel fundamento, vel vtroque simul, & similiter dicitur variari præcisè secundùm numerum, vel termino variato, vel fundamento, vel vtroque simul. Si ergo sit penitus idem fundamentum re, & idem terminus re, habitudo fundata in illo fundamento, & terminata ad illum terminum erit tantùm vna. Et quòd dicit, *quòd habitudo rei creatæ ad creantem, & rei conseruatæ ad Deum conseruantem, est habitudo dependentiæ essentialis,* hoc patet, quia omnis res, quæ habet *esse* ab alio in illo instanti, quo accipit *esse*, dependet essentialiter ab illo. Et similiter res, quæ conseruatur ab aliquo, vt conseruatur, dicitur dependere essentialiter ab illo. Aduerte tamen, quòd si conseruare rem non diceret aliquam actionem respectu rei conseruatæ, vel eandem continuatam, vel aliam, & aliam pro quocunque instanti res habet *esse*, tunc creatura, quæ dicitur conseruari, nullo modo dependeret essentialiter ab ipso conseruante. Sed de hoc vide quæ prolixè cum bonis dubiis exposui *in 2. dist. 2. q. 1.* de mensura Angelorum. *Nota.*

3\. His declaratis, probatur maior à Doctore, & pro exemplo, sit creatura, quæ includit habitudinem ad Deum, vt creantem, & conseruantem *A*, omnino indistinctum re, & ratione, & terminus huius habitudinis, qui est Deus sit *B*. Tunc sic: si inter *A* & *B* essent plures dependentiæ essentiales, quæ sunt extrema omnino eadem. (Sicut sunt dependentiæ ad Deum, vt ad efficientem, & vt ad finem, quæ videntur dependentiæ alterius rationis propter aliqualem diuersitatem termini, scilicet Deus, vt effectus, & Deus, vt efficiens,) tunc istæ viderentur esse alterius rationis, quod non videtur, quia inter extrema omnino eadem non possunt esse duæ dependentiæ essentiales alterius rationis, vt suprà patuit: ergo si essent plures, essent eiusdem rationis, & tales inter eadem omnino extrema sunt simpliciter incompossibiles. Probatur, quia quando aliquid dependet ad aliud aliqua dependentia, si illa sit sufficienter terminata, non dependet ab eo dependentia alia eiusdem rationis, quia tunc vtraque illarum sine alia terminaretur, & dependeret tali dependentia, & non dependeret, & hoc dependentia sufficienter terminata. Si enim *A* sufficienter dependet à *B*, & per consequens dicat vnam dependentiam essentialiter fundatam in *A* & terminatam ad *B*, si alia ponitur in *A* eiusdem rationis, & terminata ad idem *B*, sequitur vel quòd bis dependeret, & per consequens idem causatum iterum causetur stante ipso primo causato, vel simul dependeret, & non dependeret; patet, quia posita dependentia sufficiente

ciente ad *B* perfectè, & sufficienter dependet *A* ad *B*,& circumscripta alia dependentia, quâ necessariò sufficienter dicitur dependere ad *B*,tunc *A* non dependeret, & sic posita vna dependentia,& alia circunscripta,simul dependeret,& non dependeret, & tali ratione sæpiùs Doctor vtitur, vt patet *in primo,dist.2.parte 1.quæst.1.de vnitate Dei,& parte secunda, quæst.* 4 Patet ergo illa maior, scilicet quòd eiusdem re, & ratione ad idem re, & ratione est tantùm vna dependentia essentialis.

4. c *Minor probatur, quæ habet tres partes,* &c. *sed permanens semper habet idem esse, nec variatur secundùm partem,& partem,* quia tunc esset successiuum semper in successiuo, vna pars succedit alteri, ita quòd quando noua pars,puta motus, aduenit, prior desinit, & sic nunquam successiuum habet nec omnes, nec duas partes simul, sed semper vna succedit alteri. Si ergo permanens variaretur secundùm partem, & partem,id est,quòd nunquam haberet omnes partes suas simul, sed vna succederet alteri, permanens non esset permanens, sed successiuum, nec permanens variatur secundùm totum,& totum,quia tunc in quolibet alio,& alio instanti haberet simpliciter aliud, & aliud *esse*, quòd est absurdum; patet ergo quomodo idem *esse* permanens, puta Angelus, manet simpliciter idem in illo instanti, in quo creatur, & in toto tempore sequenti, in quo conseruatur. Si enim in tempore immediato ad instans, in quo creatur totaliter desineret esse, & in aliquo instanti illius temporis iterum crearetur, & in tempore immediato annihilaretur & sic successiuè quamuis Deus hoc posset facere,tamen esset absurdum, quia nunquam pro aliquo tempore post instans creationis conseruaretur;si ergo permanens in tempore immediatè sequente ad instans creationis conseruatur; patet quòd idem *esse*, quod fuit in instanti creationis, quòd erit simpliciter idem in tempore sequenti,in quo conseruatur, & si non esset idem non diceretur conseruari res, quæ in primo instanti creatur in tempore immediatè sequente, sed vel noua res crearetur, vel prima creata in illo tempore desineret esse.

5. d *Secunda pars minoris,* &c. *Illud autem est ratio proxima intrinseca terminandi quodcunque extrinsecum*; & patet, quia est ratio causandi quodcunque extrinsecum: ergo & ratio terminandi,vt suprà patuit q 8.

e *Talis est conseruatio causæ conseruantis iuxta illud Augustini,* &c. Ex ista auctoritate expressè patet quomodo conseruare rem dicat actionem ipsius conseruantis, ita quòd quando Deus conseruat rem illam,vel actione continuata, vel alia, & aliâ actione, ponit ipsam rem in eodem *esse* quod priùs habuit in instanti creationis suæ, & si per aliquod instans cessaret, & non poneret eandem rem in *esse*,statim annihilaretur. Et de hoc prolixè dixi in secundo, distin. 2. q.1. vide ibi.

f *Diceretur hic.* Hìc Doctor respondet ad illam maiorem,vt magis declaretur, quando dicitur in minore quòd existentia creaturæ est immediatum fundamentum talis dependentiæ essentialis,quòd hoc non videtur verum,quia fundamentum dependentiæ essentialis creaturæ ad Deum creantem,est creatio passiua,&c.

g *Et conseruationem passionem esse eadem, non est manifestius, quàm illud quod quæritur,* oporteret ergo probare quòd creatio, passio, & conseruatio passio, sint eadem res; si postea vult inferre quòd respectus creaturæ ad Deum creantem,& Deum conseruantem sint idem,quia propter vnitatem fundamenti, & termini probatur identitas respectus. Sed diceretur fortè quòd creatio passio,& conseruatio passio, non sunt penitus idem re, & sic non erit idem fundamentum,imò aliud,& aliud,& per consequens respectus fundatus erit alius,& alius.

h Dicit Doctor quòd Philosophus, 5. Metaph. non intelligit quòd actio, & passio sint proxima fundamenta relationis secundi modi, &c. *Nota. Quomodo maneat relatio.*

In ista litera nota primò, quando dicit quòd *actio, & passio sunt præuiæ,* hoc potest habere duplicem intellectum. Primum, quòd quando generatur aqua, sit aliqua actio prior aqua genita, ita quòd terminetur prius ad aliquid quàm intelligatur aqua genita. Secundum, quòd ipsa actione acquiratur,& generetur ipsa aqua. Primus intellectus est verus, actio terminatur propriè ad passum,puta ad materiam aquæ,nam ipsa materia dicitur pati ab agente,pro quanto ab ipso recipit formam aquæ, sic tamen intelligendo, quòd priùs forma inducitur in materiam,& post immediatè resultat relatio passio in ipsa materia, quæ terminatur ad agens, agens enim habet respectum producentis ad formam productam, & habet alium respectum, scilicet agentis ad passum.De istis respectibus vide prolixè in 4.in materia de Eucharistia, & sicut passio est prior aqua producta,siue genita, quia est respectus fundatus in materia aquæ secundùm quòd ipsa materia recipit formam ab agente. Ex hoc patet quomodo passio est dispositio præuia ad relationem genitam ad generans,quâ genitum dicitur essentialiter dependere ad generans,& ista relatio est posterior, & manet manente generante, & genito, sed non est sic de actione, & passione. Secundus intellectus de virtute sermonis non est verus, quia in producto non est aliqua relatio prior ipsa productione passiua, quæ est relatio dependentiæ essentialis ad ipsum producens. 6. *Actio & passio quomodo sunt præuiæ.*

Secundò nota, quòd quando dicit quòd *fundamentum proximum actionis, & passionis est potentia actiua,& passiua,*talis potentia actiua non accipitur formaliter,& pro respectu,sed formaliter, & pro fundamento talis respectus, vt patet à Doctore *in 1. dist.*7. Hoc idem dico de potentia passiua,vide ibi Doctorem. Tertiò nota,quomodo intelligatur illa definitio potentiæ actiuæ, & passiuæ data à Philosopho, vide Doctorem *in 1.dist.2. parte 2.q.3.* & vide quæ ibi exposui exponendo responsiones ad principalia argumenta. *Quid fundamentum actionis, & passionis.*

i *Respondeo, Philosophus tertio Physi. dicit quòd aliqua sunt in fieri, quæ non habent completum,* &c. Quod dicit Philosophus de facto esse permanente nullo alio extrinseco,&c. intelligit,quòd licèt non dependeat ab extrinseco producente, semper tamen dependet ab ipso Deo, quia, vt dicit Doctor, effectus præcisè dependet à generante pro illo instanti, in quo accipit *esse* à generante, sed in toto tempore sequenti immediatè dependet à Deo. Vide in secundo, dist. 2. quæst.4.

SCHO

SCHOLIVM.

Creatio significat dependentiam creaturæ à Deo, cum respectu ad non esse immediatè præcedens, conseruatio eãdem dependentiam significat, sed cum respectu ad esse immediatè præcedens, & isti respectus sunt rationis, & per consequens distinguuntur à dependentia quæ est realis. Propter hos respectus rationis, quod dicitur creari, non dicitur conseruari, nec è contra. Vide Doct. 2. d. 2. q. 1. & 4.

DE secundo [k] articulo dico, quòd cum isto respectu creaturæ habentis *esse* ad Deum, vt à quo habet *esse*, possunt concurrere diuersi respectus. Idem enim *esse* quandoque immediatè succedit *non esse* opposito, sicut in instanti, in quo res incipit esse: quandoque autem non immediatè succedit ipsi *non esse*, sed quasi eidem *esse* vt priùs habito, ita intelligendo, quòd licèt non sit ista prioritas in ipso *esse* secundùm se, tamen dicitur esse in ipso per comparationem ad aliud prius secum coëxistens. Primus respectus, qui scilicet est ipsius *esse* ad *non esse* præcedens, non est realis: quia non est ad terminum positiuum. Secundus autem, qui est ipsius *esse* ad *esse* idem quasi præëxistens, vel magis cum alio priori existens, non est realis, pro quanto est eiusdem ad idem. Respectus autem ipsius *esse* ad causam, à qua est, est realis: igitur neuter illorum dictorum respectuum est idem illi. Contingit tamen eadem voce multa distincta aliqualiter importari. Sicut ergo potest imponi aliquid ad significandum dependentiam ipsius *esse* ad causam non præcisè, sed vt est cum respectu ad *non esse* immediatè præcedens, & sic significat hæc vox, *creari*, vel *creatio*, quia ibi non tantùm notatur dependentia rei ad causam in essendo, sed vltra hoc, in accipiendo tunc primo illud *esse* post *non esse*. Potest etiam aliqua vox imponi ad significandum illam dependentiam, vt est cum secundo respectu, scilicet vt est ipsius *esse* ad seipsum quasi præhabitum, & sic imponitur hæc vox, *conseruari*: vbi non tantùm notatur dependentia in essendo, sed cum hoc habitudo illius *esse* quasi ad idem *esse* vt præhabitum. 7.

Respectum creaturæ ad Deum comitantur respectus esse, ad non esse, & esse ad præcedens esse, qui nõ sunt idem primo respectui, quia ambo sunt rationis. 1. Met. t. 13.

Pro tanto igitur non est verum dicere de creatura, quòd creatur propriè, nisi in primo instanti: quia non nisi in illo habet immediatum ordinem ad *non esse* præcedens: nec est verum dicere, quòd conseruetur, nisi post primum instans: quia non nisi tunc habet immediatum ordinem ad seipsum, quasi præhabitum. Propter igitur istos distinctos respectus rationis importatos per *creari*, & *conseruari*, non prædicatur vnum de re, quando aliud prædicatur; respectus tamen ille, qui est ad causam, semper manet idem: & si iste præcisè significaretur duabus vocibus, vtraque simul verè prædicaretur de eodem: sicut hoc quod est esse ab alio dante *esse*: & hoc quod est accipere *esse* ab alio, præcisè significant illam habitudinem, non intelligendo ibi dare, vel accipere nouitatem: nec illam important, quia verum est dicere, quòd Filius accipit deitatem à Patre, & Pater dat ei, & communicat deitatem: & ista duo semper simul prædicantur de eodem. 8.

Propter dictos respectus rationis, creari non dicitur de quo dicitur conseruatio, nec è cõtra.

Nec curo disputare de significato huius vocis *creari*, an per se significet respectum ad creationem, & connotet respectum ad *non esse* præcedens, an è conuerso, illum per se significet, & illum connotet ad causam, an vtrunque significet: & tunc non significat præcisè conceptum per se vnum, sed duos respectus, & vnus est realis, & alius rationis: qui non faciunt conceptum per se vnum, quia quodcunque istorum trium detur: hoc saltem saluatur, quòd vterque respectus aliqualiter importatur; præcisè tamen propter illum, qui est rationis, negatur idem simul creari, & conseruari.

De tertio principali dico [l] quòd non est contradictio aliquod ens tantummodò in vno instanti habere *esse*: ipsum enim instans raptim transit, ita quòd non est nisi, vt ita loquar, instantaneè; vel si dicas instans secundùm substantiam semper manere idem, si illud dicatur esse substantia mobilis, cùm illa substantia non sit per se terminus alicuius continui de Genere Quantitatis; sequitur, quòd illud, quod vocas instans secundùm substantiam, non est terminus continuans per se partes temporis. Saltem instans secundum *esse* non manet, sed raptim transit, & ita oportet dicere de mutatione, & per consequens de instanti, quod est per se mensura mutationis: non autem videtur maior contradictio de re permanente, quòd non nisi in vno instanti habeat *esse*, quàm de ipso instanti, vel mutatione: quia etsi res permanens possit habere idem *esse* non præcisè per instans, sed permansiuè: & instans, vel mutatio non possit: tamen 9.

Instans tãtum instantaneè durat, & idẽ est possibile de re permanente.

permanens

permanens totum *esse* suum habet in instanti vno: quia in hoc distinguitur contra successiuum: non est ergo contradictio, si illud *esse* vltra hoc instans non habeat.

10. [n] Contra hoc videtur Aristoteles 8. Physic. vbi ait: *Opponuntur*, inquit, *generatio, & corruptio, quare si impossibile est simul mutari secundum † oppositas, non erit continua mutatio, sed erit medium ipsorum tempus.* Et in fine cap. *Penitus inconueniens videtur, si factum necesse est mox corrumpi, & nullo tempore permanere.*

Tex. c. 61 al. Oppos. Tex. 62.

Prætereà Inferiùs *in eodem* 8. vult, quòd non est accipere vltimum in *esse* ipsius corrumpendi, sed primum in *esse* generandi, & cum hoc etiam primum in *non esse* corrumpendi; *signum*, inquit, *vtrique commune est, & primo, & posteriori, huius autem finis, illius autem principium, res autem semper posterioris passionis est.* & idem paulò pòst, *ipsius temporis in quo fiebat, factum est in vltimo signo.*

Tex. 63. Tex. 69.

Prætereà [o]. Si res creata tantummodò habeat *esse* in instanti: tunc in illo verum est dicere, res ista incipit esse quia tunc primò est, & simul verum est dicere: res ista desinit esse, quia tunc vltimò est, nunc autem repugnantia videtur esse, quòd simul res incipiat esse, & desinat esse.

11. [p] Ad primum, intentio Philosophi est ibi, quòd solus motus localis potest esse continuus, & perpetuus, & nullus alius motus, nec etiam mutatio; & hoc probat, quia omnes alij motus, & mutationes sunt ex oppositis in opposita, *vt generationis*, inquit, *& corruptionis* esse *&* non esse *termini sunt, alterationis autem contrariæ passiones*, &c. Si igitur aliquis istorum motuum, vel mutationum posset esse perpetuus, & continuus: hoc non esset ab eodem termino *à quo* ad eundem terminum *ad quem*: quia in motu sic simpliciter vno vera est ista propositio 6. Physic. *mutatio autem neque vna infinita*: esset ergo illa continua perpetuo modo per continuam reflexionem à termino in terminum; putà si motu finito moueretur à calido in frigidum, cessaret alteratio, quantùm est in istis terminis, nisi statim esset reflexio à frigido in calidum; sed in tali reflexione motus prior, & posterior, cùm sint oppositi, non possunt continuari, nec facere vnum motum continuum: cuius probatio est, quia tunc mobile simul moueretur motibus, vel mutationibus oppositis.

Solus motus localis secundùm Phil. potest esse perpetuus. Tex. 91. Quare alij motus perpetui esse nequeunt explicatur.

12. Hæc consequentia probatur, quia in motu continuo verum est dicere à principio motus, quòd mobile mouetur ad vltimum terminum, sicut si vltimus terminus motus continui est calor, verum est dicere de mobili in principio motus, quòd calefit: si igitur calefactio posset continuari frigefactioni, à principio totalis motus continui esset verum dicere, quòd mobile calefit, & frigefit. Et propter consimilem rationem [q] probat ibi, quòd non potest continuari corruptio generationi, vt sit vna mutatio: quia tunc à principio mutaretur oppositis mutationibus: quia corruptione, & generatione: nam in quacunque vna mutatione, siue continua, verum est dicere, quod à principio mutatur ad vltimum terminum: ille autem est terminus generationis: igitur à principio mutatur mutatione generationis, & tamen tunc per positum, mutatur mutatione corruptionis: quia illa ponitur præcedere, vt continuanda generationi, istud autem nihil est contra hoc, quod dictum est, rem in vnico solo instanti, scilicet creationis habere *esse*, quia non concedo, quòd illi creationi possit continuari annihilatio, vt sit vna mutatio: quia tunc secundùm argumentum Philosophi, quando creatur, verum est dicere, quòd annihilatur: sed tantummodò concedo, quòd creationem consequitur annihilatio.

Motus oppositi non possunt continuari, alias mobile à principio oppositis moueretur motibus, vt calefactione, & frigefactione, generatione, & corruptione.

13. Et si arguitur, quòd tam annihilatio [r], quàm creatio est in instanti: quia vtraque est à virtute infinita, quæ non potest agere in tempore: vt videtur Philosophus probare 8. *Phys.* igitur in proposito, vel erunt in eodem instanti, quod est inconueniens Philosopho, scilicet idem sic mutari oppositis mutationibus, vel erunt in diuersis instantibus, & tunc illa instantia erunt immediata, quod etiam est inconueniens apud Philosophum.

Tex. 79. & circiter.

Ad hoc dico, quòd ratio Philosophi, quæ tacta est, scilicet quòd idem non potest simul mutari mutationibus oppositis, probat corruptionem non posse continuari generationi: sed cum hoc est alia conclusio vera, scilicet quod generationem non potest immediatè sequi corruptio, sed illius est alia ratio: hæc, scilicet quòd vtraque est in instanti, & non simul in eodem, vt patet: erunt igitur in alio, & alio instanti: sed non sunt duo instantia sibi immediata.

Corruptio non potest sequi generationem, quia fit in instanti, & hoc non est immediatũ alteri. 4. & 6. Phys.

Hæc probatio [l], quæ est secundùm intentionem Philosophi, licèt non ibi ponat eam, non est contra propositum nostrum: quia ista res creata, quæ non manet nisi per instans creationis, annihilatio eius non est in instanti, sed in tempore habito instanti

ſtanti creationis: ſiquidem poſt inſtans non eſt aliquid in tempore indiuiſibiliter immediatum, ſed diuiſibiliter tali, ſcilicet immediatione, quâ continuum terminatum eſt immediatum ſuo termino: & hoc modo [t] motus eſt immediatus vltimo quietis, quia poſt illud ſtatim eſt motus, ſicut diuiſibile poſt indiuiſibile, quod eſt principium.

Annihilatio non neceſſariò fit in inſtanti. Non inconuenit Deũ, & creaturam æquali menſura agere. Deo neceſſariò agente, an aliquid ſolo inſtãti vno eſſe poſſit. ADDITIO. aliorum.

Cùm igitur arguitur [u], quòd annihilatio eſt in inſtanti: negandum eſſet de annihilatione in caſu, in quo loquimur, & hoc ſemper referendo intentionem ad inſtans temporis, ſiue in illo dicatur propriè eſſe creatio, & annihilatio, ſiue magis cum illo. 14.

Et cùm probatur [x], quia *virtus infinita non agit in tempore.* Illam propoſitionem Philoſophus non concederet, niſi de virtute infinita naturali neceſſitate agente, quia de alia non eſt inconueniens illud, ad quod ipſe deducit, ſcilicet quòd virtus finita, & infinita agunt in æquali menſura. Theologi autem non concedunt Deum agere naturali neceſſitate circa creaturam.

Sed nunquid tenendo Deum agere naturali neceſſitate, non poſſet concedi aliquid poſſe manere tantùm per inſtans, cùm mutatio ſic tantùm maneat, etiam ſecundùm Philoſophum.

Quære reſponſionem.

Ad iſtud conſequenter reſpondeo ad caſum, quod ſi Deus produceret aliquid: aut produceret illud ſine cauſis ſecundis, quod Philoſophi non admitterent, & tunc poſſibile eſſet illud tantùm durare per inſtans, ſicut & Dei actio tantùm per inſtans duraret. Si autem produceret mediantibus cauſis ſecundis, ſic non videtur concedendum, quòd illud poſſet tantùm per inſtans durare, loquendo de re permanente: ſecus eſt de indiuiſibilibus, vt de mutatione, & inſtantibus etiam ſecundùm Philoſophum, quæ tantùm per inſtans durant.

Sed probabilius eſt ſimpliciter in tali caſu tenere negatiuam, loquendo de permanentibus: quære 8. diſt. 1. qu. vltima ad finem.

COMMENTARIVS.

7. *Effectus à quo dependeat. Creari quid dicat.*

k DE *ſecundo articulo* principali, in quo videndum eſt, an eadem res ſimul poſſit dici creari, & conſeruari. Dicit Doctor primò, quòd creari vltra reſpectum, quem importat ad Deum creantem, dicit reſpectum ad *non eſſe* immediatè præcedens ipſum *eſſe* creaturæ, quod *non eſſe* præcedens opponitur contradictoriè ipſi *eſſe* creato; & iſte reſpectus eſt reſpectus tantùm rationis, quia licèt fundetur in ente reali, ſcilicet in ipſo *eſſe* creaturæ, quia tamen terminatur ad *non eſſe* præcedens immediatè, eſt relatio rationis, quia relatio realis ſemper eſt inter extrema realia, & oritur ex natura extremorum, & res propriè, vt dicit iſtum reſpectum rationis, ſiue ſecundùm illum reſpectum dicitur propriè creari, quia notatur ipſam procedere à *nõn eſſe* ſimpliciter ad *eſſe*. Dicit ſecundò, quòd ſi res creata in primo inſtanti in tempore ſequenti comparetur ad ſeipſam, vt in primo inſtanti, talis comparatio eſt relatio rationis; quia eſt comparatio eiuſdem ad ſeipſum, licèt vt in alio, & alio inſtanti, quia iſte reſpectus dicitur reſpectus, quo formaliter dicitur creatura conſeruari, quia ſecundùm illum reſpectum comparatur, vt habet *eſſe* in tempore ſequenti ad ſeipſam, vt accipientem *eſſe* in primo inſtanti; pro primo ergo inſtanti, in quo accipit *eſſe* immediatè poſt *non eſſe* tantùm dicitur creari, & in toto tempore ſequenti, in quo accipit idem *eſſe*, ſed non immediatè poſt *non eſſe* præcedens, ſed tantùm poſt *non eſſe* mediatè præcedens dicitur conſeruari. Tertiò dicit, quòd relatio creaturæ, quâ ad Deum comparatur, ſiue vt creantem, ſiue vt conſeruantem, eſt relatio verè realis, quia eſt dependentia eſſentialis, & realis, quâ ipſa creatura realiter, & eſſentialiter dependet ab ipſo Deo, quæ relatio eſt idem realiter ipſi creaturæ, vt probat Doctor *in ſecundo, diſt. 1. q. 5. & diſt in. 2.* Et eſt in re eadem penitus dependentia, quâ creatura dependet ad Deũ, ut creantem, & vt conſeruantem, quia ipſa in quocunque inſtanti, ſemper à Deo accipit idem *eſſe*, ſiue in primo, ſiue in toto tempore ſequenti, & per conſequens eadem penitus relatio realis dependentiæ. Iſta tamen relatio ſecundùm intellectum poteſt diuerſificari, ita quòd eadem relatio prout conſideratur in primò inſtanti, in quo creatura accipit *eſſe* poſt *non eſſe* immediatè præcedens, dicitur creatio paſſiua; in quantùm verò conſideratur prout creatura accipit *eſſe* poſt *non eſſe* mediatè tantùm, dicitur conſeruatio *non eſſe* immediatè ad *eſſe* dicitur creare: prout vero producit eandem re de *non eſſe* mediatò ad *eſſe* dicitur conſeruare.. Et ſi in Deo eſſet relatio realis ad creaturam, eſſet tantùm vna relatio, quâ diceretur creare, & conſeruare, ſed diuerſificaretur ſecundùm alium, & alium reſpectum modo prædicto. Quartò dicit, quòd relatio rationis in creatura, quâ dicitur creari, & quâ dicitur conſeruari, non identificatur realiter rei creatæ, tamen quia nulla relatio rationis poteſt eſſe idem realiter enti reali. Tum quia relatio, quæ terminatur ad *non eſſe* immediatè præcedens, tantùm eſt in creatura pro primo inſtanti, quo accipit *eſſe* poſt *non eſſe* immediatè; ſimiliter relatio, quâ dicitur conſeruari, in quocunque inſtanti, poſt primum inſtans ſemper variatur & ſic realiter non poteſt identificari. Quintò dicit quòd contingit eadem voce multa diſtinctè aliqualiter importari. Et litera clara eſt vſque in finem articuli.

Relatio creaturæ ad Deũ eſt realis.

l *De tertio articulo principali*, in quo videndum eſt, an creatura poſſit præciſè per vnum inſtans

stans durare, ita quòd tanto nullo primo instanti, in quo accipit *esse* immediatè post *non esse* duret, sic quòd in tempore immediato ad illud instans desinat esse. Dicit Doctor absolutè quòd sic, & quòd nulla apparet ex hoc impossibilitas, quia hoc patet de instanti temporis, quòd tantùm habet *esse* pro illo instanti, quo est, sed etiam de mutatione instantanea, quæ tantùm per instans habet *esse*; modò non videtur maior contradictio de re permanenti, quòd non nisi in vno instanti habeat *esse*, quàm de ipso instanti, vel mutatione quia etsi res permanens non possit habere *esse* idem præcisè per instans, sed permansiuè (& instans, vel mutatio possit manere per instans, imò necessariò tantùm per instans manet) tamen permanens totum suum *esse* habet in instanti vno, quia in hoc distinguitur contra successiuum, quia successiuum non potest esse in instanti; non est ergo contradictio si permanens non habeat *esse* vltra primum instans, in quo accipit *esse*.

9. *8. Physic. contex. 61.* m Nunc Doctor arguit, probando quòd creatura permanens non possit præcisè durare per instans, & primò probat auctoritate Philosophi, qui ait 8. Phys. *Opponuntur* (inquit) *generatio*, &c. Vult dicere, quòd generatio, & corruptio non possunt esse simul, scilicet, quòd si res in instanti *A* generetur, in tempore immediatè non poterit corrumpi, aliter duæ mutationes oppositæ erunt simul: nam generari, & corrumpi sint duæ mutationes, & si de eodem simul possent verificari in eodem instanti, sequeretur quòd duæ mutationes oppositæ de eodem verificari possent; est ergo necesse quòd inter rem genitam, & eandem corruptam cadat tempus medium, id est quòd post instans, in quo generatur, duret aliquid tempus, & in vltimo instanti illius temporis poterit corrumpi.

n *Et idem paulò pòst ipsius temporis, in quo fiebat factum est in vltimo signo.* Dicit Philosophus, quòd res permanens non habet vltimum instans sui *esse*, sed benè habet primum instans sui *esse* & habet primum instans sui *non esse*, & non habet vltimum instans sui *non esse*, quæ omnia prolixè exposui in secundo, dist. 2. q. 1. vide ibi, non enim superiùs declarata, & prolixè exposita amplius repeti debent.

o *Præterea, si res creata tantummodo habeat esse in instanti*, Si enim habet *esse* in instanti *A*. tunc incipit esse, patet, quia verum est dicere in isto instanti est, & in tempore immediato ante illud instans, non fuit; ergo incipit esse. Et si in tempore immediato ad illud instans desinat esse, sequitur quòd simul desinat esse; patet, quia verum est dicere, in isto instanti est, & in tempore immediato ad illud instans non erit; ergo desinit esse, & sic benè sequitur quòd si tantùm per instans duret, quòd simul incipiet esse, & simul desinet esse, quod est impossibile.

10. *Nota.* p Respondet Doctor ad primum, quòd intentio Philosophi ibi est, quòd solus motus localis potest esse continuus, & perpetuus, &c. Pro maiori intellectu huius literæ est notandum, quòd in motu, puta intensionis continuo, vt cũ mobile mouetur ad calorem in toto illo motu à principio vsque ad vltimum instans, illius motus semper est verum dicere mobile calefit, & in vltimo instanti cessat motus ille, & tunc illius caloris acquisiti, in vltimo instanti datur primum instans sui *esse*, vt patuit *in secundo, di.* 2. *q.* 9. Tunc vltrà, si modò motus ille intensionis non terminetur ad aliquod *mutatum esse*, in quo calor sit perfectè acquisitus, si continuetur ille motus intensionis motui frigefactionis, ita quòd mobile moueatur per medietatem horæ ad calorem, & per aliam medietatem ad frigiditatem, ita quòd sit simpliciter vnius continuus intensionis, tunc sequitur quòd mobile simul fiat calidum, & frigidum; patet, quia motus calefactionis in aliquo instanti non est terminatus, sed semper continuatur frigefactioni; ergo simul calefit, & frigefit, imò si iste motus est perpetuus, & hoc tantùm per reflexionem (quia motus calefactionis non potest esse perpetuus, quia mobile non potest perpetuò moueri ad calorem; aliquando enim cessaret ille motus; non enim agens posset calefacere mobile, neque intensiuè in infinitũ, neque extensiuè in infinitũ, vt patet) sequitur quòd mobile in principio motus calefit, & frigefit: patet per exẽplum, pono quòd *A*. moueatur ad calorẽ per medietatem horæ, & per aliam medietatem moueatur ad frigiditatem, ita quòd motus ad calorem continuetur in actu ad frigiditatem, & per tertiam medietatem moueatur reflectendo ad calorẽ, & per quartam medietatẽ moueatur ad calorem, ita quòd totus ille motus sit vnus continuus, patet quòd esset verum, quòd mobile à principio totalis motus calefit, & frigefit; si enim motus, ad calorem, & ad frigiditatem, & post ad calorem sit vnus continuus motus, patet per propositionem præmissam: quòd erit verum dicere mobile *A*. in principio motus calefit, & frigefit. Et sic patet quòd idem motus continuus erit simul ad opposita, quod est impossibile.

Sunt ergo duo in ista litera. Primum quòd motus alterationis, puta intensionis, vnus, & idem numero non posset perpetuari, nisi simul calefactio continuetur frigefactioni, & tunc talis motus esset ex oppositis, scilicet frigefactione intensiua, & calefactione intensiua; nec hoc solùm sufficeret ad perpetuandum motum intensionis, nisi talis motus continuaretur, & perpetuaretur per reflexionem à termino in terminum, ita quòd *A*. moueatur à calido ad frigidum, & à frigido ad calidum, & pòst à calido in frigidum, & sic continuè, quæ omnia sunt absurda. Secundum est, quòd si motus calefactionis continuaretur motui frigefactionis, ita quòd esset vnus tantùm motus numero, tunc sequeretur quòd mobile in principio totalis motus, simul frigefieret, & calefieret, vt patet per illam propositionem. Patet ergo quomodo motus alterationis non posset perpetuari, & hoc, quia talis est à contrario in contrarium, vt supra patuit. Sed non est sic de motu locali, qui potest perpetuari, vt patet quia si virtus duret in infinitum applicata alicui orbi, mouebit illum motu infinito continuo, & hoc extensiuè. Et de facto, secundùm Philosophum Intelligentia applicata orbi, mouet illum localiter motu continuo, & ille motus erit perpetuus. 11.

q *Et propter consimilem rationem probat ibi, quòd nõ potest cõtinuari corruptio generationi, &c.* Quod patet per exemplum, quòd pono materia in instanti *A*. mutetur ad formam ignis, & in tempore immediato, vel in alio instanti mutetur dependentiæ formam ignis, ita quòd ipsa mutatio, quæ est generatio, continuaretur

retur mutationi, quæ est corruptio, & tantùm sit vnica mutatio, patet quòd illa mutatio constat ex duabus mutationibus oppositis, scilicet generatione, & corruptione, & deberet perpetuò continuari; non posset autem continuari, nisi per continuam reflexionem termini *à quo*, & termini *ad quem*, ita quòd moueatur, siue mutetur ob *esse* in *non esse*, & à *non esse* ad *esse*, & immediatè post ab *esse* in *non esse*, & sic continuè reflectendo, & sic talis mutatio componeretur continuè ex mutationibus oppositis, quod est impossibile; imò in quacunque vna mutatione, siue continua; verum est dicere quòd à principio mutatur ad vltimum terminum; ille autem est terminus generationis; igitur à principio mutatur mutatione generationis, & tamen tunc per positum, mutatur mutatione corruptionis, quia illa ponitur vt continuanda generationi. Et sic patet intentio Philosophi.

Sed in proposito nihil est contra, quod dictũ est, rem in vnico solo instanti creationis, habere *esse*, quia non concedo quòd illi creationi possit continuari annihilatio, vt sit vna mutatio, quia tunc secundùm argumentum Philosophi, quando creatur, verum est dicere quòd annihilatur, quia si creatio & annihilatio sunt præcisè vna mutatio, & quando res mutatur ad aliquid, semper est verum dicere quòd fit illud ad quod mutatur, & sic esset verum dicere quòd *A*. quando creatur annihilatur, vt suprà patuit. Sed tantummodò concedo quòd creationem sequitur annihilatio, quia ponendo quòd *A*. præcisè duret per illud instans, in quo creatur, tunc in tempore immediato ad illud instãs, annihilatur, & creatio nõ est vna mutatio cũ annihilatione, imò duę mutationes, quia creatio est mutatio *A*. non esse immediatè ad *esse*, & annihilatio est mutatio ab *esse* in *nõ esse* immediatè.

12. r Doctor instat, probando quòd si res præcisè duraret per instans, quòd tunc creatio, & annihilatio essent in instanti, quia vtérque est à virtute infinita, quæ non potest agere in tempore, vt videtur Philosophus probare 8. *Physic.* igitur in proposito creatio, & annihilatio, vel esse in eodem instanti, quod est inconueniens Philosopho.

8. *Physic. contex.* 79. 6. *Physic. contex.* 61.

Respondet Doctor quòd ratio Philosophi tacta, scilicet quòd idem non potest simul mutari mutationibus oppositis, probat corruptionem non posse continuari generationi, sic, quòd corruptio, & generatio eiusdem sit vna mutatio numero continua, vt suprà patuit, imò necessariò sunt duæ mutationes oppositæ. Est etiam apud Philosophum alia conclusio vera, scilicet, quòd generationem non potest immediatè sequi corruptio, idest, posito quòd generatio ligni, & corruptio eiusdem non sint vna mutatio continua, sed duæ mutationes, adhuc illæ duæ mutationes sic se habent, quòd corruptio ligni non potest immediatè, sequi generationem ligni, & huius est alia ratio à prædicta, qua probatur quòd non sunt vna mutatio. Ratio enim, qua probatur quòd non sint vna mutatio continua est, quia talis mutatio esset corrupta ex oppositis, & sic esset verum dicere, quòd in quocunque instanti *A*. est genitum, vel generatur, quòd *A*. corrumpitur, vt suprà patuit. Et ratio, quòd immediatè corruptio non potest sequi, est, quia vel generatio, & corruptio simul essent in eodem instanti, vel in alio, & alio instanti, ita quòd generatio esset in vno instanti, & in instanti immediato esset corruptio, & sic darentur duo instantia immediata; patet hoc, quia apud Philosophum generatio fit præcisè in instanti, & corruptio similiter. Si ergo corruptio ligni fit in instanti, & talis corruptio immediate sequitur generationem ligni, quæ similiter fit in instanti, aut ergo corruptio ligni est in eodem instanti, in quo & generatio ligni; & tunc sequitur quòd erit verum dicere lignum in illo instanti, quo generatur, corrumpitur; patet, quia in eodem instanti, quo est generatio, est etiam corruptio: si in alio instanti in mediato instanti generationis, ergo dantur duo instantia immediata, quod est impossibile apud Philosophum, 4. & 6. Physicorum.

s *Hæc probatio, quæ est secundùm mentem Philosophi*, &c. Patet, quia in tempore non est aliquid indiuisibile, nisi instans; nam quælibet pars temporis est diuisibilis in infinitas partes; si ergo tempus immediatè sequens instans creationis, esset immediatum illo instanti secundùm aliquid indiuisibile, tunc esset immediatum secundùm aliquid instantis, & sic instans esset immediatum instanti; est ergo immediatum secundùm aliquid diuisibiliter, scilicet secundùm aliquam partem temporis, quæ etiam est diuisibilis in infinitas partes. Sicut etiam dicimus quòd continuum terminatum ad punctum, est immediatum pũcto secundùm aliquid sui diuisibile, & non secundùm aliquid indiuisibile, quia in continuo non est aliquid indiuisibile nisi punctus. Et sic si continuum esset immediatum puncto secundùm aliquid indiuisibile; tunc esset immediatum puncto secundùm aliquem punctum, & sic punctus esset immediatus puncto, quòd est contra Philosophũ 6. *Physic.* De hoc vide Doctorem in secundo, dist. 2. quæst. 9. & singulares difficultates ibi adductas, & expositas. 13.

t *Et hoc modo motus est immediatus vltimo quietis, quia post illud statim est motus, sicut diuisibile post indiuisibile, quod est eius principium*: instans enim quietis, siue immutationis, est instãs terminans quietem, quæ opponitur motui, puta si *A* moueatur per horam, vltimum instans illius horæ, siue *mutatum esse*, quod mensuratur illo vltimo instanti est terminus motus, sic quòd totus ille motus immediatè terminatur ad illud *mutatum esse* secundùm aliquid diuisibile, & non secundùm aliquod indiuisibile, quia cùm in motu non sit aliquid indiuisibile, nisi *mutatum esse*, si secundùm illud esset immediatum vltimo *mutato esse*, tunc essent duo *mutata esse* immediata, quod est contra Philosophum, 6. *Physic.* Et si post illud vltimum *mutatum esse* terminans motum vnius horæ, ipsum *A*. quiescat per aliam horam, tunc illa quies, quæ mensuratur tempore vnius horæ propriè opponatur motui præcedenti. Et vltimum instans illius horæ mensurantis quietem dicitur instans quietis, siue instans immutationis. Si modò *A*. immediatè post illud instans, in quo quietabatur sub calore, moueatur ad frigus, motus ille, qui immediatè sequitur instans quietis, erit necessariò diuisibilis. Et cùm dicit, *sicut diuisibile post indiuisibile, quod est eius principium*, hoc non debet referri ad motum, qui immediatè sequitur instans quietis, non enim illud instans quietis est 14.

princi

principium motus immediatè ſequentis, quia tunc ſequeretur quòd in motu daretur aliquod primum, aut prima pars motus, aut prima mutatio; principium enim motus eſt mutatio cõtinua; ſi ergo illud inſtans eſſet principium, vel aliquid menſuratum illo inſtanti eſſet principium motus, illud non poſſet eſſe niſi *mutatum eſſe*, & ſic in motu daretur primum *mutatum eſſe*, quod eſt contra Philoſophum, 6. *Phyſic.* qui vult quòd ante quodlibet moueri eſt *mutatum eſſe*, & ante quodlibet *mutatum eſſe* eſt aliquod moueri, hoc idem patet à Doctore *in ſecundo, diſt.* 2. *q.* 9. & vide ibi ſingulares difficultates. Intelligit ergo Doctor abſolutè quòd ſicut continuũ non ſucceſſiuum, ſed permanens immediatè terminatur ad punctum indiuiſibile, & alia pars permanentis, quæ immediatè ſequitur, eſt immutata poſt illud punctum, & ſic punctus eſt principium partis ſequentis, & finis præcedentis. Sic eſt in motu, qui terminatur ad *mutatum eſse*, ſi motus continuetur, erit finis partis motus præcedentis, & principium partis immediatè ſequentis. Eſt tamen differentia in continuo permanenti, & continuo ſucceſſiuo, quia in continuo permanente datur primum indiuiſibile, puta punctus initians ipſum continuum permanens, datur etiam vltimum indiuiſibile terminans. Sed in motu datur vltimum *mutatum eſse* terminans, ſed non datur primum *mutatum eſſe* initians. Et ſimiliter in tempore datur vltimum inſtans terminans tempus, & non datur primum inſtans initians ipsũ tempus. Et ſicut in continuo permanenti datur punctus continuans, qui eſt principiũ vnius partis, & finis alterius, imò infinita puncta continuantia, cùm ibi ſint infinitæ partes, & inter quaſcunque duas partes datur punctus mediãs, & continuans: Sic pariformiter dicendum eſt de mutato eſſe continuante partes motus, & de inſtanti cõtinuante partes temporis. Hæc omnia ſubtiliter, & prolixè cum multis dubiis adiunctis, ſunt pertractata in ſecundo diſt. 2. q. 9.

16. u *Cum igitur arguitur, quòd annihilatio eſset in inſtanti*, Vult dicere, quòd loquendo de inſtanti temporis, de quo intelligit argumentum contra, ſcilicet, quòd creatio, & annihilatio fiunt in inſtanti, dicit quòd ſi creatio eſt in inſtanti, annihilatio eiuſdem non erit in inſtanti nec in eodem, in quo eſt creatio; quia tunc eſſet verum dicere quòd *A.* quando creatur, annihilatur, nec in alio inſtanti immediato ad inſtans creationis, quia tunc inſtans eſſet immediatum inſtanti, vt procedit ratio; ſed annihilatio eſſet in tempore immediato ad illud inſtans, vt ſuprà patuit. Si verò non acciperetur inſtans temporis, ſed inſtans æui, poſſet concedi quòd in vno inſtanti æui eſſet creatio, & in alio inſtanti æui immediato, eſſet annihilatio, tenendo quòd ſit ſucceſſio in huiuſmodi inſtantibus, non ſucceſſio continua, ſed ſucceſſio raptim tranſeundo, vt prolixè expoſitum eſt in ſecundo, *diſt.* 2. *q.* 1. vel ſi teneatur, quòd æuum præcisè dicat vnum inſtans indiuiſibile. De quo vide ſuprà, in ſecundo, ideo Doctor reſtringit ſe ad inſtans temporis, quia ſi *A* creatur in inſtanti in tempore immediatè ſequenti annihilabitur, poſito quòd *A.* tantùm duret per inſtans.

x *Et cùm probatur, quia virtus infinita non agit in tempore.* Dicit Doctor quòd illam propoſitionem non concederet Philoſophus, niſi de virtute infinita naturali neceſſitate agente, Patet, quia ſi virtus infinita agat in tempore vnius anni, poſſet illa virtus finita in tãtũ augeri, quòd ageret inæquali tempore, quia quantò virtus eſſet maior: tantò in minori tempore ageret; concludit ergo quòd ſi virtus infinita moueret cœlum, quòd ipſum moueret in inſtanti, & ſic motus eſſet in inſtanti, quæ propoſitio Philoſophi eſt pertractata prolixè à Doctore *in* 1. *diſt.* 2. *q.* 1. reſpondendo ad principalia argumenta, vide ibi, & benè ſequitur quòd ſi eſt infinita, & agat de neceſſitate naturæ, quòd tunc ageret in inſtanti, quia tunc ageret ſecundùm totam virtutem, & conatum. Sed Theologi non concedunt Deum agere naturali neceſſitate, & ideò poſſe agere in tempore, & ſic in tempore immediato ad inſtans creationis poteſt rẽ annihilare. *An virtus infinita agat in tempore.*

y *Sed nunquid tenendo Deum agere naturali neceſſitate, non poſset concedi aliquid poſse manere tantùm per inſtans, cùm mutatio ſic tantum maneat, etiam ſecundùm Philoſophum.* Dico, quòd non poſſet manere, niſi daretur generatio, & corruptio, vel ſimul in eodem inſtanti, vel in alio, & alio inſtantibus immediatis; mutatio verò præcisè durat per inſtans, quia ſibi formaliter repugnat durare niſi tantùm per inſtans. Sicut etiam continuum ſucceſſiuum neceſſario durat per tempus, ita mutatio neceſſaria tantùm per inſtans. Sed non eſt ſic de permanentibus, vt patet. *Opinio Theologorum.*

S C H O L I V M.

In hac litera ſunt pulchra dicta Philoſophica, de quibus vide Doct. 2. *d.* 2. *q.* 9 *à nu.* 3. *&* 8. *Phyſ. Primum dictum naturaliter nihil producitur vt ſtatim deſinat, quia corruptiua non ſtatim vincunt generans, alius non generaret. Secundum, corruptum non habet vltimum ſui* eſſe, *ſed primum* non eſſe *naturaliter. Tertium, genitum naturaliter habet primum ſui* eſſe *ſimul cum primo* non eſſe *corrupti. Quartum, in oppoſitis ſibi ſuccedentibus non eſt dare vltimum præcedentis cum primo conſequentis. Quintum, in raptim tranſeuntibus, vt ſunt inſtantia, & mutationes, eſt dare vltimum, & primum* eſſe. *Sextum, quæ virtute diuina fiunt, & deſinunt, poſſunt incipere, & deſinere in tempore, vel in inſtanti. Septimum, incipit pro negatione præteriti, & poſitione præſentis, & deſinit propoſitione præſentis & negatione futuri, ſimul dicuntur, de re vno inſtanti durante. In his dictis habet omnia de inceptione, & deſitione permanentium. Vide eum locis citatis.*

Vide 2. d. 2. q. 4. Vide 1. cæ. t. 138.

AD aliam auctoritatem Philosophi illa requirit alium intellectum, etiam ab vtroque prædictorum: quia, scilicet natura nihil producit, vt statim corrumpatur: nec quod necesse est mox corrumpi, sicut ipse dicit: quia natura producens sic influit ad conseruationem producti, quòd possit per tempus aliquod manere: ita quòd corruptiua, vel non sunt approximata, vel non vincunt virtutem generantis, & conseruantis generatum: quia tunc generans impediretur generare: nec ex illo potest haberi aliqua impossibilitas respectu potentiæ diuinæ: sed tantùm impossibilitas secundùm causas naturales inter se comparatas. 15.

Naturaliter, corruptum non habet vltimum sui esse, sed primum nō esse cū primo esse geniti.

Ad aliud dico, [a] quòd in generatione, & corruptione naturali corruptum non habet vltimum sui *esse*: quia tunc haberet qualitates conuenientes, saltem in tali gradu, in quo possent stare cum forma illius: & si sic non subitò abiicerentur: nec igitur corrumpendum subitò corrumperetur; & sicut corruptum [b] non habet vltimum sui in *esse*, sic habet primum in *non esse*: quia cum *esse* geniti concurrit *non esse* corrupti genitum autem in instanti generationis habet *esse*: quia tunc forma eius est in materia, & habet tunc primum *esse*: quia tunc forma immediatè succedit priuationi, & sicut genitum habet primum in *esse*: sic corruptum habet primum in non *esse*; sed si aliqua virtute conseruaretur [c] aliquod ens in *esse*, in aliquo instanti vltimo, ibi tunc non esset dare primum *non esse*: sic esset de illa creatura permanente, quæ non haberet *esse*, nisi per instans. Vniuersaliter autem dico, [d] quòd in succedentibus sibi inuicem, siue sint opposita priuatiuè, siue contradictoriè, siue quasi contrariè: quia ambo sunt positiua: nunquam est dare vltimum præcedentis, & cum hoc primum consequentis: quia tunc opposita essent in eodem instanti, vel duo instantia immediata: semper tamen alterum est dare, scilicet vel vltimum prioris, vel primum posterioris: quia diuisibile non est immediatum nisi indiuisibili: & succedentia sibi inuicem, sunt opposita immediata.

Res durans vno instanti, habet vltimum esse, & primum esse simul.

Cùm igitur illa, quæ accipiunt *non esse* post *esse*, quædam sunt raptim transeuntia, quædam permanentia naturaliter genita, vel corrupta; quædam autem possunt esse entia permanentia virtute diuina producta, vel corrupta. In primis, scilicet raptim transeuntibus est dare tam vltimum, quàm primum in *esse*: quia illud instans, in quo solo habent *esse*, & ideò nec est dare primum, nec vltimum in *non-esse*: quia tam in toto tempore terminato ad hoc instans, quàm in toto tempore sequente hoc instans, habent *non esse*. In secundis autem est dare primum in *esse*, sed non vltimum: & similiter in *non esse* est dare primum, & non vltimum: sicut expositum est priùs pro intentione Philosophi. In aliis autem, quæ per virtutem diuinam producuntur, vel destruuntur, potest esse vterque istorum modorum: & etiam tertio modo scilicet quòd sit ibi dare vltimum in *esse*, & non primum in *non esse*: quia illius virtus potest in quemcunque modum successionis vnius ad alterum; qui non includit contradictionem. 16.

Quæ desinunt sunt in triplici differentia.

Ad aliud dico, quòd *incipit* dupliciter exponitur: vno modo cum positione præsentis, & negatione præteriti: sic scilicet, est, & non priùs fuit: alio modo per negationem præsentis, & positionem futuri, sic, non est, & erit.

Similiter *desinit* dupliciter exponitur.

Incipit, & desinit, *dupliciter exponuntur.*

Dico igitur, quòd secundùm vnum modum exponendi verum est quod simul aliquid incipit, & desinit: quia raptim transiens incipit. Hoc est, est, & non fuit: & desinit esse: hoc est, est, & non erit; vbi vtrobique affirmatur esse, & negationes istæ hinc, & inde, scilicet *non fuisse*, & *non fore* non sunt oppositæ, præcisè autem repugnantiam importāt incipere, & desinere secundùm istos intellectus, in quibus est aliquid idem affirmatum, & negatum: vel opposita aliqua includuntur.

Ad argum.

Quomodo aliquid possit creari, & non conseruari.

Ad primum argumentum principale patet ex secundo articulo principali: quo modo primum antecedens est verum, scilicet quòd aliquid potest creari & nunquam conseruari. Hoc enim tantummodò ex ratione alterius, & alterius respectus importati in hoc, quod est creari, & conseruari, scilicet respectus ad oppositum, scilicet ad *non-esse* præcedens, quantùm ad creationem, & ad ipsummet *esse*, vt præhabitum, quantùm ad conseruationem; qui duo respectus sunt tantùm respectus rationis. Primus est respectus negatiuus: quia ad *non esse*: & nullus talis est realis. Secundus est eiusdem ad idem præhabitum: sicut primus ad idem *esse* non habitum, non est autem verum ratione respectus ad causam. Et cùm infertur; igitur potest habere respectum ad Deum creantem, & tamen nunquam habere respectum ad Deum conseruantem. concedi potest, si vniformiter accipiatur: hoc est, quòd Deus nunquam dicatur conseruare

conseruare illud quantùm ad totum, quod importatur per *conseruare*: si autem intelligatur, quòd nunquam habebit ad Deum respectum illum, quem importat hoc, quod est conseruari à Deo, qui est respectus dependentiæ ad causam in essendo, neganda est consequentia: quia etsi nunquam habeat respectum dependentiæ cum illo alio, qui est quasi successionis ad seipsum: tamen illum, qui est dependentiæ necessariò habebit: & tunc in vltimo consequenti non potest plus concludi, nisi quòd totum. quod importatur per illum terminum, *creari*, non est idem toti, quod importatur per *conseruari*, scilicet duplex respectus hìc, duplici respectui ibi, quod verum est: quia licèt ille, qui communiter vtrobique importatur, sit omnino idem: tamen aliter, qui importatur in hoc, quod est creari; alius est ab illo altero, qui importatur per hoc, quod est conseruari.

COMMENTARIVS.

17. a *AD aliud dico, quòd in generatione &c.* Vult dicere Doctor quòd si lignum corrumpendum haberet instans sui *esse*, in quo, scilicet esset, tunc in illo instans haberet qualitates conuenientes tali formæ ligni, puta in tanto gradui, quem sibi necessariò determinat, modò illæ qualitates non abijcerentur subitò, & immediatè, vt patet, & sic sequeretur quòd lignum corrumpendum, non subito, & in instanti corrumperetur, sed in tempore habito, & sic esset verum dicere lignum in instanti *A* est, & immediatè post hoc non erit, & sic in tempore immediato corrumperetur; modò corruptio semper fit in instanti; ergo non datur vltimum instans corrumpendi.

b *Et sic vt corruptum non habet vltimum instans sui esse, sic habet primum instans sui non esse, &c.* Hoc patet, quia ex quo generatio est in instanti, quo forma inducitur in materia, genitum est, & tunc sic exponitur per positionem de præsenti, & negationem de præterito, genitum in isto instanti est, & in tempore immediato non fuit, ergo incipit esse. Et quia in eodem instanti, in quo forma geniti inducitur in materia, forma corrumpendi expellitur à materia (aliter simul in eodem instanti essent duæ formæ repugnantes) sequitur quòd ipsum corrumpendum non sit, & sic datur primum instans sui non esse, siue primum instans, in quo non est; patet, quia in toto tempore præcedēti fuit & in isto instanti non est; ergo datur primum istans, in quo non sit. Et sic exponitur per negationem de præsenti, & positionem de præterito *A nunc*, siue in isto instanti, non est, & in tempore immediato fuit, ergo *A* desinit esse.

c *Sed si aliqua virtute conseruaretur &c.* patet, quia si *A* habet vltimum sui *esse*, in illo instanti non corrumpitur, quia tunc in eodem instanti simul esset, & non esset; nec in alio instanti immediato, quia tunc daretur instans immediatum instanti, ergo corrumperetur in tempore immediato ad illud vltimum instans, in quo haberet *esse*, & si in tempore corrumpitur sequitur quòd non habet primum instans sui *non esse*, quia tunc in instāti esset corruptum, & non in tempore. Et sic concedo quòd si creatura tantùm per instans duraret, quòd haberet vltimum instans sui *esse*; patet, quia tantùm in tempore immediatè sequenti desineret esse vt suprà patuit, nec etiam haberet primum instans sui *non esse*, quia præcisè haberet *non esse* in tempore.

d *Vniuersaliter autem dico* &c. Expono istam literam præmittendo exemplum de priuatè oppositis contrariè, contradictoriè, priuatio formæ in materia, & forma: esse simpliciter, & non esse simpliciter; forma substantialis aquæ, & forma substantialis terræ. Prima in eodem subiecto priuatiuè opponuntur. Secunda contradictoriè. Tertia quasi contrariè, quia inter formas substantiales, non est, propriè contrarietas. Dicit ergo, quòd in huiusmodi sibi inuicem succedentibus non est vltimum præcedentis, & cum hoc primum consequentis: patet de priuatè oppositis, quia si materia in isto vltimo instanti est priuata forma, ita quòd in illo instanti sit priuatio, & postea detur primum instans, in quo forma sit, aut dabitur illud idem instans, in quo est priuatio formæ, & tunc in eodem instanti erit forma, & priuatio eius; aut dabitur aliud instans immediatum, & tunc erunt duo instantia immediata; aut in tempore immediato & tunc non habebit aliquod instans *sui esse*, sed præcisè in tempore. Similiter si daretur vltimum instans formæ non posset dari primum instans, priuationis oppositæ immediatè sequentis, & arguatur sicut prius. Et de contradictoriis idem patet, quia si daretur vltimum instans non esse *A* puta, quòd non omne *A* duret per annum, & in vltimo instanti illius anni, tunc *A* non posset habere primum instans sui *esse*, quia aut haberet in eodem instanti, aut in alio immediato; aut in tempore immediatè sequenti, & arguatur vt priùs. Et similiter si *A* haberet vltimum sui *esse*, tunc *non esse* sequens non posset habere primum instans sui *esse*, & arguatur vt priùs. Similiter patet de quasi contrariis sibi inuicem succedentibus, & sint forma terræ, & forma aquæ, ita quòd forma aquæ succedat formæ terræ in eadem materia. Si forma terræ haberet vltimum instans sui *esse*, tunc forma aquæ immediatè succedens non haberet primum instans sui *esse*; patet, quia forma aquæ succedens, aut haberet esse in eodem instanti, in quo habet esse forma terræ, & tunc in eodem instanti materia simul esset sub forma terræ, & sub forma aquæ; aut haberet forma aquæ esse in alio instanti immediato, & tunc essent duo instantia immediata; aut haberet esse in tempore immediato, & tunc non haberet primum instans sui *esse*.

18. *Exemplum.*

19 Si dicatur, quòd haberet *esse* in alio instanti, non immediato; sed mediato. Contrà, quia tūc sequitur quòd forma terræ nō haberet esse in aliquo vltimo instanti, sed in tempore.

Sequitur in litera *semper tamen alterum est dare* scilicet, vel vltimum prioris, vel primum posterioris, *& nunquam vtrumque simul* scilicet, vltimum instās prioris, & primū posterioris. Si enim datur vltimum instās formæ terræ, primum instās nō poterit dari formæ aquæ immediatè succedētis, vt supra patuit. Et si datur primum instās formæ aquæ succedētis formę terræ, vltimū instans formæ terræ præcedentis dari non poterit, propter rationem superius factam, quia scilicet tūc oporteret dari duo opposita simul in eodem instāti, vel duo instantia immediata, vt patuit. Et assignat rationem quare in oppositis inuicem succedentibus, si datur primum posterioris, non dabitur vltimum prioris. Sed si datur vltimum prioris oppositi, non dabitur primum posterioris oppositi, & si datur primum posterioris oppositi, non dabitur vltimum prioris oppositi: ratio, quia diuisibile non est immediatum, nisi indiuisibili, si enim *A* habet vltimum sui *esse*, ad illud instans vltimum immediatè sequitur tempus diuisibile. Si etiam datur primum instans formæ succedentis, illud instans immediatè sequitur tempus, in quo fuit forma præcedens, & sic patet quomodo diuisibile est tantùm immediatum indiuisibili, & similiter indiuisibile est tantùm immediatum diuisibili, & non indiuisibili. Et addit, quòd succedentia sunt immediatè opposita, succedentia dico sibi inuicem, & per consequens, si vnius succedentis datur vltimum instans sui *esse*, immediatè alterius succedentis non dabitur primum instans sui *esse*, & si illius posterioris succedentis priori datur primum instans sui *esse*, tūc prioris non dabitur vltimum instās sui *esse*.

An detur vltimum instans.

e *Cùm igitur illa, quæ accipiunt* non esse *post* esse, *quædam sunt raptim transeuntia*, &c. Exemplum, quòd mutatio siue instās habeat primum sui *esse*, quia verum est dicere in hoc instanti est, & in tempore immediato non fuit; ergo habet primum instans sui *esse*. De vltimo instanti patet, quia verum est dicere quòd in isto instanti est, & in tempore immediato non erit, ergo habet vltimum instans sui *esse*. Sed non habet primum instans sui *non esse*; patet, quia tunc esset verum dicere in isto instanti non est, & in tempore immediato fuit: sed hoc est falsum, ergo non habet primum instans sui non esse; nec similiter habet vltimum instans sui *non esse*, quia tunc esset verum dicere in isto instanti, non est, & in tempore immediato ad hoc instans erit; sed hoc est falsum, quia mutatio, nec instans possunt esse in tempore. Et hoc est quod Doctor dicit, scil. *ideò non habent nec primum nec vltimum sui* non esse &c. *In secundis*, scilicet permanentibus virtute naturali, *est dare primum inesse, sed non vltimum*. De primo patet, quia verum est dicere, quòd genitum in isto instanti est, cùm generatio sit in instanti, & in tempore immediato non fuit, ergo habet primum sui *esse*. De secundo patet, quia si corrumpendum haberet vltimum sui *esse*, in illo instanti vltimo haberet qualitates conuenientes, & dic vt suprà. Addit quòd huiusmodi *permanentia habent primum instans sui non esse, & non habent vltimum instans sui non esse*. Primum patet, quia de corrupto verum est dicere, nunc non est, & in tempore immediato fuit; ergo corruptum habet primum instans sui *non esse*. Secundum patet, quia si haberet vltimum sui *non esse*, esset verum dicere, genitum in isto instanti non est, in tempore immediato erit; hoc autem est falsum, quia generatio non est in tempore, sed præcisè in instanti. *In alijs autem, quæ virtute Diuina producuntur* & accipio Angelum, & dicatur *A*. potest primò habere primum sui *esse*, quia verum est dicere, quod *A* nunc est, & in tempore immediato non fuit; ergo habet primum sui *esse*, potest etiam habere vltimum sui esse, quia verum est dicere Angelus nunc est, & immediatè post hoc non erit, quia Deus (vt supra patuit) potest ipsum in tempore immediato annihilare; ergo habet vltimum sui *esse*; & si habet vltimum sui esse, non poterit autem habere primum sui *non esse*; patet, quia ad vltimum inesse immediatè sequitur tempus, & sic non habebit primum instans sui *non esse* cùm in tempore immediato ad instans, in quo habet vltimum sui *esse*, corrumpatur vel annihiletur. Si tamen non haberet vltimum sui *esse*, poterit habere primum sui *non esse*, quia Deus post aliquod tempus potest in vltimo instanti illius temporis annihilare, & tunc esset verum dicere *A* nunc non est, & in tempore immediato fuit; ergo habet primum sui *non esse*, potest etiam habere vltimum sui non esse, quia si Deus in isto instanti non creet Angelum, sed in tempore immediato ad illud instans creet, quia hoc potest facere, tunc habebit vltimum sui *non esse*, quia verum non esset dicere, *A* in isto instanti, non est, & in tempore immediato pòst, scilicet hoc instans erit; ergo habet vltimum sui *non esse*. Et ratio istorum est, quia virtus diuina potest in quemcunque modum successionis vnius ad alterum, qui non includit contradictionem. Sed in modis prædictis nulla apparet contradictio: esset bene contradictio quòd *A* haberet vltimum sui *esse*, & immediatè pòst hoc haberet primum sui *nō esse*, vt supra patuit. Esset etiam contradictio, quòd *A* haberet vltimum sui *non esse*, & quòd haberet primum sui *esse*, patet, quia si haberet primum sui *esse*, non haberet in eodem instanti, quo habet vltimum sui *non esse*, & tunc est verum dicere quòd *A* in eodem instanti sit, & non sit, aut in alio instanti, & tunc essent duo instantia immediata. Et aliquis alius modus posset inueniri, quem modò transeo.

Deus potest annihilare Angelum.

Ad aliud de *incipit*, & *desinit* dicit, quòd dupliciter exponitur, nam *incipit* exponitur per positionem de præsenti, & negationem de præterito, & tunc habet primum sui *esse*, vt *A* in isto instanti est, & in tempore immediato non fuit, ergo *A* incipit esse. Secundò, per negationem de præsenti, & positionem de futuro, & hoc quando habet vltimum sui *non esse*, vt *A* nunc non est, & in tempore immediato post hoc erit, ergo incipit esse. Similiter *desinit* exponitur dupliciter, primò, per negationem de præsenti, & positionem de præterito, vt quando habet primum sui *non esse*, vt *A* in isto instanti non est, & in tempore immediato fuit, ergo desinit esse. Secundò, per positionem de præsenti, & negationem de futuro, & hoc quando habet vltimum sui *esse*, vt *A* in isto instanti est, & in tempore immediato post hoc non erit; ergo *A* desinit esse. Dicit ergo Doctor quòd raptim transeuntia quæ præcisè durant per instans exponunt, & per *incipit*, & *desinit*, per *incipit*, vno modo tantùm, scilicet per positionem de præsenti, & negationem de præterito, vt instans

De incipit & desinit dupliciter exponitur.

stans nunc est, & in tempore immediato non fuit; ergo incipit esse; sed non potest exponi per negationẽ de præsenti, & positionem de futuro, quia non valet, instans nunc non est, & in tempore immediato erit, quia repugnat instanti esse in tempore. Similiter exponitur per *desinit*, vno modo scilicet per positionem de præsenti, & negationem de futuro, vt mutatio, vel instans nunc est, & in tempore immediato non erit, ergo desinit esse. Sed non potest exponi per negationem de præsenti, & positionem de præterito, quia non sequitur, instans nunc non est, & in tempore immediato ante hoc fuit; non sequitur, quia instans nec mutatio sunt in tempore. Et sic concedo, quòd si Angelus tantùm per instans duraret, quòd haberet primùm, & vltimum sui *esse*, & simul inciperet esse per positionem de præsenti, & negationem de præterito, & desineret esse, exponẽdo *desinit* per positionem de præsenti, & negationem de futuro, eodem modo præcisè, vt dixi de raptim transeuntibus. Hæc exposui pro iunioribus, & inexpertis.

Ad argumentum principale. Doctor facit vnum argumentum in principio quæstionis, probando quòd respectus ad Deum, vt creantem, & conseruantem, non sit idem, quia respectus ad Deum, vt creantem separabilis est à respectu ad Deum, vt conseruantem. Et ratio huius est, quia si creatura tantùm duret per instans, sicut potest, tunc tantùm erit respectus ad Deum, vt creantem, cùm in primo instanti tantùm creetur, & nullo modo habebit respectum ad Deum, vt conseruantem; patet, quia dicitur conseruari tantùm post primum instans creationis, vt suprà patuit, ergo.

Responsio Scoti. Respondet, & responsio stat in aliquibus dictis. Primò, si creatura tantùm durat per instans, tunc in ipsa est vnus respectus realis ad Deum, vt creantem; & est alius respectus rationis, qui fundatur in ipsa, & terminatur ad *non esse* immediatè præcedens, vt supra patuit. Secundò, si verò creatura duret per aliquod tempus vltra primum instans creationis, dicit quòd ipsa habet eundem respectum realem ad ipsum Deum causantem, & dantem *esse* pro tempore sequenti, & est realiter, simpliciter idem respectus realis, siue eadem dependentia realis, quæ est ipsius, vt ad Deum creantem; quia in re pro quocunque instanti eadem creatura realiter ponitur in *esse*, & creatur; respectus tamen qui fundatur in ipsa, vt existente in tempore sequenti, & terminatur ad ipsam, vt existentem in primo instanti, bene est alius à primo, & verè separabilis; sed realis dependentia semper est eadem quantumcunque duret. Et de hoc patuit aliqualiter suprà; sed clariùs in difficultatibus, quas in secundo, dist. 2. q. 1. posui.

Dubia. Circa multa dicta in hac quæstione insurgunt non nulla dubia. Primò circa hoc, *eiusdem re, & ratione ad idem re, & ratione non est dependentia essentialis, nisi vnius, & eiusdem rationis.*

Secundò circa hoc, *existentia creaturæ permanentis est eadem omnino in ratione, & conseruatione & ex parte termini est omnino idem re, & ratione, scilicet velle diuinum, & habitudo non solùm ad creantem, sed ad conseruantem est habitudo dependentiæ essentialis, & eiusdem rationis*

Tertiò circa hoc, *velle diuinum omnino idem est ratio terminandi habitudinem rei creatæ, & conseruatæ, quia velle diuinum respectu cuiuscunque volibilis semper manet idem.*

Quartò circa hoc, *persona diuina semper est in* fieri, *quia nunquam ista persona potest habere esse, nisi accipiendo actualiter à producente.*

Quintò circa hoc, *respectus qui est ipsius esse ad* non esse *immediatè præcedens, non est realis, quia non ad terminum positiuum, & respectus qui est ipsius* esse ad esse *idem, quasi præexistens, vel magis cum illo priori existens non est realis, pro quanto est eiusdem ad idem, respectus autem ipsius* esse *ad causam à qua est, est realis.*

Sextò circa hoc, *res permanens potest esse præcisè per instans.*

Septimò circa hoc, *instans, & mutatio tantùm durant per instans.*

Octauò circa hoc, *permanentia habent primum sui esse, & primum sui* non esse, *& habentia vltimum sui* esse, *non possunt habere primum sui* non esse.

Nonò circa hoc, *in generatione, & corruptione naturali, corruptum non habet vltimum sui* esse, *quia tunc haberet qualitates conuenientes, saltem in tali gradu, in quo possent stare, & sic, non subitò abycerentur.*

Decimò contra hoc, *& raptim transeuntibus est dare tam primum quàm vltimum, scilicet in* esse, *sed non est dare primum & vltimum in* non esse, *quia non habent nec primum sui* non esse, *nec similiter vltimum sui* non esse.

Contra primum instatur multipliciter, probando quòd eiusdem re, & ratione, ad idem omnino re & ratione; sit multiplex dependentia essentialis. *Nota.* Et primò sic: eadem creatura, puta Angelus, omnino indistincta re, est fundamentum dependentiæ essentialis causati ad causam; finiti ad finem; mensurati ad mensuram, quæ dependentiæ terminantur ad aliquid omnino idem re, & ratione; ergo ejusdem re, & ratione, ad idẽ re, & ratione, est multiplex depẽdentia essentialis. Consequentia patet, quia illæ depẽdẽtiæ sunt ex natura rei distinctæ, vt patet. Antecedens probatur quoad omnes illas dependentias essentiales. De prima patet quia idem Angelus omnino re, indistinctus essentialiter, dependet dependentia causati, quia immediatè creatur à Deo, quæ dependentia terminatur ad ipsum Deum omnino indistinctum. De secunda patet, quia idem Angelus omnino indistinctus est ens finitum ordinatum ad vltimum finem, & sic idem Angelus dependet ab vltimo fine, vt à causa finali, quæ dependentia immediatè terminatur ad eundem Deum omnino indistinctum, quia omnino idem sub eadem ratione formali est causa efficiens, & causa finalis omnium, loquendo de primo efficiente, & vltimo fine, hoc patet à Doctore *in primo, dist. 2. q. 1.* Similiter tertia patet, quia idem Angelus indistinctus à parte rei ẽst perfectio limitata, & per consequens necessariò includens imperfectionem, & omne imperfectum essentialiter dependet à perfecto, & mensuratur ab eo, & talis dependentia mensurati, scilicet secundùm perfectionem immediatè terminatur ad vltimum perfectum, & vltimum perfectum est simpliciter idem à parte rei cum primo efficiente, & vltimo fine, vt probat Doctor *in primo, dist. 2. q. 1.* Cùm ergo istæ dependentiæ essentiales ad inuicem differant etiam præter omne opus intellectus,

ſequitur quòd in eodem indiſtincto ex parte rei fundantur immediatè plures dependentiæ eſſentiales, quæ etiam terminantur ad idem omnino indiſtinctum à parte rei. Et dico *indiſtinctum à parte rei*, quia non eſt neceſſe ponere indiſtinctum ratione, quia dependentia realis, & eſſentialis requirit præcisè extrema realia, non enim variatur ex natura rei propter variationem reſpectus rationis, ſiue in fundamento, ſiue termino. Et hoc dico, quia fortè poſſet reſponderi, quòd licèt idem Angelus ex parte rei ſit fundamentum omnino indiſtinctum reſpectu harum relationum eſſentialium, tamen ſecundùm alium, & alium reſpectum rationis fundat aliam, & aliam relationem. Et ſimiliter licèt ſit idem terminus ex parte rei omnino indiſtinctus, tamen ſecundùm alium, & alium reſpectum eſt ratio terminandi aliam, & aliam relationem eſſentialem. Sed hoc, vt dixi, non impedit, quia hic loquimur de alia, & alia relatione reali, & illa ſemper requirit tam fundamentum proximum, quàm terminum ex natura rei.

Secundò principaliter inſtatur, quia eiuſdem omnino indiſtinctum à parte rei ad idem indiſtinctum à parte rei poſſunt eſſe plures relationes reales, & ab inuicem realiter diſtinctè; ergo non videtur impoſſibile quòd etiam poſſint plures dependentiæ ex natura rei ab inuicem diſtinctæ. Conſequentia videtur nota, quia quæcunque relatio realis æquè requirit extrema realia, & realiter diſtincta, æquè etiam videtur repugnantia, quòd inter duo alba præcisè ſint plures ſimilitudines, ſicut quòd inter *A* & *B* ſint plures dependentiæ eſſentiales eiuſdem rationis; & ſimiliter videtur æquè impoſſibilile, quòd inter duo alba ſint plures relationes reales alterius rationis; puta, quòd inter ea ſit relatio ſimilitudinis, & diſſimilitudinis, vel æqualitatis, ſicut quòd inter *A* & *B* ſint plures dependentiæ, vel eiuſdem rationis, vel alterius rationis. Antecedens probatur, quia productum vniuocè includit relationem eſſentialis dependentiæ, quia dependet vt cauſatum ad cauſam; includit etiam relatione ſimilitudinis, quia idem productum eſt ſimile producenti: includit etiam relationem æqualitatis, quia productum vniuocè eſt æquale ſecundùm perfectionem eſſentialem ipſi producenti: includit etiam relationem realem idẽtitatis, cùm ſit idem ipſi producenti ſaltem ſpecificè, & è cõtra; & omnes iſtæ relationes differunt ab inuicẽ præter opus intellectus vt patet.

Si dicatur quòd non eſt impoſſibile plures relationes alterius rationis fundari in eodem indiſtincto ex parte rei, & terminari ad idem, ex parte rei omnino indiſtinctum. Sed eſt impoſſibile quòd plures eiuſdem rationis ſint in eodem omnino indiſtincto, & ad idem omnino indiſtinctum. Contrà, quia relationes alterius maiorem diſtinctionem requirunt in fundamento, vel in termino, quàm relationes eiuſdem rationis; patet, quia Philoſophus, *quinto Met, cap. de ad aliquid* aſſignat diſtincta fundamẽta reſpectu relationum primi, ſecundi, tertij modi, vt patet; ergo ſequitur quòd relatio primi modi, & ſecundi modi magis repugnent in eodẽ fundamẽto, quàm duæ relationes eiuſdem modi; & ſic non videtur valere illa reſponſio, vt patet intuenti.

An ſint diſtincta fundamenta reſpectu relationum

Tertiò principaliter inſtatur, quia videtur maior repugnantia ſimpliciter, quòd in eodem reſpectu eiuſdem, poſſint fundari duæ relationes oppoſitæ, quàm quòd in eodem indiſtincto ad aliud indiſtinctum poſſint fundari duæ relationes eſſentiales dependentiæ eiuſdem rationis, patet, quia non ita formaliter repugnant, ſicut relationes oppoſitæ. Sed in eodem penitus indiſtincto, & reſpectu eiuſdem, fundantur plures relationes oppoſitæ, vt patet de intellectu mouente ſe ad ſui cognitionem, qui tunc ſimul fundat relationes oppoſitas, ſcilicet relationem mouentis ad mobile, & relationem mobilis ad ſeipſum mouentem, vt patet à Doctore *in primo, diſt. 3. q. 7.* Hoc idem patet de voluntate mouente ſe, in quo tunc fundantur duæ relationes oppoſitæ, vt patet à Doctore *in primo, diſt. 2. parte ſecunda. q. 3. & diſt. 26. & in ſecunda, diſt. 26.* ergo ſi duæ tales poſſunt eſſe in eodem reſpectu eiuſdem, multò magis poſſunt eſſe duæ eiuſdem rationis in aliquo vno indiſtincto, quæ non terminentur ad illud idem; ſed ad aliud, ſicut, in primo, vbi ponitur idem omnino indiſtinctum eſſe fundamẽtũ, & terminum.

Quartò inſtatur, eſt magis impoſſibile quòd idem dependentia eſſentiali, & reali dependeat à ſeipſo, ita quòd immediatè fundet relationem eſſentialis dependentiæ, quæ etiam terminetur ad ſeipſum, quàm quòd idem habeat plures relationes eſſentiales dependentiæ ad aliud terminatas, ſiue quòd quàm ſimul dependeat ab alio pluribus dependentijs eiuſdem rationis; patet, quia primum includit manifeſtam repugnantiam apud omnes ſcilicet, quòd idem à ſe eſſentialiter dependeat; ſecundum verò non ita manifeſtam repugnantiam cùm ab aliquibus negetur illa propoſitio Doctoris, ſcilicet, quòd idem non poſſit dependere ab alio pluribus dependentijs, vt patet in primo Ochan. Sed idem realiter poteſt à ſe ipſo dependere dependentia reali, & eſſentiali; patet, quia mobile, vt mobile eſſentialiter dependet à motore, vt patet. Sed idem omnino indiſtinctum poteſt mouere ſe ipſum, vt probat Doctor *in primo, diſt. 3. q. 7.* & in *2. diſt. 2. q. 10. & diſt. 25. q. vnica.*

Quintò inſtatur, & redit quaſi in idem, quia ſimpliciter videtur maior impoſſibilitas quòd duæ relationes reales, & realiter oppoſitæ, ſimul poſſint eſſe inter extrema omnino ex parte rei indiſtincta, quàm quòd duæ relationes eiuſdem rationis fundentur in vno terminentur ad aliud, realiter & eſſentialiter diſtinctum; patet, quia de natura relationis realis eſt, vel quòd præexigat duo extrema realiter diſtincta, vel quòd efficiat extrema realiter diſtincta. Sicut ſunt relationes originis in diuinis conſtituentes perſonas diuinas; ſed non eſt de ratione formali quòd duę relationes eſſentialis dependentiæ eiuſdem rationis poſſint eſſe in eodem, quia ſi idem actu à pluribus depẽderet, haberet plures eiuſdem rationis. Sicut etiam in eodem albo ſimul poſſunt eſſe plures ſimilitudines eiuſdem rationis, licèt ad plura alba.

Reſponſio Doctoris.

Reſpondeo ad omnes inſtantias pręmittendo aliqua. Primũ quòd Doctor in præsẽti cõcluſione loquitur tãtũ de pluribus depẽdentiis eiuſdem rationis ad idẽ omnino indiſtinctum; non quòd illæ ſint formaliter ad inuicẽ repugnãtes, ſed quia inferũt incompoſſibilia, quia inferũt, idẽ ſimul poſſe eſſe, & non eſſe, vt patet in litera,

quia

quia ſi *A* eſſentialiter dependet à *B.* pluribus dependentiis,& ſufficienter ab vtraque ſeorſum ſumpta, ſequitur quòd *A* vel ſit bis cauſatus, vel ſimul ſit cauſatus,& non cauſatus,quæ ſunt incompoſſibilia. Secundum eſt, quòd iſtud dictum Doctoris non dicitur ſimpliciter impoſſibile ex hoc, quòd idem dependeat pluribus dependentiis totalibus,& ſufficientibus ab eodem:Sed eſt ſimpliciter impoſſibile,quòd idem ſimul dependeat pluribus dependentiis eiuſdem rationis, & totalibus à pluribus, non tamen eſſentialiter ordinatis, vt expoſui *in primo,diſt.2.parte prima,q.1.* quia ſi ſic dependeret, ſequeretur illud idem impoſſibile, quod Doctor hîc infert,vt patet ab ipſo *in primo, di.2.q.1.&q.*de vnitate Dei,& in ſecundo,& quo.& in tertio,d.1.& alibi ſæpe.& hoc Doctor intendit.

Nota. Tertium præmittendum non tamen pro nunc multum immorandum eſt, quòd fortè idem omnino ex parte rei, indiſtinctum, poteſt fundare plures relationes eſſentiales depēdētiæ alterius & alterius rationis, terminatas præcisè ad aliud omnino ex parte rei indiſtinctum,quia dicit Doctor in litera: *Sic ſi eſſent plures dependentiæ omnino eſſentiales,inter extrema omnino eadem, ſicut dependentia creaturæ ad Deum, vt efficientem,& vt ad finem,tamen iſtæ videntur eſſe alterius rationis. Si enim eſſent eiuſdem rationis,eſſent ſibi incompoſſibiles in eodem, & ſecundum idem*, Ex quo videtur non eſſe apud ipſum incompoſſibile eſſe plures relationes dependentiæ eſſentiales alterius rationis in eodem, & terminatas ad aliud omnino indiſtinctum. Et hoc videtur mens Doctoris. His præmiſſis, patet reſponſio ad duas primas inſtantias, pro quanto concludunt compoſſibilitatem plurium relationum eſſentialium eiuſdem rationis ad aliud omnino indiſtinctum, quia hoc non videtur impoſſibile, nec eſſe contra concluſionem præmiſſam,quia ipſa loquitur tantùm de dependentiis eiuſdem rationis. Et cùm vltrà probatur quòd videtur maior repugnantia,quòd plures ſint alterius rationis in eodem,cum Ariſtoteles aſſignet diuerſa fundamenta. Dico, quòd omnes relationes,quæ fundantur in creatura ad Deum, vt relatio cauſati ad cauſam primam; relatio finiti ad vltimum finē; relatio mēſurati ad primā menſurā; ſunt relationes præcisè tertij modi,cùm non ſint mutuæ,& hoc patet à Doctore *in primo diſtinct.3.q.5.art.1.* contra Henricum, vide ibi, modò relationes tam primi modi,quàm ſecundi modi, ſunt relationes reales,& mutuæ,vt patet ibi à Philoſopho.

30. Si dicatur, quòd hoc poſito adhuc non ſoluitur ratio, quia idem poteſt ab eodem indiſtincto dependere pluribus dependentiis alterius rationis; patet,quia aliquis effectus productus à Sole,vt à cauſa totali, poteſt dependere, & dependentia cauſati, & dependentia menſurati perfectionaliter; licèt ergo iſtæ relationes, vt comparatæ ad Deum, ſint relationes tertij modi, quia Deus non refertur relatione reali ad creaturam, vt probat Doctor *in primo d. 30.* tamen vt comparatæ ad creaturam, quæ poteſt referri relatione mutua, erunt ſecundi modi, ſcilicet relationes cauſati ad cauſam;& relationes ſimilitudinis,& æqualitatis primi modi, & menſurati ad menſuram tertij modi. Dico ergo quòd huiuſmodi relationes non fundantur immediatè ſuper eodem fundamento proximo,&

Vide de relationibus.

ſub eadem ratione conſiderato; nam relatio cauſati ad cauſam fundatur, vel in ſuppoſito producto,vel in termino formali;ſic quòd productio paſſiua magis requirit diſtinctionem fundamenti à producente, ſiue à ratione formali producentis; relatio verò menſurati fundatur immediatè ſuper magnitudine fundamenti,ita quòd cauſatum, vt abſolutè conſideratur habere *eſſe* ab alio, fundat relationem producti ad producens, vt verò conſideratur habere talem magnitudinem perfectionis fundat relationem menſurati, & ſic non ponitur præcisè idem fundamentum proximum. Si volumus etiam hoc appliquare relationibus creaturæ ad Deū, dico, quòd non ponitur præcisè idem fundamentum proximum, ſiue eadem ratio fundandi.Ratio enim fundandi relationem dependentiæ cauſati ad cauſam primam in ipſa creatura eſt exiſtentia abſoluta ipſius creaturæ,prout ab alio accipit *eſſe.* Ratio verò proxima fundandi relationem finiti ad vltimum finem eſt entitas, vt ſic limitata. Et ſi poſſent in ea diſtingui illæ entitates certum eſſet quòd ſecundùm aliam, & aliam entitatem fundaret aliam,& aliam relationem.

Dico vltrà,quòd poſito quòd plures relationes dependentiæ eſſentialis poſſent eſſe in eodem fundamento proximo,& ſub eadem ratione formali, adhuc non ſequitur quòd duæ dependentiæ eiuſdem rationis poſſint eſſe in eodem omnino indiſtincto ex natura rei, quia ad ſecundùm ſequitur incompoſſibilitas, quia vel idem eſſet bis productum,vel ſimul eſſet cauſatum,& in cauſatum,vt ſuprà patuit. Sed ad primum, nullum iſtorum ſequitur,quia benè poſſet poni quòd idem omnino indiſtinctum ex natura rei eſſet productum,puta ab *A* & eſſet mēſuratum perfectionaliter ab ipſo,& ſic de aliis.

Ad ſecundum tenendo opinionem Philoſophi, diceretur quòd inter Franciſcum productum,& ipſum producens non eſſet propriè,nec ſimilitudo,nec æqualitas, quia ſimilitudo fundatur ſuper qualitate, & æqualitas ſuper quantitate,vt patet *5.Met. c. de Ad aliquid*, tamen ponendo ſimilitudinem, & æqualitatem tranſumptiuè in aliis Prædicamentis, vt patuit *in q.6. huius,* tunc dico quòd fundamentum proximum æqualitatis producti ad producens eſt vnitas magnitudinis perfectionalis in vtroque extremo, vnitas dico ſpecifica. Et fundamentum proximum ſimilitudinis eſt vnitas perfectionis accidentalis in vtroque extremo,proximum verò fundamentum identitatis eſt vnitas naturæ inter producens, & productum; vnitas ſcilicet ſpecifica. Sed fundamentum proximum productionis paſſiuæ ad producens eſt entitas producti abſolutè conſiderata pro quanto à producente accipit *eſſe*, ad quod *eſſe* ſic acceptum, ſequitur talis relatio dependentiæ. Et de iſtis prolixè dictum eſt ſuprà.q 6.

Ad tertium. Dico quòd ſi in eodem reſpectu eiuſdem in ſe, & abſolutè conſiderato eſſent duæ relationes oppoſitæ eſſet ſimpliciter repugnantia: ſi enim in eodem albo abſolutè conſiderato eſſent ſimul ſimilitudo, & diſſimilitudo reſpectu eiuſdem albi ſequerentur incompoſſibilia,ſcilicet quòd idem ſimul eſſet,& non eſſet cum ſimilitudo, & diſſimilitudo neceſſariò requirant diuerſa fundamenta, quia ſimilitudo fundatur ſuper vnum, & diſſimilitudo ſuper pluribus 31.

Opinio Ariſt.

Quid ſit fundamentum proximum æqualitatis.

pluribus, vt patet *quinto, Met.* Simile propriè fundatur super vnitate specifica qualitatis, vt exposui *in secundo, dist.3.q.1.* Dissimile verò super pluralitate specifica, qualitatis, vt patet. Similiter si idem respectu eiusdem absolutè consideratum, & non respectu alicuius tertij dependeret à se, siue fundaret relationes oppositas, scilicet mobilis, & mouentis; non causando aliquid in seipso esset repugnantia; modò in proposito idem intellectus respectu tertij realiter distincti dicitur mouens, & mobilis moués, pro quanto causat actum intelligendi in seipso, & mobilis pro quanto recipit illum. Similiter, voluntas dicitur mouens se, pro quanto in se causat actum, & dicitur mobilis pro quanto recipit, & sic iste relationes oppositæ non insunt absolutè, sed tantùm respectu alicuius tertij realiter distincti causati ab eodem, & similiter ab eodem recepti.

Ad quintum argumẽtum. Ad quartum. Dico quòd ratio concluderet si idem absolutè, & secundùm se essentialiter dependeret ab eodem, sicut quòd idem seipsum causaret, quia hoc est impossibile. Sed quòd idem quasi virtualiter à seipso dependeat, puta respectu alicuius tertij causati, & recepti, nullum apparet impossibile; & sic hoc modo mobile potest dependere à seipso. Sed quando dicit quòd idem non potest dependere pluribus dependentiis eiusdem rationis, puta causati ad causam, intelligit quòd secundùm se dependeat; & non secundùm aliquod accidens sibi.

Ad quintum. Dico quòd tales relationes si ponuntur in eodem semper sunt respectu alicuius realiter distincti, vt quando idem mouet se, hoc est præcisè, quia causat aliquid realiter distinctum à se, & illud idem causatum recipit, & sic hoc modo dicitur fundare relationes oppositas, de hoc vide in secundo, dist.25.q.vnica.

32. *Contra secundum dictum.* Contra secundum dictum instatur, & primò contra primam partem, probando quòd non sit eadem existentia respectu creantis, & cõseruantis ex natura rei; illa non sunt pœnitus idem ex natura rei, quæ præter opus intellectus possunt fundare duo contradictoria. Sed existentia creaturæ, vt comparatur ad creantem, & ad conseruantem potest fundare duo contradictoria ex natura rei: ergo. Maior est Doctoris *in primo dist.2. parte 2.q.1. & in secundo, dist.1.q.5.* Minor probatur, supponendo quòd instantia æui habeant *esse* præter opus intellectus, & vnum immediatè succedat alteri, tenendo opinionem quam videtur tenere Doctor *in secundo dist.2.qu.1.* & quòd talia instantia insint formaliter æuiterno, tunc sic *A* vt creatur ex natura rei conuenit præcisè vnum instans æui, quod non conuenit sibi, vt conseruatur; patet, non enim in eodem instanti æui, in quo accipit primò *esse*, dicitur conseruari, sed præcisè in aliis instantibus sequentibus, vt etiam patet à Doct. ergo ex natura rei aliquid sibi conuenit, vt creatur, quod repugnat, vt conseruatur; ergo in creatione, & cõseruatione nõ est omnino eadẽ existẽtia præter omne opus intellectus indistincta.

Secundò ex eodem medio instatur, quia in primo instanti, in quo creatur aliquid præter omne opus intellectus necessariò cõuenit, quod in toto tempore immediatè sequenti, in quo dicitur conseruari, non necessariò competit; ergo vt creatur, & conseruatur, non est penitus eadem existentia ex natura rei. Consequentia patet, quia illa non sunt penitus eadem ex natura rei, quando ex natura rei aliquid conuenit vni, quod non conuenit, siue repugnat alteri. Antecedens probatur, quia *A* quando creatur, est necesse esse, ita quòd est impossibile quòd in illo instanti, in quo creatur, non habeat *esse* existentiæ, quia *omne quod est quando, est necesse est esse*, primo Periher. in fine, & vltrà, sin illo instanti, in quo accipit *esse*, non conueniret sibi necessariò esse, sequeretur quòd in eodem instanti posset non esse, quod est simpliciter impossibile, quia tunc de eodem simul verificarentur duo contradictoria, quia tunc in eodem instanti, simul esset, & non esset. Sed in *Nota.* tempore immediatè sequenti ad instans creationis, non conuenit sibi necessariò esse; patet, quia Deus in tempore immediatè sequenti potest ipsam annihilare, vt probat Doctor præsenti quæst. & in secundo, dist.2.q.1. potest enim præcisè durare per instans, in quo creatur, & sic tantùm haberet primum, & vltimum instans sui *esse*, vt suprà patuit.

Tertiò instatur sic ex eodem medio, quia in primo instanti, in quo accipit *esse*, & in quo dicitur creari præter omne opus intellectus, conuenit sibi habitudo realis ad ipsum Deum creãtem, & in tempore immediatè sequenti, in quo dicitur conseruari, non conuenit eadem habitudo ad Deum creantem; ergo existentia creaturæ in creatione, & conseruatione non est penitus eadem ex natura rei. Consequentia patet, quia aliquid ex natura rei conuenit sibi in illo instanti, in quo verè creatur, quod non conuenit in tempore, in quo dicitur conseruari, vt suprà patuit. Antecedens probatur, quia in primo instanti, in quo verè creatur præcisè realiter dependet dependentia reali ad ipsum Deum, ita quòd talis dependentia pro illo instanti, quo creatur, necessariò sibi conuenit, cùm sit idem realiter ipsi creaturæ, vt probat Doctor *in secundo, dist.1.q. illa an creatio Angeli sit idem, quod existentia Angeli*, & similiter *dist.2.q.1.* Sed talis habitudo, siue realis dependentia, non conuenit necessariò ipsi creaturæ pro tempore immediatè sequenti, in quo dicitur conseruari; patet, quia tunc potest non esse, sicut & ipsa existentia creaturæ. 33.

Quartò instatur sic: Si eadem est existentia creaturæ, quando creatur, & quando conseruatur, tunc sequitur, quòd ipsa bis producatur, & bis habeat *esse*, supponendo, quòd conseruare realiter sit idem, quòd creare realiter, siue idem quod efficere illud idem esse, vt patet à Doctore *in secundo, dist.2. q.1.* & hoc idem supponit in præsenti, q. tunc sic, in primo instanti creatur, & immediatè accipit *esse* à Deo, & in tempore immediatè sequenti conseruatur, quæro quomodo conseruatur, si conseruatur quia in illo tempore accipit per verã actionem diuinam illud idem *esse*, quod habuit in primo instanti, & verè tunc dicitur creari sicut Doctor concedit, ergo creatura idem *esse* bis accipit, & bis creatur, quod videtur omnino impossibilem, non enim est intelligibile, quòd *A.* habens nunc verum *esse*, quod iterum accipiat illud idem *esse*, siue eadem actione, qua primo habuit *esse*, siue alia, & alia actione, quia producere *esse*, est illud simpliciter producere de *non esse* ad *esse*; si enim præfuit quomodo iterũ potest de nouo esse, ipso nõ priùs destructo, sed eodẽ simpliciter manẽte: *Conseruare idem est quòd creare.*

Quintò

34. Quintò instatur, quòd non sit eadem existentia in creatione, & conseruatione omnino indistincta secundùm ratione, vt supponit ipse, & vt accipit minorem sub maiori. Nam maior propositio fuit ista: *eiusdem re, & ratione ad idem re, & ratione, est vnica dependentia essentialis eiusdem rationis*. Et minor fuit ista: *Sed existentia creaturæ in creatione, & conseruatione est vna re, & ratione*, &c. Probo modo quòd non sit vna ratione, hoc patet per ipsum, qui vult quòd etsi creatio passiua, & conseruatio sint idē ex natura rei, tamen ratione distinguuntur, quia existentia creaturæ, vt creatur propriè includit respectum rationis ad *non esse* immediatè præcedens, & vt conseruatur includit respectum ad seipsam, vt accipientem *esse* in primo instanti, & isti respectus sunt alij & alij, quia & termini alij, & alij; nam terminus primi respectus est *nihil* immediatè præcedens, & terminus secundi respectus est existentia creaturæ, vt habens *esse* in primo instanti, vel ponitur nihil non immediatè, sed mediatè præcedens.

Sextò instatur sic; illa non sunt penitus eadem ratione, quæ possunt fundare duo contradictoria secundùm rationem, siue per actum collatiuum intellectus. Hæc patet à Doctore. Sed creaturæ existentia, vt comparatur ad Deū, vt creantem, & ipsa eadem vt comparatur ad Deum, vt conseruantem, includunt contradictoria secundùm rationem; patet, quia vt ipsa comparatur ad Deum, vt creantem, includit respectum rationis ad ipsum Deum, vt dantem *esse* immediatè post *non esse*; & vt comparatur ad Deum, vt conseruantem dicit respectum ad Deum, vt dantem *esse* post esse, vel vt dantem *esse* post *non esse* mediatè, & isti respectus sunt necessario alij, & alij; ergo ipsa existentia creaturæ non est omnino eadem secundùm rationem in creatione, & conseruatione.

35. Septimò instatur contra secundam partem conclusionis, probando scilicet quòd non sit idem velle diuinum, saltem ratione respectu creaturæ, vt creatæ, & conseruatæ. Et instatur sic: nihil est omnino idem ratione, quod potest includere diuersa, comparationes passiuas per actum intellectus diuini; patet ista, quia alia, & alia comparatio passiua dicit alium, & alium respectum rationis, vt patet à Doctore in pluribus locis. Sed intellectus diuinus comparando Deum ad creaturam, & vt creantem, & vt conseruantem, siue comparando ipsum *velle* diuinum necessariò comparat secundùm, aliam, & aliam comparationem: probatur ista, quia est impossibile idem eadem comparatione passiua comparari ad diuersos terminos, vt patet; sed creatura, vt conseruata differt à seipsa, vt creata, saltem secundùm rationem; ergo vt sic, dicit quasi duos terminos; sunt enim distincta *esse* cognita; patet, quia vt cognoscitur habere *esse* immediatè post *non esse* distinguitur ab alio *esse* cognito, quo cognoscitur habere *esse* immediatè post *esse*, siue habere esse mediatè post *non esse*. Si ergo intellectus diuinus comparat idem *velle* diuinum ad existentiam creaturæ secundùm aliud, & aliud *esse* cognitum in ea, sequitur quòd alio respectu comparat *velle* diuinum ad creaturam cognitam habere *esse* immediatè post *non esse*, siue vt dantem ei *esse* immediatè post *non esse*, & alio respectu comparat, vt dans ei *esse* immediatè post esse, siue mediatè post *nō esse*; ergo velle diuinum, vt sic necessario includit alium, & alium respectum, & sic non erit idem omnino indistinctum re; & ratione.

Octauò instatur, & redit quasi in idem, quòd priùs, supponendo vnum, scilicet quòd respectus rationis, non tantùm potest causari per actum intellectus, sed etiam per actum voluntatis, vt patet à Doctore *in primo dist.* 45. Tunc sic, quando aliquid alia & alia comparatione passiua comparatur, illud necessariò includit aliū, respectum rationis; quia comparatio passiua, siuè *esse* comparatum dicit respectum rationis: Sed voluntas diuina comparando *velle* suum, quo vult existentiam creaturæ esse immediatè post *non esse*, & similiter, quo vult eandem existentiam esse immediatè post *esse* præhabitum, siue mediatè post *non esse* comparat ipsum secundum alium, & alium respectum, hoc patet. *Respectus rationis quomodo causetur.*

36. Nono instatur, supponendo dictum Doctoris in pluribus locis, quod *esse* cognitum, vt cognitum, dicit præcisè respectum rationis, & similiter *esse* volitum, vt volitum. Tunc sic; includens necessariò aliud, & aliud *esse* cognitum necessariò includit alium, & alium respectum rationis, patet; sed *velle* diuinum, vt dans *esse* creaturæ immediatè post *non esse*, & vt dans *esse* immediatè post *esse*, siue mediatè post *non esse*, includit, vel includere potest aliud, & aliud *esse* cognitum; patet, quia aliter cognoscitur *velle* diuinum, vt dat *esse* immediatè post *non esse*, & aliter cognoscitur vt dat *esse* mediatè post *non esse*, siue immediatè post *esse*; ergo non erit idem *esse* cognitum, & per consequens non erit idem *velle* omnino indistinctum secundùm rationem. *Instantia.*

Decimò instatur contra tertiam partem, scil. quòd conseruati, siue relatio creaturæ ad Deū, vt conseruantem non sit relatio dependentiæ essentialis, quia relatio dependentiæ essentialis, qua ipsa secundùm suum *esse* dicitur dependere ad aliud essentialiter, à quo accipit *esse* immediatè, fundatur in *esse* absolutè, pro quanto illud immediatè causatur post *non esse*, quia si præhabuisset *esse*, non diceretur propriè dependere ad aliud essentialiter, vt patet; modò relatio creaturæ, vt conseruatæ non est huiusmodi; patet, quia non fundatur in existentia, nisi præcisè, vt priùs habente *esse*, scilicet per creationem; ergo relatio creaturæ ad Deum conseruantem non est essentialis dependentia. 37.

Respondeo ad omnes instantias, præmittendo aliqua. Primò, quòd illa propositio Doctoris, scilicet *quæ possunt fundare duo contradictoria*, &c. intelligitur absolutè, sic quòd realiter potest conuenire vbi simpliciter, & absolutè repugnat alteri, & non comparando ad diuersa; & patet, quia eidem lapidi in vno tempore potest sibi competere *esse* simpliciter album, & in alio sibi repugnat; patet, quia in isto tempore, quo non ponitur actu esse niger potest esse albus, & tamen albedo sibi in alio tempore repugnabit, puta in illo tempore, quo actu ponitur sub nigredine, & tamen erit idem omnino lapidis ex natura rei; quicquid ergo absolutè potest competere vni præter opus intellectus, absolutè non repugnabit illi præter opus intellectus. Sicut dicimus quòd essentia diuina distinguitur ex natura rei à proprietate, quia præter opus intellectus necessariò cōuenit essentiæ commu *Responsio.* *Quomodo essentia diuina distinguatur à proprietate*

cōmunicabilitas,&illa necessariò repugnat proprietati. Sic dico in proposito de instanti æui, nā quodcunque instans æui,quod conuenit alicui omnino indistinctò ex natura rei,ei etiā absolutè poterit cōuenire,licèt vnū instās cōueniat pro vna duratione,& non cōueniet pro alia duratione. Et sic patet responsio ad primā instātiā.

Ad secundam. Dico breuiter, quòd illud idem *esse* in primo instanti non conuenit creaturæ necessariò, sic, quòd in illo instanti sit necessariò; patet, quia in eodem instanti, quo creatur, potuit simpliciter non creari, quia voluntas diuina etiam in eodem instanti,quo elicit actum, adhuc consideratur vt prior natura actu elicito,vt patet à Doctore *in 1.d.39.&dist.40.*hoc idē patet de voluntate nostra *in 2.di.25.* & per cōsequens in eodem instanti,in quo ipsā creat, adhuc intelligitur vt prior natura ipsa creata,& per cōsequens quādo creat potest ipsā nō creare;ergo non conuenit sibi *esse* necessariò pro illo instanti, verū tamen est quòd quādo in instanti puta *A.* in quo intelligitur iam habere *esse,* & actu existere, quòd tunc pro illo instanti necessariò est, quia tunc habet primum instans sui *esse*,quia verum est dicere in isto instanti,est, & immediatè ante hoc non fuit. Et propositio Philosophi, scilic. *omne quod est,* &c. est prolixè exposita *in 1.dist.39.*& aliqualiter *in 2.dist.1.* vide ibi. Et cùm infertur quòd in tempore immediato potest non esse, concedo, eodem modo, sicut & in primo instanti, quia sicut in primo instanti potuit non esse, & in illo instanti, quando est iam necessariò est, quia in illo instanti, vt iam est non potest non esse, sic in eodem tempore quo ponitur in *esse*, potuit non poni; sed vt præcisè consideratur in illo tempore immediato habere *esse*, & actu esse, tunc necessariò est, quia vt est in tali tempore in illo tempore non potest non esse, & tamen immediatè post illud potest non esse, & sic debet intelligi propositio Philosophi,quòd præcisè quando est,vt est non potest non esse;si enim est in instanti *A.* vt est in illo instanti non potest non esse:similiter vt cōsideratur esse in tēpore*B.*vt est in tali tēpore non potest non esse.

38. Nota. Ad tertium.Dico quòd eadem habitudo realiter conuenit creaturæ ad Deum vt conseruantem,quæ conuenit eidem ad Deum vt creātem, quia ex quo est eadem realiter ipsa habitudo realis cum natura creata, stante eadem existentia omnino ex parte rei indistincta, semper stat eadem habitudo realis; modò existentia creaturæ semper est eadem, & ad Deum creantem,& ad Deum conseruantem.Et cùm probatur quòd non est eadem, &c. dico quòd non diuersificatur illa habitudo realis secundùm alium,& alium respectum rationis,quia vt est ad Deum,vt dantem *esse* immediatè post *non esse,* dicit alium respectum à seipsa,vt considerata ad Deum, vt dantem *esse* immediatè post *esse* siue mediatè post *non esse.*

Ad quartum. Dico quòd bis accipere *esse*,est propriè accipere illud idem *esse*, immediatè post *non esse*, sic quod *A.* immediatè accipiat *esse* post *non esse*,ita quòd *non esse* immediatè præcedat ipsum *esse*, & illud idem *A.*accipiat idem *esse* post illud idem *non esse* immediatè præcedēs, & hoc est manifestè impossibile. Sed in proposito in tempore immediatè sequenti dicitur accipere idem *esse*, quid priùs fuit, quia si Deus illud idem non poneret in *esse* annihilaretur,est ergo idem *esse* pluries positum. De hoc vide quæ exposui in secundo dist.2.q.1. vbi eandem difficultatem adduxi.

Ad quintum, & sextum. Dico concedendo quòd non sit eadem existentia omnino indistincta secundùm rationē,vt comparatur ad Deum, vt creantem, & vt conseruantem; & concedo illam rationem. Sed expono illam propositionem, non enim intelligit Doctor quòd existentia in creatione, & conseruatione non possit diuersificari secundùm alium, & alium respectum; sed intelligit quòd ipsa existentia omnino indistincta re, & ratione, sit immediatum fundamentum dependentiæ essentialis ad Deū vt creantem, & conseruantem.Et quamuis sint plures respectus rationis, tamen illi respectus non sunt ratio, nec proxima, nec remota fundandi huiusmodi dependentiam essentialem; sed sola existentia creaturæ, quæ simpliciter est eadem quantumcunque duret. Et sic debet intelligi dictum Doctoris.

Ad septimum,octauum,& nonum simul respondeo, concedendo absolutè illas tres rationes,nec sunt contra verū sensum propositionis. Intelligitur enim propositio,sic,scil.quòd est idē *velle* diuinū respectu conseruationis, & creationis passiuè,id est,quòd dependentia essentialis ad Deū,vt creantē,& vt conseruantē,terminatur simpliciter ad idem *velle* diuinū omnino indistinctum re,& ratione,id est,quòd quamuis in tali *velle* sint plures respectus rationis, tamē illi respectus nullo modo sunt ratio, nec proxima, nec remota terminandi talem dependentiam creaturæ ad Deum, sed est ipsum *velle* diuinum absolutè consideratum.

Ad decimum.Dico vt dicit Doctor declarādo illā partē cōclusionis,quòd ideò dicitur essentialis,qa p ipsā creatura accipit *esse*,& nō est necesse quòd accipiat immediatè post *nō esse*,vt patet. 39.

Contra tertiū dictū instatur. Probando quòd *velle* diuinum non sit ratio formalis terminandi relationē creaturę,quia ex hoc sequuntur plura inconuenientia.Primum est,quia sequitur quòd creatura necessariò creetur,probatur sic,supponendo duo dicta Doctoris.Primū,quid est ratio formalis terminandi dependentiam causati ad causam est ratio formalis causandi, hoc patet à Doctore *suprà q.*8. Secundū est,quòd quamuis *velle*,vel *nolle* liberè eliciatur,tamen ipso posito non agit liberè,vt patet à Doctore in secundo, & tertio, sola enim volūtas est quæ liberè agit. Tūc sic; nullus actus volūtatis diuinæ est ratio formalis causandi aliquid liberè,vt patet per secundū pręsuppositū;sed si est ratio causandi,erit simpliciter ratio causandi necessariò: sed velle diuinū est ratio causandi creaturā;patet,quia est ratio terminandi eius dependentiā,vt patet per primum præsuppositum; ergo velle diuinum erit ratio causandi creaturam merè necessariò, & sic creatura habebit necesse esse. *Creatura non necessario creatur.*

Respondeo,concedendo rationē istā cū suis præsuppositis.Sed dico,quòd dictum Doctoris debet sanè intelligi,nō.n.vult quòd *velle* absolutè cōsideratū sit ratio formalis causādi,sed qa voluntas diuina per *velle*,quo vult creaturā esse, liberè vult ipsā,ideò dicit Doctor quòd est ratio terminādi, & per consequēs ratio causandi,tamen in veritate, sicut etiā patet suprà q.8.sola volūtas est ratio causādi,& similiter terminādi,

& multo

& multoties Doctor accipit *velle* pro voluntate, sicut etiam aliquando accipit voluntatem pro ipso *velle*. Sed de hoc aliàs.

Voluntas accipitur pro voluntate & econtra.

Contra quartum dictum instatur, probando quòd secunda persona non accipiat *esse* à prima pro quocunque instanti, quia sequerentur duo inconuenientia. Primum, quòd tunc diceretur conseruari, quia in secundo instanti comparatur ad seipsam, vt accipientem *esse* in primo instanti, sicut etiam patet, de creatura, quæ dicitur conseruari in tempore immediatè sequenti ad instans, in quo creatur. Secundum est, quia persona secunda in primo instanti, quo accipit *esse* à prima, est simpliciter necesse esse: ergo pro instantibus sequentibus non accipit amplius *esse*, quia tunc non fuisset in primo instanti, simpliciter necesse esse: patet, quia si per impossibile non produceretur in *esse* in secundo instanti, tunc non esset: ergo.

Ad primum. Dico, quòd conseruari propriè dicit dependentiam essentialem, qualis non est in secunda persona. *Conseruari quid dicat.*

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm actus cognoscendi, & appetendi sint essentialiter absoluti, vel essentialiter relatiui?

Scot. *1.d.3.qu.7.à nu.37.& qu.9.nu.10.& d.6.nu.3.& 4. d.12.3. ad 5. & d.11.q.2. nu.5. & d.13. quæst.1. & d.49. quæst. 1. 2. 6.*



1. DE creaturis in speciali tantummodò quærebatur de creatura viuente: & hac vita sensitiua, & intellectiua: & erat quæstio communis omni viuenti hac vita, vel illa, & erat ista: Vtrùm actus cognoscendi, & appetendi sint essentialiter absoluti, vel essentialiter relatiui? Arguitur quòd relatiui: quia talis actus non potest intelligi, nisi cointelligendo terminum: absolutum autem potest intelligi, non cointelligendo aliquid in ratione termini: igitur, &c. Prima probatur: quia non potest intelligi quòd sit visio, nisi sit alicuius visibilis vel obiecti. Minor de se est manifesta. *Argum.*

Contrà, talis actus est qualitas; omnis autem qualitas est forma simpliciter absoluta quia genera sunt impermixta: ergo, &c. *5. Phy. & 5. & 10. & 14. Met.*

2. Quæstio ista non quærit de actu terminato ad cognitionem tanquam ad terminum, quo scilicet actu producitur, vel educitur, vel inducitur ipsa cognitio: sed quærit de actu cognoscendi: qui, scilicet est ipsa cognitio actualis, ita quòd iste actus, si dicatur actio, non intelligitur, quòd sit de Genere Actionis: quia ipsa est semper ad terminum aliquem accipientem aliquo modo *esse* per ipsam actionem: sed intelligitur quòd sit actio, hoc est, operatio, qua agens tanquam actu vltimò perficitur. Et breuiter ad cautiùs loquendum in tota ista quæstione, intelligitur hoc nomen *actio* pro actione de Genere Actionis: quæ scilicet est actio productiua: vel saltem aliquo modo faciens ad *esse* termini per ipsam ponendi: & hoc nomen *operatio*, intelligitur pro actu intrinseco, quo ipsum operans perficitur vltimatè. *Explicatur titulus quæst.* *Actio, & operatio differūt & quomodo?*

Item, licèt quæstio generaliter posset intelligi de respectu ad obiectum, vel subiectum: tamen argumenta videntur restringere eam ad primum intellectum.

Est igitur intellectus quæstionis primò tractandus iste: An actualis cognitio sit essentialiter relatiua ad obiectum cognitum, & similiter de actuali appetere.

Vbi tria sunt videnda. Primò, quòd in omni intellectione, & generaliter operatione quacunque, de qua loquimur, est aliqua entitas absoluta. Secundò, qualiter illud absolutum habeat aliquam relationem ad obiectum sibi annexam. Tertiò, an illa relatio sit actui isti essentialis.

SCHOLIVM.

In omni intellectione (idem est de aliis operationibus,) est alia entitas absoluta. Primò, quia vltima perfectio viuentis non est relatio, quia hæc non appetitur summè naturaliter, vel electiuè; at operatio est talis vltima perfectio ex variis locis Phil. & quia in eà consistit beatitudo, ex Aug. ergo non est relatio tantùm. Secundò, ad relationem non datur actio nisi mediatè, media, scilicet productione absoluti; at operatio producitur nullo alio absoluto producto. Tertiò, nō necessariò sequitur relatio actualis ad obiectum, vel potentiam operatiuam. ergo hæc non sunt proximū fundamentū illius relationis, nec aliud potest esse, quàm operatio: ergo hæc est absoluta, vel saltem non est relatio ad obiectum, & consequenter nulla alia, quia de ista maximè verificari id posset.

Quare Ochā quodl. 1.q.18.

PRima conclusio [a] probatur tripliciter. Primò sic: vltima perfectio substantiæ viuæ non est sola relatio: operatio est huiusmodi perfectio substantiæ viuæ, quæ nata est operari, puta viuentis vita sensitiua, vel intellectiua; igitur operatio non est sola relatio; igitur, &c. Maior probatur, quia sola relatio non summè appetitur appetitu naturali, & electiuo naturæ perfectissimè appetentis; sed vltima perfectio naturæ viuentis à tali natura summè desideratur desiderio naturali; de quo intelligi potest illud August. 13. de Trin. cap. 4. *Beati omnes esse volumus*; quod semper verum est: siue de beatitudine actu cogitemus, siue non: & tamen sine actuali cognitione non est in nobis actuale *velle* voluntatis. Ibidem etiam vult [b] quòd quicquid aliud quisquam latenter velit, ab hac voluntate communi non recedit, desideratur etiam summo desiderio electiuo voluntatis benè dispositæ. Minor probatur etiam per Philosophum. 1. *&* 10. *Ethicorum*, vbi vult, quòd felicitas, quæ est finis vltimus naturæ intellectualis, & per consequens summè desiderabilis, est operatio optima, vel consistit in operatione optima. Idem vult 12. *Metaphysica*, c. 6. vbi de Deo loquens dicit, quòd *si non intelligat, quid vtique est insigne?* Et statim pòst, *si non est hoc, quod sua intelligentia, sed potentia, non est vtique optima substantia*: Per intelligentiam intelligit actualem intellectionem: nam ad probationem dictæ consequentiæ statim subdit: *per intelligere enim ei honorabile inest.* 3.

Operatio est vltima perfectio viuentis. & cap. 8.

Com. 9 & inde.

Com. 7. & 8. & inde.

Tex. 51.

Tex. 13. & 15.

Idem habetur 9. *Metaph.* c. 7. vbi vult, [c] quòd actus est prior potentia, non solùm tempore, & ratione, sed etiam substantia: hoc est perfectione, vnde in probatione illius membri, quòd actus prior est substantia, exemplificat ipse, vt vir puero, & homo spermate; & conclusionem sic intellectam ibi probat: quia gratia actus tanquam finis sunt alia ordinata ad actum: sicut declarat ibi in multis exemplis. 4.

1. Trin. c. penult.

Finis vltimus formalis in operatione cōsistit.

Similiter auctoritates multæ de fine vltimo, & summè desiderabili, qui est beatitudo, siue dicant de cognitione, sicut illa August. *Visio est tota merces.* Siue loquantur de dilectione, sicut de Doctrina Christiana; *summa merces est, vt ipso perfruamur*; saltem in hoc omnes conueniunt, quòd finem vltimum, & maximè desiderabilem dicunt esse operationem, vel in operatione consistere.

Relatio nō fit per se.

Tex. 10.

Tex. 17. & circiter.

Tex. 17.

Secundò probatur conclusio principalis [d] sic: Relatio propriè dicta non est noua sine nouitate alicuius absoluti prioris, & hoc in subiecto, vel in termino: operatio autem potest esse noua sine nouitate cuiuscunque alterius prioris absoluti in ipso operante; sine etiam cuiuscunque alterius absoluti nouitate in termino: igitur operatio non est præcisè relatio propriè accipiendo relationem: igitur, &c. Maior probatur, tum per Philosophum 5. *Physicorum*, vbi negat motum in Ad aliquid, & expressiùs *in* 7. vbi vult, quòd ad virtutem, & malitiam non est alteratio: quia sunt ad aliquid, *Hæc autem, quæ ad aliquid neque generationes sunt, neque generatio est ipsorum, neque alteratio omnino*: Hæc ille. Tum per rationem: quia relatio propriè dicta necessariò sequitur extrema simul posita, & ita non potest esse noua sine nouitate alicuius extremi. Minor probatur, quantùm ad primam partem: quia illud, quod exit de potentia accidentali ad actum, non recipit aliquam formam nouam priorem ipsa operatione: quia tunc non fuisset priùs in potentia accidentali, sed essentiali. Secunda pars minoris est manifesta. Patet enim quòd nihil absolutum aduenit visibili: quando videtur actu. Nec intelligibili, quando intelligitur actu; & consimiliter de aliis.

Quod est in potentia accidentali ad actum, non recipit formā priorem operatione.

Prætereà. Omnis relatio realis [e] fundamentum suum proximum, vel rationem fundandi proximam necessariò consequitur, vel concomitatur: & hoc, posito termino: nunc autem ipsam potentiam operatiuam non necessariò concomitatur relatio actualis ad obiectum: igitur ipsa potentia non est proxima ratio fundandi talem relationem: igitur si ponatur aliqua relatio actualis operantis ad obiectum, oporteret dare sibi pro fundamento, vel ratione fundandi proxima, aliquid posterius ipsa potentia: & quasi medium inter ipsam potentiam, & illam relationem: tale quid non videtur posse poni, nisi ipsa operatio: nunc autem illud, quod est proximum fundamentum relationis, vel proxima ratio fundandi eam, aut est absolutum, iuxta illud 7. de Trin. cap. 1. *Omne, quod relatiuè dicitur, est aliquid excepto relatiuo:* aut saltem non est præcisè illa relatio, cuius est fundamentum, vel ratio fundandi. Igitur operatio non est præcisè relatio operantis ad obiectum: & pari ratione operatio non est præcisè aliqua relatio. 5.

Ex hac conclusione sic probata concluditur vlteriùs propositum sic. Si hæc operatio

operatio esset præcisè respectus, tunc esset relatio: quia respectus quem Philosophus concedit aliquo modo conuenire operationi, est propriè de Genere relationis, & pertinet ad tertium modum relatiuorum: vt patet ex 5. *Metaphys.* cùm igitur operatio non sit præcisè relatio, vt probant rationes iam positæ: sequitur quòd non sit præcisè respectus, & per consequens est ibi aliqua entitas absoluta: quod est propositum in isto articulo.

Operatio non est præcisè respectus. *Tex. 20.*

COMMENTARIVS.

1. a PRima conclusio probatur tripliciter. Primò, sic: Vltima perfectio (accipiendo perfectionem, quæ est in actu secundo) substantiæ viuæ non est sola relatio. Sed operatio est huiusmodi vltima perfectio*, quâ, supple, coniungitur optimo: igitur talis operatio non est relatio. *Maior probatur, quia sola relatio non summè appetitur appetitu naturali*, hoc est inclinatione naturali, quæ non est operatio, vt patet à Doctore *in 2. dist. 6. q. 2. & in 4. dist. 49.* quæstione illa, an quis velit necessariò beatitudinem, *vel appetitu* electiuo, id est, actu elicito voluntatis *naturæ summè appetentis.*

Inclinatio non necessario præsupponit cognitionem.

b *Ibidem etiam vult quòd quicquid aliud quisquam latenter velit ab hac voluntate communi*, scilicet desiderio naturali, *non recedit, desideratur etiam summo desiderio electiuo bene disposito*, id est, actu voluntatis elicito, & si voluntas sit benè disposita, tunc actu elicito vult ipsam beatitudinem, & summè vult eam, licèt non necessariò. *Minor probatur* (scilicet quòd vltima perfectio substantiæ viuæ sit operatio optima, & dicitur *operatio optima* propter hoc, quia terminatur ad optimum appetibile,) *per Philosophum, &c. Idem habetur 9. Metaph. cap. 7. vbi vult quòd actus sit prior potentia, non solùm tempore; & ratione*, id est, definitione, quia potentia definitur per actum, *sed etiam substantia*, id est, perfectione, vnde in probatione illius membri, quòd actus est prior potentia: substantia enim perfectione, Exemplificat ipse, *vt vir puero, & homo spermate*, quia vir est perfectior puero, & homo perfectior spermate, *& conclusionem sic intellectam*, scilicet, quòd actus est prior potentia perfectione *ibi probat, quia gratia actus tanquam finis sunt alia ordinata ad actum*, & per consequens erit prior secundùm perfectionem potentia, & omnia ordinata ad actum sunt quasi in potentia ad actum. Sed felicitas substantiæ intellectualis est vltimus actus; siue vltima operatio, ad quam homo ordinatur: ergo vt sic, erit prior perfectione, cùm sit vltimus finis, ad quem natura intellectualis ordinatur, & per consequens non erit essentialiter relatio, sed entitas absoluta.

d *Secundò principaliter probatur eadem conclusio sic; Relatio propriè dicta non est noua, sine nouitate fundamenti, vel termini*, vt patet per Philosophum 5. Phys. vbi negat motum ad relationem: quæ auctoritas exposita est suprà, q. 11. *Sed operatio potest esse noua, sine nouitate fundamenti, & termini.* De fundamento patet, quia illud, quod exit de potentia accidentali, siue propinqua ad actum, non recipit aliquam formam nouam priorem ipsa operatione, quia tunc non fuisset priùs in potentia accidentali, sed essentiali, sicut etiam patet de intellectu quando recipit speciem intelligibilem ante actualem intellectionem, quia respectu speciei intelligibilis est in potentia essentiali, siue remota ad operandum, & recepta specie intelligibili est in potentia accidentali, siue propinqua ad operandum, vt declaraui *in 1. dist. 3. q. 6.* Sequitur ergo quòd quando intellectus immediatè exit ad operationem, quòd tunc nihil noui recipit vltra illam operationem; & sic patet quomodo potest esse noua, sine nouitate in fundamento. Secunda pars minoris est manifesta, patet enim quòd nihil absolutum aduenit visibili, quando videtur actu, nec intelligibili, quando intelligitur actu; & similiter de aliis: ergo talis operatio non est essentialiter, siue formaliter relatio.

Nota.

e Tertiò principaliter arguitur ad idem, quia omnis relatio realis propriè accepta necessariò, & ex natura rei consequitur, posito fundamento proximo, & termino. Sed intellectio non necessariò consequitur positis potentia intellectiua, & obiecto etiam approximatis, & nullo modo impeditis, patet. Si dicatur quòd fundamentum proximum est aliquid medium inter potentiam, & operationem, quod est posterius ipsa potentia: sed patet, quòd tale quid non potest dari, nisi ipsa operatio: quod enim est proximum fundamentum aut est absolutum iuxta illud 7. de Trin. cap. 2. *Omne quod relatiuè dicitur, est aliquid excepto relatiuo*, quæ auctoritas est exposita in primo, dist. 1. q. 2. & in q. 1. quodlib. Vide ibi, aut præcisè non est illa relatio, cuius est fundamentum, vel ratio fundandi; patet quòd operatio non erit præcisè illa relatio cuius ponitur fundamentum, vel ratio fundandi, quia fundamentum, vel ratio fundandi relationem necessariò distinguitur ab illa, cùm necessariò præsupponatur illi: igitur operatio non est præcisè relatio ad obiectum.

2. In isto articulo circa tria principaliter occurrunt aliqua dubia. Primum, non videtur quòd prima ratio concludat propositum, scilicet, quòd operatio sit entitas absoluta, ex hoc, quòd vltima perfectio substantiæ viuæ non est sola relatio, & vltima perfectio est felicitas, instatur probando quòd vltima perfectio substantiæ viuæ non sit necessariò entitas absoluta. Et primò sic: præsupponendo quod dicit Doctor *in primo, distin. 2. parte 2. quæst. 1.* probando per dictum Philosophi 12. Metaph. Deum esse intelligentem, quia vltima perfectio eius est in actu secundo, quo perfectè vnitur obiecto perfectissimo, puta obiecto beatifico, ita quòd tota eius perfectio est coniungi tali obiecto. Suppono secundò, quod ipse dicit *in quarto, distin. 49. quæst. 2.* quòd beatitudo consistit in operatione, quæ coniungit immediatè obiecto beatifico, & breuiter ex hoc potentia dicitur perfectè beata quando actu vnitur, siue coniungitur obiecto beatifico. Tunc arguo sic: quantò potentia immediatiùs attingit obiectum beatificum,

Quare Ochā quodl. 1. q. 18. Vbi beatitudo consistat.

tantò est perfectior, loquendo de eius perfectione vltimata. Sed si ponatur operatio relatio formaliter, quâ attingitur obiectum beatificum, tunc potentia operans per ipsam immediatiùs attingit illud; ergo talis operatio magis debet poni formaliter relatio, quàm entitas absoluta. Maior est nota ex præsuppositis; ex hoc enim dicitur vltima perfectio substantiæ viuæ, quia per ipsam coniungitur obiecto perfectissimo: ergo quantò immediatiùs, tantò erit vltima eius perfectio. Minor similiter patet, quia ponendo operationem entitatem absolutam, tunc potentia per ipsam non attingit immediatè obiectum, sed ponendo ipsam esse relationem operantis ad obiectum, immediatè per illam attingit obiectum, cùm ipsa immediatè terminetur ad illud vt ad terminum.

Secundò ex eodem quasi medio instatur. Sicut se habet perfectio creaturæ vltimata, vt consistit in actu primo, sic se habet perfectio eius secunda vltimata, quæ consistit in actu secundo. Sed perfectio prima vniuscuiusque consistit in hoc quòd magis appropinquat primo enti, siue enti perfectissimo, vt patet à Doctore *in quarto, dist.* 12. & quantò magis ei appropinquat secundùm suam entitatem essentialem, tantò essentialiter erit perfectior: ergo eius perfectio secunda vltimata tantò erit perfectior, quantò immediatiùs attingit obiectum perfectissimum. Sed præcisè immediatè attingitur per relationem operantis, quæ immediatè terminatur ad obiectum perfectissimum & per te, & per Philosophum, talis perfectio secunda vltimata consistit in operatione: ergo illa operatio erit formaliter relatio.

3. *Quomodo Deus sit præsens creaturæ.* Confirmatur, quia intellectus quamuis habeat Deum perfectè præsentem in ratione entitatis, siue tantùm entitatiuè, eo modo, quo dicitur perfectè præsens omni creaturæ, ex hoc non est beatus, vt patet. Et posito etiam quòd talis intellectus habeat habitum perfectissimè inclinantem ad ipsum, adhuc non erit beatus, quia vt sic, non immediatè attingit illud in ratione obiecti perfectissimè attingibilis. Cùm ergo præcisè attingatur per aliquid, quod immediatè terminatur ad illud, & illud non potest poni nisi respectus, siue relatio operantis, & per operationem immediatè accipitur, & vt est entitas absoluta non immediatè terminatur ad illud; ergo operatio erit formaliter relatio, quæ terminatur ad illud.

Quartò instatur sic: Sicut se habet materia prima ad formam perfectissimam virtualiter cōtinentem perfectionem omnium aliarum formarum (si aliqua talis esset dabilis, & hoc quantùm ad perfectam repletionem suæ capacitatis, siue quoad eius vltimam perfectam quietem.) sic se habet potentia beatificabilis ad obiectum vltimatè beatificum; patet ista similitudo, quia vtrobique fit comparatio ad vltimam perfectionem secundam. Sed materia prima dicitur perfectissimè quietari, ex hoc quòd immediatè suo modo attingit formam perfectissimā, siue ex hoc, quòd perfectissimè vnitur illi: sed non perfectissimè vnitur, nisi mediante vnione fundata in materia, & terminata ad formam illam; ergo & potentia beatificabilis erit perfectè beata, & quietata ex hoc, quòd perfectissimè vnitur obiecto beatifico, & hoc non contingit nisi per relationem fundatam in illa, & terminata immediatè ad tale obiectum.

Quomodo materia quietatur.

Sed communiter conceditur, & specialiter à Doctore *in 4. dist.* 49. *q.* 2. quòd vltima perfectio naturæ beatificabilis consistit in operatione, quâ vnitur obiecto beatifico, & non immediatè per ipsam vnitur, nisi ponatur quòd sit formaliter relatio.

Quintò instatur sic, appetitus naturalis ponitur perfectissimè quietari in obiecto eius perfectissimo, ex hoc solo quòd perfectè coniungitur illi, & non per aliquam entitatem absolutam mediam, vt patet, ergo hoc idem erit de appetitu rationali. 4.

Sextò instatur sic; quia Doctor in secundo articulo probat quòd operatio, vt ponitur entitas absoluta, non erit vltima perfectio substantiæ viuæ, nisi pro quanto includit relationem terminatam ad obiectum beatificum; ergo debet poni operatio circa obiectum beatificum esse relationem mediam inter potentiam operantem, & obiectum circa quod est operatio; magis ergo concluditur ex illa ratione Doctoris quòd vltima operatio substantiæ viuæ sit formaliter relatio, quàm entitas absoluta.

Confirmatur ratio ista sexta, quia ponendo operationem circa obiectum beatificum esse entitatem absolutam, & necessariò includere relationem ad tale obiectum, ad hoc vt dicatur vltima perfectio substantiæ viuæ, est simpliciter ponere vltimam felicitatem hominis esse ens per accidens, quia dicit operationem cum relatione, siue entitatem absolutam cum relatione.

Confirmatur iterum, quia si operatio substantiæ viuentis elicita circa obiectum beatificum non dicitur vltima perfectio eius, nisi pro quanto includit relationem immediatè terminatam ad tale obiectum, sequitur quòd talis relatio erit magis perfectio eius vltima; tum, quia immediatiùs per ipsam substantia viuens attingit obiectum; tum, quia operatio sine ista non est vltima perfectio, & cùm ista ponitur vltima perfectio; ergo illa relatio erit magis vltima perfectio. Ad euitanda ergo ista inconueniētia videtur melius ponere operationem substantiæ viuentis esse formaliter relationem, quàm entitatem absolutam.

Nonò instatur sic: quia si vltima perfectio substantiæ viuæ ponitur entitas absoluta, & illa non immediatè attingit obiectum, vt suprà patuit, magis ergo videtur ponere ipsam in aliqua entitate absoluta perfectiore, puta in aliquo habitu perfectissimo: quia tunc magis illo perficitur quā aliqua operatione absoluta, & ex illa, vt absoluta, nullo modo attingit obiectum: sed ponitur tantùm perfectio intrinseca, & denominans. Et si vltra ista requiritur aliquid aliud quo immediatè attingitur obiectum, illud erit præcisè relatio. 5. *Operatio substantiæ viuentis quid.*

Decimò, & vltimò, patet de aliis, quæ suo modo quietantur in obiectis eorum quietatiuis: nam lapis in centro perfectissimè quietatur, loquendo de quiete pertinente ad naturam eius, & non dicitur perfectè ibi quietari, nisi pro quanto vnitur illi, quod præcisè fit mediante relatione fundata in ipso, & terminata immediatè ad centrum: ergo similiter videtur dicendum in proposito: & sic magis videtur esse ponendum operationem hominis perfectam circa obiectum beatificum esse formaliter relationem, quàm entitatem absolutam.

Respondeo ad istas instantias, præmittendo aliqua.

Responsio ad instantias. aliqua. Primò, quòd aliquid alteri vniri potest multipliciter intelligi. Primò, quòd vniatur sibi vt perfectioni eius intrinsecæ, qua formaliter perficitur, sicut materia vnitur formæ, ita quòd talis vnio præcisè terminatur ad formam, vt est eius simpliciter perfectio. Hoc modo nulla potentia substantiæ viuæ dicitur vniri obiecto eius, quia obiectum, vt obiectum, non ponitur perfectio intrinseca potētiæ, cuius est obiectum; & si aliquando contingat aliquod obiectum intrinsecè perficere potentiam, tamen sub ratione, qua est obiectum actu intelligibile, non perficit eam formaliter, & sic potentia beatificabilis nullo modo est vnibilis obiecto beatifico, vt perfectioni eius intrinsecæ, sed vt perfectioni extrinsecæ, vt patet à Doctore *in quarto, distin. 49. quæst. 1.*

6. Secundò præmitto, quòd aliquid vniri obiecto, vt perfectioni extrinsecè, potest dupliciter intelligi, vel quòd vniatur naturaliter, puta quia habent naturalem inclinationem ad illud, sicut graue vnitur centro; vel quòd vniatur attingendo illud, in ratione verè à tali potentia perceptibili, ita quòd talis potentia verè percipiat illud in se, vel in aliquo repræsentatiuo. Primò modo, potest vniri mediante sola relatione, quæ terminetur ad illud. Sed secundo modo, est impossibile vniri mediante sola relatione, quia nulla relatio, vt relatio, præcisè est perceptiua formaliter obiecti: isto secundo modo ponitur potentia substantiæ viuæ vniri obiecto, vt perceptibili ab ipsa actu suo elicito. *Aliquid vniri obiecto potest intelligi dupliciter.*

Tertiò præmitto, quòd licèt relatio immediatè possit terminari ad obiectum perfectum, ita quòd præcisè terminetur ad ipsum in ratione entitatis perfectissimæ, non tamen terminatur sub illa ratione, quâ actu est intelligibile, vel amabile à potentia; sed præcisè terminatur ad ipsum, vt ad terminum talis relationis; sed operatio, quæ ponitur vltima perfectio substantiæ viuæ, terminatur ad obiectum, vt per ipsam à potentia eius est intelligibile, & verè perceptibile, & per consequens talis operatio non est præcisè relatio de genere Relationis, cùm per ipsam præcisè habeat obiectum, vt terminus relationis, & non vt perceptibile.

Nota. Quartò præmitto, quòd non est de ratione operationis substantiæ viuæ coniungi obiecto in ratione perceptibilis, quòd includat aliquam relationem ad ipsum, nec realiter, nec rationis: patet in Deo vbi intellectio diuina perfectissimè, & immediatissimè attingit essentiam diuinam in ratione obiecti verè beatifici, & verè perceptibilis à potentia, cuius est talis operatio, quæ nullam includit relationem, nec realem, nec rationis ad ipsam terminatam, vt patet à Doctore *in quodlib. q. 15.* sed quando operatio distinguitur ab obiecto, tunc includit relationem ad ipsum, sed hoc accidit. Et posito quòd ipsa relatio requiratur vt aliquid necessariò præuium, non tamen aliquid tribuit operationi, vt dicatur formaliter perceptiua obiecti: sicut etiam vnio partium essentialium necessariò requiritur vt quoddam præuium composito essentiali, & tamen nullo modo est de essentia compositi. Sic in proposito dico, non enim potentia per intellectionem actu percipit obiectum, nisi talis intellectio actu terminetur ad ipsum: sed ipsam intellectionem actu terminari est ipsam dicere aliquam relationem ad ipsum; requiritur ergo talis relatio, vt dispositio præuia, sed nullo modo pertinens ad *esse* formale operationis.

Quintò præmitto, quòd ex quo dantur gradus perfectionales in operationibus, ita quòd vna intrinsecè est perfectior alia, & non præcisè ratione termini, vel fundamenti, sicut vna relatiò dicitur intendi, vel remitti, sequitur quòd perfectio vltima intrinsecà substantiæ viuæ, quæ ponitur operatio circa perfectissimum obiectum, erit entitas absoluta intrinsecè, & formaliter sic perfecta, aliter non diceretur talis substantia viua perfectè beata beatitudine formaliter inhærente. Et vltrà sequeretur quòd omnes beati in patria, saltem illi, qui sunt eiusdem speciei, essent simpliciter æqualiter beati beatitudine formali, & inhærente; patet, quia si visio Deitatis in se esset formaliter relatio, certum est quòd non potest formaliter nec intendi, nec remitti, cùm intensio, & remissio relationis sit præcisè ratione, vel fundamenti, vel termini; sed in patria remanet semper idem obiectum, & eadem potentia æquè intensa, & sic visio omnium eiusdem speciei esset simpliciter æqualis, si ipsa poneretur præcisè relatio; ex quo ergo ponitur substantia, viuens verè beata, & beatitudo extrinseca, & intrinseca, beatitudo intrinseca erit aliquid absolutum. Et vltrà, sicut omnis substantia creata suo modo est perfectibilis vltimatè aliqua forma absoluta, vt patet de elemētis, quia ignis, formaliter perficitur calore, aqua frigiditate, corpora mixta suis coloribus, &c. à fortiori perfectio vltimata substantiæ viuæ, loquendo de perfectione intrinseca inhærente debet poni aliqua entitas absoluta in se formaliter perfecta, quam perfectionem habet principaliter ab obiecto, vt à causa extrinseca, & quia perfectio vltimata talis substantiæ ponitur operatio circa obiectum eius perfectissimum, vt suprà patuit per Philosophum, & Augustinum meritò talis perfectio debet esse entitas absoluta. 7 *5. Phys. contex. 10.*

His præmissis respondeo ad argumenta. 8.

Ad primum dico, quòd maior est vera quando immediatiùs coniungitur obiecto in ratione perceptibilis, ita quòd ei coniungatur percipiendo illud: Si est potentia perceptiua, siue cognitiua, vel si est appetitiua actu elicito, verá est, si coniungitur ei attingendo illud in ratione amabilis, siue fruibilis. Et tūc minor est falsa, scilicet, quòd mediante relatione coniungatur ei modo prædicto, quia per relationem præcisè non attingit in ratione obiecti perceptibilis & beatificatiui, sed tantum per actum intelligendi, vel volendi, non vt ponuntur præcisè relationes, sed vt qualitates absolutè. Vnde Doctor *in 4. dist. 49.* vult, quòd potentia potest dupliciter coniungi obiecto beatifico, scilicet formaliter, hoc est, coniūctione formali, quæ ponitur relatio; & fundamētaliter, hoc est, actu elicito potentiæ beatificabilis. Secundo modo est beatitudo formaliter, non primo modo.

Ad secundum. Dico concedendo maiorem rectè intelligendo ipsam, quia non habetur; nisi quòd potentia, vt beatificabilis non coniungitur immediatiùs, quàm per operationem, vt entitatē absolutam, quæ ponitur actus secundus; sicut & creatura non coniungitur immediatiùs, quàm per aliquam entitatem absolutam in ipsa, quia homo immediatiùs appropinquat Deo per intellectualitatem, quàm per substantiam, vel quàm per viuens absolutè: & in hoc consistit perfectio hominis in actu primo. Si verò intelligatur de coniunctione formaliter, siue de propinquitate formaliter,

ter, quæ ponitur relatio, concedo quòd homo immediatiùs coniungitur Deo per relationem, quæ immediatè terminatur ad ipsum; sic dicendo coniunctione coniungitur, siue appropinquitate appropinquat, sicut & potentia beatificabilis coniunctione coniungitur. Sed sicut in tali relatione formaliter non consistit vltima perfectio hominis intrinseca in actu primo, sed simpliciter in actu secundo, sic & vltima perfectio potentiæ beatificabilis non consistit in aliqua relatione, qua immediatiùs coniungitur, sed simpliciter in actu secundo absolutè, qui actus est operatio formaliter perceptiua obiecti.

Ad confirmationem. Dico quòd requiritur coniunctio perceptiua obiecti, quæ est in sola operatione actuali, vt suprà patuit; & ideò non sufficit sola præsentia obiecti in ratione obiecti intelligibilis, sed requiritur quòd sit præsens in ratione obiecti actu perceptibilis à potentia, cuius est tale obiectum: & vltra requiritur quòd vt sic præsens actu attingat percipiendo illud, quod non potest fieri per aliquam relationem formaliter, neque per habitum etiam perfectissimum, quia per illum tantùm habitualiter coniungitur.

9. *Quomodo satietur potentia beatificabilis.* Ad quartum. Dico quòd ratio concludit pro me, quia vltima perfectio intrinseca, & inhærens materiæ non est vnio media inter ipsam, & formam, sed est præcisè ipsa forma, quæ verè perficit. Sic vltima perfectio naturæ beatificabilis, quæ consistit in actu secundo, erit aliqua perfectio absoluta inhærens formaliter illi, & non relatio quæ nullam addit perfectionem formaliter. Et hoc est quod dicit Doctor *in primo, dist.* 1. *q.* 1. quòd sicut materia satiatur intrinsecè aliqua forma finita, sic potentia beatificabilis satiatur intrinsecè, & formaliter aliquo finito, scilicet ipsa operatione, qua attingit obiectum beatificum, & extrinsecè non satiatur nisi aliquo formaliter infinito.

9. Ad quintum de aptitudine naturali. Dico quòd appetitus naturalis ad beatitudinem non satiatur, nec quietatur illa naturali inclinatione, quia cùm semper, & necessariò, & summè habeat eam, vt patet à Doctore *in quarto, distin.* 49. necessariò pro quocunque instanti esset summè beatus. *Quomodo appetitus naturalis non satietur.* Sed dicitur satiari, quando habet illud, ad quod summè inclinatur eo modo, quo natum est haberi; non potest autem haberi, vt perfectio intrinseca, cùm primum ens nullius creati possit, esse perfectio intrinseca: sed tantùm natum est haberi, vt cognitum in cognoscente, siue vt amatum in amante, quod præcisè fit per actum, quo attingitur. Et appetitus naturalis est ad habendum summum bonum, vt summè sibi commodum, & summè sibi delectabile, & per consequens inclinatur etiam ad actum, qui immediatè potest attingi, vt summum delectabile, & sic vltima perfectio eius intrinseca erit entitas absoluta, videlicet perfectissima operatio, & perfectio eius extrinseca erit summum delectabile.

Ad sextum. Dico quòd Doctor non vult ibi quòd talis relatio media aliquo modo pertineat ad formalem rationem beatitudinis formalis, & inhærentis, cùm ponat eam simpliciter in operatione perfectissima, quæ formaliter, & intrinsecè dicitur operatio verè perceptiua obiecti; siue est illud, quo formaliter potentia attingit obiectum percipiendo illud, licèt actu per ipsam absolutè acceptam non attingat illud: requiritur ergo præcisè, vt dispositio præuia: Sicut etiam humanitas non potest immediatè esse à corpore organico, & anima intellectiua, vt absolutè sumptis, quæ tamen sunt tota eius perfectio intrinseca essentialis, sed prærequiritur vnio eorum ad inuicem, quæ tamen nullo modo pertinet ad perfectionem intrinsecam, & essentialem ipsius hominis. Sic Doctor intelligit in proposito.

Ad confirmationem. Dico quòd vltima felicitas hominis non erit ens per accidens, quia non ponitur aggregatum ex operatione, & relatione, sic quòd hoc totum sit felicitas hominis, sed ponatur præcisè ipsa operatio circa obiectum beatificum, & relatio media ponitur præcisè, vt dispositio. Sicut materia, & forma sunt verè causæ per se compositi, & tamen non causant nisi priùs vnitæ; non enim forma causat vt vnita, ita quòd vnio aliquo modò pertineat ad rationem causandi, sed dicitur causare vt vnita: sic intelligendo actu non causat, nisi priùs vniatur. Sic in proposito. 10. *Vltima hominis felicitas non erit ens per accidens. Materia, & forma quomodo causent.*

Ad aliam confirmationem, patet responsio ex superiùs dictis.

Ad nonum. Dico quòd vltima perfectio substantiæ viuæ non ponitur absolutè in entitate absoluta perfectiore, sed præcisè ponitur quæ est actus secundus, quo substantia viua possit actu attingere obiectum beatificum: & sic benè concedo quòd ponitur in actu secundo perfectissimo, qualis est operatio circa obiectum, & sic debet Doctor intelligi.

Ad decimum, & vltimum, patet responsio ex dictis in illis præambulis. Similiter ex dictis respondendo ad obiectiones. Et sic patet resolutio dubiorum.

Secundo principaliter dubitatur de ratione secunda, quæ principaliter consistit in hoc, quòd non potest esse relatio de generatione relationis noua, nisi propter aliquid nouum absolutum, vel in fundamento, vel in termino: sed intellectio potest esse noua stante præcisè eodem fundamento, & termino. Instatur, probando quòd relatio propriè dicta possit esse noua nullo absoluto nouo pertinente ad rationem fundamenti, vel termini. Et primò sic; æqualitas potest esse noua nullo absoluto priùs acquisito, & pono casum, quòd modò sint duæ quantitates inæquales; ita quòd vna sit cubitalis, & alia bicubitalis, & post illa, quæ est bicubitalis fiat cubitalis per ablationem partium; tunc istæ duæ quantitates essent æquales, ita quòd æqualitas erit noua, & tamen nullum absolutum nouum est priùs acquisitum, vt patet: per ablationem enim partis nihil absolutum nouum causatur in eo, cui fit ablatio, vt patet experimentaliter. 11.

Secundò instatur, quia similitudo potest esse noua sine nouitate alicuius extremi, & præsuppono quòd ratio proxima fundandi similitudinem est vnitas qualitatis, cùm similitudo fundetur super vno, vt patet 5. *Met. cap. de Ad aliquid*: fundatur ergo super vnitate specifica alicuius qualitatis, puta super vnitate albedinis: sicut ergo albedo est ratio formalis fundandi similitudinem ad aliud album, ita albedo in alio albo est ratio formalis terminandi similitudinem, ita quòd non est ratio formalis terminandi, vt actu existens, ita quòd existentia in ipsa sit ratio formalis terminandi, vel fundandi, sed entitas formalis, & quiditatiua. Sed talis fuit ab

æterno,

æterno, & tamen ab æterno non fuit similitudo, sed ex tempore, quia causato alio, & alio albo in *esse* existentiæ fit noua, & noua similitudo, & tamen quicquid pertinet ad rationem formalem fundandi, & terminandi similitudinem fuit ab æterno, cùm omne ens secundùm *esse* quiditatiuum sit æternum.

Nota. Tertiò instatur, quia si non potest esse noua sine nouitate alicuius absoluti, sequitur quòd in diuinis similitudo, æqualitas, & identitas, sint pœnitus idem, quia erit præcisè idem fundamentum, & eadem ratio fundandi, scilicet, vnitas essentia perfectissima, & vltra sequitur quòd vna nullo modo erit prior alia, & si vna est prior, & alia posterior, stante eodem præcisè fundamento, & termino, sequitur quòd vna potest esse noua sine nouitate extremi.

12. Quartò instatur, & pono quòd sint duo alba vnum vt quatuor, & aliud vt octo, inter quæ est aliqualis similitudo, & post album vt octo fiat album vt quatuor, tunc inter illa erit perfecta similitudo, & tamen non erit aliquod absolutum de nouo acquisitum, & illa erit noua, vt patet. Tum etiam, quia quæro, aut ista similitudo est eadem quæ priùs, aut alia: non primò, quia illa fuit imperfecta; si alia habetur propositum, scilicet, quòd nullo absoluto acquisito fit noua relatio. Et vltrà, quæro de illa similitudine, quæ erat albi vt octo ad album, vt quatuor, & pòst fit album vt quatuor, posito quòd illa imperfecta, quæ erat fundata in albo vt octo, non sit: quæro modò quomodo album vt quatuor remanens, sit simile alteri albo vt quatuor? aut noua similitudine, & habetur propositum: aut antiqua, ergo simul album vt octo fuit simile albo vt quatuor perfectè, & imperfectè; imperfectè, quia album vt octo; perfectè, quia album vt quatuor.

Quintò instatur, & pono quod nunc sit perfecta similitudo inter album *A* & album *B*: & *B* annihiletur, & post idem *B* reparetur stante eodem *A*: tunc inter *A*. & *B* erit vera similitudo, & tamen erit præcisè idem fundamentum, & idem terminus, vt patet intuenti.

Respondeo ad primum, quòd dictum Doctoris debet intelligi, scilicet quòd non possit esse noua relatio, nisi facta aliqua nouitate in extremis, & hoc acquirendo vel nouum absolutum, vel deperdendo aliquod absolutum priùs. Dico secundò, quod fieri nouum absolutum potest pro nunc dupliciter intelligi, vel quod totaliter de nouo acquiratur vel quod habeat nouum modum essendi, & sic quantitas cubitalis separata à quantitate bicubitali est per se existens, & habet rationem totius; sed vt existens in quantitate bicubitali habet præcisè rationem partis, & sic non est noua relatio, nisi nouo absoluto acquisito aliquo istorum modorum. prima tamen responsio magis videtur ad propositum.

Ad secundum dico primò, quod posito quòd existentia non requiratur nec vt ratio formalis terminandi, nec vt ratio formalis proxima fundandi relationem; requiritur tamen vt conditio requisita; & hoc sufficit. Dico secundò, & melius, quod nunquam est similitudo realis actualis inter aliqua extrema, nisi ratio formalis terminandi in vno extremo, & ratio formalis fundandi relationem similitudinis in altero extremo, sint in actu: nec est noua nisi sint noua, & cùm dicitur quod fuerunt ab æterno: dico quod albedo secundùm suum *esse* reale actuale, & essentiale non fuit ab æterno, fuit benè tamen secundum *quid* scilicet secundùm *esse* cognitum, vel possibile, vt patet à Doctore *in primo, dist.* 36. & vide singularia quæ exposui *in secundo, dist.* 3 *q* 1. modò non est ratio formalis terminandi, vel fundandi similitudinem realem actualem, nisi sint in esse essentiali actuali, ad quod immediatè sequitur actualis existentia, vt gradus intrinsecus.

Ad tertium patet responsio ex his, quæ exposui suprà quæst. 6. quodl. vbi similis difficultas posita est.

Ad quartum, patet responsio ex dictis ad primum argumentum.

Ad quintum. Dico, quòd redeunte eodem extremo, redit simpliciter eadem similitudo, vt patet à Doctore *in tertio, distinct.* 8. *& in quarto, dist.* 43. vide ibi multa ad hanc materiam pertinentia.

Tertiò principaliter dubitatur de tertia ratione principali, quæ consistit in hoc, quòd ad fundamentum proximum posito termino necessariò sequitur relatio intrinsecus aduenìens: sed operatio non est huiusmodi, &c. Instatur primò, quia ad prius essentialiter non videtur necessariò sequi posterius, à quo tale prius nullo modo dependet. 13.

Instatur secundò, quia adhuc non est probatum quod stante perfecta præsentia obiecti potentiæ, quòd non necessariò sequitur operatio, sicut stante perfecta præsentia visibilis potentiæ visiuæ, & amoto omni impedimento videtur necessariò sequi visio.

Tertiò instatur, quia operatio est in continuo fluxu: quia continuè fit, ergo formaliter relatio.

Quartò instatur, contra hoc quod dicit, quod poneretur operatio relatio intrinsecus adueniens. Contrà, tum quia communiter ponitur actio immanens. Tum, quia *tertio de Anima* intelligere est pati, ergo videtur quod sit passio.

Respondeo ad primum, patet responsio suprà, quæst. 11.

Ad secundum, patet responsio à Doctore *in* 4. *distinct.* 49. quia Deus potest suspendere omnem actionem.

Ad tertium. patet responsio in primo, dist. 3. quæst. vltima in responsione ad vltimum argumentum principale, & etiam in præsenti quæstione.

Ad quartum patet responsio hic in præsenti, quæst. artic. secundo.

Ad vltimum vide responsionem ad illam auctoritatem Philosophi datam à Doctore *in primo, distinct.* 3. *quæst.* 7. *& etiam in secundo, distinct.* 3. &c.

Quando in concretis est prædicatio, &c. De ista regula à concretis per se primo modo ad abstracta, quæ tenet præcisè, quia concretum non est verum de concreto ratione subiecti, sicut album est dulce, est præcisè verum ratione subiecti, in quo tam albedo, quàm dulcedo fundantur, vt patet in lacte, & ideo non est vera præcisè ratione extremorum, sicut hic, *album est coloratum*, est præcisè vera, quia albedo includit formaliter colorem. Si dicatur hæc est vera primo modo, *albedo est color*, & tamen non sequitur, ergo albedineitas est coloreitas, siue quiditas albedinis est quiditas coloris, & tamen arguitur à concretis per se primo modo ad abstracta. Dico, quod prima est vera, quia etsi albedo non concernat 14.

subiectum, nec similiter color, vtrunque tamen concernit suppositum propriæ naturæ, & ideò vnum prædicatur de alio in primo modo: secunda verò est falsa, quia neutrum concernit suppositum propriæ naturæ, imò est totaliter abstractum, ideò non potest vnum de alio formaliter prædicari cùm vt sic, sint vltimatè abstracta. Sed de hac materia vide quæ prolixè exposui in 1.d.5. q.1. Semper tamen tenet à concretis, per se primo modo ad abstracta, vbi abstracta concernunt supposita propriæ naturæ.

Ibi etiam illud verbum Philosophi idem bis diceretur exponit sic: *intellectus*, id est, actus intelligendi non refertur ad intelligentem scilicet ad potentiam intellectiuam, sed ad intellectum id est, obiectum, quia si ita esset, scilicet quod simul referretur ad obiectum, & potentiam, tunc intellectus constitueretur per intelligentem, id est, quod actus intelligendi esset relatio per intelligentem, vt per terminum, imò videtur esse è conuerso scilicet, quod intelligens, vt intelligens constituatur in tali *esse* per actum intelligendi; ex quo sequeretur, quod illud, quod constituitur per aliud, constituat illud, sicut ipse arguit, quod intellectus si diceretur ad intelligentem, constitueretur per ipsum, ita intelligit, quod constituitur per intelligibile ad quod dicitur: non autem constitueretur per illud, si esset in se aliquod absolutum, quia absolutum non includit necessario, quod sit ad aliud, vt ad terminum, sicut relatiuum includit, vt patet, & sic patent illæ rationes, quæ postea soluentur.

SCHOLIVM.

Arguitur tripliciter operationem dicere relationem realem. Primò, quia vltima perfectio naturæ perfectissimæ dicit respectum realem ad perfectissimum obiectum, id est, ad vltimum finem cui annectit. Secundò, ad operationem, puta intelligere, non datur noua mutatio ex Philos. Tertiò, operatio infertur ad obiectum tertio modo relatiuorum, ergo relatio est ei substantialis, quia sic alteri extremo conuenit, ex Phil. hic ait n. 7. à concretis primo modo per se inferri prædicationem ad abstracta vt in exemplis intelligitur, quando non est vltima abstractio, quæ ab omnibus abstrahit: vt ergo teneat hæc regula, illa abstracta debent concernere propria indiuidua. Vnde hæc non tenet, humanitas est animalitas, de quo 1. d. 5. quæst. 1.

DE secundo articulo principali tria sunt videnda. Primò arguitur, quòd in operatione necessariò est aliqua relatio realis ad obiectum. Secundò, dicetur qualiter hoc sit intelligendum. Tertiò, videbitur de rationibus ad istud probandum positis. Primum ostenditur tripliciter, & hoc correspondenter triplici probationi positæ in primo articulo. Primo ex ratione perfectionis, quæ fuit medium in prima ratione. Arguitur sic: vltima, & summa perfectio naturæ operatiuæ non potest esse sine reali relatione ad obiectum perfectissimum, circa quod ipsa nata est operari: operatio autem est summa perfectio talis naturæ: igitur, &c. Maior probatur, quia si summa perfectio naturæ viuæ diceretur aliquid, vt est ad se, ipsa substantia rei hoc modo esset summa perfectio, quia substantia est perfectio quocunque suo accidente, secundùm Aristotelem 7. *Metaph.* Si igitur concedatur beatitudinem creaturæ esse accidens illi naturæ beatificabili, & cum hoc summam esse eius perfectionem: hoc non potest poni, vt est aliquid ad se, sed præcisè, inquantùm connectit, siue coniungit fini vltimo simpliciter, scilicet obiecto extrinseco, quod per ipsum attingitur: ipsa igitur relatio ad ipsum obiectum est formalis ratio, propter quam beatitudo dicitur summa perfectio. 6.

Vltima perfectio naturæ perfectæ dicit relationem ad obiectum perfectissimum. Tex. 4.

Confirmatur hoc per illud Augustini 13. *de Trin. cap.* 5. vbi aliis definitionibus beatitudinis reprobatis, concludit, quasi pro vera definitione. *Beatus igitur non est, nisi qui habet omnia, quæ vult, & nihil mali vult.*

Quis dicendus beatus? Vide inquit Phys. 4. Topic. c. 15.

Ex hoc arguitur, quando in concretis est prædicatio per se primo modo, sequitur quòd abstractum prædicatur de abstracto: patet in exemplo; album est coloratum per se primò, & per consequens non ratione subiecti, sed ratione formæ & ideò hæc est vera, *albedo est color*: igitur si hæc est vera primo modo; *beatus habet quicquid benè vult*, sequitur quòd beatitudo est (vt ita dicam) habitio cuiuscunque benè voliti; nunc autem habitio, vel *habere* videtur per se importare relationem. 7.

Prædicatio in concretis per se primo modo, infert prædicationem in abstractis, non loquitur de vltimate abstractis de quo 1. q. 5. q. 1.

Præterea. Iuxta secundùm medium, scilicet de nouitate absoluti, arguit sic. Ad formam absolutam nouam potest esse per se mutatio: ad operationem, puta *intelligere*, vel huiusmodi, non potest esse per se mutatio: igitur, &c. Maior probatur: quia forma absoluta potest acquiri subiecto non tantùm per accidens, scilicet ad acquisitionem alterius, sed per se propria acquisitione, quia potest primò per se succedere suæ propriè priuationi. Minor probatur per Philosophum 7. *Physic.* dicentem:

dicentem: *Neque in intellectiua parte animæ alteratio, sciens enim maximè ad aliquid dicitur*, & multa ibidem tam in litera Philosophi quàm in commento videtur esse ad hanc intentionem. Tex. 20.

Præterea. Iuxta tertium medium, scilicet de distinctione relationis & fundamenti eius, arguitur sic. In cuius substantia est relatio illud non est aliquid absolutum; sed in tertio modo relatiuorum in substantia vnius extremi, scilicet mensurati, est relatio; operatio enim refertur ad obiectum illo tertio modo: igitur, &c. Maior probatur: quia absolutum non includit in sua ratione essentiali, relatiuum: quia tunc esset per se ad alterum: per illud respectum inclusum, & esset per se non ad alterum, sed ad se; quia ponitur absolutum. Minor patet per Commentatorem 5. *Metaphysicæ*, vbi vult, quòd in tertio modo relatiuorum relatio est in substantia alterius extremi tantùm, sicut in ratione intellectus, & non in ratione intellecti, vel intelligibilis: *relatio*, inquit, *non est in substantia intellecti, sicut est in substantia intellectus:* igitur, &c. Ibi etiam illud verbum Philosophi, *idem bis diceretur*, exponit sic: intellectus non refertur ad intelligentem, sed ad intellectum: quia si ita esset, tunc intellectus constitueretur per intelligentem, & videtur esse è conuerso. Ex quo sequeretur, quòd illud quod constituitur per aliud, constituat illud: sicut ipse arguit, quòd intellectus, si diceretur ad intelligentem, constitueretur per ipsum: ita intelligit quòd constituitur per intelligibile, ad quod dicitur, non autem constitueretur per illud, si esset in se aliquod absolutum.

Operatio refertur ad obiectum tertio modo relatiuorũ. Com. 20.

SCHOLIVM.

Pro solutione trium rationum allatarum ostendit dari notitiam intuitiuam, & abstractiuam in intellectu, de quo 1. distinct. quæst. 2. & 2. dist. 3. quæst. 9. & 3. dist. 14. quæst. 3. Ad primum contra hoc docet, licet sensus non abstrahat ab hic, & nunc, intellectum sic abstrahere & intueri etiam sicut sensus. Ad secundum docet intuitiuam & abstractiuam specie distingui, quia motiuum illius est res in se existens; huius vero aliquid in quo res habeat esse cognoscibile, siue sit causa virtualiter continens siue effectus eius, vt species.

8. Circa secundum in isto articulo distinguo de operatione, & est distinctio manifestior in actu cognoscendi, potest tamen poni fortè in actu appetendi.

Aliqua ergo cognitio est per se existentis, sicut quæ attingit obiectum in sua propria existentia actuali. Exemplum de visione coloris, f & communiter in sensatione sensus exterioris. Aliqua etiam est cognitio obiecti, non vt existentis in se, sed vel obiectum non existit: vel saltem illa cognitio non est eius, vt actualiter existentis. Exemplum, vt imaginatio coloris, quia contingit imaginari rem, quando non existit, sicut quando existit. Consimilis distinctio probari potest in cognitione intellectiua. Hoc probatur primò, quia patet quòd aliqua potest esse intellectio non existentis; aliqua etiam potest esse obiecti existentis, vt existentis: quia talem habebit Beatus de obiecto beatifico alioquin posset aliquis esse beatus in obiecto, esto per impossibile, ipsum non esset existens, de quo dicitur habere claram visionem, siue facialem: propter hoc, quòd actus eius cognoscendi tendit in illud, vt in se præsens in propria existentia actuali. Secundò probatur idem, quia quicquid est perfectionis in cognitione, magis potest competere cognitioni intellectiuæ, quàm sensitiuæ: nunc autem posse attingere obiectum in se realiter perfectionis est, g vbi non vilesceret potentia attingentis propter imperfectionem obiecti: ergo intellectus potest habere actum, quo sic attingat obiectum in sua reali existentia, saltem illud obiectum, quod est nobilius tali intellectu, vel æquè nobile. Et si concedatur de intellectu nostro, ipsum, scilicet posse habere talem actum cognitionis, quo attingat rem, vt existentem in se, pari ratione potest hoc concedi de quocunque obiecto: quia intellectus noster est potentialis respectu cuiuscunque intelligibilis.

Beatitudo est de obiecto vt existens est. Quod est perfectionis in cognitione, magis conuenit intellectiuæ quàm sensitiuæ.

Contra istam distinctionem arguitur primò per hoc, quod intellectus noster in cognoscendo abstrahit ab hic, & nunc, & pari ratione ab omni conditione existentis vt existentis: igitur non competit sibi aliquid per se intelligere, vt existens. 5. Metap. t. non habẽte commentum.

9. Præterea. Si sint duæ tales intellectiones possibiles intellectui nostro, tunc pari ratione eiusdem obiecti poterunt esse duæ tales. Quæro tunc quomodo distinguerentur,

rentur, non numero tantùm, quia duo accidentia eiusdem speciei non possunt esse in eodem subiecto simul, nec specie: quia siue actus cognitionis accipiat speciem, à potentia, siue ab obiecto, cùm hîc sit eadem potentia, & idem obiectum, non poterit, poni differentia specifica.

Intellectus cognoscit, quicquid cognoscit sensus, & sub quacunque ratione cognoscit.

Ad primum illorum dici potest, quòd distinctio, quæ ponitur communiter inter cognitionem intellectiuam, & sensitiuam ex parte obiecti, puta, quòd intelligimus vniuersale: sentimus singulare, & quæcunque distinctio alia isti correspondens, non debet intelligi tanquam inter potentias disparatas ex æquo, sicut est distinctio visus in videndo colores: ab auditu in audiendo sonos, sed debet intelligi distinctio intellectus à sensu, sicut potentiæ superioris cognitiuæ ab aliqua cognitiua subordinata sibi, & per consequens, quòd potentia superior potest cognoscere aliquod obiectum, vel sub aliqua ratione: quod obiectum, vel sub qua ratione potentia inferior non potest cognoscere, non tamen è conuerso, quòd inferior possit aliquod obiectum, vel sub aliqua ratione cognoscere, quin superior possit etiam perfectiori modo obiectum illud cognoscere, & sub eadem ratione cognoscibilitatis ex parte obiecti: & sic potest concedi, quod intellectus potest cognoscere obiectum non vt hîc, & nunc: quia sub ratione quiditatiua absoluta: sensus autem non potest sic cognoscere obiectum: quia est virtus limitata ad cognoscendum ipsum sub ratione existentis: sed non propter hoc intellectus determinatur ad cognoscendum obiectum sub modo opposito: quia indifferens est ad cognoscendum ipsum sub vtroque modo.

Existentia potest cognosci abstractiuè. De hac cognitione duplici, vide 3.q.2.

Ad secundum concedi potest. quòd sint duæ cognitionet eiusdem obiecti simul, 10.
sic quòd non distinguatur obiectum ab obiecto, sicut essentia ab existentia: quia licèt inter ista sit aliqua distinctio obiecti, tamen non sufficiens ad propositum: quia etiam ipsa existentia potest cognosci cognitione abstractiua. Sicut enim essentiam, sic existentiam possum intelligere, licèt non sit realiter extra intellectum. Dicentur igitur cognitiones distinctæ, & hoc secundùm speciem propter rationes formales motiuas hinc, inde: quia cognitione intuitiua res in propria existentia est per se motiua obiectiuè, in cognitione autem abstractiua est per se motiuum aliquid, in quo res habet *esse* cognoscibile: siue sit causa virtualiter continens rem, vt cognoscibile, siue vt effectus, puta species, vel similitudo repræsententatiuè continens ipsum, cuius est similitudo.

COMMENTARIVS.

15. *Dubia & primo de sensatione.*

CIrca secundum. Pro maiori declaratione huius literæ insurgunt aliqua dubia. Et primò de sensatione sensus exterioris, quia cognitio intuitiua non fit per aliquod repræsentatiuum, sed per præsentiam obiecti in se: modò cognitio sensitiua exterior causatur à sensu, & à specie sensibili existente in organo, vt patet à Doctore *in quodlib. quæst.* 15. imò si species sensibilis non esset in organo sensus, nulla esset sensatio exterior, vt patet. Tum etiam, quia si in tali sensatione requiritur præsētia obiecti existētis, vt existens in actuali existentia, aut requiritur vt causa effectiua talis sensationis; aut vt præcisè terminatiua: non primò, quia tunc non poneretur species causa effectiua. Tum etiam, quia non videtur, quòd sensibile distans puta per milliare possit immediatè immutare sensum ad sui sensationem: non secundò, quia si tantùm requiritur vt terminus, & nullo modo vt causa effectiua posset esse perfecta sensatio ipsius, etiam ipso non existente: patet, quia causa totalis illius esset sensus, & species sensibilis, & causa receptiua immediata esset ipse sensus. Sic enim arguit Doctor *in primo, dist.* 3. *quæst.* 7. contra Henricum qui ponebat animam esse totalem causam intellectionis, vide ibi.

Responsio.

Respondeo primò, quòd fortè non videtur inconueniens sensibile extra esse causam partialem sensationis exterioris, & cùm dicitur, quòd non potest immediatè immutari potentiam distantem nisi immutet medium. Dico, vt dixi *in secundo, dist.* 9. de locutione Angelorum, vide ibi. Dico secundò, & fortè meliùs, quòd talis sensatio causatur à sensu, & specie sensibili, & tunc requiritur obiectum, vt actu existens in propria existentia. Et cùm dicitur, quòd sufficit causa totalis sensationis, quæ est species cum sensu, & causa receptiua eiusdem sensationis per rationem Doctoris contra Henricum. Dico, quòd ratio illa ibi valet; & non hîc, quia hîc species sensibilis repræsentat ipsum sensibile cum conditionibus materialibus; ibi verò non; & ideò si sensibile non esset in se præsens nulla est sensatio. De hoc vide Doctorem *in primo, d.* 3. *q.* 6. Et de hoc aliàs erit sermo prolixior.

Secundò dubitatur, ibi, *posse attingere obiectum in se realiter perfectionis est, vbi non vilesceret potentia attingens propter imperfectionem obiecti*, hoc videtur dubium, quia aut ponitur obiectum causa motiua potentiæ ad sui visionem, aut præcisè terminatiua. Si primò, patet quòd potentia etiam vilesceret recipiendo notitiam intuitiuam ab obiecto perfectissimo, quia tunc se haberet in potentia receptiua, etiam posito quòd illud obiectum esset formaliter infinitum. Vnde si essent duo formaliter infinita, & realiter distincta, & vnum moueret aliud ad sui notitiam, illud aliud vilesceret, quia tunc non tantùm se haberet in potentia receptiua, quod est imperfectionis: sed etiam dependeret ab illo alio in recipiendo

16. *Dubium.*

recipiendo perfectionem ab illo. Si secundò, tunc nihil recipit ab obiecto. Si enim notitia diuina terminaretur ad obiecta secundaria, sicut etiam fortè terminatur propter hoc non dicitur imperfecta. Et quod addit, quòd *intellectus potest habere actum, quo attingat obiectum in sua reali existentia, saltem illud obiectum, quod est nobilius tali intellectu, vel saltem æquè nobile*, hoc videtur dubium, quia ipse Doctor vult expressè *in secundo, dist. 3. quæst. vltima, & in 4. dist. 45.* quòd Angelus potest intuitiuè cognoscere, puta lapidem, ita quòd lapis concurrat effectiuè saltem partialiter ad huiusmodi notitiam, & tamen lapis est valde ignobilior intellectu Angeli. Et hic non oportet multùm insistere cum ipse expressè hoc asserat.

17. *Responsio.* Respondeo ad primam obiectionem, & dico quòd posito quòd intellectus vt receptiuus perfectionis ab alio, aliquo modo vilesceret, quia esset potentialis ad illud; quia tamen intellectio nobilioris obiecti, sic intellectum perficit, quòd ipse intellectus quietatur, & perficitur in tali obiecto, ideò quantùm ad hoc non diceretur vilescere, sicut si haberet ab obiecto ignobiliori. Dico secundò, & magis ad mentem Doctoris, quòd hic Doctor non loquitur secundùm opinionem propriam de notitia intuitiua respectu cuiuscunque intellectus creati, quia multi negant quòd intellectus Angeli possit acquirere notitiã intuitiuã alicuius inferioris, quia non est potentialis ab aliquo inferiori, vt patet *in secundo, dist. 3. & in 4. dist. 45.* Et ideò Doctor dicit quòd potest saltem habere intuitiuam respectu obiecti perfectioris, vel æqualis, quia hoc modo non videtur vilescere ratione obiecti, cùm sit vel nobilius, vel æquè nobile. Et quia intellectus noster est potentialis respectu cuiuscunque obiecti, ideò potest habere notitiam intuitiuam respectu cuiuscunque obiecti intelligibilis. Et tamen secundùm rei veritatem, & secundùm intentionem Doctoris etiam quilibet intellectus Angelicus est potentialis respectu cuiuscunque obiecti intelligibilis, vt patet à Doctore *in secundo, dist. 3. quæst. 11.* si etiam tertiò volumus aliter dicere, possumus dicere, quòd Doctor hic loquitur de intellectu ex natura intellectus, quia vt sic nullam necessariò includit imperfectionem, cùm sit perfectio simpliciter, quòd talis intellectus vbi inuenitur perfectissima ratio intellectus (sicut est de intellectu diuino, vbi inuenitur perfectissima ratio intellectus) potest habere notitiam intuitiuam respectu cuiuscunque obiecti, dummodò non vilesceret propter imperfectionem obiecti, quia si moueretur ab aliquo ente creato, tunc reciperet perfectionem ab illo. Nec valet dicere quòd etiam vilesceret ab alio infinito realiter distincto. Dico, quòd hoc verum est, sed Doctor præsupponit incompossibilitatem plurium infinitorum, vt patet *in primo, dist. 2. quæst. 1. partis primæ, & quæst. de vnitate Dei.* Sed quando obiectum est simpliciter idem potentiæ, tunc potentia non vilescit respectu illius, quia nullo modo est in potentia receptiua, quia talis notitia esset perfectè idem realiter illi potentiæ. Sed si obiectum etiam infinitum, esset realiter distinctum à potentia, & moueret illam ad sui notitiam intuitiuam, tunc causaret necessariò notitiam realiter distinctam, & ab obiecto, & à potentia vt clarè exposui *in primo dist. 2. & in quæst. de vnitate Dei.*

Et quòd dicit Doctor hic, respondendo ad primam obiectionem, quod *sensus necessariò est obiecti existentis, vt existens, & per consequens vt habentis esse hic, & nunc*, videtur satis dubium, quia videtur quòd sensatio non terminetur ad singulare, vt singulare, cùm nulla potentia etiam intellectiua pro statu isto cognoscat aliquod singulare sub ratione propria, vt patet à Doctore, & tamen si notitia sensitiua, sic terminetur ad existens, vt actu existens, & cum omnibus conditionibus materialibus, videtur quòd terminetur ad singulare sub ratione propria singularitatis. *Nota.*

Respondeo, vt dixi *in 2. d. 3.* vide ibi singularem glossam pro ista materia.

Nota etiam in ista responsione, quòd Doctor vult, quòd intellectus, cùm sit potentia superior sensu, quòd possit intelligere omne obiectum sensus, & præcisè etiam sub eisdem conditionibus, sub quibus etiam sensus cognoscit, & non è contra, quia intellectus potest cognoscere, & plura obiecta numero, & idem obiectum sub alia, & alia ratione quibus rationibus nullo modo cognoscit sensus, vt patet intuenti.

SCHOLIVM.

Docet in actu cognoscendi intuitiuo esse duas relationes reales ad obiectum, vna est mensurabilis ad mensuram: altera est vnionis, seu attingentiæ. Quod istæ distinguantur, patet, quia in aliis inuenitur prima sine secunda, & è contra vt in exemplis. Quod sint reales, patet: quia requirunt extrema existentia, & distincta; ad quorum positionem necessariò resultant. Explicat optimè relationem rationis, & qualiter relatio mensurabilis fit realis, quod contingit, quando entitas mensurabilis participatur, seu accipitur à natura.

11. ISta distinctione [h] actus cognoscendi supposita potest dici, quòd primus, scilicet, qui est rei existentis in se necessariò habet annexam relationem realem, & actualem ad ipsum obiectum: & ratio est, quia non potest esse talis cognitio nisi cognoscens habeat actualiter ad obiectum talem habitudinem, quæ necessariò requirit extrema in actu, & realiter distincta, & quæ etiam naturam extremorum necessariò consequitur. *In intuitiua est realis ad obiectum. In eodem est relatio realis attingentiæ.*

In speciali autem videtur esse duplex relatio actualis in isto actu ab obiectum. Vna potest dici relatio mensurati, vel verius mensurabilis ad mensuram. Alia potest dici relatio vnientis formaliter in ratione medij ad terminum, ad quem vnit, &

ista relatio medij vnientis specialiori nomine potest dici relatio attingentiæ alterius, vt termini vel tendentiæ in alterum, vt in terminum.

S. Et decimo Metap. Ista autem distinctio duarum relationum, scilicet, mensurabilis ad mensuram, & attingentiæ ad terminum, satis videtur esse manifesta, quia vtraque ab altera separari potest: sicut in essentiis, superior habet rationem mensuræ respectu inferioris: nec tamen semper inferior habet respectu superioris relationem attingentiæ, de qua loquimur: actus etiam voluntatis, vel intellectus totaliter causantis obiectum videtur habere re ationem tendentiæ respectu eius, vt termini intellectionis, vel volitionis, siue ista relatio sit realis, siue tantùm rationis, non tamen talis intellectio, vel volitio habet respectu talis obiecti relationem mensurabilis, sed magis relationem mensuræ.

12. Metap. t. 20. Vide 2. d. 4. De prima relatione [i] scilicet mensurabilis, loquitur Aristoteles 5. *Metaphysicæ*, quòd illa propriè pertinet ad tertium modum relatiuorum. Vbi sciendum est, quòd aliquid mensurari est intellectum de eius quantitate determinata per aliud certificari, ita quòd mensurari importat respectum ad intellectum, cui fit certitudo; & ad mensuram, per quam fit certitudo. Prima non est realis: sicut nec scibilis ad scientiam. Secunda est causati non in *esse*, sed in *cognosci* ad causam in *cognosci*, & hæc est relatio reali quantùm est ex parte dependentiæ causati ad causam, quæ dependentia est ratione extremorum, & non tantùm per actum intellectus comparantis hoc ad illud, tamen quia ista habitudo dependentiæ, non quidem ipsius cognitionis ad causam cognitionis, quæ benè est realis; sed dependentiæ obiecti, vt cogniti, ad obiectum, vt per quod cognoscitur, est inter extrema, non vt habentia *esse* reale, sed tantùm vt habentia *esse* cognitum; ideò ista habitudo non est simpliciter realis: nec tamen est ita purè relatio rationis, sicut est illa, quæ est vniuersalis ad singulare: vel illa, quæ est contradictorij ad contradictorium: quia Aristoteles non dicit relationem in tertio modo esse mensurati ad mensuram, sed esse mensurabilis, hoc est apti nati mensurari ad mensuram, hoc est, aptam natam mensurare. Quod sic potest intelligi: sicut enim ex dictis patet, mensurari actualiter est actualiter pendere in *cognosci*, ita mensurabile dicit aptitudinalem, vel potentialem dependentiam in *cognosci*, vel dicit dependentiam in cognoscibilitate. Vnumquodque autem se habet ad cognoscibilitatem, sicut se habet ad entitatem; igitur per mensurabile intelligitur illud substratum, ratione cuius hoc est mensurabile, & illud est entitas causata, vel participata, vt sic in tertio modo relatiuorum, per hoc, quòd est aliquid dici, vt mensurabile ad mensuram, intelligitur dici tanquam dependens in entitate ad illud, à quo participat entitatem vt sic sit relatio simpliciter realis ex parte mensurabilis in tertio hoc modo: quia illud intelligitur ens per participationem, vel imitationem respectu alterius. 12.

Quomodo relatio mensurationis ad mensuram est realis.

2. Met. t. 4. Quando mensurabile in entitate dependet à mensura, eius relatio est realis.

Vlteriùs ad propositum, [k] cùm aliquid possit multipliciter participare perfectionem ab alio, actus cognoscendi sic participatiuè se habet respectu obiecti, sicut similitudo respectu cuius est. Non dico similitudo per communicationem eiusdem formæ, sicut est albi ad album, sed similitudo per imitationem, sicut est ideati ad ideam.

Actus cognoscendi se habet sicut similitudo respectu cuius est.

COMMENTARIVS.

18. *Notitia intuitiua quid.* h IN *ista distinctione*. Occurrit dubium de notitia intuitiua scilicet, quod illa dicitur intuitiua, quæ est existentis, vt existens actuali existentia, ita quòd sit in se præsens in actuali existentia, quæro, aut existentia præcisè requiritur, vt ratio formalis terminandi notitiam intuitiuam: aut vt ratio formalis mouendi intellectum ad notitiam intuitiuam; aut nec sic, nec sic, sed tantùm vt conditio obiecti, siue vt dispositio obiecti. Et instatur, pro nullo istorum modorum potest poni ipsa existentia. Non primo modo. Et arguitur sic, primò, quia ratio formalis terminandi est ratio, quiditatiua, vt patet à Doctore *in primo, dist. 1. qu. 2.* vbi dicit de fruitione, quòd ratio formalis terminandi talem actum, est ratio quiditatiua, hoc idem videtur de visione obiecti. Sed existentia non est ratio, quiditatiua: patet, quia est gradus intrinsecus quiditatis.

Prima instantia.

Secunda. Secundò instatur, quia si existentia lapidis est ratio formalis terminandi notitiam intuitiuam ipsius, sequitur quòd intellectus diuinus non cognouerit eam ab æterno intuitiuè, quia non fuit existens ab æterno. Sequitur etiam quòd beatus non cognoscat eam intuitiuè in Verbo, cùm ibi non existat.

Tertia. Tertiò instatur, quia sunt multa entia, quæ non habent propriam existentiam, vt entia rationis, vt priuationes, negationes, & huiusmodi, quæ tamen intuitiuè cognoscuntur ab intellectu diuino: patet, quia quicquid cognoscit, intuitiuè cognoscit, cum cognitio abstractiua sit imperfecta.

Quarta. Quartò instatur, & pono, per possibile, vel impossibile, quòd essentia lapidis, vt prior existentia sua sit realiter præsens intellectui, & non per aliquam speciem, sed in se præsens, certum est quòd tunc

tunc non cognoscitur abstractiuè, quia cognitio abstractiua fit per aliquid repræsentatiuum, vt patet à Doctore si ergo intuitiuè cognoscitur, sequitur quòd intuitiua non terminatur ad existentiam, vt existentia.

Quinta. Quintò instatur, quia Doctor hîc vult quòd in cognitione intuitiua res in propria existentia moueat obiectiuè; ergo non requiritur existentia præcisè vt ratio terminandi.

Sexta. Sextò instatur, quia Doctor *in 4.dist.10.q.5.* dicit quòd non requiritur obiectum vt existens, vt præcisè in ratione termini, sed requiritur vt sit motiuum, vide ibi.

Septima. Septimò instatur, quia sicut ratio formalis obiecti, quietatiui voluntatis, est ratio perfectissima, quæ est ratio quiditatiua, ergo similiter ratio formalis terminandi visionem beatificam erit ratio quiditatiua, quia in tali intellectus beati perfectè quietatur.

Octaua. Octauò instatur, quia Doctor hîc dicit quòd intuitiua, & abstractiua sunt eiusdem obiecti, sic quòd nō distinguitur obiectum ab obiecto, sicut essentia ab existentia; quia licèt inter ista sit aliqua distinctio obiecti; tamen non est sufficiens ad propositum, quia etiam ipsa existentia potest cognosci cognitione abstractiua; sicut enim essentiam, sic & existentiam possum intelligere, licèt non sit realiter existentem. Hæc ibi, ex quo sequitur quòd sicut existentia potest cognosci intuitiuè, & abstractiuè, sic & essentia potest cognosci intuitiuè, & abstractiuè; ergo existentia non erit præcisa ratio terminandi.

19. *Ratio formalis causandi quid.* Deinde instatur, contra secundum membrum, probando quòd existentia non sit ratio causandi cognitionem intuitiuam. Et primò sic: Ratio formalis causandi est entitas quiditatiua, ergo non existentia. Antecedens patet à Doctore *in primo, dist. 3. quæst.6. & alibi sæpe.* Consequentia patet, quia existentia non pertinet ad quiditatem, cùm sit gradus eius intrinsecus; & per consequens posterior.

Secundò instatur, quia Doctor *in primo, dist. 3. quæst.7.* probat quòd si obiectum non concurreret actiuè ad cognitionem, quòd cognitio non specificaretur ab obiecto, nec vna distingueretur specie ab alia. Sed talis specificatio non potest esse ab existentia, vt existentia, patet, quia existentiæ non distinguuntur specie, cùm sint gradus intrinseci; distinguuntur enim concomitanter, videlicet, quia quiditates quarum sunt, sunt distinctæ specie.

Tertiò instatur, quia si existentia lapidis necessariò requiritur ad notitiam intuitiuam, vt ratio mouendi, sequitur quòd beatus non poterit intuitiuè ipsum cognoscere in Verbo, quia vt ibi lapis non existit propria existentia, & tamen ipsum vt ibi intuitiuè ipse beatus cognoscit.

Quartò instatur, quia non est ratio terminandi notitiam intuitiuam; ergo nec ratio causandi. Antecedens patet suprà. Consequentia probatur per Doctorem *suprà q.8.* vbi vult quòd ratio formalis causandi aliquid, sit etiam ratio formalis terminandi, & ècontra.

Relationes nō mouēt intellectū formaliter, licèt moueant fundamentaliter. Quintò instatur, quia sunt multa entia, quæ habent propriam existentiam, quæ tamen nullo modo possunt mouere intellectum, vt sunt relationes reales, quæ non possunt mouere intellectum, vt patet à Doctore & tamen cognoscuntur intuitiuè.

Sextò instatur, quia si existentia esset ratio formalis mouendi, sequeretur quòd non posset de obiecto haberi notitia intuitiua perfectissima, quia notitia intuitiua quiditatis in se est nobilior notitia intuitiua existentiæ eiusdem; modò ratiò mouendi in obiecto est ratio perfectissima, & sic si existentia esset ratio mouendi, esset ratiò perfectissima.

Septimò instatur sic: obiectum secundùm suam entitatem quiditatiuam realem actualem est cognoscibile intuitiuè, & tunc quæro à quò causatur partialiter talis notitia intuitiua? aut à quiditate obiecti, aut ab eius existentia. Si primò, habetur propositum, quia tunc existentia non erit ratio formalis causandi. Si secundò, contrà, quia tunc existentia contineret virtualiter quiditatem obiecti; patet, quia contineret virtualiter eius notitiam intuitiuam; ergo & eius entitatem, patet per Doctorem *in primo, dist.3. qu.1. & in 2. dist.3.*

Octauò instatur, quia respectu cognitionis intuitiuæ sensus exterioris, existentia obiecti sensibilis extra non est ratio formalis mouendi sensum exteriorem ad sensationem, vt suprà patuit; ergo nec similiter respectu cognitionis intuitiuæ respectu intellectus, cùm non videatur maior ratio hîc, & ibi, vt patet.

Deinde instatur contra tertium membrum, videlicet probando quòd non requiritur existentia vt conditio obiecti, nec in ratione mouendi, nec terminandi, quia conditio talis obiecti ponitur propriè singularitas, vt patuit *in primo, dist.3. q.6.* Tum etiam, quia si obiectum in se, vt prius existentia est ratio mouendi, vel terminandi, & sit perfectè præsens potentiæ, patet quod nihil aliud necessariò requiritur ad hoc, vt habeatur notitia intuitiua. Tum etiam patet quòd contra hoc facit ratio Doctoris *in primo, dist.3. quæst.7.* contra Henricum ponentem animam intellectiuam esse totalem causam intellectionis.

Si dicatur quòd illa diuisio non est sufficiens; quia oportet addere, aut quiditas est ratio terminandi, & existentia ratio causandi, aut ècontra, scilicet aut quiditas erit ratio causandi, & existentia ratio terminandi. Dico, quòd hoc nihil est, quia in cognitione intuitiua, quod ponitur ratio causandi notitiam, tale ponitur etiam ratio terminandi, vt patet ex multis dictis Doctoris.

Respondeo ad omnes instantias, præmittendo aliqua. Primò, quòd essentia rei secundùm suam entitatem realem actualem est prior existentia reali actuali, ita quòd talis essentia est vera res habens *esse* simpliciter, & verum *esse* actuale, vt distinguitur contra *esse* possibile, siue potentiale, siue contra *esse* eius obiectiuum; & simpliciter est perfectior sua existentia reali actuali, ita quod non est imaginandum quòd lapis secundùm suam entitatem quiditatiuam actualem extra intellectum præcisè dicatur vera res ratione existentiæ eius: imò si, per impossibile, talis existentia non esset, esset vera res realiter, & simpliciter. De hoc vide quæ prolixè exposui *in secundo, distinct.3. quæst. prima,* vbi multa singularia adduxi de essentia, & existentia. Secundò præmitto, quòd essentia lapidis, vt habēs *esse* actuale, & prius ipsa existētia actuali, est perfectissima ratio mouēdi intellectum ad sui notitiā intuitiuā, & similiter ratio terminādi. Et si per impossibile, esset 20. *Responsio ad omnes instantias.*

esset separata ab omni existentia, adhuc esset perfecta ratio tam mouendi, quàm terminandi. Tertiò præmitto, quòd de eadem quiditate, vt priore existentia, potest haberi notitia abstractiua,& intuitiua aliter,& aliter, si erit in se simpliciter præsens propria præsentalitate,tunc moueret intellectum ad notitiam sui intuitiuam, & tũc illa intuitiua esset obiecti in se præsentis habentis verum *esse* reale actuale,etiam posito, per *Nota.* impossibile,quòd actu non existeret.Si verò non esset in se præsens, sed in aliquo repræsentatiuo, puta in specie intelligibili, tunc mediante illa specie posset haberi notitia abstractiua illius, & tunc talis notitia non requirit quòd obiectum habeat *esse* actuale, sufficit enim habere *esse* potentiale: hoc idem de existentia, quando enim est in se præsens secundùm suum *esse* actuale, tunc habetur notitia intuitiua; quando verò est tantùm præsens non in se, sed in aliquo repræsentatiuo, tunc de ea potest haberi notitia abstractiua. Sicut enim essentia potest considerari secundùm *esse* potentiale,& secundùm *esse* actuale, & sic similiter est existentia secundùm *esse* tantùm possibile, siue obiectum, & est illa,quæ ponitur gradus intrinsecus quiditatis habentis præcisè *esse* potentiale, & obiectiuum; est etiam existentia secundùm *esse* actuale, & est quando ponitur gradus intrinsecus quiditatis secundùm *esse* actuale. De hoc vide in secundo, dist. 3. quæst. 1. respondendo ad quæstionem principalem.

21. Quartò præmitto, quòd essentia,puta lapidis, quando est in se præsens intellectui secundùm suum *esse* actuale,causat notitiam intuitiuam sui, specie distinctam à notitia abstractiua eiusdem; non vt in se præsentis, sed præsentis in aliquo repræsentatiuo.

Quintò præmitto, quòd quiditas lapidis non potest esse præsens in se intellectui secundùm *esse* actuale,quin necessariò sit præsens secundùm *esse* existentiæ, cùm sit modus eius intrinsecus, non tamen existentia erit ratio nec mouendi, nec terminandi, nec conditio obiecti necessaria, sed vt gradus intrinsecus necessariò consequens ipsam quiditatem: patet, quia si talis existentia, per impossibile, non esset, adhuc quiditas, vt in se præsens, posset intuitiuè cognosci. Quãdo ergo Doctor dicit quòd *notitia intuitiua est obiecti existentis, vt existens est*, non intelligit quòd existẽtia actualis obiecti sit ratio formalis, vel mouendi,vel terminandi,nec quòd sit cõditio necessariò requisita, vel in ratione mouendi, vel in ratione terminandi respectu notitiæ obiecti secundùm *esse*, quiditatiuum eius actuale,sed intelligit sic, quod est impossibile esse præsens secundùm *esse* reale,quin necessariò sit præsens secundùm *esse* existentiæ actuale. His præmissis, patet responsio ad instantias. Ad primam contra primum membrum diuisionis, concedo quòd existentia non est ratio terminandi,sed ipsa essentia secundùm *esse* actuale.

Ad secundam, patet, & dico breuiter, quia posset esse argumentum etiam de quiditate secundùm *esse* reale, quòd etiam secundùm tale *esse* non est ratio formalis terminandi notitiam intuitiuam intellectus diuini, sed præcisè est essentia diuina, ita quòd non terminatur ad lapidem, sed mediatè terminatur ad lapidem, vt in essentia diuina relucentem, vt patebit infrà, *qu.* 14. *art.* 3.

Ad tertiam patet, & quomodo illa cognosca Deus intuitiuè exposui in primo, d.39. vide ib, quædam singularia.

Ad quartam, concedo argumentum illud, si casus esset possibilis, sed est simpliciter impossibilis.

Ad quintam dico, quòd hîc Doctor non vult quòd existentia sit ratio mouendi, sed benè vult *Existentia nõ est ratio mouendi.* quod nunquam res actu moueat ad notitiam intuitiuam nisi actu existat,non quòd existentia sit aliquo modo ratio formalis, sed ipsa res secundùm *esse* suum actuale;vt prior existentia actuali, est tamen impossibile ipsam mouere, nisi actu existat, propter necessariam concomitantiam existentiæ ad rem.

Ad sextam concedo argumentum rectè intellectum,nam ipsa entitas quiditatiua actualis non necessariò requiritur vt sic sit prȩsens,vt præcisè, sed requiritur vt mouens,& actu non mouet,nisi quando existit propter concomitantiam necessariam, modo prædicto.

Ad septimam concedo argumentum illud. Et vltrà dico, quòd benè concludit,si existentia non ponatur ratio quiditatiua primi obiecti, modò ponitur de relatione eius extrinseca, & formali, vt patet à Doctore *in primo, distinct.* 2. *quæst.* 1. *&* 5. *qu.* 1. *art.* 1.

Ad octauam, patet responsio ex præmissis.

Ad primum contra secundùm membrum diuisionis concedo illud. 22.

Ad secundum similiter concedo.

Ad tertium, dico vt dixi ad secundùm contra primum membrum diuisionis.

Ad quartum,dico quòd existentia non est ratio terminandi notitiam intuitiuam ipsius essentiæ, sed est ipsa essentia, est tamen ratio terminandi notitiam suimet, quia ipsa immediatè terminatur ad existentiam cùm dicitur quòd tunc esset ratio mouendi. Dico breuiter quòd quiditas actualis est ratio mouendi intellectum ad notitiam,non tantùm sui intuitiuam,sed etiam omnium virtualiter contentorum in ea,& sic est ratio mouendi intellectum ad notitiam intuitiuam ipsius existentiæ, quia continet eam vt gradum sibi intrinsecum, & tamen illa notitia immediatè terminatur ad existentiam. Concedo tamen quòd ipsa quiditas sicut est ratio mouendi, siue causandi notitiam existentiæ,quòd etiam est ratio terminandi depẽdentiam eius,vt scilicet causati ad causam, & sic intelligitur propositio Doctoris vt patuit suprà quæst. 8. vide quæ ibi exposui. *Quiditas actualis est ratio mouendi.*

Ad quintum dico, quòd sufficit quòd talia entia virtualiter contineantur in aliquo, quòd possit mouere, vt exposui *in primo, distinct.* 3. *quæst.* 3. Concedo tamen quòd existentia non est ratio mouendi, nec similiter quiditas actualis talium entium, sed virtualiter continens talia entia, est ratio causandi notitiam intuitiuam eorum, & quantùm ad *esse* eorum quiditatiuum actuale, & quantùm ad *esse* existentiæ.

Ad sextum, patet quid dicendum.

Ad septimum, patet similiter responsio ex supradictis.

Ad octauum, patet responsio ex his, quæ dixi ad illud dubium de sensatione, vide ibi.

Si volumus tenere tertium membrum diuisionis, scilicet, quòd existentia sit conditio requisita, sic intelligendo, quòd res ipsa actu non moueret

moueret intellectum ad sui notitiam intuitiuam, nisi actu existeret, quia omnis motio realis, & omnis actio realis necessariò præsupponit existentiam rei mouentis, & agentis; & similiter nihil potest terminare dependentiam realem alicuius, nisi actu existens, non quòd existentia sit aliquo modo ratio terminandi, sed tantùm necessariò præsupposita ipsi rationi terminandi, sicut etiam Doctor *in primo, dist.36.& in tertio, dist.2.* dicit quòd creatio terminatur ad existens, vt existens, non quòd existentia actualis sit ratio formalis, siue terminus formalis creationis; imò est simpliciter ipsa natura secundùm entitatem suam realem actualem, ad quam concomitatur existentia realis actualis, vt gradus intrinsecus, sic dico in proposito.

Nota. Ad primam rationem, dico quòd licèt singularitas sit conditio agentis, siue producentis, & similiter conditio producti, quia nihil est producens, nisi actu singulare; nec similiter, nihil est productum nisi vt singulare, non tamen ipsa sola dicitur conditio agentis, sed etiam existentia actualis, est conditio requisita, quia nisi res actu existeret, actu non posset agere: imò existentia est magis intrinseca naturæ, quàm singularitas, cùm existentia sit gradus eius intrinsecus, non sic singularitas.

Ad secundùm dico, quòd existentia in obiectò requiritur vt aliquid necessariò præsuppositum, quia est impossibile intelligere naturā actu mouere, nisi actu existat. Dico secundò, quòd fortè existentia requiritur vt conditio mouentis, etsi fortè non requiratur, vt conditio rationis formalis mouendi. Argumētum verò Doctoris *in primo dist.3. q.7.* benè concludit, quia præsupponit ipsam materiam esse totalem causam intellectionis obiecti, ita quòd non ibi deficiat, nec quantùm ad rationem formalem agendi, nec quantum ad ipsum agens.

23. *Primum dubium.* Adhuc occurrit dubium. In hoc quod dicit Doctor quòd *cognitio intuitiua, & abstractiua respectu vnius, & eiusdem obiecti differunt specie*: instatur sic, primò præsupponendo quòd *A* sit obiectum intellectus, tam respectu notitiæ abstractiuæ, quam intuitiuæ, & instatur sic: idem inquantùm idem semper natum est facere idem, ergo idem obiectùm, & sub eadem ratione formali non potest esse causa duarum specierum, & maximè quando illud obiectum est simpliciter limitatum; quòd dico propter Solem, qui propter sui illimitationem potest esse causa plurium specierum; modò lapis est obiectum omnino limitatum; ergo ab ipso non possunt esse duo actus specie distincti.

Secundum. Secundò instatur. Actus distinguuntur per obiecta, vt patet *secundo de Anima*, ergo respectu eiusdem obiecti non possunt esse plures actus specie distincti, quia si distinctio obiectorum necessariò infert distinctionem actuum, ergo vnitas obiecti necessariò infert vnitatem actus. Valet consequentia per locum ab oppositis. *t.33.& 36. & inde.*

Si dicatur, quòd hoc non est verum, quia eiusdem obiecti sunt plures actus distincti specie: patet, quia visio eiusdem visibilis, & est imaginatio, & intellectio, quæ differunt specie, & tamen omnes sunt omnes eiusdem obiecti, & sub eadem ratione formali, quia potentia cognitiua superior cognoscit idem quod & inferior, & sub eadem ratione formali, vt suprà patuit. Restringo ergo rationem non comparando duas potentias adinuicem respectu eiusdem obiecti. Arguitur ergo sic: eiusdem potentiæ simpliciter comparatæ ad idem obiectū, non possunt esse plures actus specie distincti, cùm actus necessariò distinguantur per obiecta, ergo vbi idem obiectum ad eandem potentiam comparatum necessariò erit idem actus.

Tertiò instatur sic: præsupponendo dictum Doctoris, quòd eadem existentia potest cognosci intuitiuè, & abstractiuè, vt suprà patuit; ergo eiusdem existentiæ numero possunt esse duæ notitiæ specie distinctæ. Consequens falsum, quia existentia propriè non dicit vnitatem specificam, cùm tantùm concomitetur naturam specificam, ergo nec cognitio eiusdem habebit vnitatem specificam, aliter actus cognoscendi non haberet vnitatem an obiecto. *Tertium.*

Quartò instatur, præsupponendo dictum Doctoris *in primo, dist.1. q. 4.* quòd diuersa approximatio obiecti non variat rationem formalem actus, licèt possit variare, quantùm ad intentionem, & remissionem: ignis enim calefaciens lignum, magis & minus approximatus non variat calefactionem in se formaliter, sed magis approximatus, magis intendit eam, & minùs intendit. Cùm ergo obiectum in cognitione intuitiua, & abstractiua intelligatur magis, & minùs approximatum, siue magis & minùs præsens potentiæ cognitiuæ, patet quia respectu intuitiuæ est in se præsens, respectu verò abstractiuæ non est in se præsens, sequitur quòd notitia non variabitur quantùm ad eius rationem formalem, sed fortè quantùm ad intentionem, & remissionem, siue quia vna erit perfectior, puta intuitiua, & alia imperfectior, scilicet abstractiua, vel vna certior, scilicet intuitiua, & alia incertior, scilicet abstractiua. *Quartum.*

Quintò instatur, quia sequitur quòd eiusdem conclusionis possunt esse plures scientiæ specie distinctæ; patet, quia notitia intuitiua obiecti vltimatè continet virtualiter notitiam intuitiuam conclusionis, quia virtualiter continet notitiam intuitiuā primi prædicati, & per consequens notitiam intuitiuam propositionis immediatæ, & immediata mediatam, vt patet *in prolog. quæst. tertia*, ergo vltimatè continet intuitiuam conclusionis, continet etiam abstractiuam eiusdem conclusionis, modò prædicto, ergo eiusdem conclusionis demonstratæ possunt esse plures scientiæ specie distinctæ, quod nullo modo videtur. Si dicatur, quod eadem conclusio potest demonstrari per plura media, & sic ex pluralitate mediorum potest variari scientia conclusionis. Dico, quòd hoc posito, non tamen concesso, nihil est contra rationem, quia ratio præcisè procedit de eodem medio intuitiuè, & abstractiuè cognito. 24. *Quintum.*

Sextò instatur; quia sequitur quòd idem intellectus simul poterit cognoscere idem obiectum intuitiuè, & abstractiuè, si differet specie, sicut ipse arguit, quia licèt secundùm opinionem aliquorum, duæ notitiæ numero distinctæ eiusdem obiecti non possint simul esse in eodem intellectu, & tamen non est inconueniens de distinctis specie, & sic sequitur quòd idem intellectus cognosceret simul idem perfectè, & imperfectè, quòd est absurdum. *Sextum.*

Septimò instatur, & pono casum, quòd paternitas cognoscatur intuitiuè, & abstractiuè, & notitia *Septimum.*

titia intuitiua, & abstractiua eiusdem paternitatis per te differunt specie, tunc quæro à quo intuitiua habet vnitatem specificam? non à paternitate, patet, quia à quo non habet entitatem, ab eodem non habet vnitatem; non à fundaméto, & termino, quia tunc notitia nō distingueretur propter distinctionem obiectorum; nec diceretur propria notitia talis obiecti, si ab eodem non haberet vnitatem.

25. *Octauum.* Octauò instatur, & quæro, à quo causatur notitia abstractiua lapidis? non à lapide in se præsente, quia vt sic præsens, tantùm causat notitiam sui intuitiuam; non ab aliquo continente virtualiter ipsum lapidem, vt Doctor videtur dicere, quia quæro de illo continente, quomodo causat? aut causat vt in se præsens, & tūc vt sic, sicut causat notitiam, sui intuitiuam, ita & omnium virtualiter contentorum, cùm, vt sic, sit agens per modum naturæ; si causat non vt in se præsens, quæro quomodo vt sic possit causari? aut causatur à specie intelligibili, & hoc non, quia tunc effectus virtualiter contineret causam, ex quo enim ponitur secundùm Doctorem effectus obiecti, & continens virtualiter notitia obiecti, continet etiam virtualiter entitatem obiecti, vt patet à Doctore *in primo, dist.3.q.1.* sequitur quòd si talis notitia abstractiua causatur à tali specie, quòd ipsa species cōtinebit virtualiter obiectum, & sic effectus virtualiter continebit entitatem causæ, quod est impossibile.

Nonum. Nonò instatur, ponendo quòd abstractiua causetur à specie intelligibili, vt tenet Doctor *in primo, dist.3. quæst. 6. & 8. & dist. 17. & in 2. dist.3. & in 4. dist.10. & in quodlib.* tunc sic: si species talis causat, certum est quòd in causando supplet vicem obiecti, & tunc quæro aut supplet vicem obiecti habentis *esse* simpliciter, & reale, aut præcisè supplet vicem obiecti habentis tantùm *esse* possibile? Si primò, sequitur quòd causabit notitiam intuitiuam illius, quia illud idem obiectum si immediatè causaret, causaret notitiam sui, si ergo hoc modo supplet, & perfectè supplet, sequitur quòd illa notitia erit intuitiua. Si secundò, ergo talis notitia non poterit esse obiecti habentis *esse* simpliciter, sed præcisè, vt habentis *esse* secundùm *quid*, & possibile, cuius oppositum experimur.

Decimò instatur de notitia abstractiua existētiæ, vt existentia distinguitur ab essentia, à quo immediatè causatur? non à specie intelligibili ipsius existentiæ, cùm non habeat propriam speciem, vt videtur, quia gradus intrinsecus rei non habet propriam speciem aliam à specie rei, cuius ponitur gradus, quia tunc videretur habere propriam, & distinctam formalitatem, quod est contra Doctorem *in primo, dist.8.quæst.2. respondendo ad principalia argumenta.* Nec causatur à specie intelligibili ipsius rei essentialis, siue quiditatiuè, quia ipsa species præcisè repræsentat obiecti quiditatem, & non existentiam illius, vt patet; ergo videtur impossibile quòd respectu ipsius existentiæ, vt existentia, possit esse notitia intuitiua, & abstractiua.

26. *Responsio ad omnia dubia & primo ad primum.* Respondeo ad istas instantias, ad primam dico primò, quòd illa propositio Philosophi potest primò sic exponi: idem manens idem, & sub eadem dispositione tam respectu sui, quàm respectu passi, natum est facere idem, & sic ignis manens idem, & semper æquè dispositus, & circa idem passum, semper natus est producere similem, vel eundem effectum, tamen variatus secundùm aliam, & aliam dispositionem, & circa aliud passum, fortè poterit aliud in specie producere: hoc saltem est verum de agente illimitato, cuiusmodi est Sol. Secundò potest exponi, quòd propositio est vera de agente per modum naturæ, & limitato ad effectus eiusdem speciei, quia de illimitato non est verum, quia idem Sol sub eadem ratione formali potest producere plura specie distincta. Tertiò potest exponi, quòd idem manens idem non solùm sub eisdem dispositionibus, & circa idem passum, sed manens etiam idem sub eadem actione non potest facere nisi idem numero, quia eadem productione in creaturis præcisè idem numero producitur, est etiam hoc verum in diuinis. Applicando ad propositū, dico, quod hîc variatur & agens & ratio agendi, nam in cognitione intuitiua agens est obiectum in se præsens, & existens, & ratio agēdi est quiditas actualis obiecti, vt dixi suprà. Sed in cognitione abstractiua, est species intelligibilis, vt tenet ipse Doctor & ratio agendi est entitas quiditatiua ipsius speciei: licèt ergo respectu eiusdem obiecti quiditatiuè accepti secundùm entitatem quiditatiuam, etiam actualem, sit cognitio intuitiua, & abstractiua non tamen vtraque ab eodem causatur.

Ad secundum. Dico primo quòd eiusdem obiecti ad eandem potentiam comparati, non possunt esse plures notitiæ intuitiuæ specie distinctæ, nec plures abstractiuæ specie distinctæ, sed non est inconueniens respectu eiusdem, ponere plures specie distinctas, quarum vna sit intuitiua, & alia abstractiua. Dico secundò, quòd eiusdem obiecti eodem modo dispositi, & eodem modo se habentis, non possunt esse plures specie distinctæ. Sed respectu notitiæ intuitiuæ obiectum est in se præsens in sua actuali existentia, & vt sic, non potest esse nisi notitia intuitiua. Sed respectu notitiæ abstractiuæ non est in se præsens, sed in alio repræsentatiuo, & vt sic, non potest haberi nisi notitia abstractiua. Dico etiam tertiò, quòd Philosophus loquitur de obiectis causatiuis actuum, quia actus debent distingui per obiecta, eo quòd accipiunt entitatem, & per consequens vnitatem ab illis, vt patet à Doctore *in primo, distinct.3. quæst.7.* vbi probat obiectum habere actiuitatem respectu cognitionis, quia cognitio, vt inquit, ibi specificatur ab obiecto: in proposito dico; quòd vbi est idem obiectum formale causatiuum notitiæ sui, quòd non potest causare notitias specie distinctas; loquendo de notitiis eiusdem obiecti (quod dico propter obiecta in eo virtualiter contenta, quia quot obiecta specie distincta virtualiter continentur, tot notitias specie distinctas potest causare, vt exposui *in 1. d. 1. q.3.*) Sed in proposito respectu notitiæ intuitiuæ obiectum motiuum est ipsa res in se actu existēs, & in se præsens. Sed respectu notitiæ abstractiuæ est species intelligibilis immediatum motiuum, licèt partiale. 27. *Ad secūdum.*

Ad tertium. Dico breuiter, quòd illæ notitiæ distinctæ specie non est inconueniens, quòd distinguantur specie, licèt existentia non sit propriè species, sicut etiam eiusdem obiecti necessariò sunt distincti actus specie, scilicet, actus intuitiuus, & abstractiuus, quia tales notitiæ à quocunque causentur, non sunt natæ causari, nisi vt specie distinctæ. *Ad tertium.*

Ad

28. *Ad quartum* Ad quartum, patet responsio, quia hîc ponitur aliud, & aliud causatiuum, siue motiuum, & propositio Doctoris intelligitur de eodem causatiuo circa idem passiuu magis, & minùs approximatum. Et sic concedo quòd idem obiectum in se præsens in sua actuali existentia, quãtò magis approximatur potentiæ in ratione obiecti intelligibilis, tantò notitia intuitiua erit intensior. Et sic debet intelligi propositio Doctoris.

Ad quintum. Ad quintum. Dico, quòd si accipiatur scientia propriè dicta, quæ causatur per discursum syllogisticum; illa propriè est in cognitione abstractiua; cùm sit de vniuersalibus. Si verò accipiatur scientia prout est certa, & infallibilis notitia, & euidens & de obiecto necessariò, concedo quòd eiusdem conclusionis potest esse notitia intuitiua, & abstractiua. Cùm dicitur, quòd est inconueniens esse plures scientias specie distinctas respectu eiusdem conclusionis. Dico, quòd erit inconueniens de pluribus scientiis abstractiuis specie distinctis, vel de pluribus intuitiuis specie distinctis.

Ad sextum. Ad sextũ. Dico, quòd intuitiua, notitia paternitatis haberet vnitat specificã à fundaméto, & termino continentibus ipsam virtualiter, sicut & entitatem, vt exposui, *in primo, dist.* 3. *q.* 3. & hoc sufficit; Philosophus enim loquitur de obiectis motiuis, vt dixi suprà.

Ad septimũ. Ad septimum. Dico, quòd non simul stant notitia intuitiua, & abstractiua eiusdem obiecti, quia quando obiectum est in se præsens, tunc agit ad sui notitiam intuitiuam inquãtùm potest, & tunc impedit speciem intelligibilem agere respectu notitiæ abstractiuæ eiusdem obiecti. Dico secundò, quòd fortè non est impossibile, quòd idem simul cognoscatur intuitiuè, & abstractiuè, & quod secundùm vnam cognoscatur perfectè, & secundùm aliam imperfectè, esset inconueniens quòd ipsum simul cognosceret abstractiuè distinctè, & confusè, sed de hoc aliàs erit sermo prolixior.

Ad octauum. Ad octauum. Dico, quòd causatur à specie intelligibili. Cùm infertur, quòd tunc ipsa contineret virtualiter obiectum. Dico, vt dixi *in secundo, distinct.* 3. *quæst.* 9. vide ibi singularia dubia.

Ad nonum. Ad nonum. Dico, quòd propriè non supplet vicem obiecti, quia sequeretur quòd obiectum in se posset huiusmodi notitiam causare, vt exposui *in prolog. quæst.* 3. vide ibi. Et si aliquo modo licèt impropriè, suppleat vicem obiecti, supplet absolutè, quia illa species potest causare notitiam obiecti, siue existentis, siue non existentis.

Ad vltimũ. Ad vltimum. Dico primò, quòd potest causari species intelligibilis existentiæ ab aliquo continente virtualiter ipsam existentiam, & tunc non sequitur quòd habeat propriam formalitatem. Dico secundò, quòd illa notitia potest causari à specie intelligibili ipsius rei continentis suo modo virtualiter propriam existentiam.

29. *11. met. contex. 10.* i *De prima relatione, scilicet mensurabilis, loquitur Aristoteles.* Et quia hæc litera vsque ibi: *secundus actus cognoscendi*, est satis difficilis, ideò primò declaro ipsam per conclusiones; secundò exponam eam de verbo ad verbum. Sit ergo prima conclusio, quòd aliquid mensurari est intellectum de eius quantitate determinata per aliud certificari, & patet per exemplum, sit quantitas aliqua, quæ ignoretur quantùm sit longa, tunc poterit intellectus certificari per aliam quantitatem priùs sibi notam, puta per quantitatem cubitalem, & tunc per replicationem quantitatis cubitalis sibi notæ tandem poterit certificari quantitas priùs ignota, vel etiam si aliqua quantitas sit sibi nota per illam notam superponendo ignotæ ignota poterit cognosci. Hoc idem dico de mensurabili secundùm perfectionem, puta si ignoratur perfectio asini per aliquam perfectionem sibi notam, poterit perfectio asini cognosci, puta si cognoscatur, quòd homo in genere animalium sit perfectissimum animal, tunc per ipsum hominem notum poterit cognosci perfectio asini per appropinquitatem ad perfectionem hominis.

Sequitur secunda conclusio, scilicet mensurati importat respectum ad intellectum, cui fit certitudo, & ad mensuram, per quam fit certitudo. *Exemplum.* Exemplum mensuratur actu *A* per *B*, ita quòd intellectus certificatur de *A* per *B*, tunc *A* vt actu sit totum intellectui per *B* habet respectum ad ipsum intellectum, & ad ipsum *B*, sic intelligendo, quòd intellectus priùs cognoscit *A* mensurabile, & *B*, quod ponitur mensura; sed *A*, est sibi ignotum, puta quoad eius perfectionem, & tunc comparando *A* ad *B*, per *B* priùs cognitum certificatur de ipso *A* priùs cognito, vt ergo intellectus certificatur de *A*, ipsum *A* dicitur tunc actu mensurari, quando intellectus actu de ipso certificatur; & sic *A* vt actu mensuratur, dicit relationem ad intellectum, cui fit certitudo, & est relatio certificati ad illud, cui fit certitudo. Dicit etiam relationem ad *B* per quod certificatur, & est relatio certificati ad *B* certificans.

Tertia conclusio. Prima relatio, scilicet mensurati ad intellectum, siue certificati de eius quantitate ad intellectum, cui fit certitudo, est relatio 30. rationis, saltem non est realis, sicut nec relatio scibilis ad scientiam; & patet, quia relatio certificati ad id, cui fit certitudo, fundatur immediatè super *esse* cognitum ipsius certificati, siue super *A* vt priùs cognitum: modò relatio realis semper est inter extrema realia, & oritur exnatura extremorum, sed non sic est in proposito. Secunda relatio, quæ est mensurati ad mensuram, est relatio causati non in *esse* sed in *cognosci* ad causam in *cognosci*. *Exemplum.* Exemplum, asinus in re non causatur ab homine, & tamen quantitas virtualis asini, quoad eius certitudinem dependet à quantitate virtuali hominis, ita quòd intellectus certificatur de quantitate asini per aliam quantitatem prius cognitam virtualem, scilicet per quantitatẽ hominis priùs sibi notam: quantitas ergo asini quoad mensurari, siue, quoad certificari apud intellectum dependet à quantitate virtuali hominis non in *esse* absolutè, sed in *certificari*; & sic ipsa quantitas virtualis hominis non absolutè mensurat quantitatem asini, sed, vt priùs nota: id est, quòd talis quantitas, vt absolutè sumpta, non certificat intellectum de quantitate asini sed certificat vt cognita, & per consequens mensurari, siue certificari apud intellectum aliquem per aliud, est ipsum dependere in *cognosci*, siue in *certificari* ab ilio alio, vt à causa in *cognosci*. Hoc idem patet de scientia, & scibili: non enim intellectus actu certificatur de *Nota,* quantitate virtuali notitiæ, nisi per obiectũ, cuius est

est talis notitia, ita quòd notitia illa dicitur actu mensurari ab obiecto, & certificari apud intellectum, quando intellectus priùs cognoscit per actum reflectum illam notitiam, & comparat eam ad obiectum priùs cognitum, quod ponitur mensura eius,& tunc talis notitia actu mensuratur, quando intellectus certificatur de eius quantitate virtuali; & obiectum actu mensurat notitiam, quando vt cognitum certificat intellectum de quantitate notitiæ. Dicitur ergo notitia vt actu mensuratur relatione rationis ad intellectum, cui fit actualis certitudo; & dicit relationem rationis ad obiectum, pro quanto actu mensuratur, siue per illud apud intellectum certificatur.

31. Quarta conclusio sequens est ista: Et hoc est relatio realis quantùm est ex parte dependentiæ causati ad causam quæ dependentia est ratione extremorum, non tantùm per actum intellectus comparantis hoc ad illud, tamen quia ista habitudo dependentiæ non quidem ipsius cognitionis, quæ benè est realis, sed dependentiæ obiecti, vt cogniti ad obiectum,& per quod cognoscitur est inter extrema, non vt habentia *esse* reale, sed tantùm vt habentia *esse* cognitum; ideò ista habitudo non est simpliciter realis, nec tamen est ita purè relatio rationis, sicut illa, quæ est vniuersalis ad singulare, vel illa,quæ est contradictorij ad contradictorium. Vult dicere Doctor in ista litera primò, quòd relatio notitiæ vt causatæ ad obiectum causans ipsum absolutè, est relatio verè realis, quia est inter extrema realia, & realiter distincta comparando ergo absolutè notitiam ad obiectum, vt per ipsum causatam, est relatio verè realis; comparando etiam ipsam, vt mensurabilis ad obiectum, est etiam realis, quia est perfectio verè participata à perfectione obiecti, & verè imitatur perfectionem obiecti; ex parte tamen obiecti, vt est causa effectiua ipsius, dicit relationem realem, vt causātis ad notitiam, vt causatam, & sic inter illa est relatio realis mutua. Vt verò obiectum comparatur notitiæ, vt quantitas virtualis participata à notitia, quam ipsa notitia nata est imitari,vt imperfectum perfectum, tunc tantùm est ex parte notitiæ relatio realis ad obiectum, ècontra non est relatio realis. Secundò dicit, quòd habitudo obiecti, vt cogniti, puta notitiæ, vt cognitæ ad obiectum, scilicet, vt per quod cognoscitur, vt per quod certificatur quantitas notitiæ, est inter extrema non habentia *esse* reale, sed tantùm, vt habentia *esse* cognitum; patet, quia notitia, vt certificatur apud intellectum de eius quantitate dependet simpliciter *in cognosci* ab ipso obiecto cognito, quia vt sic, certificat intellectum de quantitate notitiæ. Sequitur, *& ideo ista habitudo*, scilicet mensurati ad mensuram, *non est simpliciter realis habitudo*, scilicet, certificati ad illud, per quod fit certitudo, nec tamen est ita rationis, sicut est illa, quæ est vniuersalis ad singulare, quia prima est tantùm habitudo obiecti cogniti ad obiectum cognitum. Secunda verò est secunda intentio, quæ vel est præcisè comparatio vnius cogniti ad aliud cognitum, vel aliquid derelictum ex tali comparatione, vt aliàs exposui. Nec similiter est ita rationis, sicut est illa, quæ est contradictorij ad contradictorium, quia prima est semper inter extrema positiua, quia inter rem mensurabilem, & ipsam mensuram, vt cognitam tamen, hæc verò habet vnum extremum purum nihil.

Sequitur quinta conclusio, in qua Doctor ostendit quòd relatio, quæ pertinet ad tertium modum relatiuorum, de qua intendit Aristoteles 5. *Metaph.* non est mensurati ad mensuram,quia relatio mensurati actu ad mensuram actu, est tantùm ratio rationis, cùm sit inter extrema vt cognita, & vltrà est relatio mutua, quia mensuratum refertur ad mensuram; sed illa quæ est tertij modi, & est realis in altero extremorum,& non est mutua, quia non realis in vtroque extremo, sed in altero tantùm. Est ergo relatio mensurabilis hoc est,apti nati mensurari ad mēsuram, hoc est, aptam natam mensurare, quod sic potest intelligi ex dictis, quia sicut mensurati actualiter est actualiter dependere in *cognosci*, ita mensurabile dicit aptitudinem; vel potentialem dependentiam in *cognosci*; vel dicit dependentiam in cognoscibilitate, vnumquodque autem se habet ad cognoscibilitatem, sicut ad entitatem. Vult dicere, quòd ex quo actu mensurari, puta *A*, scilicet notitia, per *B*, scilicet per obiectum, est actu certificari apud intellectū per *B*,ita quòd *A* & *B* habent *esse* cognitum, & dependent in *cognosci*, quia *A* non mensurat actu, siue non certificat actu intellectum de quantitate *A*,nisi vt cognitum ab intellectu;nec similiter *A* actu certificatur de sua quantitate apud intellectum, nisi vt actu cognitum: *A* ergo, vt actu mensuratum habet *esse* cognitum, *A* verò, vt præcisè mensurabile per *B* est aptum natum mensurari, seu certificari apud intellectum per ipsum *B*:& similiter *B* dicitur mensura aptitudinaliter, quia est aptum natum certificare intellectum de quantitate *A*: *A* ergo vt mensurabile, fundat relationem realem ad *B*, & non ècontra, non enim *B*, esset aptum mensurare *A* nisi *A* realiter dependeret à *B*, siue nisi realiter dependeret à *B* in participando ipsum *B*, siue imitando perfectionem *B*. Sicut ergo *A*, realiter dependet secundùm entitatem à *B*,saltem dependentia imitationis, siue dependentia participationis ab ipso *B*,ita dependet secundùm cognoscibilitatem ab ipso *B* & per consequens *A* est aptum natum mensurari ab ipso *B*: hoc est, aptum natum certificari apud intellectum de eius quantitate per ipsum *B*, vt suprà exposui. 32. 12. *met.con-tex.* 20.

Sequitur in litera. *Igitur per mensurabile intelligitur illud substratum, ratione cuius hoc est mensurabile*, &c. Hîc tamen aduerte, quòd ens participatum, siue per participationem dependens ab alio, potest comparari ad illud vt causatum ad causam, loquendo de causa creata, vel vt simpliciter, vt participatum ad illud, à quo participat. Primo modo est relatio realis mutua. Secundo modo, est tantùm relatio realis in substantia vnius extremi, scilicet in ente sic dependente per participationem. Exemplum in genere animalium, pono quòd homo causet aliquod animal præter hominem, tunc animal causatum dependet ab homine dupliciter. Primò, est dependentia causati ad causam effectiuam: secundò est dependentia in participando perfectionem hominis. Primo modo est relatio realis mutua. Secundo modo est relatio tantum in vno extremo, scilicet mensurabilis ad mensuram, & aliquando istæ dependentiæ separantur; aliquando enim est dependentia causati ad causam sine dependentia 33. *Exemplum.*

dependentia mensurabilis ad mensuram, vt patet in causatis vniuocè; homo enim genitus ab homine dependet dependentia causati, non autem dependentia mensurabilis, quia non est natus non mensurari ab alio homine, cùm sit æquè perfectus, & hoc loquendo de mensura rei, quia vnus ex natura rei non est mensura perfectionalis alterius: posset tamen esse mensura non ex natura rei, sed quasi per accidens, puta si quantitas virtualis Socratis esset mihi ignota, & quantitas Platonis nota, nunc per quantitatem Platonis notam possem certificari de quantitate Socratis ignota, sed hoc non esset mensura ex natura rei, quia mensura ex natura rei est notior mensurato ex natura rei. De hoc vide Doctore *in secundo, dist.2. q. 3. & 4.* Aliquando etiam est præcisè dependentia mensurabilis ad mensuram ex natura rei, sine dependentia causati ad causam; patet, quia multa animalia realiter sunt mensurabilia, & dependentia, vt mensurabilia ab homine, qui ponitur perfectissimum animalium, & tamen non sunt causata ab ipso homine; patet etiam, quia multa inferiora secundùm perfectionem, sunt mensurabilia à superioribus, quæ tamen nullo modo causantur ab illis, vt omnia inferiora comparata Angelis, sic, quòd Angelus est mensura ex natura rei respectu omniũ generabilium, & corruptibilium, & omnia huiusmodi generabilia, & corruptibilia verè dependent; vel dependentia imitationis, vel participationis, & tamen nullo modo dependent, dependentia causati, cum non causentur ab Angelo. Aliquando est vtraque dependentia, scilicet mensurabilis ad mensuram, & causati ad causam, vt patet de notitia in nobis, quæ dependet ab obiecto, vt causatum à causa saltem partialiter, & vt mensurabile ad mensuram. Et etiam omnia creata dependent à Deo, vt causata ad causam, & vt mensurabilia ad mensuram, tamen ex parte Dei nulla est relatio realis ad creaturam, vt patet *in primo, dist.30.* imò omnes relationes creaturæ ad Deum sunt tertij modi, cùm non sint mutuæ, vt patet à Doctore *in primo, dist.3. quæst.5.* contra Henricum vide ibi.

Quomodo omnia creata dependeant à Deo.

34. k *Vlterius ad propositum.* Hîc specialiter intendit declarare quomodo notitia sit mensurabilis ab obiecto, & quomodo includit relationem realem ad illud. Dicit ergo: *Vlterius ad propositum, cùm aliquid possit multipliciter participare perfectionem ab alio actus cognoscendi;* &c. Nota in ista litera aliqua. Primò, quòd non quælibet participatio perfectionis ab alio dicit dependentiam mensurabilis ad mensuram, quia causatum vniuocè participat effectiuè perfectionem causæ vniuocæ & tamen non est mensurabile ex natura rei ab illa, nec similiter participatio perfectionis ab alio æquiuocè dicit dependentiam præcisè mensurabilis; quæ ponitur relatio tertij modi, sed vltrà dicit etiam dependentiam causati: & hæc est relatio secundi modi, loquendo de causa creata; benè tamen est verum, quod vltra illam est etiam dependentia mensurabilis ad mensuram ex natura rei, quia causa æquiuoca est superior secundùm entitatem effectu suo, & sic ex natura rei nata est etiam ipsum mensurare. Potest enim, vt cognita certificare intellectum de quantitate virtuali sui effectus æquiuocè producti.

Secundò nota, quòd actus cognoscendi potest participare perfectionem obiecti multipliciter. Aliquando enim obiectum est perfectius actu cognoscendi, vt patet de substantia, & vt sic, potest esse animæ intellectualis; & hoc modo dependere, & per substantiam certificari de sua quantitate virtuali, & vt sic, includit relationem realem ad ipsum obiectum, quæ præcisè est tertij modi. Aliquando etiam participat perfectionem obiecti æquiuocè, tamen partialiter, quia non ponitur obiectum causa totalis actus cognoscendi, vt patet à Doctore *in primo, distinct.3. qu. 7. & infrà, quæst. 15.* & vt dicit dependentiam causati ad causam, est relatio secundi modi, quia etiam obiectum refertur realiter ad actum, vt causa ad effectum, sed de talibus participationibus non loquitur hîc Doctor, quia non sunt communes omni actui intelligendi, non enim omne obiectum est causatiuum sui actus, vt patuit *in primo, dist.3. quæst.3.* nec similiter omne obiectum est essentialiter perfectius suo actu intelligendi imò multoties actus est perfectior: patet de albedinis intellectione, quæ est essentialiter perfectior albedine, cùm sit qualitas spiritualis. *Nota.*

35. Tertiò dicit Doctor quòd actus intelligendi propriè dicitur mensurabilis ab obiecto, pro quanto ipsum imitatur, sicut ideatum imitatur ideam: est enim cognitio similitudo obiecti, & magis, quàm species intelligibilis, vt patet à Doctore *in primo, dist.3. quæst.6.* Sicut etiam perfectio ideati cognoscitur per ideam, ita perfectio actus intelligendi per obiectum: pro quanto ergo omnis actus intelligendi est imago, seu similitudo sui obiecti, & hoc per imitationem, sicut posterius imitatur suum prius, pro tanto dicitur mensurabilis ab obiecto, & includere relationem realem ad ipsum, & non ècontra. Si volumus etiam dicere quòd actus intelligendi, & mensurabilis ab obiecto, pro quanto est simile similitudine imitationis, quod sufficit, quòd imitetur vel obiectum, ad quod immediatè terminatur talis actus, vel quòd imitetur aliud obiectum quod virtualiter continet obiectum proprium, & hoc dico, quia talis imitatio includit imperfectionem in isto actu, & perfectionem in obiecto, quod est imitabile, & nulla obiecta sunt realiter imperfectiora suis actibus intelligendi; vt dixi suprà; ideò non videtur fortè, quòd illi actus sic dependeant, & ideò sufficit quòd saltem dependeant ab alio virtualiter continẽte, & tale communiter ponitur perfectius. Potest tamen dici quòd etsi actus ex natura rei, sit aliquando perfectior obiecto proprio, tamen vt est similitudo obiecti secundùm imitationem erit imperfectior, & vt sic, erit mensurabilis; sicut etiam ideatum realiter, licèt sit perfectius idea, etiam denominatione intrinseca, quia idea hominis ponitur præcisè esse cognitum hominis ab æterno, vt patet à Doctore *in primo, dist.35.* tamen homo, vt imitatur ipsam ideam erit imperfectior, & sic mensurabilis ab idea, suo tamen modo, sic in proposito.

Idea hominis habet esse cognitum,

SCHOLIVM.

Primum dictum in hac litera in 1. Notitia abstractiua non est relatio realis ad obiectum, quia hæc requirit realem terminum existentem. Secundum, habet relationem realem potentialem mensurabilis ad illud, quia si esset existens haberet realem. Tertium, habet relationem realem potentialem attingentiæ ad illud, quia si esset existens, non attingeretur in se per illam. Quartum, in abstractiua est relatio actualis rationis, quia non oportet terminum existere. Ponit aliam relationem rationis per reflexionem, & vtriusque distinctionem. Quintum, relatio rationis necessariò concomitatur abstractiuam. Hîc accipit relationem rationis lato modo, prout comprehendit extrinsecam etiam denominationem. Hanc iuxta mentem Doctoris sequi puto necessariò actum abstractiuum, à quo sic denominatur obiectum. Et idem est de aliarum potentiarum actibus: de relatione rationis stricta non loquitur Doctor, quia talis necessariò sequitur ens reale.

Abstractiua notitia nō dicit relationem realem ad obiectum.

Secundus actus cognoscendi l, qui scilicet non est necessariò existentis, vt existentis, non necessariò habet relationem actualem ad obiectum, quia relatio realis actualis non requirit per se terminum realem, & actualem; tamen iste secundus actus potest poni habere ad obiectum relationem realem potentialem, & hoc primam, de qua in præcedenti membro dictum est, scilicet mensurabilis, vel dependentiæ: non autem secundam, scilicet vnionis, vel attingentiæ. Potest etiam ista cognitio habere ad obiectum relationem rationis actualem, sed illam necessariò requirit ad hoc, quòd sit ipsius obiecti. 13.

Dicit relationem potentialē ad illud & quomodo.

Sunt ergo hîc quatuor declaranda. Primum, quòd cognitio abstractiua habet relationem realem potentialem, & aptitudinalem, scilicet mensurabilis ad obiectum, etiam non existens. Hoc probatur, quia illud quod habet relationem actualem ad terminum existentem, & quantùm est ex parte sui semper vniformiter se habet ad illum, habet relationem aptitudinalem ad illum terminū, quando non est existens; operatio est huiusmodi, m quia est aliquid mensurabile per obiectum, hoc est, aptum natum in entitate sua dependere ad obiectum, hoc in speciali tali dependentia, qualis est eius, quod est similitudo per imitationem, vel participationem ad illud, cuius est similitudo. Hæc omnia quantùm est ex parte fundamenti essent in actu, si terminus esset in actu.

Quare abstractiuo non cōuenit relatio realis potētialis attingētiæ ad obiectum.

Secundum n scilicet de relatione attingentiæ ad terminum, qui attingitur, potest dici, quòd cognitioni abstractiuæ non conuenit talis relatio realis, vel aptitudinalis. Probatur, quia non conuenit fundamento, quantùm est ex parte eius, nec sibi competeret in actu, si terminus poneretur in actu, quia terminus non est natus per illum actum attingi, vt actu existens. 14.

In abstractiua est relatio actualis rationis.

Tertiū, scilicet de relatione o rationis in cognitione abstractiua, potest dupliciter intelligi. Vno modo sic, quando terminus non habet *esse* reale, sed tantùm *esse* in intellectu, tunc ad ipsum non potest esse nisi relatio rationis, quia non potest relatio verius habere *esse*, quàm terminus ad quem est: nunc obiectum, quod terminat cognitionem abstractiuam non oportet habere *esse*, nisi in intellectu: igitur, &c.

Alius potest esse intellectus talis: actus intelligendi obiectum abstractiuè potest intelligi actu reflexo: cùm enim ista intellectio sit similitudo naturalis obiecti per obiectum cognitum, potest illa cognosci reflectendo, & intellectus sic cognoscens istam cognitionem potest comparare ipsam ad obiectum: ipsa autem sic comparata ad actum intellectus, refertur relatione rationis.

Inter istas duas relationes rationis p vna est differentia. Nam secunda sicut potest esse obiecti non existentis, sic potest esse cognitionis non existentis, si tamen illa cognitio sit intellecta, & per intellectum comparata. Prima autem relatio non potest esse nisi actus existentis, & non vt obiecti cogniti per aliquem actum reflexum, nec per intellectum comparati. Ex hac differentia sequitur alia, scilicet quòd secunda relatio est rationis, quantùm est ex parte vtriusque extremi. Prima quantùm est ex parte obiecti, est rationis; quantùm autem est ex parte actus, est realis: 15.

realis: quia videtur sequi naturam actus, & non tantùm competere illi actui, vt obiecto intellecto, vel comparato.

Contra hoc ᶠ ens reale non requirit tanquam ad naturam eius consequens, vel concomitans aliquod non reale: igitur actus cognoscendi realis non habet relationem rationis consequentem ipsum ex natura sui.

Respondeo, per actum cognitionis obiectum habet *esse* cognitum, & ideò potest naturam actus sequi aliqua habitudo, quæ sit ad obiectum, vt habens tale *esse*.

Ex hoc patet quartum ᶠ quomodo scilicet relatio rationis necessariò concomitatur, quia hoc verum est de prima relatione rationis: nam sine secunda posset cognitio ipsa esse sicut actus rectus sine reflexo consequente, & multò magis posset obiectum terminare actum illum absque hoc, quòd haberet relationem rationis ad actum. Secunda contingenter causatur post actum intellectionis rectæ: igitur non fuit in obiecto necessaria ratio terminandi illum actum.

An relatio rationis necessariò concomitetur naturā realem.

COMMENTARIVS.

36. *Declaratio literæ per quatuor.*

l SEcundus actus cognoscendi, qui scilicet non est necessariò existentis, &c. Tota hæc litera declaratur à Doctore per quatuor. Primò ostendit qualiter cognitio abstractiua habet relationem realem potentialem, & aptitudinalem, scilicet mensurabilis ad obiectum, etiam non existens. Hoc probatur, *quia illud, quod habet relationem actualem ad terminum existentem, & quantùm est ex parte sua vniformiter se habet ad illum, & habet realem aptitudinalem ad illum terminum, quando non est existens.* Patet de causa, & effectu; quotiescunque enim causa est, & effectus similiter est, tunc causa habet relationem realem actualem ad effectum, & ècontra: quia causa nata est sic semper referri ad effectum quando effectus est; sed quando effectus non est, tunc est apta nata referri realiter ad illud, & sic dicit relationem realem aptitudinalem. Dicitur relatio realis aptitudinalis; quia si sit in actu erit realis actualis.

Primum declarandum.

m Sed notitia est huiusmodi, loquendo de abstractiua, *quia ipsa est aliquid mensurabile per obiectum, hoc est, aptum natum in entitate sua dependere ad obiectum,* &c. Aduerte tamen, quòd quando Doctor dixit suprà de prima relatione, scilicet mensurabilis ad mensuram, quæ est notitiæ intuitiuæ, quæ necessariò requirit existentiam obiecti, illa est realis actualis, quia actualis dependentia secundùm similitudinem imitationis; hæc autem non est realis actualis necessariò, quia non est necesse obiectum actu existere; cùm notitia abstractiua possit esse tam existentis, quàm non existentis; & si obiectum actu existeret, tunc ad illud esset relatio realis actualis mensurabilis, scilicet notitiæ ad mensuram, scilicet ad obiectum actu existens, & sicut prima scilicet intuitiuè est relatio notitiæ intuitiuæ mensurabilis, id est, aptæ natæ mensurari; scilicet talis notitia, siue aptæ natæ certificari apud intellectum per obiectum actu existens tanquam per mensuram, vt aptum natum mensurare, seu certificare intellectum de notitia modo præexposito; sic similiter respectu notitiæ abstractiuæ, quando obiectum est actu existens; tunc est relatio realis actualis ipsius notitiæ, vt mensurabilis, id est, aptæ natæ certificari apud intellectum per obiectum actu existens modo præexposito, & differentia est inter intuitiuam, & abstractiuam, quia intuitiua actu non potest esse, quin includat necessariò relationem realem actualem, vt mensurabilis ad obiectum actu existens, vt ad mensuram: abstractiua verò non necessariò includit relationem realem actualem, vt mensurabilis ad obiectum, vt mensuram, quia nec necessariò requirit existentiam actualem obiecti, vt suprà patuit: includit tamen necessariò relationem realem aptitudinalē ad obiectum actu non existens, quia si actu existeret, necessariò includeret relationem realem actualem, scilicet mensurabilis ad obiectum; vt mensuram.

Aduerte hic.

n Secundum declarandum est *de relatione attingentiæ ad terminum, qui attingitur,* &c. Doctor hic vult quòd notitia abstractiua non includat relationem vnionis, siue attingentiæ ad obiectum, vt actu existens, quia abstractiua notitia, vt huiusmodi non terminatur ad obiectum, vt actu existens, nec attingit ipsum, vt actu existens: quia tunc non esset abstractiua; si ergo relatio actualis vnionis ad obiectum terminata, siue relatio attingentiæ non est, nec potest esse realis, sequitur quòd relatio aptitudinalis vnionis, siue attingentiæ, non erit relatio realis aptitudinalis, vt suprà exposui. Concedit tamen Doctor quòd notitia abstractiua includit realē aptitudinalem, scilicet mensurabilis, quia si obiectum esset actu existens, tunc esset ad illud relatio realis actualis, scilicet mensurabilis ad mensurā, vt suprà patuit. 37.

Secundum declarandum.

o Tertium declarandum, quod diuiditur in duo, est *de relatione rationis in cognitione abstractiua.* Et dicit sic Doct. quòd relatio rationis potest dupliciter intelligi in cognitione abstractiua. Primò, quòd terminus, siue obiectum non habeat *esse* reale, sed tātùm *esse* in intellectu, scil. vel sicut cognitum in cognoscente, vel sicut repræsentatū in suo repræsentatiuo, vt quandò præcisè habet *esse* in specie intelligibili ipsum repræsentante, tūc ad ipsum non potest esse, nisi relatio rationis, quia relatio nō potest habere verius *esse*, quàm terminus ad quem est; nunc autē obiectum, quod terminat cognitionem abstractiuā nōn oportet habere *esse*, nisi in intellectu aliquo prædictorum modorum, scilicet vel sicut cognitum in cognoscente

Tertium declarandum.

ſcente vel ſicut repræſentatum in repræſentatiuo.

Secundò, poteſt intelligi ſic, ſcilicet, quòd actus intelligendi abſtractiuè obiectum poteſt intelligi actu reflexo, quia intellectus poteſt reflecti ſuper illum actum cognoſcendo illum, vt patet, cùm enim iſta intellectio abſtractiua ſit ſimilitudo obiecti, vt ſupra patuit, per obiectum cognitum poteſt cognoſci reflectendo, & intellectus cognoſcens, ſic iſtam cognitionē poteſt ipsā comparare ad obiectum, ſcilicet prius cognitum; ipſa autem notitia abſtractiua ſic per intellectum comparata refertur relatione rationis ad obiectum cognitum.

38. p Deinde dicit *quòd inter iſtas duas relationes rationis eſt vna differentia, nam ſecunda ſicut poteſt eſſe obiecti non exiſtentis, ita poteſt eſſe cognitionis non exiſtentis, ſi tamen illa cognitio ſit intellecta; & comparata per intellectum.* Hoc patet, quia tranſeunte notitia abſtractiua obiecti, adhuc ipſa non exiſtente poteſt abſtractiuè cognoſci, ſicut etiam obiecto non exiſtente, poteſt abſolutè cognoſci, & tunc ipſa non exiſtente, & tamen cognita poteſt comparari ad obiectum cuius erat, & vt ſic comparata, includit relationem rationis ad ipſum obiectum terminatam. Sed prima relatio rationis non poteſt eſſe niſi actus exiſtentis, non vt obiecti cogniti per aliquem actum reflexum, nec per intellectum cōparantem, patet quia intellectus per illam notitiam abſtractiuam actu intelligit, & attingit obiectum, & ſic illa relatio vnionis, ſiue attingentiæ erit neceſſariò in actu abſtractiuo actu exiſtente, & hoc eſt quod dicit.

q *Ex hac differentia ſequitur alia, ſcilicet, quòd ſecunda relatio eſt rationis quantùm eſt ex parte vtriuſque extremi*: patet, quia ipſa fundatur in actu abſtractiuo, vt cognito, ſiue exiſtat, ſiue non, & terminatur ad obiectum, vt cognitum, ſiue ſic exiſtens, ſiue non, vt ſuprà patet. *Sed prima quantùm eſt ex parte obiecti eſt rationis*, quia, vt ſuprà patuit, non terminatur ad illud, vt exiſtens, ſed vt repræſentatum in ſpecie intelligibili, vel vt habens *eſſe* cognitum; & quantùm eſt ex parte actus, eſſet realis, quia videtur ſequi naturā actus, & non tantùm competere illi actui, vt obiecto intellecto, vel comparato. Aduerte tamē quòd multiplex apud Doct. eſt relatio rationis; vel relatio rationis diſtinguitur cōtra relationē realē, eſt enim relatio rationis, quæ merè cauſatur per actū collatiuū intellectus, vt omnis ſecūda intentio. Eſt etiā relatio rationis omnis cōparatio relicta in obiecto comparato, à quacunque fiat talis comparatio, ſiue ab intellectu, ſiue à voluntate, ſiue ab imaginatiua, ſiue à quacunque alia potentia collatiua, de quibus vide Doctorem *in primo, diſt.* 45. & communis talis comparatio ſemper eſt inter extrema priùs cognita: non enim intellectus comparat aliqua duo ad inuicem, niſi præcognoſcat illa. Adhuc omne *eſſe* cognitum, vt cognitum, & omne volitum, vt volitum, & omne ſenſatum, vt ſenſatum poteſt dici relatio, ſiue ens rationis, vt patet etiam à Doctore in primo; omnis etiam relatio, quæ immediatè fundatur in ente rationis, eſt rationis, licèt terminetur ad ens reale. Et etiam omnis relatio quæ immediatè nullo intellectu conſiderante, fundatur in ente reali, & terminatur ad ens non habens *eſſe* reale actuale, poteſt dici relatio rationis, & hoc loquendo de relatione actuali, ſicut eſt in propoſito. Et etiam omnis relatio, quæ ex natura rei fundatur in ente reali, & terminatur ad nihil, eſt rationis, vt ſuprà patuit. Poteſt tamen dici realis ratione fundamenti realis, ad quod ex natura rei concomitatur, quia tamen non terminatur ad ens reale actuale, dicitur relatio rationis, vt præcisè diſtinguitur contra relationem realem, quæ eſt inter extrema realia.

Multiplex relatio.

r *Contra hoc*: Doctor intendit probare quòd relatio rationis non concomitetur actum realem cognoſcendi, quia ens reale non requirit tanquam ad naturam eius conſequens, vel concomitans aliquod non reale, igitur actus cognoſcendi realis non habet relationem rationis conſequentem ipſum ex natura ſui. 39.

Reſpondet, quòd per actum cognitionis obiectum habet *eſſe* cognitum, & ideo poteſt naturam actus ſequi aliqua habitudo, quæ ſit ad obiectum, vt habens tale *eſſe*, ſcilicet cognitum.

Ex hoc patet quartum, quomodo, ſcilicet relatio rationis neceſſariò concomitatur, &c. Et vult dicere breuiter, quod actus rectus cognoſcendi abſtractiuè neceſſariò includit relationem rationis, quæ terminatur ad obiectum cognitum per illum actum cognoſcendi, ita quòd obiectum cognitum eſt præciſa ratio terminandi talem relationem. Et relatio rationis, quæ fundatur in actu recto cognoſcendi abſtractiuè, quæ cauſatur per actum collatiuum intellectus comparantis actum cognitum ad obiectum cognitum, & terminatur ad obiectum cognitum; non oritur neceſſariò, nec neceſſariò concomitatur ad talem actum; patet, quia talis relatio fundatur in actu, vt cognito actu reflexo: modò poteſt eſſe talis actus abſolutè abſque hoc quòd cognoſcatur actu reflexo, & poſito etiam quòd cognoſcatur actu reflexo, adhuc talis relatio non neceſſariò concomitatur illum actum cognitum: patet, quia illa cauſatur per actum collatiuum intellectus comparantis ipſum actum cognitum ad obiectum cognitum. Si igitur non neceſſariò concomitatur, ſequitur quòd nec obiectum cognitum neceſſariò includet relationem rationis ad actum cognitum, quia talis relatio in obiecto cognito cauſatur per actum collatiuum intellectus comparantis obiectum cognitum ad actum cognitum, & ſic tandem patet quomodo obiectum cognitum non terminat primam relationem rationis ſub ratione talis comparationis ad actum cognitum, cùm illa non ſit neceſſariò in tali obiecto, vt terminatiuo rationis actus cognoſcendi abſtractiuè.

Nota.

SCHO

SCHOLIVM.

Respondet ad argumenta posita num. 6. & 7. ex doctrina iam probata. Ad primum, operatio quæ est vltima perfectio, seu beatitudo, habet annexam relationem realem, quia tendit in obiectum & existens, ipsa tamen est perfectior hac relatione, & si per impossibile esset sine ea, bearet, quia beatitudo Dei de facto est sine relatione. Connectere ergo formaliter obiecto beatifico non est formalis beatitudo, & idem est habere illud obiectum, si habere *dicit formaliter respectum.*

16. NVnc tertiò in isto articulo respondendum est ad argumenta facta in prima parte huius articuli pro quanto videntur minùs includere.

Ad primum, concedo quòd operatio, quæ est vltima perfectio naturæ operantis, necessariò habet annexam relationem, puta si loquamur de operatione beatifica hominis, vel Angeli, illa necessariò est existens, quia si sit cognitio, est intuitiua, si sit volitio, est necessariò concomitans intuitionem; sed cùm dicitur, quòd ipsa est vltima perfectio præcisè inquantùm connectit cum obiecto; dico quòd vltima perfectio potest intelligi, vel aliqua summa perfectio per se vna, vel perfectio integrata ex illa, & omnibus necessariò concomitantibus. Primo modo dico, quòd operatio est vltima perfectio, & est simpliciter perfectior quocunque concomitante ipsam; etiam illa relatione, quam formaliter importat connexio, quia si possem habere operationem beati, sine illa relatione essem beatus: non autẽ essem beatus, si haberẽ relationem sine operatione. Istud patet de beatitudine Dei, quæ formaliter consistit in operatione, secundùm illud Philosophi duodecimo Metaphysicæ, vbi de eo loquẽs ait: *Si non intelligat quid est insigne, & venerabile, sed se habet quemadmodum, si dormiens, siue intelligit, & non est hoc, quod sua intelligentia,* scilicet actualis intellectio, *non est vtique optima substantia.* Et probat consequentiam: *per intelligere enim ei honorabile inest,* & tamen beatitudo eius non requirit relationem rationis inter operationem, & obiectum: quia etsi possit intellectus eius comparare actum suum ad obiectum, tamen ista comparatio, siue relatio rationis non includitur in ipsa operatione, quæ operatio, secundum se, est beatifica: non enim videtur rationabile, quòd magis Deus sit beatus formaliter aliqua operatione includente relationem rationis, quàm beatitudo Angeli includat aliquam talem relationem. Beatitudo tamen creata necessariò requirit relationem ad obiectum, sed realem; & hoc, quia non potest habere maiorem vnitatem cum obiecto, quàm vnitatem relationis. Operatio autem Dei habet cum obiecto veram vnitatem, & identitatem, & ideò ibi nulla requiritur relatio ad hoc, vt ipsa sola, & absoluta sit plenè beatifica.

Operatio quæ est vltima perfectio, habet necessariò annexã relationẽ realem.

Tex. 51.

17. In hoc patet vna excellentia beatitudinis diuinæ super creatam, quia illa, vt absoluta, est plenè vltimum bonum eius: beatitudo creata non est vltimum, nisi cum relatione annexa. Quando igitur dicitur, quòd est vltima perfectio, inquantùm præcisè connectit cum obiecto, reduplicatio ista potest intelligi fieri, vel ratione relationis, vel ratione fundamenti proximi. Primò negandum est: quia ipsa formalis ratio relationis non est sibi ratio essendi vltimam perfectionem. Secundo modo concedendum est, quòd inquantùm connectit, hoc est, inquantùm est fundamentum proximum connectens, sic est perfectio vltima. Per idem patet ad illam confirmationem. *Beatus est, qui habet,* &c. Si enim *habere* intelligatur ibi importare relationem; tunc vel est descriptio per illud, quod necessariò concomitatur operationem beatificam, vel hoc nomen *beatitudo* non importat præcisè absolutum, sed cum respectu ad obiectum. Si autem per se *habere* intelligatur operatio, quia obiectum habetur: iuxta illud Augustini 83. quæst. quæst. 35. *habere Deum nihil aliud est, nisi nosse,* tunc *habere* beatificum non importat per se relationem, sed illa tantummodò concomitatur.

Operatio beat inquantum connecti, fundamentaliter, non formaliter.

Contra hoc,[t] non est contradictio absolutum separari à relatione, sicut prius à posteriori, & maximè quando non est relatio dependentiæ essentialis: igitur si operatio beatifica sit absoluta, posset per potentiam diuinam separari à relatione illa, & tunc esset beatus, non tamen connectens obiecto. 18.

Præterea. Posterius generatione est perfectius secundùm Philosophum 9. *Metaph.* sed relatio, si est aliud ab operatione absoluta, est posterior generatione; igitur, &c. *Tex. 15.*

Ad primum alibi.

Potest

Additio aliorum. *Potest dici sicut etiam in 4. distinct. 46. Doctor dicit, quòd licèt beatitudo non includat essentialiter respectum attingentiæ ad obiectum, necessariò tamen requirit, vt sit perfecta, & completa beatitudo, ideò habens operationem illam sine tali relatione, non esset verè, & completè beatus. Quare in 4. dist. 10. qu. finali, & hîc suprà distinguendo de vltima perfectione ad illud argumentum.*

Ad secundum, illa propositio Philosophi debet intelligi procedendo in eodem ordine: quia si in alio ordine, vel genere sit aliquid posterius generatione, non oportet, quòd sit perfectius. Si enim accidens esset perfectius forma substantiali; & tantùm isto modo est relatio posterior absoluto: non enim in eodem ordine aduenit tanquam proprium complementum absoluti, sed absoluto in se habente propriam perfectionem completam ex illa perfectione, consurgit relatio. 18.

COMMENTARIVS.

40. t *Contra hoc.* Hîc instat, probando quòd operatio beatifica non sit formaliter entitas absoluta, quia tunc aliquis posset esse beatus, & non formaliter connexus Deo.

Quid sit habere Deum.

Ad primum. Dico, quòd subiectum relationis quamuis sit priùs ipsa non potest separari stante termino, sicut album non potest separari à similitudine stante alio albo, & sic stante, siue existente obiecto beatifico, & actu intuitiuo illius obiecti non potest actus separari à tali relatione connectente. Et posito quòd possit separari, concedo quòd tunc non esset beatus, quia beatus habet actum intuitiuum, quo attingit obiectum beatificum, sed non posset tunc attingere.

u *Ad secundum. Illa propositio Philosophi debet intelligi procedendo in eodem ordine.* De hac propositione vide Doctorem in quarto, dist. 12.

SCHOLIVM.

Ad secundum, nu. 7. etsi videatur Aristoteles illo loco dicere quòd ad scientiam non datur motus, tamen secundùm Commentatorem loquitur in opinione aliorum, id est, Platonis, cui ab ipso, & ab Augustino tribuitur, quòd tenuerit addiscere, non esse aliud quàm reminisci. Secundo, esto illa verba secundùm illam propriam sententiam dixerit, tantùm voluit non dari immediatè alterationem ad scientiam, quia præcedit alteratio sensuum, & productio specierum; & hanc fuisse eius intentionem subtiliter ostendit. Tertiò, quòd loquitur de alteratione, quæ fit motus, vel in subiecto mobili ab agente Physico, & neutrum habet locum in præsenti, Fateor, hoc non haberi ex textu.

Quare Ocham vbi suprà. Com. 20. 7. Physic.

Ad secundum argumentum [a] quod accipitur ex 7. *Physic.* si diceretur, quòd Aristoteles omnia illa dicit non secundùm opinionem propriam, sed secundùm opinionem Platonis videtur posse haberi ex Commentatore, vbi in fine commenti, *Aristoteles* (inquit) *intelligit in hoc loco; non quòd hæc sit opinio eius, sed intendit declarare vim opinionis huius.* Hæc ille. Sententia etiam in se videtur illa, quam imponit Augustinus Platoni *in 12. de Trin.* & Aristoteli *primo Posteriorum*, scilicet quòd *addiscere* non sit nisi *reminisci*; ait enim sic: *Acquirere cognitionem in principio, non est generatio neque alteratio, hoc enim fit sciens, & intelligens, quando anima eius quiescit, & firmatur, quemadmodum quando surgit à somno.* Et Commentator exponit, & in alia translatione apparet illa eadem sententia, quòd non mutatur anima in prima acceptione scientiæ: sicut nec mutatur, quando post impedimentum somni, vel ebrietatis potest vti scientia, quâ priùs non potuit vti. 19.

In trãslatione Arabica.

Explicat Aristotelẽ subtilissimè Tex. 15. Tex. 17.

Tamen potest aliter dici, [b] quòd si Aristoteles ista dixerit secundùm propriam opinionem, hoc fuit quòd motum, & mutationem non dixit per se esse ad aliquam formam, nisi quæ potest propria acquisitione acquiri, & ideò ad nullam formam dixit esse motũ, quæ tantùm acquiritur alia acquisita, sicut est de relatione. Vnde vult ibi, quòd in qualitatibus illis nõ est alteratio, quæ fiunt cùm quædam alterantur, hoc est alteratio fit in aliis: *densata enim, aut rarefacta*, &c. Et post, *Sicut sanitas frigidorum, & calidorum commensuratio quædam est, & ideò sanitas non est proprius terminus alicuius alterationis, sed aliqua alia alteratio terminatur ad aliquem gradum calidi, vel frigidi, & tunc ipsum est commensuratum aliis qualitatibus corporis, & sic est sanitas.* Si autem hoc esset manifestum, scilicet quòd scientia, vel actu considerare, esset sola relatio, satis pateret, quòd secundùm intentionem Aristotelis ad illam non esset mutatio, vel alteratio, sed probatum [c] est in primo articulo, quòd operatio non est sola relatio, & pari ratione, vel maiori, nec habitus scientiæ.

Vnde

20. Vnde videtur aliquid vltra addendum, ſcilicet quòd Ariſtoteles non concedit alterationem eſſe ad aliquam qualitatem, niſi quæ poteſt primò acquiri, ſic quòd ipſa non tantùm conſequatur per accidens ad formam inductam, ſicut relatio, ſed nec eius inductio neceſſariò ſequatur inductionem alicuius formæ prioris. Et tunc iſta concluſio eius non eſt vera, niſi de alteratione immediata [d] primo alterandi in illo ordine: & ſic ad ſcientiam, vel conſiderationem non eſt aliqua alteratio immediata primo alteranti in illo ordine: quia primum tale eſt obiectum extrà, cognitio autem in intellectu non immediatè cauſatur ab obiecto, vt extrà, ſed ab aliquo intrà, quia intelligimus, cùm volumus, non autem ſentimus, cùm volumus, *ſecundo de Anima*: quia ad intelligendum habemus obiectum intrà, ad ſentiendum requiritur obiectum extrà. Tex.55. & 60. vide 3. de anima t.c.8. & alibi.

21. Quòd autem intelligat de tali alteratione, de qua dictum eſt, probatur; quia parùm ante concedit ſenſum alterari, dicens, & *ipſi ſenſus alterantur, patiuntur enim*: actio enim ipſorum [e] motus eſt per *corpus*, *patiente aliquid ſenſu*: hic autem negat partem intellectiuam alterari, & videtur aſſignare pro ratione, quia notitia intellectiua accipitur non immediate ab obiecto extra, quod eſt primum alterans in iſto ordine, ſed mediante cognitione ſenſitiua. Vnde ad probandum, quod nulla mutatio eſt ad ſcientiam, ait: *Ex ea enim quæ eſt ſecundùm partem experientiæ* [f] *vniuerſalem accepimus ſcientiam*. Et ſic illud verbum ibidem, *ſciens maximè ad aliquid dicitur*, debet intelligi ſic, *ad aliquid*, id eſt, ad obiectum intrà, & non immediatè ad obiectum extrà, quod eſt primum alterans, & iſta concluſio ſic particulariter intellecta de alteratione prima ſufficit ad propoſitum ſuum ibi, quia concluſionem illam, ſcilicet quòd mouens & motum ſimul ſunt, intendit probare inductiuè in ſingulis motibus, & ſpecialiter in alterationibus, videtur habere inſtantiam de illis qualitatibus, quæ non immediatè inducuntur à primo alterante, quia ibi alteratum [g] etſi ſimul ſit cum proximo alterante, non tamen cum primo in illo ordine, de quo manifeſtius eſt, quòd ipſum ſit alterans. Tex.12. Tex.10. Tex.20. Tex.11. & circiter.

Tertio modo poſſet dici, [h] quòd dictum Ariſtotelis eſt intelligendum de alteratione, quæ eſt motus: vel ſi eſt indiuiſibilis, eſt mutatio terminatiua, vel continuatiua motus, vel ſaltem, quæ eſt ſubiecti mobilis, vel mutabilis, & ab aliquo agente naturali. Nullum iſtorum inuenitur in parte intellectiua: quia ipſa eſt indiuiſibilis, & ita non ſuſceptiua motus, qui requirit ſubiectum diuiſibile. Ipſa etiam quia indiuiſibilis, ideò non eſt localiter præſens alicui agenti naturali: quia non replet locum: agens autem Phyſicum non eſt actiuum niſi in paſſiuum ſibi localiter præſens. Senſus autem per oppoſitum poteſt dici alterari, & quia ibi compoſitum quantum recipit, & quia ab agente naturali; cui eſt localiter præſens. Tertia explicatio Philoſophi.

Iſtud tertium dictum videtur ſatis verum, ſed non videtur poſſe haberi ex textu Ariſtotelis ibi.

COMMENTARIVS.

41. Quare Ochã quodl. 18.

a AD *ſecundum argumentum* principale. Doctorem exponit illam propoſitionem Philoſophi acceptam ex 7. Phyſic. quæ talis eſt. *Neque in intellectiua parte animæ eſt alteratio, ſciens enim, maximè ad aliquid dicitur*. Et recitando literam Doctoris exponam eam vbi opus erit expoſitione. Dicit ergo primò; quòd Philoſophus fortè omnia illa dicit non ſecundùm opinionem propriam, ſed ſecundùm opinionem Platonis, vt patet per *A*. vbi in fine com. Sententia ergo Platonis ſecundùm Philoſophum, & eius Commentatorem fuit quòd anima nihil addiſcit de nouo, ſed quicquid ſcit, priùs ſciuit: ſi ergo ſcientia non poteſt eſſe noua in homine, ſequitur quòd ad ipſam non poſſit eſſe generatio, nec alteratio, quia omne acquiſitum in aliquo per generationem, vel alterationem, eſt nouum in illo, cùm tam generatio, quàm alteratio ſit à priuatione ad habitum, & priuatio ſemper eſt prior duratione habitu; & ſic patet quomodo ſecundùm opinionem Platonis, in nobis ad ſcientiam non ſit nec generatio, nec alteratio; & quando homo actu ſcit, puta hominem eſſe riſibilem, non acquirit illam de nouo: ſed aliquando impeditur, vt per ſomnum, & ebrietatem, vel per aliquid aliud, & amoto impedimento, ſtatim reminiſcitur, vt quando anima firmatur, & quieſcit, per quod intelligitur amotio omnis impedimenti. cap. vltimo primo poſt contex. 4.

b Secundò aliter Doctor exponit Philoſophum dicens: *Tamen poteſt aliter dici*, &c. Vult dicere, quòd illa qualitas, quæ immediatè ſequitur ad aliud per alterationem acquiſitum, non acquiritur per alterationem, & ponit exemplum de ſanitate, quæ propriè non dicitur acquiri per alterationem, quia ſanitas eſt commenſuratio calidorum, & frigidorum, & ideò ſanitas non eſt proprius terminus alicuius alterationis, ſed aliqua alia alteratio ad aliquem gradum calidi, vel frigidi, & tunc ipſum calidum, vel frigidum erit commenſuratum aliis qualitatibus corporis, & ſic eſt ſanitas; alteratio ergo erit ad aliquam qualitatem, ad quam immediatè ſequitur ſanitas, & ſic Contex. 15.

fic sanitas non dicitur terminus proprius alterationis.

42. c *Sed probatum est in primo articulo, quòd operatio non est relatio sola; & pari ratione, vel maiori, nec habitus scientia*, quia habitus scientiæ propriè ponitur in prædicamento. Qualitatis. *Unde videtur aliquid addendum*, &c. Vult dicere breuiter, quod aliqua forma immediatè concomitatur per accidens, quia scilicet non acquiritur propria acquisitione, sic, quòd *non esse* immediatè præcedat *esse* illius, & sic relatio dicitur acquiri tantùm per accidens, quia necessariò sequitur ad fundamentum, posito, & termino, ita quòd licèt producatur à fundamento posito termino, non tamen de nouo, quia priuatio eius nullo modo præcessit positis fundamento, & termino, & ideò dicitur acquiri per accidens; aliqua verò forma dicitur, acquiri per se, sed non propriè per alterationem vel generationem; quia licèt *non esse* eius immediatè præcedat *esse*, quia tamen non potest aliquo modo immediatè acquiri non aliquo alio priùs acquisito, ideò non dicitur propriè terminus alterationis, sed illud prius acquisitum per alterationem ponitur terminus alterationis.

Quomodo forma dicatur acquiri.

d *Et hoc modo ad scientiam*, scilicet habitualem, *vel considerationem*, scilicet actualem, *non est aliqua alteratio immediata primo alteranti in illo ordine, quia primum tale*, scilicet alterans, *est obiectum extrà*, puta color. *Cognitio autem in intellectu non immediatè causatur ab obiecto extrà vt extrà*, &c. *quia ad intelligendum habemus obiectum intrà*, scilicet per speciem intelligibilem, per quam intelligimus obiectum abstractiuè, de qua hîc Philosophus loquitur, quia de intuitiua, quæ est obiecti extrà; vel nihil, vel parum loquutus est. Habita ergo præsentia obiecti per speciem intelligibilem, statim intellectus intelligit cùm vult, quia tunc habet omnia requisita ad intellectionem. Et quomodo ista auctoritas. *Intelligimus cùm volumus*, intelligatur, vide quæ exposui in secundo dist. 9. q. 2. & in dist. 42. Non autem sentimus cùm volumus, quia *ad sentiendum requiritur obiectum extrà*, & ideò non est in potestate nostra sentire cùm volumus.

2. de Anima tex. 55. 56. & 6.

e *Actio enim ipsorum motus est per corpus, patiente aliquid sensu*; & patet, quia sensus, puta visus, alteratur à corpore visibili extrà, recipiendo ab illo speciem sensibilem, & inquantùm ab illo recipit, dicitur ab illo pati, passione tamen perfectiua, & non corruptiua; & sic dicitur alterari, & simul recipiendo sensationem.

f *Ex ea enim quæ est secundum partem experientia vniuersalem accipimus scientiam*, id est, quòd ex illa experientia, quæ accipitur secundùm partem animæ sensitiuam, accipimus pòst vniuersalem scientiam, id est, quòd scientia in parte intellectiua necessariò præsupponit notitiam sensitiuam.

g *Quia ibi alteratum etsi simul sit cum proximo alterante non tamen cum primo in illo ordine, de quo manifestius est, quòd sit ipsum alterans.* Proximum mouens intellectum possibilem, est intellectus agens, & species intelligibilis obiecti, quod immediatè mouet intellectum possibilem ad cognitionem obiecti; & proximum mouens intellectum possibilem respectu speciei intelligibilis, quam immediatè recipit est phantasma, & intellectus agens, vt patet à Doctore *in primo dist. 3. q. 8.* & infrà patet *q. 15.* & hoc modo loquendo, mouens, & motum simul sunt, sed mouens remotum intellectum possibilem tam respectus speciei intelligibilis, quàm intellectionis est obiectum extrà, quod immediatè mouet aliquem sensum, quo moto mouetur virtus phantastica, quâ motâ mouetur intellectus possibilis. De ordine istius motionis vide quæ exposui *in primo dist. 3. q. prima, & secunda, & tertia.* Vult ergo Philosophus quod ad notitiam intellectiuam non sit alteratio, nec mutatio, pro quanto non immediatè mouetur, nec alteratur intellectus possibilis à primo alterante. id est, ab obiecto extrà, quod vt sic, non potest immediatè nec alterare, nec mouere intellectum possibilem, & quia obiectum extra immediatè mouet sensum, ideò concedit sensum alterari, & mutari sub ipso obiecto extrà.

Nota.

43. h *Tertio modo posset dici*, &c. Declaro aliqua in ista litera. Quid sit motus, patet *tertio Physic.* mutatio indiuisibilis continuatiua motus sunt *mutata esse*, quæ continuant motum, sicut puncta lineæ, quæ continuant lineam, & instantia in tempore, quæ continuant tempus, ita quòd sicut instans continuans semper est principium vnius partis temporis, & finis alterius, sic mutatio, siue *mutatum esse*, quid ponitur continuatiuum motus est principium vnius partis motus, & finis alterius, vt exposui *in secundo d. 2. q. 1.* Sed mutatio terminatiua motus est illa, quæ immediatè terminat motum: semper enim motus terminat ad aliquid indiuisibile, scilicet ad mutationem, vel *mutatum esse*, sicut tempus vnius horæ terminat ad vltimum instans illius horæ, Sed est aliqua mutatio, quæ nec est continuatiua, nec terminatiua alicuius motus: patet, quia generatio substantiæ est mutatio, & tamen non est continuatiua, nec terminatiua motus, vt patet à Doctore *in secundo, d. 2. q. 4.* Similiter quando aliquid quiescit per aliquod tempus, & in vltimo instanti illius temporis mutatur, talis mutatio, nec est continuatiua motus, cùm non sit principium alicuius motus, quia in motu non est prima mutatio, vt patet *6. Phys.* nec est terminatiua motus, quia illam vllus motus præcessit & de his vide quæ exposui *in secundo, d. 1. q. 4. & 9.* Cùm ergo anima intellectiua non sit receptiua motus propter sui indiuisibilitatē, sequitur quòd non erit receptiua mutationis, nec continuatiuè, nec terminatiuè motus, quia recipiens talem mutationem secundùm quam dicitur mutari necessariò est recipere ipsum motum, cùm sit impossibile talē esse in aliquo sine motu, vt patet. Sed posito quòd sic non possit moueri, vel mutari, poterit tamē immediatè mutari mutatione, quæ nō est, nec continuatiua, nec terminatiua motus, sed aliqua alia mutatione transeunte immediatè à priuatione ad habitum. Dicit Doctor, quòd etsi hoc sit possibile tamen non est possibile quòd sic immediatè mutetur ab agente naturali, quod est secundùm Philosophum agens corporale, & quòd non possit sic immediatè mutari probat per hoc, quod tale agens nunquam in agit, passum nisi approximetur sibi localiter, loquendo de loco corporali, & circumscriptiuo, & sic oportet quòd tam agens naturale, quàm passum, sint in loco circumscriptiuè, si debeant sic localiter approximari; modò anima intellectiua non potest esse in loco circumscriptiuo.

Declaratio litteræ.

SCHO

SCHOLIVM.

Ad tertium nu. 7. explicat, quomodo relatio tertij modi dicitur esse in substantia tantùm alterius extremi, & relatio primi, & secundi in vtróque extremo; & quòd in ista sit mutuitas respectus, & non in illa: neque sequitur intentum argumenti relationem includi in operatione, vel ipsam esse absolutum, sed tantùm habetur absolutum fundare relationem.

22. AD tertium potest dici, [i] quòd in tertio modo relatiuorum sic conceditur relationem esse in substantia alterius extremi tantùm: sicut in duobus primis modis conceditur relationem esse in substantia vtriúsque extremi. Vnde dicit ibi Commentator: *relatio est duobus modis, aut relatio est in substantia vtriúsque extremi relati, aut in substantia alterius tantùm*, nunc autem in duobus primis modis non includitur relatio essentialiter in vtroque extremo: imò vtrunque secundùm se est absolutum; sed dicitur ibi relatio esse in substantia vtriusque extremi, vt in fundamento proximo, siue ratione fundandi, & sic in tertio modo est tantùm in substantia alterius extremi. Hoc planius habetur in alia translatione: vbi sic habetur: *secundùm numerum, & potentiam dicta ad aliquid, hoc est primo, & secundo modis, omnia sunt ad aliquid, eo quòd ipsum, quod est alterius dicitur ipsum quidem, sed non eo, quòd aliud ad illud: Mensurabile verò, & sensibile & intellectuale eo, quòd aliud ad ipsum dicitur, & aliud dicuntur.* Vult dicere, quòd relatiuum primis duobus modis per se dicitur ad aliud, & non tantùm eo, quòd aliud refertur ad ipsum. In tertio modo tantùm [k] vnum extremum est per se fundamentum relationis: reliquum verò dicitur ad aliud, solùm, quia aliud est eius.

Relatio tertij modi est in substantia alterius extremi, aliæ relationes in vtroque extremo.

Noua.

23. Hic breuiter dici potest, quòd hæc est differentia istorum, quia in primis duobus est relatio mutua, ita quòd in vtroque extremo est ratio fundandi relationem vnam, & ratio terminandi relationem aliam. In tertio modo est relatio non mutua, sed ratio fundandi relationem est tantùm in vno extremo, & in alio ratio terminandi eandem.

Quid relatio mutua, & non mutua.

Quod autem additur ibi de illo, quòd *bis diceretur idem*, &c. potest Commentator ibi sic intelligi, quòd aliquid dicatur constitui per illud, ad quod essentialiter dependet, licèt illud non sit intrinsecum illi; & sic constituitur per illud, quod est mensura eius: si igitur intellectus diceretur ad intelligentem, vt ad mensuram, constitueretur hoc modo per ipsum, sed intelligens constituitur per intellectum, vt per formam suam; igitur erit circulus in constitutionibus, licèt non eodem modo constituendi: & hoc est impossibile: dum tamen vtrunque constitutum dependeat per se à constituente: quia non potest esse circulus in per se dependentiis; & hoc potest intelligi per illud dictum Commentatoris, ibi; *idem diceretur bis, & tunc idem erit causa, & causatũ eiusdem*, sed faciliùs exponitur litera Aristotelis ibidẽ secundùm aliam trãslationem: quia si intellectus diceretur ad intelligentem, vt ad mensuram, & cùm dicitur ad intelligibile, vt ad mensuram, idem vt mensurabile erit bis dictum, ad vtrunque duorum, vt ad mensuram, quod est inconueniens de duobus disparatis, scilicet quòd vtrunque sit completè mensura eiusdem.

Explicat comment. & Phil.

Melior explicatio Arist.

COMMENTARIVS.

44. *Nota.* AD tertium dicit Doctor quòd *in tertio modo, relatiuorum sic conceditur relationem esse in substantia*, &c.

i *In tertio modo tantùm vnum extremum est per se fundamentum relationis, reliquum verò dicitur ad aliud solùm, quia aliquid est eius*, id est, quia aliud refertur ad ipsum: sicut mensura solùm dicitur ad mensurabile, quia mensurabile refertur ad mensuram. Breuiter dici potest, quòd hæc est differentia istorum modorum, quia in primis duobus est relatio mutua, ita quòd in vtroque extremo est ratio fundandi relationẽ vnã, & ratio terminandi relationẽ aliã; in tertio modo est relatio nonmutua, quia ratio fundandi relationem est tantùm in vno extremo, & in alio ratio terminandi eandem.

Suntaliqua in ista litera, declaranda per solutionem aliquorum dubiorum. Primò ergo dubitatur de hoc, quòd *cognitio intuitiua, quæ est rei existentis, vt existens, est necessariò habet annexam relationem realem, & actualem ad ipsum obiectum.*

Primum dubium.

Secundò dubitatur in hoc, quod *actus cognoscendi dicitur mensurabilis ab obiecto, vt à mensura eius per hoc quod est similitudo obiecti secundùm imitationem sicut est similitudo ideati ad ideam.*

Secundum dubium.

Tertiò. Dubitatur in hoc, quòd *cognitio abstractiua habet relationem realem potentialem, seu aptitudinalem, scilicet mensurabilis etiam ad obiectũ non existens. Et ad obiectũ actu existens habet relationẽ realẽ actualẽ mensurabilis ad mensuram.*

Tertium dubium.

Quartò dubitatur in hoc quod dicit, quòd *cognitioni abstractiuæ non conuenit relatio attin-*

Quartum dubium.

gentia realis aptitudinalis, quia non conuenit fundamento quantùm est ex parte eius, nec sibi competeret in actu: si terminus poneretur in actu, quia terminus non est natus per illum actum attingi, vt actu existens.

Quintum dubium. Quintò dubitatur in hoc, *per actum cognitionis obiectum habet esse cognitum, & ideò potest naturam actus sequi aliqua habitudo, quæ sit ad obiectum, vt habens tale esse.*

Sextum dubium. Sextò dubitatur in hoc quòd *relatio fundata in notitia abstractiua, huius ponitur relatio rationis sequi naturam actus, sic quòd intellectu non comparante, nec actum cognoscente sequitur necessariò relatio rationis ad obiectum cognitum.* Et hæc dubia pro nunc sufficiunt, &c.

45. Contra primum instatur, probando quòd cognitio intuitiua non includit necessariò relationem realem actualem ad obiectum, & hoc loquendo de relatione vnionis, siue attingentiæ. Et primò sic: præsupponendo aliqua. Primò, quòd cognitio intuitiua necessariò est rei existentis, ita quòd est impossibile esse cognitionem intuitiuam, nisi sit rei existentis, vt existentis, quia hoc est de formali ratione ipsius, vel saltem necessariò competit sibi, vt patet à Doctore *in primo, dist.* 1. *q.* 2. *dist.* 8. *q.* 3. *in secundo, d.* 3. *in quarto dist.* 10. *&* 49. *in quodl. q.* 7. *&* 13. *&* 14. *Relatio identificatur realiter fundamento.* Secundò suppono dictum Doctores *in secundo, dist.* 3. *q.* 5. quòd illa relatio identificatur realiter fundamento, cui fundamento simpliciter repugnat esse sine termino, vt patet de dependentia creaturæ ad Deum, quæ realiter identificatur ipsi creaturæ, quia est simpliciter impossibile esse creaturam sine Deo, vt termino. Istis præsuppositis arguo, sic per argumentum ducens ad impossibile; cognitio intuitiua necessariò includit relationem realem actualem attingentiæ ad obiectum existens, vt existens; ergo talis relatio realiter identificatur tali notitiæ: cõsequens est impossibile; ergo & antecedens. Consequentia probatur per secundum præsuppositum, & per primum, quia si est impossibile talem notitiam esse sine termino, vt patet per primum præsuppositum; ergo relatio erit realiter idem illi, vt patet per secundum præsuppositum. Falsitas consequentis patet, quia Deus potest absolutè conseruare in intellectu notitiam, quæ ponitur qualitas absoluta sine obiecto existente actu; potest enim conseruare visinem in oculo, nullo visibili existente, vt etiam patet per Doctorem. Sed si notitia intuitiua necessariò includeret talem relationem, vt eandem sibi realiter esset simpliciter impossibile ipsam posse conseruari obiecto actu non existente.

Secundò instatur. Et præsuppono quòd intellectus cognoscat per actum reflexum intuitiuè actum rectum, quam immediatè terminatur ad obiectum primum, siue ille actus rectus sit intuitiuus, siue abstractiuus, non curo, cùm vterque in se sit qualitas absoluta actu existens in intellectu quando cognoscitur intuitiuè per actum reflexum, cùm cognitio intuitiua sit necessariò existentis, vt suprà dixi. *Quæ sit cognitio intuitiua.* Tunc arguo sic: Si notitia intuitiua necessariò includit relationem realem ad obiectum existens; ergo actus reflexus intuitiuus necessariò includit relationem realem ad actum rectum. Consequens est falsum, quia sequuntur inpossibilia. Primo sequitur quòd infiniti actus actualiter existentes simul possunt esse in eodem intellectu; patet, quia si actus reflexus necessariò includit relationem realem ad actum rectum, ergo actus necessariò actu erit stante reflexo; & actus similiter reflexus potest intuitiuè cognosci per alium actum reflexum, cùm sit ita qualitas absoluta, sicut actus rectus; ergo ille actus secundus reflexus necessariò includit relationem realem ad primũ actũ reflexum; & primus non potest esse sine actu recto, & secundus reflexus non potest esse sine primo reflexo; ergo stante secundo reflexo simul stant, & alij, sed secundus reflexus potest ita intuitiuè cognosci per alium reflexum sicut & alij præcedentes, ergo procedendo infinitum, sequitur quòd actu possent esse infinitæ cognitiones intuitiuæ in eodem intellectu, & simul infinitę relationes reales. *Actus reflexus quid.* Sequitur secundò quòd Deus non posset in intellectu conseruare actum reflexum sine actu recto, quod videtur inconueniens.

Tertiò instatur, quòd si cognitio intuitiua necessariò includit relationem realem actualem attingentiæ ad obiectum realiter distinctum actu existens, sequitur quòd notitia intuitiua in Deo, quæ intuetur lapidem actu existentem, necessariò includet relationem realem attingentiæ ad ipsum lapidem; consequens est impossibile, vt patet à Doctore *in* 1. *dist.* 3. vbi probat esse impossibile Deum realiter referri ad creaturam. Nec valet dicere, quòd non intuetur lapidem, vt actu existentem, quia Deus cognoscit omnem creaturam etiam secundùm omnem conditionem existentiæ, vt ostendit Doctor *in* 1. *dist.* 37. Nec similiter valet dicere quòd à sola essẽtia diuina mouetur immediatè ad cognitionem cuiuscunque obiecti, vt patet à Doctore *in prologo q. pen. & d.* 39. *primi, & in* 2. *dist.* 3. *& in quodl. q.* 5. *&* 14. quia hoc non impedit, quia loquimur hîc de relatione attingentiæ, siue vnionis, & non de relatione dependentiæ, qua notitia dependet ab obiecto in *esse*; notitia enim causatur ab obiecto; sed relatio attingẽtiæ præsupponit primam dependentiam, vt patet; ipsa ergo notitia priùs in se suo modo causata ab obiecto, necessariò includit aliam relationem realem, scil. attingentiæ, & per consequens notitia intuitiua in Deo, qua intuetur creaturam actu existentem, necessariò includet relationem realem vnionis, vel attingentiæ ad ipsam. 46.

Quartò instatur sic: præsupponendo duo, primò, quòd omne habens propriam existentiã potest intuitiuè cognosci, & per consequẽs posset esse terminus intuitiuæ cognitionis. Secundò præsuppono, quòd omnis relatio realis actualis saltem realiter distincta à fundamento, & termino, sit verum ens reale habens propriam existentiam, & hoc patet, expresè à Doctore *in* 2. *dist.* 1. *q.* 5. *vel* 4. vbi probat relationem habere verum *esse* præter omne opus intellectus, & præter *esse* fundamenti, & termini. *Relatio habet verum esse.* Tunc arguo sic; cognitio intuitiua potest esse respectu relationis realis actu existentis propria existentia; ergo talis notitia necessariò includit relationem realem actualem terminatam ad ipsam relationem: consequens est falsum; ergo illud ex quo sequitur, scilicet, hoc quòd notitia intuitiua necessariò includit relationem realem ad obiectum actu existens. Antecedens patet per præsupposita. Consequentia patet per conclusionem Doctoris, quòd relatio realis necessariò includitur in notitia intuitiua

respectu

respectu obiecti actu existentis. Falsitas consequentis probatur, quia tunc relatio realis haberet pro termino immediato relatione realem, quod est contra Doctorem *in primo dist.* 30.

47. Quintò instatur, quia sequeretur quòd idem actus intuitiuus simul includeret saltē tres relationes reales attingentiæ, vel vna relatio realis simul esset ad tres terminos, quorum vtrunque est falsum. Ostenditur sequela, quia pono quod quis actu recto intuitiuè cognoscat lapidem, & actu reflexo intuitiuè potentia reflectat se super actum rectum, & super relationem realem vnionis, siue attingentiæ fundatam in actu recto, & super obiectum primum, scilicet lapidem; patet quia vel actus reflexus necessariò simul includeret tres relationes reales ad illa tria obiecta, vel quòd vna sola reali refertur simul ad illa tria. Et quòd consequens sit falsum, patet, quia ponendo tres tales relationes sequitur quòd idem actus simul erit vnitus tribus obiectis, tribus relationibus realibus, quod non videtur. Sequitur etiam quòd illæ tres essent realiter idem illi actui, & probatur sicut supra

Nota. probatum est in primo argumento. Si verò ponatur tantùm vna relatio in ipso actu reflexo ad illa tria obiecta, sequitur quòd vna, & eadem relatio habebit simul tres terminos, & cùm relatio necessariò dependeat à termino simul à tribus dependebit, & sic posito vno illorum verè dependebit relatio, & remoto non dependebit; ergo simul dependebit, & non dependebit, vt patet per argumentum Doctoris quod sæpè in pluribus locis facit. Sic dicatur, quòd alio actu potentia reflectitur super actum primum, & rectum, super relationem, & super obiectum. Contrà, quia tunc sequitur quòd quis vno actu reflexo non poterit cognoscere se cognoscere, quod non videtur, nec communiter tenetur, quia eodem actu reflexo super actum rectum scio me scire, & me intelligere. Sed de hoc aliàs.

Sextò instatur, quia ex hoc videtur sequi quòd actus, quo intueor relationē realē inclusam necessariò in actu recto beatifico, sic actus

An actus reflexus sit magis beatificus quàm actus rectus. magis beatificus quā actus rectus. Et arguo sic; Ille actus est simpliciter magis beatificus, quo potentia immediatè attingit obiectum beatificum (& loquor non de relatione, sed præcisè de actu intuitiuo,) sed actu reflexo, quo potentia intuitiuè cognoscit relationem attingentiæ realem inclusam in actu recto, & immediatè terminatam ad obiectum beatificum, ipsa potentia immediatiùs attingit obiectum beatificum, quàm mediante actu recto; ergo actus reflexus per illam relationem erit magis beatificus, quod est falsum. Maior est nota apud Doctorem *præsenti quæst. & in 4. dist.* 49. Minor probatur, quia cognoscens relationem immediatè terminatam ad obiectum beatificum, immediatè cognoscit obiectum beatificum, vt patet à Doctore *infrà. q. 14. articulo tertio*, sequitur ergo quòd actus reflexus, vel erit magis beatificus, vel saltem æquè beatificus, cùm æquè immediatè potentia attingat obiectum beatificum

48. ipso actu reflexo sicut actu recto.

Septimò instatur sic: Et quæro an potentia actu recto circa obiectum beatificum immediatè percipit obiectum, an mediante relatione reali attingentiæ. Si primò sequitur quòd talis actus rectus intuitiuus non necessariò includit relationem realem ad ipsum obiectum, patet, quia talis relatio vnionis ponitur vt potentia vniatur obiecto attingēdo illud. Si secundò, ergo sequitur quòd oportet potentiam priùs attingere illam relationem, & sic erit processus in infinitum; quia quæro, aut illam immediatè attingit aut mediatè. Si primò, non est maior ratio de attingenda ista, & illa qua attingit obiectum. Si secūdò, ergo mediatè alia ralatione, & quæro de illa alia, & sic processus in infinitū.

Octauò instatur. Et quæro de visione beatifica, aut illa visio, & formaliter absolutè accepta est actus simpliciter, & per se beatificus, aut est actus beatificus in quantùm includit relationem illam. Si primò, habetur propositum, quia vt sic, non includit necessariò relationem realem. Si secundò ergo visio illa erit actus beatificus tantum per accidens, & non per se, quia visio vt vnita, dicit tantùm vnum per accidens, & sic actus beatificus non erit vnus per se.

Nonò instatur sic, quia si actus intuitiuus, vt actus beatificus includit necessariò relationem realem attingentiæ terminatam ad obiectum *Nota.* beatificum, ergo aliquis poterit ex puris naturalibus cognoscere obiectum beatificum in se; consequens est impossibile, vt patet à Doctore, *q. 1. prologi & dist. 3. primi, & in 2. dist. 3. q. 9. & infrà. q. 14. quoli. art. 2.* Consequentia probatur, quia aliquis Angelus ex puris naturalibus poterit intuitiuè videre in Angelo habente actum beatificum, & ipsum actum beatificum, & relationem necessariò inclusam in tali actu beatifico, & per consequens terminum illius relationis, qui est obiectum beatificum; patet, quia naturaliter potest videre quicquid realiter, & formaliter est in Angelo, vt etiam videtur patere secundum Doctorem *in 2. dist. 9. de locutione Angelorum.*

Decimò instatur sic, quia sequitur quòd visio diuina in intellectu diuino terminata ad essentiam diuinam necessariò includet saltem relationem rationis terminatam ad ipsam essentiam, 49.
quod est falsum, & contra Doctorem vt patet præsenti. q. Quòd autem sequatur, patet per illam vulgatam propositionem Doctoris *in prologo q. 3. & singulariter. q. 1. quol.* scilicet. *Qualis est ordo inter aliqua vbi realiter distinguuntur, talis est vbi sola ratione distinguuntur*; modò si visio in intellectu diuino esset realiter distincta ab essentia diuina, necessariò includeret relationem realem attigentiæ ad ipsam; patet per conclusionē Doctoris scilicet, quòd cognitio intuitiua necessario includit relationē ad obiectum actu existēs, & realiter distinctū. Sequitur ergo, quòd ex quo visio diuina in intellectu saltem ratione distinguitur ab essentia diuina, *Quomodo visio diuina, distinguatur ab essentia diuina.* quòd vt sic necessariò includat relationem rationis necessario terminatā ad ipsam essentiam diuinam; quod est simpliciter impossibile apud Doctorem: ergo talis conclusio nō videtur vera.

Secundò principaliter instatur contra secundum dictum, probando quòd actus cognoscendi non dependeat ab obiecto in ratione mensurabilis. Et præsuppono primò, quòd dependere ab alio ratione mensurabilis, & specialiter secundum similitudinem imitationis sit simpliciter imperfectius ipsa mensura. Hoc patet, quia aliter non imitaretur mensuram. Secundò præsuppono, quòd actus intelligendi præcisè dicitur mensurabilis ab obiecto, cui est

 similis

similis per imitationem Istis præsuppositis arguo sic primò: Si actus intelligendi est mensurabilis ab obiecto, cui est similis per imitationem, sequitur quòd actus intelligendi relationem realem erit verè mensurabilis à tali relatione, & sic perfectius simpliciter dependebit ab imperfectiori simpliciter, quod est impossibile. Patet consequentia, quia actus ille verè est similitudo relationis, vt obiecti, & per imitationem, cùm vt sic, sit posterior ipsa, quia actus præsupponit obiectum, cuius est.

Secundò instatur, quia sequitur quòd vnus actus reflexus sit verè mensurabilis ab alio actu reflexo, quod est falsum. Tum, quia sunt eiusdem speciei, vt patet, & per consequens vnus non imitatur essentialiter alium, quia tunc vnus esset essentialiter perfectior, & alius essentialiter imperfectior. Tum, quia non videtur quòd vnus actus sit similitudo per imitationem alterius actus eiusdem rationis, sicut nec vnum album est simile alteri per imitationem, maximè si illa duo alba sint æquè intensa. Probatur consequentia, quia primus actus reflexus potest esse obiectum immediatum respectu alterius actus reflexi, qui est verè obiectum intelligibile, cùm sit qualitas absoluta, imò per se intelligibile, & per se contentum sub adæquato obiecto intellectus.

50. *Notitia intuitiua est perfectior abstractiua.* Tertiò instatur, quia sequeretur quòd actus intelligendi intuitiuus esset verè mensurabilis ab actu intelligendi abstractiuo, qui essentialiter est imperfectior; patet, quia notitia intuitiua est perfectior abstractiua, vt patet à Doctorem *præsenti*, *q.* & *in* 4. *dist.* 49. Et intuitiua, etiam respectu eiusdem obiecti, differt specie ab abstractiua, vt patet *præsenti*, *q.* & *in* 3. *dist.* 3. & *in* 2. *dist.* 25. & *in* 4. *dist.* 49. Et sic intuitiua erit specificè, & essentialiter perfectior abstractiua, & per consequens perfectius specificè erit verè mensurabile ab imperfectiori specificè, quòd videtur simpliciter impossibile. Consequentia probatur, quia pono quòd aliquis intellectus intelligat lapidem non vt existentem, & quòd pòst intelligat actu reflexo illam intellectionem abstractiuam, vt existentem, ita quòd talis actus reflexus immediatè terminetur ad ipsam, vt existentem; ergo vt sic, erit ille actus reflexus intuitiuus terminatus ad actum verè abstractum, & per consequens erit mensurabilis ab illo.

Quartò instatur sic, quia sequitur quod eadem albedo, quantùm est ex parte sua, poterit esse mensura ex natura rei infinitarum vnionum simul, & sic infinitæ visiones, si actu essent, actu dependerent, vt mensurabiles ab eadem albedine, & per consequens ipsa albedo esset quasi infinitæ perfectionis, quia esse mensuram talem dicit formaliter perfectionem in tali mensura, cùm vt sic, sit verè imitabilis; ergo quantò plurium ponitur ex natura rei mensura tantò erit perfectior; & licèt actu non sit mensura infinitorum, tamen est æquè perfecta, si ex natura sua ponitur sic mensura; sicut si actu poneretur mensura; quia quod actu non sit mensura non est propter defectum ipsius mensuræ, cùm sibi ex natura sua competat, sed propter defectum mensurabilium, quæ actu non sunt posita.

51. Quintò instatur sic, quia sequitur quòd actus intelligendi, ita erit mēsurabilis ab illo obiecto, à quo nullo modo dependet, siue ad quod nullo modo terminatur, sicut erit mensurabilis, ad quod immediatè terminatur. Et pono quòd sit visio, siue cognitio intuitiua respectu vnius albedinis, ita quòd præcisè terminetur ad illam albedinem numero. Tunc sic: quælibet alia albedo est æquè essentialiter perfecta, sicut illa ad quam actus terminatur: ergo ille actus ita erit similis per imitationem cuilibet alteri, & æquè mensurabilis à qualibet alia, quid est falsum. Nec valet dicere quòd cùm est similis illi, ad quam terminatur, quia ab illa sola dependet in essendo ideò illam solam imitatur. Contrà, quia quòd actus intelligendi non sit causatus immediatè ab obiecto cuius est actus, puta quòd causetur immediatè à voluntate diuina, tunc sequitur quòd non erit illi obiecto similis per imitationem, quia ab illo non dependeret in essendo; sufficit ergo, quòd terminetur ad obiectum, & tamen ex hoc quòd terminatur ad obiectum non dicitur mensurabilis, vt patet, quia priùs dependet in ratione mensurabilis, quàm intelligatur terminari obiecto, siue vniri. Sequitur ergo quòd ille actus ita erit mensurabilis ab albedine non intellecta, sicut ab albedine intellecta.

Tertiò principaliter instatur contra tertium, probando quòd notitia abstractiua respectu obiecti actu existentis non dependet dependentia mensurabilis ad mensuram, sic quòd nō sit talis relatio realis, & arguitur sic primò: Omnis notitia, quæ mensuratur ab obiecto dependet ab illo, ita quòd est dependentiæ essentialis ad illud; sed notitia abstractiua nullo modò dependet ab obiecto existente extrà; ergo non mensuratur, siue non est mensurabilis ab illo. Maior est nota, quia mēsuratum, vel mensurabile secundùm perfectionem, siue secundùm quantitatem virtualem necessariò dependet à mensura dependentia essentiali. Minor patet, quia talis notitia, nec in *causari*, nec in *esse* aliquo modo dependet ab obiecto actu existente, quia ipso non existente potest verè ab alio causari, & verè existere, patet; ergo non dependet ab illo dependentia reali actuali.

Secundò instatur, notitia abstractiua eo modo est mēsurabilis ab obiecto, quo ponitur eius similitudo per imitationem; sed talis notitia non ponitur similitudo obiecti existentis aliquo modo: ergo non est mensurabilis ab illo. Maior patet per Doctorem qui vult quòd ideò notitia sit mensurabilis ab obiecto inquantùm est similitudo eius per imitationem. Minor patet, quia notitia abstractiua est præcisè similitudo per imitationem ipsius quiditatis absolutè sumptæ: & quòd existat actu, vel non existat, accidit ei; ergo ipsa notitia non includit relationem realem actualem mensurabilis ad ipsum obiectum actu existens. 52. *An notitia abstractiua sit mensurabilis ab obiecto.*

Tertiò instatur sic: Illud quod est ratio formalis immediatè causandi notitiam abstractiuam est ratio formalis mensurandi illam: sed species intelligibilis est ratio formalis immediatè causandi, partialiter tamen ipsam notitiam abstractiuam; erit ratio formalis mensurandi, siue terminandi dependentiam notitiæ mensurabilis ad ipsam; ergo non obiectum actu existens. Maior patet, quia etiam in Deo illud, quod ponitur etiam ratio formalis causandi creaturam, ponitur etiam ratio formalis mēsurandi;

ſurandi; & patet etiam, quia in cauſante entitas perfectiſſima ponitur ratio terminandi dependentiam eſſentialem ipſius naturæ, vt menſurabilis.

Quartò inſtatur ſic; aut notitia eſt menſurabilis actu ab obiecto non exiſtente, vt exiſtente; aut ab obiecto, vt priore exiſtentia. Si primò, contrà, quia exiſtentia; vt exiſtentia non eſt ratio formalis terminandi dependentias méſurabiles, & hoc ſecundùm quantitatem virtualem, vt patet in ſimili à Doctore *in primo, diſt.* 1. *q.* 2. Si dicatur, quòd exiſtentia requiritur vt conditio obiecti. Contrà, quia ipſe tantùm ponitur gradus intrinſecus, qui præſupponit entitatem perfectam in ſe, vt ſuprà patuit. Si ſecundò, tunc habetur intentum, ſcilicet quòd obiectum exiſtens, vt exiſtens, non poteſt terminare huiuſmodi dependentiam, ſed præciſè terminans erit quiditas abſolutè ſumpta ipſius obiecti.

53. *Relationes in diuinis non dicunt perfectione.* Quintò inſtatur ſic: notitia abſtractiua poteſt eſſe alicuius obiecti actu exiſtentis, & nullam perfectionem dicentis, vt patet de cognitione abſtractiua alicuius relationis realis, & præcipuè de notitia relationis diuinæ, quæ nullam perfectionem dicit; ergo ſequitur quòd talis relatio poterit terminare dependentiam ipſius notitiæ abſtractiuè, vt menſurabilis, quod nullo modo videtur poſſibile, quia tunc dependeret à tali relatione.

Quartò principaliter inſtatur contra quartum, & intendo probare primò quòd notitia abſtractiua poteſt includere relationem realem aptitudinalem, vel potentialem ad obiectum, loquendo de relatione attingentiæ, & arguo ſic. Si obiectum actu exiſteret, poſſet notitia illa ad illud terminare: ergo quando actu non exiſtit, ſequitur quòd includat relationem realem aptitudinalem. Conſequentia patet, per ipſum Doctorem qui hoc modo probat relationem realem aptitudinalem, vt patet in litera. Antecedens probatur, quia ipſe concedit quod notitia abſtractiua poteſt eſſe tam obiecti exiſtentis, vel non exiſtentis, vt patet ab ipſo *in* 1. *&* 2. *diſt.* 3. *& in* 4. *diſt.* 10. *&* 49. *& in quodl. q.* 7. *& præſenti q.* Si ergo poteſt includere relationem realem actualem vnionis, ſiue attingentiæ ad obiectum, ſequitur quòd quando obiectum actu non exiſtit, quod tunc includit relationem potentialem, ſiue aptitudinalem realem attingentiæ ad obiectum. Poſſet etiam multipliciter inſtari contra hanc concluſionem, tamen, ne ſim tædio legentibus omitto alia dubia ſequentia.

Notitia abſtractiua poteſt eſſe obiecti exiſtentis, vel non exiſtentis.

54. Reſpondeo ad obiectiones, primò contra primum dubium. Et præmitto aliqua. Primò, quòd relatio vnionis, ſiue attingentiæ fundata in notitia intuitiua, abſolutè loquendo, non terminatur ad exiſtentiam, ſic quòd exiſtentia ſit præciſa ratio formalis terminandi, quia vt ſuprà expoſui, in primo articulo, entitas quiditatiua in ſe præſens etiam vt prior exiſtentia, poteſt intuitiuè cognoſci, ſic quòd talis entitas actualis perfectè præſens eſt ratio formalis terminandi notitiam intuitiuam. Solùm ergo exiſtentia in creatura quando eſt in ſe præſens, eſt ratio formalis terminandi notitiam intuitiuam ſui, quia exiſtentia poteſt intuitiuè, & abſtractiuè cognoſci, vt ſuprà patuit. Secundò præmitto, quòd relatio attingentiæ fundata in notitia intuitiua, ita quòd notitia illa eſt ratio formalis fundandi, & terminata ad obiectum exiſtens, ita quòd exiſtentia eſt ratio formalis terminandi, quando ipſa intuitiuè cognoſcitur, vel entitas prior exiſtentia, quando intuitiuè cognoſcitur, non eſt ſic intrinſecus adueniens, quòd poſitis abſolutè fundamento, & termino ſequatur talis relatio, ſicut ſimilitudo ſtatim oritur poſitis fundamento, & termino, etiam quantumcunque diſtantibus, quia poſita notitia in nobis reſpectu lapidis, & poſita diſtantia maxima non ſequitur relatio attingentiæ, quia tunc intellectus noſter attingeret intuitiuè obiectum quantumcunque diſtans, quod non eſt verum. Poteſt enim Deus immediatè cauſare in me notitiam intuitiuam vnius animæ exiſtentis in cœlo, & tamen non videbo illam. Sed benè eſt inconueniens, quòd ego habeam notitiam intuitiuam alicuius obiecti includentem relationem attingentiæ ad illud, & quòd non videam illud. 55.

Videtur ergo requiri non tantùm obiectum exiſtens, ſed etiam in ſe præſens præſentia debita, & tunc ſtante præſentia obiecti, notitia intuitiua neceſſariò includit relationem attingentiæ terminatam ad obiectum exiſtens, non quòd præſentia obiecti ſit ratio formalis terminandi huiuſmodi relationem, ſed requiritur vt conditio requiſita in obiecto; ſtante ergo præſentia obiecti, ſtat illa relatio, & potentia neceſſariò videt illud obiectum amoto alio impedimento: quod dico, quia benè poſſet eſſe obiectum præſens, & actus intuitiuus, & tamen non videretur, quia Deus poſſet hoc impedire: hoc patebit *infrà. q.* 14. *artic. vlt.* non tamen abſolutè intelligendo: ſed ſic intelligendo, quòd ſi ego in intellectu alterius videam actum intuitiuum terminatum ad aliquod obiectum, vt oſtendit Doctor *infrà, q.* 14. Sed ſi ego habeo verè intuitiuum reſpectu alicuius obiecti in ſe debitè præſentis, & quòd non videam illud, videtur impoſſibile ſtante actu, & præſentia obiecti. Et ex hoc videtur ſequi quòd relatio attingentiæ fundata in notitia intuitiua, & terminata ad obiectum in ſe præſens, non ſit realiter idem illi notitiæ, quia non repugnat notitiam illam actu eſſe obiecto non præſente, imò non exiſtente; quia Deus poteſt conſeruare omne abſolutum ſine alio, à quo non dependet neceſſariò ſimpliciter, & dixi *à quo non ſimpliciter neceſſario dependet*, quia non poſſet conſeruare totum eſſentiale ſine partibus, quod tamen eſt abſolutum, quia intrinſecè dependet ab illis. Poſſet etiam conſeruare omne accidens abſolutum, ſine ſubiecto, quia non ſimpliciter neceſſariò dependet à ſubiecto in eſſendo; & ſimiliter poſſet conſeruare omnem effectum abſolutum cuiuſcunque cauſæ ſecundæ ſine cauſa ſecunda extrinſeca, quia à nulla ſimpliciter neceſſariò dependet, ſic quòd repugnet ipſi poſſe eſſe ſine tali cauſa ſecunda: à ſola enim cauſa prima ſimpliciter neceſſariò dependet in *eſſe*, & in *conſeruari*; patet ergo quomodo poſſet conſeruare notitiam intuitiuam reſpectu lapidis, ipſo lapide non exiſtente, & per conſequens patet quòd relatio attingentiæ non eſt realiter idem tali notitiæ.

Deus poteſt conſeruare omne abſolutum ſine alio.

Si etiam teneretur quòd ſtante notitia intuitiua reſpectu lapidis, & ipſo lapide actu exiſtente quantumcunque diſtante, neceſſariò ſequitur

Nota.

quitur relatio attingentiæ,siue vnionis;& quòd tamen potentia habens talem notitiam non videret lapidem ita distantem,fortè non esset impossibile hoc ponere: quia illa relatio oriretur tantùm ex natura extremorum quantumcunque distantium; sed visio actualis requirit potentiam obiecti in se. Fortè etiam posset dici, quòd stante notitia intuitiua alicuius obiecti in se existentis,quòd potentia habens illam necessariò videret, etiam quantumcunque distans, quia diceretur quòd requiritur debita præsentia obiecti ad causandum notitiam intuitiuam,ita quòd lapis quantumcunque distans non posset immediatè mouere intellectum distantem ad sui notitiam intuitiuam. Si tamen Deus immediatè causaret notitiam intuitiuam lapidis quantùcúque distantis in aliquo intellectu,intellectus ille notitia illa intuitiuè cognosceret lapidem. Quicquid sit de istis.

57. *Responsio ad rationem primam.* Respondeo ad rationem primam, negando quòd relatio attingentiæ sit realiter idem cum notitia. Cùm probatur, quia repugnat notitiæ intuitiuæ posse esse sine termino actu non existente negatur,quòd non possit esse,imò posset actu existere obiecto annihilato,quia in *esse*, & in *conseruari* à solo Deo simpliciter dependet, vt suprà patuit.

Ad secundum admitto casum, scilicet quòd quis potest actu reflexo cognoscere intuitiuè actum rectum, siue ille actus rectus sit intuitiuus,siue abstractiuus. Et cùm infertur,quòd sequuntur impossibilia,negatur,& cùm probatur primò, quia sequitur quòd essent actu infiniti actus simul, negatur. Posito enim quòd potentia actu reflexo cognoscat actum rectum,& alio reflexo illum reflexum, & sic in infinitum,non tamen sequitur quòd possint simul esse actus infiniti, sed possent esse infiniti in infinitum successiuè, sed nunquam simul actu infiniti, vt aliàs exposui. Et hoc non est inconueniens etiam apud Doctorem & Augustinum. Cùm etiam probatur per hoc, quòd actus reflexus includit necessariò relationem realem ad actum rectum terminatam, & per consequens stante actu reflexo,necessariò erit actus rectus,&sic de secundo actu reflexo, qui similiter necessariò includet relationem realem ad actum primum reflexum,& sic in infinitum. *Nota.* Dico primò,quòd actus reflexus non includit sic necessariò relationem realem ad actum rectum, sic quòd sit impossibile ipsum esse non existente actu recto, quia certum est quòd Deus potest conseruare actum reflexum, cùm sit qualitas absoluta actu recto non existente; tamen potentia per illum actum reflexum non cognosceret intuitiuè actum rectum, quia non esset, nec aliquid aliud cognosceret per illum actum reflexum. Eodem modo dico de secundo actu reflexo, quòd Deus posset ipsum conseruare sine primo actu reflexo. Dico secundò,quòd etiam posito quòd actus reflexus primus non possit esse sine recto, nec secundus reflexus sine primo reflexo, & sic ascendendo in infinitum, quòd adhuc non sequitur illud impossibile, scilicet, quòd erunt infiniti actus simul,sed benè concedo quòd erunt infiniti in infinitum ita quòd
58. in infinitum, erit vnus post alium.

Ad secundum inconueniens, cùm infertur quòd Deus non posset conseruare actum reflexum,sine recto. Dico, quòd hoc non sequitur, quia non pono actum reflexum necessariò simpliciter in *esse*, & *conseruari* dependere ab actu recto,vt suprà patuit.

Ad tertium dico primò, quòd posito quòd Deus intueatur lapidem in se existentem, ita quòd talis notitia terminetur propriè ad lapidẽ in se existentem,& præsentem,quòd adhuc nõ sequitur quòd talis notitia includat relationem realem attingentiæ, quia non refertur realiter relatione reali ad extrà. Sicut etiam non sequitur causa effectiua in creaturis necessariò includit relationem realem ad effectum, ergo & Deus, qui est causa prima omnium, includit relationem realem ad effectum, non sequitur. Et quare in creatura,& non in Deo? Vide causam assignatam à Doctore *in primo,dist.*30.Dico secundò,& magis ad rem,quòd notitia intuitiua in Deo non terminatur ad creaturam, vt in se actu existentem;patet,quia ab æterno ita perfectè intuitiuè cognouit lapidem in se non existentem, sicut & nunc cognoscit. Dico ergo, quòd notitia intuitiua Dei non terminatur ad creaturam, vt in se existentem,& in se præsentem, sed terminatur ad essentiam diuinam, in qua intuitiuè videt quicquid videt, vel terminatur ad lapidem, vt præcisè relucentem in essentia diuina,& sic non sequitur quod infertur. *Notitia intuitiua in Deo non terminatur ad creaturam.*

Ad quartum concedo præsupposita illa, & concedo quòd relatio realis potest intuitiuè cognosci; & concedo quòd talis notitia necessariò includit relationem realem attingentiæ terminatam ad relationem. Et cùm infertur, quòd relatio tunc non habebit absolutum pro termino,quod est contra Doctorem *dist.*30.Dico, quòd non intelligit, quòd relatio realis semper habeat pro termino aliquod absolutum, & hoc loquendo de termino immediato, sufficit enim quòd terminetur ad aliquod absolutum mediatè,vel immedediatè. Et hoc patet etiam apud Doctorem qui vult quòd vna relatio realis possit fundari in alia, & terminari ad aliam,sicut patet de proportionalitate, quæ fũdatur in vna proportione, & terminatur ad aliã,vt exposui in primo. Est benè inconueniens apud Doctorem quòd relatio realis non habeat pro fundamento absolutum,sicut ipse sæpe adducit Augustinum 7.de Trin. *Omne quod relatiuè dicitur est aliquid excepta relatione.* Intelligit ergo quòd omnis relatio realis necessariò præsupponit fundamentũ reale,& hoc mediatè, vel immediatè,hoc idem intelligit de termino. *Relatio realis potest intuitiuè cognosci.*

Ad quintum concedo casum, quòd potentia reflectat se super actum rectum, super relationem attingentiæ actus recti, siue fundatam in actu recto & super obiectum actu recto intuitiuè cognito. Dico, quòd non eodem actu reflexo, quo cognoscit actum rectum cognoscit relationem attingentiæ,& obiectum actus recti; sed vno actu reflexo cognoscit actum rectum; & alio cognoscit relationem; & alio obiectum. Si enim eodem actu, quo cognoscitur actus rectus cognosceretur obiectum actus recti, & relatio attingentiæ, sequeretur quòd Angelus, qui intuitiuè cognosceret actum intuitiuum,& beatificum in intellectu alterius,quòd simul cognosceret obiectum beatificum,quod est contra Doctorem vt patebit infrà *q.*14.respondendo ad principale argumentum. Nec similiter sequitur, quòd cognoscat illam relationem attingentiæ cognoscendo 59. *Nota.*

cendo ipsum actum rectum, vt similiter patet à Doctore vbi suprà. Dico ergo, quòd alio actu cognosceret actum rectum, & relationem attingentiæ, & ipsum obiectum, & sic non sequitur inconueniens. Dico secundò, quòd posito casu, scilicet, quòd potest eodem actu reflexo intuitiuè cognoscere actum rectum, obiectum in se, & relationem, quod non est inconueniens in illo actu simul fundari tres relationes reales terminatæ ad tria obiecta, sicut etiam in eodem albo possunt fundari plures similitudines terminatæ ad plura alba, sic est in proposito.

Ad sextum concedo illam propositionem, scilicet, quòd ille actus est magis beatificus, quo attingitur immediatiùs obiectum beatificum, sed negatur, quòd actu, quo attingitur relatio attingentiæ, sit huiusmodi: patet, quia ille immediatè terminatur ad relationem illam, quæ nullo modo ponitur obiectum beatificum: Actus verò rectus immediatè terminatur ad obiectum beatificum, sic quòd potentia illo actu primo, & immediatè percipit obiectum beatificum in se. Alio verò actu primo, & immediatè percipit relationem attingentiæ, immo non potest habere notitiam illius relationis, nisi priùs cognoscat obiectum beatificum in se, quia priùs cognoscitur terminus relationis, quàm relatio, vt patet à Doctore *in prologo q. penul. & in 1. dist. 8. & in quoli. quæst.* 14.

60. *Nota.* Ad septimum dico primò, quòd potentia actu intuitiuo perficit obiectum etiam posito per impossibile, quòd non esset relatio media quia non est de ratione actus, quòd includat huiusmodi relationem, vt suprà patuit. Cùm infertur, ergo actus ille non includit necessariò relationem attingentiæ. Dico quòd non includit necessariò, vt est actus perceptiuus obiecti, sed includit tantum ex natura rei; quia posito tali actu, & obiecto præsente necessariò includit relationem vnionis, qua actus vnitur obiecto, & obiectum similiter vnitur actui relatione reali præter obiectum beatificum: quod non includit relationem realem ad extrà; & illa relatio vnionis ex parte actus dicitur relatio actiua attingentiæ, quâ scilicet actus realiter attingit obiectum, & ex parte obiecti dicitur relatio attingentiæ passiua, qua obiectum attingitur realiter. Dico secundò, quòd posito quòd potentia mediante actu immediatè non percipiat obiectum, sed tantùm mediante relatione attingentiæ, non sequitur tunc quòd oportet ipsum prius attingere illam relationem, quia sufficit dicere quòd non attingit obiectum mediante actu, nisi pro quanto actu vnitur obiecto.

Ad octauum patet responsio ex supradictis. Dico enim quòd actus beatificus, vt prior tali relatione est formaliter beatificus, nec includit ipsam in sua ratione formali ad hoc vt dicatur beatificus, vt patet de actu beatifico diuino. Actus tamen beatificus in creatura includit eam, non vt aliquid pertinens ad formalem rationem actus beatifici; sed includit ex natura extremorum, inter quæ oritur necessariò talis ratio vnionis, quando realiter distinguuntur, & sic potentia vnitur formaliter obiecto per talem relationem.

Ad nonum patebit responsio infrà, *q.* 14. respondendo ad principale argumentum.

Ad decimum patebit responsio aliàs, quia talis relatio non includitur in ratione actus beatifici, vt suprà patuit, & infrà patebit.

Ad instantias contra secundum dictum. Sed pro maiori intelligentia præmitto aliqua. Primò; quòd aliqua est mensura perfectionalis, quâ mensuratur quantitas perfectionalis alterius, & illa est simpliciter alterius rationis à mensurato, & loquor de mensura perfectionali qua mensuratur propriè perfectio quiditatiua alterius. Et hoc modo species perfectissima in genere mensurat, quiditatiuè species contentas in tali genere, quia tunc cognoscitur perfectio quiditatiua asini per perfectionem quiditatiuam hominis, & talis mensura semper est perfectior mensuratio. Et hoc modo albedo in genere coloris mensurat omnes species coloris. Et similiter perfectissima operatio mensurat omnes species perfectionum, & sic de alijs generibus. Aliqua etiam est mensura perfectionalis, sed non essentialis, & quiditatiua, quia per illam non mensuratur quiditas, sed mensuratur aliquid ejusdem speciei tantùm secundùm gradus intentionis. Et sic intensissima albedo mensura esset omnium aliarum albedinum, quantùm ad earum perfectionem intensissimam, & talis mensura est simpliciter perfectior mensurato non essentialiter, & quiditatiuè, sed tantùm secundùm intentionem formæ. Alia est mensura, quæ nec quiditatiuè mensurat, neque præcisè secundùm intensionem in eadem specie, sed mensurat aliquid, vt est similitudo imitatiua illius, id est, quòd tale quid præcisè dicitur mensurati, vt imitatur aliud per quandam similitudinem, dicitur quòd imago Cæsaris est similitudo Cæsaris per imitationem, quia est similitudo essentialiter posterior nata tantùm repræsentare Cæsarem, & habet ab ipso Cæsare, quòd sit similitudo ejus pro quanto tantùm imitatur ipsum. Modò non est necesse talem mensuram esse simpliciter perfectiorem ipso mensurato, licèt fortè sit perfectior secundum quid.

61.

Duplex mēsura.

Quomodo mensura sit perfectior mensurato.

62. Sic dico in proposito, quòd intellectio puta albedinis est mensurabilis præcisè ab ipsa albedine, vt ab aliquo imitabili secundùm similitudinem imitationis, & sic intellectio albedinis hoc modo est mensurabilis, quia vt similitudo eius necessariò est posterior ipsa albedine, & necessariò imitatur illam, ipsam repræsentando. Et ideò dicitur similis per imitationem, quia à quocunque causetur semper est nata ipsum per similitudinem imitari, vt essentialiter posterius suum prius, quia actus intelligendi, vt huiusmodi, est posterior essentialiter obiecto, quod imitatur: sed non est sic vnum album similitudo alterius per imitationem quia vnum album, vt huiusmodi, non est essentialiter posterius alio, nec natum imitari aliud secundùm similitudinem imitationis, quia ita aliud est simile illi, & sic idem respectu eiusdem est prius, & posterius. Et hoc est quod dicit Augustinus in quæst. de duobus ouis, quæ quamuis sint omnino similia, tamen vnum non est imago alterius, siue vnum non est similitudo alterius per imitationem, quia vnum ex sua ratione non videtur magis esse posterius essentialiter, & imitari aliud, quàm è contra. Sed actus intelligendi ex sua ratione formali natus est esse posterior essentialiter suo obiecto, & natus est esse similis per imitationem, imò ex natura sua imitatur

tatur obiectum cuius est,& est naturalis similitudo obiecti, non accipiendo similitudinem pro relatione, sed pro re nata imitari modo prædicto,à quocunque causetur. Vnde si intellectio lapidis esset immediatè causata à Deo in intellectu nostro, illa ex natura sua esset similis obiecto per imitationē,quia ex sua natura nata est esse essentialiter posterior, & imitari ipsam albedinē,siue lapidem.Posito enim quòd Deus nunc crearet in me notitiam lapidis intuitiuam lapide non existente, & in tempore habito crearet lapidem in esse existentiæ, adhuc illa non esset similitudo lapidis,per imitationem, quia ex ratione sua nata esset esse posterior essentialiter ipso lapide,& similiter nata esset ipsum imitari, & esse similem modo prædicto, quia licèt de facto sit prior, tamen hoc accidit sibi, cùm hoc non conueniat ei ex natura talis notitiæ. Mòdò talis mensura non est semper perfectior secundùm suam entitatem ipso mensurato; patet, quia albedo est essentialiter imperfectior notitia eius. Potest tamen dici perfectior pro quanto ipsa notitia nata est esse similitudo eius per imitationem. Secundò premitto,quòd quodlibet obiectum natum intelligi per se est mensura respectu notitiæ eius, quia eius notitia est eius similitudo per imitationem,quia ex natura sua essentialiter posterior,licèt non mensuretur ab illo,quia non est de ratione obiecti quòd causet notitiam,imò accidit ei,sed de ratione eius est quòd possit ipsam terminare, & vt sic, necessariò est prius ipsa notitia & præsupponitur illi,vt assignabile per imitationem ab eius actu intelligendi. Nisi fortè dicatur quòd notitia non dicitur similitudo per imitationem cuiuscunque obiecti, sed præcisè illius obiecti à quo in essendo dependet, quod tamen non credo esse verum,quia tunc multa essent obiecta quæ non essent hoc modo mensura suorum actuum,imò omnia illa quæ non sunt motiua intellectus quod non videtur.

Albedo est imperfectior notitia eius.

63. Istis præmissis,patet respōsio ad obiectiones.

Ad primam, concedo præsuppositum, loquendo de mensura primo, & secundo modo, sed non tertio modo:& sic concedo quòd notitia relationis absolutè est perfectior ipsa relatione, tamen secundùm *quid* potest dici imperfectior pro quanto imitatur secundùm similitudinem ipsam relationem.

Ad secundam de actu reflexo. Dico primò, quòd fortè intelligitur de obiecto, quod non est operatio cuiusmodi est actus reflexus. Dico secundò,quòd fortè non est inconueniens ponere vnum actum reflexum esse mensuram,hoc modo respectu alterius actus reflexi. Cùm dicitur, quòd sunt eiusdem speciei. Dico quòd quamuis in re sint fortè eiusdem speciei,tamen vt vnus habet rationem obiecti intelligibilis, & alius habet rationem actus intelligendi,vnus potest esse similitudo alterius per imitationem, quia vt est actus intelligendi obiectum necessariò ex natura talis actus imitatur obiectum, vt posterius suum prius.

Nota.

Ad tertiam, concedo quòd actus abstractiuus, vt habet rationem obiecti intuibilis, est mensura actus intuitiui, quia notitia intuitiua, vt sic, est essentialiter posterior actu abstractiuo habente rationem obiecti,vt suprà dixi.Nisi fortè diceretur quòd non intelligitur de actu intelligendi quòd sit mensura,vt dixi priùs, tamen quia etiam actus intelligendi per se continetur sub obiecto intellectus,& est per se intelligibilis, melius videtur dicendum, quòd etiam actus intelligendi,vt habet rationem obiecti intelligibilis,quòd sit mensura actus intelligendi,qui ad ipsum terminatur.

Ad quartam, quòd non est inconueniens eandem albedinem esse mensuram hoc modo, infinitarum visionum si essent actu, quia hoc non arguit perfectionem simpliciter, quia illæ visiones essent eiusdem speciei,& ideò perfectio quæ sufficit ad mensurandum vnam, sufficit ad mensurandum aliam. Secus si illæ visiones essent alterius speciei,quia tunc eadem perfectio finita in albedine fortè non sufficeret. Tum etiam,quia non est necesse talem mensuram esse perfectiorem mensurato simpliciter, sed tantùm secundùm *quid*,vt supà dixi.

Ad quintam,& vltimam.Dico breuiter,quòd præcisè illud indiuiduum est mensura notitiæ, quæ ad ipsum terminatur,& quamuis duo indiuidua sint eiusdem rationis ratione naturæ, in qua conueniunt, tamen hæcceitates illorum sunt simpliciter primo modo diuersæ, vt patet à Doctore in primo in pluribus locis, & per consequens quælibet nata est intelligi propria intellectione, vt patet à Doctore *in 2. dist. 7. quæst. vlt. siue* 11. Vbi Doctor vult,quòd indiuiduum habet propriam entitatem additam ipsi naturæ. Et de hoc vide Doctorem & ea quæ exposui in secundo.

Ad instantias tertij dicti. Ad primam dico, quòd mensuratum secundùm similitudinem imitationis non dependet propriè ab obiecto eo modo quo mensuratum quiditatiuè dependet;tamen concedo quòd aliquo modo dependet cùm ipsum imitetur.Sed cùm dicitur,quòd non dependet ab obiecto extrà, quia notitia abstractiua non erit respectu obiecti extrà existentis.Dico,quòd aliud est notitiam terminari ad obiectum, & aliud est ipsam dependere in ratione mensurabilis,quia benè concedo,quòd non terminatur ad obiectum, vt actu existens, tamen in ratione mensurabilis dependet ab obiecto existente,quia est similitudo obiecti;quiditatiuè tamen non refertur ad illud relatione reali,nisi vt actu existens;non quòd existentia sit ratio formalis terminandi illam relationem, sed natura secundùm *esse* quiditatiuum reale actuale,quod *esse* nunquam est sine actuali existentia,vt dixi in simili de notitia intuitiua. 64.

Indiuiduum habet propriam entitatem.

Ad secundam concedo illam propositionem scilicet,quòd eo modo est mensurabilis ab obiecto,quo ponitur eius similitudo per imitationem: & concedo quòd est similitudo obiecti secūdùm *esse* quiditatiuū obiecti,ita quòd obiectum secundùm *esse* quiditatiuum ponitur talis mēsura nō tamē realiter refertur relatione reali ad quiditatem obiecti, nisi illa quiditas habeat verum *esse* reale actuale, quod haberi non potest sine actuali existentia,illud *esse* quiditatiuum reale actuale intelligitur prius ipsa existentia actuali,vt exposui *in 2. dist. 3. quæst.* 1. Nota tamen quòd quiditas præcisè considerata secundùm *esse* quiditatiuum possibile, & obiectiuum non ponitur mensura realis notitiæ abstractiuæ, sed vt habet *esse* reale actuale ponitur hoc modo mensura, & vt sic notitia dicitur actu dependere in ratione mensurabilis

Esse non est sine actuali existentia.

ſurabilis, & includere realem relationem terminatam ad ipſum.

Ad tertiam negatur illa maior, quia non ponitur eſſe menſura actus intelligendi, quia eſt ratio formalis cauſandi, cùm hoc ſibi accidat; ſed quia eſt ſimpliciter imitabile ſecundùm ſimilitudinem ab actuali notitia, vt ſuprà dixi. Si tamen teneatur quòd illud ſit ratio formalis terminandi talem dependentiam quod etiã eſt ratio cauſandi. Dico, quòd & ſi obiectum actu exiſtens non ſit cauſa immediata cauſandi notitiam abſtractiuam; eſt tamen cauſa remota, vt expoſui *in 1. diſt. 3.* Prima tamen reſponſio videtur melior, & magis ad propoſitum.

Ad quartam, patet reſponſio ex dictis reſpondendo ad primam inſtantiam, quia exiſtentia non ponitur ratio formalis terminandi, nec conditio obiecti, ſed ipſa natura ſecundum *eſſe* quiditatiuum reale actuale; quia tamen nunquam tale *eſſe* eſt ſine actuali exiſtentia, ideò communiter dicimus quòd terminatur ad exiſtens inquantùm exiſtens: non quòd ly *inquantum* ſtet reduplicatiuè, ſed tantùm ſpecificatiuè quæ differentia, patet aliàs.

Ad quintam, patet reſponſio ex ſupradictis quomodo etiam relatio poteſt dici menſura actus cognoſcendi.

Ad inſtantiam contra quartum dictum patet, ex ſupradictis in præſenti, quæſt. quia ſiue obiectum exiſtat, ſiue non exiſtat, relatio attingentiæ fundata in notitia abſtractiua, vt abſtractiua, nunquam terminatur ad obiectum exiſtens, vt exiſtens, vt patuit ſuprà.

65. *Opinio Ocham. Duplex notitia in complexi.*

De iſta autem notitia intuitiua, & abſtractiua ſic inquit Ocham in prologo quæſt. 1. Dico ergo quantùm ad illum articulum, quòd incomplexi eſt duplex notitia, quarum vna poteſt eſſe intuitiua, & alia abſtractiua: vtrùm tamen aliqui velint vocare talem notitiam intuitiuam non curo, quia hoc ſolùm intendo probare principaliter, quòd de eadem re intellectus poteſt habere duplicem notitiam incomplexam ſpecie diſtinctam. Sciendum autem quòd notitia abſtractiua poteſt accipi dupliciter. Vno modo, quòd ſit reſpectu alicuius abſtracti à multis ſingularibus, & ſic cognitio abſtractiua non eſt niſi cognitio alicuius vniuerſalis abſtrahibilis à multis de quo dicetur poſtea: & ſi vniuerſale ſit vera qualitas exiſtens in anima ſubiectiuè, quod poteſt teneri probabiliter. cõcedendum eſt quòd illud vniuerſale poſſit videri intuitiuè, & quòd eadem eſt notitia intuitiua, & abſtractiua illo modo recipiendo abſtractiuam, & ſic non diſtinguitur ex oppoſito. Aliter accipitur cognitio abſtractiua ſecundùm quòd abſtrahit ab exiſtentia, & non exiſtentia, & ab aliis conditionibus, quæ contingenter accidunt rei, vel prædicatur de re; non quòd cognoſcitur aliquid per notitiam intuitiuam, quod non cognoſcatur per notitiam abſtractiuam; ſed idem totaliter, & ſub eadem ratione cognoſcitur vtraque notitia.

66. Sed diſtinguitur per illum modum, quòd notitia intuitiua rei eſt talis notitia, virtute cuius poteſt ſciri vtrùm res ſit, vel non: ſi ſcit quòd ſit res, ſtatim iudicat intellectus rem eſſe, & euidenter concludit eam eſſe, niſi fortè impediatur propter imperfectionem illius notitiæ; & eodem modo ſi eſſet perfecta talis notitia, per potentiam diuinam conſeruatam de re non exiſtente, virtute illius notitiæ incomplexæ cognoſceret euidenter illam rem non eſſe. Similiter notitia intuitiua eſt talis, quòd quando aliqua cognoſcuntur, quorum vnum inhæret alteri, vel vnum diſtat ab altero loco, vel alio modo ſe habet ad alterum, ſtatim virtute illius notitiæ incomplexæ illarum rerum ſciret ſi res inhæreret, vel non inhæreret, ſi diſtet, vel non diſtet; & ſic de aliis veritatibus contingẽtibus; niſi iſta notitia ſit nimis remiſſa, vel ſit aliquod impedimentum. Sicut ſi Socrates in rei veritate ſit albus, illa notitia Socratis, & albedinis, virtute cuius poteſt euidenter cognoſci, quòd Socrates ſit albus, dicitur notitia intuitiua. Et vniuerſaliter omnis notitia incomplexa termini, vel terminorũ, ſeu rei, vel rerũ, virtute cuius poteſt euidenter cognoſci aliqua veritas contingens, maximè de præſenti, eſt notitia intuitiua. Abſtractiua autem eſt iſta, virtute cuius de re contingenti non poteſt ſciri euidenter vtrùm ſit, vel non ſit, & per illũ modũ notitia abſtractiua abſtrahit ab exiſtẽtia, & non exiſtentia, quia per ipſã non poteſt euidenter ſciri de re exiſtente, quòd exiſtit, & de nòn exiſtẽte, quòd non exiſtit: per oppoſitũ ad notitiam intuitiuã. Similiter, quòd notitiã abſtractiuã nulla veritas contingens, maximè de præſenti, poteſt euidẽter cognoſci, ſicut de facto patet, quòd quando cognoſcitur Socrates, & albedo ſua in abſentia ſua, virtute illius incomplexæ notitiæ non poteſt ſciri quòd Socrates eſt, vel non eſt, quòd eſt albus, vel nõ albus, vel quòd diſtat realiter à tali loco, vel non; & ſic de aliis veritatibus contingẽtibus; & tamen certũ eſt quòd illæ veritates poſſunt euidenter cognoſci, & omnis notitia complexa terminorum, vel rerum ſignatarũ, vltimatè reducitur ad notitiã incomplexam terminorum, vel rerũ ſignificatarum; ergo iſti termini, vel res, vna alia notitia poſſunt cognoſci, quàm ſit illa, virtute cuius non poſſunt euidenter cognoſci tales veritates contingentes. Et illa notitia eſt intuitiua, à qua incipit experimentalis notitia; quia vniuerſaliter ille, qui poteſt accipere de aliqua veritate contingenti experimentũ, & mediante illa de veritate neceſſaria habet aliquam notitiam incomplexã de aliquo termino, vel de re, quam non habet ille, qui non poteſt ſic experiri; & ideò ſicut ſecundùm Philoſophum *primo Met.* in proœmio, ſcientia illorum ſenſibilium, quæ accipitur per experientiam, de qua ipſe loquitur, incipit à ſenſu, & à notitia intuitiua ſenſitiua iſtorum ſenſibilium; ita vniuerſaliter notitia ſcientifica iſtorum purè intelligibilium, accepta per experientiam, incipit à notitia intuitiua illorum intelligibilium.

Eſt tamen ſciendum, quòd aliquãdo propter imperfectionem notitiæ intuitiuæ, quia eſt valde imperfecta, & obſcura, vel propter alia impedimenta ex parte obiecti, vel propter alia impedimenta potentiæ cognitiuæ, poteſt accidere quòd nullæ, vel paucæ veritates contingentes de re, ſic intuitiuè cognita poſſint cognoſci.

Ex iſtis poſſunt ſequi aliquæ concluſiones. 67. *Notitia abſtractiua, & intuitiua nõ differunt quo modo.*

Prima, quòd abſtractiua, & intuitiua notitia nõ differunt, quia abſtractiua poteſt indifferenter eſſe exiſtentis, & non exiſtentis; præſentis, & nõ præſentis: intuitiua autem tantùm præſentis, & exiſtentis realiter: quam differentiam ponunt aliqui qui loquuntur de iſta materia. Nec

ſecundò

secundò differunt, quia abstractiua non attingit obiectum in se sub perfecta ratione, sed tantùm sub quadam diminuta similitudine. Intuitiua autem attingit obiectum in se sub perfecta ratione, sicut dicit quidam Doctor *quoli.q.6.* Nec tertiò differunt per rationes motiuas formales, quòd scilicet in cognitione intuitiua res in propria existentia est motiua per se obiectiuè, in cognitione abstractiua est aliud motiuũ, in quo res habet *esse* cognoscibile, siue sit causa virtualiter continens ipsam rem, vt cognoscibilem; siue sit effectus, puta species, & similitudo repræsentatiuè continẽs ipsam rem, cuius est similitudo, sicut dicit idem *in quoli.quæst.12.* Nec quartò differunt, quia notitia intuitiua necessariò habet annexam relationem realem, & actualem ad ipsum obiectum, vt est præsens in propria existentia. Abstractiua autem non habet admixtam talem relationem ad ipsum obiectum, quamuis habeat relationem potentialem, scilicet mensurabilis, & dependentiæ, non autem vnionis, & præsentiæ, sicut idem dicit ibidem. Nec quintò differunt, quia in cognitione intuitiua obiectũ est præsens in propria existentia. In abstractiua autem obiectum est præsens in aliquo perfectè repræsentante ipsum sub ratione propria, & per se cognoscibile, sicut dicit idem *in quol. quæst.14. in lib.4. dist.10.quæst.8.*

68. *Nota.* Primum patet per principia istorum, quæ credo esse vera in hac parte. Nam *in lib.3. dist.14.quæst.1.* probat quòd nulla forma necessariò est præuia in intellectu prior ipsa visione sic, quia si aliqua forma est præuia ipsa visione, aut se habet ad visionem in ratione causæ efficientis; aut in ratione causæ materialis. Si primo modo, ergo potest fieri sine ea, quia quicquid potest Deus per causam efficientem mediatam, hoc potest immediatè. Si secundo modo, tunc ista forma, si per se esset, tunc per se posset recipere illam visionem. Ita arguendo in proposito, aut ista res existens, & præsens habet se in ratione causæ efficientis ad notitiã intuitiuam, vel in ratione causæ materialis, aut formalis, vel finalis. Si primum detur, ergo potest fieri sine ea, quia quicquid potest Deus per causam efficientem mediatam, potest per se immediatè.

Nec secundo modo, quia tunc re existente, & destructo intellectu, posset recipere illã notitiam subiectiuè. Similiter manifestum est quòd illa notitia intuitiua non est subiectiuè in re intuitiua.

Nec tertio modo manifestum est, nec quarto modo, quia omnis notitia potest esse quocunque fine (excepto primo) destructo; quia nulla res requirit plus existentiam finis secundi, quàm efficientis secundi. Si dicatur quòd obiectum requiritur in ratione obiecti terminantis. Contrà, aut obiectum inquantùm terminans habet rationem causæ essentialis, vel non. Si sic, arguo sicut priùs: si non, tunc arguo sicut arguunt isti alij, omnis effectus sufficienter dependet ex suis causis essentialibus, ita quòd illis positis, omnibus aliis circunscriptis, potest sufficienter poni effectus. Si ergo obiectum inquantum terminans non habet rationem causæ essentialis respectu notitiæ intuitiuæ, ergo si obiectum inquantùm terminans, destruatur secundùm omnẽ sui existentiã realem, potest poni notitia intuitiua; ergo ipsa re destructa, potest poni ipsa notitia intuitiua, & ita notitia intuitiua per se, & necessariò non plus est existentis, quàm non existentis: nec plus res spicit existentiã, quàm non existentiam &c. per modum priùs declaratum. Abstractiua autem nec respicit existentiam, nec non existentiam, quia per eam non potest haberi iudicium, quòd res existit, vel non existit.

Secundum patet, quia idem totaliter, & sub eadem ratione ex parte obiecti, est obiectũ intuitiuè, & abstractiuè; hoc patet, quia nulla est res saltem in istis inferioribus, nec aliqua alia ratio sibi propria, sub qua potest res intuitiuè cognosci, quin illa cognita potest intellectus dubitare vtrùm sit, vel non sit, & per cõsequẽs quin possit cognosci abstractiuè; ergo omne illud, & sub eadem ratione, quod erit obiectum intuitiuè, potest esse obiectum abstractiuè: & manifestum est quòd quicquid reale potest cognosci abstractiuè, potest etiã cognosci intuitiuè. Similiter secundùm istos alibi, Deitas sub ratione Deitatis potest cognosci abstractiuè, sed ista est perfectissima ratio Dei. Similiter secundum eos existentia potest etiam cognosci abstractiuè. 69.

Tertium patet per argumenta contra primam differentiam, quia Deus potest per idem totaliter causare vtranque notitiam, nec oportet quòd res moueat in propria existentia per se obiectiuè, sicut probatum est.

Quartum patet per illud, quòd relatio realis secundum eos non potest terminari ad nõ ens, obiectum autem, notitiæ intuitiuæ potest esse non ens, sicut probatum est, & pòst probabitur.

Quintum patet per idem, quia ad notitiam intuitiuam non requiritur quòd res sit præsens in propria existentia, sicut probatum est.

Ideò dico, quòd notitia intuitiua, & abstractiua seipsis differunt, & non penes obiecta, & penes causas suas quascunque, quamuis naturaliter notitia intuitiua non possit esse, sine existentia rei, quæ est vna causa efficiens notitiæ intuitiuè, vel mediata, vel immediata, sicut aliàs dicetur. Notitia autem abstractiua potest esse naturaliter ipsa re simpliciter destructa. Et si sic intelligat ponens prædictas differentias, veritatem videtur habere quantùm ad istam notitiam, quamuis in aliquibus, quæ spectant ad alias difficultates non contineat veritatem, de quibus dicetur in locis suis. *Notitia intuitiua & abstractiua seipsis differunt.*

Ex istis sequitur quòd intuitiua notitia, tam sensitiua quàm intellectiua potest esse de re nõ existente: & hanc conclusionem probo aliter, quàm priùs, sic: omnis res absoluta distincta loco, & subiecto ab alia re absoluta, potest per diuinam potentiam existere sine illa, quia non videtur verisimile quòd si Deus vult destruere vnam rem absolutam existentem in cœlo, necessitetur destruere vnam aliam rem existentem in terra, sed visio intuitiua, tam sensitiua, quàm intellectiua est res absoluta distincta loco, & subiecto ab obiecto viso; ergo illa visio potest manere, stella destructa, & multa alia ibi dicit de notitia intuitiua, & abstractiua. *Nota.*

Sed quia improbatio istius opinionis satis potest elici ex his, quæ dixi suprà in dubiis, ideò ad præsens non intendo illam aliter improbare.

SCHO

SCHOLIVM.

Relatio tripliciter comparatur ad absolutum, contingenter, vt similitudo in albo; necessariò, vt creatura ad Deum; identicè, vt in relatione diuina comparata ad essentiam. Hic etiam negat identitatem formalem inter relationes, & essentiam. Ostendit clarè operationem non posse esse vnum per se, si relationem includit.

24. De tertio articulo principali dico, quòd relatio potest tripliciter se habere ad absolutum. Vno modo contingenter, & per accidens, vt similitudo ad albedinem. Alio modo necessariò, vt relatio creaturæ ad Deum. Tertio modo secundùm veram identitatem: sicut in Diuinis relatio personalis se habet ad essentiam: sed non videtur, quod † possibile sit amplior identitas, quæ propriè dicatur identitas essentialis, quia nec relatio potest essentialiter includi in absoluto: quia idem esset essentialiter ad se, & essentialiter ad alterum, nec absolutum, & relatio possunt includi in aliquo per se vno, sic per se vno, quod sit vnius generis, & ipsius sit proprius conceptus per se vnus, & quod ipsum sit per se in vno genere: quia sicut in rebus non potest fieri vnum per se ex distinctis, nisi illa se habeant sicut proprius actus, & propria potentia in eodem genere, vt patet per Philosophum 8. *Metaphys.* sic non potest aliquid esse habens per se conceptum vnum, & cum hoc per se includens distincta, nisi conceptus vnius sit per se potentialis, & alterius actualis per se determinans illum potentialem; relatio, & absolutum non possunt habere tales conceptus, quorum vnus sit per se determinabilis, & alius per se determinans, quia si aliquis conceptus abstractus sit indifferens, potest contrahi per conceptum absolutum, quousque sit determinatissimus sub genere relatiuo: neuter igitur est per se contractiuus, vel determinatiuus alterius: quia vterque sine altero natus est habere conceptum determinatissimum in propria coordinatione.

Relatio potest tripliciter se habere ad absolutum. | *Al.* possibilis. | *Tex. 15. & circiter.* | *Vide 6. Topico. c. 10.*

Ex his ad propositum, in actu cognoscendi, de quo quæritur, est aliqua entitas absoluta, vt probatum est in primo articulo. Ibi etiam est aliqua relatio, vt probatum est in secundo articulo. Et ex isto vltimo habetur, quod absolutum, & relatiuum non possunt constituere aliquid per se vnum, nec saltem vnius generis, quod scilicet habeat conceptum per se vnum.

Summa quæstionis huius.

Ex his sequitur, quod actus cognoscendi, vel non est aliquid per se vnum vnius generis; vel non per se includit illa duo, quæ probata sunt ibi concurrere. Videtur autem probatum in primo articulo, quod essentialiter includat absolutum, & præcipuè in prima ratione: igitur videtur, quod actus talis non sit essentialiter relatiuus, sicut per se includens relationem. Vel si dicatur, quod est quoddam totum includens ambo illa: tunc non est aliquid per se vnum essentialiter relatiuum, sed vnum per accidens essentialiter includens alteram partem, sicut diceretur impropriè, quod homo albus est essentialiter albus, hoc enim impropriè dicitur, quia nihil essentialiter propriè dicitur de eo, quod non est in se aliquid vnum essentialiter, sicut nihil potest esse verum de eo, quod est in se falsum: sicut est illud, cuius ratio includit repugnantia: quod quia non est in se possibile, ideò nihil dicitur de ipso possibile, vel sibi esse possibile: sic in proposito, quod non est per se vnum, nihil potest ei esse verè, vel per se idem.

Operatio vel non est per se vnū, vel non includit relationem. | *De ratione in se falsa nihil verè dicitur.*

SCHOLIVM.

Operationem esse qualitatem primò, quia non est relatio, ex articulo primo; nec actio, vel passio, quia nihil horum potest esse vltima perfectio agentis. Secundò, quia mutatio actiua, & passiua est ad aliquem terminum accipientem esse per illam, & operatio non est ad vllum terminum talem. Tertiò, agens non est simpliciter perfectius actione, quia potiùs per eam perfectionem communicat perfectionem suam aliis: sed operatio est perfectio operantis: ponit operationem in prima vel tertia specie Qualitatis, & hîc admittit passiones spirituales, quales sunt dolor, gaudium: de quo 3. distinct. 15. à num. 8. obiicit quatuor loca Aristotelis & duas rationes. Habet idem assertum, easdem rationes, quas hîc ponit 1. distinct. 3. quæst. 6. à num. 31.

SEd quæratur, ſupponendo operationem eſſe per ſe vnam, & per conſequens vnius generis, ad quod genus pertinebit. 25.

Operatio eſt qualitas de quo late 1.d.3. q.6.n.31.

Poteſt dici, quòd per ſe eſt in genere Qualitatis. Hoc probatur diſcurrendo per genera. Patet, quod non eſt in genere Subſtantiæ, & ſimiliter de omnibus aliis generibus, præter quàm de Qualitate, Relatione, & Paſſione. Non eſt autem relatio, vt probatum eſt in primo articulo: nec actio nec paſſio. Probo primò per medium commune, illud, ſcilicet quod poſitum eſt in primo articulo, quia ſicut nulla relatio, ita nec vlla actio de genere Actionis, nec paſſio de genere Paſſionis eſt perfectio vltima agentis, vel operantis: hæc operatio eſt perfectio, &c.

Tex.17. Potentia actiua quid? paſſio quid?

Præterea, actio eſt tranſmutatio [k] alterius, inquantùm alterum, ſicut potentia actiua ſecundùm Phil. 5. Metaph. *eſt principium tranſmutandi aliud, in quantùm aliud.* Paſſio etiam eſt tranſmutatio ab altero, inquantùm alterum: operatio autem cognoſcendi, vel appetendi nec eſt tranſmutatio alterius, nec tranſmutatio ab altero. Quod, licèt videatur *eſſe* manifeſtum, tamen probari poteſt: quia tranſmutatio tam actiua, quàm paſſiua eſt neceſſariò ad aliquem terminum accipientem *eſſe* illa tranſmutatione: quia ſecundùm terminum formalem paſſum ſe habet aliter nunc, quàm priùs: Operatio autem non eſt ad aliquem terminum accipientem *eſſe* per ipſam; imò eo modo, [l] quo habet terminum *ad quem*: nec eſt productiua termini *ad quem*, nec eductiua de potentia paſſi: nec inductiua in paſſum, ſed præſupponit terminum: Omnis autem actio de genere Actionis, vel eſt productiua termini, vel eductiua, vel inductiua, imò eo ipſo, quo actio talis ponitur in Diuinis puta generatio, vel ſpiratio, per ipſam aliquis terminus accipit *eſſe*, ſcilicet ſuppoſitum genitum, vel ſpiratum.

Omnis actio producit, inducit, aut educit.

Agens actione non perficitur.

Tertiò ſic: agens actione de genere Actionis nunquam eſt ſimpliciter perfectius per illam, imò ex perfectione ſua complete agit communicando alteri perfectionem; nunc autem operatio eſt perfectio ſimpliciter operantis: relinquitur igitur tandem, quòd illud abſolutum, quod eſt in operatione ſit aliquid de genere Qualitatis.

Et ſi quæratur in ſpecie. Vno modo poteſt dici, quòd diſcurrendo per ſpecies illius generis, rationabilius videtur ponendum, quòd ſit in prima ſpecie: quia in nulla alia poteſt poni. Patet de ſecunda, & de quarta: de tertiâ etiam patet, ſi in illa non ſit niſi qualitas ſenſibilis, ſicut videtur haberi in Prædicamentis, & etiam quod videtur innui 7. *Phy.* In illa etiam prima ſpecie videntur poni omnes qualitates ſpirituales, ſiue ſint in *eſſe* quieto, ſicut ſunt habitus: ſiue in *fieri*, ſicut ſunt operationes: niſi fortè diceretur, quòd operationes pertinent ad tertiam ſpeciem Qualitatis; & quòd ſint paſſiones ſpirituales, & quod Philoſophus mentionem ibi fecit expreſsè de paſſionibus corporalibus tanquam manifeſtioribus. Et per illas debent intelligi paſſiones ſpirituales: licèt autem in anima ſit diſtinguere operationem propriè dictam à paſſione, cuiuſmodi eſt delectatio, vel triſtitia in voluntate (quia operatio tendit quaſi in terminum operationis: paſſio autem, quaſi à termino in ſubiecto, ſicut triſtitia à triſtabili in voluntate) tamen in hoc conueniunt ſpiritualis operatio & paſſio: quia vtraque eſt in *fieri* in ſubiecto, & pro tanto vtraque poſſet dici paſſio pertinens ad tertiam ſpeciem. Quicquid autem dicatur circa hoc de prima ſpecie, vel tertia: hoc ſaltem videtur probabile, quod operatio ſit in genere Qualitatis.

Tex.20. Operatio in prima ſpecie qualitatis vel tertia 1. d. 3. q.6.n.31.

Tex.16.

Contra hoc videtur illud Phil. 9. Metaphyſicæ, *quorum*, inquit, *non eſt aliquod aliud opus præter actionem, in iſtis exiſtit actio, vt viſio in vidente, & ſpeculatio in ſpeculante.* Hæc ille. Intentio ſua eſt diſtinguere inter actionem tranſeuntem, & immanentem: vult igitur ibi, quod aliqua actio ſit immanens, ſicut exemplificat de viſione & ſpeculatione: tamen conſtat, quod iſtæ ſunt operationes: igitur operatio eſt actio, ſecundùm eum. 26.

Item Phil. 3. de Anima. *Intelligere quoddam pati eſt.*

T.c.2.S.12. & 18. vide com 123. & de anima.T.c.10.

Item 10. Ethic. cap. 2. dicit ſic: *Non tamen ſi non qualitatum eſt delectatio, propter hoc neque bonorum. Neque enim virtutis operationes ſunt qualitates, neque felicitas,* Hæc ibi.

Item 7. Phyſ. *ſciens & cognoſcens dicuntur ad aliquid*, vbi Commentator, *dignius æſtimatur eſſe de c. ad Aliquid, quàm de Qualitate,*

Præterea. Per rationem, abſolutum non diſtinguitur ſpecificè per aliquid extrinſecum, ſed per propriam differentiam intrinſecam ſibi, & abſolutam: nunc autem operationes diſtinguuntur ſpecificè per obiecta diſtincta ſpecie: quia operationes circa diſtincta ſpecie magis diſtinguuntur, quàm operationes, quæ ſunt circa obiecta eiuſdem ſpeciei, iſtæ autem diſtinguuntur numero, igitur illæ habent maiorem differentiam, quàm numeralem, & ita ſpecificam.

Præterea. Operatio habet propriam perfectionem, & nobilitatem ab obiecto, vt videtur satis manifestum. Et probatur per illud 10. Ethic. cap. 4. *secundùm vnumquodque optima est operatio optimè dispositi ad potentissimum eorum, quæ sunt sub ipsa*, hoc est circa obiectum optimum talis operationis.

COMMENTARIVS.

70. *Quæ sit actio.* k ACtio est transmutatio alterius inquantùm alterum, id est, quòd actio est transmutatio alterius, scilicet passi inquantùm est simpliciter aliud ab agente, & dicitur actio transmutatio, non quòd passum transmutetur per illam, sed quia agens respicit passum inducens formam absolutam in illud, secundùm quam dicitur verè transmutari à priuatione illius formæ ad illam formam, ad quam formam oritur in genere actio respectus, quâ agens refertur ad passum. Non enim actio respectus est prius termino producto in passo. Similiter passio est posterior, quæ immediatè fundatur in passo: præsupponit enim terminum productum ab agente in passo. Cùm ergo *Nota.* dicitur quòd *actio est principium transmutandi aliud inquantùm aliud.* Si accipitur formaliter pro actione respectus, potest dici principium formale, quo scilicet transmutans transmutat, siue quo agens agit formaliter: sicut album est simile formaliter similitudine, sed fundamentaliter est simile albedine, sic agens actione formaliter agit, sed fundamentaliter agit potentia actiua fundamentaliter accepta. Simile dico de passione. Sed operatio, siue actus intelligendi, vel appetendi, non est huiusmodi. Probatur, *quia transmutatio tam actiua, quàm passiua necessariò est ad aliquem terminum accipientem* esse *illa transmutatione, quia secundùm terminum formalem passum se habet aliter quàm priùs.* Vult dicere quòd transmutatio relatio tam actiua, quàm passiua necessariò præsupponit aliquem terminum de nouo accipientem *esse* à principio transmutatiuo; & non habetur ille terminus per transmutationem, quæ ponitur respectus: patet, ille terminus est quid absolutum, tunc absolutum non habet *esse* per respectiuum, sed sicut dicimus quòd genitum accipit *esse* per generationem actiuam formaliter acceptam, scilicet vt est relatio ex hoc solo, quòd talis generatio terminatur tantùm ad productum, non quòd productum accipiat *esse* per ipsam, quia vt sæpè dictum est, ad absolutum in causa sequitur absolutum in effectu; prius est productum, quàm relatio producentis; sicut actio formaliter accepta ad passum, quòd priùs accepit terminum nouum, & nisi in passo esset terminus de nouo productus, tunc non esset actio noua, nec passio noua. Vtraque ergo est ad aliquem terminum accipientem de nouo *esse* in passo, id est, quòd actio terminatur ad passum, pro quanto passum recipit nouum terminum absolutum ab agente, & passio similiter est ad agens, pro quanto passum aliquem terminum absolutum de no-*Expositio literæ.* uo recipit ab agente. Et sic ista litera debet intelligi. Modò actus intelligendi non est ad aliquem terminum accipientem *esse* per ipsum, id est, quòd necessariò præsupponit in passo, scilicet in intellectu possibili, aliquem terminum absolutum productum in intellectu possibili, secundùm quem aliter se habeat aliter nunc quàm priùs: patet, quia intellectio nihil præsupponit, nisi obiectum ad quod terminatur, & intellectum, in quo recipitur. Non enim posito etiam quocunque absoluto, etiam nouo in intellectu possibili ponitur intellectio, sicut ponitur passio, posito termino nouo in passo ab agente. Sequitur:

l *Imò eo modo quo habet terminum* ad quem esse. Pro intelligentia huius literæ declaro aliqua. Primo ista distinguuntur ab inuicem, scilicet potentia productiua termini, potentia eductiua termini de potentia passiua, & potentia inductiua termini in passum. Prima respicit terminum absolutè, sicut generatio quæ respicit genitum siue productum, accipiendo *generationem*, vt est productio simpliciter, illa enim habet tantùm productum pro termino, vt patet à Doctore *in primo, d.2. & 5. q.2.* Secunda necessariò respicit passum, in quod agat, vt omnis potentia actiua creata, quæ necessariò præsupponit aliquod passum, quod est in potentia ad terminum: educere enim formam de potentia materiæ necessariò præsupponit materiam, vt receptiuam talis formæ, & sic potentia eductiua termini de potentia materiæ, est potentia quæ necessariò præsupponit materiam, vt receptiuam talis termini, quæ si non præsupponeretur esset impossibile producere talem formam, cùm necessariò producat illam in materia. Sed potentia inductiua est, quæ inducit terminum in materia, & hæc potest ab aliis separari, quia Deus potest immediatè inducere formam in materia, & illam non necessariò educere de potentia materiæ: patet, quia potest creare animam nulla præsupposita materia, & potest creare corpus organicum, & inducere animam in illud. Sed in creaturis ista non videntur realiter separari, loquendo de termino formali, qui recipitur in materia, quia producens formam necessariò præsupponit materiam, & sic educit eam de potentia materiæ; & similiter eam necessariò inducit in materiam, cùm non possit producere eam vt per se stantem. 71. *Pro declaratione literæ.*

Secundò nota, quòd actio, vt est formaliter productio, est relatio intrinsecus adueniens, cùm sit respectus producentis ad productum. Similiter actio, vt est formaliter inductio in creaturis, est respectus intrinsecus, quia est respectus inducentis ad inductum: inducta in materia forma necessariò resultat relatio inducti ad inducens, & è contra, respectus inducentis ad inductum: & hoc modo non accipitur propriè actio, vt est de genere Actionis, cùm sit respectus extrinsecus: tamen quicquid sit, siue actiua productiua, siue eductiua, siue inductiua, siue sit respectus extrinsecus, siue intrinsecus, omnino habetur propositum de actu intelligendi, quòd non sit actio aliquo illorum modorum. 72. *Actio, vt productio quid.*

Tertiò nota, quòd actio dicitur productiua, pro quanto terminatur ad productum, id est, quòd producto posito in *esse* à producẽte, necessariò oritur in producẽte actio, siue productio, quæ terminatur ad productũ, & sic est posterior producto. Et actio dicitur inductiua, pro quanto terminatur ad terminum inductum, ita quòd posito termino in

in materia, statim in agente oritur relatio inducentis ad terminum inductum, & sic est posterior termino producto. Et dicitur actio eductiua pro quanto terminatur ad terminum, vt eductum de potentia materiæ, & sic præsupponit terminum iam eductum, & sic dicitur relatio educentis ad terminum eductum. Et sic omnis talis actio necessariò præsupponit terminum nouum, vel productum tantùm, vel inductum, vel eductum. Sed intellectio, vt huiusmodi, non est productiua termini: patet, quia ipsa non terminatur ad prius productum ab intellectu, in quo est formaliter, nec est inductiua termini in passum: patet, quia ipsa non terminatur ad aliquem terminum absolutum inductum ab intellectu, in quo est in aliquod passum: nec similiter est eductiua termini; patet, quia non terminatur ad aliquid priùs eductum de potentia materiæ per intellectum, in quo est formaliter, sicùt actio productiua terminatur ad productum à principio productiuo, in quo est, & quod formaliter denominat. Cùm ergo intellectus tantùm præsupponat obiectum circa quod operatur, & nihil producit, ad quod intellectio formaliter terminetur, vt ad productum, vel eductum, vel inductum ab ipso intellectu, qui denominatur formaliter à tali intellectione, sequitur quòd nullo modo erit actio de genere Actionis. Nec similiter passio, cùm illa præsupponat aliquid priùs productum in passum ab agente ad quem refertur, vt suprà patet.

73. *Operatio in quo Prædicamento sit ponenda.* Deinde Doctor postquàm probauit quòd operatio est qualitas absoluta, quærit in qua specie Qualitatis sit ponenda. Et duo dicit. Primum, quòd videtur poni in eadem specie, in qua est habitus generatus ex illis actibus: & quia talis habitus ponitur in prima specie Qualitatis, ideò videtur etiam quòd operatio sit in eadem specie ponenda. Qualitas enim spiritualis, siue sit in *esse* quieto, vt habitus, siue in *fieri*, vt operatio actualis, quæ etiam potest poni dispositio ad habitum, cùm ad operationem frequenter elicitam sequatur habitus. Secundum est, quòd si teneatur Aristotelem posuisse in tertia specie etiam operationes spirituales, quòd fortè poterit poni operatio in tertia specie, in qua ponuntur passiones, siue passibiles qualitates: sed Aristoteles ibi mentionem facit de passionibus corporalibus tanquàm manifestioribus: licet autem in anima sit distinguere operationem propriè dictam, cuiusmodi est delectatio, vel tristitia in voluntate quia operatio tendit quasi in terminũ operationis, scilicet in obiectum, quod est terminus operationis. Passio autem quasi à termino causata est in subiecto, sicut tristitia à tristabili, causatur in voluntate, & tamen in hoc conueniunt, scilicet spiritualis operatio, & passio, quia vtraque est in *fieri*, vt in subiecto: patet, quia passio concomitatur operationem stante operatione, puta cum actu amoris circa delectabile stat delectatio sequens: & similiter stante actu nolitionis de obiecto nolito, & posito stat tristitia, ipsis non stantibus, nec delectatio nec tristitia stant; sicut ergo operatio habet *esse* in *fieri*, sic & passio sequens, & pro tanto vtraque posset dici passio, pertinens ad tertiam speciem; quicquid autem dicetur circa hoc de prima specie, & tertia hoc saltem videtur probabile, quòd operatio sit in genere Qualitatis.

Contra hoc videtur illud Philosophi. Hìc Doctor per auctoritates, & per rationes intendit probare quòd operatio non sit qualitas absoluta. Et patet primò per auctoritatem adductam, per quam Philosophus intendit probare, & distinguere inter actionem transeuntem, & immanentem. Vult igitur ibi quòd aliqua actio sit immanens, sicut exemplificat de visione, & speculatione, tamen constat quòd istæ sunt operationes: igitur operatio est actio secundùm eum. *9. Met. tex. 16.*

SCHOLIVM.

Soluit argumenta allata numero præcedenti. Ad primum, docet operationem dici actionem, & actum secundum, quia duabus conditionibus conuenit cum actione, id est, quòd sit semper in fieri, *& tendat in obiectum. Deest tamen ei tertia, & substantialis conditio actionis, quæ est habere terminum per eam productum: de quo 1. d. 3. q. 7. ad 1. Negat actionem immanentem, vt sumitur pro operatione, esse actionem nisi æquiuocè; declarat tamen actionem de genere Actionis diuidi vniuocè in immanentem, & transeuntem: de quo 1. d. 3. q. 6. n. 32. & 4. d. 11. q. 2. n. 5. Ad secundum, explicat id,* Intelligere est quoddam pati, *id est, receptio intellectionis; de quo 1. d. 3. qu. 6. ad quartum, & q. 7. num. 37. Ad tertium, explicat quo sensu negat Aristoteles virtutis operationes esse qualitates. Ad quartum, quomodo sciens dicitur ad aliquid. Ad quintum, optimè explicat id,* actus distinguuntur per obiecta, *idque dupl.ci via, & clarè*

Ad ista. Ad primum, operatio habet duas conditiones, in quibus conuenit cum actione. Prima est, quod semper est in *fieri*, non dico successiuo, quia operatio est indiuisibilis, sed sic in *fieri*, quod in continua dependentia ad causam eandem, & secundùm idem: sicut dependentia rei conseruatæ ad causam conseruantem: de qua dictum est priùs in quadam quæstione habita de ista materia. Secunda conditio est, quod operatio transit in obiectum, sicut in terminum: licèt non accipiat *esse* per ipsam: quia præsuppositum in suo *esse*; & propter istas duas conditiones potest operatio dici actio, sicut propter istas significatur grammaticè per verbum actiuum: & propter easdẽ dicitur operatio actus secundus, & ita ista distinctio actionis sic intellecta in transeuntẽ & immanentẽ non est generis in species, sed vocis in significationes. Nam actio transiens est vera actio de genere Actionis, actio immanens est qualitas: sed æquiuocè dicitur actio propter conditiones prædictas. 27.

1. d. 3. q. 7. ad 1. Operatio qua ratione dicitur actio & actus secundus.

Alio

Alio modo potest [n] actio de genere Actionis diuidi in actionem immanentem, & transeuntem, sicut superius in inferiora. Nam non solùm ad formam inductam per motum in passum aliud ab agente, est actio de genere Actionis, sed etiam ad formam inductam per mutationem in ipsomet agente. Illa enim forma absoluta, cùm sit noua, est terminus alicuius actionis propriè dictæ, per quam accipit *esse*: quando igitur forma terminans actionem est extra ipsum agens: tunc actio illa transit; quando verò forma illa est in ipso agente: tunc actio est immanens. Distinctio [o] istorum duorum modorum intelligendi actionem immanentem, patet: quia illud, quod secundùm primum intellectum dicitur actio immanens; hîc dicitur terminus actionis immanentis, secundùm alium intellectum; & quod in alio secundo intellectu dicitur actio, communiter intelligimus per hoc, quòd est *elicere*: quando dicimus, quòd potentia elicit operationem, & per hoc, quod est *dicere*, quando dicimus quòd memoria, siue suppositum per memoriam dicit Verbum; & per *spirare*, quando dicimus, quòd per voluntatem spirat quis amorem.

Actio de genere Actionis diuiditur in immanentem & transeuntē.

28. Iste secūdus intellectus de ista distinctione actionis immanentis, & transeuntis, licèt sit verus: non tamen est de intentione Philosophi, sicut primus, vt patet ex eo, quod dicit 9. Metaph. *non est aliud opus præter actionem*: opus vocat operatum, præter autem illam actionem, quâ inducitur, vel educitur operatio, est aliquod opus, hoc est, terminus operantis, puta ipsamet operatio: & sequitur ibi: *In istis existit actio, vt visio in vidente*, vbi satis exprimit, quòd visionem vocat actionem immanentem, non autem aliquam aliam, cuius visio sit terminus.

Tex. 16. Philosophus vocat operationē actionem immanentem.

Ad secundum potest dici, quòd sicut esse album est habere albedinem tanquam formam: sic sentire, vel esse sentientem, est habere sensationem sicut formam. Vnde si obiectum, vel Deus causaret effectiuè sensationem, non diceretur sentire; sed ipse sensus in quo subiectiuè, recipitur sensatio. Est igitur recipere, vel habere sensationem & sic intelligere recipere intellectionem: quia licèt intellectus, secundùm aliquam operationem causaret in se intellectionem: tamen non diceretur intelligens in hoc, quod causat, sed benè denominaretur aliquo modo à verbo significante talem actionem, vel causationem: vtpote si esset impositum tale verbum, *intelligifico*; quod igitur dicitur, *intelligere est pati*, non probat quòd sit per se de genere Passionis: sed quòd formaliter denominat per hoc, quòd recipitur in aliquo subiectiuè: vt sit sensus: intelligere est recipere intellectione: & recipere est quoddam pati.

Idem 3. d. 1. q. 7.

29. Ad aliud 10. *Ethic.* dici potest [p] vno modo quòd operationes virtutis dicuntur actiones elicitiuæ operationum propriè dictarum, & illæ actiones bonæ sunt: quia generatio boni est bona, illæ autem operationes actionis non sunt qualitates, sed propriè sunt de genere Actionis. Iste intellectus videtur posse haberi à Commentatore, qui ad probationem illius: *neque virtutis operationes qualitates sunt*, dicit sic: *si quidem operatio motio est operatiua; motio autem non est qualitas*: Hæc ille. Operatiua motio potest dici motio ad operationem.

2. Topicorum c. 24.

Et si obiiciatur per hoc, quod dicit, *neque felicitas*, potest dici, quòd sicut nomen operationis sumitur hîc minùs propriè pro actione terminata ad operationem propriè dictam: sicut felicitas potest impropriè sumi pro actione terminata ad ipsam; & sufficit Aristoteli accipere operationes virtutis, & felicitatem, pro illis, pro quibus sufficienter potest instare contra hanc propositionem: *omne bonum est qualitas*, contra quam intendit facere instantiam.

Operatio sumitur pro actione ad eam terminata.

Aliter potest dici [q] ad illam auctoritatem, quòd intendit ibi tantùm de qualitatibus in *esse* quieto, cùm dicit: *neque virtutis operationes qualitates sunt*: quod apparet per hoc, quòd negat ibi istam consequentiam: delectatio non est qualitas: igitur non est bona: & probatur quòd non sequitur per illā instantiam, *neque enim virtutis*, &c. Antecedens enim in ista consequentia non est verum, nisi de qualitate permanente: nā delectatio verè est qualitas sed in *fieri*: igitur sufficit sibi instare de illis quæ hoc modo nō sunt qualitates: sicut nec delectatio est qualitas, scilicet non in *fieri*. Quòd autē delectatio verè sit qualitas, probatur ex dictis ibidem: nā intendit probare quòd delectatio non est motio: *omniū, inquit, motionū propriè videtur esse velocitas, & tarditas, vel in se, vel in comparatione ad aliud: Delectationi autē nullū horū existit, transponere in delectationē velociter vel tardè est: non est autē velociter delectari*: vult dicere, quòd delectatio nō est velox, & ideò non est motus: sed contingit velociter transponi, vel transmutari ad eā: igitur potest esse terminus trāsmutationis velocis: igitur potest esse terminus motus: sed secundùm Philosophum 5. *Physic.* motus non potest esse per se ad actionem, & passionem;

Delectatio est qualitas.

Vide 6. & 8. Physic.

Tex. 10.

passionem: igitur ipsa delectatio non est actio, nec passio: & tunc discurrendo per genera, relinquitur tādem quod est qualitas. Illi igitur qui fecerunt istam consequentiam, supposuerunt tanquam verum: *omne bonum qualitas habens esse quietum*, delectatio non est talis, igitur, &c.

Vita est operatio secundùm Phil.

Et ad istam maiorem tactam in enthymemate, respondet Philosophus per instantiam de operatione virtutis. Quòd autem non omnis operatio sit actio propriè dicta, probatur per illud ibidem, cap 5. *Appetere*, inquit, *delectationem, existimabit quis vtique omnes*: quod probat subdens: *Quoniam & viuere omnes appetunt: vita autem operatio quædam est*: hæc ibi: quomodo vita, vel *viuere* posset dici actio de genere Actionis. 30.

Vide 3. d.1.q.3.

Ad aliud de 7. *Physic.* litera Philosophi, secundùm ea, quæ dicta sunt in secundo articulo, intelligenda est sic: quia scientiæ necessariò annexa est relatio ad obiectum intrà: & ita non est à primo alterante immediatè: nec per consequens ad ipsam est prima alteratio: sed illud quod Commentator addit exponendo, *quod dignius est, quod sit de c. ad Aliquid, quàm de Qualitate*: potest habere alium intellectum; de quo dicetur respondendo ad argumentum principale.

Actus quomodo distinguuntur per obiecta.
T. c. 33. & 36. & inde.

Ad primam rationem [r] diceretur, quòd actus distinguuntur per obiecta, quantùm ad manifestationem: quia manifestior est distinctio obiectorum, quàm actuum, & ex illa tanquam ex manifestiori innotescit ista.

Et confirmatur hoc: quia *secundo de anima*, sicut vult Philosophus, quòd actus distinguuntur per obiecta: imò magis, quòd obiecta sunt præuia ipsis actibus, propter quod oportet priùs tractare de distinctione obiectorum, quàm actuum: ita etiam vult, quòd potentiæ distinguuntur per actus: Hoc autem non est essentialiter, quia actus est essentialiter posterior potentia: & posterius non est per se ratio distinguendi prius: igitur nec ibi illud aliud, scilicet de obiectis in comparatione ad actus, debet intelligi de distinctione essentiali.

Aliter potest dici, quòd à quo aliquid habet entitatem, ab eo habet vnitatem, & per consequens distinctionem: causatum igitur sicut habet entitatem à quacunque causa per se, ita vnitatem, & distinctionem, & etiam quodcunque dependens ab illo, à quo dependet essentialiter, & maximè verum est hoc, quando dependet ab aliquo tanquam à causa propria, siue termino proprio suæ dependentiæ: quia quando communiter terminat dependentiam eius & alterius, non ita accipitur vnitas eius, & distinctio, secundùm vnitatem & distinctionem talis termini dependentiæ: nunc autem actus dependet ab obiecto tanquam à termino proprio suæ dependentiæ. Concedi igitur potest, quòd actus distinguuntur per obiecta, sicut per aliqua extrinseca, à quibus actus dependet dependentia essentiali, & propria: non tamen distinguuntur per illa, sicut per formalia distinctiua: nec etiam quod est ad propositum, sicut per terminos relationis inclusæ in actibus. Et cùm dicitur quòd absoluta distinguuntur per intrinseca: Verum est tanquam per formalia distinctiua. Si autem acciperetur, quòd non distinguuntur per extrinseca, concedendum esset, sic intelligendo sicut per correlatiua, & per se terminos relationis: quia absolutum non requirit extrinsecum vt per se correlatiuum, nec per se terminum relationis: possunt tamen absoluta distingui per aliqua extrinseca, sicut causata per causas proprias, siue per illa, ad quæ habent propriam dependentiam in entitate, & vnitate, & talia sunt obiecta respectu operationū. 31.

Actus distinguuntur per obiecta, vt per aliqua extrinseca à quibus dependent. Operatio licèt non sit relatio, tamen accipit perfectionē ab obiecto.

Ad aliam rationem patet per idem: quia actus etsi non sit essentialiter relatiuus, cùm tamen sit per se medium vniens potentiam tali obiecto: dicitur perfectior ex maiori perfectione obiecti, sed istam perfectionem non habet ab illo tanquam à principio intrinseco, sed sicut à causa extrinseca, vel saltem ab aliquo extrinseco, quod terminat dependentiam eius essentialem.

COMMENTARIVS.

74. 1 AD *ista*. Respondet Doctor ad omnes obiectiones, & respondendo exponam literam vbi necesse erit. Dicit ergo, quòd operatio habet duas conditiones in quibus conuenit cum actione. Prima est, quòd semper est in *fieri*, non dico successiuè, quia operatio est indiuisibilis, sed sic in *fieri*, quòd in continua dependentia ad causam eandem, & secundùm idem, sicut dependentia rei conseruatæ ad Deum conseruantem, de qua dictum est priùs *q.1.quodl.& in 2.d.2.q.1.* Vide quæ ibi exposui. Est ergo operatio, puta intellectio obiecti in continua dependentia ad causam eandem, puta ad intellectum, & obiectum quæ integrant vnam totalem causam, vt patebit infrà *qu. 15.* & suprà patet *in primo, d.3.q.7.* Et si ista causa per aliquod instans cessaret, non esset illa intellectio. Secunda conditio est, quòd operatio trāsit in obiectum, sicut in terminum,

num, licèt non accipiat *esse* per ipsam, quia præsupponit in suo *esse*, id est, quòd operatio non est ad obiectum, vt productum à potentia, cuius est operatio, sic quòd dicatur operatio productiua, pro quanto necessariò terminatur ad productum, vt productum, quia si etiam illud obiectum nullo modo esset productum, nec à potentia operatiua, nec ab aliquo alio, adhuc transiret in illud, vt ad terminum præsuppositum: dicitur enim actio productiua, vt suprà dixi, pro quanto terminatur ad productum à potentia, cuius est talis actio, non quòd verè accipiat *esse* per illam tanquam per aliquid prius verè dans *esse*, cùm productum priùs habeat *esse*, quam intelligatur productio respectus, vt patet à Doctore *in primo, dist.3.q.3. & in secundo, dist.1.q.3.* Dicit ergò, quòd propter istas duas conditiones operatio potest dici actio, sicut propter istas significatur Grammaticè per verbum actiuum, quia *intelligo, volo, video* sunt verba actiua. Et propter ea operatio dicitur actus secundus, vt distinguitur contra actum primum; nam actus primus propriè est in *esse* quieto, & non tendit in aliud, vt patet de principio productiuo, & de forma quæ est ratio formalis producendi, vt de intellectu; actus verò secundus est in continuo *fieri*, & semper tendit in aliud, vel in aliud, vt obiectum, vt operatio, vel in aliud, vt productum, vt actio productiua. Et ita ista distinctio actionis sic intellecta in transeuntem, & in immanentem, non est generis in species, sed vocis in significationes, nam actio transiens est actio de genere Actionis; actio immanens est qualitas, si æquiuocè dicitur *actio* propter conditiones prædictas.

Operatio quomodo possit dici actio.

75. *Actio diuiditur in transeuntem, & immanentem. Quando actio est transiens, & immanens.*

n *Alio modo potest actio de genere Actionis diuidi in transeuntem, & in immanentem, sicut superius in inferiora.* Vult dicere Doctor quòd quando productum realiter per veram productionem, siue actionem recipitur in ipso producente, talis actio, siue productio, est immanens; quia est ad terminum non receptum in aliquo extra ipsum agens, sed simpliciter est ad terminum receptum in ipso agente; & hoc modo omnis operatio naturæ viuentis quæ ponitur qualitas absoluta, verè per actionem de genere Actionis producitur in ipso agente, & dicitur produci per talem actionem ex hoc, quòd terminatur ad illam qualitatem verè productam; & vt productam, vt dixi suprà. Quando verò agens producit formam in passo extra ipsum agens, vt quando ignis producit calorem in ligno, quia calor recipitur in passo extra ipsum agens, actio terminata ad illud, dicitur transiens, eo quòd est ad terminum extra agens receptum.

o *Distinctio istorum duorum modorum intelligendi actionem immanentem*, &c. Et licèt omnia ista sint clara, tamen pro iunioribus expono aliqualiter literam. Cùm dicit primò, quòd *actio est ad formam inductam in passum per motum*, &c. Intelligit quòd siue inducatur in passum aliud ab agente per motum, vt qualitas, & quantitas, quæ ab agente naturali inducuntur per motum, siue inducatur per mutationem tantùm, vt forma substantialis in materia per ipsum generans, semper dicitur actio transiens. Similiter si generans in seipsum inducat formam, siue per motum, vt ignis, qui fortè in seipso producit calorem intendendo ipsum, siue per mutationem, vt quando inducit formam in ipso in instanti semper dicitur actio immanens, sic quòd actio immanens propterea respicit terminum, vt inductum in ipso agente, siue per motum, siue per mutationem, & actio propriè transiens respicit terminum, vt inductum in aliud passum ab agente, & hoc siue per motum, siue per mutationem. Deinde prima distinctio, quæ ponitur æquiuoci in æquiuocata, quando operatio dicitur actio immanens sic ponitur, quia est qualitas in ipso operante, sic quòd nullo modo tendit in productum, vt suprà patuit; actio verò de genere Actionis necessariò tendit in terminum accipientem de nouo *esse* ab ipso agente. Actio ergo pro operatione est qualitas, & in genere Actionis.

Secundo modo actio de genere Actionis quæ necessariò tendit in aliud, siue receptum in agente, siue in alio passo semper dicitur transiens, quia saltem transit in terminum de nouo accipientem *esse*, siue ille terminus sit in agente, siue in alio ab agente, modo absoluto, & respectiuo non ponitur aliquid limitatum dici vniuocè, & sic hoc nomen actio propriè conuenit actioni de genere Actionis, & impropriè operationi, pro quanto operatio aliqualiter conuenit cum actione propter illas duas conditiones: ideò est diuisio æquiuoci in æquiuocata, cùm ibi non diuidatur actio de genere Actionis, imò actio de genere Actionis, præcisè ponitur pro vno membro diuisionis; & aliud membrum non est actio de genere Actionis, nisi tantum transumptiuè propter aliquas conditiones conuenientes sibi. Sed secunda diuisio actionis est vniuoci in vniuocata, quia ibi actio propriè de genere Actionis diuiditur in transeuntem, & immanentem, ita quòd vtraque est propriè actio de genere Actionis, quia vtraque respicit passum, quod verè mutatur secundùm aliquam formam absolutam receptam in ipso passo ab agente; & tantùm in hoc differunt, quia transiens respicit terminum, vt inductum ab agente in aliud passum ab ipso agente. Sed immanens respicit terminum, vt inductum in ipsummet agens, vt in passum.

76. *Actio quomodo sit qualitas.*

p *Ad aliud de 10. Ethic.* Declaro duo in ista litera. Primò, quomodo actio elicitiua dicatur bona: hoc non debet intelligi, quòd illa actio elicitiua sit propriè generatiua boni, siue operationis bonæ, cùm illa necessariò sit posterior, sicut respectus est prior termino *ad quem*; sed dicitur bona ex hoc, quòd terminatur ad actum bonum. Sicut etiam cum dicitur cuius generatio est bona, ipsum quoque bonum; si intelligitur de generatione, quæ est relatio ex hoc dicitur bona formaliter, quia immediatè fundatur in generante bono, & terminatur ad genitum habens bonitatem à generante. Sic dico, quòd actio elicitiua, quia immediatè fundatur in potentia operatiua bona, & terminatur ad actum habentem suam bonitatem à potentia operante, dicitur bona; potentia autem dicitur bona in operando pro quanto elicit actum conformiter rationi rectæ, vt patet *in prolog. q. vlt. & in primo, dist.17. & in 2. dist.7.40. & 41. & infrà q.17.* Pro quanto ergo est elicitiua actus conformiter se habens rationi rectæ dicitur bona, & per consequens actus, vt sic elicitus, erit formaliter bonus bonitate scilicet morali, & per consequens actio elicitiua, quæ fundatur in tali potentia sic operatiua, & terminatur ad actum, vt sic elicitum, dicitur bona moraliter, & hoc potiùs denomi-

77. *Declaratio in litera.*

Aduerte. natione extrinseca; non enim formaliter dicitur bona moraliter, cùm sola operatio, vel habitus causatus dicatur sic bona, vel bonus. Aduerte etiam, quòd operatio virtutis, siue operatio virtuosa, vt sic, non est quiditas absoluta, quia vt sic, includit necessariò respectum ad rationem rectam, vt patet à Doctore *in locis præallegatis*, sed sufficit quod operatio illa in se sit qualitas, licèt postea possit circumstantionari diuersis respectibus; & sic patet quomodo actio elicitiua operationis virtutis, siue operationis virtuosæ, dicitur bona. Et dicitur operatio virtutis, vel quia in se formaliter est recta, vel quia elicita à virtute, vel quia generatiua virtutis, tamen non est de ratione actus virtuosi, quòd sit à virtute, nec quòd sit generatiuus virtutis, vt patet à Doctore *in quarto, dist.* 40. *q.* 2. Et vide quæ exposui *in prolo. quæst. vltima.*

78. *Quomodo omne bonum sit qualitas.* Secundum declarandum est de propositione illa: *omne bonum est qualitas*, contra quam instat Aristoteles sic arguendo: Si omne bonum est qualitas, ergo operatio virtutis erit qualitas, quia operatio virtutis est bona: consequens falsum; ergo & antecedens, scilicet omne bonum est qualitas. Dico, quòd sufficit Aristoteli ad improbandum illud antecedens, accipere pro operatione virtutis ipsam actionem elicitiuam, quæ terminatur ad actum virtutis, sic inferendo ex illo antecedente, scilicet omne bonum est qualitas, ergo actio elicitiua actus virtutis erit qualitas, cùm sit bona, vt suprà patuit. Consequens est falsum, scilicet, quòd illa actio elicitiua sit qualitas, imò est actio de genere Actionis, vt suprà patuit. Et similiter potest argui de actione elicitiua felicitatis. Si omne bonum est qualitas, ergo operatio felicitatis erit qualitas, accipiendo *operationem felicitatis* pro actione elicitiua felicitatis. Et patet quòd consequens est falsum, quia actio elicitiua felicitatis est actio de genere Actionis.

q *Aliter potest dici ad illam auctoritatem.* Hìc Doctor dat aliam responsionem ad illam auctoritatem 10. Ethic. cap. 2. Et dicit quòd Philosophus intendit tantùm de qualitate in *esse* quieto. *Cùm dicit neque virtutis operationes qualitates sunt*, scilicet in *esse* quieto, quod apparet per hoc, quòd negat ibi istam consequentiam, *delectatio non est qualitas, igitur non est bona.* Et probat quòd non sequitur per illam instantiam, *neque enim virtutis operationes sunt qualitates, neque felicitas.* Antecedens enim in ista consequentia non est verum, nisi de qualitate permanente. Nam delectatio verè est qualitas, sed in *fieri*; igitur sufficit ibi instare de illis quæ hoc modo non sunt qualitates, scilicet permanentes, sicut nec delectatio est qualitas scilicet permanens, non sequitur, ergo delectatio non est qualitas permanens, ergo non est bona, quia stat ipsam esse bonam, & tamen non esse qualitatem permanentem. Et similiter si intelligitur in illo primo antecedente, scilicet quòd *omne bonum est qualitas permanens*, statim potest subinferri, operationes virtutis sunt bonæ. Et similiter delectationes consequentes operationes virtutis sunt bonæ, ergo sunt qualitates permanentes, non sequitur, quia sunt qualitates tantùm in *fieri*, vt suprà patuit. *Quomodo delectatio sit qualitas.*

r *Ad primam rationem*, dicit Doctor primò, quòd actus distinguuntur per obiecta tanquam per manifestiora, quia distinctio obiectorum est manifestior distinctione actuum, tamen intrinsecè actus distinguuntur per suas rationes formales intrinsecas, & absolutas. Dicit secundò, quòd actus distinguuntur per obiecta originatiuè, & effectiuè; patet, quia actus dependent saltem partialiter ab obiectis in entitate, ergo & in vnitate, & distinctione; quia à quo quis habet *esse*, siue entitatem, ab eo habet vnitatem, & distinctionem. Sed non distinguuntur per obiecta formaliter, & intrinsecè, sed per rationes proprias distinguuntur formaliter, per obiecta autem distinguuntur extrinsecè. Et de hoc vide in simili Doctorem *in primo, dist.* 7. 13. *&* 27. Præterea addit, quòd si acciperetur, quòd non distinguuntur per extrinseca, concedendum quidem esset, sic intelligendo, sicut per correlatiua, & per se terminos relationis, quia absolutum non requirit extrinsecum, vt per se correlatiuum, nec per se terminum correlationis. Possunt tamen distingui per aliqua extrinseca. Sicut causata distinguuntur per causas proprias, siue per illa, ad quæ habent propriam dependentiam in entitate, & vnitate, talia sunt subiecta respectu operationum. Nam intellectio distinguitur à visione, quia intellectio est in intellectu, vt in proprio subiecto, & visio est in potentia visiua, & sic visio, & intellectio dicuntur distingui per diuersa subiecta; licèt etiam possint distingui per diuersas causas extrinsecas, tanquam per obiecta, à quibus dependent, ac etiam causantur. 79. *Declaratio subtilis, & pulchra.* *Intellectio distinguitur à visione.*

SCHOLIVM.

Hìc docet operationem vitalem separari posse ab obiecto. Ad primum, ait illam posse concipi, non cointelligendo obiectum, si vox imponeretur ad significandam entitatem absolutam tantummodò, ideò autem nunc semper cointelligi obiectum, quia sic vox ad significandum imposita est. Explicat optimè quomodo relatio, quæ tantùm est possibilis, denominat fundamentum, vel obiectum, ac si actualis esset, & qualis est ista relatio: Habet pulchram, & valde subtilem doctrinam circa hæc: vide Leuch. & Tarta.

Vide 7. Met. & 12. d. 4. DE quarto principali dici potest, quòd illa qualitas, quæ, vel est operatio, vel includitur in operatione, non habet relationem ad subiectum magis essentialem, 32.
quàm aliæ qualitates: & ideò si ponatur alias non esse essentialiter relatas ad subiectum; de quo non est modò quæstio, nec ista ponetur essentialiter relata ad subiectum.

s Quòd si dicatur istam esse in *fieri*, & per hoc essentialius dependere à subiecto, quàm alias, quæ sunt in *facto esse*, vel in *quieto esse*.

Respondeo:

Respondeo: istud non variat dependentiam ad subiectum, sed tantùm variat modum essendi ipsius formæ in se, vel saltem in comparatione ad causam dantem *esse*.

Ad argumentum principale [t] dici potest, quòd si aliqua vox imponeretur ad præcisè significandum entitatem absolutam, quæ est operatio, vel in operatione, & per se in genere Qualitatis: significatum illius vocis posset intelligi non cointelligendo obiectum in ratione termini; sed communiter voces impositæ ad significandum operationem, important relationem, vel principaliter, vel connotando: & ratio est, quia operatio communiter intelligitur sub respectu tendente ad obiectum, & sub modo, quo intelligitur, sub eo communiter significatur. *Significatū operationis posset concipi non cointelligendo obiectum.*

Exemplum, species intelligibilis est qualitas absoluta; quod saltem oportet eos concedere, qui ponunt speciem esse formalem rationem intelligendi, scilicet per se principiatiuam actus, & tamen communiter vocatur similitudo obiecti: non quòd illa sit relatio, quam per se importat hoc nomen *similitudo*: sed quia ipsa ex natura sua est quædam forma imitatiua, & repræsentatiua obiecti; ideò dicitur similitudo talis, scilicet per imitationem, & etiam cùm significatur per hoc nomen *species*, adhuc non significatur sub ratione absoluti præcisè, sed includendo illam relationem, sub qua communiter intelligitur. Vnde etiam species dicitur alicuius obiecti species. Consimiliter est de vocibus significantibus operationem. *al. tendentis.*

u Et si arguas: aliqua operatio, puta illa quæ non est obiecti, vt existentis, non habet ad obiectum nisi relationem potentialem: nunc autem oportet cointelligere obiectum tanquam terminum actualis relationis: quia qui intelligit actum cognoscendi, oportet vt cointelligat obiectum non tantùm vt cognoscibile, sed vt actu cognitum: igitur *cognoscere* importat relationem actualem.

Respondeo, relatio, quæ, quantùm est ex parte fundamenti, esset actualis, & propter nonentitatem termini, est possibilis: ipsa denominat frequenter fundamentum, vel subiectum, quasi actualiter inesset. *Videns actum an ideò videt obiectum eius.*

Exemplum: conceditur quòd anima separata non est tantùm inclinabilis ad corpus, sed quod inclinatur ad corpus, & tamen non est ibi actualis inclinatio quia terminus non est in actu: sed pro tanto actualiter denominat, quia quantùm est ex parte animæ, actualiter inesset. *Anima separata non est actu inclinata ad corpus, quod non est.*

33. Consimiliter dicitur, quòd scientia practica dirigit, licèt non sit actualis directio secundùm eam: Puta quando nulla alia potentia ab intellectu operatur, nec dirigitur secundùm eam.

Consimiliter dicitur, quòd albedo est mensura omnium colorum: & sic de primo in quolibet genere respectu posteriorum: licèt quandoque non sit actualis mensuratio propter defectum termini. *10. Met. t cap. 7.*

Consimiliter [x] potest dici hìc, quòd quia relatio operationis ad obiectum semper, quantùm est ex parte eius, inesset actu, ideò sub ratione eius, quasi actualiter inhærentis operatio intelligitur: & sic significatur: & sic obiectum cointelligitur, vt terminans actualem dependentiam. *Operatio intelligitur quasi cum actuali relatione ad obiectū etiam non existens, & quare?*

Istud, quod dictum est, verum esset si cointelligeretur semper obiectum sub ratione mensuræ: quia relatio mensurabilis est ibi potentialis, vt priùs dictum est: nunc autem intelligendo operationem, oportet cointelligere obiectum, tanquam illud quod attingitur per operationem.

y Veriùs igitur videtur esse dicendum, quòd oportet obiectum cointelligi tali actui vt terminum attingentiæ vnionis in actu, quàm vt terminum dependentiæ, vel mensurabilis: ista autem attingentia est relatio rationis in actu abstractiuo: sed quia sub ratione illius relationis attingentiæ communiter intelligitur, & hoc attingentiæ actualis: licèt illa non sit actualitas realis: sed actualitas relationis rationis: & ideò communiter operatio significatur sub tali relatione actuali, & oportet obiectum cointelligi, vt terminans talem relationem actualem.

z Hinc patet, quòd illud Aristotelis in Prædicamentis *nihil prohibet idem in pluribus generibus enuntiari*, non est verum de aliquo per se vno: sed de aliquo vno per accidens: quod etiam quandoque vno nomine significatur: sicut fortè hoc nomen *scientia*: sed non propter hoc est vnum propriè, quod est vnum secundùm definitionem, secundum illud 7. Metap. cap. 3. *Definitio verò est, non si nomen rationi idem significet, omnes enim rationes essent vtique definitiones*; & probando consequentiam, subdit: *Erit enim nomen, quod cuilibet rationi idem, quare & Ilias definitio erit.* Et ex hoc posset intelligi [a] dictum Auerrois 7. Phys. *Dignius est, inquit, quod sit de c. ad Aliquid, quàm de Qualitate.* *C. de Qualitate ad finem. al. ennumerari. Tex. 13. Com. 10.*

Qualitate: quod fortè verum est quantùm ad illud, quod formalius est in significato nominis impositi ambobus, vel illi toti per accidens: quod est absolutum sub respectu.

Tex.20. Idem in præsenti de qualitate ad finem.

Ex hoc etiam fortè potest intelligi illud 5. *Metaph.* quòd aliqua dicuntur ad aliquid secundùm genus, *vt medicina*, inquit, *eorum est, quæ ad aliquid, quia ipsius genus scientia videtur esse eorum, quæ ad aliquid*, nomen fortè speciei imponitur præcisè ad significandum qualitatem, & propter hoc non dicitur ad proprium correlatiuum. Nomen autem generis non imponitur præcisè ad significandum genus, siue qualitatem, sed ad significandum ipsam sub respectu.

COMMENTARIVS.

80. s QVòd *si dicatur operationem esse in fieri,* &c. Respondet *hoc non variat dependentiam ad subiectum, sed tantùm variat modum essendi ipsius formæ in se, vel saltem in comparatione ad causam dantem esse*, quia *esse* suum absolutum est in continuo *fieri*, sicut etiam *esse* absolutum creaturæ: aliæ verò qualitates, vt comparantur ad causam propriam, & particularem habent *esse* in *esse* quieto, tamen vt comparantur ad primam causam conseruantem, semper sunt in continuo *fieri*. Et hoc patet à Doctore *in secundo, dist.2. quæst.* 4. vbi vult quòd causatum tantùm pro illo instanti quo accipit *esse* à causa sua particulari dependeat, & in tempore immediatè sequenti à Deo conseruetur: modò creaturam conseruari est ipsam continuè à Deo fieri, & poni in *esse*, vt patet à Doctore *in secundo, distin. 2. quæst.* 1. Et vide ibi quæ exposui. Sed operationes non solùm sunt in continuò *fieri* à prima causa vniuersali, sed etiam à causa propria particulari.

Creaturam conseruari quid?

81. t *Ad argumentum principale.* Arguitur in principio quæstionis, probando quòd actus sit essentialiter relatio, vel relatiuus, quia talis actus non potest intelligi, nisi cointelligendo terminum; absolutum autem potest intelligi, non cointelligendo aliquid in ratione termini, ergo, &c.

Nota.

Respondet Doctor & responsio stat in hoc, quòd licèt operatio secundùm *dici* videatur sic importare relationem ad obiectum propter nomen sic impositum, tamen secundùm *esse* nullam essentialiter includit relationem ad obiectum. Et aduerte cùm dicitur, quòd operatio, vt est qualitas, non tendit in obiectum in ratione termini, quia tendere formaliter ad aliud in ratione termini, ipsum terminantis, ita quòd sit impossibile ipsum *esse*, nisi sit tendentia formaliter in terminum talem, est essentialiter relatio, vel relatiuum. Sed operatio benè tendit in obiectum, vt obiectum, quia per illam cognoscitur obiectum, non tamen est essentialiter tendentia in illud, vt in terminum terminantem, quia si, per possibile, obiectum actu non esset, adhuc à Deo in intellectu posset operatio conseruari, & habere verum *esse*, quod tamen esset impossibile, si esset essentialiter tendentia in obiectum, vt in terminum terminantem illam.

An operatio vt qualitas tendat in obiectum.

Deinde nota, cùm dicit de specie intelligibili secundùm eos, qui ponunt eam etiam rationem formalem actus intelligendi, hîc non nominat opinionem propriam, qui expresè tenet quòd species intelligibilis est ratio formalis producendi actum intelligendi partialis; tum, quia etiam concurrit simul potentia, & hoc patere potest ex intentione sua *in primo, dist.3. quæst.6. & 8. & in dist.17. & in secundo, dist.3. quæst.9. & 10. & dist. 9. & in 4. dist.10. & in quodl. præsenti q.* Ponendo ergo talem speciem esse rationem formalem producendi actum intelligendi, erit necessariò entitas absoluta, quia nulla entitas relatiua potest esse ratio formalis producendi aliquid, & maximè absolutum, vt patet per Doctorem in pluribus locis, & per Philosophum 8. Phy. tex. com.10. Nota etiam, cùm dicit quòd *species intelligibilis est similitudo obiecti, & hoc per imitationem*, quia ex hoc videtur sequi: quòd ipsa sit mensurabilis ab obiecto, & per consequens includere relationem realem ad obiectum, relationem scilicet mensurabilis ad mensuram, quod conceditur, & tunc dicit relationem realem ad obiectum, quando actu existit: quando verò actu non existit dicit tantùm relationem mensurabilis potentialem, siue aptitudinalem realem: & dic pariformiter sicut dictum est de notitia abstractiua obiecti, quæ dicit relationem realem ad obiectum non existens, aptitudinalem tamen, & ad obiectum actu existens dicit relationem realem actualem mensurabilis ad mensuram. Aduerte etiam quòd aliter actus intelligendi est similitudo obiecti secundùm imitationem, & aliter species intelligibilis. De hoc vide quæ exposui in primo, dist.3.q.6.& 7.

Quomodo species intelligibilis sit similitudo obiecti.

u *Et si arguas.* Hîc instat, probando quòd operatio includat essentialiter relationem ad obiectum, & maximè hoc probat de aliqua operatione. 82.

Respondet Doctor quòd *relatio quæ quantùm est ex parte fundamenti esset actualis*, quia & fundamentum actuale, &c. *Quia terminus non est in actu*, scilicet corpus, posito quòd corpus sit corruptum, *sed pro tanto actualiter denominat, quia quantùm est ex parte animæ, actualiter inesset*, sed non inest actu, quia terminus non est actu existens. *Consimiliter dicitur, quòd scientia practica dirigit, licèt non sit actualis directio secundùm eam, puta, quando nulla alia potentia ab intellectu actualiter operatur, nec dirigitur secundùm eam*: non enim scientia practica semper actu dirigit potentiam ad praxim, quia hoc non est de ratione habitus practici, sed sufficit quòd sit directiua, vt patet à Doctore *in prolog. q. vltima*, & tamen conceditur quòd dirigit in praxim, quod verum est quantùm est ex parte fundamenti, quod actu est positum, & si terminus esset in actu, tunc directio esset in actu.

x *Similiter potest dici hîc, quòd quia relatio operationis ad obiectum*, &c. Doctor hîc duo dicit. Primum, quòd loquendo de relatione mensurabilis

ſurabilis ad menſuram, quæ ponitur relatio realis actualis in menſurabili, ſi menſura eſt actu exiſtens, quòd intelligendo actum intelligendi, ſiue ipſam operationem ex quaſi ſignificato nominis, videtur intelligere relationem menſurabilis quaſi in actu: non quòd actu inſit quando menſurat, ſcilicet obiectum non eſt actu exiſtens, ſed quia quantùm eſt ex parte fundamenti, ſcilicet ipſius actus menſurabilis, illa relatio actualis ineſſet, quia nihil deficit ex parte fundamenti; & realiter ineſſet actu, ſi obiectum, quod ponitur menſura, eſſet in actu exiſtens, & ideò propter defectum termini non intelligit ibi verè talem dependentiam realem actualem, ſcilicet menſurabilis ad menſuram, ſicut patuit in aliis exiſtentiis ſuprà poſitis: quia intelligendo animam, quaſi intelligo ipſam actu inclinari ad corpus, quæ tamen actualis inclinatio non eſt quando corpus actu non eſt, ſed intellige ibi actualem inclinationem quantùm eſt ex parte fundamenti, ſcilicet ipſius animæ. Secundum eſt, quòd loquendo de relatione vnionis, ſiue attingentiæ ad obiectum, & hoc in actu cognoſcendi abſtractiuè, quæ neceſſariò includit relationem rationis, ſcilicet relationem attingentiæ, non poteſt intellectus actu intelligere actum cognoſcendi abſtractiuè, nec actu cointelligit ipſum obiectum tanquam illud, quod attingitur per operationem ipſius potentiæ, ſcilicet intellectus, & hoc patet tali exemplo, ſiue ſimilitudine, ſcilicet, Si cognoſco actum intelligendi abſtractiuè, intelligo quòd eſt actus, ſiue operatio circa obiectum, ergo cointelligo ipſum obiectum, quod quidem per talem operationem attingitur.

Veriùs igitur videtur eſſe dicendum, quòd oportet, obiectum cointelligi tali actui, quàm vt terminum attingentiæ, vel quàm vt terminum menſurabilis. Et hoc manifeſtè patet, quia operatio attingentiæ, qua mediante intellectus attingit obiectum, requirit illud, quod attingitur, & in cognitione abſtractiua, non oportet quòd ipſum obiectum actu exiſtat; & hoc patet, quia talis operatio non terminatur ad obiectum, vt exiſtens, vt ſuprà patuit; ſi operatio vt menſurabilis non habet ſemper obiectum exiſtens, vt menſuram, vt ſuprà patuit. Ideò poteſt actu intelligi operatio, & non cointelligi obiectum vt exiſtens, ſed non eſt ſic de relatione attingentiæ, ſiue vnionis.

Nota.

z *Hinc patet quòd illud Ariſtotelis.* Vult dicere quòd tunc eſt verè definitio quando nomen, id eſt definitum ſignificat idem, quòd ratio, ſiue definitio; vt homo ſignificat humanitatem, & animal rationale præcisè ſignificat idem quòd homo; ideò homo ponitur verè definitum, & animal rationale ponitur ratio eius, ſiue definitio. Vnum verò per accidens, quod neceſſariò includit plura alterius, & alterius generis, vel ſignificat plura immediatè, vt hoc nomen album, quod ſignificat albedinem, & hominem, cui ineſt albedo, vel ſaltem vnum ſignificat, & aliud connotat, & ſic album ſignificat albedinem, & connotat ſubiectum, & hoc eſt magis verum, quàm ponere ipſum plura ſignificare, & hoc patet à Doctore *in lib. Prædicamentorũ.* Et ratio huius eſt quia ex ſubiecto, & accidente non poteſt fieri vnum per ſe, vt patet 8. *Met. t.* 15. ſed tantùm vnũ per accidens, nunquam enim ex pluribus diuerſorũ generum poteſt fieri vnum ens per ſe in re, nec per conſequens in conceptu, quia vnitas conceptus per ſe ſemper ſumitur ab vnitate per ſe in re. Si ergo vnum per accidens non poteſt per ſe ſignificare vnum, ſed vel duo, vel vnum ſignificare, & aliud quidem connotare, ſequitur quòd non poteſt propriè definiri, quia definitio, & definitum idem ſimpliciter ſignificant. Et hîc licèt poſſem nonnulla adducere, propter multa mihi occurrentia, tamen quia facilia ſunt, non oportet multùm immorari. Et quod dicit de ſcientia, quæ vno nomine ſignificatur, vt patet, & tamen plura importat, quia ſcilicet importat entitatem abſolutam de genere Qualitatis, & relationem ad ſcibile, & hoc vel actualem realem, vt ad ſcibile actu exiſtens, & hoc loquendo de ratione menſurabilis ad menſuram. Vel importat relationem rationis ſcilicet vnionis, ſiue attingentiæ ad obiectum, quia notitia abſtractiua tantùm dicit relationem rationis ad obiectum, vt ſuprà patuit, & propriè ſcientia eſt notitia abſtractiua, vt aliàs expoſui. Scientia ergo erit in diuerſis generibus, quia vt includit qualitatem, erit per ſe in genere Qualitatis, & vt includit relationem actualem realem menſurabilis, erit per ſe in genere Relationis, & vt includit relationem rationis, erit tantùm reductiuè in genere Relationis, tenendo quòd relatio rationis tantùm ſit reductiuè in genere Relationis, vt Doctor videtur tenere *in Prædicamentis.* Et cùm dicit, quòd ſcientia ratione qualitatis eſt per ſe in genere Qualitatis, intelligo quòd illa qualitas, vel conceptus illius ſit per ſe in tali genere. Hoc idem dico de relatione. Si verò accipiatur ſcientia vt includit ſimul vtrunque, tunc ratione qualitatis eſt reductiuè in genere Quaalitatis, & ratione relationis realis, eſt reductiuè in genere Relationis.

Cap. de qualitate ad finem.

Scientia eſt in diuerſis generibus.

a *Ex hoc etiam fortè poſſet intelligi illud 5. Met.* Vult dicere breuiter, quòd nomen ſpeciei ſcientiæ, ſcilicet medicina, quæ ponitur ſpecies ſcientiæ, imponitur præcisè ad ſignificandum qualitatem, & non imponitur ad ſignificandum qualitatem ſub reſpectu ad aliud, nomen verò generis, ſcilicet ſcientiæ, quæ ponitur genus, non imponitur ad ſignificandum præcisè qualitatem, ſed imponitur ad ſignificandum qualitatem ſub reſpectu ad aliud, ſcilicet ad obiectum.

5. Met. contex. 20

Medicina eſt ſpecies ſcientiæ.

In iſto articulo ſunt multæ difficultates, quas modò cauſa breuitatis tranſeo.

Qvæstio XIV.

Vtrùm anima suæ naturali perfectioni relicta poßit cognoscere Trinitatem personarum in Diuinis.

Alens.3.q.2.art.3. D. Thom. 1.p.q.12.art.4.& q.85.art.1. Scot. 3.d.23.& 24.



Onsequenter quæritur de his, quæ pertinent specialiter ad creaturam habentem vitam intellectualem. Et primò de his, quæ sunt communia homini, & Angelo. Deinde de his, quæ sunt homini propria. Communia sunt ista, intellectus, & voluntas. De intellectu fuerunt quæsita duo; vnum de obiecto; aliud de causa actiua actus intelligendi. Primum fuit; Vtrùm anima suæ naturali perfectioni relicta possit cognoscere Trinitatem personarum in Diuinis. Et idem potest quæri de Angelo. Videtur quòd sic: quia qui potest cognoscere aliquem actum cognoscendi, potest etiam cognoscere obiectum, vt est obiectum illius actus: nunc autem anima vel Angelus, ex sua perfectione naturali potest cognoscere actum beatificum alterius animæ vel Angeli: & obiectum illius actus est Deus trinus: igitur, &c. Probatio maioris, actus est naturalis similitudo obiecti: actus etiam per se tendit in obiectum: igitur qui cognoscit illum actum propter vtranque conditionem prædictam, sequitur quòd cognoscat obiectum. Probatio minoris, potentia non impedita, sed suæ naturali perfectioni relicta, potest cognoscere quodcunque contentum sub suo obiecto, primo, siue adæquato, alioquin non esset sibi adæquatum: sed obiectum adæquatum commune tam Angelici intellectus, quàm nostri, est ens in communi, vel saltem ens limitatum, actus autem beatificus creaturæ continetur sub isto obiecto primo. 1.

Argum.

Ratio opp. Contra: obiectum supernaturale non potest creatura cognoscere ex perfectione sua naturali: quia tunc non esset sibi supernaturale: nunc autem Trinitas est obiectum supernaturale, imò obiectum beatificum: igitur, &c.

SCHOLIVM.

Pro resolutione quæstionis præmittit aliqua. Primum, etsi anima habeat in omni statu perfectionem omnem naturalem sibi intrinsecam; tamen in supremo statu, nempe gloriæ, tantummodò habet supremam naturalem perfectionem completam, ob amotionem impedimentorum; quia tunc tantùm non dependet à sensibus & phantasia in propriis operationibus plusquàm si esset separata: de quo 1.d.3.q.3.& 2.d.3.q.8. ad primum principium, n.13.& d.11.num.4. aliàs autem sic dependet siue hoc sit ex peccato, siue non, vt ibi Doctor tradit. Et hoc sensu quæritur de anima, hac quæst. quia quòd in statu naturæ destitutæ non poßit intelligere Trinitatem dictum est q.1. Prologi. An verò posset in statu naturæ institutæ, qualiter datum fuit Adæ, eam cognoscere, constabit ex 2. art. Secundum, cognoscere stare potest dupliciter. Primò cognitione producta ab anima cognoscente. Secundò, cognitione recepta in ea. Tertium, cognitio perfecta est, qua attingitur obiectum secundùm propriam eius perfectionem: imperfecta, quâ tantùm in communi conceptu, vel per accidens, vt quando Deus cognoscitur, non vt in se, sed sub ratione attributali 1.dist.3.q.1. Quartum, cognitio immediata est, quæ habetur de aliquo obiecto nullo alio obiecto mediante; cognitio mediata, quæ è contra habetur. Exemplum primi: quando essentia diuina cognoscitur: secundi, cognitio de obiectis secundariis, quæ cognoscuntur à Beatis per essentiam prius cognitam. His præmißis tria quærit Doct. circa hanc quæstionem.

Vocat vltimã naturalem perfectionẽ animæ, quam habet, quia tunc non dependet à sensibus.

AD intellectum quæstionis aliqua præmittantur. Primò, de perfectione naturali animæ vel Angeli. Anima humana, etsi in quocunque statu, siue scilicet naturæ institutæ, siue destitutæ, siue restitutæ, habeat eandem perfectionem naturalem, intelligendo de illa, quam ex necessitate naturæ requirit: tamen ad perfectionem naturalem supremam in solo tertio statu attingit, in quo non tantùm habebit supernaturalem perfectionem gloriæ, sed etiam perfectionem supremam ipsius naturæ. Posset igitur intelligi quæstio vel de illa perfectione naturali, quæ semper habetur: vel de 2.

ista

ista suprema : & tunc in primo intellectu bene propriè dicitur anima relicta,&c sed in isto secundo intellectu, magis propriè quæritur hoc modo : An anima ad perfectionem naturalem supremam reducta, ex ista perfectione possit sic cognoscere Trinitatem.

Anima dupliciter cognoscere posse obiectu, scilicet cognitione à se producta, vel à Deo accepta.

Secundò, præmitto, quòd animam posse cognoscere aliquod obiectum, vno modo potest intelligi ipsam posse recipere illam cognitionem; alio modo ipsam posse attingere in illam cognitionem; & hoc, vel ex se sola, vel saltem ex concursu causarum, quæ natæ sunt concurrere naturaliter ad illum effectum. Istorum membrorum secundum infert primum : sed non è conuerso : quia ad primum sufficit nuda capacitas, quomodo lapis per oppositum non potest cognoscere, quia repugnat sibi recipere illum actum.

Ad secundum autem requiritur, b quòd tali capacitati correspondeat aliqua causa actiua naturaliter; quia verò difficultas est principaliter in secundo membro quæstionis, ideò de primo breuiter expediendo posset concedi, quòd si intellectus possibilis ex propria potentia receptiua cuiuscunque intellectionis, ita quòd licèt requiratur aliquod præuium intellectioni : non tamen tanquam potentia receptiua, vel ratio recipiendi, sicut superficies ponitur ratio recipiendi colorem : tunc quodcunque ens, quod habet in natura sua intellectum possibilem, potest ex natura sua cognoscere quodcunque cognoscibile, hoc est recipere cognitionem eius, quantùm est ex parte sui.

Cognitio obiecti perfecta & imperfecta explicantur.

c Tertiò, præmitto quòd cognitio intellectiua, de qua est quæstio, potest intelligi perfecta, aut imperfecta : & intelligo ad propositum, non de perfectione intensiua, sed de perfectione ex parte obiecti : quòd scilicet illa intelligatur perfecta, qua attingitur obiectum sub perfecta ratione suæ cognoscibilitatis; hoc est, per se propria & distincta; & per oppositum, imperfecta dicatur illa, qua attingitur tantùm per accidens, vel tantùm in aliquo conceptu communi, vel confuso.

Cognitio distincta mediata & immediata.

d Item, cognitio distincta vel est mediata, vel immediata. Dico immediatam, quando obiectum non mediante aliquo alio obiecto intelligitur per quod, vel in quo intelligatur : ita quòd hic excluditur medium cognitum, non autem medium, quod esset præcisè ratio cognoscendi, vel intelligendi.

Tria resoluenda.

Ex istis sequitur, quòd ad solutionem quæstionis tria sunt videnda. Primò, de cognitione imperfecta : secundò, de cognitione perfecta immediata. Et tertiò, de cognitione mediata, & in quodlibet istorum, ad quam potest anima vel Angelus attingere ex perfectione naturali vno modo, vel alio intellecta.

COMMENTARIVS.

Suprema perfectio naturalis animæ.

1\. a D intellectum huius quæstionis aliqua præmittit Doctor. Primò de perfectione animæ, vel Angeli. Nota, quòd perfectio suprema naturalis animæ est, quòd sic sit soluta à corpore, quòd in operãdo nullo modo indigeat corpore, nec sẽsu in corpore, imò vt sic, sic pfectè erit disposita ad intelligendũ, sicut si haberet perfectione naturalem intrinsecã, & hoc ponatur in corpore glorioso, tamen ad operandum operationes sibi proprias nullo indiget corpore, vt patet à Doctore *in primo, dist.3. quæst.3.* Et non intelligitur quòd anima in illo statu habeat aliquam perfectionem naturalem intrinsecam, & positiuam, quam priùs non habuerit. Sed erit in perfectione suprema propter amotionem omnium impedimentorum, quia vt est alligata corpori pro statu isto, non potest distinctè intelligere aliquod merè intelligibile, vt patet à Doctore *in primo dist.tertia, quæst.tertia,* & specialiter in secundo, dist. 11. Sed vt in supremo statu poterit ex puris naturalibus intelligere omnia merè intelligibilia, etiam cognitione intuitiua præter ipsum Deum, cuius causa assignabitur in secundo articulo. Dicit ergo Doctor quòd *posset intelligi quæstio vel de illa perfectione naturali quæ semper habetur; vel de ista suprema,* &c. Primus intellectus respicit animam absolutè etiam pro statu naturæ destitutæ. De ipsa, scilicet, quòd in statu naturæ destitutæ non potest ex puris naturalibus cognoscere Trinitatem probauit Doctor *in prima quæstione prologi.* De ipsa vt in statu naturæ institutæ patebit in secundo articulo, vbi probatur quòd nec etiam vt in statu supremo. Ergo multò minùs nec in statu naturæ institutæ, in quo fuit Adam ante peccatum. Secundus intellectus est de ipsa, vt præcisè in statu naturæ restitutæ, siue vt in statu supremæ perfectionis naturalis. Et licèt propriè status naturæ restitutæ sit status gloriæ, non tamen quæstio intelligitur de anima, vt actu beata, quia vt sic, actu videt Trinitatem. Sed ipsa vt est in suprema perfectione naturali modo præexposito.

Perfectio duplex.

Triplex status.

Quid sit status naturæ restitutæ.

b *Ad secundum requiritur quòd tali capacitati correspondeat aliqua causa, etiam naturalis, quia verò difficultas est in secundo membro, quæst.* (quia in primo membro ostensum est in prolog. quæstion. prima quomodo intellectus noster, etiam pro statu isto, potest naturaliter recipere cognitionem cuiuscunque obiecti) *ideò de primo breuiter expediendo posset concedi quòd si intelle-* 2.

ctus possibilis est propria potentia receptiua cuiuscunque intellectionis, ita quòd licèt requiratur aliquod præuium intellectioni, &c. Et quod dicit de illo præuio, dicit quia in cognitione abstractiua requiritur species intelligibilis, vt probat *in primo, dist. tertia, quæst. sexta*, quæ tamen species nec recipit illam intellectionem, nec est ratio recipiendi, vt aliàs exposui. Et fortè in cognitione intuitiua substantiarum separatarum secundùm aliquos, oportet ipsam animam eleuari per lumen supernaturale. De quo *in primo, dist. 3. q. 3. & in 4. dist. 49.* Sed quicquid sit, illud non requiritur nec vt medium receptiuum, nec vt ratio recipiendi, quia tunc ipso lumine separato ab intellectu, formaliter intelligeret, quia intellectio esset formaliter in illo, quod est impossibile.

Duplex cognitio intellectiua.

c Tertiò præmittit, quòd *cognitio intellectiua de qua* est quæstio, *potest intelligi* dupliciter, scilicet, *perfecta aut imperfecta; & intelligo ad propositum non de perfectione intensiua* quantùm ad subiectum, id est, in se considerata, vt habens *esse* subiectiuum, *sed de perfectione ex parte obiecti*, &c. Modo in proposito, quando concipitur præcisè per aliquod quasi sibi accidens, vt cum concipitur Deus non in se, & distinctè, sed sub aliqua ratione attributali, vt expositum est in primo, *dist. 3. quæst. 1.* Et concipitur in conceptu communi, & confuso, vt cùm concipitur in ente, vt concipiendo summum ens, vt explanatum est in primo, dist. 3. quæst. 1. & infrà patebit præsenti quæstione.

Cognitio distincta est duplex.

d Quartò præmittit, quòd *cognitio distincta est duplex, mediata scilicet, vel immediata*, &c. Exemplum secundi quando obiectum cognoscitur per obiectum cognitum de passione, quæ cognoscitur per obiectum, vt cognitum, & similiter relatio cognoscitur per extrema, vt cognita, & omnia obiecta secundaria cognoscuntur per essentiam diuinam, vt cognitam; patet quando cognoscuntur ab intellectu diuino, & similiter talia obiecta cognoscuntur in ipsa, vt cognita, vt infrà patebit. Exemplum primi patet, quia essentia, vt essentia, cognoscitur ab intellectu diuino immediatè, ita quòd non requiritur aliud, vt priùs cognitum, tamen aliquando aliquid cognoscitur mediante alio, non vt cognito, sed vt ratione formali cognoscendi, vt cùm cognoscitur immediatè homo, mediante tamen ratione formali ipsius, loquendo de cognitione distincta, ita quòd ratio formalis erit ratio causandi talem cognitionem, & ratio terminandi huiusmodi cognitionem.

Essentia, vt essentia cognoscitur ab intellectu.

SCHOLIVM.

Posse intellectum etiam pro hoc statu habere cognitionem imperfectam horum terminorum, Deus est trinus, *non autem perfectam. Ratio primi, quia in quocunque transcendente abstracto à creatura cognita cognoscitur Deus confusè, sicut homo cognoscitur cognito animali; si verò limitetur transcendens ad aliquam specialem perfectionem, v. g. summi, infiniti, haberi potest conceptus Deo proprius & vltimus: iste, id est, entis infiniti est perfectissimus, qui pro hoc statu haberi potest de Deo. De quo Doct. 1. dist. 3. quæst. 2. nu. 17. Ratio secundi dabitur in articulo secundo. Quòd verò cognitio horum terminorum naturaliter acquiritur, probat primò; quia fidelis, & infidelis contradicunt de illa propositione,* Deus est trinus, *& non tantùm de voce. Secundò, fides non est ad notitiam terminorum, sed eam præsupponit. Tertiò, abstractio entis ab hoc ente, & summi ab hoc summo, est naturalis, & connexio horum non repugnat: ergo concipi potest.*

Tex. 21. DE primo [e] Intellectus secundùm Philosophum *tertio de Anima*, habet duplicem operationem, scilicet intelligentiam simplicium, & intelligentiam compositorum, scilicet componere & diuidere intellecta; & prima potest esse sine secunda, & non sic è conuerso, &c. 3.

Duplex intellectus operatio, apprehensio, & compositio.

Primò igitur videndum est de prima cognitione. Dico quòd anima ex perfectione naturali etiam quam habet in isto statu, qui est inter tres status infimus, potest habere intellectionem imperfectam istorum terminorum, *Deus & trinus*: non autem perfectã: potest enim ex cognitione huius entis abstrahendo, cognoscere ens secundùm se, & sic de bono; & hoc isto modo, quem tangit Augustinus 8. de Trin. cap. 3. *Bonum hoc & bonum illud, tolle hoc, & illud, & vide ipsum bonum, si potes. Ita Deum videbis*, & ibidem inferiùs, satis patet quomodo non solùm potest cognosci Deus in isto quasi confuso conceptu boni: sed in conceptu quodammodò proprio: si intelligitur bonum per essentiam, vel bonum summum. Vnde ait inferiùs, *Si poteris sine illis, quæ participatiuè bona sunt perspicere ipsum bonum, cuius participatione sunt bona, perspexeris Deum.*

Cognoscens verum per essentiam, habet cognitionem propriam Dei.

Consimiliter per hoc verum potest intelligi ipsum verum, & secundùm Augustinum ibidem cap. 1. *Deus veritas est, cùm dicitur veritas, mane si potes in intellectione veritatis, & si intelligas veritatem, non tantùm in communi, sed per essentiam, iam habes conceptum quodammodò proprium Deo.*

Breuiter dico, quòd quodcunq; transcendens per abstractionẽ à creatura cognita, potest in sua ndifferentia intelligi: & tũc cõcipitur Deus quasi cõfusè, sicut animali intellecto,

intellecto, homo intelligitur. Sed si tale transcendens in communi intelligitur sub ratione alicuius specialioris perfectionis, puta summum, vel primum, vel infinitum; iam habetur conceptus sic Deo proprius, quod nulli alij conuenit.

Consimiliter abstrahendo à numero propriè accepto: qui scilicet est quantitas discreta: rationem propriæ discretionis; haberi potest conceptus eius, quod est Trinitas: & istum modum acquirendi cognitionem simplicem istorum terminorum, *Deus, & trinus*, sufficit natura animæ, etiam in hoc statu.

4. Quod probatur primò: quia fidelis & infidelis contradicentes sibi de hac propositione: *Deus est trinus, & vnus*: non tantùm contradicunt sibi de nominibus, sed de conceptibus: quod non esset, nisi vterque in intellectu suo haberet cõceptum terminorum. *Fidelis & infidelis cõtradicũt in hac*, Deus est trinus, & vnus.

Hoc secundò probatur: quia fides, quæ distinguit istum ab illo, cùm non sit habitus inclinans ad assentiendum ex notitia terminorum, non est ratio noscendi terminos, sed præsupponit eorum notitiam.

Tertiò potest idem ostendi, quia abstractio entis ab hoc ente, & summi ab hoc summo in sensibilibus est naturalis, & ista duo sibi coniuncta non habent repugnantiam: propter quod ratio ista, *ens summum*, non est ratio in se *falsa*, sicut loquitur Philosophus 5. *Metaphys. cap. de Falso*, quòd illa ratio est in se falsa, cuius partes includunt repugnantiam, & illa non potest concipi aliquo actu simplici intellectus: & per oppositum, ista, *ens summum*, potest vno actu concipi: quia alterum istorum non repugnat alteri. *Tex. 34.* *Quid ratio in se falsa.*

f Restat vlteriùs videre, qualiter anima habens notitiam de prædictis terminis, scilicet *Deus & trinus*, possit ex natura sua cognoscere veritatem huius propositionis, *Deus est trinus*, & cùm possit intelligi de cõplexione haberi notitia credulitatis, vel scientiæ, & hoc vel scientiæ *propter quid*, vel *quia*; videndum est, quæ istarum possit haberi de isto complexo: *Deus est trinus*. Dico quòd prima, scilicet notitia credulitatis, saltem acquisitæ, potest haberi etiam modò ex naturalibus. Hoc probatur, quia secundùm Augustinum 11. de Ciuit. cap. 3. *Ea quæ remota sunt à nostris sensibus, quoniam nostro testimonio scire non possumus, de his alios testes requirimus, eisque credimus, à quorum sensibus remota esse vel fuisse, non credimus*, & Idem 15. de Trinit. cap. 12. *Absit vt scire nos negemus, quæ testimonio didicimus aliorum. Alioquin nescimus esse oceanum: nescimus esse terras, atque vrbes, quæ celeberrima fama commendat.* *Scimus quæ aliorum testimoniis didicimus.*

COMMENTARIVS.

3. e DE primo articulo præmittit vnum, scilicet, quod intellectus secundum Philosophum 3. de Anima habet duplicem operationem, scilicet intelligentiam simplicium, & intelligentiam complexorum, scilicet componere, & diuidere intellecta, & prima potest esse sine secunda, & non èconuerso. Componere enim extrema in propositione affirmatiua præsupponit extremorum cognitionem, & similiter diuidere, vt in propositione negatiua. Et hanc diuisionem præmittit Doctor, quia stat, quòd intellectus cognoscat extrema alicuius propositionis, & quòd tamen non sit certus de veritate propositionis. Stat enim, quòd intellectus cognoscat summum ens, & similiter summã Trinitatem, & quòd tamẽ dubitet an sit aliquod ens, etiam summum, quod sit trinum, & vnum. Et ideò Doctor diuidit hunc articulum in duos, in primo quærit de simplicium intelligentia, in secundo de complexorum intelligentia. *Intellectus habet duplicẽ operationem.*

4. f De secundo principali, in isto primo articulo, scilicet de complexione terminorum, vbi *videndum est qualiter habens notitiam de prædictis terminis*, &c. videndum est quæ istarum possit haberi de isto complexo: *Deus est trinus*. An scilicet habita naturaliter cognitione terminorum, scilicet *Dei, & trini* possit quis naturaliter scire euidenter *propter quid* hanc, *Deus est trinus*. Et posito quòd non *propter quid*, an euidenter possit illa demonstrare demonstratione *quia*. Vel an possit certitudinaliter credere hanc, ita quòd de illa complexione via naturali possit habere fidem acquisitam. Dicit Doctor primò, quòd notitia credulitatis potest haberi etiam via naturali. Et hoc probat, & antequam adducat probationem, pro maiori intelligentia præmitto aliqua. Primò, quòd credens alicui de aliqua complexione, necessariò priùs habet in se notitiam terminorum, scilicet illius complexionis. Docens enim veritatem huius: *Deus est trinus, & vnus*; non potest immediatè causare notitiam terminorum, nec notitiam complexionis, sed benè intellectus præhabens notitiam terminorum à doctore extra potest excitari ad componendum istam. *Deus est trinus*, quia composita, statim cognoscit illam. Sed quia illa non est euidens ex terminis, ideò non assentit firmiter illi tanquam veræ ratione terminorum; nec similiter assentit illi firmiter propter aliquam complexionem immediatam priùs notam, in qua virtualiter contineatur, sicut conclusio demonstrabilis *propter quid* virtualiter continetur in præmissis per se notis, cùm non cognoscat intellectus pro statu isto naturaliter aliquam immediatam, in quâ virtualiter contineatur ista, vt suprà *in prologo. quæst. prima*, ostensum est; potest ergo assenti- *Notitia credulitatis potest haberi via naturali.*

re firmiter illi complexioni, vt veræ, quia credit testimonio alterius ipsam complexionem firmiter asserenti, tanquam veram. Sicut si haberem notitiam horum terminorum *albedinis*,& *Papæ*, sic in communi possem in me formare hanc cõplexionem : *Papa est albus* , tamen firmiter non assentirem huic vt vero,quia non esset mihi nota euidenter ex terminis ; possum tamen assentire illi vt firmiter veræ. Possum etiam firmiter credere alteri mihi asserenti illam veram tantùm, puta, quia credo firmiter hunc esse veridicum,& si asserat ipsam esse veram , quia ipse vidit oculis propriis Papam actu album, & sic similiter possum assentire illi vt veræ,quia firmiter credo testimonio fide digno. Sic in proposito. Et quomodo doctor extra doceat intellectum nostrum, vide quæ exposui *in secundo, dist.*11. Secundò præmitto quòd quando dicit Doctor de ista: *Deus est trinus*, ita quòd ex naturalibus potest terminos cognoscere , non debet intelligi, quòd cognoscit istos terminos in se, nec intuitiuè,nec abstractiuè, quia tunc cognosceret ipsum Deum distinctè ; & sic complexio posset esse sibi nota,etiam *propter quid* naturaliter vt ostensum est, *in prolog. quæst*. 1. Sed cognoscit aliquod ens in confuso,quod nominat *Deum*,& sic format hanc complexionem, *aliquod ens est trinum,& vnum*, ignorando tamen illud ens in se , sicut exposui,*q.*1.*&* 3.*prolog*. ista enim, *aliquod ens est trinum, & vnum* , etiam terminis sic confusè conceptis,est verè credita.Ideò habitis terminis,potest in se formare complexionem istam:*Deus est trinus,& vnus*, & assentire illi vt veræ,quia credit firmiter alicui testimonio, cui plenam adhibet fidem , & sic ex frequentatis actibus potest in se generare habitum fidei acquisitum, qui inclinet promptè , faciliter , & expeditè ad actum credendi.

Actus credendi quid. Tertiò præmitto , quòd actus credendi propriè non est actus intelligendi , quo actu intelligit ipsam, *Deus est trinus*:sed est actus assentiendi , quo firmiter assentit illi vt veræ, & vt est actus acquisitus ex puris naturalibus est actus assentiendi firmiter illi , vt veræ , non absolutè, sed quia firmiter credo testimonio alterius ipsam firmiter asserenti,vt veram:non quòd aliquo modo mihi demonstret illam, quia tunc non assentirem illi propter testimonium fide dignum, sed propter propositiones priùs notas, & euidentes. Probat ergo Doctor quomodo quis potest naturaliter habere fidem acquisitam,quia secundùm Augustinum 11. de Ciuit. Dei, cap.3. *Ea quæ remota sunt à nostris sensibus quoniam nostro testimonio scire non possumus , de his alios testes requirimus.*

SCHOLIVM.

Explicat primò quomodo viator audita communi Ecclesiæ doctrinæ potest acquirere fidem mysteriorum, de quo 3.*d*.23.*n*.4 *Secundò,necessarium esse infusam fidem, ad quam nemo naturaliter attingit, ibid.n.* 4.*& d*.25.*q*.1. *vide ibi Scol.n*.2.*vbi probatur necessitas fidei infusæ ad salutem,contra quosdam. Quod ait hominem se disponere ad fidem,non loquitur de proxima dispositione,sed de remota,nempe de fide acquisita,quæ communiter ad infusam disponit, quia* 7.*d*.9.*q*.2.*n*.14. *docet nullum agens naturaliter producere vltimam dispositionem ad formam supernaturalem. Vide Scholium nostrum* 4.*d*.14.*q*.2.*n*.14. *vbi explicuimus similem loquendi modum Doctoris ; ex quo malè intellecto , quidam iuniores attribuerunt ei, quòd intenderit vltimam dispositionem ad gratiam ex naturalibus posse haberi, quod quam longè sit ab eius mente, ibi ostendimus ex variis locis eius. Quod ait, quando vtraque fides est in eadem anima, vnum & eundem actum elici, iuxta inclinationem vtriusque; sic puto intelligendum, quòd fides humana de Deo Trino, & vno , v.g. eliciendo actum acquisitum , inclinat dispositiuè ad actum fidei infusæ, circa idem obiectum , qui tamen elicitur à fide infusa tantùm. Huic etiam fauet, quod habet* 2.*distinct*.42. *quæst*.4. *num*. 10. *Quãdo potentia variis operationibus agit circa idem obiectum : eius actus intendi, & firmari circa illud. Si dicas fortè fidem acquisitam coassicere actum infusæ fidei , sicut species intelligibilis, licèt naturalis concurrit ad eundem ; Respondeo non occurrere, quo efficaciter repellatur, qui sic poneret, sed Doctor nihil hîc dicit de concursu habituum ad actus, an scilicet efficiantur necnè; de quo latè agit* 1.*d*.17.*q*.2.*n*.8.*& q*.3.*n*.61.

Testimonio Ecclesiæ standum firmissimè. EX his , & similibus auctoritatibus eius habemus, quòd credere possumus testimonio aliorũ, etiam tã firmiter,vt illud *credere* dicatur apud eũ *scire*:igitur magis possumus, & magis debemus credere testi magis veraci, & adhuc magis communitati,quàm personæ singulari : nunc autem Ecclesia Catholica est communitas maximè vera, quia illa maximè veritatem commendat, & mendacium repræhendit:igitur eius testimonio certissimè credi potest. Et præcipuè in illis , in quibus illa plus damnat mendacium : puta de his, quæ sunt fidei,& morum. 5.

Potest quis naturaliter assentire iis quæ docet fides. Potest igitur viator ex natura sua,audita & intellecta communi doctrina Ecclesiæ firma credulitate assentire his , quæ ipsa docet de fide, & moribus. Inter quæ principale est de Trinitate in Diuinis. De ista credulitate acquisita videtur accipi illud ad Roman. 10. *Fides ex auditu*, scilicet sanæ doctrinæ Christi, de qua subdit: *Auditus autem per verbum Christi*.De ista etiã potest accipi illud Augustini contra epistolã fundamẽti, B.*Ego*,inquit,*Euangelio non crederem,nisi me Ecclesiæ Catholicæ auctoritas compelleret.*

Sed

Sed vltra istam fidem acquisitam g habemus fidem infusam, & ad illam habendam, licèt possit homo ex naturalibus se disponere, non tamen ex natura intrinseca: nec etiam concurrentibus quibuscunque causis naturaliter motiuis, intellectus ad eam potest attingere: quia illam solus Deus infundit, qui non est causa naturaliter motiua alicuius intellectus causati. *Hæc clarius habetur 83. & 24. dist. 3.*

Comparando fidem infusam h & fidem acquisitam ad actum credendi, in hoc conueniunt, quòd quando insunt eidem animæ, actus vnus & idem credendi elicitur secundùm inclinationem vtriusque: quia quando sunt duæ formæ, quæ naturaliter inclinant ad actum in eodem operante, vtraque quantùm est de se, necessariò, & semper inclinat ad actum: & ideò quandocunque actus elicitur, elicitur secundùm inclinationem vtriusque. Et si per hoc, quod est actum credendi inniti fidei isti, intelligatur actum elici secundùm inclinationem eius, tunc concedendum est quòd actus credendi innitur vtrique fidei. *Actus fidei innititur fidei acquisita & infusa.*

COMMENTARIVS.

g Sed vltra istam fidem acquisitam habemus fidem infusam, &c. Hîc aduerte quando Doctor dicit, quòd quis potest naturaliter se disponere ad fidem infusam, hoc non debet intelligi sic absolutè, quasi homo ex puris naturalibus possit immediatè producere dispositionem, quæ ex natura rei sit dispositio ad illam, quia non est verũ: sed sic intelligitur, quòd Deus ordinauit aliquos actus esse dispositionem ad fidem infusam, ad quos actus homo ex puris naturalibus attingere potest. Sicut clarè exposui *in quarto, distinct.* 14. *quæst.* 2. quomodo ex puris naturalibus potest se disponere ad gratiam, vide ibi, & etiam in secundo, dist. 5. quæst. 2. quæstio est de Reportatis Parisiis.

h Deinde Doctor comparat fidem infusam, & acquisitam inuicem. Et primò ponit conuenientiam, & secundò differentiam. Primò dicit quòd *comparando infusam acquisita, quo ad actum credendi, in hoc conueniunt, quod quando insunt eidem animæ, actus vnus, & idem credendi elicitur secundùm inclinationem vtriusque,* non quòd vnus eliciatur secundùm acquisitam, & alius præcisè secundùm infusam, quasi sint duo actus credendi; sed tantùm est vnus & idem: ita actus credendi elicitus à potentia non elicitur quin ad eundem semper vtraque fides inclinet, quando simul insunt illæ fides. Et hoc ostendit, *quia quando sunt duæ formæ quæ naturaliter inclinant ad actum in eodem operante, vtraque quantùm est de se, necessariò, & semper inclinat ad actum. Et ideò quandocunque actus elicitur, secundùm inclinationem vtriusque.* Patet, quia si in eodem oculo essent duæ formæ inclinantes ad actum videndi præcisè circa idem visibile, potentia visiua agens secundùm illarum formarum inclinationem ad actum videndi præcisè produceret vnum actum videndi respectu eiusdem visibilis, sic, quòd vtraque præcisè inclinaret ad illum eundem actum, imò si essent mille, tantùm ad vnum inclinarent. An modò isti habitus fidei acquisitæ, & infusæ vltra inclinationem habeant etiam actiuitatem respectu actus credendi, hoc non est præsentis speculationis. Vide tamen quæ dicit Doctor in primo, dist. 17. de habitibus. *Quomodo conueniunt fides infusa, & fides acquisita.*

Sequitur in litera. *Et si per hoc, quod est actum credendi inniti fidei isti, intelligatur actum elici secundùm inclinationem eius, tunc concedendum est quòd actus credendi innititur vtique fidei,* quia actus ille credendi elicitur à potentia secundùm inclinationem vtriusque fidei, quando simul insunt potentiæ.

SCHOLIVM.

Ponit aliquot differentias inter fidem infusam, & acquisitam. Prima est, quòd ex fide acacquisita sine infusa, sæpè elicimus actum credendi, non è contra. Primum patet, quia discredens vni articulo, credit alios sola fide acquisita. Secundum patet, quia fides acquisita est applicatio infusæ, ad credendũ, & ideò fides hæc est ex auditu. Loquitur Doctor de lege communi, iuxta quam priùs credit quis fide acquisita, Doctorem, Pastorem, Prædicatorem rerum fidei, vera dicere, quæ credit proposita ab eo fide infusa, esse à Deo dicta. Constat de puero baptizato, & inter infideles ædificato, quod sine Doctore, cui priùs fide acquisita crederet, nunquam fide infusa credet, iuxta communem legem: si tamen Deus suppleret vicem Doctoris, quod potest, haberetur actus, fidei infusæ, sine acquisita, quod contingit in particularibus reuelationibus. Ratio est, quia fides infusa inclinat ad ea quæ nullam habent euidentiam ex terminis, nec includunt euidentiam connexionis eorum. Si dicas idem esse de acquisita, negatur: tum quia generatur ex actibus, & sic quandam euidentiam habet experientiæ, & iuxta hoc conuenit cum scientia, quæ habet obiectum sibi præsens, licèt per spem, quia ex ipso genita est. De quo optimè Doctor 3. distinct. 25. quæst. 2. num. 11. Si autem daretur acquisita, per accidens infusa, idem esset de ipsa, ac de absolutè infusa, quia non haberet præsentiam credibilis, esto haberet terminorum species sine prædicatore, vel Doctore, iuxta illud Rom. 10. Quomodo credent ei quem non audierunt, &c. *Vide Doct. 3. d. 23. n. 5. & 13. & dist. 25. qu. 1. num.* 11.

Hæreticus vni articulo discredẽs aliis credit, sed non ex fide diuina 3.d.23.n.24 puer baptizatus nõ elicit actũ credẽdi ex sola fide infusa 3.dist. 25.q.1.n.11.

ESt tamen differentia vna quantùm ad hoc, quod est actum elicere, ista scilicet quòd est fide acquisita, etiam si sola insit, potest dici actus credendi, sicut credimus certis articulis testimonio fide digno asserentis, ad quos tamen non inclinat aliqua fides infusa. Hæreticus enim in vno articulo dissentit, aliis articulis credendo, non ex fide infusa, cùm illa non possit stare cum hæresi in quocunque articulo, sed ex fide solùm infusa non potest quis elicere actum credendi, & hoc de lege communi: licèt Deus fidei infusæ assistendo, posset mouere intellectum ad assentiendum actualiter illi, ad quod fides illa inclinat; sed tunc fortè non ex sola inclinatione fidei istius eliceretur actus ille; sed ex motione diuina, & multò magis de lege communi ex sola fide infusa non potest haberi actus credendi. Hoc patet de puero baptizato; quia si posteà nutriretur in deserto, vel inter infideles, & nullam haberet doctrinam de credendis, nunquam actum rectum credendi eliceret. Et ratio est, quia fides infusa inclinat ad credendum ea, quæ non habent euidentiam ex terminis, nec includunt aliquam euidentiam connexionis terminorum, si termini sint apprehensi ex sensibus. 6.

Contrà, nec fides acquisita includit talem euidentiam.

Responsionem quære alibi.

Additio aliorum.

Respondeo, sicut haberi potest in 3. distinct. 23. & 24. Fidem infusam nobis inesse, est tantùm creditum, ideò nullo modo euidentiam facit. Acquisitam experimur nobis inesse: qua mediante obiecta credibilia sunt per auditum præsentia, & sic aliquo modo euidentia: licèt propriè neutra sit ex obiecto euidens. Per infusam sine acquisita non potest quis exire in actum, vt patet statim superiùs; euidentia habet acquisita ex testimonio reuelantis, siue prædicantis.

SCHOLIVM.

Differentia secunda inter fidem acquisitam & infusam, quòd illi communiter potest subesse falsum, huic non; quia illa innititur testi fallibili, hæc infallibili: si tamen Deus immediatè aliquid reuelaret alicui, nec dedisset auxilia supernaturalia, posset naturaliter elicere actum Fidei, cui non posset subesse falsum, sed tunc oporteret habere euidentiam de attestante, quâ habitâ, constaret immutabiliter verum esse, quod reuelat. Vide Doctorem 3. d. 23 num. 15. & 18. Explicat benè quomodo fides acquisita, quando simul cum infusa inclinat ad actum, non potest tendere in falsum. Differentia tertia, quia non experior me exire in actum fide infusâ: est contra de acquisita, quia percipio me videre hæc reuelata esse à Deo ex testimonio Dei, consequenter experirer verum esse quod credo, quod repugnat. Hic etiam tangit, an fidelis, licèt non experiatur, credat tamen fide infusâ, se habere infusam (de quo vide Scholium 3. dist. 23. ad num. 17. Vbi pro hoc aliquot adduxi authores,) quomodo etiam infusa dependeat ab acquisita, licèt fallibili. Vide ibi Scolium ad num 6. vbi dixi non requiri conditionem esse infallibilem, quòd respectu primò venientium ad fidem clarum est, quia propositio Ecclesiæ quoad hos, non est conditio, sed vnum credendorum.

Quære ad hoc in prolog. Reportatio nũ, & infrà hic differentia 3.

Acquisita quãdo cum infusa inclinat ad ad actum, non potest subesse falsum.

ALia differentia est, quantùm ad hoc, quòd est actum inniti fidei: quia fides infusa non potest inclinare ad aliquod falsum, inclinat autem virtute luminis diuini, cuius est participatio; & ita non nisi ad illud quod est conforme illi lumini diuino: actus igitur credendi inquantùm innititur ista fidei, non potest tendere in aliquod falsum. Sed fides acquisita communiter innititur assertioni alicuius testis, qui posset deficere, & ideò illa fides non tribuit actum credendi, inquantùm sibi innititur, quòd non possit sibi subesse falsum: frequenter tamen non sibi subest falsum: quando scilicet testis, cuius testimonio innititur in testificando illud fit verax. Et dixi, *communiter*, quia Deo immediatè reuelanti, posset quis credere credulitate acquisita: nisi aliud non sit verum reuelari à Deo, quàm actum credendi, vel noscendi causari immediatè à Deo in eo, cui fit reuelatio. Et quandocunque ad idem inclinat fides infusa, & acquisita, tunc necessariò acquisitæ non subest falsum: non quòd hæc necessitas sit ex ipsa fide acquisita, sed ex infusa concurrente cum ipsa ad eundem actum. Innititur igitur actus credendi fidei infusæ tanquam regulæ certæ, & omnino infallibili, à qua actus habeat, quòd non possit esse falsus: 7.

sed

sed innititur acquisitæ tanquam regulæ minùs certæ: quia non per illam repugnaret actui, quòd esset falsus, vel circa falsum obiectum.

Contra istam differentiam potest argui sic, quando ad eundem actum concurrit regula fallibilis, licèt cum regula infallibili, ille actus non est infallibilis. Probatur per simile, quia ex duabus præmissis, quarum vna est necessaria, & alia contingens, non sequitur conclusio necessaria Et ratio est, quia quod dependet ex pluribus, non potest esse perfectioris conditionis quocunque illorum: nunc autem quicunque actus credendi ad hoc quòd eliciatur, dependet à fide acquisita mouente: igitur si illa sit fallibus, nunquam actus elicitus erit ex principio tali, quin sibi posset subesse falsum.

8. Respondet [k] ad quodcunque inclinat lumen fidei infusæ, illud est determinatè verum, si autem ad idem inclinet simul aliud, quod quantùm est de se, posset inclinare in falsum, non ab illo alio, vt tale, sed ab isto lumine haberetur, quòd in illo actu non sit deceptio. *Quare acquisita, cũ simul cum infusa tendit in actũ non potest tendere in falsum.*

Tertia differentia posset poni, quæ conuenit cum prima, quæ scilicet est, quòd non percipio me inclinari in actum per fidem infusam, siue secundùm illam elicere actum; sed tantùm percipio me assentire secundùm fidem acquisitam, vel eius principium, scilicet testimonium, cui credo: quia si perciperem me habere actum secundùm fidem infusam, & cum hoc scirem quòd secundùm fidem infusam non potest haberi actus nisi determinatè verus: perciperem quòd actus meus non posset esse falsus, quia ex hoc sequitur quòd perciperem quòd obiectum actus non posset esse falsum, & tunc scirem illud, id est, infallibiliter cognoscerem illud esse verum, quod nullus experitur in se, vt credo, quantumcunque aliquis habeat vtrãque fidẽ & secundũ vtramque assentiat: tantũmodò igitur credimus in vniuersali, quòd tẽdẽs in aliquod complexum secundùm inclinationem fidei infusæ, in hoc non posset errare; quis autem, & quando secundùm eam tendit, nec ipsemet tendens scit, nec alius, nec aliquis certitudinaliter experitur.

l Contra hoc 13. de Trinit. cap. 1: *Non sic videtur fides in corde, in quo est ab eo cuius est: sed eam tenet certissima scientia, clamat què conscientia,* & pòst: *Illud quod credere iubemur, videre non possumus: ipsam tamen fidem quando est in nobis, videmus in nobis.* *Quomodo videmus fidẽ in nobis.*

Respondeo: intelligit sic fidem videri, quomodo concedit animam semper se noscere: non quòd semper sit actus elicitus: sed quia semper est perfecta præsentia obiecti actu intelligibilis. Vnde subdit ibi, *rerum absentium præsens est fides,* &c ita quòd generaliter illud, ad quod habet anima potentiam accidentalem propinquam noscendi, hoc Augustinus dicit eam noscere. *Noscere nõ dicit semper actum noscendi*

n Aliter diceretur, quòd accipit fidem pro actu credendi, de qua ibidem parùm pòst dicit: *Aliquando rebus falsis accomodatur fides*: hoc est, aliquis actus credendi.

COMMENTARIVS.

k 6. R*Espondeo ad quodcunque inclinat lumen fidei infusæ, illud est determinatè verum.* Sed non est sic de conclusione illata ab vna de necessariò, & alia de contingenti, quia veritas conclusionis, & euidens vnio extremorum in conclusione est præcisè ab vnione extremorum in præmissis; & quia extrema in præmissis non habent simpliciter necessariam connexionem, licèt vna præmissa sit de necessario, & alia de contingenti. Sicut hic, omne animal currit; omnis homo est animal: nam in istis præmissis maior, & minor extremitas non haberent simpliciter necessariam connexionem, vt patet, quia *currit,* & *homo* non necessariò connectuntur: ideò in conclusione non sequitur necessaria connexio; non enim maior vnitas extremorum potest concludi in cõclusione, quàm in præmissis, vt expositũ est *in 1. d. 2 p. 1. q. 1. respondendo ad primum argumẽtum principale.* conclusio enim præcisè sequitur ex præmissis, pro quanto extrema conclusionis connectuntur in præmissis. Sed in proposito, actus, qui est ab inclinatione fidei infusę est necessariò, & determinatè verus, & ideò quicquid aliud concurrit cum fide infusa, semper ille actus erit determinatè verus, etiam posito quòd fides acquisita inclinaret ad actum, cui posset subesse falsum, quia potentia nunquam eliceret talem actum prout esset secundùm inclinationem fidei acquisitæ, sed præcisè eliceret secundùm inclinationem fidei infusæ, & ideò nunquã posset talis actus esse fallibilis, siue falsus: non enim veritas actus est præcisè propter connexionem habituum inclinantium, sicut veritas conclusionis est præcisè propter connexionem extremorum in præmissis, & ideò patet quomodo similitudo illa non tenet.

Quis autem, & quando secundùm eam tendit, nec ipsemet tendens scit, nec alius, nec aliquis certitudinaliter experitur. Sicut etiam patet de habente habitum charitatis infusæ, & charitatis acquisitæ, quamuis sciat se elicere actum secundùm charitatem acquisitam, quia percipit se promptè, expeditè, faciliter, & delectabiliter illũ elicere, quæ sunt conditiones habitus acquisiti, *Duplex charitas.*

& non infusi, vt patet à Doctore *in primo, dist.* 12. tamen antequam scit, & hoc de lege communi, se elicere actum secundùm habitum charitatis infusum, quia tunc esset certus se esse in charitate, sed tantùm scit in vniuersali, scilicet quòd actus elicitus, secundùm inclinationem charitatis infusæ est verè meritorius, & dignus vita æterna, vt patet *in primo, distinct.* 17. Sic dicendum est in proposito.

l *Contra hoc.* Arguit Doctor autoritatibus Augustini probando quòd habens fidem infusam cognoscat se habere illam, & per consequens percipiat se operari secundùm illam.

Respondet, quòd intelligit sic, fidem videri quomodo concedit animam semper se noscere Hîc tamen aduerte, quòd communiter quando obiectum est actu præsens potentiæ in ratione obiecti actu intelligibilis, quòd ipsa potentia statim potest exire in actum, quia tunc ipsum obiectum, vt sic præsens cum potentia. sunt perfecta memoria fœcunda, & per consequens ex hac expositione autoritatis, sequitur quòd intellectus non tantùm pro statu isto potest cognoscere ipsam fidem in se, sed etiam ipsam animam, quod tamen Doctor negat *hîc* de anima, *& supra in prolog. quæst.* 1. *& in primo, dist.* 3. *quæst.* 3, Et quòd memoria perfecta sit quando obiectum est præsens perfectè in ratione obiecti actu intelligibilis ipsi potentiæ, patet à Doctore *in primo, dist.* 2. *parte* 1. *quæst.* 3. *dist.* 3. *quæst.* 7. *& in secundo, dist.* 1. *qu.* 1. *dist.* 3. *quæst.* 10. *& dist.* 9. & in pluribus aliis locis. vide quæ ibi exposui. Dico ergo, quòd Doctor accipit hîc obiectum esse præsens vt actu intelligibile, non quòd immediatè pro statu isto possit mouere potentiam, quia bene sequeretur quòd posset actu intelligi Sed sic est præsens præsentia reali, quòd si intellectus non esset alligatus statui isto, statim posset illud intelligere, quia solutus ab isto statu (quem Deus ordinauit, scilicet statuendo quòd intellectus non possit immediatè moueri à merè intelligibili, etiam perfectissime præsenti, nec etiam ab aliquo sensibili immediatè, vt patet *in primo, dist.* 3. *qu.* 3. nullum esset impedimentum quin actu posset illud intelligere, Dico ergo quòd fides est sic realiter præsens intellectui in ratione obiecti intelligibilis, quòd quantùm est ex parte sua non posset esse magis præsens, & actu quantùm in se est, esset in maxima propinquitate ad mouendum intellectum ad sui notitiam; & similiter intellectus posset immediatè concurrere vt altera partialis causa ad actum intellegendi, ita quòd nec ex parte intellectus, nec ex parte obiecti est aliquod impedimentum, nisi præcisè ordinatio voluntatis, quæ ordinauit quòd pro statu isto nullo modo possit immediatè moueri, nec à seipso, nec ab aliquo merè intelligibili, vt patet dist. 3. primi.

Quando memo ia perfecta quid.

n *Aliter diceretur.* Dat Doctor aliam responsionem? ad autoritatem dicit quòd Augustinus accipit *fidem* pro actu credendi, de qua ibidem parũ pòst subdit: *Aliquando* (inquit) *rebus falsis accomodatur fides, hoc est aliquis actus credendi,* & sic eliciens actum fidei, potest ipsum actu reflexo coguoscere; tamen credo quòd prima responsio magis sit ad mentem Augustini.

SCHOLIVM.

Trinitatem non posse sciri à nobis scientia quia, *seu à posteriori, quia nullus effectus deducit in notitiam causa necessaria ad eius* fieri, *vel* esse, *& tantùm voluntas Dei necessaria est ad omnes effectus, & quantùm ad hoc, non refert quòd sit in Vnitate, vel Trinitate, quia vt habet Doctor* 1. *dist.* 4. *qu.* 2. *hac est primò vera,* Deus creat, *non vt supponit pro vllo supposito. Neque etiam potest sciri scientia* propter quid, *seu à priori, quia notitia proprietatis, non habetur nisi per conceptum proprium eius, cuius est proprietas, & talem nõ habemus de Deo pro hoc statu* 1. *d.* 3. *q,* 2. *&* 3.

A posteriori non cognoscitur Trinitas.

n DE scientia autem *quia*, dico quòd non potest aliquis modò ex naturalibus attingere ad sic intelligendum Trinitatem in Diuinis: quia non potest scire illud de causa per effectum demonstratione *quia*; quo circunscripto remanet in causa quicquid est necessarium ad causandum; sed circunscipta, per impossibile, Trinitate, haberetur quicquid necessarium est in Deo ad causandum creaturam: quia & principium formale causandi perfectum, & completum, & suppositum habens illud principium formale perfectum, vt patet in quadam quæstione præhibita de hoc mota: videtur autem ad causationem sufficere suppositum perfectum habens principium formale perfectum. 9.

A posteriori non cognoscitur Diuinitas.

o De scientia verò *propter quid*, dico quòd non potest anima modò ex naturalibus attingere ad sciendum *propter quid*, Deum esse trinum, quia notitia eius, quod est propriissimum subiecto, non continetur virtualiter primò, & euidenter, nisi in per se, & proprio conceptu subiecti, vel in ipso subiecto sic concepto; esse trinum, est huiusmodi respectu Dei: igitur non potest sciri *propter quid* de Deo, nisi habito tali cõceptu Dei; sed talis non habetur pro statu isto de lege communi. Sicut patet in prima conclusione, quia fuit de simplici notitia terminorum. Probatio maioris: quia tale proprium, aut sciretur de subiecto proprio, & per se concepto, & tunc patet veritas illius maioris; aut sciretur de subiecto concepto in vniuersali, vel distinctè, & de ipso sic concepto non potest sciri *propter quid* nisi per se cõceptum illius proprium & distinctum. Exemplum, esse primam figuram non potest sciri *propter quid* de aliqua

qua figura in communi, nisi per medium proprium, scilicet per rationem † circuli · nec mirum. quia prædicatum proprium ad hoc, quòd sciatur *propter quid*, requirit medium proprium. De isto *sciri propter quid*, veræ essent duæ primæ conclusiones: quæ quæsitæ sunt suprà in quæstione de omnipotentia, sed non sunt hîc ad propositum: quia hîc tantùm quæritur de notitia possibili modò hîc haberi ex naturalibus.

Al triaguli primo posteriorũ. 1. c. 23. Quæst. 7. n. 4.

COMMENTARIVS.

8. *Quomodo intellectus non posset cognoscere Trinitatem.*

n SEcundò Doctor in isto primo articulo ostendit quomodo intellectus noster pro statu isto, nec etiam pro quocunque statu, accipiendo ipsum intellectum merè pro potentia naturali (nullo supernaturali concurrente) non possit cognoscere Trinitatem, nec demonstrare demonstratione *quia*; non enim potest scire illud de causa demonstratione *quia*; quo circumscripto remanet in causa quicquid est necessarium ad causam. sed circunscripta, per impossibile, Trinitate, haberetur quicquid necessarium est in Deo ad causandum creaturam, quia & principium formale causandi perfectum, & completum; & suppositum habens illud principium formale perfectum. Videtur autem ad causationem sufficere suppositum perfectum, habens principium formale perfectum. Et nota quòd si hîc Doctor per impossibile circunscribat omnes personas Diuinas, quòd tunc accipit suppositum perfectum pro aliquo per se stante simpliciter, licèt non incommunicabiliter, & sic Deus est suppositum perfectum, quia simpliciter per se stans, licèt tamen communicabiliter. Et hoc est, quod dicit Doctor. *in primo. d.4. q.2.* quòd hæc est primò vera, *Deus creat*, prout ly *Deus* non supponit pro aliqua persona, sed pro hoc Deo singulari, & tunc ratio formalis creandi in ipso Deo esset voluntas eius, vt patuit *in secundo, d.1. qu. 1. & quodl. q.7* Si autem intelligit quòd sola persona Patris maneat, adhuc ipse Pater posset creare ita perfectè sicut & nunc creat, quia esset suppositum perfectum habens perfectum principium creandi, scilicet voluntatem perfectissimam De hoc vide Doctorem *in secundo, d.1 q.1.* Sed in proposito per effectum, vt effectus est, deuenitur præcise in cognitionem causæ, pro quanto dependet ab illo: Modò effectus non dependet ab eo vt trino, sed a Deo vt vno, vt patet *in prolog. q 1.* ergo sequitur quòd intellectus per notitiam effectus non cognosceret Trinitatem.

o De tertio principali in isto articulo, scilicet de scientia *propter quid* dicit quod *non potest modò anima ex puris naturalibus attingere ad Deum trinum propter quid* Et circa hæc omnia scilicet, *quia & propter quid*, vide quæ exposui in qu. 1. prolog.

9. *Nonnulla dubia. Primum.*

In litera huius primi articuli occurrũt nõnulla dubia. Primo in hoc: Anima ex puris naturalibus potest ex cognitione huius entis abstrahendo cognoscere ens in se. Et similiter ex cognitione huius boni potest cognoscere bonum in se. Et similiter abstrahendo à numero propriè accepto qui est quantitas discreta, rationem propriè discretionis, haberi potest conceptus eius, quod est Trinitas. Et simi iter quodcunque transcendens per abstractionem à creatura cognita potest in sua differentia intelligi, & tunc concipitur Deus quasi confusè, sicut animali intellecto, homo intelligitur.

Secundum. Secundò dubitatur in hoc; quòd quando simul insunt fides acquisita, & infusa ipsi animæ. actus vnus, & idem credendi elicitur secundùm inclinationem vtriusque; quia quando sunt duæ formæ quæ naturaliter inclinant ad actum in eodem operante, vtraque quantùm est de se, necessariò, & semper inclinat ad actum, & ideò quandocunque actus elicitur secundum inclinationem vtriusque.

Tertium. Tertiò dubitatur in hoc, quòd ex sola fide infusa quis non potest elicere actum credendi, & hoc de lege communi, quia fides infusa inclinat ad credendum ea, quæ non habent euidentiam ex terminis, nec includunt aliquam euidentiam connexionis terminorum si termini sint apprehensi ex sensibus.

Quartum. Quartò dubitatur in hoc: fides infusa nõ potest inclinare ad aliquod falsum, quia inclinat virtute luminis diuini, cuius est participatio, & ideò non nisi ad illud, quod est conforme illi lumini diuino. Et fides acquisita potest inclinare ad aliquod falsum.

Quintum. Quintò dubitatur in hoc, quòd quandocunque ad idem inclinat fides infusa, & acquisita, tunc necessariò acquisitæ non subest falsum, non quòd necessitas sit ex ipsa fide acquisita, sed infusa concurrente cum ipsa ad eundem actum.

Sextum. Sextò dubitatur in hoc, quòd non percipio me inclinari in actum per fidem infusam, siue secundùm illam elicere actum, sed tantùm percipio me assentire secundùm fidem acquisitam, vel eius principium, scilicet testimonium, cui credo.

Septimum. Septimò dubitatur in hoc, quòd non potest aliquis ex puris naturalibus cognoscere Trinitatem demonstratione *quia*, circunscripta, per impossibile, Trinitate, haberetur quicquid necessarium est in Deo ad causandum creaturam

Octauum. Octauò dubitatur in hoc, quòd anima ex puris naturalibus non potest scire *propter quid* Trinitatem de ipso Deo.

10. *Contra primum.*

Contra primum, & primò contra primam partem, probatur quòd anima ex puris naturalibus non potest ex cognitione huius entis abstrahendo cognoscere ens in se. Et primò instatur sic: quæro, à quo immediatè causatur cognitio entis in se ex cognitione huius entis, puta huius albi? aut immediatè causatur ab hoc albo cognito, aut ab hoc albo absolutè, aut à quiditate albedinis, vt priore sua hæcceitate, & hoc aut cognita, aut absolutè sumpta, aut specie intelligibili albedinis, aut specie intelligibili entis in se. Hæc diuisio videtur sufficiens; sed nullo istorum modorum causatur cognitio entis in se. Non primò, quia pro statu isto nullum singulare immediatè mouet intellectum, nec ad notitiam sui, nec aliorum. Tum etiam, quia vt

Singulare nō mouet intellectum. vt cognitum habet *esse* tantùm secundùm *quid* album etiam absolute acceptum non est præsens intellectui, nec secundùm se, loquendo de albo singulari, nec secundùm aliquam speciem propriam, quia pro statu isto non habetur species intelligibilis singularitatis sub ratione propria. Non secundò, quia quiditas, vt cognita, habet *esse* diminutum, & per consequens, vt sic, non potest mouere intellectum nec ad sui, nec aliorum notitiam. Nec similiter ipsa quiditas absolutè sumpta, quia vt sic, non est præsens intellectui. Non per speciem intelligibilem, vt patet à Doctore *in primo, dist. 3. quæst.6.* & vt sic, habet *esse* tantùm diminutum, quia tantùm *esse* repræsentatum. Nec tertiò, quia si species intelligibilis albi causat partialiter notitiam entis in se, hoc non est possibile, nisi priùs in eodem intellectu causet notitiam omnium aliorum, quæ immediatius se habent ad album, quia semper priùs causat notitiam perfectiorem quam possit, vt patet à Doctore *in primo, dist.3 quæst.2.*& sic priùs causaret notitiam albi, coloris, qualitatis, absoluti. & sic ascendendo, quod tamen non videtur Tum etiam, quia species propria albi est eadem ipsi albo, patet, quia per ipsam tantùm ipsum album est præsens, & nihil aliud, a iter idem simul esset repræsentatiuum magis, & minùs communis, quod non videtur secundùm Doctorem *in primo, distinct 3. quæst.6.* contra Henricum. Non quartò, quia tunc quæro, a quo illa species entis in se sit causata, non à fundamento, quia tunc illud posset causare plures species diuersorum obiectorum. Tum etiam, quia si sic, sequeretur quod non posset causare speciem entis in se, nisi priùs; vel simul causaret species omnium superiorum ipsius albi, quia cùm sit causa merè naturalis, semper producens speciem propinquioris primo obiecto, scilicet albo. Tum etiā, quia non ponitur causari aliqua species intelligibilis, nisi respectu obiecti sensibilis. Modò ens in se non est possibile, vt patet; ergo non potest pro statu isto causari species intelligibilis propria ipsi enti in se

11. Secundò instatur sic: si conceptus entis potest abstrahi ab hoc ente, quæro, aut abstrahitur ab aliquo posteriori hoc ente, aut ab aliquo priori, ita quòd sit in re aliquid, à quo abstrahitur. Non primò, quia propriè talis conceptus abstractus non esset quiditatiuus. Non secundò, quia tunc in re, puta in Francisco, esset entitas absoluta prior substantia corporea, viuente, sensitiua, & rationali, sed hoc non videtur, quia quæcunque entitas pertinens ad *esse* Francisci, videtur, quòd sit substantia, aliter ex non substantia esset substantia, quod est impossibile.

Tertiò instatur sic; si ab hoc ente, puta Francisco, potest abstrahi ens in se, siue absolutè, tūc sequeretur quòd in Francisco essent plures singularitates constituentes ipsum in *esse* singulari, quia à Frācisco, vt hoc ente, abstrahitur ens, vt ab hac substantia abstrahitur substantia absoluta, vt ab hoc corpore abstrahit corpus, vt ab hoc animali abstrahitur animal, & ab hoc homine abstrahitur homo. Istæ consequentiæ patent per Doctorem *in quarto, distinct. 1. quæst. 1. & dist. 8. & in primo, dist. 2. parte 2. quæst. 1.* quia potest considerari Franciscus, vt suppositū entis: suppositum substantiæ, corporis, animalis, hominis, &c. Si dicatur quod non est inconueniens esse plures singularitates, vt patet de composito substantiali per se vbi partes habent propriam singularitatē. Saltem insto de pluribus suppositis, quia si à Frācisco possunt huiusmodi conceptus abstrahi, sequitur quòd idem Franciscus poterit considerari, vt suppositum entis, vt suppositum substantiæ, & sic de aliis descendēdo, & vt est suppositum entis non intelligitur tunc suppositum substantiæ, patet; quia vt supposito entis nō repugnat perfectio simpliciter, sed benè repugnat, vt supposito substantiæ generatæ, vt patet per Doctorem *in primo, dist. 2. parte 2. quæst. 1. & distinct. 8. q. 2. & in quodl. q. 1. 5.* *An supposito repugnet perfectio simpliciter.*

12. Instatur quartò, quia quæro de illo ente in se abstracto quid sic? aut est actus intelligendi, quo ipsum intelligo, aut idolum fabricatum, per intellectum, aut res concepta. Si primò, hoc non videtur. Tum, quia ille actus nō prædicatur in *quid*, vt patet. Tùm, quia quæro, ad quid terminatur ille actes, aut terminatur ad ens in se, vt prius omni alio pertinēte ad *esse* Francisci, & tūc sequitur quòd tale ens erit potentiale ad substantiam, corpus, viuens, animal, & rationale cùm vltimatè ab omnibus istis perficeretur, & tūc quærit, quomodo contrahitur, aut terminatur ad ipsum Frāciscum, siue ad ens, & tunc sequitur quòd non consequitur ens, vt in se, sed præcisè vt in Francisco, & vt sic, non est commune alicui. Si secundò, patet quòd non. Tum, quia illud idolum non prædicatur in *quid* de Francisco, nisi accipiatur ab aliquo pertinente ad quiditatem Francisci prius ipso Francisco, & tunc vt prius, quæritur de illo quod sit, an ens absolutè, an substātia &c. Tum, quia intelligere illud idolum in se non est intelligere ens in se. Si tertiò; & hoc non, quia res vt concepta, est tantùm vnum ens per accidens, & tale non prædicatur in *quid*. Si dicatur, quòd accipitur pro re conceptibili habente *esse* præter omne opus intellectus, & tunc arguitur vt priùs.

Quintò instatur, & quæro de ipso ente in se, vt est commune Deo, & creaturæ, vt dicit hîc Doctor, pro quo accipitur? aut pro conceptu, aut pro actuali intellectione, & arguitur vt prius, aut pro re, siue pro realitate præter omne opus intellectus, & tunc sequitur quòd Deus, & creatura nō tantùm conueniunt in conceptu, sed etiam in vera realitate, quòd est contra Doctorem *in 1. d. 8. q. 2.* qui dicit quòd quamuis Deus, & creatura conueniant in conceptu communi, non tamen conueniunt in aliqua realitate.

Sextò instatur, quia posito, quod ens possit in se considerari abstrahendo ipsum ab hoc ente cognito, & vt sic abstracto concipitur Deus quiditatiuè, confusè tamen sic concipiendo, aut concipitur homo quiditatiuè, quia concipitur sub prædicato dicto in *quid* de ipso homine. Sed hoc non sequitur, quia oporteret prius probare, quòd ipsum ens natum sit conuenire ipsi Deo quiditatiuè, sed hoc non potest probari. Tum, quia tale ens est posterius Deo, vt patet à Doctore *in primo, dist. 8. quæst. 2.* Tum, quia illud, à quo acciperetur non esset in Deo in vltima actualitate, sicut nec conceptus dictus in *quid* de pluribus, nam quicquid est in Deo præter opus intellectus est simpliciter in vltima actualitate, vt patet per Doctorem in pluribus locis.

Secundò instatur contra aliam partem de numero, vbi dicit quòd *abstrahendo rationem numeri discreti potest haberi conceptus terminatus.* Hoc non videtur ad propositum, primò, quia per- 13.

sonæ

ſonæ diuinę non numerantur, vt probat ipſe in *in primo diſt.* 24. Poſito ergo quòd poſſit abſtrahere rationem numeri diſcreti, puta à numero ternario trinitatem, & ſic poſito, quòd concipiam illam, illa tamen non conuenit Trinitati diuinæ, ſicut conceptus entis Deo conuenit, & prædicatur in *quid* de Deo, & ſic poſſum intelligere quòd aliquod ens eſt primum abſtrahendo primitatem ab ente, & coniungendo ipſi enti; ſed non ſic videtur de Trinitate, quia accipiendo Trinitatem ſic abſtractam non eſt verum, quòd aliquod ens ſummum ſit ſic trinum, vt patet.

Secundò inſtatur ſic quærendo de iſto prædicato, ſcilicet *trinum*, vt cùm dico, *aliquod ens eſt trinum*, quid intelligitur per ly *trinum*? aut præcisè actus cognoſcendi, quo cognoſcitur trinitas numeri diſcreti, aut intelligitur ipſa trinitas numeri diſcreti abſtracta ab iſta, & iſta trinitate diſcreta; aut aliquis conceptus, qui dicatur huiuſmodi trinitas. Non primò. Tum, quia intellectio illa verè non prædicatur, ſignificatum enim rei prædicatur. Tum etiam, quia quæro ad quid terminatur talis intellectio; ſi ad trinitatem numeri diſcreti, illa non conuenit Deo trino, vt intelligere Deum trinum; aut alteri trinitati, puta perſonarum in eadem natura, ſi illa non abſtrahitur à numero diſcreto, vt patet. Non ſecundò, vt patet, quia illa non conuenit Deo trino, de quo loquimur in propoſito. Non tertiò, quia quæro, quid correſpondet illi conceptui? Tandem oportebit inuenire aliquod abſtractum ab aliquo alio, quàm à numero diſcreto de genere Quantitatis.

Deinde inſtatur contra aliam partem, in qua dicitur quòd cognoſcendo ens in ſua indifferentia, cognoſcendo Deum confusè, ſicut concepto animali in ſe, concipitur homo confusè. Contrà, quia nihil concipitur cõfusè, quod concipitur ſub conceptu diſtinctiſſimo. Sed concipiendo Deum, vt præcisè in ente concipitur ſub conceptu diſtinctiſſimo; ergo Deus, vt in ente conceptus, non concipitur confusè. Maior eſt nota, quia ſubiectum includit prædicatum. Minor patet, quia conceptus entis eſt coceptus in ſe diſtinctiſſimus, imò non poteſt concipi niſi diſtinctè, vt patet à Doctore *in primo diſt.* 3. *q.* 2. qui vult quòd cognitio diſtincta primò, & principaliter incipiat à conceptu entis.

Conceptus entis eſt diſtinctiſſimus.

14. Reſpondeo ad omnes obiectiones, præmittendo aliqua neceſſaria. Primò præmitto, quòd conceptus entis in ſe poteſt abſtrahi ab hoc ẽte cognito, hoc poteſt multipliciter intelligi. Primò, quòd hoc ens, puta hæc albedo, vt hæc ſit immediatè cognita ab intellectu, & vt ſic cognita, poteſt abſtrahere ens in ſe; & hic ſenſus eſt falſus, quia talis non poteſt primò, immediatè cognoſci ab intellectu pro ſtatu iſto. Secundò, quòd hæc albedo immediatè moueat ſenſum exteriorem, & poſt imaginationem, ſic, quòd albedo extrà cauſet ſpeciem ſui ſenſibilem in organo viſus, & illa eadem ſpecies cauſet ſpeciem ſenſibilem in imaginatiua, quæ dicitur phantaſia, & ſic potentia viſiua cognoſcit albedinem in ſe præſentem per ſpeciem ſenſibilem impreſſam in organo viſus, & virtus imaginatiua per ipſum phantaſma cognoſcit eandem albedinem etiam non præſentem, & poſt phantaſma vna cum intellectu agente cauſat ſpeciem intelligibilem in intellectu poſſibili, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 3. *quæſt.* 8. *& infrà quæſt.* 15. & ſic tandem cognoſcitur primò ipſa albedo per illam ſpeciem intelligibilem, quâ intellectâ poteſt hæc albedo intelligi, non tamen ſub ratione propria ſingularitatis, vt patet à Doctore in primo. Et hoc modo poteſt intelligi dictum Doctoris, ſcilicet, quòd ab iſto ente, puta iſta albedine, quæ vt ſingularis, non tamen ſub ratione propria ſingularitatis, primò apprehenditur à ſenſu exteriori, & immediatè, pòſt à ſenſu interiori, & vltimò ab intellectu, ſic tamen, quòd intellectus primò apprehendit eam in ſe quiditatiuè, & pòſt, vt ſingularem, cofusè tamẽ. Et hoc modo ab ente ſic cognito, poteſt abſtrahi ens in ſe.

Diſtinctio de conceptu entis.

15. Secundò præmitto, quòd tenendo, (vt credo eſſe verum, imò neceſſarium ſecundùm opinionem Doctoris) iſtam veritatem, ſcilicet, quòd in cognitione abſtractiua non concurrat obiectum intelligibile, ſed tantùm ſpecies intelligibilis, vt aliàs expoſui; poteſt ſuſtineri primò, quòd eadem ſpecies intelligibilis, quæ immediatè cauſatur à phantaſmate, vt primum, & immediatè repreſentatiuum ipſius albedinis, poſſit non tantùm partialiter cauſare notitiam abſtractiuuam ipſius albedinis, ſed etiam quòd poſſit partialiter cauſare notitiam omnium eſſentialiter, & virtualiter contentorum in ipſa albedine, & ſic poteſt immediatè cauſare cognitionem omnium ſuperiorum, & ſic cauſare cognitonem entis in ſe, & etiam omnium paſſionum virtualiter contentarum, vt expoſui *in primo, diſt.* 3. *q.* 2. *&* 3 & aliqualiter *in ſecundo, diſt.* 3. Secundò poteſt ſuſtineri, quòd quodlibet eſſentialiter contentum in ipſa albedine habeat propriã ſpeciem intelligibilem, ita quòd color habeat propri m, & ſic aſcẽdendo vſque ad ens incluſiuè. Et ſimiliter quòd omne naturaliter conceptum habeat propriam ſpeciem intelligibilem. Sed omnes iſtæ ſpecies ordinatè cauſantur ab intellectu agente, & ab ipſo phantaſmate. Vel fortè vna ſpecies cauſat aliam, vt puta ſpecies intelligibilis albedinis cauſat ſpeciem coloris, & alias aliorum ſuperiorum. Sed hoc non ita aſſero. Iſtis præmiſſis, cùm dicitur, tenendo opinionem Doctoris, ſcilicet, quòd ſingulare non immediatè mouet, patet reſponſio ex primo præambulo quomodo ſingulare moueat, & quomodo non moueat. Et cùm dicitur de quiditate in ſe, concedo quòd ipſa nõ mouet, cùm tantùm habeat *eſſe* diminutum. Cùm dicitur de ſpecie intelligibili. Dico, quòd tenendo primum modum de ipſa ſpecie, quòd ipſa immediatè mouet ad notitiam albedinis in ſe, & immediatè pòſt ad notitiam coloris, & ſic aſcendẽdo, & hîc non ponendo aliud impedimentum, puta imperium voluntatis, de quo *in ſecundo, diſt.* 9. *& diſt.* 42. vide quæ ibi expoſui, & tunc habita cognitione entis in ſe, poteſt intellectus, ſaltem imperio voluntatis, firmare ſe in cognitione entis in ſe, & hoc ſufficit. Potes etiam dicere, vt dixi in primo. Tenendo etiam ſecundum modum, ſcilicet, de pluralitate ſpecierum intelligibilium, poteſt dici quòd ordinatè cauſantur ab ipſo fundamento, & intellectu agente, & tunc voluntas poteſt modò vti vna ſpecie intelligibili, modo alia, ſicut expoſui *in primo, diſt.* 3. *& in diſt.* 9. Et hoc vide quæ dixi *in primo, diſt.* 3. *quæſt.* 2.

In cognitione abſtractiua non concurrit obiectum intelligibile.

Species mouet, & non obiectum in ſpecie.

An ſingulare moueat.

Pluralitas ſpecierum à quomodo cauſatur.

16. Ad ſecundum dico breuiter, quòd conceptus entis poteſt abſtrahi ab aliquo, quod eſt actu in Franciſco priùs, ſicut etiam animal abſtrahitur

ab ali-

ab aliquo priori in Francisco puta à sensitiuo, vel aliquo alio. Et cũ infertur, quòd tũc in Francisco esset aliquid pertinens ad *esse* ipsius, quòd nõ esset formaliter substãtia. Dico, quòd oportet hoc cõcedere; nec sequitur quòd ex nõ substãtia fit substantia, imò si Franciscus est substantia fit ex substãtia, quia fit ex ente, vt cõtracto ad substantiam. Dico ergo, quòd ens, vt aliquo modo prius substantia creata, est suo modo potentiale ad vlteriores differentias, vel modos intrinsecos, non tamen est ita potentiale, sicut res, à qua accipitur animal, siue conceptus animalis ad animam intellectiuam, à qua accipitur conceptus rationalis, cùm sint diuersæ res, sed fortè eadem res inducit aliquam realitatem quiditatiuam, à qua accipitur conceptus entis, sicut fortè ab eadem albedine accipiuntur distincti conceptus, ita quòd ab vna realitate albedinis accipitur conceptus coloris, & ab alia priore conceptus qualitatis, & ab alia adhuc priore accipitur conceptus entis, & sicut conceptus coloris acceptus ab vna realitate in albedine est contrahibilis ab alio conceptu contractiuo, siuè determinatiuo accepto ab vltima realitate albedinis, ita quòd realitas, à qua accipitur cõceptus coloris, est suo modo potẽtialis ad realitatem, à qua accipitur cõceptus differẽtiæ, puta cõceptus disgregationis; sic pariformiter videtur dicẽdũ, quòd realitas, à qua accipitur cõceptus qualitatis sit suo modo potentialis ad realitatem, à qua accipitur cõceptus differentiæ cõtractiuus, siue determinatiuus ipsius conceptus qualitatis ad colorem. Sic similiter potest probabiliter dici, quòd realitas, à qua accipitur conceptus entis in se, sit suo modo potentialis ad realitatem, à qua accipitur conceptus contractiuus, siue determinatiuus ipsius conceptus entis, siue ille conceptus contractiuus sit differentia, siue gradus intrinsecus, siue modus aliquis alius, de hoc non curo. Et sic patet quomodo nullum est inconueniens in eadem re ponere plures realitates quiditatiuas, & ad quiditatem rei verè præter omne opus intellectus pertinentes.

Inuehit in illos, qui possunt gradum sensitiuum distinctum realiter ab intellectiuo.

17. Ad tertium. Dico primò, quòd esse plures singularitates partiales in aliquo, non tantùm nõ est incõueniens, sed est necesse illud ponere, vt patet in composito substantiali ex materia, & forma, vbi materia habet propriam singularitatem aliam à singularitate compositi, & aliam à singularitate formæ; & similiter forma habet propriam aliam à præmissis. Et hoc patet à Doctore *in secundo, dist.* 3. sic non videtur inconueniens, quòd vniformiter sint plures singularitates, quia plures entitates partiales; esset tamen inconueniens, imò simpliciter impossibile, quòd in eodem singulari possint esse plures singularitates totales, vel vltimatæ, quia tunc esset singulare duabus singularitatibus cõpletiuè, & æquè perfectè ab vna sicut à duabus, & sic simul posset esse singulare, & non singulare, quia circũscripta vna, & posita alia esset, quia singularitas eius esset, & non esset, quia alia circũscripta. Hæc cõsequentia patet à Doctore in pluribus locis. In proposito tamen dico quòd non essent tot singularitates quot entitates, siue realitates in Francisco, nisi essent ibi realiter distinctæ; & patet, quia hæc albedo est tantùm vnum singulare, & præcisè vna singularitate, & non pluribus, & tamen distinguuntur in ea plures realitates, vt suprà patuit, sed quia non distinguuntur ibi realiter, sed tantùm vel ex natura rei, vel formaliter, ideò non dicunt distinctas singularitates. Potest tamen vnico verbo dici quòd tot sunt ibi singularitates, quot sunt realitates pertinentes ad quiditatem, ita quòd si illæ entitates distinguuntur abinuicem realiter, similiter & singularitates distinguuntur realiter: si formaliter, formaliter; si præcisè ex natura rei, sic sunt distincta singularia ex natura rei; & sic concedo quòd eo modo quo distinguuntur in albedine realitates, eo modo sunt tot singularia, & tamen erit hæc albedo tantùm, videlicet singulare totale, & vltimatum; & sic patet quomodo hæc albedo potest verè considerari vt singulare entis, vt singulare coloris, vt singulare qualitatis, vt singulare albedinis, & hoc loquẽdo ex natura rei, & non tantũ cõceptibiliter, vt suprà patuit.

Et cùm vltra infertur de supposito, puta, quòd Franciscus potest considerari vt suppositum talis, &c. Dico, quòd non accipit ibi Doctor suppositum prout est incommunicabile, & vt *quo*, & vt *quod*, de quo ipse loquimur, *in primo, d.* 2. *p.* 2. *q.* 1. secundùm quòd vt suppositum dicit negationem duplicis dependentiæ, scilicet actualis, & aptitudinalis, de quo Doctor *in tertio, dist.* 1. *q.* 1. *& infrà in quodl. quæst.* 19. Sed accipit suppositum pro singulari entis, id est, quòd perfectio simpliciter est melior in quodlibet ente, quàm suum incompossibile. Et sicut est melius simpliciter animam esse sapientem simpliciter, quàm includere suum incompossibile, & tamen anima non est propriè suppositum: Similiter est melius simpliciter hunc colorem, vt est singulare entis, habere sapientiam infinitam, quàm habere suum incompossibile, quia vt ipse color præcisè consideratur vt ens, sibi non repugnat talis perfectio, licèt sibi repugnet vt est singulare coloris. Et quòd Doctor non accipiat ibi suppositum propriè, de quo suprà, patet, quia ipse concedit quòd est melius simpliciter Deum habere intellectum, & voluntatem, & sapientiam, quàm habere eorum incompossibilia; & tamen ipse Deus, vt Deus, non est suppositum alicuius, accipiendo suppositum modo præexposito. 18.

Quomodo accipiatur suppositum.

Ad quartum. Dico primò, quòd fortè non erit inconueniens dicere ipsum ens in se esse actum intelligendi, quo intelligo Franciscum, vt ens absolutè. Cùm instatur, quòd talis actus non prædicatur in *quid.* Dico, quòd prædicari in *quid* de alio potest dupliciter intelligi, vel quia est de quiditate illius de quo prædicatur; vel quia accipitur ab aliquo pertinente ad quiditatem subiecti, de quo prædicatur, & hoc accipiendo *subiectum* non pro termino, nec pro actu intelligendi, quo intelligo Franciscum, sed pro significato, & pro re Francisci. Primo modo concedo quòd non prædicatur in *quid*, quia nullus actus intelligendi est de quiditate alicuius subiecti. Secundo modo prædicatur in *quid*, quia ille actus intelligendi accipitur ab entitate quiditatiua in Francisco, & hoc modo non videtur fortè inconueniens. Cùm secundò infertur, ad quid terminatur ille actus intelligendi? Dico, quòd ad entitatem quiditatiuam in Francisco. Et cùm dicitur, quòd talis entitas erit potentialis ad vlteriores entitates. Dico primò, quòd si ponatur quòd entitas absolutè in Francisco nullo modo 19.

Prædicari in quid potest accipi dupliciter.

modo prǣter opus intellectus intelligitur ex natura rei prior, quòd tunc terminatur ad Franciscum, vt præcisè consideratum sub ratione entis. Dico tamen, & melius, quòd terminatur ad realitatem quiditatiuam suo modo priorem omni alia realitate in Francisco, sicut in albedine distinguuntur realitates, vt suprà patuit. Dico secundò, quòd secundùm aliquos posset concedi quòd ens in se, quod ponitur prædicari in *quid* de decē Prædicamentis, ponitur quoddam dolum fabricatum ab intellectu, quod tamen dicitur prædicari in *quid*, non quòd sit de quiditate illius, de quo prædicatur, sed quia accipitur ab aliquo pertinente ad quiditatem subiecti.

20. Dico tertiò, & melius primo, & secundo modo, & magis ad mentem Doctoris quòd ens in se, vt ponitur commune Deo, & creaturæ, accipitur pro aliquo conceptibili, ita quòd in Frācisco sunt ex natura rei distincta conceptibilia. Potest enim concipi vt homo, vt animal, vt corpus, vt substantia, vt ens, ita quòd in ipso est alia, & alia realitas, à quibus accipitur alius, & alius conceptus; & sicut ab vna accipitur conceptus substantiæ, ita ab alia accipitur conceptus entis, aliter Franciscus non posset verè considerari, siue intelligi, vt singulare hominis, vt singulare animalis, vt singulare substantiæ, & vt singulare entis. Et vt intelligitur singulare substantiæ, præcisè non intelligitur vt singulare corporis, nec similiter vt præcisè intelligitur singulare entis, non intelligitur singulare substantiæ, nec corporis. Et concedo breuiter, quia realitas, à qua præcisè accipitur conceptus entis, si esset realiter distincta ab aliis realitatibus perficientibus Franciscum, quòd verè realiter perficeretur ab illis, sicut & nunc quando genus, & differentia accipiuntur ab alia, & alia re realiter distinctis, quòd res, à qua accipitur genus realiter perficitur à re, à qua accipitur differentia. Sed si realitas, à qua accipitur conceptus entis, non distinguitur ab aliis realitatibus realiter aliquo alio modo, tunc dico quòd eo modo, quo distinguitur à posterioribus realitatibus, eo modo dicitur perfici ab illis, vt patet suprà copiosissimè de realitatibus in albedine. Et dixi *de realitate entis in creaturis tantùm*, quia in Deo non pono aliquam realitatem priorem, à qua accipitur conceptus entis, cùm omnis realitas diuinæ essentiæ sit ibi in vltima, & perfectissima actualitate, & per consequens nullo modo est in potentia, nec quasi in potentia ad aliam, imò existentia essentiæ diuinæ quæ est in vltima, & perfectissima actualitate, ponitur de intellectu quiditatiuo ipsius, vt patet à Doctore *in primo, dist. 2. parte 1. quæst. 2. dist. 25. & in quoli. q. 1. art. 1.* Et sic patet responsio.

In Deo non ponitur realitas aliqua prior.

21. Ad quintum dico, quòd conceptus entis prout accipitur à creatura, accipitur ab aliqua realitate quiditatiua in ipsa creatura. Et sic propriè dicitur ille conceptus prior Francisco, pro quanto accipitur ab aliquo priori in Francisco. Et similiter dicitur prædicari in *quid*, & esse de quiditate Francisci, pro quanto accipitur à realitate pertinente realiter ad *esse* quiditatiuum Francisci, eo modo quo etiam ponimus animal, siue hominem actu prædicari in *quid* de pluribus, non quòd conceptus hominis sit simul de quiditate illorum, quia illud, quòd sic prædicatur, ponitur vnus conceptus numero in se formaliter, sed quia accipitur ab entitate pertinente ad essentiam Francisci &c. ideò dicitur de illis prædicari in *quid*. Et de hoc vide quæ exposui per longum tractatum *in secundo, dist. 3. q. 1.* vbi de hac materia extant singularia dubia. Sed loquendo de conceptu entis prout dicitur prædicari in *quid* de Deo. Dico, quòd talis conceptus nullo modo accipitur ab aliqua entitate in Deo quiditatiua perfectibili, vel quasi perfectibili vlteriori entitate pertinēte ad entitatem ipsius, quia in Deo præcisè est vna entitas essentialis, & quiditatiua, quæ est natura merè intellectualis, quæ; vt consideratur prior omni suo attributo, & omni gradu intrinseco, est simpliciter indistincta, & singularissima, ita quòd non est ibi considerare aliquā realitatem aliquo modo contrahibilē, & perfectibilē quiditatiuam, cùm sit vna tantùm omnino præter omne opus intellectus indistincta, imò sic est vna, & indistincta, quòd ex se formaliter est *hæc*, & nullo modo est *hæc* per hæcceitatem aliquo modo distinctam præter opus intellectus, & sibi vt priori aduenientem, est enim in vltima actualitate, & perfectissima & de se formaliter *hæc*, & in tali priori nullam penitus pono distinctionem; & hæc omnia possent probari ex diuersis dictis Doctoris *in primo, dist. 2. parte 2. & dist. 5. q. 2. & dist. 8. & in quol. q. 1.* & in pluribus aliis locis. Concedo ergo quòd conceptus entis non accipitur ab aliqua realitate priore aliquo modo in essentia diuina, sed accipitur immediatè ab ipsa essentia omnino indistincta, & sic talis conceptus nullo modo ponitur de quiditate Dei, quia conceptus, qui propriè ponitur de quiditate illius, de quo prædicatur in *quid*, accipitur ab aliquo pertinente ad *esse* quiditatiuum illius, sic tamen quòd illud de quo prædicatur, includat aliquid aliud præter realitatem, à qua accipitur conceptus dictus in *quid*, sicut patet de homine, qui prædicatur in *quid* de Francisco, quia Franciscus vltra naturam humanam, à qua accipitur conceptus hominis, includit etiam propriam singularitatem contractiuam humanitatis. Patet ergo quomodo conceptus entis nullo modo ponitur de quiditate Dei, prædicatur tamen in *quid* de ipso Deo, quia accipitur ab ipso Deo præcisè, vt priori omni attributo, & omni gradu intrinseco, qui Deus, vt sic, nihil aliud significat, nisi naturam diuinam singularissimam perfectissimè existentem, & in vltima, & perfectissima actualitate, quæ sic tantùm dicit *esse* quiditatiuum, & præcisè vnum omninò, præter omne opus intellectus indistinctum.

Not hic pulcherrimè quomodo cōceptus entis prædicetur in quid de Deo.

Ex his apparet quomodo Deus, & creatura conueniunt in conceptu entis, & non in aliqua realitate communi, quia nihil reale est aliquo modo commune Deo, & creaturæ, sed præcisè est conceptus, qui non accipitur ab aliqua realitate potentiali Deo, & creatura; sicut dicimus quòd conceptus hominis accipitur ab aliqua natura communi Francisco, & Ioanni, id est, ab humanitate indifferente ad singularitatem Francisci, & singularitatem Ioannis, vt diffusè exposui *in secundo, distin. 3. q. 1.* Sed an decē Genera conueniāt quiditatiuè in conceptu entis, accepto ab aliquo cōmuni ex natura rei ipsis generibus. Dico, quòd non haberem hoc 22.

Quomodo Deus, & creatura conueniant.

hoc pro inconuenienti, quòd tale commune sit diuersimodè determinabile. Sed omittatur pro nunc cùm non multùm faciat ad propositum nostrum; sufficit enim ad propositum nostrum habere quòd conceptus entis prout prædicatur in *quid* de aliqua creatura, quòd accipitur ab aliqua realitate quiditatiua ipsius. Sed prout prædicatur in *quid* de Deo, præcisè accipitur ab ipso Deo pænitus indistincto.

Nota Ad sextam, & vltimam instantiam, ad hanc partem pertinentem. Dico breuiter, quòd sufficit quòd ille conceptus entis possit accipi ab ipso Deo omnino indistincto dicente perfectissimum *esse* quiditatiuum, & sic concedo, quòd potest abstrahi ab ipso immediatè, & nō ab aliquo priore in Deo, vt suprà exposui; & sic concipiendo ens in se, tamen abstractum à creatura, concipitur quiditatiuè ipse Deus, non in se quiditatiuè, sed in aliquo conceptu quiditatiuo, id est, quòd concipiendo aliquid in se, quod natum est prædicari de alio in *quid*, concipio illud aliud quiditatiuè, id est, quòd præcisè concipio prædicatum natum dici in *quid* de illo, & sic concipiendo ens in se concipio Deum quiditatiuè, id est, concipio aliquid in se, quod natum est prædicari in *quid* de Deo, non tamen quòd sit de quiditate eius, sed quia natum est abstrahi ab ipso Deo, qui dicit perfectam entitatem quiditatiuam. Sed de creatura prædicatur in *quid*, & est de quiditate eius modo præexposito.

23. *Trinitas potest accipi nō in se, & in conceptu.* Ad instantias contra secundam partem de numero &c. Pro maiori intelligentia præmitto aliqua. Primò, quòd accipiendo Trinitatem non in se, sed in conceptu, puta, quòd tres personæ accipiantur pro tribus conceptibus distinctis, forte hoc modo isti conceptus possunt numerari. Sed de hoc dictum est *in primo, dist. 3 q. 5.* de vestigio Trinitatis, & *dist.* 24. Accipiendo tamen personas proipsis significatis, certum est quòd non numerantur propter causam à Doctore assignatam *in* 1 *dist.* 24. Secundò præmitto, quòd Doctor non intelligit propriè de numero, ita quòd cùm dico *aliquod ens est trinum*, non intelligit de numero ternario propriè sumpto, sed intelligit de numero eo modo, quo potest intelligi, poni; & quia numerus est primò nobis notus ex diuisione continui, & ex aggregatione vnitatum, secundùm quas numeramus, ideò ab ipso numero propriè accepto abstraho rationem discretionis, quæ ponitur communis omni numero, siue propriè, siue impropriè accepto. Et tertiò præmitto, quòd Doctor non accipit hîc Trinitatem sic absolutè, sed sicut ab hoc ente abstraho rationem entis in se, & ab hoc numero rationem numeri in se, & ab hac vnitate rationem vnitatis in se, & ab hoc supposito rationem suppositi in se, & ab hoc summo rationem summi in se, & coniungendo omnia ista, formo hâc propositionē; *aliquod ens summū est trinum & vnū*, id est, aliquod ens summum vnum, & idem perfectè est in tribus suppositis, siue aliqua natura summa omnino in se vna, & indiuisa est simpliciter, & perfectè in tribus suppositis realiter ab inuicem distinctis, & sic patet intentio Doctoris, & per consequens patet etiam responsio ad illa duo argumenta.

24. Ad instantias contra aliam partem. Dico breuiter quòd Deus nullo modo dicitur distinctè cognosci per conceptum entis, quia tunc dicitur aliquid distinctè cognosci, quando cognoscitur secundùm omnia pertinentia ad *esse* illius, & sic albedo distinctè cognoscitur quando cognoscitur secundùm omnes realitates, à quibus accipitur alius, & alius conceptus; & sic non posset distinctè concipi in re, nisi concipiatur secundùm realitatem, à qua accipitur conceptus entis, nec per consequens conceptus albedinis posset distinctè concipi, nec omnes conceptus pertinentes ad conceptum eius concipiperentur; & sic oportet quòd concipiatur primò conceptus entis. Sed in Deo non sunt hujusmodi realitates, vt suprà patuit, sed tantùm vna realitas quiditatiua omnino indistincta, quæ ex natura rei, vel totaliter scitur, vel totaliter ignoratur, & vt sic nullo modo est resolubilis in aliquid prius, & per consequens non diceretur aliquo modo distinctè cognosci per conceptum entis, & vt sic, est non tantùm summè simplex, sed etiam simpliciter simplex. Si verò accipiatur Deus non ex natura rei, sed pro conceptu, tunc fortè conceptus entis includitur in tali conceptu, & per consequens posset ille conceptus distinctè cognosci per distinctam cognitionem omniū pertinentium ad eius conceptum, & quia conceptus entis sic pertinet: tunc cognitio distincta eius primò incipit à conceptu entis. Sed postea est difficultas, vtrùm ab vna, & eadem re omnino præter opus intellectus indistincta, possunt esse plures conceptus quiditatiui: pro nunc omitto hanc difficultatem, aliàs tamen prolixè pertractandam. Ad propositum tamen dico, quòd quamuis conceptus entis in se sit omnino distinctus, nec possit in se confusè concipi confusione partium actualium, est tamen confusus confusione partium potentialium, quia contrahibile ad omnia inferiora, & sic cognoscendo aliquid, vt præcisè in tali conceptu concipitur confusè. Dico tamen breuiter, quòd in proposito dicitur aliquid cognosci distinctè, quando in se cognoscitur, & non præcisè, vt in alio, & per consequens dicitur Deus tantùm confusè concipi, vt præcisè concipitur in ente. Dicitur autem distinctè concipi quando in se perfectè concipitur, & cognoscitur. Ex his patet responsio ad illas duas instantias, nec oportet nunc aliter respondere.

Deus non distinctè cognoscitur per cōceptum entis.

Deus non distinctè cognoscitur per cōceptum entis.

Dubium.

Responsio

Quid sit distinctè concipi.

Secundò principaliter instatur contra secundam conclusionem, probando quòd idem actus non eliciatur à fide infusa, & acquisita. Et primò sic: habitus specie distincti necessariò inclinant ad actus specie distinctos. Patet ista, quia sicut actus distinguuntur specie ex obiectorum specifica distinctione, sic similiter habitus videntur vt specie distincti, præcisè inclinare ad actus specie distinctos. Sed fides infusa, & acquisita sunt habitus specie distincti; patet quia supernaturale, vt huiusmodi specie distinguitur à naturali, sicut etiam corruptibile, & incorruptibile. Tum etiam, quia si essent eiusdem speciei, posset habitus infusus causari à causa naturali; patet, quia si vnum indiuiduum potest naturaliter causari; etiam quotlibet eiusdem rationis poterit naturaliter causari; ergo est impossibile quòd vnus, & idem actus credendi sit simul secundùm inclinationem vtriusque habitus.

Secundò instatur sic; plures habitus acquisiti

Secundò instatur sic: plures habitus acquisiti specie distincti, etiam loquendo de habitibus fidei, non possunt simul inclinare ad vnum, & eundem actum; ergo nec multò minùs habitus acquisitus, & habitus supernaturaliter infusus. Consequentia patet. Tum, quia supernaturalis, & naturalis minùs conueniunt, quàm duo naturaliter acquisiti. Tum etiam, quia naturaliter acquisiti habent euidentiam ex testimonio creato, cui firmiter creditur, non sic supernaturalis. Antecedens patet, quia respectu huius articuli *Deus est trinus & vnus*, potest causari habitus inclinans ad actum respectu illius conclusionis, siue articuli. Et respectu huius articuli. *Verbum caro factum est*, potest acquiri alius habitus à Deo præcisè inclinans ad assentiéndum huic articulo, *Verbum caro factum est*, & tamen isti habitus fidei nullo modo inclinant ad eundem actum, imò præcisè ad distinctos actus. Nota.

Tertiò instatur sic, quia si isti duo habitus inclinant ad eundem actum eliciendum à potentia, inclinant etiam ad cōditiones secundùm quas elicit actum, aliter non inclinarent potentiam ad actum eundem eliciendum. Sed præcisè habitus fidei acquisitus inclinat potentiam ad promptè faciliter expeditè, & delectabiliter actum eliciendum, & non habitus infusus: patet, quia istæ sunt conditiones præcisè habitus acquisiti ex frequentatis actibus, vt patet à Doctore *in primo dist.* 17. vbi vult quòd habitus charitatis non habeat has conditiones; ergo sequitur quòd isti habitus non inclinant ad eundem habitum.

26. Quartò instatur, & pono casum quòd quis acquisiuerit habitum fidei valde intensum de aliquo articulo includēte falsitatem, puta, quòd inclinet potentiam ad assentiendum huic, *Deus non est trinus & vnus*, & pòst stante illo habitu, infundatur habitus fidei inclinas ad assentiendum huic: *Deus est trinus & vnus*, quia hoc non repugnat: licèt enim habitus fidei infusus non stet cum actu, quo quis assentit huic: *Deus non est trinus & vnus*, sicut nec charitas cum actuali peccato mortali, tamen stat cum habitu, sicut & charitas stat cum habitu vitioso, quia non statim habitus vitiosus deletur, infusa gratia, vt patet à Doctore *in* 4. *dist.* 14. *q.* 1. hoc stante, patet quòd non sequitur quòd eliciatur actus idē secúdùm inclinationem vtriusque habitus, imò inclinant ad actus oppositos; & tamen isti duo habitus sunt in eodem operante.

Quintò instatur. Et pono quòd habitus siue naturalis, siue supernaturalis concurrat actiuè ad actum, vt videtur tenere Doct. *in primo dist.* 17. *& in* 3. *dist.* 27. Ita quòd non tantùm inclinent ad actum, sed partialiter concurrant, vt duæ causæ partiales. Sed duo habitus specie distincti non possunt causare vnum, & eundem actum specie, & multò minùs vnum numero: patet, quia sicut duo obiecta specie distincta non possunt esse duæ causæ partiales integrantes vnam, siue non integrantes respectu vnius actus speciè, vt patet *in primo dist.* 3. *q.* 7. ergo nec habitus specie distincti, quales sunt habitus infusus, & acquisitus.

Sextò instatur per argumentum à maiori; si de quo magis videtur inesse, & non inest, ergo nec de quo minus. Sed magis videtur, quòd duo habitus, solo numero differentes, possint inclinare potentiam ad eundem actum eliciendum, quàm duo habitus specie distincti: Patet ista maior; sed duo habitus solo numero differentes, puta habitus, quo distinctè cognosco Frāciscum, & habitus, quo distinctè cognosco Ioánnem (habitualiter tamen) non possunt inclinare intellectum ad vnam cognitionem numero, vt patet; ergo. Sicut se habent duæ species intelligibiles specie distinctæ in eodem operante ad actum intelligendi, sic se habent habitus fidei infusus, & habitus fidei acquisitus in eodem operante ad actum assentiendi. Patet similitudo, quia æquè species ponuntur duæ formæ in eodem operante respectu actus, sicut & habitus illi. Tum etiam, quia illæ species ponuntur quasi habitus, vt patet à Doctore *in primo dist.* 3. *q.* 6. Tum etiam, quia ponuntur in eodem operante vt causæ partiales actus cognoscendi, sicut illi habitus ponuntur in eodem operante vt causæ partiales actus cognoscendi, sicut illi habitus ponuntur in eodem operante causæ partiales actus assentiendi. Nec videtur neganda ista similitudo: sed duæ species intelligibiles non possunt concurrere ad vnum, & eundem actum cognoscendi, quando specie distinguuntur, vt patet: ergo nec isti habitus specie distincti, vt suprà probaui, quòd specie distinguuntur. Et posito quòd specie nō distinguantur, adhuc stat ratio, quia duæ species intelligibiles solo numero differentes, vt species intelligibilis Francisci, & species Ioannis, quæ solo numero differunt non possunt causare vnum, & eundem actum numero intelligendi, vt patet *in secundo d.* 3. vide quæ ibi exposui, sic erit in proposito de istis habitibus.

Respondeo ad istas instantias. Ad primam concesso quòd distinguantur specie illi habitus, non sequitur conclusio, quia maior est falsa, loquēdo de duobus habitibus, quorum vnus est infusus, & alius acquisitus, comparando eos ad vnum, & idem obiectum: sicut in proposito fides infusa respicit simpliciter idem obiectum, quod & fides acquisita. Et sic duæ formæ in eodem operante respicientes idem penitus obiectum, & inclinantes potétiam ad illud idem, videntur semper inclinare ad eundem actum. Et cùm probatur de habitibus acquisitis specie distinctis. Dico, quòd non est simile, quia causantur ab actibus specie distinctis, qui actus distinguuntur specie propter distincta obiecta, à quibus causantur, & sic necessariò, vt sic specie distincti, respiciunt distincta obiecta, specie distincta, & per consequens habitus causati ab illis actibus dicuntur specie distingui ab obiectis specie distinctis, quæ immediatè respiciūt, & per consequens non possunt inclinare potentiam ad vnum, & eundem actum, vt patet. Si tamen per possibile, vel impossibile illi habitus specie distincti inclinarent potentiam ad idem simpliciter obiectum. Dico, quòd potentia eliceret præcisè vnum actum secundùm inclinationem vtriusque habitus. 27. Responsio ad instantias.

Ad secundum, concesso antecedente, negatur consequentia, quia plures habitus acquisiti specie distincti necessariò inclinant ad plura obiecta complexa, fortè specie distincta, vt patet in exemplis, & per consequens non possunt inclinare potentiam ad vnum, & eundem actum respectu vnius, & eiusdem obiecti complexi. Sed habitus infusus semper inclinat ad

ad idē obiectū, ad quod inclinat fides acquisita, ideò inclinant potentiā ad eliciendum eundem actum circa idem obiectum complexum. Nota tamen, quòd loquendo de habitibus acquisitis, non videtur quòd vnus, & idem habitus inclinet ad assentiēdū pluribus obiectis complexis, quia vnus habitus potest esse præcisè causatus ex pluribus actibus, assentiendi huic complexo: *Deus est trinus, & vnus*, ita quòd præcisè inclinat potentiam ad eliciendum actum circa illud complexum, & respectu huius complexi: *Christus mortuus est*, potest causari alius habitus ex frequentatis actibus assentiendi illi complexo, & cùm habitus semper inclinet ad similes actus, sequitur quòd præcisè inclinabit ad actum respectu eiusdem complexi, & sic videtur ponere plures habitus acquisitos respectu alterius, & alterius complexi; potest tamen dici vnus habitus acquisitus aggregatus ex omnibus habitibus acquisitis. Sed habitus fidei infusus videtur tantùm vnus inclinans ad omnes articulos, & concurrens cum omnibus aliis habitibus acquisitis, sicut charitas infusa ponitur tantum vnus habitus, & potest concurrere ad omnes actus aliarum virtutum in voluntate existentium. Et sic videtur quòd idem habitus fidei infusus habeat aliā, & aliā inclinationē ad alium, & alium articulū, & semper simul inclinet potentiam ad eliciendum actum circa idem complexum, circa quod habitus acquisitus inclinat, ita quòd quando vnus habitus acquisitus inclinat ad actum circa aliquem articulum, semper infusus inclinat ad eundem actum.

28. Ad tertium dico, quòd habitus infusus absolutè inclinat potentiam ad eliciendum eundem actum, ad quem inclinat habitus acquisitus, non tamen sequitur quòd potentia inclinata eodem modo eliciat actum, vt vtitur habitu infuso, sicut quādo vtitur habitu acquisito, quia vt vtitur habitu tantùm infuso, tantùm elicit actum absolutè; vt verò vtitur habitu acquisito, tunc elicit eundem actum faciliter promptè, &c. quia istæ sunt præcisè conditiones habitus acquisiti. Dico secundò quòd potentia præcisè vtitur habitu infuso, quando vtitur habitu acquisito, & elicit actum præcisè, secundùm quòd inclinat ad actum eliciendum, sed tam acquisitus quàm infusus tantùm inclinat ad actum assentiendi, & non vnus magis inclinat, quàm alius, cùm vterque inclinet per modum naturæ; sed facilitas, & promptitudo operandi est à voluntate sic habituata, & hoc accidit.

Nota

Ad quartum patet responsio, quia loquimur præcisè de habitu infuso, & acquisito, qui respiciunt idem obiectum complexum, & non aliud, & aliud, sicut ponitur in argumento.

Ad quintum. Dico breuiter, quòd non est simile, quia duo obiecta specie distincta necessariò causant actus specie distinctos, & hoc est ex natura obiectorum. Sed isti habitus præcisè vt respiciunt idem complexum inclinant ad eundem actum, & sunt præcisè in eodem operante.

Ad sextum de speciebus intelligibilibus, & de distinctis habitibus numero patet, responsio ex suprà dictis, quia non sunt respectu eiusdem obiecti.

Tertiò principaliter instatur, contra tertiam conclusionem, probando quòd etiam ex sola fide infusa quis potest elicere actum credendi, & arguitur sic primò: Quicquid ponitur ratio formalis eliciendi aliquē actum, si sit in supposito debito, illa potest immediatè elicere actum, patet ista à Doctore *in primo dist. 2. par. 2. q. 3. & dist. 7.* & in multis aliis locis, & specialiter *in q. 13. quoli.* Sed intellectus habens fidem infusam est ratio formalis eliciendi actum credendi, tenendo secundùm veritatem quòd habitus concurrat actiuè ad actum, patet, quia tunc intellectus, & habitus fidei infusus sunt duæ causæ partiales integrantes vnam totalem, & sufficientem respectu actus eliciendi: patet, quia nihil aliud requiritur ex parte principij actiui. Si etiam ponatur habitus inclinans, & potentia causa totalis eliciēdi actum assentiendi, adhuc habetur propositum, quia ille habitus inclinat potentiam ad eliciendum actum credendi per modum naturæ, & necessariò, vt patet à Doctor in simili *in primo dist. 17. & in 4. dist. 49. q. prima*: habito ergo perfecto inclinatiuo ad actum credendi in potentia nata elicere actum credendi vt causa totali, potest immediatè elicere actum illum, ad quem talis habitus fidei infusus inclinat, & hoc præhabita cognitione terminorum, & complexione eorum. Si enim fidei habitus infusus inclinat ad actum assentiendi huic complexo: *Deus est trinus, & vnus*, siue *aliquod ens est trinum, & vnum*, & intellectus habens talem habitum, præ cognoscat terminos illius complexionis, & actu percipiat illam complexionem, & habitus infusus necessariò, & per modum naturæ, & determinatè inclinet ad illum actum, quia intellectus non potest tunc vti tali habitu inclinatiuo ad assentiēdum huic complexo: *Deus est trinus, & vnus*, non videtur, & alio in contrarium.

Ex sola fide infusa, quis potest elicere actum credendi.

Primum dubium.

Secundò instatur, idem manens idem semper natum est facere idem, remoto omni impedimento tam ex parte obiecti, quàm ex parte sui. Sed fides infusa est simpliciter eadem ante habitum acquisitum, quæ & post habitum, & ante habitū acquisitū nullum apparet impedimentum, non ex parte obiecti, quia potest esse circa idem obiectum, puta, *aliquod ens est trinū, & vnum*, nec ex parte habitus infusi; patet quia est æquè dispositus ante habitum acquisitum sicut pòst; patet, quia habitus acquisitus non ponitur vt dispositio habitus infusi, quia tunc acquisitus non attingeret eundem terminum, quia dispositio propria non est ad eundem terminum attingendum, ad quem est agens principale; nec ponitur habitus acquisitus, vt causa particularis concausans habitui infuso; patet, quia sic ponitur causa partialis habitus infusus; ergo sicut habitus acquisitus sine infuso potest inclinare potentiam ad actum eliciendum, sic è contra, habitus infusus, sine acquisito. 29.

Secundum.

Tertiò instatur sic: potentia operatiua habēs duas formas circa idem obiectum, quarum vna non est determinatiua alterius, & æquè inclinant ad actum eliciendum circa idem obiectū, & secundùm vtriusque inclinationem, potest elicere actum, sequitur quod sicut per acquisitam solam potest actum credendi elicere, ergo & per solam infusam cùm non appareat maior ratio de vna, quàm de alia.

Tertium.

Quartò

Quartum. Quartò instatur, & pono casum quòd quis habeat habitum fidei infusum, & non acquisitum, & assentiat tunc huic complexo: *aliquod ens est trinum, & vnum*, quæro an potentia eliciat hunc actum assentiendi secundùm inclinationem habitus infusi, aut non?non secundò, quia ponis quòd habens habitum fidei infusum, nunquam elicit actum credendi, nisi eliciat secundùm inclinationem fidei infusæ. Si primò, ergo habens solum habitum infusum potest elicere actum credendi secundùm inclinationem illius habitus.

Quintum Quinto instatur sic: habitus acquisitus nihil facit ad habitum infusum; ergo potentia æquè benè potest elicere actum secundùm inclinationem habitus infusi, sicut secundùm inclinationem habitus acquisiti. Consequentia patet, quia si habitus infusus in nullo dependet ab acquisito, & est æquè inclinans, & fortè magis inclinans, quia non ita potest secundùm infusum solum sine acquisito, sicut potest secundùm acquisitum sine infuso. Antecedens patet, quia infusus in nullo dependet, nec secundùm *esse*, nec secundùm inclinationem, quæ est idem sibi; patet, quia immediatè creatur à Deo, & æquè benè potest esse circa idem obiectum complexum.

30. *Sextum* Sextò instatur sic: fides infusa æquè inclinat ad credendum ea, quæ habent euidentiam ex terminis, & includunt aliquam euidentiam connexionis terminorum, si termini sint apprehensi ex sensibilibus, sicut fides acquisita; ergo potentia habens tantùm habitum infusum, æquè potest elicere actum, secundùm inclinationem eius, sicut secundùm inclinationem habitus acquisiti. Consequentia patet per Doctorem, qui ponit potentiam habentem habitum acquisitum posse elicere actum secundùm inclinationem illius habitus, eo quòd inclinat ad credendum ea, quæ habent euidentiam ex terminis, &c. Antecedens probatur, quia habens fidem infusam potest ex suis naturalibus à sensibilibus abstrahere ens in se, & vnitatem, & trinitatem coniungendo ad inuicem, vt suprà patuit, & potest formare idem complexum ex eisdem terminis, sicut si haberet fidem acquisitam. Hoc patet per experientiam, possum enim formare hoc complexum, *aliquod ens est trinum, & vnum*; cùm ergo fides infusa æquè respiciat in eodem idem complexum ex eisdem penitus terminis, quod respicit fides acquisita, sequitur quòd fides infusa ita inclinet ad credendum ea quæ habent euidentiam; ex terminis, sicut & acquisita.

Septimum. Septimò instatur sic; sicut se habet voluntas ad habitũ charitatis infusum respectu actus meritorij, & similiter ad habitum infusum spei respectu actus sperandi, sic se habet intellectus ad habitum fidei infusum respectu actus credendi. Patet similitudo, quia istæ potentiæ comparantur ad habitus supernaturales; sed voluntas adulti habens solum habitum charitatis infusum, sine aliquo acquisito potest meritoriè diligere proximum; ergo secundùm inclinationem charitatis, quia aliter non esset meritorius, vt patet à Doctore *in primo, dist.* 17. Hoc idem patet de habitu spei infuso; ergo similiter erit dicendum de habitu fidei infuso, cùm non videatur maior ratio de vno, quàm de alio.

Octauum. Octauò instatur sic per argumentum à fortiori; intellectus potest elicere actum credendi sine aliquo habitu neque infuso, neque acquisito; patet, quia potest assentire huic complexo, *aliquod ens est trinum, & vnum*, quia potest immediatè credere testimonio fide digno, vt suprà patuit, ergo quòd fortiori idem intellectus habens solum habitum infusum potest assentire tali complexo, & non assentiet, nisi secundùm inclinationem habitus infusi, cùm nullus alius habitus sit ibi, ergo, &c.

Nonum. Nonò instatur sic; actus credendi magis dependet ab habitu infuso, quàm ab habitu acquisito; ergo potentia magis potest elicere actum secundùm habitum infusum, quàm secundùm habitum acquisitum; ergo si potest cum solo acquisito, multò fortiùs poterit cum solo infuso. Consequentia est nota, quia si potest esse à solo acquisito, à quo minùs dependet, à fortiori potest esse à solo infuso, à quo magis dependet. Antecedens probatur, tum quia habitus infusus se habet, vt causa magis vniuersalis, quàm habitus acquisitus, quia vnus, & idem habitus acquisitus non respicit omnes articulos, imò quot sunt articuli distincti, tot sunt habitus acquisiti distincti, vt suprà patuit. Sed vnus, & idem habitus infusus respicit, & inclinat ad omnes articulos, vt suprà patuit. Tum etiam, quia actus credendi est infallibiliter verus, vt præcisè est ab habitu fidei; ergo simpliciter magis dependet ab habitu fidei infuso.

Decimum. Decimò instatur, quia intellectus habens duos habitus ex imperio voluntatis potest vti vno ad agendum, & non alio; patet in simili, quia idem intellectus habens plures species intelligibiles ex imperio voluntatis, poterit vti vna, & non alia, vt patet à Doctore *in secundo, dist.* 9. ergo similiter in proposito habens habitum fidei acquisitum, & habitum fidei infusum, poterit vti vno, & non alio; ergo sicut imperio voluntatis potest vti habitu acquisito ad eliciendum actum credendi sine habitu infuso, è contra videtur quòd intellectus imperio voluntatis possit, vti infuso sine acquisito.

31. *Responsio ad omnes obiectiones.* Respondeo ad omnes istas obiectiones præmittendo priùs aliqua pro maiori intelligentia. Primo præmitto quòd potentia habituata, & agens, vel secundùm solam inclinationem habitus, vel etiam ponendo habitum concurrere partialiter ad actum vt credo esse verum, secundùm intentionem Doctoris, *in primo, dist.* 13. *& in tertio, dist.* 27. semper potentia est principale agens, ita quòd ipsa non agente, siue actum eliciente, nullus habitus, quantumcúnque intensus, posset aliquo modo elicere actum; sed potentia agente ipsa potest vti habitu ad agendum, vel sequendo præcisè eius inclinationem, id est, eliciendo illum actum, ad quem talis habitus inclinat, vel etiam vltra inclinationem, vtendo illo habitu, vt causa partiali respectu actus; hoc patet à Doctore *in primo, dist.* 17. potentia enim sola cum obiecto potest elicere actum circa obiectum, sed non ita perfectum eliceret sine habitu, sicut cum habitu, agendo semper æquali conatu, vt probat Doctor *in primo, dist.* 17. *& in tertio, dist.* 27.

Secundò præmitto, quòd potentia determinatè vtitur habitu acquisito ad eliciendum actus secundùm illum habitum, quia ille habi

habitus est euidens non immediatè, sed mediantibus actibus ex quibus generatur, qui actus dicuntur euidentes terminatiuè ex hoc, quòd terminantur ad complexum, puta hoc, *aliquod ens est trinum* euidens ex terminis non sic absolutè intelligendo, quia si terminaretur ad complexum euidens ex terminis tunc ille actus nõ esset actus credendi, quia fides de obiecto complexo non stat cum euidentia illius, vt patet à Doctore *in prol. q. penult. & melius in tertio, dist.* 24. Sed illud complexum non est euidens ex terminis, cùm sit propositio mediata, vt patet *in prol. q. prima*, quæ nata est fieri euidens per aliam immediatam, vt patet à Doctore *vbi suprà, & quæst. præsenti, art.* 1. nec per actum fidei sit potentiæ euidens mediatè, quia tunc potentia haberet aliam immediatam euidentem ex terminis, & vltrà actus fidei non stat cum euidentia obiecti, siue mediatè, siue immediatè, vt patet à Doctore *in tertio dist.* 24. Nec similiter hoc complexum, *aliquod ens est trinum*, est euidens ex terminis euidentia experimentali, vt patet. Dico tunc, quòd hoc complexum, *aliquod ens est trinum*, præcisè dicitur euidens ex terminis, pro quanto assentio illi complexo affirmato ab aliquo, cui indubitanter credo: pro quanto ergo testis fide dignus asserit illud complexum esse verum, pro tanto assentio illi complexo, & sic complexum illud dicitur euidens ex terminis, non absolutè, vt suprà patuit; sed dicitur euidens, quia assertum affirmatur esse verum, prout constat ex illis terminis, & hoc modo illi termini habent aliquam euidentiam connexionis, quia firmiter assentio illi complexo ex illis terminis, quia sic asserto, & affirmato; complexum ergo illud non includit euidentiam connexionis terminorum absolutè, sed complexum, vt assertum, vt verum à testimonio fide digno, cui firmiter credo, vt sic includit euidentiam connexionis terminorum, quæ euidentia est à testimonio fide digno. Et quia fides acquisita generatur ex frequentatis huiusmodi actibus, ideò ipsa inclinat ad ea, id est complexa, quæ habent euidentiam ex terminis, & euidentiam connexionis terminorum modo præexposito. Quia ergo intellectus experitur se elicere multos actus, quibus firmiter assentit tali complexo, & tandem experitur per frequentationem actuum elicere alios actus promptè, faciliter expeditè, & delectabiliter, ideò experitur se habere talem habitum fidei acquisitum, & per consequens secundùm inclinationem, talis habitus elicit actum credendi, quia ille habitus est generatus ex pluribus actibus assẽtiẽdi, quos experitur in se, & si nullus actus assentiendi firmiter tali complexo non præfuisset in tali intellectu, & idem habitus quem nunc habet, acquisitus ex pluribus actibus esset immediatè causatus à Deo in illo intellectu, intellectus ille non eliceret actum assentiendi illi complexo, quia propter talem habitum non firmiter crederet, vt patet. Meritò ergo dicit Doctor quòd intellectus habens tantùm fidem infusam, non eliceret actum credendi secundùm inclinationem illius, quia nunquam firmiter assentiret huic complexo, *Deus est trinus, & vnus*, & hoc est, quia fides infusa non inclinat ad illa complexa, quæ habent euidentiam ex terminis, modo præexposito: nec per fidem infusam scit intellectus tale complexum esse assertum à Deo, nec ab aliquo teste, fide digno, ideò propter illam non elicit actum assentiendi, sed benè propter habitum acquisitum elicit actum credendi, quia multos præcedentes, causantes ipsum habitum, præhabuit, quibus firmiter assentiebat illi complexo.

Vnde generetur fides acquisita.

Tertiò præmitto, quòd habens fidem acquisitã, & infusam quando elicit actum fidei circa complexum verum, elicit secundùm inclinationem vtriusque; sed quando elicit secundùm fidem acquisitam, experitur se elicere secundùm illam propter causam superiùs dictam; sed quando elicit secundùm inclinationem fidei infusæ, nullo modo experitur se elicere secundùm eius inclinationem, sed tantùm credit in vniuersali, quòd habens fidem infusam quando elicit actum credendi, quòd semper eliciat secundùm inclinationem eius. 33.

Responsio ad primum dubium.

Istis præsuppositis. Respondeo ad primam instantiam, concedendo maiorem: ad minorem dico, quòd quamuis intellectus cum fide infusa sit ratio formalis producendi actum credendi, si haberet obiectum suo modo præsens, scilicet complexum, vt assertum, & affirmatum tanquam verum à testimonio fide digno, cui firmiter credo, tamen ad tale complexum non inclinat fides infusa, imò ipsa inclinat ad illud verum, vt est à Deo verum, cùm sic inclinet, vt est participatio lucis diuinæ, & pro quanto conformatur illi lumini.

Ad secundum

Ad secundum concedo illam propositionem: Idem manens idem, &c. & similiter concedo, quòd fides infusa maneat eadem, & ante acquisitam, & post acquisitam, & concedo quòd acquisita nihil addit infusæ, nec est dispositio eius, & sic concedo quòd ipsa infusa semper inclinat ad actum assentiendi obiecto complexo, non tamen vt asserto ab aliquo teste naturaliter noto, cui firmiter credo, sed inclinat ad illud, vt est immediatè ab ipso Deo, qui nec potest fallere nec falli cùm in inclinando ad huiusmodi actum conformetur lumini diuino, vt dixi, & quia non est notum intellectui hoc complexum esse immediatè reuelatum à Deo tanquam verum, ideò non elicit actum secundùm inclinationem fidei infusæ quando sola inest. Et quamuis eliciat actum secundùm fidem infusam, quando elicit secundùm acquisitam, tamen nescit se elicere actum secundùm infusam, quia tunc secundùm illum actum assentiret firmiter illi complexo, vt immediatè reuelato à Deo; sed præcisè secundum actum assentit complexo, vt asserto ab aliquo testimonio fide digno.

Ad tertium.

Ad tertium, patet responsio ex his quæ dixi ad secundum argumentum.

Ad quartum

Ad quartum, admitto casum illum, quia est possibilis, & cùm postea infertur, ergo potest elicere actum secundum inclinationem fidei infusæ, & non secundùm acquisitum. Dico primò, quòd quando habet acquisitam causatam ex pluribus actibus, vt dixi, experitur se elicere secundùm inclinationem illius, & experitur se assentire complexo affirmato, vt verò à testimonio fide digno, cui credo, & hoc quia priùs firmiter assensit illi complexo, aliquibus actibus assentiendi præcedentibus ipsum habitum, & ipsum causantibus. Et ideò concedo quòd quando elicit actum priorem habitu acquisito illo actu firmiter assentit complexo, vt sic testificato, 34.

testificato, & concedo quòd etiam elicit illum actum secundùm inclinationem fidei infusæ, sed hoc non est sibi notum, vt suprà patuit, & sic concedo quòd tunc non inest ex hypothesi, intelligit, ergo Doctor quòd quando habet habitum solum fidei infusæ, quòd non elicit actú præcisè secundùm inclinationem illius, id est, quòd illo actu firmiter assentiat complexo secundum quod est elicitus secundòm inclinationem fidei, quia tunc assentiret illi complexo, vt immediatè reuelato à Deo; sed illo actu priore habitu acquisito, assentit complexo, vt testificato, &c. Si ergo potentia non eliceret talem actum, nullum eliceret, & quando illum elicit, ad illum fides infusa inclinat, & dico eodem modo, sicut quando concurrit infusa cum acquisita.

Ad quintum Ad quintum, patet responsio ex dictis ad secundum argumentum.

Ad sextum. Ad sextum, negatur quòd fides infusa æquè inclinet ad credendum ea, quæ habent euidentiam ex terminis, quia non inclinat ad complexum, vt testificatum testimonio fide digno alicuius creaturæ rationalis, vt suprà patuit.

Ad septimū. Ad septimum. Dico idem esse de charitate, & fide infusa, & de hoc magis patebit in tertio, dist.26.& in primo, dist.17.

Ad octauum Ad octauum, patet responsio, quia benè concedo quòd intellectus potest immediatè elicere actum credendi alicui complexo præhabita cognitione illius complexi, quia potest firmiter assentire illi ex testimonio fide digno asserente illud, vt verum, sed ex hoc non sequitur quòd possit immediatè elicere ex sola inclinatione habitus infusi, cùm ille inclinet ad actum assentiendi complexo, vt immediatè à Deo reuelato, vel testificato, vt suprà patuit.

Ad nonum. Ad nonum. Dico, quòd posito quòd actus credendi magis dependeat ab habitu infuso, quo ad *esse* absolutum, non tamen vt est actus firmiter assentiendi obiecto complexo testificato modo præexposito, imò vt sic, simpliciter dependet à potentia, & habitu acquisito, vt suprà patuit, & ideò aliquam conditionem ille actus habet ab habitu acquisito, quam non habet ab habitu infuso, & similiter aliquem habet vt est ab habitudo infuso, quam non habet ab acquisito, vt suprà patuit.

35. Quartò principaliter instatur contra quartam, probando quòd fides infusa non inclinat ad aliquod falsum, quòd nec etiam fides acquita potest inclinare ad aliquod falsum, quando simul concurrunt ad eundem actum. Et arguo sic, primò, Idem actus credendi simul est secundùm inclinationem vtriusque fidei, scilicet acquisitæ, & infusæ, aut ergo ille idem actus elicitur ab vtráque fide circa idem obiectum complexum, aut circa aliud, & aliud. Si secundò, hoc non videtur quia tunc non esset idem actus; non enim eodem actu assentitur pro statu isto diuersis obiectis complexis, siue diuersis articulis fidei. Si primò, habetur propositum, quia tunc elicitur simpliciter circa obiectum complexum verum, & tunc actus ille erit infallibilis, prout innititur fidei acquisitæ, sicut etiam quando innititur fidei infusæ.

Secundò instatur, quia actus credendi dicitur verus, & infallibilis non ex se formaliter, cùm sit incomplexus, & in incomplexo non est veritas, nec falsitas formaliter, sed fortè virtualiter, de quo expositum est in primo, & aliqualiter in secundo; est ergo infallibilis denominatione extrinseca, eo quòd terminatur ad obiectum complexum formaliter verum, & infallibiliter verum. Sed est impossibile quòd sit idem actus numero secundùm inclinationem vtriusque fidei, scilicet acquisitæ, & infusæ, qui terminetur ad idem obiectum complexum; ergo si est infallibilis, quia elicitur secundùm inclinationem fidei circa hoc complexum, *Deus est trinus, & vnus*, sequitur quòd erit æquè ininfallibilis, quando elicitur secundùm inclinationem fidei acquisitæ, quia ita inclinat ad idem obiectum complexum formaliter verum, sicut fides infusa.

Tertiò instatur, & præsuppono dictum Doctoris, *in primo, dist.*17. quòd quando sunt duæ causæ partiales concurrentes ad eundem actum, non erit substantia actus ab vna, & intensio actus ab alia sicut dicebat vna opinio ibi improbata; sed simpliciter ab eodem est substantia, & intensio actus, ita quòd tam ab vna causa partiali est substantia, & intensio actus, quam ab alia partiali, licèt actus sit perfectior ab vna, quàm ab alia: hoc stante, arguitur sic à simili; si actus assentiendi est tam secundùm inclinationem fidei acquisitæ, quàm infusæ, & similiter intensio eius secundùm vtriusque inclinationem, sequitur quòd etiam veritas, seu infallibilitas actus, quæ concomitatur actum, erit secundùm vtriusque fidei inclinationem.

Quartò instatur, quia actus credendi, vt innititur fidei infusæ, & vt elicitur secundùm inclinationem fidei infusæ, est necessariò infallibilis, quia necessariò circa obiectum verum, & 36.
vt innititur fidei acquisitæ, siue vt elicitur secundùm inclinationem fidei acquisitæ potest esse fallibilis; ergo idem actus credendi numero, erit necessariò infallibilis, & non necessariò infallibilis, quia necessariò infallibilis, vt innititur fidei infusæ, & non necessariò infallibilis, vt innititur acquisitæ fidei, hoc autem est incóueniens de vno, & eodem actu. Sicut si idem simul produceretur à causa necessaria partialiter, & ab alia liberè, & contingenter, & diceretur quòd simul haberet necesse esse, & contingens esse. Sic in proposito.

Quintò instatur. Et pono casum quòd quis eliciat actum credendi huic complexo, *Deus est trinus, & vnus*, secundùm inclinationem vtriusque fidei, & quòd ille idem actus continuetur à potentia circa idem obiectum complexum per horam, & quòd in medietate horæ deperdatur habitus infusus, puta per peccatum mortale, & per aliam medietatem continuetur à potentia præcisè secundùm inclinationem fidei acquisitæ, tunc quæro de illo actu, an sit infallibilis necessariò, an non: Si primò, patet quòd non est infallibilis ex habitu infuso, quia tunc sibi non potest inniti, cùm sit annihilatus ex hypothesi, ergo erit necessariò infallibilis, prout innititur fidei acquisitæ. Si dicatur, quòd non est necessariò infallibilis desinente habitu infuso. Contrà, quia tunc sequitur quòd manente præcisè eodem actu, & circa idem obiectum, simpliciter erit mutatus de infallibilitate in oppositum eius, quod videtur omnino inconueniens, vt patet intuenti. Sequitur ergo quòd idem actus credendi, prout innititur vtrique fidei, erit necessariò infallibilis.

37. *Responsio ad omnes instãtias.* Respondeo ad omnes instantias, præmittendo aliqua. Primò præmitto, quòd actus intelligendi dicitur habere veritatem, & infallibilitatem ab obiecto, quando ab ipso obiecto, vt sic dependet, sicut actus intelligendi hominem esse risibilem, est necessariò verus, & infallibilis, eo quòd dependet ab obiecto necessariò vero, & infallibili, quia est impossibile tale complexum posse falsificari; aliquando est verus, sed non necessariò, vt quando dependet ab obiecto non necessariò verò, sed contingenter vero, sicut actus intelligendi, quo intelligo hominem esse album, quod complexum potest aliquando falsificari: hoc idem dico, de actu assentiendi, quo assentit vero necessario, vel vero contingenter. Secundò præmitto, quòd quando duo habitus inclinant ad idem obiectum complexum, sub eadem præcisè ratione ex parte obiecti, ita quòd sit penitus idem obiectum, & præcisè eadem ratio formalis in obiecto, tunc actus elicitus à potentia secundùm inclinationem vtriusque si erit infallibilis vt innititur vni habitui, erit similiter infallibilis vt innititur alteri habitui; patet, quia tota veritas & infallibilitas actus est à veritate obiecti complexi; patet, quia si haberem duos habitus inclinantes ad assentiendum alicui complexo necessariò, & euidenti ex terminis, sicut hoc complexum est *Totum est maius sua parte*, tunc illi habitus inclinarent ad eliciendum actum euidentem circa tale complexum, & sic actus asserendi esset ita euidens prout innititur vni habitui, sicut & alteri, cum vterque inclinet ad idem obiectum complexum & sub eadem ratione, à quo obiecto est euidentia actus, sic dico in proposito de actu credendi, siue de actu assentiendi complexo vero. Tertiò præmitto, quòd obiectum fidei infusæ, (siue sit necessarium, siue contingens, quia sunt articuli necessarij, vt illi de Trinitate; & contingentes; vt illi qui sunt ad extrà) non ponitur illud obiectum verum præcisè, quia inclinat ad illud, vt in se verum, & euidens, quia tunc non esset fides, sed est obiectum verum, quia reuelatum esse verum ab ipso Deo immediatè, quamuis enim articuli fidei sint veri, nõ tamẽ assentimus illis, vt veris ex natura rei, sed assentimus quia firmiter assentimus alicui homini, vel communitati fide digne firmiter asserenti illum articulum esse verum. Fides ergo infusa, & fides acquisita præcisè inclinant ad actum assentiendi eidem verò, sicut huic: *Verbum est incarnatum*, non tamen præcisè inclinat ad assentiendum sub eadem ratione formali, quia infusa inclinat ad actum assentiendi illi vero, vt reuelato à Deo, & asserente illud esse verum, cui firmiter credendum est tanquam illi, qui nullo modo potest fallere, nec falli, & ideò illi actui assentiendi, vt præcisè innititur fidei infusæ, non potest sub esse falsum. Sed fides acquisita inclinat ad illud, idem verum, sub alia tamen ratione, quia assentit illi non ex euidentia terminorum, quia tunc non esset fides, sed præcisè assentit illi, quia firmiter assentit alicui homini, puta Apostolis, vel Ecclesiæ asserenti illud complexum esse verum, & quia tale testimoniũ ex natura sua posset aliquando errare, vel decipere idem talis actus assentiendi, prout innititur fidei acquisitæ, non est infallibiliter verus; & ideò, vt sic, non repugnat posse subesse falsum, licèt communiter non subsit; maximè quando credit Ecclesiæ asserenti, quæ, vt creditur, regitur à Spiritu Sancto.

Articuli necessarij, & contingentes.

Istis præmissis, patet responsio ad obiectiones. Ad primam concedo quòd idem actus elicitur secundùm inclinationem vtriusque fidei, & circa idem obiectum materiale, quia circa idem complexum; sed non sub eadem ratione formali, quia actus credendi, vt est secundùm inclinationem fidei infusæ, est id quo assentit complexo, vt à Deo reuelato tanquam vero, & actus elicitus secundùm inclinationem fidei acquisitæ, est id, quo potentia assentit eidem vero, vt reuelato à creatura, cui firmiter assentit, vt testimonio fide digno, illud vt verum asserenti. 38. *Responsio ad primam instantiam.*

Ad secundum, patet responsio ex dictis in prima responsione ad primum argumentum, quia quamuis sit infallibilis, quia respicit tale obiectum, aliter tamen ipsum respicit, vt innititur fidei infusæ, & aliter, vt innititur fidei acquisitæ, vt suprà patuit. *Ad secundam.*

Ad tertium, concedo dictum Doctoris *in primo, dist.* 17. sed posteà negatur similitudo, quia intensio actus est intrinseca realiter actui, & non potest produci aliquis actus in *esse*, quin habeat suam intensionem, sed infallibilitas actus est præcisè, quia respicit obiectum, vt sic à Deo reuelatum, vt verum, ideò non sequitur necessariò entitatem actus, sed præcisè dicitur infallibilis, quia terminatur ad obiectum sub tali ratione consideratum. *Ad tertiam.*

Ad quartum, concedo casum illum, siue sit possibilis, siue non, non curo, & dico quòd stante tali actu elicito, & fide infusa est infallibilis, quia sibi non potest subesse falsum. Cùm dicitur, quòd tunc fides non est, cui actu innitatur. Dico quòd hoc non refert, quia præcisè dicitur actus infallibilis pro quanto est elicitus secundùm inclinationem fidei circa obiectum à Deo reuelatum; stante ergo illo actu, circa idem complexum, ita quòd obiectum complexum non mutetur, semper stat infallibilis veritas actus, cui non potest subesse aliquod falsum, quia ex quo fuit infallibiliter verus, quia circa obiectum complexum à Deo reuelatum, vt verum, sequitur quòd non mutato obiecto, & stante eodem actu, quòd semper erit infallibiliter verus. *Ad quartam*

Ad quintum, & vltimum. Dico, quòd ille actus erit necessariò verus, circa idem obiectũ non mutatum, quia vt innititur fidei infusæ terminatur necessariò ad obiectum verum, & vt sic, non potest esse infallibilis, quia licèt absolutè possit esse fallibilis à fide acquisita tantum, tamen concurrente fide infusa cum acquisita, est necessariò infallibilis, quæ infallibilitas est præcisè, vt innititur fidei infusæ, vt suprà expositum est, & sic patet responsio ad instantias. *Ad quintam*

Alia dubia, quæ etiam important nonnullas difficultates pro nunc omitto aliis subtilius indagantibus, & fortè melius intelligentibus doctrinam Ioannis Scoti, &c.

SCHO

SCHOLIVM.

Ostendit animam, & Angelum non posse intuitiuè, vel abstractiuè, scientia immediata, seu ex terminis, atque propria, cognoscere Deum suis viribus. Ratio, quia Deus non est præsens vlli intellectui creato, naturaliter, ex 1. dist. 3. q. 2. nu. 16. quia nihil naturaliter potest agere ad extrà, sed tantùm quando vult. Quia si vult, videtur, si non vult, non videtur, *ex Ambrosio, super Lucam, vide Doct. 2. dist. 3. quæst. 9. vbi docet, siue habuerit Angelus speciem distinctè repræsentantem Deum, siue non, non potuisse illum ex naturalibus habere. Vide 1. d. 2. q. 7. & dist. 3. q. 7.*

10. DE secundo principali [p] licet notitia per se, & propria & immediata possit distingui in intuitiuam & abstractiuam; de qua distinctione priùs est habitum, tamen de vtraque videtur istâ conclusio tunc tenenda, quòd anima non potest attingere ad notitiam Dei propriam, & immediatam ex perfectione sua naturali, etiam pro quocunque statu naturæ: concurrentibus etiam quibuscunque causis naturaliter motiuis ipsius animæ ad cognoscendum; & idem diceretur de Angelo. Et ratio est: quia omnis talis intellectio, scilicet per se, & propria, & immediata requirit ipsum obiectum sub propria ratione obiecti præsens, & hoc vel in propria existentia, puta si est intuitiua; vel in aliquo perfecto repræsentante ipsum sub propria & per se ratione cognoscibilis, si fuerit abstractiua; Deus autem sub propria ratione diuinitatis non est præsens alicui intellectui creato, nisi merè voluntariè. De præsentia reali patet per illud Ambrosij super Lucam. *In eius potestate satis est videri, cuius natura non est videri, si vult videtur, si non vult videtur*, optime dicit, quòd *eius natura non est videri*, supple à creatura, quia eius natura non est causa naturaliter actiua huius visionis: nec etiam aliqua natura creata, [q] quæ est naturaliter actiua, potest esse causa huius visionis, vel perfectè præsentiæ obiecti; quia non potest continere in se perfectè essentiam illam secundùm entitatem suam; igitur nec secundùm suam intelligibilitatem.

(Margin: h 6. & 13. c. 1. 2. p. 3. q. 9. & in 3. d. 14. q. 3. & super 7. Met. q. 15. & 18.)

(Margin: Idem habet Aug. de videndo Deum.)

11. Per idem etiam patet quòd nihil creatum potest esse causa eius præsentiæ etiam abstractiuè apud intellectum, quia non potest causare aliquid quod sit repræsentatiuum propriũ, & per se diuinitatis sub propria ratione cognoscibilis; quia tale repræsentatiuum non potest causari, nisi vel ab ipsomet cognoscibili, vel ab aliquo perfectè continente ipsum sub ratione suæ cognoscibilitatis.

(Margin: *Nihil creatum potest causare repræsentatiuum Dei in se* 1. d. 3. q. 2. n. 16.)

Etsi igitur Deus possit cognosci per aliquod repræsentatiuum; illud tamen non posset causari nisi immediatè ab ipso Deo illud voluntariè causante.

Contra istud [s] quicquid per se continetur sub primo obiecto naturali alicuius potentiæ, ad illud potentia potest naturaliter attingere: alioquin obiectum primum non esset adæquatum potentiæ, sed transcendens in ratione obiecti; nunc autem ens, quod est primum obiectum naturale intellectus, verissimè conuenit ipsi Deo, igitur, &c.

Diceretur [t] quòd obiectum primum naturale potest dupliciter intellìgi. Vno modo, ad quod potentia inclinatur. Alio modo ad quod potentia potest naturaliter attingere, scilicet ex concursu causarum naturalium: ens in sua communitate, siue sit vniuocationis, siue analogiæ, non curo modô, etsi ponatur obiectum adæquatum cuiuscunque intellectus creati, loquendo de obiecto adæquato primo modo [u]: nón tamen de obiecto adæquato secundo modo: imò sic pro quocunque statu, cuiuscunque intellectus creati præcisè, ens limitatum est obiectum adæquatum, quia præcisè illud potest attingi virtute causæ naturaliter motiuæ intellectus.

(Margin: Vide var. in 1. q. 2. & hunc q. 1. & alibi sæpe. q. 1. prol. idem habetur de obiecto inclinationis & attingentiæ.)

Sed nec ens [x] adhuc in tanta communitate acceptum est obiectum naturale intellectus humani, vt videntur aliqui dicere: sed specialiter quiditas rei materialis. Ad quod ponitur talis ratio: potentia enim proportionatur obiecto; triplex autem ponitur potentia cognitiua, quædam omnino separata à materia, & in essendo & in cognoscendo, vt intellectus substantiæ separatæ: alia coniuncta materiæ, & in essendo, & in operando, vt potentia organica, sicut sensus: tertia quæ est formæ habentis *esse* in materia: sed ipsa non vtitur materia, siue organo materiali in operando, talis est intellectus noster. Isti triplici potentiæ correspondet triplex obiectum proportionatum, primæ quiditas separata omnino à materia; secundæ singulare omnino mariale; tertiæ igitur correspondet quiditas rei materialis: quæ licèt sit in materia, tamen non cognoscitur vt in materia singulari.

COMMEN

COMMENTARIVS.

39. *An anima pro quocunque possit attingere Trinitatem.* DE *secundo articulo principali*, vbi videndum est de cognitione perfecta, & immediata; an scilicet anima pro quocunque statu possit cognitione perfecta, & immediata attingere Trinitatem. Dicit, quòd *licet notitia per se & propria & immediata possit distingui in intuitiuam, & abstractiuam, de qua suprà habitum est.* Abstractiua perfecta Trinitatis est notitia distincta, & immediata, quæ immediatè attingit ipsam, & non per aliud obiectum priùs cognitum, excludendo aliud in ratione obiecti cogniti, non excludendo tamen aliud in ratione formali cognoscendi, quia sic communiter species intelligibilis est ratio formalis causandi huiusmodi notitiam abstractiuam. Similiter intuitiua propria & perfecta & immediata est illa, quæ distinctè attingit ipsam Trinitatem, vt in se perfectè præsentem, & ipsa immediatè attingitur, excludendo omne aliud in ratione obiecti cogniti, non tamen excludendo aliud in ratione formali, siue aliud potens supplere vicem rationis formalis, & sic Deitas est præcisè ratio cognoscendi ipsam Trinitatem, & ipsa sola, vt comparatur ad intellectum diuinum est ratio mouendi ad notitiam intuitiuam Deitatis, & Trinitatis. Sed vt comparatur intellectui creato voluntas diuina est ratio formalis mouendi, & in hoc supplet vicem obiecti, siue rationis formalis obiecti visibilis, vt exposui in prologo, quæst. penultima. *Notitia complexa duplex* Et loquitur hîc de notitia simplici tam abstractiua, quàm intuitiua, scilicet perfecta, & immediata; & non loquitur de notitia complexa mediata, & immediata, ita quòd illa dicitur incomplexa, perfecta, & immediata, quæ terminatur ad obiectum incomplexum distinctè, & immediatè modo præexposito, & illa dicitur complexa, & immediata, quæ terminatur ad complexum notum ex terminis; quia omnis propositio immediata est etiã per se nota, vt patet per ea, quæ exposui *in primo, dist. 2. par. 1. qu. 2.* notitia verò complexa est illa, quæ terminatur ad complexum non notum ex terminis, scilicet illa, quæ terminatur ad conclusionem demonstratam. De hac complexa, siue mediata, siue immediata non loquitur in proposito. Sed intendit de incomplexa primo modo, scilicet immediata, & perfecta tam intuitiua, quàm abstractiua. Et ponit hanc conclusionem.

40. *Anima non potest attingere ad notitiam Dei propriam.* *Anima non potest attingere ad notitiam Dei propriam, & immediatam ex perfectione sua naturali, esset pro quocunque statu natura, concurrentibus etiam quibuscunque causis naturaliter motiuus ipsius anima ad cognoscendum. Et idem dicetur de Angelo.*

Pro maiori intelligentia huius literæ declaro aliqua. Primò de causis motiuis animæ respectu notitiæ. De notitia intuitiua obiecti causæ naturaliter motiuæ sunt intellectus, & obiectum in se præsens, vel aliquod ens creatum virtualiter continens perfectam entitatem obiecti, & istæ tantùm, & propriè sunt causæ naturaliter motiuæ ipsius animæ causantes naturaliter notitiam intuitiuam obiecti, nulla enim alia causa videtur posse assignari, nisi intellectus, & obiectum in se præsens, vel aliquod creatum virtualiter continens perfectè ipsum obiectum, cùm notitia talis præcisè causetur ab intellectu, & obiecto in se præsente, vel aliquo supplente, vicem illius obiecti, vel ipsum virtualiter continente, & hoc patet à Doctore *in primo, dist. 3. q. 7. & dist. 8. quæst. 3.* Sed causæ naturaliter motiuæ ipsius animæ, siue ipsius intellectus respectu notitiæ abstractiuæ, sunt intellectus, & species intelligibilis obiecti, quæ species intelligibilis, vel est causata ab ipso obiecto intelligibili, siue immediatè, vt in intellectu Angeli, qui immediatè potest recipere speciem intelligibilem ab ipso obiecto, ita quod non requiritur aliud medium immediatè causatiuum, vt patet à Doctore *in secundo, dist. 3. q. vltima, & dist. 9.* vel mediatè, vt in nobis pro statu isto, vbi obiectum sensibile extrà non immediatè mouet intellectum, causando speciem sui intelligibilem, sed tantùm mediatè priùs causando speciem sensibilem in aliquo sensu exteriori, quâ causatâ immediatè causatur alia species in virtute imaginatiua, quæ dicitur phantasma, & illa immediatè, cum intellectu agente, causat speciem intelligibilem obiecti. Vel illa species intelligibilis est causata in nobis ab aliquo obiecto, remotè tamen virtualiter continente entitatem obiecti intelligibilis. Exemplum primi in nobis, patet de albo extrà, quod priùs causat speciem in organo visus, & species illa causat aliam in organo imaginatiuæ, quæ dicitur phantasma, & illa immediatè causat speciem intelligibilem ipsius albi, partialiter tamen; & sic in cognitione abstractiua quiditatis albedinis, istæ ponuntur causæ naturales, ita quòd immediatæ causæ notitiæ sunt intellectus, & species intelligibilis, vt aliàs probaui, & mediatæ sunt obiectum extrà, & species obiecti exteriori, & phantasma in sensu interiori, ita quòd istæ ordinatè se habent modo præexposito. Exemplum secundi, posito quòd obiectum *A* nec pro statu isto, nec pro alio habeat virtutem mouendi intellectum ad sui notitiam abstractiuam, sed quòd virtualiter contineatur in aliquo sensibili, & dicatur *B*, tunc *B* immediatè mouet sensum exteriorem, causando speciem sui sensibilem, & illa causat aliam in sensu interiori, & illa causat speciem intelligibilem primò ipsius *B* & pòst causat speciem intelligibilem *A* si potest habere illam, vel si non potest, tunc eadem species intelligibilis *A* causat vnà cum intellectu primò notitiam *A* & deinde notitiam *B* & istæ solæ sunt causæ naturales notitiæ abstractiuæ in intellectu nostro.

Secundò notã ibi de præsentia obiecti in se, quòd aliud est loqui de præsentia obiecti reali, & in se, & non in ratione actu intelligibilis, & aliud de præsentia obiecti, & actu intelligibilis, quia primo modo Deus est perfectissimè præsens, cùm sit vbique per perfectam præsentiam, sed non secundo modo; tunc secundo modo dicitur præsens, quando actu potest mouere intellectum ad sui notitiam intuitiuam. Loquendo de ista præsentia, dico quòd hæc est duplex: quædam est formalis, & motiua quando scilicet obiectum in se formaliter præsens in ratione obiecti actu intelligibilis potest mouere intellectum 41. *Præsentia duplex.*

tellectum partialiter causando notitiam sui intuitiuam in illo intellectu. Quædam est præsentia tantùm formalis,& nullo modo motiua, vt quando intellectui relatio realis est præsens in ratione obiecti actu intelligibilis, & tamen ipsa nullo modo potest causare notitiam sui: est tamen præsens virtualiter,id est,quòd ipsa virtualiter continetur in alio potente causare notitiam intuitiuam, vt puta extrema absoluta illius relationis,quando sunt præsentia in se causant primò notitiam sui, deinde relationis virtualiter contentæ. Et loquendo de ista præsentia virtuali, dico quòd quoddam obiectum continet virtualiter præsentiam alterius in ratione obiecti intelligibilis,sic, quòd non potest immediatè facere obiectum virtualiter contentum esse præsens intellectui in ratione actu intelligibilis, nisi priùs sit in se præsens in ratione obiecti actu intelligibilis, id est, nisi priùs sit in se præsens,potens immediatè causare notitiam sui intuitiuam, nunquam posset facere obiectum contentum virtualiter præsens,& sic nunquam posset immediatè causare notitiam intuitiuam contenti virtualiter, nisi priùs, vel simul causaret notitiam sui intuitiuam. Et hoc modo obiectum naturaliter motiuum per modum naturæ non potest facere aliud obiectum virtualiter contentum esse præsens potentiæ in ratione obiecti actu intelligibilis,nisi priùs fuerit in se præsens præsentia obiecti actu intelligibilis; & sic non potest immediatè causare notitiam intuitiuam obiecti virtualiter contenti in aliquo intellectu, nisi priùs causaret notitiã sui intuitiuam.Et sic sequitur quòd essentia diuina,quæ virtualiter continet omne obiectum, non potest facere aliquod obiectum contentum esse præsens præsentia obiectiua alicui intellectui, etiam diuino, nisi priùs sit in se præsens præsentia obiectiua eidem intellectui; nec potest immediatè causare notitiam intuitiuam obiecti contenti in aliquo intellectu, nisi priùs in eodem causaret notitiam sui intuitiuam, vt aliàs exposui suprà in quodlibetis, & hîc, & etiam patet à Doctore *in primo,& in quodl.* Dico secundò, quòd quoddam continet virtualiter præsentiam alterius obiecti, sic, quòd immediatè potest facere illud contentum esse in se præsens præsentia obiectiua,& tamen ipsum continens nullo modo erit præsens præsentia obiectiua, & tale continens est continens voluntarium, & non per modum naturæ; & sic voluntas diuina continet hoc modo omne obiectum,ita quòd in quocunque intellectu (excepto diuino) potest immediatè causare præsentiam obiectiuam cuiuscunque obiecti,etiam essentiæ diuinæ, non causando,siue non faciendo se præsentem tali intellectui præsentia obiectiua; & similiter potest immediatè causare notitiam intuitiuam cuiuscunq; obiecti etiã ipsius essentiæ diuinæ,non causando notitiam sui nec intuitiuã,abstractiuam,& hoc est,quia est obiectum merè voluntarium. Et sic dicimus quòd Deus non sub ratione Deitatis,sed sub ratione, qua est volens,est obiectum merè voluntarium respectu cuiuscunque intellectus creati,sed respectu sui intellectus est obiectum merè per modum naturæ.

42. Dico vltrà quòd ipsa voluntas diuina non tantùm continet omne obiectum, voluntariè causando præsentiam realem illius, respectu notitiæ intuitiuæ, sed etiam potest immediatè causare præsentiam cuiuscunque obiecti, qua obiectum fit præsens præsentia obiecti intelligibilis abstractiuè: quia potest immediatè causare speciem intelligibilem cuiuscunque obiecti, etiam essentiæ diuinæ, vt patet *in secundo, dist.3.q.9.* Potest etiam immediatè causare notitiam abstractiuam cuiuscunque obiecti, non causando notitiam abstractiuam sui,cùm sit obiectum merè voluntarium; secus est de obiecto non voluntario, sed naturali, & mouente per modum naturæ, quia tale non potest immediatè causare speciem intelligibilem alicuius obiecti, virtualiter contenti in aliquo intellectu, nisi in eodem intellectu, simul vel priùs causet speciem sui,siue mediatè, siue immediatè modo præexposito, nec similiter potest immediatè causare notitiam abstractiuam virtualiter contenti, nisi priùs mediatè, vel immediatè causet notitiam sui. *Nota.*

q Deinde nota ibi; *Nec etiã aliqua natura creata, quæ est naturaliter actiua,potest esse causa huius visionis, & perfectæ præsentiæ obiecti, quia non potest continere in se perfectè essentiam illam secundùm entitatem suam, igitur nec secundùm suã intelligibilitatem*, Hoc patet, quia potens virtualiter continere effectum proprium alicuius causæ, potest perfectè continere entitatem illius causæ, quia ex quo talis effectus sequitur entitatem propriam, non videtur posse immediatè causari,nisi vel à causa propria,& sibi adæquata, vel ab aliquo perfectè continente entitatem illius causæ, vt exposui *in secundo, dist.2.* Cùm ergo notitia propria alicuius obiecti, siue intuitiua, siue abstractiua præcisè sequatur entitatem obiecti sic intelligibilis,patet,quia illa notitia non potest esse notitia alterius obiecti, sed præcisè illius, cuius est, statim sequitur quòd à nullo poterit immediatè causari, nisi ab ipso obiecto,vel ab aliquo perfectè continente entitatem illius obiecti. Nec similiter præsentia obiectiua perfecta,quæ tunc est,quando obiectum actu potest intueri,non potest immediatè causari, nisi vel ab ipso obiecto, vel ab aliquo perfectè continente ipsum. Et intelligo sic, quòd causare præsentiam obiecti respectu notitiæ intuitiuæ est facere obiectum tale esse actu intelligibile intellectione intuitiua, id est, quòd actu possit immediatè causare notitiam illius intuitiuam; sic ergo *A.* posse causare perfectam præsentiam *B.* in ratione obiecti actu intuibilis nihil aliud est,quàm *A.* posse immediatè causare notitiam intuitiuam ipsius *B.* quæ ponitur propria ipsi *B.* & sic propria quòd nullo modo potest alteri competere, & sic sequitur quòd *A* perfectè contineret entitatem, & intelligibilitatem ipsius *B.* Quando ergo obiectum immediatè dicitur causare præsentiam sui in ratione obiecti intuibilis, tunc est ipsum *B.* immediatè posse causare notitiam sui intuitiuam, quia vt sic præsens, est pars memoriæ perfectæ, vt exposui *in primo, dist.2. parte 2.q.3.& dist.3. q.7.* exponendo titulum quæstionis & hoc idem *in 2.dist.3.q.8.q.& q.10.& d.10.* sed si aliud potest causare præsentiam obiectiuam modo prædicto obiecti actu intuibilis,hoc nihil aliud est, quàm posse actu causare notitiam intuitiuam illius obiecti, & per consequens perfectè continebit entitatem, & intelligibilitatem illius obiecti. Cùm ergo nulla creatura *Nota.*

possit

Nulla creatura potest continere entitatem Dei.

possit virtualiter continere entitatem Dei, sequitur quòd nec poterit causare præsentiam obiectiuam eius modo præexposito, nec eius notitiam.

43 Deinde nota ibi: *Per idem etiam patet quòd nihil creatum potest esse causa eius præsentia abstractiua apud intellectum*, &c. Proprium repræsentatiuum in cognitione abstractiua est species intelligibilis obiecti propria, vt patet à Doctore *in 1. dist. 3. q. 6. & in 2. dist. 9.* Hìc tamen nota, quòd species intelligibilis propria obiecti est duplex, quædam dicitur propria formaliter, & est illa quæ immediatè est repræsentatiua obiecti, & immediatè causatiua notitiæ obiecti; & sic omne obiectum potens habere aliquam speciem præcisè ipsum repræsentantem, dicitur habere proprium repræsentatiuum formaliter, quando actu repræsentatur per illam, & illa immediatè potest causare, partialiter tamen notitiam abstractiuam obiecti, cuius est. Alia est species obiecti propria non formalis, sed tantùm virtualis, & est quando obiectum non habet propriam speciem, quia tamen secundùm suam entitatem virtualiter continetur in aliquo obiecto habente propriam speciem, tunc illa species est propria illi obiecto contento, quia tale contentum præcisè natum est cognosci abstractiuè per illam, quamuis non sit formaliter species illius contenta. Species propria, & formalis obiecti, vel causatur ab ipso obiecto, & hoc mediatè, vel immediatè modo præexposito; vel si non causatur ab ipso obiecto, non potest tamen ab aliquo causari, nisi contineat virtualiter entitatem obiecti propter causam superiùs dictam, quia talis species est ita effectus proprius obiecti, sicut notitia intuitiua, & hoc mediatè, vel immediatè. Similiter loquendo de specie secundo modo, scilicet virtualiter, illa non potest causari, nisi vel ab obiecto, cuius ponitur species propria formaliter continente ipsum obiectum virtualiter, vel ab alio simul virtualiter continente sic vtrunque obiectum, cuius ponitur species propria formaliter, & obiectum, cuius ponitur species propria virtualiter, quia si *A.* continet virtualiter *B.* adæquatè. *C.* non posset continere virtualiter *B.* nisi etiam contineret virtualiter ipsum *A.* Et sic patet expositio huius literæ.

Species intelligibilis propria obiecti est duplex.

An anima possit cognoscere Deum distinctè.

s *Contra istud.* Doctor instat, probando quòd anima possit naturaliter cognoscere ipsũ Deum, etiam distinctè, & hoc tam abstractiuè, quàm intuitiuè, & probatio est ista: *Quicquid per se continetur sub primo obiecto naturali alicuius potentiæ*, &c. Maior est nota, & iam probata à Doctore *in prolog. q. 1.* Minor etiã est nota, & probata à Doctore *in 1. dist. 3. q. 3.* vbi vult, quòd ens, quid ponitur adæquatum obiectum intellectus, prædicetur in *quid* de Deo. Hoc idem *dist. 8. q. 2.*

Obiectum primum naturale potest dupliciter intelligi.

t *Diceretur.* Hìc Doctor respondet huic rationi, quæ etiam responsio habita est in prol. q. 1. Et dicit, quòd obiectum primum naturale potest dupliciter intelligi.

44. u *Loquendo de obiecto adæquato, primo modo*, prout, scilicet ad quod potentia habet naturalem inclinationem; *non tamen de obiecto adæquato, secundo modo*, quod, scil. sit naturaliter attingibile ex concursu causarum naturalium, *imò sic loquendo de tali obiecto attingibili naturaliter pro quocunque statu cuiuscunque intellectus creati, præcisè ens limitatum est obiectum adæquatum, quia præcisè potest attingi virtute causæ naturaliter motiua intellectus*, id est, quòd omne ens creatum potest naturaliter mouere, & per modum naturæ potentiam, cuius ponitur obiectum, imò tale, vt est præsens in ratione obiecti, necessariò mouet, partialiter tamen, ad notitiam sui, & omnium virtualiter, & essentialiter contentorum, vt aliàs exposui *in primo, dist. 3. q. 3.* Sed ens illimitatum, & si moueat per modum naturæ intellectum proprium, & per consequens sic dicatur obiectum eius naturale, tamen vt comparatum intellectui creato, nullo modo est obiectum naturale eius motiuum, quia non mouet per modum naturæ, sed tantum liberè: accipitur ergo hìc obiectum naturale potentiæ, non prout *naturale* distinguitur contra *supernaturale*; sed vt distinguitur contra *voluntarium*, & sic accipitur obiectum naturale potentiæ, quod mouet per modum naturæ ipsam potentiam, vel si non possit mouere propter sui imperfectionem, saltem sufficit quòd virtualiter contineatur in alio obiecto, quod moueat potentiam per modum naturæ ad notitiam ipsius obiecti virtualiter contenti. Dicit ergo, quòd loquendo de obiecto naturali, isto modo omne ens creatum mouet naturaliter intellectum creatum ad sui notitiam, & virtualiter, & essentialiter contentorum; vel si non potest formaliter mouere, saltem continetur virtualiter in alio ente creato, quod mouet naturaliter, siue per modum naturæ ad notitiam virtualiter contenti. Mouet dico ipsum intellectum creatum, saltem loquendo de omni ente creato absoluto, quia omne tale, vel formaliter mouet per modum naturæ intellectum creatum, vel virtualiter continetur in alio obiecto creato per modum naturæ motiuo intellectus creati ad notitiam illius virtualiter contenti. Et dixi *de ente absoluto*, quia sunt aliquæ relationes, quæ terminantur ad Deum, & si sint entia limitata, & per se intelligibilia, tamen non possunt mouere intellectum ad sui notitiam; nec similiter præcisè virtualiter continentur in alio obiecto creato, quod possit per modum naturæ mouere intellectum creatum ad earum notitiam, quia etiam dependet earũ notitia à termino, sicut etiã ab ipso dependet in entitate; non possunt ergo cognosci ex solo concursu causarum naturalium, cùm ad earum cognitionem requiratur cognitio termini: modò Deus non mouet intellectum creatum naturaliter, id est, per modum naturæ, nec ad notitiam sui, nec ad notitiam contentorum in eo, sed vt sic præcisè mouet intellectum proprium, vt magis infrà patebit præsenti articulo.

x *Sed nec ens adhuc in tanta communitate acceptum.* Hìc recitat opinionem D. Thomæ de obiecto adæquato intellectus humani, loquendo de intellectu ex natura potentiæ. Et dicit, quòd obiectum adæquatum intellectus huiusmodi loquendo de obiecto adæquato motiuo naturaliter, non est ens limitatum, vt est commune omni enti creato, sed est præcisè quiditas rei materialis. Et hæc opinio fuit pertractata in primo, dist. 3. q. 3. & in 4. dist. 45.

Quid sit obiectum adæquatum intellectus.

SCHO

SCHOLIVM.

Impugnat opinionem D.Thom.dicentis quiditatem rei materialis esse obiectum adæquatum nostri intellectus pro hoc statu (de quo 1.dist. 3.q.3.& 4.dist.49.qu.11.nu.3.Vbi refutat optimè hanc opinionem, & ratione eius.) Primò, quia Beati tantùm viderunt materialia, vel acciperent aliam potentiam. Secundò, quia D.Thom. ponit dependentiam intellectus nostri à phantasmatibus, esse pœnalem, non naturalem: quod videtur D. Augustin. de quo 2. dist. 3.p.3.n. 34. & 2. d.11. q. 1. arguit quadrupliciter; Ens illimitatum esse obiectum motiuum, vel sub motiuo intellectus nostri.

12. SEd contrà arguitur [a] quia si illud intelligeretur de proprio obiecto intellectus humani, vt est talis potentia, sequeretur quòd intellectus Beati haberet quiditatem rei materialis pro obiecto adæquato: vel si non, non maneret eadem potentia quæ modò: quorum, vtrumque est falsum. D.Thom. 1.p.sum.q. 12.ar.4. & q.85.ar.1.

b Nec valet dicere, quòd eleuatur per lumen gloriæ. Nullus enim habitus eleuans potentiam potest habere obiectum, quod transcendat primum obiectum potentiæ, quia ille habitus non esset illius potentiæ: sed vel esset in se potentia, vel faceret potentiam esse aliam ab ista; sicut haberet aliud obiectum primum.

c Dico igitur, quòd obiectum naturale, hoc ex, naturaliter attingibile adæquatum intellectui nostro, etsi pro statu isto sit quiditas rei materialis: vel fortè adhuc specialiùs, quiditas rei sensibilis, intelligendo, non de sensibili propriè solùm; sed etiam de incluso essentialiter, vel virtualiter in sensibili: tamen obiectum adæquatum intellectui nostro ex natura potentiæ non est aliquid specialius obiecto intellectus Angelici, quia quicquid potest intelligi ab vno, & ab alio: & hoc saltem concedere debet Theologus, qui ponit istum statum non esse naturalem, nec istam impotentiam intelligendi, respectu multorum intelligibilium, esse naturalem sed pœnalem. Iuxta illud 15. de Trin. 27. *Certa*, inquit, *oculis tuis interioribus lux illa monstrauit*, illa, scilicet æterna, de qua ibi locutus est. Et subdit: *Quæ igitur causa est, cur acie fixâ lucem ipsam videre non possit? nisi vtique infirmitas: & quis eam tibi fecit? nisi iniquitas?* Et de hoc suprà ibidem. *O tu anima mea, vbi te sentit esse? Vbi iaces?* Sequitur: *Agnoscis rectè te esse in hoc stabulo, quo Samaritanus ille produxit illum, quem reperit multis à latronibus inflictis vulneribus semiuiuum relictum.*

Idem obiectum intellectus animæ & Angeli. *Non intelligere nisi per phantasmata, non est naturale.* *Lucæ 10.*

Tamen Philosophus, qui statum istum diceret simpliciter naturalem homini; nec alium expertus erat, nec ratione cogente conclusit, diceret fortè illud esse obiectum adæquatum intellectus humani simpliciter ex naturalibus potentiæ, quod percepit sibi esse adæquatum pro statu isto.

13. Contra ista arguitur [d] quòd ens non tantùm limitatum, sed illimitatum sit obiectum naturaliter motiuum intellectus creati, & ita ens vt est indifferens ad vtrunque, erit obiectum adæquatum naturale, scilicet per actionem cau æ naturaliter agentis attingibile.

Et arguitur primò sic. Eiusdem obiecti primi accepti secundùm suam totam indifferentiam, ad potentiam, quam primò respicit acceptam secundùm suam totam indifferentiam, est idem modus se habendi in mouendo, scilicet naturaliter, vel non naturaliter; nunc autem ens illimitatum mouet naturaliter aliquem intellectum, vt diuinum: igitur simili modo mouet quemlibet intellectum. Alia est minor ista, aliquod ens mouet natura'iter intellectum causatum. Et sequitur: Igitur quodlibet simili modo mouebit. Maior ista probatur, primò inducendo de potentiis, & obiectis earum primis, & per se obiectis contentis sub illis primis. Probatur secundò, quia obiectum proprium secundùm totam suam indifferentiam est adæquatum obiectũ, & respicit potentiam suam secundùm totum genus suum, vt proprium extremum: aliquis igitur est modus proprius secundùm quem hoc extremum respicit illud. Ille igitur idem modus saluabitur inter quæcunque extrema particulariter contenta sub istis primis extremis; quia particularia extrema, & se respiciunt secundùm hoc, quod includunt prima extrema, & ita se respiciunt eodem modo, quo illa prima.

Arguitur ens vt sic esse obiectũ motiuum intellectus nostri.

Præterea. [e] Omnis actus præcedens actum voluntatis est merè naturalis; nunc autem actio essentiæ diuinæ etiam vt est obiectum mouens intellectum creatum, præcedit actum voluntatis: igitur, &c. Probatio minoris, quia essentia, vt essentia, est obiectũ beatificum: non autem essentia vt voluntas, vel vt volens; igitur mouere ad actũ

beatificum conuenit essentiæ ratione, qua essentia est: & per consequens illa erit prior actione voluntatis.

Confirmatur, quia si per impossibile Deus non esset volens, essentia sua naturaliter moueret intellectum ad videndum ipsam: igitur & modò similiter mouebit, cùm non moueat inquantùm volens, sicut nec est primum obiectum inquantùm volens.[f]

Præterea. Obiectum omne gignit notitiam actualem sui, & ista gignitio est naturalis, propter quod genitum dicitur proles secundùm Augustinum 9. *de Trin. cap. vlt.* igitur ista visio essentiæ in intellectu Beati naturaliter gignetur ab illa essentia.

Præterea.[g] Si voluntas necessariò concurrit cum essentia in ratione principij motiui ad actum beatificum intellectus creati: quæro quis est ordo essentiæ, & voluntatis in mouendo? voluntas enim non potest dici ratio motiua potentiæ. & essentia secunda quasi virtute eius mouens. Oportet igitur dare è conuerso, scilicet quòd essentia sit prima ratio motiua, sed prima ratio motiua in mouendo tenet suum proprium modum mouendi. Non enim determinatur ad mouendum illud quod secundum est, sed determinat ipsum ad mouendum; sicut videmus, quòd actiuum naturaliter quantùm est de se, necessariò agit: in illa tamen actione, in qua subiacet voluntati, non necessariò agit: sed potest contingenter agere, & non agere, non quidem ex se: sed propter contingentiam in voluntate ad agendum.

Similiter, si voluntas in agendo [h] subiaceret principio, naturaliter actio determinaretur ab illo ad determinatè agendum.

COMMENTARIVS.

45. a *SEd si illud intelligeretur.* Hîc improbat opinionem D. Thomæ dicens quòd si intelligeret de proprio obiecto intellectus humani, vt est talis potentia, sequeretur quòd intellectus Beati haberet pro obiecto adæquato quiditatem rei materialis, & tunc nullum immateriale posset naturaliter cognoscere, & sic vna anima non posset naturaliter cognoscere nec seipsam, nec aliam, cùm non contineatur sub quiditate materiali, vt patet, quod est valdè inconueniens, *vel si non, non maneret eadem potentia, quæ modò,* id est, quòd si intellectus Beati haberet aliud obiectum, quàm quiditatem rei materialis, tunc sequeretur quòd non esset eadem potentia hîc, & in patria, quia eadem potentia semper manens eadem, habet: idem obiectum adæquatum, cùm quæcunque potentiæ habeant suum proprium obiectum, & potentiæ distinguãtur etiam per actus, & actus per obiecta; si ergo hîc haberet vnum obiectum, & in patria aliud, tunc non esset eadem potentia hîc, & in patria, quod est absurdum.

b *Nec valet dicere.* Hîc Doctor improbat vnam responsionem Thomæ ad rationem contra opinantem qui dicit quòd intellectus, vt intellectus, licèt non possit attingere ad substantias separatas, tamen vt eleuatur per lumen gloriæ potest attingere ad huiusmodi substantias, & intellectus Beati est eleuatus per lumen gloriæ. Hanc responsionem Doctor improbat, quia *nullus habitus eleuans potentiam, potest habere obiectum, quid transcendat primum obiectum potentiæ,* &c. Et patet hoc, quia potentia priùs intelligatur habere habitum, habet suum obiectum adæquatum; patet, quia habitus potentiæ, quicunque sit ille, necessariò præsupponit potentiam, & obiectum, quia talis habitus potentiæ inclinat potentiam ad eliciendum actum circa obiectum, circa quod ponitur talis habitus inclinari, & sic potentia priùs habet ordinem ad obiectum sibi adæquatum, quàm intelligatur habere habitum inclinantem ipsam circa aliquod obiectum; si ergo habitus luminis gloriæ respiceret aliud obiectum, quàm obiectum proprium, quod habet ex natura potentiæ, sequeretur necessariò vel quòd talis habitus esset potentia aliqua cognitiua, habens pro obiecto substantias separatas, quod est absurdum; vel quòd non esset eadem potentia quæ nunc, quia vt nunc ex natura talis potentiæ habet præcisè pro obiecto adæquato quiditatẽ rei materialis, & tunc per illud lumẽ haberet aliud obiectum, sed distincta obiecta arguũt distinctas potentias, loquẽdo de distinctis obiectis adæquatis, vt patet intuenti. Hæc etiam responsio est improbata *in 1. dist. 3. q. 3. & in 4. dist. 45.* vide ibi multa, ad istam materiam pertinentia.

c Nunc Doctor assignat obiectum intellectus ex natura intellectus, & etiam pro statu isto assignat quale sit obiectum, loquendo semper de obiecto motiuo intellectus per modum naturæ, vt suprà dixi. Vide in primo, d. 3. q. 3. vide ibi multa singularia. 46.

d *Contra ista arguitur.* Hîc Doctor arguit probando quòd ens non tantum limitatum, sed etiam illimitatum, sit obiectum naturaliter motiuum intellectus creati, & ita ens, vt est indifferens ad vtrúmque, scilicet limitatum, & illimitatum, erit obiectum adæquatum naturale, scil. per actionem causæ naturaliter agentis, scil. per modum naturæ agentis attingibile. Et sic intendit probare quòd etiam essentia diuina sit naturaliter, id est, per modum naturæ motiua intellectus creati, causando naturaliter notitiam sui. Et arguit sic primò: *Eiusdem obiecti primi accepti secundùm totam suam indifferentiam ad potentiam.* Declaro priùs maiorem antequam inducam probationem Doctoris. Cùm dicit: *Eiusdem obiecti accepti secundùm suam totam indifferentiam.* Hîc obiectũ acceptũ secundùm suã indifferentiã non accipitur pro illo conceptu cõmuni,

muni,puta loquẽdo de obiecto intellectus,quod ponitur ens inquãtùm ens,nõ accipitur ens pro cõceptu entis indifferenti ad omne ens; sed accipitur ipsum pro quanto includitur in omni per se intelligibili,siue pro quanto comprehendit omne per se intelligibile,ita quòd non præcisè tale ens,vel tale, sed vt includitur in omni ente,vt exposui *in prologo q.1.& d.3.primi.*Et potentia accepta secundùm totam suam indifferentiam non accipitur præcisè pro potentia in communi, sed prout ipsa potentia includitur pro se in omni potentia, & vt comprehendit omnem potentiam,quæ respicit illud obiectum,tale obiectum sic acceptum prout,scilicèt includit, vel comprehendit omne intelligibile habebit eundem modum mouendi potentiam, quam primò respicit.Et breuiter ista maior stat in vna propositione Doctoris *in prol.quæst.3.& in 2.dist 9.* scilicet, *Quando extrema alicuius proportionis comparantur ad inuicem in ratione motiui, & mobilis, si aliquid vnum extremi est motiuum alterius extremi, quodlibet contentum sub illo extremo poterit esse motiuum contenti alterius extremi contenti sub extremo primò, & adæquato.* Exemplum, sint ista extrema,scilicet calor sit extremum motiuum,sed aliud extremum mobile sit calefactibile, quæ dicuntur prima extrema,si calor in ratione motiui respicit primò calefactibile in ratione mobilis, statim sequitur quòd si vnus calor contentus sub calore possit calefacere aliquod lignum per modum naturæ, quòd etiam quilibet alius calor contentus sub calore possit idem calefactibile calefacere. Et vltrà sequitur quòd si aliquod calefactibile contentum per se sub primo calefactibili potest calefieri ab aliquo calore, quòd quodlibet calefactibile contentum per se sub primo calefactibili possit calefieri ab illo calore:& eodem modo potest calefieri,quia si vnum calefit naturaliter,& reliquum,cùm omnia participent naturam primi extremi. Sic est in proposito, obiectum intellectus ex natura intellectus, & ipse intellectus omnino indifferens ad omnem intellectum, sunt extrema prima proportionis in ratione motiui, & mobilis, quia primum obiectum intellectus est motiuum per modum naturæ ipsius intellectus, & intellectus est mobilis ab illo obiecto, sequitur quòd si aliquod ens moueat vnum intellectum per modum naturæ, quòd etiam quodlibet aliud ens contentum sub obiecto primo eodem modo poterit mouere eundem intellectum. Et similiter si aliquis intellectus natus est moueri ab aliquo obiecto, quilibet intellectus contentus per se sub intellectu, poterit moueri ab eodem obiecto. Et sic credo quòd illa maior Doctoris teneat virtute illius propositionis. Et maior sic declarata probatur à Doctore sic: primò inducendo de potentiis,& obiectis earum primis, siue adæquatis, & per se obiectis contentis sub illis primis.

47. e Secundò arguit probando quòd Deus mouet intellectum creatum per modum naturæ & arguit sic: *Omnis actus præcedens actum voluntatis est merè naturalis*, id est, elicitus per modum naturæ; sed actio essentiæ diuinæ,etiã vt est obiectum mouens intellectum creatum, præcedit actum voluntatis; igitur, &c. Maior patet, quia tantùm sunt duo modi agendi,vnus per modum naturæ,& alius per modum voluntatis,& non sunt plures,nec etiam modus agendi indifferens, scilicet,qui nec sit per modum naturæ, nec per modum voluntatis, vt extat probatum à Doctore *in primo, d.2.parte 2.q.4.& d.10.* modus autem agendi per modum voluntatis essentialiter competit soli voluntati,licèt participatiuè possit aliis conuenire,illis scilicet duntaxat, quæ subsunt imperio voluntatis,vt patet à Doctore *in primo d.2.*Sequitur ergo quòd nullum aliud agens potest agere per modum voluntatis, sic,quòd per naturam talis agentis possit competere.Et si aliquod ens aliud participatiuè liberè,sicut aliquando intellectus imperio voluntatis elicit actũ, tamen ille actus sic elicitus, necessariò est posterior actu voluntatis immediatè elicito, cùm ille sit actus imperatus,vt exposui in prolo. q. vlt. Sed si actus sit simpliciter prior actu voluntatis, ita quòd nullo modo eliciatur imperio voluntatis ille simpliciter erit elicitus per modum naturæ.

f Tertiò arguit sic; *obiectum omne gignit notitiam actualiter sui*, loquendo tamen de obiecto motiuo,& primo, & formaliter,vel saltẽ, continetur in alio virtualiter, quod mouet per modum naturæ ad notitiam contenti obiecti, siue obiectum formaliter,hoc est,ex ratione sua formali gignat notitiam sui,siue contineatur in alio mouente, siue gignente notitiam illius, semper illa gignitio erit naturalis,siue per modum naturæ elicita,& quòd sit naturalis,patet, quia genitum hoc modo dicitur proles secundùm Augustinum *9. de Trin.c.vlt.* Dicitur autem proles,siue filius, quia per modum naturæ productus: est enim de ratione prolis, quòd sit per modum naturæ vt suprà patuit *in primo, dist.2.& 10. & in tertio,dist.8.*igitur ista visio essentiæ, cùm dicatur proles in intellectu Beati, naturaliter gignetur ab illa essentia.

g Quartò & vltimò arguit probando idem. *Si voluntas necessariò concurrat cum essentia in ratione principij motiui ad actum beatificum intellectus creati*, &c. *Igitur oportet dare è conuerso,scilicet, quòd essentia sit prima ratio motiua*, patet. Tum,quia essentia est perfectissima entitas tam formaliter, quàm originaliter; non sic voluntas, vt suprà patuit, *q.1. & q.5.& in primo,dist. 1.q.2.dist.8.q.3.* est enim origo omnium perfectionum ad intrà. Tum,quia ipsa ponitur principium magis vniuersale: cùm concurrat tam cum intellectu, quàm cum voluntate, & sic est commune principium respectu intellectus, & voluntatis,& ideò essentia non mouet, nec virtute intellectus, nec voluntatis, imò magis è contra. Tum specialiter, quia tam intellectus, quàm voluntas habent virtutem mouendi ab essentia,vt patet in locis præallegatis, & sic essentia erit principale mouens. 48.

h *Similiter si voluntas in agendo subiacet principio naturaliter actiuo, determinaretur ab illo ad determinatè agendum.* Cùm ergo essentia diuina sit prima ratio motiua, & voluntas secunda,sequitur quòd actio voluntatis subiacebit actioni essentiæ diuinæ,& sic essentia determinabit voluntatem ad sic determinatè agendum,& cùm ipsa essentia, vt essentia agat merè naturaliter,& per modũ naturæ,sequitur quòd illa quæ simul erit à voluntate, & essentia, erit merè naturalis,& per modum naturæ elicita,sicut est actio qua elicitur actus beatificus.

SCHOLIVM.

Pro solutione argumentorum, quæ fecit, præmittit quædam; primum, quòd primum mobile naturali motione in diuinis, est intellectus Dei; & primum mouens essentia eius; mouet autem priùs ad notitiam ingenitam, pòst ad genitam. De quo 1. dist. 2. q. 7. nu. 4. & 22. Secundum, eadem essentia mouet naturaliter ad intelligendum omne intelligibile simplex (non loquitur de complexis) sed non potest mouere ad hæc, donec priùs sit in tribus. De quo latè 2. d. 1. q. 1. Tertium, duplici motioni intellectus correspondet duplex motio voluntatis necessaria; sed non naturalis, operatiua scilicet, & productiua. Quartum, post ordinem motionis necessariæ sequitur motio contingens per voluntatem, quâ factâ, videt intellectus diuinus alteram partem complexionis contingentis. De quo 1. dist. 38. num. 2. & dist. 39. nu. 23. & 40. Quintum, omnem intellectionem diuinæ essentiæ, quam non causat ipsa naturaliter, causat voluntas Dei. De quo 4. dist. 49. quæst. 11. nu. 9. quia ad extrà omnia sunt immediatè à voluntate.

Digressio profundissima Theologica fundamentalis vbique notanda.

Primum mobile intellectus diuinus, primum mouens essentia diuina.

Hic intelligendum est, [i] quòd motio omnino prima in entibus est necessariò naturalis: quia omni motioni voluntatis est alia præsupposita. Et si aliqua motio in entibus est non naturalis; maximè motio voluntatis est non naturalis. 14.

Item, aliqua motio [k] potest intelligi esse ad terminum simpliciter infinitum, aliqua autem ad terminum finitum, vel ad infinitum includentem finitum: & illa, quæ est ad terminum infinitum simpliciter, est prior: quia non potest infinitum præëxigere finitum. Sicut igitur loqui possumus, licèt impropriè [l] accipiendo motionem extensiuè, assignari potest ordo motionum in entibus, & sic loquendo, omnino primum mobile motione naturali, extensiuè loquendo, est intellectus diuinus, & ideô primum motiuum motione naturali est essentia diuina, vt est primum obiectum intellectus sui: igitur omnino prima motio est naturalis motio intellectus diuini à suo obiecto: & cùm naturale mouens moueat mobile inquantùm potest, illud autem obiectum potest mouere ad intellectionem actualem sui, & hoc intelligentia ingenita illius personæ, [m] in qua primò est essentia; & ad actualem notitiam sui genitam: ad vtramque naturaliter mouebit, licèt ordine quodam, quia quod est alicui principium operandi operatione immanente, & producendi productum distinctum, quodammodò est prius principium operandi.

Si dicas, quòd productio [n] immanet in diuinis sicut operatio.

Respondeo, productio non immanet quantùm ad terminum, operatio autem omnino immanet.

Similiter [o] essentia est naturale motiuum ad intelligendum quodcunque intelligibile simplex, sed non nisi priùs illa essentia sit in omnibus suis suppositis, non quidem quòd sine hoc esset defectus principij actiui; sed ex parte termini requiritur ordo. Sic igitur completa est actio merè naturalis, & ad terminum omnino primum, scilicet infinitum, vbi motio omnino prima est elicere, vel quasi elicere intellectionem in intelligentia paterna, & huic proxima est gignere verbum.

de hoc 2. d. 1. q. 1.

Motio voluntatis ad intra necessaria, non tamen naturalis est duplex operatiua, & productiua.

Hanc sequitur actio, quæ nata est esse ad terminum omnino primum, puta ad essentiam primam communicandam, quæ licèt non sit naturalis, tamen est omnino necessaria. Et hæc est motio voluntatis; & hæc quasi est duplex, scilicet ad *amare* simplex, & etiam ad amorem procedentem, & hæc duplex motio voluntatis correspondet duplici motioni naturali [p], quæ dicta est esse in intellectu ad *intelligere* & *dicere*. 15.

q Contrà: actio naturalis in eodem præcedit actionem non naturalem; nunc autem, per te, actione naturali intellectus diuinus intelligit creabile: igitur ista actio præcedit omnem actionem voluntatis, & ita spirationem Spiritus sancti.

Actio naturalis quando sequitur non naturalem.

r Respondeo, maior est vera, loquendo in eodem ordine ex parte termini, hîc autem est alius ordo ex parte primi termini, & secundi; & ideò naturalis in vno ordine sequitur non naturalem in alio ordine: prima enim distinctio ordinum attenditur ex parte terminorum; secunda ex parte principiorum quantùm ad modum principiandi.

Contrà: [s] ordo principiorum est prior ordine terminorum, sicut & principium termino: nam per principium terminus producitur, vel communicatur.

Respondeo,

Respondeo, antecedens verum est de termino totali, qui simpliciter capit *esse*; non autem de termino formali, qui solummodò capit *esse* secundùm *quid*. *An terminus quandoque prior principio.*

Completo autem [t] toto isto processu originis respectu primi termini, scilicet essentiæ diuinæ communicandæ: sequitur ordo alius respectu termini secundi essentiæ, scilicet creabilis: & quidem essentia ipsa diuina in isto secundo ordine mouet primò ad intellectionem simplicem omnis intelligibilis; & hæc intelligentia, vt iam est in tribus suppositis, non autem mouet ad distinctam notitiam veritatis cuiuscunque complexionis, quia si moueret determinatè ad cognoscendum alteram partem in futuris contingentibus, cùm naturale mouens necessariò moueat, sequitur quòd intellectus diuinus necessario intelligeret hanc partem contradictionis fore veram, & ita vel posset errare: vel oppositum non posset euenire, & tunc non esset contingens, sed necessarium illud, quod ponitur esse contingens.

16. u Si quæratur, cùm idem videatur esse ordo cuiuscunque intelligibilis ad primum intelligibile; quare primum non æquè necessariò mouet ad cognitionem cuiuscunque.

Respondeo, naturaliter mouet: & per consequens necessariò ad cognitionem cuiuscunque, quòd est possibile naturaliter, & necessariò cognosci; huiusmodi est quodcunque obiectum simplex, & etiam quodcunque complexum verum necessarium, non autem tale est aliquod complexum de existentia contingentis: quia non est natum esse determinatum ad veritatem. al. non mouet al. si autem mouerct.

x Et si quæras, quare non necessariò mouet ad talem cognitionem de complexo habendam, qualis posset haberi de eo?

Respondeo, aut moueret ad cognoscendum sub distinctione hoc fore, vel non fore; & hæc cognitio non est determinata de altera parte: aut si moueret determinatè ad cognoscendum alteram partem, illa necessariò esset determinata. *Ex terminatione voluntatis intellectus videt contingens*, de quo 1. dist. 39. & d. 38. nu. 3.

y Completo igitur toto ordine motionis necessariæ, sequitur motio contingens; illa non potest esse per principium naturalis motionis, quia illius non est nisi necessariò mouere igitur oportet illius motionis principium ponere voluntatem. Et fit huiusmodi motio contingens ordinatè, primò ad intrà: quia nisi ipsa voluntas determinetur in se ad volendum alteram partem, nunquam determinabit aliquid ad extrà. Primò igitur determinat se ad volendum hoc fore determinatè: secundò, ex hoc intellectus videns istam determinationem voluntatis infallibilem, nouit hoc esse futurum; è conuerso igitur est in motione necessaria, & contingente: quia in necessaria primum principium est natura, & ideò primò naturaliter determinatur ad propriam actionem. In contingente autem primum principium est liberum, cuius actionem in primo ordine sequitur naturalis. Completa verò motione contingente ad intrà, sequitur motio ad extrà. Illa igitur tota est contingens, & per consequens immediatè ipsius voluntatis, vt principij. Nullum igitur intellectum creatum mouet essentia vt essentia tanquam motiuum per modum naturæ, sed omnem intellectionẽ illius essentiæ, quam non causat aliquod creatum, causat immediatè voluntas diuina.

Per hoc patet ad argumenta iam facta in contrarium. Maior enim primi argumenti debet sic intelligi, quamcunque potentiam immediatè mobilem à tali obiecto ipsum obiectum vniformiter mouet.

COMMENTARIVS.

49. *Ordo motionum.* i Hic *intelligendum est, quòd motiò.* Hic Doctor intendit declarare ordinem motionum, & quæ sit simpliciter prima motio. Et recitando literam, exponam eam. Dicit ergo quasi præmittendo vnum, scilicet, quòd *motio omnino prima in entibus, est necessariò naturalis, quia omni motioni voluntatis est alia præsupposita*; patet, quia voluntas nullo modo agit, nisi in præcognitum, id est, quòd nunquam elicit actum circa aliquod obiectum, nisi illud sit præcognitum; nec similiter elicit actum volendo aliquod complexum contingens, nisi termini satem præcognoscantur; & sic patet quomodò motio voluntatis ad actum necessariò præsupponit aliam motionem, scilicet, motionem ad actum intelligendi, qui necessariò præsupponitur, & talis motio ad actum intelligendi necessariò præsuppositum motioni voluntatis, est simpliciter naturalis, vt suprà patuit in secunda ratione. Et si aliqua motio in entibus est non naturalis; maximè motio voluntatis est non naturalis, patet, quia sola voluntas est libera per essentiam, & per modum libertatis mouet; siue agit. *Quomodo vna motio præsupponat aliam.*

k *Item aliqua motio potest intelligi esse ad terminum simpliciter infinitum*, &c. Terminus infinitus simpliciter in diuinis potest multipliciter intelligi, vel pro intellectione actuali essẽtiæ diuinæ, qua intellectus diuinus formaliter intelligit essentiam; vel pro volitione, vel pro essentia, quæ ponitur primus terminus formalis tam generationis, quàm spirationis diuinæ,

Terminus finitus quid. Terminus infinitus quid.

Terminus finitus simpliciter sunt creaturæ, siue in *esse* obiectiuo, siue in *esse* existentiæ. Terminus infinitus includens finitū erit fortè ipsum Verbum, tenendo tamen quòd includit respectum ad creaturam, de quo suprà diximus. *q.* 8. licèt hoc Doctor improbet, vt ibi patet. Dicit ergo, quòd illa motio, quæ est ad terminum infinitum, simpliciter est prior, & sic motio, quæ est ad intrà, erit simpliciter prior motione ad extrà, cùm prima sit simpliciter ad terminum infinitum; secunda tantum ad terminum finitum, siue ad terminum infinitum includentem terminum finitum; puta si idea quæ ponitur *esse* cognitum rei ponatur infinita participatiuè, quæ tamen includit terminum finitum, vel tenendo, & melius ad propositum, quòd intellectio creaturæ, quā Deus intelligit ipsam creaturam, & si sit in se formaliter infinita, terminatur tamen ad creaturam finitam; & similiter volitio creaturæ, quā Deus vult ipsam, licèt in se sit formaliter infinita, terminatur tamen ad creaturam volitam finitam; & iste vltimus modus videtur magis ad propositum. Dicit ergo quòd motio quæ est simpliciter ad terminum infinitum, est prior simpliciter, illa verò quæ est ad terminum finitum est posterior, vt probat Doctor subtiliter *in secundo, dist.* 1. *q.* 1. In isto præmisso secundo de termino, scilicet finito, & infinito, non fit aliqua comparatio motionis per modum naturæ, & per modum voluntatis; sed motio per modum naturæ, quæ est ad terminum simpliciter infinitum, est prior motione, quæ est ad terminum finitū, & tamen vtraque per modum naturæ, quia motio ad notitiā essentiæ diuinæ in intellectu diuino est per modum naturæ; & similiter illa, quæ est ad genitum diuinum; sed motio per modum naturæ ad terminum finitum est motio ad creaturam in *esse* cognito, & hæc secunda necessariò præsupponit primam, vt patet à Doctore *in secundo, dist.* 1. *q.* 1. Similiter motio per modum voluntatis, quæ est ad terminum simpliciter infinitum, puta ad volitionem, qua voluntas diuina vult essentiam diuinam, siue ad Spiritum sanctum, est simpliciter prior motione per modum voluntatis, quæ est ad *esse* volitum creaturarum, siue ad *esse* existentiæ earum, & sic patet litera.

Quomodo idea poni possit infinita. Quomodo intellectio creaturæ, qua Deus intelligit creaturā sit infinita, & quomodo finita.

50. *Hic ostendit ordinem motionum.*

l *Sic igitur loqui possumus.* Hîc intendit ostendere ordinem motionum in diuinis, accipiendo tamen motionem extensiuè ad intrà, quia simpliciter loquendo propriè de motione, ad intrà nulla est motio, impropriè tamen & extensiuè ponitur non motio, sed quasi motio; nam vbi est motio propriè, ibi est receptiuum reale, & realiter receptiuum alicuius realiter distincti, vt patet in creaturis; modò nec intellectus diuinus, nec volūtas diuina aliquod recipiunt, nec quasi recipiunt, cùm ista sonent imperfectionem, vt patet à Doctore *in primo, dist.* 5. *q.* 2. tamen eo modo, quo potest ibi nominari motio, suo modo nominetur, intelligendo semper excludere omnem imperfectionem, vel quasi imperfectionem.

m *Et hoc intelligentia ingenita illius personæ, in qua primò est essentia*, id est in intellectu paterno, qui intellectus, vt in Patre dicitur ingenitus, id est non communicatus Patri per productionem, sicut communicatur Filio per generationem, & Spiritui sancto per spirationem, Sequitur, *& ad actualem motionem sui genitam*, id est quòd essentia est ratio mouendi se motione naturali, scilicet communicandi se Filio genito; tunc enim essentia mouet se in motione genita, quando per generationem est ratio communicandi se genito. De quo prolixè dictum est in primo, dist. 5. q. 2. Sequitur: *Ad vtramque mouebit, licèt ordine quodam, quia quod est alicui principium operandi operatione immanente, & producendi productum distinctum, quodammodo est prius principium operandi, quàm producendi.* Et hoc satis patet à Doctore in primo dist. 2. par. 2. q. 3. & in secundo, dist. 1. Cùm dicit quòd essentia, vt essentia, est primum motiuum intellectus diuini per modum naturæ; præsupponit quòd prius probauit, *dist.* 5. *qu.* 1. scilicet quòd simpliciter prima entitas in diuinis est essentia, vt essentia, quæ ponitur prima in *esse* reali perfectissimo, & ideò sequitur quòd ipsa sit simpliciter primum obiectum motiuum intellectus diuini. Similiter quia intellectus diuinus est simpliciter prior voluntate diuina, vt patet, sequitur quòd primum mobile ab essentia diuina erit ipse intellectus: prima enim motio essentiæ diuinæ, & omnino prima est motio ad sui notitiam, & illa non potest immediatè esse, nisi in intellectu diuino, sequitur quòd primum simpliciter mobile ab essentia diuina erit intellectus diuinus, & hoc loquendo præcisè de motione essentiæ diuinæ ad operationem, comparando simpliciter operationem ad operationem. Prima operatio, & simpliciter prima, est intellectio essentiæ diuinæ, & illa est in intellectu diuino ab essentia ipsa: ergo primum motiuum naturale est essentia diuina, & primum mobile est intellectus diuinus: sed comparando ad productionem, non sequitur quòd intellectus sit priùs mobile respectu notitiæ genitæ, quàm voluntas diuina respectu operationis, siue volitionis, quia volūtas priùs mouetur, quasi recipiendo volitionem essentiæ diuinæ, quàm intelligatur productio notitiæ genitę. Sed comparando propriè productionem, ad productionem prior est productio notitię genitæ, quæ est per modum naturæ, quàm productio Spiritus sancti, quæ est per modum voluntatis, & sic debet intelligi ista litera Doctoris.

Quomodo essentia moueat se.

Essentia est prima entitas.

Intellectus Diuinus est prior voluntate Diuina.

n *Si dicas.* Hîc *Doctor* instat, probando quòd etiam productio sit immanens, sicut & operatio ponitur immanens, vt patuit quæst. 13. Respondet, quòd *productio non immanet quantùm ad terminum, operatio autem omnino immanet.* Vult dicere, quòd actio immanens propriè est illa, cui non correspondet aliquod productum, vt terminus talis actionis, & sic operatio, scilicet intellectio, vel volitio, dicitur actio immanens, quia per ipsam non dicitur aliquid habere *esse* productum, sed productio, puta generatio diuina non dicitur immanens, quia per ipsam productum habet *esse*, ad quod terminatur, & sic distinguitur actio immanēs ab actione transeunte secundùm vnum modorū ponendi, de quibus visum est sup. q. 13. vide ibi quomodo distinguitur actio immanens à transeunte. 51.

Intellectio est actio immanens.

o *Similiter essentia est naturale motiuum ad intelligendū quodcunque intelligibile simplex*, &c. Hîc nota primò quod dicit, quòd ipsa essentia mouet naturaliter intellectum ad notitiā omnium intelligibilium incomplexorum, quia fortè intellectio complexi etiam necessarij, erit

ab in

ab intellectu componente terminos. Sed de hoc erunt specialia dubia. Deinde dicit quòd non potest immediatè mouere intellectũ diuinum ad notitiam creaturarum, nisi priùs sit communicata tribus personis. Hoc probatum est *in 2. dist.1. q.1.* quia productio necessaria, qualis est diuina, præ supponitur contingenti; & quamuis productio obiectorum incomplexorum in *esse* cognito sit etiam necessaria, tamen est tantum secundùm quid, & talis præsupponit necessariam secundùm *esse* simpliciter, non quòd ex sui ratione præsupponat illam, sed quando comparantur ad inuicem, scilicet productio necessaria simpliciter, & necessaria secundùm *quid* ad idem principium productiuum vtriusque per prius est necessaria simpliciter, quàm necessaria secundùm *quid*, quòd ergo lapis non producatur in *esse* cognito ab essentia diuina, nisi priùs ipsa sit tribus communicata, hoc non est ex defectu ipsius essentiæ, quasi non possit producere notitiam lapidis, si priùs non sit communicata tribus, quia si, per impossibile, non esset tribus communicata, adhuc ipsa esset perfectissima ratio producendi notitiam lapidis. Sed ordo iste prioris, & posterioris est præcisè ratione termini, quia tam productio personæ, quàm productio notitiæ lapidis, est ab eadem essentia, vt à principio formali productiuo, ita quòd non comparantur isti termini ad inuicem, scilicet persona, & notitia lapidis, vt causatum ab alio, sic, quòd productio notitiæ lapidis necessariò præsupponat personam, vt rationem formalem producendi, sed est simpliciter comparatio vnius effectus posterioris ad alium priorem, ita quòd quando causa comparatur ad duos effectus, vel quasi effectus, sic, quòd vnum immediatiùs respicit, & alium mediatiùs, non potest producere mediatiùs nisi producat immediatiùs, & tamen si per impossibile immediatiùs non esset, posset tamen producere mediatiùs, & hoc vide clariùs in secundo, dist. 1. q. 1. & vide ibi dubia aliqua ad propositum.

52. p *hoc dudlex motio voluntatis correspondet duplici motioni naturali, quæ dicta est in intellectu ad intelligere, & dicere*, id est, quòd est talis correspondentia, quod sicut motio ad *intelligere* est prior motione ad *dicere* respectu eiusdem intellectus, sic motio in voluntate ad *amare* est prior motione ad *spirare*. Et vltrà sicut ad primam motionem in intellectu immediatè sequitur prima motio in voluntate, id est quòd sicut operatio voluntatis immediatè sequitur intellectionem intellectus diuini, sic productio Spiritus sancti immediatè sequitur productionem verbi.

q *Contrà, actio naturalis in eodem præcedit actionem non naturalem.* Hic Doctor instat probando quòd productio creaturæ in *esse* cognito sit simpliciter prior omni motione voluntatis, cuius oppositum dixit suprà, quia dixit quòd essentia diuina non mouet ad notitiam creaturarum, nisi sit priùs communicata tribus, & sic est necessariò prior motio voluntatis ad intrà, quàm motio essentiæ ad extrà. Et arguit sic: *Actio naturalis in eodem præcedit actionem* &c. Maior patet, quia suprà dixit quòd motio naturalis est omnino prima, sequitur quòd si in eodem sint motio naturalis, & motio libera, quòd motio naturalis erit simpliciter prior motione non naturali. Et dicit in eodem operante quia in alio operante potest esse è conuerso, quia Deus ad extrà simpliciter mouet per modum voluntatis, & multæ creaturæ per modum naturæ mouent vt ignis. Deinde dicit in eodem operante, & non in eadem ratione formali operandi, quia impossibile est idem esse rationem formalem mouendi per modum naturæ, & per modum voluntatis, vt patet à Doctore *in 1. dist. 2.* sed bene idem operans potest habere duas rationes formales operandi, vnam per modum naturæ, & aliam per modum voluntatis, vt patet de eodem supposito habente intellectum, & voluntatem.

r Respondet ad hanc rationem, *quòd maior est vera loquendo de eodem ordine ex parte termini*, &c. Pro intelligentia huius literæ nota, quòd duplex est ordo motionis naturalis in diuinis, quæ præcisè distinguitur ratione terminorum sicut est motio essentiæ diuinæ respectu notitiæ suæ, & respectu notitiæ genitæ, & motio eiusdem respectu notitiæ creaturæ, quæ notitia est naturalis, vt suprà patuit. Vna tamen terminatur ad terminum habentem *esse* simpliciter, & infinitum, vt illa, quæ terminatur ad notitiam essentialem, & similiter illa, quæ terminatur ad filium, siue ad notitiam genitam: alia verò terminatur ad *esse* cognitum creaturæ, siue ad *esse* obiectiuum. Istæ motiones dicuntur esse alterius, & alterius ordinis ratione præcisè terminorum, quia prima ad terminum simpliciter, alia ad terminum secundùm *quid*, & finitum. Similiter in voluntate est duplex ordo mouendi per modum voluntatis, qui præcisè distinguitur ratione terminorum; vna est, quæ terminatur ad terminum infinitum, siue ad amorem infinitum, vel ad amorem spiratum alia tantùm ad *esse* vel tantùm volitum ipsius creaturæ, vel ad *esse* existentiæ eiusdem; & sic hic ordo est duplex ratione terminorum; non enim distinguitur ratione principiorum, quia est idem principium, quia eadem voluntas tam respectu primi termini infiniti, scilicet vel amoris spirati, quàm etiam respectu secundi termini, scilicet, vel *esse* voliti creaturæ, vel *esse* existentiæ eius. Similiter est de essentia, quia est eadem; & idem principium producendi per modum naturæ, tam respectu termini infiniti, scilicet, notitiæ essentialis, vel notitiæ genitæ, quàm etiam respectu secundi termini, scilicet *esse* cogniti creaturæ; & ideò iste ordo non distinguitur penes principia, cùm sit idem omnino. Ad propositum, si fiat comparatio motionis per modum naturæ, & motionis per modum voluntatis ad inuicem in eodem ordine, id est, vt comparantur ad terminum infinitum, & primum simpliciter, tunc motio naturalis est simpliciter prior motione non naturali, siue motione per modum voluntatis, & sic motio ad notitiam essentialem est prior motione ad amorem essentialem, vt suprà patuit. Aduerte etiam, quòd motio essentiæ distinguitur secundùm alium, & alium terminum, quia vt comparatur tantùm ad operationem est alia, vt comparatur ad notitiam genitam, ita quòd prima est ad terminum quasi productum; secunda verò ad terminum vere productum.

Similiter dico de voluntate, in qua distinguitur duplex motio ad intrà, vna terminatur ad amorem, quasi productum, & alia ad amo- 54. *Duplex motio adintra.*

53. *Ordo duplex.*

rem verè productum. Et sic adhuc isti ordines motionum præcisè distinguuntur ratione terminorum. Si ergo fiat comparatio in eodem operante motionum ad inuicem, in eodem ordine, scilicet motionis naturalis ad non naturalem, comparando illas tantùm ad operationem, patet quòd motio naturalis est simpliciter prior motione non naturali, siue motione per modum voluntatis. Et similiter si fiat comparatio motionis naturalis ad motionem non naturalem in alio ordine, scilicet ad verè productum, tunc etiam motio naturalis est prior non naturali, & sic Filius est prior Spiritu sancto. Si tamen motio naturalis vnius ordinis comparetur ad motionem non naturalem, siue per modum voluntatis alterius ordinis, vt puta motio naturalis ad productionem ad motionem non naturalem ad operationem, non sequitur quòd motio naturalis in eodem operante sit prior motione alia non naturali; & patet, quia generatio Filij in diuinis non est prior, imò posterior volitione diuina, quâ voluntas Patris vult essentiam diuinam. Sic in proposito, quia motio naturalis, quæ est ad primum terminum infinitum, scilicet ad operationem intrinsecam essentiæ diuinæ, quæ est eiusdem ordinis cum motione ad operationem non naturalem est simpliciter alterius rationis, siue ordinis cum motione naturali ad notitiam creaturæ; ideo non sequitur quòd talis motio naturalis sit prior motione non naturali. Si verò motio naturalis, quæ est ad notitiam; puta lapidis, comparetur ad motionem non naturalem, quæ est ad volitionem lapidis, tunc motio talis naturalis in eodem operante est prior motione tali non naturali; patet, quia cognitio lapidis, ad quam est motio naturalis essentiæ diuinæ est prior volitione eiusdem, ad quam est motio non naturalis voluntatis diuinæ. Et sic patet quomodo motiones naturales in eodem operante, quæ sunt alterius ordinis distinguuntur ratione terminorum tantùm; & similiter motiones non naturales in eodem operante, quæ sunt alterius ordinis distinguuntur tantùm per distinctos terminos, vt suprà patuit. Et hoc est quod dicit, scilicet quòd prima distinctio ordinum attenditur ex parte terminorum, vt suprà patuit; & secunda distinctio attenditur ex parte principiorum, scilicet distinctio motionum naturalis, scilicet, & liberæ, attenditur penes principia, quia illa dicitur motio naturalis, quæ est à principio agente, siue mouente per modum naturæ, illa verò dicitur motio libera, quæ est à principio mouente per modum voluntatis.

Quomodo filius sit prior spiritu sancto.

s *Contrà, ordo principiorum est prior ordine terminorum, sicut & principium termino; nam per principium capit* esse, *siue producitur siue communicatur.* Cùm ergo principium per modum naturæ sit prius principio per modum voluntatis, sequitur quòd motio per modum naturæ sit prior motione per modum voluntatis, & sic terminus termino.

Respondet quòd ista propositio, *ordo principiorum est prior ordine terminorum*, est vera de termino totali, qui verè producitur; sed non est vera de termino formali, qui solummodò capit *esse* secundùm *quid*; modò quia Spiritus sanctus capit *esse* simpliciter per motionem per modum voluntatis, & similiter filius per modum naturæ, benè conceditur quòd motio per modum naturæ est prior motione per modum voluntatis; sed quia motio ad notitiam lapidis est tantùm ad terminum secundùm quid, ideò motio ad Spiritum sanctum per modum voluntatis est simpliciter prior ista motione.

Quomodo ordo principiorum sit prior ordine terminorum.

t *Completo toto processu originis respectu primi termini.* &c. Aduerte in hac litera primò, cùm dicit quòd *essentia diuina mouet ad intellectionem simplicem omnis intelligibilis, & hac intelligentia, vt iam est in tribus suppositis.* Si dicit, vt iam essentia est tribus suppositis, patet suprà quia essentia non mouet, nisi, vt in tribus. Si verò accipit intelligentiam, vt est actualis intellectio, sensus est, quòd talis intellectio non terminatur ad creaturas, nisi priùs ipsa sit formaliter in tribus, quia tantùm est vna intellectio in Deo, qua intelligit omnia, & non diuersificatur in se, sed tantùm secundum aliam, & aliam transitionem, siue terminationem ad aliud, & aliud obiectum, vt patet *in primo, dist.* 39. Non potest ergo intellectio diuina esse respectu creaturæ, nisi priùs eadem intellectio diuina sit formaliter in tribus suppositis, siue personis.

Nota secundò, cùm dicit Doctor quòd *essentia non mouet ad distinctam notitiam veritatis cuiuscunque complexionis*, hoc inferiùs declarabitur, respondendo ad quædam dubia circa hoc dictum.

u *Si quæratur.* Hìc mouet dubium circa dicta paulò antè, quærendo quare essentia diuina non æquè necessariò mouet ad notitiam cuiuscunque obiecti intelligibilis, cùm idem videatur esse ordo cuiuscunque intelligibilis ad primum intelligibile, ex quo enim essentia diuina ponitur adæquatum obiectum intellectus diuini in ratione motiui, vt patuit in primo, quæst. penult. prolog. & distinct. 39. & suprà in quodlib. 56. *Dubium.*

Respondet Doctor quòd *naturaliter mouet,* &c. *non autem tale est aliquod complexum de existentia contingentis, quia non est natum esse determinatum ad veritatem*, cùm repugnet contingenti, vt contingens, esse veritatis determinatæ, scilicet, necessariò. *Responsio*

x *Et si quæras, quare non mouet necessariò ad talem cognitionem de complexo habendam, qualis possit haberet de eo*, puta, quare contingens, vt huiusmodi, non est determinatè verum, vt exposui de determinatè vero., & per consequens non possit, vt sic cognosci, ex quo tamen suo modo est cognoscibile, quare essentia diuina non potest mouere ad hanc cognitionem, vt qualemcunque. *Nota.*

Respondet quòd *moueret ad cognoscendum sub disiunctione, hoc fore, vel non fore*, puta, mouet ad cognitionem huius disiunctiuæ: Antichristus erit futurus in tali tempore, vel Antichristus non erit futurus in tali tempore, non tamen mouet ad alteram partem determinatè, puta non mouet intellectum ad cognoscendum determinatè, quòd Antichristus puta foret, quia tunc, vel intellectus diuinus posset errare, puta si oppositum posset euenire; vel si oppositum non posset euenire, tunc non esset verum contingens, vt suprà patuit. Si enim moueret determinatè ad cognoscendum alteram partem, illa necessariò esset determinatè vera, & sic Antichristum fore, esset simpliciter necessariò: Sed an hoc concludat, scilicet in essentia diuina necessariò mouet ad notitiã huius *Antichristus erit*, ergo

erit, ergo hæc est determinatè, & necessariò vera, hoc apparebit in dubiis circa hanc materiam.

y *Completo toto ordine motionis necessariæ, sequitur motio contingens* &c.

In ista litera nota primò, quòd licèt motionis contingentis principium sit voluntas, non tamen sequitur quòd omne volitum, vel productum sit contingẽs, imò aliquod est simpliciter necessarium, vt patet de amore essentiali, & spirato in Diuinis, quæ necessariò sunt à voluntate diuina, & ratio huius est assignata à Doctore *in primo dist.*10. & apparebit infrà *q.*16. nec similiter sequitur, est productũ necessariò, ergo per modum naturæ; quia Spiritus Sanctus est productus necessariò, non tamen per modum naturæ, vt patet *in primo, dist.*10. *& infra. quæst.*16.

Motio contingens fit primò ad intra.

Secundò nota, quomodo motio contingens fit primò ad intrà, quia creatura primus producitur in *esse* volito, quàm in esse reali, omnia enim quæcunque sunt volita, sunt ab æterno volita, ita quòd ex tempore nihil est volitum. De quo vide *in primo, dist.*39. *&* 40. & prolixius *in.*45. nam voluntati diuinæ proponuntur termini, vel opposita sub disiunctione, & tunc ipsa sola nulla ratione dictante determinat de altera parte. Et de huiusmodi determinatione, vide Doctorem *in primo, dist.*39. & quæ exposui.

Tertiò nota, cùm dicit, quòd intellectus diuinus videns determinationem voluntatis, nouit hoc esse futurum, quia quæritur à quo immediatè causatur ista visio in intellectu diuino. Dico quòd posita tali determinatione voluntatis diuinæ, visio illius determinationis causatur ab essentia diuina, de quo vide quæ suprà exposui *in primo dist.*39. vbi Doctor expresè dicit quòd immediatè est ab essentia diuina, & hoc magis apparebit in dubiis.

58. Quartò nota cùm dicit in motione necessaria primum principium est naturale, hoc simpliciter non debet intelligi, quia ad Spiritum sanctum est motio necessaria, & tamen eius principium est liberum, vt patet *dist.*10. *primi*, sed intelligitur de motione necessaria, quæ præcisè respicit principium ex sola natura principij, ita quòd circumscriptio quocunque extrinseco, necessariò produceret quicquid produceret. Sed voluntas diuina, vnde voluntas, etiam vnde diuina, non vult aliquid necessariò, & hoc ex ratione absoluta voluntatis. Sed si vult aliquid necessariò, hoc est, quia ipsa, vt formaliter infinita, comparatur ad obiectum formaliter infinitum, ideò non potest non velle illud, vt patet à Doctore *in primo dist.* 10. *& infrà q.* 16. Quando verò comparatur ad obiectum finitum, vult illud contingenter, & potest non velle. Sed principium naturale ex parte ipsius principij respectu cuiuscunque obiecti ex sua ratione necessariò producit, quicquid producit, & de isto necessario loquitur Doctor. De hac differentia, scilicet, *necessarij* quare vnum sit præcisè à principio naturali, & aliud à principio libero, patet infra, *q.*16.

Motio necessaria duplex.

Quintò nota ibi: *In contingente primum principium est liberum, huius actio in primo ordine, sequitur naturalis*, id est, quòd accipiendo contingens, vt est à principio libero, semper sequitur principium merè naturale: & patet, quia voluntas non potest contingenter velle lapidem, nisi lapis priùs à principio naturali, scilicet, essentia diuina sit productus per modum naturæ in *esse* cognito, nec similiter principium liberum potest ponere *A* in *esse* reali, nisi ipsum *A* sit priùs positum per modum naturæ in *esse* cognito ab essentia diuina. 59.

Nota etiam pro maiori declaratione instãtiæ superiùs factæ de ordine principiorum, & terminorum, quòd ordo principiorum, vt comparatur ad terminos accipientes simpliciter *esse*, principium per modum naturæ est simpliciter prius principio per modum voluntatis; & sic motio vnius est simpliciter prior motione alterius, & sic motio essentiæ diuinæ per modum naturæ ad productum realiter, puta ad Filium, est simpliciter prior motione volũtatis ad creaturam secundùm *esse* reale, & secundum *esse* volitum. Si modò motio per modum naturæ sit ad terminum accipientem *esse* secundùm *quid*, quia communicatur, siue producitur secundùm *quid*, puta motio per modum naturæ ad *esse* cognitum lapidis, quod *esse* cognitum est productum, siue lapidi communicatum secundùm *quid*, quia lapis, vt sic, habet tantùm *esse* diminutum; loquendo de tali termino, non sequitur quòd motio naturalis ad illum terminum sit prior motione non naturali, siue libera, quæ est ad terminum simpliciter, vt illa quæ est ad Spiritum sanctum, vel amorem essentialem. Comparando ergo principium per modum naturæ ad terminum capientem simpliciter *esse* per tale principium; & similiter comparando principium liberum ad terminum simpliciter; patet quòd motio per modum naturæ est prior motione libera, & sic Filius necessariò est prior Spiritu sancto, & etiam creatura capiente *esse* reale. Si verò principium per modum naturæ comparetur ad terminum capientem *esse* secundum *quid*, scilicet ad *esse* cognitum lapidis, & principium liberum comparetur ad terminum habentem *esse* reale, & simpliciter, & hoc ad intrà, tunc modus principiandi liberè est prior isto modo principiandi per modum naturæ. Si verò principium liberum comparetur ad extra ad terminum capientem *esse* secundum *quid*, puta ad lapidem volitum, vel capientem *esse* simpliciter reale, puta ad lapidem in *esse* reali, tunc modus principiandi liberè, & similiter motio eius libera est posterior modo principiandi per modum naturæ isto secundo modo, & similiter motio eius est posteriior, vt patet.

SCHOLIVM.

*Ad argumenta posita nu.*13. *primum fundatur in quadam propositione Doctoris q.*3. *prol. & 2.d.9.q.4 scilic. quando extrema alicuius propositionis comparantur ad se inuicem, vt motiuum, & mobile, si aliquid vnius extremi est motiuum respectu contenti sub altero extremo, idem erit de quolibet contento huius, respectu cuiuslibet contenti illius. Exemplum de calore, & calefa*

calefactibili. Hinc sequi videtur, si eſsētia diuina naturaliter mouet suū intellectū, quod similiter mouebit & creatū. Respōdet propositionē hîc intelligi ratione intellectus, quem essentia diuina immediatè mouet, quia naturaliter eum mouet, & non aliter, secus de intellectu, quem mouet media voluntate, qualis est omnis creatus, vt explicatum est. Quod si obiectum creatum intellectum creatum semper naturaliter moueret, ideò est, quia voluntas creata non potest elicere intellectum vllius obiecti. Ad secundum, explicat quomodo beatitudo nostra non est ab essentia, & ab obiecto motiuo, sed vt à terminatiuo: quia nihil agit ad extrà naturaliter; vnde si per impossibile non esset volens, nullum beare possēt, nullumque contingens producere. Ad tertium visio nostra non est proles essentiæ, quia non mouet ad eam naturaliter. Explicat clarè quomodo voluntas est principium motiuum ad videndum essentiam, licèt hæc sit prior, quia est infinita, & perfectissimè ipsi eadem, negat visionem beatam esse Verbum, quia non gignitur naturaliter, quomodo autem gignitur Verbum, vide 1. d. 3. qu. vlt. & 2. d. 16. & 24. Ad quartum non respondet, quia ex dictis constat eſsentiam nullomodo mouere ad sui visionem in nobis; & sic non est ratio prima, & secunda motionis, sed tantùm terminationis.

Nunc autem [a] quantùm ad primam minorem, essentia diuina est motiua immediatè sui intellectus, sed non intellectus creati: quia intellectus diuinus est primum mobile omnino. Et ideò primò mouetur à prima forma motiua: & nihil aliud est immediatè mobile à prima forma motiua: quia nō potest immediatè mouere, nisi primò modo motionis: & nihil aliud natum est sic moueri. Si igitur concludas, quòd essentia diuina eodem modo mouet omnem intellectum: concedatur, quem immediatè mouet; sed ille est solus intellectus diuinus: vt patet ex dictis. 17.

Obiectum creatum, naturaliter tātum mouet, & quare?

Alia autem minor, scilicet quòd obiectum creatum naturaliter mouet, vera est de intellectu, quem immediatè mouet: falsa autem esset, si aliquem intellectum moueret mediante actu voluntatis, quia illum non naturaliter moueret, sicut si voluntas mea possit liberè causare intellectionem essentiæ meæ in te. Sed isto modo fortè non est de aliqua essentia, & voluntate creata: quia quælibet essentia est immediatè motiua intellectus creati, & ideò motione naturali; nulla autem voluntas creata est motiua ad intellectionem perfectam alicuius essentiæ, vt essentia est: quia nec perfectè eam continet eminenter, vel vnitiuè, & qualitercunque sit de obiecto creato mouente intellectum naturaliter: patet prius quòd est eadem ratio de essentia diuina: quia ipsa non est immediatè motiua alicuius intellectus, nisi primi.

Essentia diuina, obiectum terminatiuum nō motiuum beatitudinis nostræ.

b Ad aliud dico, quòd mouere ad actum beatificum non est proprius actus illius essentiæ diuinæ: neque est prius actu voluntatis: imò est propriè actus illius voluntatis. Essentia enim vt quodammodo prior voluntate, licèt sit obiectum primum, & immediatum illius visionis in ratione terminantis, tamen non est obiectum immediatum in ratione mouentis, sed tantùm mouens remotum, pro quanto mouet intellectum diuinum ad visionem præcedentem illud *velle*, quo mouetur intellectus Michaëlis ad visionem.

Et per hoc patet ad confirmationem ibi positam; quia si illa essentia non esset formaliter volens, nihil omnino posset causare ad extrà, quia nihil posset causare nisi naturaliter & quodcunque extrinsecum, cùm sit formaliter possibile, non posset esse à necessario, nisi contingenter.

Visio nostra non est proles essentiæ quia non mouet ad eius gignitionem.

Ad tertium dici potest, quòd essentia non habet rationem motiui ad visionem sui in intellectu creato, nisi inquantùm præsupponitur ipsam mouisse intellectum diuinum ad visionem, quæ præsupponitur ipsi *velle* diuino, motiuo intellectus creati: non igitur se habent essentia, & voluntas, vt mouens superius & inferius, propriè loquēdo, sic intelligendo, quòd vtrumque attingat ipsum motum; sed tantùm voluntas attingit intellectum creatum: tamen præsupponit motionem intellectus diuini ab ipsa essentiâ, sine qua ipsa voluntas non haberet illud *velle*, quo mouet. 18.

Si arguitur contra hoc, quia voluntas, vt voluntas, non potest mouere nisi ad videndum voluntatem, vt voluntas est: non autem ad videndum essentiam, vt essentiam; nunc autem videre voluntatem, vt voluntas est, & non essentiam, vt essentia est, non est videre obiectum beatificum. Probatio minoris, quia idem est obiectum beatificum intellectus creati, & intellectus diuini: intellectus autem diuinus non beatificatur in vidēdo voluntatē, vt volūtas est: quia voluntas non est primū obiectum intellectus sui: & nō beatificatur nisi attingendo primum obiectum. Probatio maioris, quia cùm voluntas sit quasi posterior ipsa natura: quia proprietas nō potest esse principiū causandi

causandi perfectam visione essentiæ, vt essentia est, quæ quodammodò est prior, & perfectior, iuxta illud Damasceni 12. *Totum*, inquit, *in seipso comprehendens habet esse, velut quoddam pelagus substantiæ, infinitum*, &c.

Ad istud dico, quòd quia voluntas est perfectè idem cum essentia: ideò potest esse principium motiuum ad videndum essentiam, vt essentia est: neganda est igitur illa maior: verum quidem est quod ibi affirmatur, scilicet quòd voluntas potest esse principium motiuum ad videndum voluntatem, vt voluntas est: falsum autem est, quod ibi negatur, scilicet quòd non potest esse principium ad videndum essentiam, vt essentia est.

Voluntas est principium motiuum ad videndam essentiam.

19. Ad probationem maioris respondeo, quòd prioritas illa est quasi prioritas fundamenti: sed illud fundamentum non solùm est perfectè idem cum illo, quod intelligitur fundari in eo; sed etiam illud habet perfectionem formalem formaliter infinitam. Propter quod perfectè identicè & vnitiuè continet perfectionem fundamenti, & propter istam rationem potest voluntas esse principium communicandi essentiam: quia ipsa est identicè omnino eiusdem perfectionis cum essentia.

Voluntas diuina continet perfectionem essentiæ.

c Ad aliud posset dici, quòd Augustinus loquitur ibi de notitia, quæ est verbum. Vnde cùm dixisset: *Nascitur proles ipsa Trinitatis notitia*, subdit in fine capituli. *Est quædam imago Trinitatis ipsa mens, & notitia eius, quæ est proles eius, ac de seipsa verbū eius, & amor tertius.* Hæc ille. Non igitur quæcunque notitia actualis obiecti est verbum eius, sed illa sola, quæ de ipso nascitur tanquam proles: hoc est, non tantùm est naturalis similitudo eius, sed naturaliter gignitur ab ipso nascendo: notitia igitur actualis, quæ producitur immediatè per voluntatem non est verbum obiecti: quia etsi sit similitudo naturalis obiecti: non tamen est naturaliter genita.

Visio beata non est verbum, quia non naturaliter gignitur.

Et propter istud posset dici, quòd beatus non habet verbum de Deo, quia etsi illa visio sit imago diuinæ essentiæ ipsam naturaliter repræsentans, non tamen est imago naturalis naturaliter ab ipsa procedens, sed illius essentiæ est tantùm vnicum verbum, & hoc in solo intellectu increato, in quo solo potest esse notitia ipsius obiecti naturaliter genita.

Aliter posset dici [d] ad illud 9. de Trin. cùm dicit August. quòd *omnis res quam cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui*, quòd vel intelligitur de re, quam naturaliter cognoscimus, hoc est, ex causis naturaliter motiuis intellectus nostri. Illa quidem in seipsa, vel in causis suis congenerat: hoc est naturali fœcunditate & necessitate causat in nobis tanquam naturalem similitudinem notitiam sui: & sic verbum non gignitur nisi de memoria: nunc autem obiectum, quod fit cognitum per actum voluntatis, non oportet præesse in memoria: vel saltem non agit vt præëxistens in memoria. Sic igitur modo dicto saluatur propriè ratio verbi.

Cap. vlt. Loquitur August. de rebus creatis.

20. Vel si hoc, quod ait *omnis res*, extendatur etiam ad essentiam diuinam, tunc illud, quod sequitur, scilicet *congenerat notitiam sui*, debet intelligi vel formaliter pro obiecto naturaliter motiuo. vel æquiualenter pro obiecto increato: quia ipsum vel per se vel per aliquid sibi idem, causat in nobis notitiam sui: quæ æquiualet in perficiendo intellectum, ac si esset proles naturaliter genita: quia est similitudo naturaliter ducens in obiectum: sicut si esset ab obiecto naturaliter expressa.

Essentia diuina generat notitiā sui in nobis, sed æquiualenter, quia per aliquod sibi idem.

e Hinc videtur sequi, quòd essentia non est repræsentatiua sui Michaëli priùs naturâ, quàm visio eius causatur in Michaële; igitur multò magis non est repræsentatiua alicuius alterius, sed tam ipsa, quàm alia contingenter repræsentantur per actū voluntatis: ita quòd ipsum repræsentare non est præcedens quomodocunque ipsam intellectionem obiecti. quod dicitur repræsentari.

f Sed si quæratur hîc repræsentatio quodammodò prior actuali intellectione. illa tantummodò inuenitur in memoria: & in memoria diuina nihil propriè est nisi obiectum, quod quasi tribuit actum primum, siue immediatum actui secundo, scilicet intellectioni actuali: illud autem sic actuans est præsentia completa primi obiecti, scilicet essentiæ diuinæ.

Repræsentatio prior intellectione est memoriæ fœcunda, 1. d. 2. q. 7. & 2. d. 3. q. 9.

Contrà: quomodo igitur Beatus videt obiectum secundarium in ipsa essentia, si non est aliquo modo ibi repræsentatum, & non repræsentatur sibi in voluntate; quia voluntas non est speculum in quo videatur, licèt per voluntatem manifestetur?

Respondeo: lapis videtur in essentia diuina, non vt in speculo, in quo reluceat vt obiectum præsens; sed ipsa essentia se solam, & soli suo intellectui se repræsentat ante actum intelligendi: sed lapis videtur in essentia diuina, vt obiectum secundarium in primo obiecto, non quidem motiuo ad intellectionem secundi, sicut mouet intellectum

Quomodo lapis videtur, in essentia.

intellectum proprium, & sicut intellectum nostrum mouet principium ad conclusionem; sed ordine primi obiecti, & secundi terminantis, quodam alio scilicet voluntate, mouente ad ista duo obiecta ordine quodam actum intellectus terminantia.

COMMENTARIVS.

60. *Monere duplex.* AD argumẽta facta in isto articulo, quibus probauit quòd essentia diuina potest immediatè mouere intellectũ creatũ ad sui notitiã. Sed ante responsionẽ præmitto vnũ, quòd mouere aliud immediatè, & mouere aliud mediatè, potest intelligi multipliciter. Mouere immediatè aliud puta, cùm dico *A* immediatè mouet *B*, est sensus, quòd *A* causat aliquid, quod immediatè recipitur in *B* ab ipso *A*, & sic ignis immediatè mouet materiã ligni ad formam substantialẽ ignis, quia in tali materia disposita immediatè causat formam ignis. Sed ignis calefacit lignum mediatè, id est, mediante calore, quem habet, & sic mediante alio calefacit, id est, mediante actione alterius præcisè. Potest etiam aliter intelligi mediatè, & immediatè; sed iste modus sufficit ad propositum. Cùm dicitur de obiecto immediatè, & mediatè motiuo, nota benè; quia aut loquimur de noticia abstractiua, aut de intuitiua. De prima possumus dupliciter loqui, scilicet, vel de abstractiua in nobis pro statu isto; & tunc dico, quòd nullum obiectum immediatè mouet intellectum nostrum ad sui noticiam; nec etiam immediatè mouet ad speciem sui intelligibilem. Sed immediatè mouet sensum extrà: loquendo de obiecto sensibili, & post mouetur virtus phantastica, & vltimo phantasma producit speciem intelligibilem, vt expositum suprà art. 1. in dubijs. Vel loquimur de abstractione in intellectu soluto. Dico tunc quòd nullum obiectum mouet immediatè talem intellectum ad sui noticiam abstractiuam, quia primò causat speciem intelligibilem, quæ postea immediatè partialiter causat noticiam abstractiuam obiecti. De hoc vide Doctorem *in secundo. dist.* 3. *q.* 11. *& in* 4. *dist.* 45.

61. *Nota.* De intuitiua dico quòd si obiectum sit motiuum formaliter quòd immediatè mouet intellectum, quem potest mouere. Si verò non motiuum, saltem continetur in alio virtualiter, quod mouet ad notitiam intuitiuam illius; & tale sic virtualiter contentum non dicitur mouere mediante alio, quia mouens mediante alio, non dicitur virtualiter contineri in illo; sicut ignis calefacit lignum mediante calore, non continetur virtualiter in calore, quia tunc esset essentialiter in perfectior. Sed Doctor hîc quando loquitur de obiecto immediatè motiuo amoto omni impedimento, sic accipit, quòd tale obiectum ex natura sua vnde præcisè talis entitas obiectiua, actione propria mouet intellectum ad sui, & omnium virtualiter vel essentialiter contentorum notitiam. Et tale obiectum dicitur propriè immediatè motiuũ, quia vt tale est causatiuum saltem partialiter notitiæ sui, & omnium contentorum. Et hoc patet in notitia intuitiua. In abstractiua etiam illud dicitur immediatè mouere intellectum ad speciem intelligibilem, & omnium contentorum, quòd ex natura sua potest illam causare; quòd modò non immediatè causet hoc non ex natura obiecti, sed vel propter ordinem potentiarum; vel propter peccatum, vt patuit *in primo, dist.* 3. *q.* 3. Si enim esset proportionatè præsens, immediatè posset causare speciem intelligibilem, vt patet *in secundo. dist.* 3. *q.* 11. Obiectum verò dicitur mediatè mouere intellectum, quando nõ actione propria competente præcisè tali obiecto, vt tale obiectum, sed mouet actione alterius, & tunc dicitur mouere mediatè, id est, mediante actione alterius præcisè.

Aduerte etiam quòd omne obiectum motiuum intellectus quodcunque sit illud potest mouere ipsum intellectum, vel mediatè, vel immediatè; & intelligo sic quòd obiectum motiuum immediatè ex se formaliter est principium immediatè mouendi, siue causandi notitiam sui, & contentorum. Sed obiectum motiuum mediatè tantùm est illud, quod licèt ex se formaliter non sit principium mouendi immediatè, tamen in se suo modo continet aliquam entitatem, quæ sit ratio formalis immediatè mouendi, & non continet illam tantùm per accidens, sicut ignis calorem; sed sic continet illam, quòd circumscriptio omni per accidens, adhuc inest; habens ergo talem entitatem, dicitur obiectum per se motiuum intellectus, licet mediatè tantùm. Dico vltrà, quòd omne obiectum, quod est motiuum mediatè modo præexposito, alicuius intellectus est ex se formaliter, & immediatè motiuum intellectus sibi proportionati, cùm tale sit maximè intelligibile, & quòd non moueat immediatè omnem intellectum, si alium potest mouere, hoc non ex imperfectione talis obiecti, sed quia motio ad extra sibi repugnat, quia sibi repugnat agere necessariò ad extrà, vt probat Doctor *in primo, dist.* 8. *q. vltima.*

His declaratis. Dicit Doctor ad primam rationem glossando maiorem, scilicet, quòd est vera de obiecto immediatè motiuo, quod habet eundem modum mouendi, scilicet, vel per modum naturæ, vel liberè. Et sic obiectum comparatũ ad quemcunque intellectum, quem immediatè potest mouere, præcisè habe eundem modum mouendi; patet, quia modus mouendi sequitur naturam obiecti, & sic si aliquem potest per modum naturæ mouere, etiam quemlibet alium, quem immediatè potest mouere, mouebit per modum naturæ. Et similiter si aliquem intellectum, quem mediatè potest mouere, moueat per modum voluntatis, quemlibet alium, quem mediatè mouet, mouebit præcisè per modum voluntatis, & sic patet ista propositio maior. 62. *Ad primam rationem.*

a *Nunc autem quantùm ad primam minorem essentia,* &c.

Nota aliqua in ista litera. Primò, de primo mobili simpliciter, & primo motiuo simpliciter, quod mouet tantùm per modum naturæ, vt suprà patuit, & illa sunt præcisè intellectus diuinus, & *Nota.*

Intellectus Diuinus, & essentia Diuina, vt essentia, est prior omni attributo, & voluntate.

nus, & essentia diuina, vt essentia, & vt prior omni etiam attributo,& etiam vt prior voluntate. Secundò, quòd omne obiectum creatum mouet naturaliter intellectum, què immediatè mouet. Sed tunc est dubiũ de voluntate creata, quæ etiam ponitur obiectum intellectus,& immediatè motiuum. An modò moueat illum naturaliter, vel liberè, dic vt dixi in secundo, vbi adduxi opinionem Ocham, quam improbaui. Tertiò nota, cùm dicit quòd quælibet essentia creata est immediatè motiua intellectus creati, & ideò motione naturali; hoc non videtur absolutè verum,quia essentia relatiua nullo modo mouet intellectum ad sui notitiam; intelligitur ergo de omni essentia creata absoluta,quia omnis talis est immediatè causatiua notitiæ sui,& contentorum, vt patuit *in* 1. *dist.* 3. *q.* 3. Vide quæ ibi exposui, vbi dixi quòd etiam quantitas mouet intellectum creatum ad sui notitiam, & adduxi ibi Doctorem in quarto, in materia de Eucharistia. Et nota cùm dicit, quòd nulla voluntas est motiua ad intellectionem perfectam alicuius essentiæ, vt essentia est,quia nec perfectè eam continet eminenter, vel vnitiuè, quia hoc videtur concludere etiam de voluntate diuina,quòd non possit causare notitiam essentiæ diuinæ, cùm propriè non contineat eam, nec eminenter,nec vnitiuè. Sed ad hoc dubium, vt suprà dixi in quodl. vbi de hoc sunt motæ singulares difficultates.

63. Ad secundum dicit quòd *mouere ad actum beatificum non est primus actus essentiæ diuinæ*, &c. Et non intelligas hîc de mouente remoto, quod etiam attingit terminum principalem; sicut dicimus quòd mouens principale dicitur mouens remotum respectu agentis instrumentalis,de quo vide Doctorem *in* 4. *dist.*1.*q.*1. & similiter *in* 2. *dist.*3. Sed nec intelligitur de mouente remoto non attingente terminum principalem, sed disponente ad ipsum, quia visio essentiæ diuinæ, vt in intellectu diuino, non est dispositio ad visionem,qua Michaël videt essentiam diuinam quia si, per impossibile, non esset talis visio adhuc Michaël posset videre essentiam, sed intelligitur sic,quòd voluntas diuina nullo modo posset causare visionem essentiæ diuinæ, nisi essentia diuina fuisset priùs visa ab intellectu diuino, per quam visionem essentia est præsens voluntati diuinæ, & vt sic, essentia dicitur causa remota respectu causationis voluntatis diuinæ causantis visionem illius in intellectu Michaëlis, id est, quòd ipsa causat naturaliter aliquod necessariò requisitum ad hoc vt voluntas diuina possit causare visionem in Michaële.

Essentia non habet rationem motiui ad visionem sui intellectu creato.

64. c *Ad illud Augustini dicit Doctor quòd ibi loquitur* Augustinus de notitia, quæ est verbum, & illa duo requirit,scilicet,quòd sit naturalis similitudo obiecti, & quòd sit naturaliter genita ab obiecto. Et sic notitia essentiæ causata à voluntate diuina in intellectu creato, etsi sit naturalis illius similitudo,non tamen est naturaliter causata ab obiecto. Expono tamen literam, recitando illam. Cùm dicit, *loquitur ibi de notitia, quæ est verbum*, de quo satis patuit *in* 1. *dist.*27. Vnde cùm dixisset, *nascitur proles ipsa Trinitatis notitia*, id est, ipsa notitia, quæ gignitur ab obiecto,dicitur proles.Et subdit in fine capituli: *Est quædam imago ipsa mens,& notitia eius, quæ est proles eius, ac de seipsa verbum eius, & amor tertius*, id est, quòd mens, id est,

Expositio literæ.

memoria fęcunda,quæ includit præsentiam obiecti. (Sæpe enim Augustinus accipit *mentem* pro *memoria*, quæ includit obiectum præsens, vt aliàs patuit,) ipsa mens est quædam imago, passiuè tamen; sicut etiam in Deo accipitur imago, cùm dicitur, *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*,& notitia ipsius mentis,id est, obiecti relucentis in memoria est proles eius, & est verbum eius, & illa notitia nascitur de ipsa mente, hoc est de obiecto relucente in memoria,& amor tertius, id est, quòd amor nascitur de prole, intelligendo sicut dicit Doctor *in* 1.*dist.*3.*quæst.vltima*,quòd tertia pars imaginis dicitur esse à secunda parte,pro quanto præsupponit ipsam. Et in proposito accipit mentem non tantùm vt includit obiectum, & intellectum, quæ pertinent ad memoriam fæcundam; sed etiam vt includit voluntatem, & obiectum ipsius,quod est obiectum cognitum; & sic de eodem obiecto cum intellectu dicitur nasci verbum,& cum voluntate dicitur produci amor,de quo vide *in* 1.*dist.*3. *quæst.vltima, & in* 2.*dist.*16.*& dist.*24. Et ex hac auctoritate patet quòd non quæcunque notitia actualis obiecti dicitur verbum illius obiecti, sed illa sola, quæ de ipso nascitur tanquam proles, hoc est, non tantùm est similitudo naturalis eius,sed naturaliter gignitur ab ipso nascendo, & ideò actus voluntatis non dicitur propriè nasci;quia nasci est à principio per modũ naturæ; notitia igitur actualis, quæ producitur immediatè per voluntatem, non est verbum obiecti, quia etsi sit similitudo naturalis obiecti, non tamen est naturaliter genita,id est,per modum naturæ,sed tantùm liberè. Et propter illud posset dici quòd Beatus non habet verbum de Deo,quia etsi illa visio sit imago diuinæ essentiæ,ipsam naturaliter repræsentans, non tamen est imago diuinæ essentiæ, ipsam naturaliter repræsentans, non tamen est imago naturalis naturaliter ab ipsa procedens. Sed illius essentiæ est tantùm vnicum verbum, & hoc in solo intellectu increato, in quo solo potest esse notitia naturalis ipsius obiecti naturaliter genita. Aduerte quòd non intelligitur propriè genita immediatè ab ipso obiecto, cuius ponitur notitia ad hoc vt dicatur verbum,sed sufficit quòd sit naturalis similitudo obiecti, genita immediatè ab ipso obiecto per modum naturæ,vel genita ab alio obiecto continente virtualiter ipsum,cuius ponitur notitia genita; dico per modum naturæ, & sic notitia lapidis in Deo,& si non sit genita ab ipso lapide,dicitur tamen verbum, quia est genita ab essentia per modum naturæ ipsum lapidem virtualiter continente,& hoc sufficit.

Dat etiã aliã responsionem ad illã autoritatẽ Augustini.Et ista secũda respõsio distinguitur à prima, quia hîc accipitur verbũ, prout præcisè genitum à causis naturalibus, siue à memoria 65.
creata,quę memoria requirit pręsẽtiã obiecti,ita quòd obiectum actiuè concurrat, & sic accipit omnem rem,vt pręcisè extenditur ad creaturã; sed in prima ratione accipit rem, etiam prout extenditur ad essentiam diuinam, vt ibi patet.

Hinc videtur sequi quòd essentia non est repræsentatiua sui Michaëli prius natura, quàm visio eius causetur in Michaële,hoc patet,quia obiectũ pręsẽs intellectui ex natura sua,siue quod est ratio repręsẽtandi se intellectui in ratione obiecti actu intelligibilis,dicitur actu pertinere ad memoriã.Et etiam posito quòd actu non pertineat

Nota.

ad memoriam productiuam actus, tamen sequitur quòd in re erit ratio repræsentandi se per modum naturæ; & sic si essentia, vt essentia, faceret se præsentem intellectui creato, faceret se præsentem per modum naturæ, & per consequens necessariò, & sic semper esset necessariò præsens in ratione obiecti actu intelligibilis; præcisè ergo in eodem instanti, quo causatur visio essentiæ in intellectu Michaëlis, fit præsens ipsi in ratione obiecti visibilis, & talis præsentia est præcisè à voluntate causante huiusmodi visionem; posset tamen voluntas diuina priùs causare præsentiam essentiæ in ratione obiecti visibilis, id est, facere ipsam priùs præsentem intellectui creato, quàm causet visionem eius: de facto tamen creditur quòd præcisè in eodem instanti fit præsens quo causatur visio eius, quia eius præsẽtia per prius nõ videtur necessaria, tunc enim pręsentia obiecti prior visione est necessaria, quando obiectum pertinet ad memoriam, vt memoria, quæ vt sic, est verè productiua, vt exposui *in 1. dist. 3. q. 7. in titulo quæst. & in 2 dist. 3. q. 9. & 20.* Si ergo essentia, vt essentia, non est sui, siue suæ præsentiæ repræsentatiua, multò magis non est repræsentatiua alterius obiecti, nam quod est causatiuum præsentiæ alterius per modum naturæ, multò magis erit causatiuum præsentiæ sui per modum naturæ, imò est simpliciter impossibile quòd essentia, vt essentia, per modum naturæ sit causatiua, puta præsentiæ lapidis, & non simul; vel priùs sit per modum naturæ suæ præsentiæ causatiua. Sicut est impossibile ipsam posse per modum naturæ causare notitiam in intellectu suo respectu alterius obiecti, quin prius, vel simul causet per modum naturæ notitiam sui: sic est impossibile quòd causet in intellectu suo præsentiam lapidis in ratione obiecti, actu intelligibilis, quin simul, vel priùs, causet per modum naturæ præsentiam sui. Sed hoc idem est dicere respectu intellectus creati. Si ergo non potest causare præsentiam sui in intellectu creato, multò minùs poterit causare præsentiam alterius. Tam ergo ipsa essentia, quàm alia obiecta secundaria contingenter repræsentantur in intellectu creato per actum voluntatis diuinæ, ita quòd ipsum repræsentare, siue præsentiam causare in ratione obiecti, actu intelligibilis, non est præcedens quomodocunque ipsam intellectionem obiecti, quòd dicitur repræsentari, & hoc de facto, licèt de possibili, vt credo posset, vt suprà dixi.

Quomodo essentia non sit repræsentatiua alterius obiecti.

66. *Sed si quæratur, quare hæc repræsentatio quodammodo prior actuali intellectione,* Et patet quòd propriè completa præsentia obiecti potentiæ, si obiectum, si motiuum est, quando obiectum est actu intelligibile, id est, quòd actu potest causare notitiam sui in intellectu, cui est sic præsens, & vt sic, pertinet ad actum primum immediatum actui secundo. Actus primus immediatus actui secundo est, quando est in potentia propinqua ad eliciendum actum secundum, quod tunc est, quando obiectum est perfectè præsens potentiæ, quia tunc habetur memoria perfecta, quæ dicitur actus primus completus, & immediatus, actui secundo. Sed actus primus, non immediatus actui secundo est, quando principium operandi, quod semper dicitur actus primus, est tantùm in potentia remota ad operandum. Et quando obiectum non est actu præsens intellectui in ratione obiecti, actu intelligibili, dicitur actus primus remotus ab actu secundo, siue ab operatione.

In isto articulo occurrunt aliqua dubia. Primum in hoc, quòd *si potentia intellectiua ex natura potentia non eleuata per aliquod lumen, non haberet idem obiectum, quod habet vt eleuata per lumen gloriæ, tunc non esset eadem potentia.* 67.

Secundum in hoc, *obiectum adæquatum intellectui nostro ex natura potentiæ non est aliquid specialius obiecto intellectus Angelici.*

Tertium est in hoc quòd *motio, omninò prima in entibus, est necessariò naturalis.*

Quartum in hoc, quòd *motio, quæ est ad terminum infinitum, est prior illa, quæ est ad terminum finitum.*

Quintum est in hoc, *primum mobile motione naturali est intellectus diuinus, & primum motiuum motione naturali est essentia diuina, & sic illud obiectum potest mouere motione naturali ad notitiam sui essentialem, & ad notitiam genitam.*

Sextum est, quòd *essentia diuina est naturale motiuum ad intelligendum quodcunque intelligibile simplex, sed non nisi priùs illa essentia sit in tribus suppositis.*

Septimum est in hoc, quòd *essentia, etsi moueat ad distinctam notitiam simplicium, non tamen mouet ad distinctam notitiam veritatis contingentis, licèt moueat ad distinctam notitiam veritatis complexæ necessariæ.*

Octauum, *essentia mouet ad distinctam notitiam cognoscendi sub distinctione hoc fore, vel non fore, & hæc cognitio non est determinata de altera parte.*

Nonum est, quòd *motio voluntatis ad extrà necessariò præsupponit aliam ipsius voluntatis ad intrà respectu eiusdem obiecti.*

Decimum est in hoc, *obiectum mouens potentiam immediatè habet eundem modum mouendi respectu cuiuscunque potentiæ, quam mouet immediatè, & sic essentia diuina mouet naturaliter omnem intellectum, quem immediatè mouet.*

Vndecimum est in hoc, quod *qualibet essentia creata est immediatè motiua intellectus creati, & ideò motione naturali.*

Duodecimum est in hoc, quòd *nulla voluntas creata est motiua ad intellectionem perfectam alicuius essentiæ, vt essentia est, quia nec perfectè continet eam, nec vnitiuè.*

Tertiumdecimum est in hoc, *essentia, vt prior voluntate, licèt sit obiectum primum, & immediatum visionis Beati in ratione terminantis tamen non est obiectum immediatum in ratione mouentis, sed tantum mouens remotum pro quanto mouet intellectum diuinum ad visionem præcedentem illud* velle *quo mouetur intellectus Beati ad visionem.*

Quartumdecimum est in hoc, quia *voluntas diuina est perfectè idem cum essentia, ideò potest esse principium motiuum ad videndum essentiam, vt essentia est.*

Quintumdecimum est ibi, quia *voluntas diuina est formaliter infinita, ideò perfectè, & vnitiuè continet essentiam diuinam.* Et ista dubia pro nunc sufficiant.

68. *Instatur contra primum.*

Contra primum instatur, primò supponendo quòd Doctor intendit de obiecto motiuo, scilicet, quòd si hîc haberet obiectum motiuum, quod non haberet in patria, vel si in patria

tria haberet aliquod obiectum, ad quod non posset attingere ex natura potentiæ, sed tantùm per aliquem habitum additum potentiæ, quòd tunc non esset eadem potentia. Instatur sic, primò, quia potentia ex se non potest attingere ad aliquod obiectum, nisi eleuetur per aliquem habitum, & ad aliud potest attingere ex se, & tamen non sequitur quòd non sit eadem potentia. Antecedens patet, quia attingit quiditatem, vt quiditas est tantùm per speciem intelligibilem, & tamen potest aliud obiectum attingere ex se; patet, quia ex sua natura attingit actum rectum. Secundò diceretur quòd non posset immediatè attingere Angelum, nisi mediante aliquo lumine supernaturali.

Secundò instatur sic; mouere per modum necessitatis, & per modum voluntatis, sunt modi magis arguentes diuersitatem principij operandi, quàm aliud, & aliud obiectum, ita quòd vnum moueat potentiam, & aliud non, licèt sit ex se motiuum, tamen non potest mouere eandem potentiam; patet hoc, quia illi modi videntur repugnantes. Vnde Doctor *in primo, dist. 1. quæst. 4.* dicit quòd si voluntas nostra vellet finem de necessitate, & ordinata ad finem contingenter, non esset eadem voluntas, sed essent duæ voluntates; modò eadem voluntas vult aliquid necessariò, & aliquid contingenter. Patet à Doctore *in primo, dist. 10. & infrà qu 15.* de voluntate diuina, quæ vult necessariò essentiam diuinam, & contingenter creaturam.

Tertiò instatur sic; Idem ignis potest producere calorem in aliquo calefactibili, & in alio non potest, nisi per calorem sibi additum; patet, quia producit calorem in seipso, vt patet à Doctore in quarto in materia de Eucharistia, & tamen non potest immediatè calefacere lignũ, nisi mediante calore, & tamen propter hoc non negatur quin ignis sit eadem potentia respiciẽs calefactibile; sic videtur dicendum in proposito, quòd quamuis intellectus, ex natura intellectus, non possit attingere aliquod obiectum, nisi mediante aliquo sibi addito, quòd omnino sit eadem potentia, licèt aliud obiectum ex natura sua possit attingere.

Quartò. Si potentia dicitur diuersificari ex hoc, quòd vnum obiectum puta materiale, ex natura potentiæ potest attingere, & substantiam separatam non potest, nisi per habitum supernaturalem sibi additum, sic videtur dicendum si ipsa non attingat obiectum ex natura potentiæ secundùm totam suam entitatem, & intelligibilitatem, cùm tamen, vt sic, ponatur obiectum potentiæ. Sed hoc non potest, nisi mediante aliquo habitu; patet, quia potentia habituata, agens æquali conatu, intensiorem producit intellectionem, quàm non habituata, vt patet à Doctore, *in primo, dist. 17. & in tertio, dist. 27.* si ergo obiectum sit intelligibile vt decem, & ipsa non possit sic intelligere sine habitu, & aliud intelligibile vt quatuor sine habitu potest intelligere; ergo secundùm hoc videretur diuersificari, & tamen non diuersificatur.

Quintò instatur, certum est quòd est idem intellectus hîc, & in patria nullo modo variatus, & tamen hîc non potest attingere aliquod merè intelligibile sub ratione propria, vt patet à Doctore *in primo, dist. 3. q. 3.*

69. Respondeo, præmittendo aliqua. Primum est, quòd conclusio Doctoris intelligitur de obiecto motiuo in se formaliter, vel de obiecto virtualiter, vel essentialiter incluso in alio obiecto, quod possit mouere ad notitiam sui, & inclusorum. Secundò præmitto, quòd conclusio intelligitur de perfectione actus pertinente præcisè ad obiectum, quia benè aliquando obiectum minùs perfectum intensiuè intelligitur intellectione intensiori, & hoc propter maiorem conatum potentiæ, quàm intelligatur obiectum perfectius propter minorem conatum, & attentionem potentiæ. Tertiò præmitto, quòd habitus non ponitur propter obiectum, sed tantùm propter potentiam, quia ipsam magis facilitat ad operandum.

Istis præmissis, patet responsio ad instantias. 70
Ad primam dico, quòd si obiectum esset in se præsens, statim nullo alio addito posset attingere. Sed quando non est in se præsens, tunc ponitur species intelligibilis, quæ facit obiectũ præsens, non in se, sed in repræsentatiuo, vt exposui. Et sicut potest intelligere omne obiectum, quando est in se præsens, ita ipso absente potest illud intelligere per speciem. Et vltrà dico, quòd omne obiectum motiuum ad sui notitiam intuitiuam, quando est in se præsens, potest etiam causare, & hoc mediatè, vel immediatè speciem intelligibilem modo priùs exposito. *Responsio ad primum.*

Ad secundam patet responsio, quomodo concludit de voluntate creata, & non concludit de voluntate diuina. Vide quæ dixi *in primo, d. 4.* respondendo ad rationes Ocham contra Doctorem. *Ad secundũ.*

Ad tertiam. Dico, quòd ignis, vt ignis, non respicit omne calefactibile, vt huiusmodi, nisi mediante calore, nec propriè seipsum calefacit. *Ad tertium.*

Ad quartam patet responsio. Dico enim, quòd obiectum perfectè præsens causat actum perfectissimum quem potest, & quantum est intelligibile, loquendo de causatione pertinente ad obiectum. *Ad quartum.*

Ad quintam. Dico, quòd est eadem potentia hîc, & in patria, sed non eodem modo disposita, quia vt hîc est alligata ordini potentiarum, ibi non, vt patet à Doctore *q. 14. quod. & in primo, dist. 3. quæst. 3.* ideò hîc tantùm mouetur à sensibilibus, ibi verò etiam ab intelligibilibus. *Ad quintũ.*

Contra secundum instatur, quòd intellectus noster non habeat præcisè idem obiectum motiuum, quod habet intellectus Angeli. Et primò sic; sicut intellectus diuinus habet tantùm essentiam suam obiecto adæquato motiuo, quia est formaliter infinitus, vt patet à Doctore in pluribus locis, quia si haberet plura obiecta motiua, vilesceret: sic videtur quòd intellectus Angeli, ratione suæ supremæ perfectionis, habeat tantùm seipsum, vt motiuum omnis intelligibilis; aliter si haberet, puta lapidem pro obiecto motiuo, sicut habet intellectus noster, quòd tunc multùm vilesceret.

Secundò instatur; sicut intellectus diuinus, quia infinitus, habet aliquod obiectum, quod tantùm est immediatè motiuum intellectus diuini, scil. essentiam diuinam, quæ nullum alium intellectum immediatè mouet, nisi diuinum, vt infrà patet *q. 15.* sic videtur quòd saltem supremus Angelus habeat aliquod speciale obiectũ nullo modo motiuum, saltem intellectus humani. In hoc enim attenditur perfectio potentiæ,

quia habet aliquod perfectius pro obiecto, quod non habet potentia imperfectior, illud erit essentia Angeli supremi. Et confirmatur, quia talis intellectus maximè appropinquatur intellectui diuino, quod non esset, nisi respiceret aliquid perfectius, quod non respiceretur à potentia inferiore pro obiecto motiuo.

71. Tertiò instatur sic; essentia Angeli supremi continet perfectionem totius creaturæ; ergo essentia Angeli ponitur adæquatum obiectum illius intellectus. Antecedens patet, quia secundùm Doctorem *in quarto, dist.* 1. *q.* 1. gradus superior in entibus continet gradum inferiorem, imò videtur quòd eminenter, quia in supremo Angelo est perfectio correspondens perfectioni omnis creaturæ, & perfectio etiam, secundùm quam excedit omnem creaturam, aliter non teneret supremum gradum in entibus creatis. Confirmatur, quia Angelus supremus mensurat perfectionaliter omnem Angelum inferiorem, & per consequens omnem aliam creaturam, vt patet, quia ponitur Deus simpliciter prima mensura essentialis, & perfectionalis omnis creaturæ; ergo propinquior essentia mensurat alias remotiores, patet, quia sicut in genere animalis homo est mensura omnium animalium, sic animal propinquans homini, mensurat alia remotiora; patet ergo antecedens. Consequentia probatur, quia essentia diuina ponitur adæquatum obiectum intellectus diuini in ratione motiui respectu omnium intelligibilium, vt patet à Doctore, quia ipsa vt gradus simpliciter supremus in entibus, continet omnia intelligibilia; ergo similiter essentia Angeli, quæ sic continet omnia intelligibilia, erit adæquatum obiectum sui intellectus in ratione motiui; tale autem non ponitur respectu intellectus humani, quia multa obiecta inferiora immediatè mouent intellectum humanum.

Gradus superior in entibus continet gradum inferiorem.

Quartò instatur sic; quia intellectus Angeli, & intellectus humanus distinguuntur etiam genere saltem proximo; ergo oportet assignari aliud, & aliud obiectum respectu istius & istius intellectus. Antecedens patet, quia essentiæ illæ distinguuntur, ergo & potentiæ, cùm sint idem realiter suis essentiis, vt probat Doctor *in secundo, dist.* 16. Consequentia patet, quia istæ potentiæ sic se habet, quòd vna non subordinatur alteri, sicut sensitiua intellectiuæ, sed magis videntur disparatæ, & contentæ sub diuersis generibus; ergo videtur quòd necessariò habeant aliud & aliud obiectum, cùm distinguantur per diuersa obiecta, sicut patet de potentiis sensitiuis disparatis.

Intellectus Angeli, & intellectus humanus distinguuntur.

Quintò instatur; potentia superior secundùm perfectionem habet aliquid pro obiecto motiuo, quod non habet inferior. Sed potentia Angeli est essentialiter superior potentia intellectiua humana; ergo ipsa habet aliquid pro obiecto, quod non habet intellectus humanus. Maior patet, quia sensus communis est potentia superior visu, ideò respicit aliquid pro obiecto, quod nō respicit visus & intellectus humanus est superior sensu communi; ideò respicit aliquid pro obiecto, quòd non respicit sensus communis, ergo, &c. Minor patet, quia sicut essentia Angeli est superior, ita & potentia.

72. Respondeo ad istas instantias, præmittendo aliqua. Primò, quod aliud est loqui de aliquo ita perfecto formaliter, cui ex sua perfectione formali repugnat simpliciter omnis imperfectio; & aliud de illo inter aliqua entia perfectissimo, cum quo tamen stat aliqua imperfectio, cùm non sit sic necessariò perfectum, quòd excludat omnem imperfectionem, licèt multas necessariò excludat. Secundò præmitto, quòd continere aliud contingit multipliciter; aliquando continet sicut causa effectum; & hoc dupliciter, vel continet sic, quòd tota entitas simpliciter dependet à causa, sic quòd illâ remotâ impossibile esset ab alio dependere.

Responsio ad instantias.

Continere aliud contingit multipliciter.

Secundò quando sic continet quòd tamen secundùm suam entitatem ab alio etiam dependet, imò principalior ab alio. Primo modo solus Deus continet omnem creaturam. Secundo modo causæ secundæ continet suos effectus, & non loquor hîc de passione subiecti, quæ ponitur quasi effectus subiecti adæquatus, & idem realiter illi, & sic subiecto remoto, passio non posset esse.

Continere eminenter aliud potest dupliciter intelligi

Tertiò præmitto, quòd continere eminenter aliud potest dupliciter intelligi; vel quòd contineat aliud secundùm totam entitatem diminutam, vel quòd contineat secundùm totam entitatem perfectam. Primo modo omnis causa secunda æquiuòca continet effectum. Secundo modo causa prima continet eminenter omnem effectum. Et propriè continere aliud eminenter non est ex hoc solo, quòd continens sit perfectius in se, sed quòd contentum etiam dependeat à continente: Vel si etiam ponatur quòd continere eminenter sit, quòd continens sit simpliciter perfectius contento, tunc sciendum est quòd quando dicimus, quòd continens aliud eminenter potest causare notitiam contenti, non debet ita absolutè intelligi, scilicet quòd tantùm sit perfectius illo, sed quòd etiam contineat illud secundùm totam suam entitatem, vt exposui *in secundo, dist.* 3. *q.* 10. & infrà quæst. 14.

Quartò præmitto, quòd aliquæ potentiæ dicuntur eiusdem rationis, quia sunt eiusdem speciei, vt duæ potentiæ visiuæ in duobus hominibus; aliquæ dicuntur eiusdem rationis, quia licèt distinguantur specie vt visiua in homine, & visiua in boue, tamen conueniunt in hoc conceptu quiditatiuo, scilicet, *potentia visiua*, sic quòd vtraque est vera potentia visiua, licèt vna sit essentialiter perfectior alia, quia species sunt sicut numeri, ex 8. *Metaph.* Et aliquæ dicuntur eiusdem rationis secundùm genus, quia conueniunt in aliquo genere, vt potentia visiua & auditiua, & tamen nullo modo conueniunt in aliquo conceptu, puta auditiua, vel visiua, quia tunc vel visiua esset auditiua, vel è contra. Vel vna esset vnum membrum diuisiuum respectu diuisi, & esset ipsum diuisum; non dicuntur ergo eiusdem rationis, sicut primo modo. Sic dico de sensu communi, quia licèt sensus communis in homine, & in asino differant suo modo specie tamen dicuntur eiusdem rationis pro quanto conueniunt in hoc conceptu, qui est sensus communis. Hoc idem dico, quòd intellectus hominis, & intellectus Angeli, posito quòd non sint eiusdem rationis, quia non eiusdem speciei, nec generis proximi, tamen dicuntur eiusdem rationis, quia realiter conueniunt in hoc, quod est potentia intellectiua. 73.

Et hoc

Intellectus diuinus non potest moueri à creatura.

Et hoc modo, quæ ponuntur eiusdem rationis, quicquid respicitur ab vna pro obiecto, respicitur etiam ab alia. Et sic quantùm ad hoc, omnis potentia intellectiua habet idem obiectum adæquatum, saltem loquendo de illa, quæ est creata; sicut etiam omnis potentia visiua respicit idem pro obiecto adæquato. Et quod diuinus intellectus non habeat lapidem pro obiecto motiuo immediatè hoc non est ex ratione intellectus, sed ex hoc, quòd cùm sit formaliter infinitus non potest moueri à creatura, recipiendo ab illa aliquam perfectionem, quia tunc vilesceret. Dico etiam, quòd licèt lapis non possit immediatè, & formaliter mouere intellectum diuinum, continetur tamen virtualiter in primo obiecto adæquato motiuo intellectus diuini, scilicet in essentia diuina.

74. *Intellectus diuinus excludit omnē imperfectionem.*

Istis præmissis patet responsio ad instantias. Ad primam negatur similitudo, quia intellectus diuinus, quia infinitus, necessariò excludit omnem imperfectionem, & ideò repugnat sibi posse immediatè moueri ab aliqua creatura ad sui notitiam. Sed intellectus Angeli est perfectionis finitæ, & limitatæ, cum qua stat multiplex imperfectio, & sic potest habere etiam lapidem pro obiecto motiuo, sicut etiam habet intellectus noster, vt patet à Doctore *in 2. dist.* 3. *quæst.* 11. & cùm arguitur quòd tunc vilesceret, dico quòd non est formaliter infinitus, & ideò non habet in se realiter omnem perfectionem, & per consequens potest perfectionem sibi competentem (loquendo de perfectione secunda) ab aliquo recipere. Est enim maioris imperfectionis dependere ab alio secundùm totum suum *esse*, sicut nunc dependet à Deo, sicut etiā aliæ creaturæ, quàm dependere secundum aliquam perfectionem secundam quam recipit, ab obiecto, partialiter tamen, & à causa minus principali.

Ad secundam patet responsio, quia intellectus diuinus est formaliter infinitus, ideò mouetur ab essentia sua respectu omnium intelligibilium. Sed non est sic de intellectu finito, & limitato.

Angelus nullam creaturā continet virtualiter.

Ad tertiam. Dico quòd Angelus nullam creaturam continet virtualiter, vel eminenter secundùm totam entitatem illius, qualis continentia requiritur ad hoc vt sit ratio causandi notitiam cuiuscunque contenti, imò pro nunc dico (non asserendo) quòd nulla creatura quantuncunque suprema, continet aliam creaturam absolutam realiter distinctam secundùm totam suam entitatem, cum quælibet primò, & principaliter secundùm totum suum *esse*, sic dependeat à Deo, quòd ipso per impossibile circumscripto, esset impossibile ipsa aliquo modo esse. Et dicit Doctor *in 2. dist.* 2. *quæst.* 4. quòd genitum ab aliqua causa secunda tantùm dependet ab illa in *esse* pro illo instanti in quo accipit *esse* ab illa causa, licèt principaliter tamen à prima, sed in toto tempore sequenti immediatè à Deo. Licet ergo Angelus *quia* gradus supremus inter creaturas, aliquo modo contineat perfectionem illarum, nunquam tamen continet secundùm perfectionem totalem, qualis continentia requiritur ad hoc, vt possit causare notitiam perfectam contenti. Dico secundò, quòd etiam casu illo posito, id est, quòd essentia supremi Angeli sic contineret omnem creaturam, adhuc nō haberetur intentum, quia licèt ipsa essentia, vt præsens intellectui Angelico in ratione obiecti actum intelligibilis causaret necessariò notitiam sui, & contentorum, tamen nōn negaretur quin lapis contentus, si esset in se præsens tali intellectui, possit ipsum mouere ad sui notitiā. Sicut etiam si illa essentia Angeli esset præsens intellectui humano causaret notitiam sui, & omnium contentorum; tamen lapis si poneretur præsens illi intellectui in ratione obiecti intelligibilis, actu posset ipsum mouere, & sic patet quòd etiam isto casu posito, licèt sit impossibilis, ratio nihil concludit.

Ad quartam. Dico, quòd licèt distinguantur etiam genere remotiori, qui tamen habent idem obiectum, sicut patet de sensu communi in homine, & in boue, requiritur etiam quòd distinguantur eo modo, quo dixi suprà, scilicet, quando non conueniunt in potentia intellectiua, & talis distinctio arguit distinctionem obiectorum primorum, sicut patet de visiua, & auditiua; modò intellectus humanus, & intellectus Angeli cōueniūt in ratione formali intellectus.

Ad quintam patet responsio ex superiùs dictis, & sic patet solutio.

Tertiò principaliter instatur contra tertium, probando quòd motio omnino prima non sit motio naturalis. Et primò sic, præsupponendo quòd mouere sequitur entitatem. Tunc sic, quantò ponitur ens motiuum perfectius simpliciter, tantò ex natura rei primò natum est mouere, quia sicut perfectius essentialiter ex sua ratione natum est esse prius imperfectiore, ita si est motiuum, natum est prius mouere, & si est infinitum, & præsens mobili, necessariò mouebit illud ponendo quòd necessariò sit motiuum. Secundò suppono, quòd sicut intellectus diuinus, & essentia diuina concurrunt, vt duæ quasi causæ partiales ad intellectionem essentiæ diuinæ, sic essentia diuina, & voluntas diuina concurrunt ad volitionem essentiæ diuinæ. Tertiò præmitto, quòd voluntas ex sua formali ratione est perfectior intellectu, vt patet à Doctore *in* 4. *dist.* 49. 75.

Intellectus diuinus, & essentia diuina concurrunt, vt duæ causæ partiales ad intellectionem.

Istis præsuppositis arguitur sic; voluntas si sola ponatur motiua ad actū suū, est ex sua ratione formali perfectius motiuū, quàm intellectus diuinus; ergo voluntas prius mouet se ad actum suum, quàm intellectus. Antecedens patet ex tertio præsupposito. Si dicatur, quòd intellectus dininus est ita infinitus, sicut voluntas, Dico, quòd hoc non soluit, quia semper voluntas ex sua ratione formali ponitur perfectior intellectu. Sicut etiam essentia diuina ex sua ratione formali quiditatiua ponitur perfectior omni attributo, licèt attributa sint formaliter infinita, sic in proposito. Consequentia probatur ex primo præsupposito, scilicet, quòd perfectius simpliciter est prius motiuum imperfectiore. Si dicatur quòd concurrit essentia cum voluntate, sed prius concurrit cum intellectu, ideò intellectus, & essentia sunt prius motiuum. Dico etiam, quòd hoc non soluit, quia hoc posito, stat quòd totum principium motiuum sit perfectius, quia essentia est eadem, vt concurrit cum vtroque, & tunc voluntas ex sua formali ratione est perfectior intellectu; ergo principium motiuum est perfectius, vt includit essentiam, & voluntatē, quàm vt includit essentiā, & intellectum. Si dicatur, quod voluntas præsupponit operationem intellectus.

Essentia diuina est perfectior omni attributo.

Dico, quòd hoc non soluat, quia perfectius, vt perfectius simpliciter non præsupponit necessariò imperfectius,& maximè quando imperfectius non est de intrinseca ratione perfectioris,sicut nec infinitum præsupponitur necessariò finitum, vt dicit Doctor.

76. Secundò instatur sic; si motio naturalis necessariò est prior motione per modum voluntatis, & in eodem operante sit vtraque motio, sequitur quòd ipsa erit simpliciter prior omni motione voluntaria,& sic productio Filij in diuinis erit simpliciter prior omni motione voluntatis respectu volitionis essentiæ diuinæ; consequens est falsum, patet, quia talis volitio est essentialis, & essentialia dicentia perfectionem sunt priora notionalibus, vt patet à Doctore suprà q.1. Consequentia probatur,quia si motio naturalis in eodem ex se est prior motione voluntaria,sequitur quòd ex se erit prior omni motione voluntatis in eodem operante.

Nota. Si dicatur,quòd non est verum,nisi de motione naturali eiusdem ordinis,& de motione voluntatis eiusdem ordinis, quæ respiciunt eundem terminum. Contrà,quia motio ad notitiam genitam per modum naturæ, & motio per modum voluntatis ad volitionem essentiæ diuinæ habent eundem terminum, quia vtraque respicit essentiam diuinam, vt patet: eadem enim essentia est obiectum primum tam motionis, quæ ad notitiam simplicem sui, & quæ est ad notitiam genitam, quàm motionis voluntatis, quæ est ad amorem essentialem, & ad amorem spiratum,siue procedentem;ergo sequitur propositum,scilicet,quòd motio ad notitiam genitam cùm sit merè naturalis, erit posterior motione voluntatis, siue quæ est per modum voluntatis respectu amoris essentialis.

Tertiò instatur sic; aliqua motio per modum naturæ respectu eiusdem termini est simpliciter posterior motione per modum voluntatis,quæ est simpliciter ad idem obiectum;ergo motio naturalis in eodem operante respectu eiusdem termini non est simpliciter prior motione per modum voluntatis.Consequentia patet. Antecedens probatur supponendo quod dicit Doctor *in prologo.q.vlt.& dist.*38.39.*&* 45. *primi, & infrà præsenti quæst.scilicet*, quòd contingens de termino,siue altera pars contingentis determinatè vera est immediatè à voluntate diuina, sic determinatè volente; & hæc determinatio est simpliciter prior cognitione eiusdem complexi contingentis,vt patet à Doctore in locis præallegatis. Ex hoc sequitur quòd motio voluntatis, quæ terminatur ad hoc complexum contingens, est prior motione intellectus ad notitiam eiusdem complexi; ergo motio naturalis, vt huiusmodi, etiam in eodem operante, est simpliciter prior motione per modum voluntatis.

Quartò instatur sic; quia idem Pater in diuinis priùs per modum voluntatis mouetur ad generationem Filij,id est, quòd priùs vult illam generationem esse, quàm actu generet Filium per modum naturæ; ergo motio naturalis, siue per modum naturæ in eodem operante non est simpliciter prior motione per modum voluntatis.Consequentia patet, quia consequens includitur in antecedente. Antecedens patet per Doctorem *in primo, dist.6.quæst. vnica*,vbi ostendit quomodo pater vult generare.

Quintò instatur sic; quando in eodem operante concurrunt principium per modum naturæ,& principium per modum voluntatis, principium per modum naturæ est perfectissimum, imò formaliter infinitum, & habet obiectum perfectissimè præsens, circa quod natum est operari per modum naturæ. Et nullum extat impedimentum, potest in eodem instanti, quo ponitur principium sic perfectum,perfectè operari operatione sibi conueniente circa illud tale obiectum, & maximè quando obiectum ponitur alia causa partialis per modum naturæ, imò necessariò statim agit per modum naturæ.Sed intellectus diuinus, & essentia diuina sunt huiusmodi, tam respectu cognitionis essentiæ simplicis, quàm respectu notitiæ genitæ,vt patet. Si ergo tale principium per modum naturæ ponitur priùs mouere secundùm totum conatum, quàm principium per modum voluntatis,sequitur quòd Filius erit necessariò prior omni actu voluntatis.

Respondeo ad instantias,præmittendo aliqua. Primò, quando est natura perfecta intellectiua includens intellectum, & voluntatem, semper voluntas ad hoc,vt actum eliciat circa obiectum, præsupponit operationem intellectus circa idem obiectum incomplexum,sic,quòd est impossibile illud obiectum posse velle, nisi ab intellectu eiusdem naturæ sit præcognitum. Et hîc nulla videtur ratio assignanda, nisi natura potentiarum, puta,quia intellectus est talis natura, ideò potest elicere actum circa obiectum absolutè, etiam nulla operatione alterius potentiæ præmissa circa illud idem obiectum:& voluntas est talis natura, quòd non potest elicere actum circa obiectum,nisi sit sibi præsens, vt actu cognitum; & sic motio voluntatis circa obiectum semper præsupponit motionem intellectus circa idem obiectum causantis cognitionem eiusdem obiecti. 77. *Respon. ad instantias.*

Voluntas in operando est posterior intellectu. Ex hoc patet quomodo voluntas in operando necessariò sit posterior intellectu in operando, non quòd intellectus in eadem natura sit ex natura rei in se prior voluntate; imò simpliciter in eodem instanti,quo est intellectus, est etiam voluntas, quæ sunt perfectiones absolutæ naturæ. Sed intellectus dicitur prior voluntatem in operãdo,quia priùs necessariò operatur,quàm voluntas circa obiectum. Et quia motio intellectus circa obiectum, & obiectum intellectum est necessariò per modum naturæ,& simpliciter naturalis, & motio voluntatis tantùm liberè, ideò in eadem natura, in qua sunt istæ potentiæ, motio per modum naturæ est simpliciter prior motione per modum voluntatis; motio ergo per modum naturæ non est præcisè ratione perfectionis principij actiui,sed præcisè dicitur naturalis, quia est à naturali principio necessariò, & per modum naturæ mouente, & non videtur assignanda alia ratio, vt patebit infrà, *q.16.* imò stat quòd principium per modum voluntatis motiuum sit simpliciter perfectius, vt patet de voluntate respectu cæli,vel ignis. Patet etiam quando vtrunque est in eodem operante, sicut in nobis, voluntas est perfectior intellectu, vt probat Doctor *in 4.dist.49.*& tamen ipsa ex natura sua præsupponit operationem intellectus, & hoc non est imperfectionis in volũtate,quia non habet actum circa obiectum, nisi præcognitum; esse benè aliqualis imperfectio, si intelle

tellectus posset habere actum circa aliquod obiectum, circa quod non posset voluntas habere actum, quia sicut intellectus non habet actũ circa obiectum, nisi actu præsens in ratione intelligibilis actu, ita voluntas non habet actum, nisi circa obiectum actu cognitum; quia aliter non potest sibi esse præsens in ratione obiecti actu amabilis.

78. *Natura suprema est Deus.* Secundò præmitto, quòd natura simpliciter suprema, quæ est Deus, necessariò est intelligens, & volens, vt subtiliter probatum est à Doctore *in primo dist. 2. parte prima, quæst. 1.* in illis præambulis, & ipsa in agendo est simpliciter independens, & omnia alia in agendo ab ipsa dependent; & sic est simpliciter primum effectiuum, & est impossibile aliud esse prius eo. Hæc omnia sũt ostensa à Doctore in primo, vbi suprà. Ex quo sequitur quòd si est simpliciter primum motiuum, & nõ potest velle aliquid, nisi præcognitum à suo intellectu, & nihil ad extrà potest aliquid immediatè velle, nisi priùs velit essentiam suam, quia volitio essentiæ est simpliciter necessaria, vt patet *hîc, & in primo, dist. 10. & infrà, q. 16.* & volitio creaturæ tantùm contingẽs, vt probat Doctor *in primo, dist. 39. & in secundo, dist. 1. & in quoli. q. 7. & præsenti*, & volitio contingens præsupponit necessariam, vt probat Doctor *in 2. dist. 1. q. 1.* Cùm ergo volitio essentiæ sit simpliciter prima motio voluntatis diuinæ, & illa volitio necessariò præsupponit ex natura talis potentiæ intellectionem eiusdem essentiæ, sequitur quòd simpliciter prima motio est motio naturalis, siue per modum naturæ. Et ex hoc patet responsio ad primum argumentum, quia posito quòd voluntas in eadem natura sit ex ratione formali perfectior intellectu, tamen ex hoc non sequitur quòd agat primò per modum naturæ, quia hoc non procedit ex sola perfectione, vt dixi suprà. Tamen de facto voluntas est æquè perfecta, aut intellectus diuinus propter infinitatem.

Voluntas est æquè perfecta sicut intellectus Diuinus.

79. Ad secundum dico quòd quando in eadem natura sunt duæ potentiæ; scilicet intellectus, & voluntas, & perfectæ, & non impeditæ, & circa idem obiectum, ita quòd operatio voluntatis nacessariò præsupponit operationem intellectus circa idem obiectum & similiter productio voluntatis necessariò præsupponit productionem intellectus circa idem obiectum; sic se habent, quòd voluntas immediatè potest habere actum circa obiectum cognitum, ita quòd operatio voluntatis tantùm præsupponit operationem intellectus circa idem obiectum, & si necessariò operatur in eodem instanti, quo habet obiectum præsens, siue actu cognitum, necessariò vult illud, aliter non esset perfecta potentia. Sic similiter si ponuntur istæ potentiæ verè productiuæ, circa idem obiectum primum, voluntas non potest esse actu productiua, circa essentiam, nisi intellectus priùs fuerit productiuus. Et hoc est præcisè ex natura potentiarum, quòd sicut in operando voluntas præcisè præsupponit operationem intellectus, & nõ productionem ipsius, sic in producendo necessariò præsupponit productionem intellectus circa idem obiectum. Et ideò simpliciter prima motio per modum naturæ est operatio intellectus diuini circa eandem essentiam; & prima simpliciter motio per modum voluntatis est operatio, siue volitio voluntatis diuinæ circa essentiam diuinam, ita quòd ista motio in ordine omnium motionum est secunda, licèt prima sit per modum naturæ, & secunda per modum voluntatis. Sed secunda motio simpliciter intellectus diuini est generatio Filii, quæ est per modum naturæ, & est tertia in ordine motionum; secunda verò motio per modum voluntatis est productio Spiritus sancti, & est quarta in ordine motionum. Tertia simpliciter motio intellectus diuini, siue memoriæ diuinæ per modum naturæ est productio creaturarum simplicium in *esse* cognito, siue in *esse* obiectiuo, & hæc est quinta motio in ordine motionũm. Et tertia motio simpliciter per modum voluntatis est productio creaturarum in *esse* volito, & hæc est sexta motio in ordine motionum. Quarta simpliciter motio, etiam per modũ naturę, est cognitio intellectus diuini respectu obiectorum volitorum; & hæc est septima in ordine motionum. Quarta motio simpliciter per modum voluntatis est productio creaturarum in *esse* realis existentiæ, & est octaua in ordine motionum. Et sic patet quomodo vna per modum naturæ est prior alia per modum voluntatis, & vna per modum voluntatis est prior alia per modum naturæ, simpliciter tamen prima, & omninò prima est motio per modum naturæ.

Nota

Ad tertium concedo, quòd aliqua motio per modum voluntatis est prior, scilicet volitio complexi contingentis, & cogntio eiusdem est posterior, tamen motio per modum naturæ respectu terminorum complexi, necessario est prior volitione circa illud complexum, & hoc est, quia voluntas non præsupponit cognitionem complexi contingentis, sed tantùm cognitionem terminorum, vt dixi suprà. Loquendo ergo de motione intellectus, quæ semper præsupponitur motioni per modum voluntatis, semper illa est prior, reddendo singula singulis, vt suprà patuit. 80.

An volitio sit principium generationis filij. Ad quartum. Dico quòd illa volitio non est principium generationis Filii, qua Pater vult illam generationem, sed est volitio qua Pater complacet sibi generare Filium, & illa est prior, tamen præsupponit aliam, scilicet cognitionem essentiæ, & etiam cognitionem generationis diuinæ, de hoc vide Doctorem *in 1. dist. 6.*

Ad vltimum patet responsio ex dictis ad primum argumentum, quia hoc totum procedit merè ex natura potentiarum, & nulla alia causa assignari petest.

Quartò principaliter instatur contrà quartum, probando quòd motio, quæ est ad terminum finitum. Primò sic: motio ad paternitatem in diuinis est prior motione ad generationem Filii; patet quia essentia priùs quasi originat paternitatem in seipsa, vt patet à Doctore *in primo, dist. 28.* & tamen motio ad paternitatem est ad terminum, saltem non infinitum; & motio ad Filium est ad terminum infinitum. 81.

Secundò instatur sic; quia si motio, quæ est ad terminum infinitum sit necessariò prior motione, quæ est ad terminum finitum, hoc erit, quia quando agens perfectum comparatur ad perfectius, & minùs perfectum, priùs erit motio ad perfectius, quàm ad imperfectius, quia imperfectius præsupponit perfectiùs, & non è contra. Si sic, ergo sequitur quòd intellectus diuinus priùs mouetur ad producendum per-

 fectius

fectius in *esse* obiectiuo, vel in *esse* cognito, quam moueatur ad producẽdum imperfectius, & sic prius erit homo in esse cognito,quàm bos, & sic ordinatè erit motio ad aliud, & aliud secundùm magis, & minùs perfectum, & sic essentia necessariò priùs mouebit intellectum suum ad notitiam hominis,quam aliorum animalium,quod videtur omnino inconueniens. *Nota.*

Tertiò instatur, quia priùs producitur proprietas Filij,quàm communicetur essentia diuina Spiritui sancto; ergo ista motio, siue communicatio termini infiniti præsupponit necessariò terminum non infinitum.

Quartò instatur, quia si possibile foret infinitum causari à voluntate diuina contingenter,tunc voluntas posset immediatè causare finitum,& post infinitum,& sic poterit priùs esse motio ad finitum, quàm ad infinitum.

Quintò instatur, & quæro, quare motio ad terminum finitum,non potest esse prior motione ad terminum infinitum, sed necessariò posterior? Aut hoc est,quia repugnat mouenti ad terminum infinitum, & finitum posse attingere terminum finitum,nisi priùs attingat terminum infinitum; aut ideò est,quia repugnat termino finito posse produci, non priùs producto termino infinito; aut ideò est, quia terminus finitus in suo *esse* includit terminum infinitum. Sed nullum istorum est necessarium. De primo patet,quia si mouens habet in virtute sua vtrũque terminum, ita quòd vnus terminus non ponitur ratio formalis respectu productionis alterius termini, quantùm est ex natura talis mouentis, potest vnum sine altero producere, & sic vnum prius alio, & sic priùs terminum finitum, quàm infinitum. De secundo patet, quia non ponitur terminus finitus in aliquo genere dependere à termino infinito, ergo non repugnat sibi posse produci, infinito non producto per prius.De tertio etiam patet, quia finitum non includit in suo *esse* formali infinitum,vt patet,ergo,&c.

82. *Responsio.* Respondeo, præmittendo vnum, quòd erit solutio argumentorum, scilicet, quòd Doctor quando hîc dicit,quòd motio ad terminum infinitum est prior motione, quæ est ad terminum finitum, hoc dicit comparando infinitum simpliciter ad finitum simpliciter,quod est ens distinctum realiter ab infinito,quia vult, quòd motio secundùm voluntatem, qui est ad essentiam diuinam, est simpliciter prior omni motione,siue per modum naturæ,siue per modum voluntatis, quæ terminatur ad creaturam, & hoc intelligit,& non de motione ad intrà,cùm ibi nihil sit finitum.

Motio non est ad paternitatem. Respondeo tamen ad rationes, etiam absolutè conclusione intellecta. Ad primam dico quòd non est aliqua motio ad paternitatem cùm nullo modo producatur, vt patet à Doctore *in primo, dist. 26. & 28.* & posito quòd pullulet ab essentia, tamen non est motio ad ipsum, & posito quòd sit aliqua motio, vel quasi motio,dico quòd illa erit ad terminum infinitum, quia essentia suo modo communicaretur Patri per talem motionem.

Ad secundam patet responsio,quia generatio Filij necessariò est ad terminum infinitum, quia ad essentiam, quæ propriè est terminus formalis generationis,vt probat Doctor *in primo, dist. 5. q. 2.* vel si ad Filium, vt ad terminum totalem,tamen ipse Filius includit essentiam,vt terminum formalem.

Ad tertiam patet responsio ex præsupposito.

Ad quartam patet similiter responsio, quia primò casus est impossibilis.Secundò posito casu, diceretur quòd intelligitur de motione per modum naturæ. Tertiò dicitur,& melius,quòd Doctor loquitur de termino infinito, & finito, vt sunt duo effectus ordinatè procedentes ab eadem causa, quòd tunc infinitum erit priùs producibile, quàm finitum.

Ad quintam. Dico quòd ratio est,quia quãdo principium est productiuum per modum naturæ alicuius infiniti, & alicuius finiti, ita quòd tam finitum, quàm infinitum est præcisè ab eodem principio, & maximè quando principium nullo modo est impeditum, priùs necessariò producit infinitum,quàm finitum,quia priùs respicit infinitum, vt effectum immediatiorem; si tamen,per possibile, vel impossibile, illud infinitum non produceretur, non repugnaret tali principio posse immediatè producere finitum; non est ergo ex repugnantia principij productiui,nec ex repugnantia termini finiti; sed præcisè quia productio termini infiniti nata est esse prior productione termini finiti, quando vtraque productio comparatur ad idem principium productiuum, sicut duo effectus, quorum vnus est immediatior causæ, & alius mediatior.Et de hoc satis dictum est *in secundo dist. 1. q. 1.* vide in dubiis.

Quintò principaliter instatur contra quintum dubium, probando quòd primum mobile motione naturali non sit intellectus diuinus, & primum motiuum naturale essentia diuina. Primo sic: Et præsuppono vnum, scilicet quòd infinitum simpliciter nullo modo dependet ab alio, nec quasi dependet, sed est simpliciter, & omnino independens. Hoc patet à Doctore tunc sic; omne mobile, vel quasi mobile ab alio,necessariò dependet, vel quasi dependet ab illo. Sed intellectus diuinus nullo modo dependet,nec quasi dependet; ergo non est ab aliquo mobilis. Maior patet, quia mobile ab alio aliquid recipit, vel quasi recipit ab illo, aliter non esset mobile,& quando *A.* recipit aliquid à *B.* tunc, *A* in eo, quòd recipit à *B.* dependet à *B.* & hoc patet à Doctore *in primo, dist. 30.* Minor patet, quia intellectus diuinus est formaliter, & simpliciter infinitus. 83. *Primum dubium. Infinitum à nullo dependet.*

Secundò instatur, probando quòd intellectus diuinus nullo modo sit mobilis ab aliquo, quia tunc haberet rationem materiæ,vel quasi materiæ; patet, quia tunc haberet rationem, quasi receptiui,& quasi passiui. Sed hoc simpliciter negatur à Doctore *in 1. dist. 5. q. 2.* vbi vult quòd essentia diuina in generatione Filij non habet rationem, nec materiæ, nec quasi materiæ,quia hæc sonant imperfectionem in essentia diuina, & hoc idem sequitur in intellectu diuino. *Secundum.*

Tertiò instatur, quia si intellectus diuinus est primo mobilis, vel quasi mobilis respectu notitiæ essentiæ diuinæ, sequitur quòd quasi recipit illam ab essentia diuina.Sed hoc est impossibile, quia aut illa notitia est re distincta, aut ratione; alterum oportet dari, aliter idem omnino re, & ratione indistinctum esset receptiuum,& receptum. Sed talis notitia non distinguitur re; patet, quia est simpliciter eadem *Tertium.*

res

res cum essentia diuina; nec ratione, quia illa intellectio est prior omni actu collatiuo, cùm sit simpliciter prima.

Quartum. Quartò instatur, quia si intellectus diuinus est mobilis ab essentia diuina ad notitiã genitã, tunc quæro quomodo illa notitia genita est in intellectu, aut in intellectu absolutè, & cõmuni tribus personis; aut præcisè in intellectu Patris, aut in intellectu Filij; nõ primò, quia tunc talis notitia esset communis tribus personis, sicut & intellectus; non secundò, quia tunc ipsa formaliter denominaret patrem, sicut etiam infert Doctor pro inconuenienti contra Henricum *in 1. dist. 2. part. 2. & dist. 27.* Non tertiò, quia tunc intellectus præsupponeretur esse in Filio, & sic Filius haberet *esse* prius, quàm notitia genita, quod est impossibile, cùm Filius, & notitia genita tantùm nomine differant, vt exposui *in 1. dist. 2. part. 2. quæst. 3.*

84. Quintò instatur, quia tunc intellectus diuinus posset mutari; patet, quia in eodem instanti, quo est intellectus, non habet notitiam essentiæ, patet, quia ipsa notitia, ex quo quasi producitur ab essentia, vt suprà patuit, *quæst. 13.* præsupponit intellectum; si ergo in illo primo instanti, quo intellectus diuinus intelligitur, non intelligitur habere illam notitiam, & pòst intelligitur habere, ergo mutatur. Probo consequentiam, quia tunc transiit de contradictorio in cõtradictorium, quia transitus nõ potest fieri sine mutatione, vt patet à Doctore *in 1. dist. 39.*

Quintum.

Sextum. Sextò arguo, probando quòd essentia diuina non sit primum motiuum, & primò sic; Idem non potest esse principium *quo* & *quod* producendi; patet, quia principium quo est ratio formalis producendi. Principium verò *quod* est illud, in quo ponitur talis ratio formalis, vt patet, discurrendo in omnibus. Sed essentia diuina est principium *quo* producendi notitiam in intellectu diuino; ergo non mouet primò intellectum diuinum, & tamen in illo priori, in quo persona non intelligitur, est vera intellectio essentiæ diuinæ.

Septimum. Septimò instatur sic: Si essentia mouet intellectum diuinum ad sui notitiam, ergo mouet propter finem, cùm mouens per modum naturæ, si est per se mouens, moueat propter finem, vt patet 2. *Physic.* si ergo ipsa mouet propter finem, & finis primò mouet efficiens, vel quasi efficiens, ergo essentia priùs mouetur, scil. à fine, & tunc quæro, aut à se ipsa, aut ab alio, quocunque dato habetur quòd motio finis erit prior motione essentiæ diuinæ respectu intellectus sui, & sic motio ipsius per modũ naturæ respectu intellectus sui nõ erit simpliciter prima.

Octauum. Octauò instatur sic: Si essentia est primum motiuum per modum naturæ tam ad notitiam ingenitam, quàm ad notitiam genitam, aut est primum motiuum inquantùm essentia, & vt prior infinitate, aut vt actu infinita, aliud non videtur dandum; non primò, quia tunc non haberetur notitia formaliter infinita; quia à non infinito formaliter, non potest formaliter esse infinitum; non secundò, quia tunc essentia, non esset primum motiuum. Tum etiam, quia essentia, vt essentia, ponitur primum subiectum Theologiæ in se, & non sub ratione infinitatis, vt patet suprà *in prolo. q. 3.* & eo modo, quo ponitur primum subiectum Theologiæ in se ponitur obiectum intellectus sui.

Nonò instatur, quia quæro, quare non ponitur sic primum motiuum per modum naturæ ipse intellectus, cùm ipse ponatur ita causa intellectionis essentiæ, sicut essentia, nam essentia & intellectus apud Doctorem ponuntur duo principia partialia actus intelligendi, vt patet in primo, dist. 2. *Essentia est primum subiectum Theologiæ.*

Decimò instatur sic; quia tunc sequeretur quòd si essentia est motiua per modum naturæ ad notitiam sui essentialem, quòd talis notitia erit similitudo naturalis ipsius essentiæ per imitationem, & sic erit verè mensurabilis ab essentia; sed hoc videtur esse contra rationem infiniti intensiuè.

Respondeo ad omnes instantias præmittendo aliqua satis necessaria. Primò, quia istæ rationes, vel saltem plures videntur tenere ex illa vulgata propositione Doctoris, scilicet. *Qualis est ordo inter aliqua, vbi realiter distinguuntur talis est, vbi sola ratione distinguuntur,* & sic, si intellectus esset realiter distinctus ab intellectione diuinæ essentiæ, esset realiter receptiuus notitiæ ab essentia; cùm ergo non realiter distinguatur eo modo, quo distinguit eo modo recipit notititiam illam. Hanc propositionem aliqualiter declaro, vltra ea quæ supra exposui quæstione prima. Et hanc expositionem pono, saluo semper meliori iudicio; nec intendo quonis modo contradicere nec verbis, nec intentioni Doctoris, nec hîc, nec alibi. Dico ergo, quòd quando aliqua comparantur ad inuicem, quæ vt distincta realiter, habent talem ordinem realiter, illum eundem habent, vbi distinguuntur ratione, vel ex sola natura rei. Et sic si comparantur duo finita, quibus formaliter non repugnat aliqua imperfectio, puta, quia subiecto accidentis non repugnat formaliter ista imperfectio, quòd si receptiuum alterius, tunc quãdo subiectum, & accidens comparãtur ad inuicem, vt realiter distincta, talem ordinem habent, quòd subiectum est realiter receptiuum talis accidentis, & realiter perficitur ab illo; si ergo tantùm ratione distinguerentur, talem ordinem haberent, scilicet, quòd subiectum, saltem secundùm rationem, esset receptiuum, & hoc est, quia vt realiter distincto, talis imperfectio non repugnat. Sed si ponatur subiectum formaliter infinitum intensiuè, cui vt sic, simpliciter repugnat omnis imperfectio, si comparetur ad aliquid, quod est denominatiuum illius ex natura sua, ita quòd illud sit realiter distinctum, nunquam esset realiter receptiuum; patet, quia infinitum, cui formaliter repugnat omnis imperfectio, non potest esse realiter receptiuum alterius realiter distincti; ergo si illud aliud non sit realiter distinctum, sed tantùm ratione, tunc non erit receptiuum secundùm rationem, quia ordo inter aliqua secundùm rationem præcisè accipitur inter illa per comparationem ad realiter distincta, inter quæ est talis ordo realis. Ex hoc sequitur, quòd intellectus diuinus nullo modo est receptiuus, nec quasi respectu notitiæ essentiæ diuinæ; quia per possibile, vel impossibile, esset realiter distinctus, nullo modo esset realiter receptiuus illius, quia infinito intensiuè realiter repugnat omnis imperfectio, & per consequens, nec modò est aliquo modo receptiuus notitiæ etiam sola ratione distinctæ. 85. *Intellectus diuinus non est receptiuus*

Si dicatur, quòd Doctor multoties applicat hanc propositionem diuinis, vt patet *quæst. 3. prologi.* 86.

prologi.vbi dicit, quòd si attributa essent realiter distincta ab essentia, quòd essent realiter causata; ergo vbi sola ratione distinguuntur saltem intelliguntur secundùm rationem causata. Patet etiam supra, quæstione prima, & secunda, vbi hanc propositioné applicat diuinis. Dico saluo meliori iudicio, quòd semper Doctor intelligit si eis non repugnat imperfectio, nã in prologo nõ accipit attributa, vt formaliter infinita, quia vt sic si essent, per impossibile, realiter distincta, repugnaret eis posse causari, & realiter ab alio dependere; ergo vt sic repugnat etiã eis saltẽ posse causari secũdùm rationẽ; fit ergo cõparatio absolutè, cõparãdo attributũ absolutè, non vt infinitum. Et similiter fit comparatio intellectus absolutè sumpti cui, vt realiter distincto, nõ repugnat hęc imperfectio, quòd sit realiter receptiuus; ergo vbi sola ratione distinguitur, sic secundùm rationem erit receptiuus. Et sic posset de omnibus aliis dici.

Attributa emanant, & fluunt ab essentia diuina.

Si tamen hæc expositio non placet, quàm credo esse veram, potest dici breuiter, quòd vbi realiter distinguuntur, realiter vnum est receptiuum; & se habet per modum materiæ, & sic dicit imperfectionem, vbi tamen vnum transiit in perfectam identitatem alterius, sicut est in diuinis, tunc nulla in re est imperfectio, licèt secundùm nomen appareat aliqualis imperfectio, quia non habemus vocabula propria, quibus explicemus quomodo intellectus diuinus dicitur mobilis ab essentia.

87. Ex his patet solutio ad plures rationes. Ad primam dico, quòd intellectus non dependet, nec quasi ab essentia, quia est perfectè idem, & essentiæ, & notitiæ, quasi productę, tenendo secundùm modum exponendi propositionem. Et quòd dicitur in alio argum. quòd Doctor negat *in primo, dist. 5. quæst. 2.* essentiam esse quasi materiam. Dico quòd non negat ibi precisè, quia si natura diuina esset realiter distincta à proprietate, puta à generatione, siue actiua, siue passiua, quòd tunc esset verè materia, vt de qua generaretur Filius, & sic nũc sit quasi materia respectu generationis, quia non distinguitur essentialiter à generatione. Sed negat ibi absolutè habere se quasi materiam, quia nec esset verè materia, si esset realiter distincta. Et ratio, quia ipsa essentia est terminus formalis generationis; ergo nullo modo, nec materia, nec quasi materia, vide ibi. Nec vult ibi quòd generatio, siue actiua, siue passiua denominent essentiam, nec sint actus actuantes ipsam, nec quouis modo informantes, sed sunt actus personales determinantes, non naturam, sed hypostases, & sunt actus non perficientes naturam diuinam, sed rationes subsistendi in natura diuina. Et de hoc vide prolixè *in 1. dist. 5. quæst. 2. dist. 26.* Si tamen teneatur prima expositio propositionis vulgatæ, patet quid dicendum, quia infinito intensiuè repugnat simpliciter omnis imperfectio. Et sic patet responsio ad tres primas instantias.

Intellectus diuinus non dependet.

88. Ad quartam. Dico quòd notitia genita potest multipliciter accipi, licèt tamen impropriè. Primò, pro constituto ex proprietate, & essentia diuina, puta pro constituto ex essentia, & dictione passiua, qua dicitur Verbum, siue notitia genita. Secundò pro ipsa proprietate absolutè, scilicet pro dictione passiua; nam *dictio passiua, generatio passiua, verbatio passiua, & filiatio*, in re idem præcisè important, & solo nomine, vel sola ratione differunt; sicut *filius, genitum, Verbum, notitia genita*, quæ exposita sunt *in 1. dist. 2. parte 2. q. 3.* Tertio modo accipitur notitia genita, pro notitia essentiali, quæ dicatur genita, id est communicata Filio per generationem, & appropriata Filio. Primo modo, patet quòd nihil præsupponit, in quo sit formaliter, quia est persona perfecta per se subsistens, & quamuis possit concedi, quòd essentia mouet ad hanc notitiam, non debet tamen intelligi, quòd moueat quasi producendo illam in aliquo quasi receptiuo, quia repugnat supposito posse recipi, vel quasi recipi; sed dicitur mouere, accipiendo *mouere* pro *producere*, & tunc sensus est, mouet ad notitiam genitam, id est, est ratio formalis producendi notitiam genitam per se subsistentem; sed non sic de notitia essentiali. Cùm dicitur mouet ad notitiam essentialem, intelligitur tunc, quòd mouet intellectum ad illam notitiam, quasi ipsam recipiendo. Si secundò, dico, quòd talis proprietas primò est in essentia, non autem vt actus perficiens, nec determinans, sed vt ratio subsistendi, vt suprà dixi. Quæritur, aut est in essentia absolutè sumpta? Dico, quòd est in essentia, non vt absoluta sumpta, nec etiam, vt ipsa est in patre, sed in ipsa, vt communicata Filio, quia tunc intelligo communicari quando ponitur terminus formalis generationis, non enim intelligitur communicari Filio, vt præexistenti, de hoc vide Doctorem *in 1. dist. 5. qu. 2.* in illis dubiis quæ ipse facit. Si tertio modo accipitur, patet quòd ille notitia essentialis est in tribus personis, tamen est appropriata Filio, & per generationem sibi communicatur.

Notitia genita potest multipliciter accipi.

Quomodo essentia moueat, ad notitiam genitã.

Ad quintam. Dico quòd quamuis in aliquo priori signo intellectus diuinus non intelligatur habere notitiam essentialem, & in aliquo signo posteriori intelligatur illam habere, tamen ex hoc non sequitur quòd mutetur. Cùm probatur per hoc, quòd transitus de contradictorio in contradictorium non est sine mutatione. Dico quòd non quilibet transitus facit mutationem, sed quando subiectum transit propriè à priuatione ad habitum, vel è contrà, & priuatio propriè est prior duratione habitu. Et de hoc vide Doctorem *in 1. dist. 2. parte 2. q. 3.* vbi similiter arguit; essentia diuina non habet generationem Filii in aliquo priori signo, & pòst habet; ergo mutatur, non sequitur. Vide ibi responsionen, & expositionem responsionis. Et clariùs, vide *in 1. dist. 39.* vbi prolixè exposui illam propositionem Doctoris qua sæpè vtitur, scilicet transitus de contradictorio, &c. 89

Quomodo sit intelligenda illa propositio, Trãsitus à contradictorio incõtradictorium, &c.

Ad sextam de essentia diuina. Cùm dicitur, quòd essentia diuina non potest esse primum motiuum, quia idem non potest esse principium *quo*, & *quod* producendi. Dico breuiter, quòd *quo*, & *quod* differunt ab inuicem nec pono quòd essentia, vt essentia sic abstractiuè accepta, moueat, quia vltimatè abstracto non conuenit hoc adiectiuum mouere, vt patet à Doctore *in 1. dist. 5. quæst. 1.* Dico ergo, quòd principium *quod* mouendi est Deus, qui mouet; & principium *quò*, siue ratio formalis est Deitas, siue essentia diuina, vt patet in simili à Doctore *in 1. dist. 4. quæst. 2.* Secus postea de principio *quo*, & *quod* notitiæ genitæ, quia principium præcisè *quo*

Quo, & quod differũt inuicem.

Principium mouendi est Deus, vt quod, vt quo est essentia.

sè *quo* est essentia, & principium *quod* est aliquod suppositum, vel Deus, vt præcisè supponit pro supposito Patris, vt exposui *in 1. dist. 4. quæst. 2.*

Omne agens agit propter finem quomodo?

Ad septimam. Dico primò quòd illa propositio, scilicet, *omne agens agit propter finem*, vera est quando propriè agit effectum, qui verè est ordinabilis ad finem, quia tunc agit propter finem ipsius effectus, vt prolixè exposui *in 2. dist. 2.* Dico secundò quòd primum agens per modum naturæ agit tantum ex necessitate naturę, etiam si propter nullum finem ageret adhuc necessariò ageret, vt patet à Doctore *in 1. dist. 2. quæst. 1.* in illis præambulis; modò essentia diuina, vt essentia, ponitur simpliciter primum agens per modum naturæ. Dico tertiò, quòd posito, quòd essentia diuina ageret propter finem, quòd tunc ageret propter se communicando notitiam sui intellectui suo, quâ vltimatè beatificetur in ipso primo mouente. Cùm dicitur, quòd motio finis est prior motione propter finem. Dico quod illa motio esset tantum metaphorica, vt patet à Doctore *in 1. q. dist. 2. q. 1.* & tunc talis motio esset tantùm amor naturalis, quo essentia se amat.

Ad octauam. Dico quòd est primum motiuum inquantùm essentia, id est, quòd ratio formalis mouendi est ipsa essentia, tamen actu non mouet, nisi vt infinita, non quòd infinitas sit ratio mouendi, vt aliàs exposui.

Ad nonam. Dico quòd ideò essentia diuina, dicitur simpliciter primum motiuum, quia est mouens intellectum diuinum, & non mota, sed non sic est de intellectu, vt patet *in 1. dist. 3. q. 7.*

91. Sextò principaliter instatur contra sextum, probando quòd essentia non moueat ad intellectionem omnium simplicium. Et primò instatur, quia si essentia diuina moueat intellectum diuinum ad notitiam omnium simplicium, sequitur quòd huiusmodi simplicia habebunt prius aliquod *esse*, quia non præcisè habent *esse* cognitum. Et quæro tunc, quod *esse* habent, oportet dicere quòd *esse* obiectiuum, vt exposui *in 1. dist. 36. & in 2. dist. 3. quæst. 1. dist. 1. quæstione 1.* Et tunc quæro, à quo habent illud *esse*, oportet dicere quòd ab essentia, & intellectu, vt exposui *in 1. dist. 1. q. 1.* in quibusdam dubiis, & sic essentia diuina priùs mouebit ad esse obiectiuum simplicium, & pòst ad notitiam eorum. Sed primò probo quòd non moueat ad *esse* eorum obiectiuum, quia causa naturalis causans per modum naturæ, & non impedita, causat effectum perfectum quantũ potest causare, quia causat secundùm totam eius virtutem. Hoc patet à Doctore *in 1. dist. 3. q. 2. & dist. 8. quæst. vltima*, ergo si essentia cum intellectu mouent naturaliter ad *esse* creaturarum, ergo producit illa perfectiùs quantum potest producere; ergo producit in *esse* existentiæ ab æterno, quia *esse* eorum reale, & existentiæ est perfectius *esse*, quàm *esse* possibile tantum. Nec est dicendum, quòd ipsa essentia cum intellectu non possit producere, quia est infiniti vigoris intensiuè; nec similiter dicendum est quòd repugnet eis habere *esse* existentiæ ab æterno, quia probatum est *in secundo, dist. 1. qu. 3.* quòd non repugnat permanentibus posse causari ab æterno, & hanc positionem tenet ibi Doctor vt patet intuenti.

Primum dubium.

92. Secundò instatur sic: Sicut se habet voluntas ad suum obiectum, ita intellectus ad suum, cùm sint potentiæ circa idem obiectum, & sub eadem ratione consideratum, vt patet *in primo, dist. 3. q. 3.* Sed voluntas diuina, sicut potest producere omne producibile in *esse* volito, ita & in *esse* existentiæ, vt patet; ergo similiter intellectus diuinus, & essentia, sicut potest producere omne producibile in *esse* cognito, ita potest illud idem producere in *esse* existentiæ, cùm non sint minoris virtutis, quàm voluntas, & eadem obiecta ex natura sua sunt producibilia in *esse* existentiæ; nec hîc apparet ratio, quare magis voluntas, quàm essentia, & intellectus. *Secundum.*

Tertiò instatur. Si essentia per modum naturæ producit hominem in *esse* obiectiuo, ergo producit ipsum perfectè in tali *esse* quantum potest, & tunc quæro, aut potest ipsum perfectè producere, aut præcisè producit secundùm perfectionem, quam nunc habet in tali *esse*? Si primò; ergo homo ab æterno habuit perfectius *esse* quiditatiuè, quàm de facto habuerit; patet, quia ab æterno produxit totam virtutem suam, & tunc si habuit perfectius quiditatiuè; ergo non fuit homo, quia gradus quiditatiuus additus speciei variat ipsam. Si secundò, ergo essentia præcisè producit hominem in tali *esse*, secundùm quòd homo fuit producibilis, ergo priùs habuit *esse* producibile, quàm fuerit in tali *esse* productum, & tunc quæro, in quo fundatur illud *esse* producibile. Non in se, vt patet, ergo in *esse* saltem obiectiuo præcedente, & sic priùs habuit *esse* obiectiuum, quàm fuerit productum in tali *esse*, quod est impossibile apud Doctorem, vt patet *in primo dist. 36. & dist. 45. & in 2. dist. 1. q. 1. & infra in quoli.* *Tertium.*

Quartò instatur sic: Si essentia diuina producit per modum naturæ omnes terminos simplices in *esse* obiectiuo, ergo ab æterno, & simul produxit illos, sed illi sunt infiniti; patet, quia infinitas, indiuiduorum non repugnat in eadem specie, quia species ex sua natura potest esse in infinitis indiuiduis, vt patet à Doctore *in 1. dist. 2. parte 1. quæst. vltima, & parte secunda, quæstione 4. & in quodl. quæst. 2.* ergo actu fuere producta infinita simul in *esse* obiectiuo, & in *esse* possibili, quod fũdatur in *esse* obiectiuo; ergo & voluntas diuina potest simul velle infinita indiuidua esse in esse volito; ergo potest simul velle esse infinita in *esse* existentiæ, & sic actu possunt esse infinita in actuali existentia. Si dicatur, quòd repugnat simul esse actu infinita in *esse* existentiæ, quæro vnde sit ista repugnantia? Aut est ex parte voluntatis diuinæ, aut ex parte creaturæ? Non primò, quia voluntas diuina est infiniti vigoris. Tum etiam, quia Doctor *in 1. dist. 2. parte 1. quæst. 1.* ostendit quomodo ipsa potest simul causare infinita, ita perfectè simul causare infinita, ita perfectè simul infinita, sicut quodlibet seorsum. Non secundò, quia non repugnat ex parte creaturæ quin actu sint simul infinita in *esse* obiectiuo, & in *esse* possibili fundato in *esse* obiectiuo; ergo nec repugnat quantùm ad eorum *esse* existentiæ; oportet enim assignare rationem diuersitatis, quæ non facilè videtur assignari posse. 93. *Quartum*

Quintò instatur sic: Et accipio rationem Doctois, quam facit *in 1. dist. 8. quæst. vltima*, probando quòd Deus non causat aliquid ad extrà per modum naturæ, quia tunc causaret effectum perfectissimum, quem posset, & sibi non repugna- *Quintum*

gnat causare infinitum effectum; ergo causabit illum necessariò, ergo omnia entia erunt illud vnum infinitum. Et ratio est, quia causabit omnia causabilia propter hoc, quòd causat omnia causabilia, quæ potest causare, & ita perfectissimum, & ita omnia illa erunt illud vnum causatum, & tunc omnia erunt vnum, vide ibi. Ex hoc arguo, essentia diuina est æquè infiniti vigoris, sicut voluntas diuina; ergo producit effectum perfectum quantum potest, & hoc in *esse* obiectiuo, & sibi non repugnat posse producere infinitum in tali *esse*; ergo actu producit, cùm necessariò secundùm vltimum virtutis suæ producat; ergo actu erit infinitum ens productum in *esse* obiectiuo; ergo omnia entia in *esse* obiectiuo erunt præcisè illud vnum ens, quod videtur impossibile; ergo essentia diuina non est productiua per modum naturæ simplicium terminorum.

94. *Sextum.* Sextò instatur, probando specialiter quòd essentia diuina non moueat ad notitiam simplicium, quia quæro, aut notitia essentialis essentiæ diuinæ, qua intellectus diuinus intelligit essentiam, est de se omnium intelligibilium, id est, quòd in suo *esse* perfectionali includit, quòd actu sit omnium intelligibilium, aut non. Si secundò, ergo non est infinita, quia vt ostensum est *in* 1. *dist*. 2. *parte* 1. *quæst*. 1. & infrà, *quæst*. 15. *quodlib*. ad notitiam formaliter infinitam concomitatur, quòd sit actu omnium intelligibilium. Si primò, ergo ipsa posita actu habetur notitia omnium intelligibilium, ergo non producitur notitia omnium intelligibilium ab essentia diuina; illa enim notitia habetur ante productionem personarum; positis ergo obiectis intelligibilibus, statim mediante illa notitia essentiali intelliguntur ab intellectu diuino, quomodo ergo post productionem personarum causatur ab essentia diuina notitia simplicium.

Septimum. Septimò instatur, quia si essentia mouet ad notitiam obiectorum simplicium, ergo illa notitia erit naturalis similitudo illorum obiectorum, & hoc per imitationem: patet suprà, *quæst*. 13. vbi habitum est quòd notitia obiecti est naturalis similitudo obiecti per imitationem, & tunc vltrà sequitur quòd talis notitia dependeat dependentia reali ad obiectum actu existens, vt suprà patuit, *quæst*. 13.

Octauum. Octauò instatur sic: Si essentia mouet per modum naturæ ad notitiam simplicium; ergo talis notitia in intellectu diuino fundat relationem rationis ex natura rei, quæ tantùm est ex parte fundamenti est relatio realis, vt suprà patuit à Doctore *quæst*. 13. *quol*. ergo si illa relatio rationis terminaretur ad obiectum actu existens, & realiter distinctum, esset verè realis, quia tunc extrema essent verè realia, & illa oritur ex natura extremorum, vt patet suprà, *quæst*. 13. ergo notitia diuina includit relationem realem ad creaturam, saltem quantùm est ex parte notitiæ, & si obiectum cognitum esset actu existens esset verè realis.

Nonum. Nonò instatur: Si essentia diuina, mouet ad notitiam omnium terminorum simplicium, aut mouet ad eandem præcisè, quæ est essentiæ diuinæ, aut ad aliam. Non primò, quia tunc eadem notitia esset bis producta; non secundò, eo quòd in intellectu diuino sit tantùm vna notitia, vt probatum est *in* 1. *dist*. 2. *parte* 1. *q*. 1.

Decimum. Decimò instatur sic; quia tunc sequitur quòd obiectum secundarium habeat *esse* cognitum ab æterno; sed *esse* cognitum est relatio rationis, vt patet à Doctore in pluribus locis. Quæro tunc in quo fundatur? & fortè non est dabile, & vltrà omnis relatio rationis causatur per actú alicuius potentiæ collatiuæ, & hoc non per actum rectum, sed per actum collatiuum; sed illa obiecta habent simpliciter *esse* cognitum per actum rectum intellectus diuini, vt patet, & non per actum collatiuum, quo comparatur vnum cognitum ad aliud.

Respondeo ad istas instantias. Ad primam, concedendo quòd huiusmodi intelligibilia sunt ab essentia, & intellectu, quia ex quo producit notitiam illorum, sequitur quòd cótineat ea virtualiter secundùm totam entitatem eorum, saltem obiectiuā, & sic potest, imò necessariò producit illa in esse obiectiuo, & possibili. Cùm instatur, quia tunc produceret, siue causaret ea in *esse* realis existentiæ, negatur. Cùm probatur, quia essentia est infiniti vigoris, ergo potest illa producere secundùm *esse* existentiæ. Dico quòd non sequitur, nisi quòd possit producere perfectissimè in *esse* obiectiuo, in *esse* possibili, & in *esse* cognito, quia non potest aliter producere; oporteret enim probare quòd possit producere in *esse* existentiæ, & tunc benè sequitur quòd tunc produceret in perfecto *esse* existentiæ sibi competente, sed non probatur quòd possit producere in *esse* existentiæ. Cùm quæritur, vnde est repugnantia, quòd non possit producere in *esse* existentiæ? Dico quòd potest poni repugnantia tam ex parte essentiæ diuinæ, quàm ex parte obiecti producibilis, ex parte essentiæ est repugnantia, ex hoc quòd est causare aliud à se, quia ex hoc quòd causat, sequitur quòd contingenter causat, id est, non necessariò simpliciter: ex hoc vero quòd causat per modum naturæ, sequitur quòd simpliciter necessariò, & sic causaret necessariò, & non necessariò. Vnde Doctor *in* 2. *dist*. 1. *q*. 3. dicit quòd est implicatio contradictionis, causare & necessariò causare. Hoc idem *in* 1. *dist*. 8. *q*. *vlt*. modò essentia, vt essentia, si causaret tantùm per modum naturæ, & necessariò, simpliciter causare, vt patet hîc, & suprà. Ex parte verò effectus, est etiam repugnantia, scilicet quòd sit causatus simpliciter per modum naturæ, quia hoc includit manifestam contradictionem, quia tunc idem esset possibile, & necessarium; necessarium inquantùm per modum naturæ, & merè necessariò causatum; possibile inquantùm habet *esse* causatum; & sic idem esset necessarium, & possibile. Hoc totum patet à Doctore vbi suprà. Et dixi *causans per modum naturæ, & necessariò simpliciter* ad differentiam secundarum causarum, quia licèt multæ, quantùm est ex natura sua, causent effectus suos per modum naturæ, & necessariò, non tamen necessariò simpliciter, cùm causent in virtute voluntatis diuinæ, contingenter causantis, vt patet à Doctore *in* 1. *dist*. 2. *p*. 1. *q*. 1. & patet, quia causans simpliciter necessariò à nullo potest impediri; essentia vero diuina, si causaret, causaret simpliciter necessariò. 95. *Responsio ad primum dubium.*

Ad secundam instantiam concedo illam similitudinem, vt præcisè illæ potentiæ comparantur ad sua obiecta, & non plus habetur, nisi quòd sicut intellectus potest producere in *esse* cognito, ita & voluntas potest producere in *esse* volito, & hoc modo propriè respiciunt sua obiecta, quia potentiæ illæ, vt operatiuæ hoc modo compa- 96. *Ad secundū.*

compa

comparantur adinuicem, quòd sicut intellectus potest operari circa aliquod obiectum, puta intelligendo illud; ita voluntas circa idem obiectum,& sub eadem ratione volendo illud. Si verò comparantur vt potentiæ productiuæ,patet quòd hoc non conuenit etiam voluntati, vnde voluntas:quia tunc competeret omni voluntati, modo voluntas creata non est productiua alicuius entis absoluti præter actum volendi,& nolendi. Tamen si accipiatur voluntas vnde infinita, & intellectus vnde infinitus, & ad intrà, adhuc est vera comparatio, quia sicut intellectus potest esse productiuus alicuius suppositi infiniti, ita voluntas potest esse productiua alicuius suppositi infiniti;& patet,quia producit Spiritũ sanctũ. Si verò comparatur ad extra,adhuc est aliqualis comparatio,quia sicut voluntas producit *A* in *esse* reali,& *esse* existétię actuali,ita intellectus producit idẽ *A* in *esse* reali,& in *esse* existentiæ possibili tantùm,& obiectiuo,quia *A*.procedit ab æterno secũdùm esse obiectiuum,& possibile, & secundùm existentiam in *esse* obiectiuo, & possibili ipsum *esse* reale actuale, & hoc tam secundùm *esse* essentiæ, actuale, quàm secundùm *esse* existentiæ actuale, quæ omnia patent *in 2.dist.3.q.1.* Sed quare intellectus non potest producere in *esse* reali actuali,& in *esse* existentiæ actuali. Et ego quæro, quare voluntas diuina non potest producere creaturam quantùm ad *esse* eius obiectiuum, & simpliciter possibile? Dico ergo, quia intellectus est talis entitas, & voluntas talis, ideò vnum conuenit vni,quod repugnat alteri. Dico tamen quòd quia intellectus agit merè per modum naturæ, & non posset producere aliud à se, nisi causando illud, statim sequitur repugnantia, scilicet, quòd causet per modum naturæ, vt suprà exposui. Voluntas verò agit merè liberè, & contingenter ad extrà, ideò conuenit sibi posse causare aliud à se, quia, vt sic causat possibile.

97. *Ad tertium.* Ad tertiam. Concedo quòd essentia producit illud in tali *esse*,scilicet obiectiuo perfectius quantum potest. Et cùm quæritur, an possit homines producere in perfectiori *esse* obiectiuo, dico, quòd non potest perfectius producere, quia si homo in *esse* obiectiuo, & quiditatiuo haberet perfectius *esse*,iam non esset homo, vt suprà patuit. Cùm infertur, ergo producit hominem, secundùm quod est producibilis. Dico quòd esse sic producibile,aut comparatur ad causam productiuam, aut ad ipsum producibile. Primo modo concedò, & tunc sensus est,homo in *esse* obiectiuo est præcisè sic producibilis, secundùm quòd essentia diuina est ratio producendi, & tunc non sequitur quòd priùs fuerit in tali *esse* producibilis, imò ante *esse* eius obiectiuum, nullo modo erat producibilis, ita quòd *esse* producibile præcesserit, & hoc passiuè, sic intelligendo, ideò essentia potest hominem producere in *esse* obiectiuo sic, sicut est producibilis, imò è contra sequitur; ideò homo est producibilis in *esse* obiectiuo, quia essentia diuina potest eum sic producere. Sicut etiam de *esse* existentiæ,non sequitur,ideò Deus potest producere hominem in *esse* existentiæ aptitudinali, siue possibili, siue obiectiuo, quia sic prius est producibilis in tali *esse*, sed è contra, ideò est producibilis in tali *esse* existentiæ obiectiuo, quia Deus sic potest producere, imò magis sequitur, quia essentia diuina actu producit hominem in *esse* obiectiuo,ideò homo habet tale *esse*, & non è contra. Sed de existentia actuali,aliter dicitur, quia tunc ista non est vera, ideò homo est producibilis in *esse* actualis existentiæ,quia voluntas diuina,potest eum sic producere, imò è contra sequitur; ideò voluntas potest producere hominem in actuali existentia, quia homo est producibilis in actuali existentia, priùs enim habet illud esse possibile per actum intellectus diuini,& essentiæ diuinæ. Si dicatur esse contingens,siue esse possibile est à voluntate diuina,quia prima contingentia est à voluntate diuina, vt patet à Doctore *in prol. q.vlt.in 1.d.2.q.2.dist.8.q.vltima, dist.39.dist.44. & 45.in 2.dist.1.q.1.in quodl.q.7.* Dico quòd aliud est loqui de altera parte contingentis determinatè, puta quòd homo erit aliquãdo actu existens; & aliud est loqui quòd possibile est hominem aliquando existere. Primo modo attenditur contingentia voluntatis diuinæ, quia ipsa actu suo determinat de altera parte illius disiunctiuę,sc.homo erit aliquando existens,vel nõ existẽs,sed secũdo modo hoc est simpliciter ab intellectu diuino,concurrente essentia diuina, & hoc patet expresse à Doctore *in 1.dist.43.* & vide quæ ibi prolixè exposui, & similiter *in 1.dist.3.q.4.* de sinceris veritatibus.

Ad quartam, concedo quòd essentia diuina actu producit infinita indiuidua in *esse* obiectiuo, & possibili, & *esse* cognito,quia quot sunt producibilia, siue quot sunt possibilia absolutè, & necessariò ab æterno fuerunt in *esse* obiectiuo,& possibili producta,quia hoc totum intellectus diuinus, & essentia diuina agunt quicquid agunt per modum naturæ, & necessariò. Cùm infertur quòd etiam voluntas diuina poterit illa eadem producere in actuali existentia, & simul in actu, & per consequens infinita in actu, quia est infiniti vigoris, sicut & essentia diuina, Dico primo quòd fortè hoc non esset impossibile (quicquid Philosophi dicant) quia non apparet fortè manifesta repugnantia,quòd actu sint infiniti homines. Certum est quòd nulla apparet repugnantia ex parte voluntatis diuinæ,cùm sit formaliter infinita,& contineat eminenter, & virtualiter causalitates omnium secundariam causarum etiam infinitarum, vt patet à Doctore *in 1. dist.2.q.1. & dist.8.q.vlt.* imò quantùm est ex parte sua potest simul producere infinitas species in actu,etiam æquè perfectè infinitas, sicut vnam illarum, vt patet à Doctore *in 1. dist. 2. q. 2. partis primæ.* Sed de hoc an sint possibilia infinita in actu simul, vide quæ exposui super dist.14.tertij. 98. *Ad quartum*

Dico secundo quòd voluntas non potest simul producere infinita indiuidua in actuali existentia, quia talis infinitas simpliciter repugnat in entibus. Cùm dicitur talis infinitas non repugnat in *esse* obiectiuo, siue in *esse* possibili. Dico quòd talis infinitas in *esse* possibili potest dupliciter intelligi. Primò, quòd sint infinita indiuidua in *esse* possibili, & in *esse* existentiæ, non actuali, sed possibili, id est, quòd illa infinita indiuidua habentia ab æterno *esse* obiectiuum, & possibile, quòd sint simul possibilia in *esse* existentiæ. Secundò, quòd illa infinita in *esse* possibili absolutè, & obiectiuo possint esse in actuali existentia, non simul, sed successiuè.

Primo modo, est simpliciter impossibile, sed non secundo modo, quia voluntas diuina posset perpetuare successionem indiuiduorum in infinitum, quia sic sunt possibilia existere. Sed quare est impossibile primo modo? Non videtur fortè alia ratio assignanda, nisi natura entis creati, quæ non compatitur talem infinitatem, simul in actuali existentia. Sicut etiam quòd albedo, & nigredo sint compossibilia in eodem subiecto, non videtur alia ratio assignandi, nisi ratio terminorum; nam quæcunque repugnant, suis rationibus formalibus repugnant; sicut etiã quæcunque conueniunt, suis rationibus formalibus conueniunt, vt patet à Doctore *in* 1. *dist*. 2. *& dist*. 13. *in* 2. *& in* 3. *dist*. 1. *quæst*. 1. *& in quodl*. Cùm dicitur, possunt esse infinita in actu in *esse* obiectiuo, ergo & in esse existentiæ. Dico quòd in istis, & multis aliis, licèt sint rationes à priori, non tamen nobis sunt notæ pro statu isto; tamen aliqua sunt compossibilia in aliquo secundùm *esse* diminutum, & secundùm *quid*, quæ tamen non sunt compossibilia secundùm *esse* eorum reale, & perfectum, & patet, nam albedo, & nigredo, etiam in summo, sunt compossibilia in *esse* cognito in eodem intellectu, & similiter similitudo albedinis, & similitudo nigredinis sunt compossibiles in eodem subiecto, scilicet in eodem intellectu, & tamen nigredo, & albedo secundùm *esse* earum intensum, non sunt compossibiles in aliquo subiecto: & quare de hoc non potest euidens causa à priori assignari, sic videtur dicendum in proposito, quòd benè possunt simul esse, imò de facto sunt infiniti homines, simul in *esse* obiectiuo, & in *esse* possibili, & similiter in *esse* cognito, & tamen est repugnantia quòd infiniti homines, sint simul in actu, in actuali existentia. Et hoc sufficit, multæ tamen congruentiæ, & persuasiones possent ad hoc adduci quas breuitatis causa transeo pro nunc.

Nota.

99. *Ad quint.m.* Ad quintam. Dico primo quòd ratio illa Doctoris non concludit fortè absolutè, vt exposui *in* 1. *dist*. 8. *quæst*. *vltima*. Tamen posito quòd ibi concludat, loquendo de *esse* existentiæ effectus, tamen in proposito nullo modo concludit, quia quamuis producat albedinem infinitam in *esse* possibili, posito quòd albedo possit intendi in infinitum, tamen, vt sic, nullam perfectionem actualem includit, sed tantùm potentialem. Sicut etiam licèt simul sint producti infiniti homines in *esse* possibili, & obiectiuo, tamen secundùm *esse* actualis existentiæ non possunt simul esse; sic videtur dicendum in proposito. Et vltrà, quòd in tali *esse* obiectiuo, nihil potest esse infinitum, nec quiditatiuè, quia si esset aliqua species infinita quiditatiuè in *esse* possibili, & obiectiuo, illa posset produci in *esse* realis existentiæ, quod tamen est impossibile; non potest ergo esse aliquid intensiuè infinitum in *esse* obiectiuo, siue in *esse* cognito, siue in *esse* possibili, cùm sit esse diminutum, & secundùm *quid* tantùm, vt patet à Doctore *in* 1. *dist*. 36. *quæst*. *vnica*, *& dist*. 35. *&* 39. *& in* 2. *d*. 1. *q*. 1. *& in quodl*. *q*. 14. Sed non est, sic accipiẽdo rẽ in suo *esse* reali. & actualis existẽtiæ.

100. *Responsio ad aliquas instantias.* Respondeo ad aliquas instantias, quæ sunt contra notitiam. Ad primam, quæ est sexta in ordine, præmitto aliqua. Primò, notitia Deitatis, quæ immediatè, & primò est suo modo causata à Deitate, vt obiecto, & intellectu, vt potentia formaliter infinitis, est formaliter infinita, & est simpliciter idem essentiæ, & intellectui, & est tantùm vnica re, id est præter omne opus intellectus, & est id quo intellectus diuinus est perfectè beatus, cùm sit optima eius perfectio, quę consistit in actu secundo, quo perfectissimè coniungitur obiecto infinito beatifico. Et ex se est tantæ perfectionis, quòd ipsa nullo modo variata præter opus intellectus est non tantùm essentiæ diuinæ, sed omnium obiectorum intelligibilium, imò in infinitum infinitorum obiectorum relucentium tamen in sola essentia diuina, vt patebit infrà *q*. 15. *articulo vltimo*, *siue articulo secundo principali*.

Secundò præmitto, quòd quando dicitur, quòd essentia diuina mouet ad notitiam omnium aliorum intelligibilium, quòd hoc potest intelligi multipliciter. Primo, quòd quot sunt intelligibilia incomplexa, tot sint notitiæ, saltem præter opus intellectus distinctæ, & hîc sensus non solùm est falsus, sed simpliciter impossibilis, vt ostensum est *in* 1. *dist*. 2. *part*. 2. *q*. 1. Secundò, quòd tantùm sit vna notitia omnium intelligibilium, nec re, nec ratione in se aliquo modo distincta, ita quòd non referatur ad obiectum distincta aliqua relatione rationis, sed ipsa in se sola sine aliquo respectu primò sit perceptiua formaliter omnium obiectorum, & hic sensus est possibilis, quia non apparet manifesta necessitas, quòd Deus includat aliquem respectum ad extra, nec realem, nec rationis, vt patet à Doctore *in* 1. *dist*. 30. & tunc quando dicitur quòd essentia mouet ad notitiam aliorum obiectorum, non debet intelligi, quòd actu causet nouam notitiam, aliam ab illa, quæ est essentiæ diuinæ; aliam dico nec re, nec ratione, sed quia causat obiecta secundaria, quæ continet in se virtualiter secundùm totam eorum entitatem, siue quia facit ea actu intelligentia, quibus productis in *esse* obiectiuo, & actu intelligibilibus, eadem notitia, quæ primò est essentiæ, est etiam illorum obiectorum. *Quomodo essentia moueat.*

Sed tunc esset difficultas de contingentibus, quæ immediatè continentur in voluntate diuina, & non in essentia, vt essentia, vt patet, *quæst*. *præsenti*, quomodo tunc essentia moueat intellectu diuinum ad huiusmodi obiectorum notitiam, quia *in* 1. *dist*. 39. dicit expresse, quod huiusmodi notitia est ab essentia diuina. Dico quòd quamuis essentia, vt essentia non contineat immediatè hoc contingens, *Antichristus erit tali hora*, quia hæc merè dependet à sola determinatione diuinæ voluntas, tamen ipso contingenti iam posito, & determinatè volito, essentia continet illud, quo ad eius notitiam, quia facit illud esse præsens in sua essentia in ratione obiecti actu intelligibilis, & sic posito præsenti intellectui diuino in ratione obiecti, actu intelligibilis, ipse intellectus diuinus eadem penitus notitia, & re & ratione indistincta qua cognoscit essentiam diuinam, cognoscit etiã illa obiecta complexa contingentia. Et hoc patet à Doctore *in* 1. *dist*. 36. vbi sic, dicit ad literam: *Potest poni aliter, quòd intellectus diuinus, aut offert simplicia, quorum vnio est contingens in re, aut si offert complexionem, offert eam sicut neutram, & voluntas eligens vnam partem, scilicet coniunctionem istorum pro aliquo nunc in re, facit illud determinatè esse verum, hoc erit pro A. hoc autem existente determinatè vero, essentia est ratio intellectui* 101.

intellectui diuino intelligendi istud verum, & hoc naturaliter quantùm est ex parte essentiæ, ita quòd sicut naturaliter intelligit omnia principia necessaria quasi ante actum voluntatis diuinæ, quia eorum veritas non dependet ab illo actu, & essent cognita ab intellectu diuino si per impossibile non esset volens, ita essentia diuina est ratio cognoscendi ea in illo priori instanti naturæ, quia tunc sunt vera, non quidem, quod illa vera moueant intellectum diuinum, nec etiam termini eorum ad apprehendendum talem veritatem, quia tunc intellectus diuinus vilesceret, quia tunc pateretur ab alio ab essentia sua; sed sicut essentia diuina est ratio cognoscendi simplicia, ita & complexa talia, &c.

102. *Quomodo essentia diuina contineat contingentia.* Ex qua litera, patet expresse quomodo essentia diuina continet contingentia quo ad eorum notitiam. Et sic patet quomodo eadem notitia non producatur bis. Tertiò, potest intelligi sic, quòd sit tantùm vna notitia re penitus indistincta, sed ratione diuersificata secundùm obiectorum distinctionem; & sic quot sunt obiecta intelligibilia, tot sint respectus fundati in tali notitia, & terminati ad distincta obiecta, sicut etiam Doctor videtur tenere *in 1. dist. 39.* & tunc diuina essentia intelligitur mouere ad notitiam horum obiectorum quatenus facit eandem notitiã esse actu illorum obiectorũ; non quòd causet immediatè illos respectus rationis, sed quia quasi causando illã notitiã, causat illos respectus quatenus immediatè causat fundamentum, in quo fundantur illi respectus rationis ex natura fundamenti, & actu causat illos, quatenus actu causat terminos illorum respectuum, qui termini sunt in actu, quando actu relucent in essentia diuina, vt obiecta actu intelligibilia, quibus actu positis, statim in notitia illa oriuntur ex natura fundamenti huiusmodi respectus, & terminantur ad illa obiecta secundaria, non vt in se, sed vt relucentia in essentia diuina, qui tamen respectus dicuntur rationis, pro quanto terminantur ad obiecta secundaria, non habentia *esse* in se, sed vt tantùm habentia *esse* obiectiuum, & relucentia in essentia diuina, quæ, vt sic, non habent *esse* reale actuale, nec existunt in existentia reali actuali, & per consequens dicuntur habere *esse* rationis, prout relatio rationis dicitur omnis illa, quæ distinguitur contra realem relationem, quæ propriè est inter extrema realia, & realiter distincta; & oritur præcisè ex natura extremorum, vt exposui suprà *qu.* 13. non quòd sit relatio rationis, prout relatio rationis dicitur illa, quæ causatur per actum collatiuum alicuius potentiæ.

103. *Nota.* Istis præmissis, patet responsio ad primam rationem, siue tenendo vnam viam, siue aliam. Posset etiam dici, & fortè meliùs ad euitandas aliquas difficultates, quòd notitia diuina, qua intellectus diuinus intelligit omnia intelligibilia ante actum collatiuum intellectus diuini, est simpliciter eadem respectu omnium intelligibilium, & omnino indistincta re, & ratione; potest tamen dici alia, & alia pro quanto ipsa potest actu intellectus diuini cõparare ad aliud, & aliud obiectum, vt actu cognitum, ita quòd intellectus diuinus illa vna, & eadem notitia omnino indistincta re, & ratione intelligit omnia obiecta, & ipsis postea intellectis, potest intellectus diuinus ipsam comparare, vt cognitam, ad alia, & alia obiecta cognita, & tunc ipsa notitia, vt cognita ab intellectu diuino, est immediatum fundamentum, fundans relationes rationis terminatas ad alia, & alia obiecta cognita, vt cognita; & hoc modo potest intelligi distincta actu per aliam, & aliam comparationem, & potentialiter potest intelligi distincta, quia ipsa, vt cognita, est potens potẽtia propinqua comparari ad aliud, & aliud cognitum, & ipsa, vt actu non cognita, est potens potentiâ remota comparari ad aliud, & aliud obiectum, & sic patet quomodo essentia diuina potest intelligi mouere per modum naturæ ad notitiam omnium intelligibilium.

Ad septimam instantiam. Dico primò, quòd si intelligatur quòd notitia lapidis in intellectu diuino, sit similitudo lapidis in se per imitationem, hic sensus est falsus, quia tunc aliquo modo imitaretur creaturam. Si verò intelligatur quòd sit similitudo naturalis lapidis, vt præcisè relucentis in essentia diuina, hoc modo posset concedi accipiendo tamen similitudinem declarationis, quia sic est declaratiua ipsius lapidis, vt in essentia diuina relucentis. Tertiò, *Nota.* potest intelligi, quòd ipsa sit primò, & immediatè similitudo naturalis essentiæ diuinæ, & si esset realiter distincta ab ipsa, & non esset formaliter infinita, tunc perfectè imitaretur essentiam, quia ab ipsa propriè in sua entitate dependeret, & haberet *esse*; & hoc modo propriè est esse similitudinem per imitationem, respectu verò aliorum obiectorum relucentium in essentia diuina, esset similitudo naturalis per imitationem secundùm *quid* tantùm, cùm nullo modo dependeret ab illis; esset enim secundaria similitudo pro quanto esset declaratiua, & manifestatiua talium obiectorum, vt exposui *in 1. dist. 2 par. 2. & dist. 27. & in 2. dist. 1. quæst. 1. & suprà in quodl. quæst. 8.*

Ad octauam. Dico primò, quòd non habeo 104. pro inconuenienti, quòd talis notitia fundet ex natura rei relationem ad omnia obiecta secundaria, quatenus ipsa est fundamentum reale; & concedo quòd si ipsa notitia diuina, respiceret obiecta secundaria in suo *esse* reali, & actualis existentiæ, id est, quòd terminaretur ad illa, vt actu existentia in se, tunc talis relatio esset verè realis; sed casus est simpliciter impossibilis, quia tunc intellectus diuinus vilesceret; terminatur enim præcisè ad obiecta secundaria, quatenus ipsa præcisè relucent in essentia diuina, vt suprà dixi. Dico secundò, & fortè meliùs, quòd talis notitia nullam relationem includit ad obiecta secundaria, & hoc ex natura rei, quia non apparet aliqua ratio, quòd talis notitia infinita includat huiusmodi relationem, sicut apparet in notitia creata, propter sui finitatem, & limitationem, vt patet in simili à Doctore *in 1. dist. 30.* vbi ostendit quomodo omnis causa creata dicat relationem realem ad effectum, & tamen causa prima nullam includat relationem realem.

Ad nonam patet responsio ex supradictis.

Ad decimam. Dico quòd tale *esse* cognitum, si accipiatur præcisè pro relatione rationis, quod fundatur in esse obiectiuo, ita quòd lapis primò producitur ab essentia diuina in *esse* obiectiuo, & post mouet intellectum diuinum ad notitiam illius, & tunc dicitur lapis cognitus, & sic ipsum cognosci, si sit aliquid saltem rationis fundatur in *esse* obiectiuo lapidis, & hoc sufficit.

Alia dubia ab aliis subtiliùs inuestigentur, sunt enim ibi nonnullæ singulares instantiæ.

SCHOLIVM.

Conclusio, Animam, vel Angelum nullo statu ex naturalibus posse cognoscere essentiam diuinam sub ratione propria immediatè, id est, per aliquod medium cognitum, seu rationem cognoscendi. De quo 2. dist. 3. q. 9. Ratio est, quia in nullo medio continetur essentia diuina formaliter, vel virtualiter. Instat tripliciter primò contra rationem; secundò & tertiò contra conclusionem. Ad primum explicat, quomodo ratio cognoscendi cognita debeat continere cognitum virtualiter, entitatiuè; secus de ratione cognoscendi non cognita, seu specie. De quo 2. dist. 3. quæst. 9. num. 5. Ad alia duo responsio est, animam posse se, suúmque actum beatificum ex naturalibus cognoscere. De quo 2. dist. 9. q. 2. & d. 3. q. 8. & 9. non tamen inde sequi, quòd videat relationem imaginis in se, vel attingentiam essentiæ diuinæ in suo actu.

Essentia diuina sub ratione propria nequit cognosci per aliud cognitum & quare? de quo 2. d. 3. q. 9. n. 5.

DE tertio principali dico, quòd anima ex naturalibus in quocunque statu, vel Angelus non potest cognoscere essentiam diuinam sub ratione propria mediatè; sic intelligendo, quòd per obiectum cognitum medium, vel in obiecto cognito medio cognoscatur ratio eius: quia nihil potest per se distinctè intelligi hoc modo mediatè: nisi in illo medio contineatur essentialiter, vel virtualiter, & hoc perfectè, scilicet secundùm totam rationem cognoscibilitatis suæ: essentia diuina in nullo alio sic continetur; igitur, &c. Minor probatur quia nihil aliud à diuinitate continet eam perfectè sub ratione entitatis; igitur nec sub ratione cognoscibilitatis. Maior probatur: quia obiectum [h] quodcunque, si moueat ad aliquam notitiam, tunc secundùm vltimum virtutis motiuæ mouet ad propriam, & perfectam notitiam sui; igitur nec potest mouere ad notitiam simpliciter perfectiorem illa, nec per consequens ad notitiam propriam perfectioris obiecti. 21.

i Contra istud instatur, primò contra rationem sic: Sufficit quòd causa virtualiter contineat illud, cuius est causa, ita quòd ad hoc quòd sit causa, non oportet quòd contineat illud, cuius non est causa; nunc autem quicquid moueret ad distinctam, & perfectam notitiam essentiæ diuinæ, non propter hoc oportet, quòd esset causa illius essentiæ, sed tantùm causa illius notitiæ: igitur licèt non contineat illam essentiam, vt probatur, si tamen contineat illam notitiam: vt puta, quòd sit perfectius ea, sicut substantia est perfectior accidente, hoc sufficit ad hoc, quòd moueat intellectũ ad talem notitiam: videtur autem quòd illa notitia possit eminenter contineri substantia Angeli, vel animæ, cùm illa substantia sit multò perfectior, quàm notitia: & multò immediatior ipsi obiecto in ordine essentiali.

k Prætereà. Instatur contra conclusionem illam probatam. Primò sic: Per illud, quod est imago propria alicuius obiecti, videtur posse distinctè cognosci illud, cuius est imago: sic enim sensus visus distinctè cognoscit obiectum in speculo, nunc autem non solùm Angelus, sed etiam anima est imago Dei, secundùm Augustinum 14. *Trin. cap.* 8. vtérq; autem potest distinctè cognoscere seipsum: etiã ex naturalibus, sicut de ipsa anima, de qua minùs videtur, vult Augustinus 14. *de Trin. cap. vlt. Quoniam semper se nosse, sempérque seipsam velle comprehendebatur. Simul etiam semper sui meminisse, sempérque seipsam intelligere, & amare comprehenderetur: quamuis non semper se cogitare discretam*, &c. Et eodem lib. 14. cap. 4. vel 9. *Diximus mentem noscere semetipsam: nihil enim tam nouit mens, quàm illud, quod sibi præsto est: nec menti magis quicquam præsto est quàm ipsa sibi:* & de hoc ibidem multum, *cap. 6. & 7.*

Vide 10. Trin. c. 10. & 8. trin. cap. 7.

Secundò instatur ad idem per hoc, quòd intellectus creatus beatus potest naturaliter cognoscere suum actum beatificum: igitur per illum potest naturaliter cognoscere obiectum. Consequentia ista probatur: tum, quia actus est naturalis similitudo obiecti: imò videtur esse expressior similitudo, quàm esset species intelligibilis ipsius obiecti, si poneretur: igitur obiectum distinctè potest cognosci per ipsum, vt per naturalem similitudinem sui: tum, quia non videtur quòd actus possit cognosci, vt est huius obiecti, nisi cognosceretur hoc obiectum sub ea ratione, sub qua ipsius est actus.

22. *Species cõtinet obiectum repræsentatum formale.*

Ad ista. [l] Ad primum dico, quòd nihil sufficienter continet continentiâ virtuali ipsam notitiam, nisi contineat obiectum cognoscibile, tanquam proprium repræsentatiuum eius, scilicet formale, vel eius repræsentatiuum virtuale: species autem propria obiecti, etsi sit respectu eius diminuta in entitate tamen continet ipsum primo modo, tanquam, scilicet repræsentatum per ipsam formaliter: sed quando 22.

non est

non est repræsentatiuum formale obiecti, oportet quòd virtualiter contineat tale repræsentatiuum proprium; & quando est repræsentatiuum, sicut obiectum cognitum: tunc oportet quòd contineat illud obiectum, quod per ipsum debet cognosci.

Ad duo alia argumenta, negaretur fortè quòd anima vel Angelus ex naturalibus posset cognoscere seipsum, & etiam actum suum beatificum. Sed quia vtrunque videtur contineri sub proprio obiecto intellectus huius, & illius, & hoc sub primo naturaliter attingibili, scilicet sub ente limitato; ideò dici posset aliter, quòd tam anima, quàm Angelus, licèt possit naturaliter noscere se quantùm ad illud absolutum, quod ipsum est: non tamen potest naturaliter noscere se inquantùm est imago Dei, siue se esse imaginem Dei: quia non potest naturaliter cognosci relatio: nisi naturaliter posset cognosci vtrumque extremum. *An anima naturaliter noscat se suósque actus.*

Pro ista responsione videtur esse illud Augustini 15. de Trin. 24. vel 70. *Qui vident*, inquit, *suam mentem: & in ea Trinitatem istam, scilicet memoriam, intelligentiam, & voluntatem: nec tamen credunt ea, quæ intelligunt esse imaginem Dei, speculum quidem vident: sed vsque adeò non vident per speculum: vt scilicet ipsum speculum, quod vident, sciant esse speculum, id est, imaginem.* *Angelus videns actum beatũ an videt obiectum eius.*

COMMENTARIVS.

105. § *DE tertio principali* dicit Doctor quòd *anima ex naturalibus in quocunque statu, vel Angelus non potest cognoscere essentiam diuinam, sub ratione propria mediatè sic intelligendo, quòd per obiectum cognitum medium*, &c. Maior exponitur priùs, & deinde probatur. Cognosci per medium cognitum propriè loquendo est, quando tale medium vt prius cognitum, causat notitiam illius, & sic dicimus propriè loquendo, quòd conclusio demonstratiua cognoscitur per principia non absolutè sumpta, sed vt cognita. Et similiter dicimus quòd veritates contentæ in aliqua scientia cognoscuntur per subiectum, vt cognitum, in quo continentur, vt patet *in prologo, quæst.* 3. An modò requiratur cognitio actualis an sola habitualis, de quibus suprà dixi in prologo respondendo ad rationes Gregorij, vide ibi. Si actualis ponatur, tunc sensus est quòd veritas contenta cognoscitur per notitiam medij, scilicet subiecti, ita quòd notitia subiecti est formalis ratio causandi notitiam veritatis contentæ. Si habitualis sufficit, tunc sensus est, quòd veritas contenta cognoscitur per subiectum, vt habitualiter notum; & dicitur habitualiter notum, non per aliquem habitum, sed quando est perfectè præsens, vel in se, vel in aliquo repræsẽtatiuo in ratione obiecti, actu intelligibilis, tũc est habitualiter notũ, quia est in potentia propinqua ad cognosci, nõ tamen actu cognoscitur veritas contenta, nisi prius mediũ continens actu cognoscatur, quia necessariò priùs mouet ad notitiam sui, quàm ad notitiam contentorum; ideò contentum non potest actu cognosci, nisi simul, vel prius actu cognoscatur continens. Et de rigore sermonis ly *per*, importat formalem rationem cognoscendi, cum dico. *A.* cognoscitur per *B.* notatur, quòd *B.* sit formalis ratio cognoscendi *A.* Cognoscere verò *A.* in *B.* cognito, propriè non notatur, quòd *B.* sit formalis ratio cognoscendi *A.* sed magis notatur, quòd *A.* reluceat in *B.* sicut dicimus, quòd imaginatum relucet in imagine, ideò cognoscendo imaginem alicuius, ipsum dicitur cognosci in imagine cognita, quia cognita imagine, cognoscitur imaginatum, & tamen imago non ponitur ratio formalis cognoscendi imaginatum. Sed aliquando accipitur *A* cognosci in *B.* vt in ratione formali cognoscendi, sed non accipitur tunc ita de rigore sermonis. Doctor autem, vt videtur, accipit medium, vt est formalis ratio cognoscendi, quia illud propriè virtualiter, vel essentialiter continet entitatem secundùm totam cognoscibilitatem illius quod sic cognoscitur. Exposita sic maiore de medio, probatur quòd tale medium non cõtineat virtualiter, vel essentialiter entitatem talis cognoscibilis; & probatio eius patet in litera, & de hoc vide quæ dixi *in 2. dist. 3. q. 10.*

Quid sit cognosci per medium cognitum.

Et tunc, vel propria præsentia, vel species est ratio cognoscendi.

Ly per quid importet.

Nota.

Et hîc adducit probationem maioris, dicens, *quia obiectum quodcunque si moueat ad aliquam notitiam*, &c. Hîc sunt duo. Primum est, quòd obiectũ motiuum intellectus ad sui notitiã producit illã perfectam quãtùm potest, quia mouet ad illam secundùm totam virtutem suam præcisè: ergo secundùm perfectiorem entitatem, quam habet in se formaliter continet totam cognoscibilitatem sui, ita quòd non maiorem; patet, quia cognoscibilitas sequitur entitatem, ita quòd perfectior cognoscibilitas sequitur, vel est entis perfectioris; si ergo contineret perfectiorem cognoscibilitatem, necessariò contineret perfectiorem entitatem. Cùm ergo præcisè moueat ad notitiam sui secundùm totam virtutem, sequitur quòd præcisè causet cognitionem perfectam, quantum obiectum est præcisè cognoscibile, & si causaret perfectiorem necessariò esset maioris perfectionis, & entitatis. Secundum est, quòd si *A.* perfectum præcisè vt duo, non potest causare, nisi notitiam correspondentẽ perfectioni *A.* vt duo, sequitur quòd ipsum *A.* existens præcisè perfectionis vt duo, non poterit causare notitiam perfectã obiecti perfectioris, puta, vt quatuor, quia est impossibile *A* continere cognoscibilitatem eius, nec per consequens entitatem eius, & sic patet. 106.

Doctor instat primò contra rationem, probãdo quòd non sequitur quòd si *A.* continet notitiam, *B* quòd propter hoc contineat entitatẽ, *B* quia sufficit quòd causa contineat virtualiter illud, cuius est causa, ita quòd ad hoc, quòd sit causa, nõ oportet quòd cõtineat illud, cuius nõ est causa; nunc autem quicquid moueret ad distinctam, & perfectam notitiam essentiæ diuinę, nõ propter hoc oportet quòd esset causa illius essentiæ, sed tãtùm causa illius notitiæ: licèt igitur non contineat illam essentiã, vt probabitur, si ta

si tamen contineat illam notitiam,vtputa,quòd sit perfectius ea, sicut substantia est perfectior accidente,hoc sufficit ad hoc,quòd moueat intellectum ad talem notitiam, videtur autem quòd illa notitia possit eminenter contineri in substantia Angeli, vel animæ,cùm illa substantia sit multò perfectior, quàm notitia,& multò immediatior ipsi obiecto, scilicet diuino, immediatione essentiali, sicut dicimus quòd vna essentia est perfectior alia essentialiter,quia immediatior primæ substantiæ, de qua immediatione vide Doctorem *in* 4. *dist.* 12.

107. * n. 2. Respondet Doctor * quòd *nihil sufficienter continet continentia virtuali ipsam notitiam,* &c.

Pro maiori intelligentia huius literæ, nota primò,quòd in cognitione abstractiua, repræsentatiuum formale dicitur propriè species intelligibilis, quæ ponitur eius similitudo naturalis, & per imitationem, vt suprà patuit *q.*13.

Quia sic actus esset repræsentatiuum formale. Sed propriè non dicitur repræsentatiuum formale, ex hoc solo,quòd est similitudo naturalis obiecti, sed ex hoc quòd obiectum est per ipsam præsens in ratione obiecti actu intelligibilis, non quòd obiectum sic præsens per speciem sit ratio formalis causandi notitiam sui, sed simpliciter species ipsa, quia obiectum, vt sic præsens, non habet *esse* reale actuale, sed tantùm diminutum; & species ibi habet verum *esse* reale,vt patet à Doctore *in* 1.*dist.*3.*q.*6. & sic ponitur species esse formaliter rationem formalem intelligendi obiectum abstractiuè, & hoc modo dicitur obiectum per ipsam esse præsens potentiæ, vt actu intelligibile; ipsa enim species continet obiectum tantum formaliter,quia ipsa est immediata causa cognoscendi obiectum.

Obiectio. Si dicatur, quòd etiam videtur quòd ipsum contineat virtualiter, quia continet notitiam eius; ergo & entitatem eius,vt patet per illam maiorem Doctoris,scilicet quòd continens virtualiter notitiam alicuius,virtualiter continet entitatem eius; modò species est posterior obiecto perfectione. Ad hoc patet responsio *in* 2.*dist* 3. *q.*9. Vide ibi singularia dubia, vbi specialiter mota est hæc difficultas de specie intelligibili essentiæ diuinæ in intellectu Angeli, & hoc non oportet aliter replicare.

108. Secundò nota, quòd repræsentatiuum virtualiter in notitia abstractiua, est illud, quod habet in virtute sua posse immediatè causare repræsentatiuum formale, scilicet speciem intelligibilem illius obiecti. Si ergo *A.* continet propriam speciem *B.*virtualiter,sequitur quòd *A.* continet virtualiter entitatem. *B.* Probatur,quia *A.* quando causat speciem sui, siue mediatè,siue immediatè,causat eam secundùm totam virtutem suam,ita quòd sicut *A.* natum est repræsentari per speciem vt quatuor,si non est impeditum,producit eam perfectam vt quatuor, quia sic *A.* præcisè est intelligibile vt tuor, & sic illa species tunc repræsentat *A.* vt intelligibile vt quatuor,quando est tantæ perfectionis, quòd potest producere (partialiter tamen) notitiam abstractiuam vt quatuor ipsius *A.* quia tunc *A.* est perfectè præsens in ratione obiecti, actu intelligibilis, modo prædicto. Et dixi *mediatè*,vel *immediatè*; mediatè quia pro statu isto nullum obiectum causat immediatè speciem sui in intellectu,sed primò in sensu exteriori, vt exposui suprà, *quæst.* 13. & *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 3. & 1. & 2. Immediatè, quia vt comparatur ad intellectum solutum, puta ad intellectum Angeli potest immediatè causare, saltem partialiter speciem intelligibilem sui, vt patet à Doctore *in* 2. *dist.* 3. *q.*11. Si ergo obiectum præcisè causat immediatè, vel mediatè speciem sui perfectam quantum potest,sequitur quòd præcisè erit ipsum obiectum tantæ perfectionis, quantæ requiritur ad causandum illam speciem; ergo si causat perfectiorem speciem, necesse est quòd sit maioris perfectionis in se, aliter non posset eam causare. Sequitur ergo quòd si causat speciem alterius obiecti,quæ necessariò in proprio obiecto requirit tantam perfectionem, quòd non poterit ipsam causare, nisi contineat virtualiter, vel eminenter perfectionem illius obiecti; & hoc secundùm totam eius entitatem, vt exposui *in* 2.*dist.*3.*q.*10.Patet ergo quomodo repræsentatiuum virtuale obiecti, aut continēs virtualiter repræsentatiuum formale obiecti, oportet quòd contineat virtualiter totam entitatem obiecti, & sic si *A.* posset causare speciem propriam essentiæ diuinæ, quæ dicatur *B.* ipsum *A.* contineret virtualiter entitatē *B.* quia species illa, cùm sit proprium,& formale repræsentatiuum præcisè ipsius *B.* ita quòd illa species nata est causare notitiam *B.* ita perfectam, & distinctam quantum *B.* est cognoscibile abstractiuè ab intellectu, sequitur quòd species illa requirat tantam perfectionem, vel maiorem in obiecto virtualiter continente ipsam, quantam requirit in proprio obiecto.Sed obiectum proprium si immediatè produceret, ipsam produceret præcisè secundùm totam virtutem, ita quòd perfectius non posset producere.

Dicit ergo Doctor quòd nihil sufficienter continet, continentia virtuali, ipsam notitiam 109. *Nota.* nisi contineat obiectum cognoscibile,tanquam proprium repræsentatiuum eius,scilicet formale,vel virtuale,id est, quòd obiectum sic continens notitiam, necessariò, vel est formale repræsentatiuum obiecti, sicut ponitur species, vel virtuale,id est,quòd possit causare speciem propriam obiecti, cuius dicitur continere notitiam. Dixi tantùm de repræsentatiuo formali, vel virtuali in cognitione abstractiua obiecti. Eodem modo videtur dicendum in notitia intuitiua, repræsentatiuum formale obiecti in notitia intuitiua eius,est illud, quod immediatè potest causare notitiam intuitiuam eius,quia per illud tale obiectum est præsens in ratione actu cognoscibilis intuitiuè: virtuale verò est quando non immediatè causat notitiam, nec est immediatè causatiuum eius, sed continet virtualiter aliud,quod est formale repræsentatiuum eius, quod immediatè est ratio formalis causandi notitiam eius intuitiuam. Exemplum *Exemplum primi.* primi,lapis in se præsens potentiæ, est formale repræsentatiuum sui, quia vt sic præsens, est actu cognoscibilis intuitiuè, & actu potest notitiam sui intuitiuam immediatè causare,vel si aliud immediatè causaret notitiam intuitiuam lapidis diceretur formale repræsentatiuum eius modo præexposito.Exemplum secundi,volun- *Exemplum secundi.* tas diuina non causat immediatè notitiam lapidis intuitiuam, tamen immediatè causat aliquid, quod continet virtualiter secundùm totam

tam eius entitatem, quod causatum potest immediatè causare notitiam intuitiuam lapidis, siue potest esse eius formale repræsentatiuum; tunc voluntas diuina ponitur præcisè repræsentatiuum virtuale ipsius lapidis. Vsque huc dixi de repræsentatiuo formali, vel virtuali, siue in notitia abstractiua, siue intuitiua, quando, scilicet tale repræsentatiuum non est repræsentatiuum, vt obiectum cognitum, sed absolutè; patet, quia species intelligibilis non causat notitiam obiecti, vt cognita, nec similiter continens ipsam virtualiter causat eam, vt cognitum, & sic de aliis.

Deinde nota, quòd aliquando repræsentatiuum repræsentat, vt cognitum, videlicet, quòd ipsum, vt cognitum causat notitiam obiecti repræsentati, & hoc modo tale repræsentatiuum continet aliud, quia, vt cognitum non repræsentat se, quia tunc, vt cognitum, causaret notitiam sui, quod non est intelligibile; oportet ergo quòd contineat aliud, quod possit cognosci per ipsum, vt cognitum. Siue loquamur de cognito abstractiuè, siue intuitiuè. Sed de repræsentatiuo, non vt cognito, non est necesse, quòd aliud contineat; patet, quia obiectum in se præsens, & motiuum ad sui notitiam dicitur repræsentatiuum sui, id est, quòd vt sic, est actu intelligibile, & vt sic, potest immediatè causare notitiam sui. Et hoc est, quod dicit. Et sic patet ista litera.

110. k Secundò principaliter arguit contra conclusionem, probando quòd Angelus, & anima possint cognoscere Deitatem distinctè ex propriis naturalibus, & arguit sic primo, *Per illud quod est imago propria alicuius obiecti*, &c.

Opinio aliorum.

l Respondet Doctor primò secundùm opinionem aliquorum, negando quòd anima, vel Angelus possint ex suis naturalibus cognoscere se distinctè, nec similiter actum beatificum. Et hoc Doctor improbat, quia anima, & Angelus, & actus beatificus per se continentur sub obiecto primo motiuo intellectus tam animæ, quàm Angeli, ideò sequitur quòd ex puris naturalibus possunt ista cognosci distinctè ab intellectu tam animæ, quàm Angeli. Secundò, dat responsionem propriam, concedendo vnum, & negando aliud, concedit quòd Angelus potest seipsum distinctè cognoscere, id est, quòd potest essentiam suam secundùm totum suum *esse* absolutum perfectè cognoscere. Et probauit *in secundo, dist.* 30. *q.* 8. supponendo quòd obiectum actu intelligibile habet partialem causationem respectu intellectionis, & similiter intellectus aliam partialem. Et hoc arguit, probando quòd Angelus possit cognoscere seipsum per essentiam suam.

Scotus concedit Angelum se ipsum distinctè cognosci

Et primò sic; omnis causa partialis, quæ est in actu sibi perfecto proprio, secundùm quòd talis causa potest causare causalitate sibi correspondente effectum, & quando est vnita alteri causæ partiali in suo actu, potest cum ea perfectè causare; sed essentia Angeli est de se in actu primo, correspondente obiecto, quia de se est actu intelligibilis, & etiam de se est vnita intellectui, sicut obiectum in coniunctione vtriusque causæ partialis; ergo potest immediatè cum alia causa partiali vnita habere actum perfectum intellectionis respectu suæ essentiæ.

Præterea secundò, in intellectibus habentibus species intelligibiles, istæ species virtute obiectorum cum intellectu causant intellectionem, in quibus tamen obiecta habent *esse* diminutum; ergo si in se habent *esse* absolutum, & *esse* simpliciter, scilicet, actu intelligibile, possent melius, & verius causare eundem effectum; quia quicquid potest causari ab aliquo diminutè tali in aliquo *esse* virtute alicuius simpliciter, talis potest ab illo simpliciter tali causari, sed essentia Angeli, vt in se est præsens intellectui suo, quæ essentia est simpliciter tale, scilicet, actu intelligibilis in se, qualis ipsa est secundùm *quid* in specie intelligibili; igitur si in specie intelligibili, vbi habet esse tale, secundùm *quid* potest causare intellectionem, multò magis hoc potest, vt est in se secundùm *esse* simpliciter. Et vide quæ ibi exposui. Hoc idem dicendum est, de anima, vt patebit *in* 4. *dist.* 45. Sed negat aliud, scilicet, quòd Angelus, vel anima possit cognoscere se sub illo respectu, siue relatione, qua refertur ad ipsum Deum sub ratione Deitatis, quia non potest naturaliter cognosci relatio, nisi naturaliter præcognoscatur terminus, vt patuit *in prolog. quæst.* 1. *& penultima, & dist.* 8. *quæst.* 1. & sic sequitur quòd non potest se cognoscere sub illa ratione formali, qua est imago, quia sic posset cognoscere relationem, qua refertur, vt imago ad imaginatum; & sic oporteret prius cognoscere ipsam Trinitatem distinctè, ad quam terminatur relatio imaginis, sed Trinitatem naturaliter non potest cognoscere, vt patet; ergo nec seipsum, vt imaginem. Et pro ista responsione videtur esse illud Augustini 15. de Trin. cap. 24. vel 7. *Qui vident* (inquit) *suam mentem, & in ea Trinitatem istam, scilicet, memoriam, intelligentiam*, id est, actum intelligendi, & *voluntatem*, id est, actum volendi (memoriam perfectam accipit prout comprehendit intellectum, & voluntatem cum obiecto, vt patet in primo, dist. 3. q. vltima) *nec tamen credunt ea, quæ intelligunt esse imaginem Dei, speculum quidem vident; sed vsque adeo non vident per speculum, vt scilicet, ipsum speculum, quod vident sciant ipsum esse speculum, id est, imaginem*, id est, quòd quamuis videant memoriam, intelligentiam, & voluntatem, quæ sunt verè imago Dei, non tamen vident eam sub illa ratione, qua sunt imago Dei, siue sub illa ratione, quâ referuntur ad imaginatum. 111.

Nota.

S C H O L I V M.

Instat dupliciter, quòd imaginis relatio naturaliter cognosci potest. Ad primum, ostendit non omne quod necessariò consequitur aliud, per illud cognosci; fallit enim, si est respectus, ad cuius notitiam requiritur cognitio termini. Ad secundum, docet obiectum adæquatum intellectus creati esse ens limitatum, non relatum ad illimitatum; vnde relatio imaginis Dei non continetur sub hoc obiecto.

Contra istam responsionem [m] dupliciter argui potest. Primò sic: relatio imaginis, vel est idem cum essentia animæ vel Angeli, vel saltem necessariò consequens naturam eius; igitur per ipsam cognitam potest ipsa relatio cognosci. Antecedens probatur sic: quia relatio dependentiæ essentialis, vel est idem naturæ dependenti, vel necessariò consequitur: quia si contingenter adueniret naturæ, natura posset esse sine illa dependentia, & ita non essentialiter dependeret; relatio autem imaginis videtur esse relatio dependentiæ imitantis ad illud, quod imitatur. 23.

Secundò sic. Potentia potest naturaliter cognoscere quodcunque contentum sub suo primo obiecto naturali: nunc autem sub ente limitato, quod est primum obiectum naturale intellectus creati, continetur illa relatio imaginis: quia ipsa non est infinita, cùm sit in fundamento finito.

Relatio nō cognoscitur nisi cognito vtroque extremo.

[n] Ad primum: relatio non potest cognosci nisi cognoscatur vtrumque extremum: quando igitur fundamentum non includit terminum in ratione cognoscibilitatis, ipsum non est causa sufficiens ad cognoscendum relationem: ita est hîc.

[o] Et cùm arguitur, quòd necessariò consequitur fundamentum. Ex hoc non sequitur, quòd per ipsum posset perfectè cognosci, nisi esset entitas absoluta, ad cuius cognitionem non requiritur aliud cognosci in ratione termini.

Includens entitatem, & cognoscibilitatem exponitur.

[p] Contra hoc, quod includit aliud in entitate, & in cognoscibilitate: fundamentum autem illud includit in entitate relationem istam, si necessariò consequatur ipsum; igitur & includit ipsam in cognoscibilitate.

Respondeo, [q] non includit eam in entitate vt totalis causa eius, sed vt proxima causa: supposita tamen alia causa, scilicet termino: quia & ipsum fundamentum illam aliam causam supponit.

Cui fundamentum cognoscibile, non ideò relatio.

Consimiliter concedo: quòd includit eam in cognoscibilitate, præsupposita alia causa eius in cognoscibilitate, & hoc, si simpliciter, simpliciter: si alicui, alicui; sed isti cognoscenti, scilicet Angelo, vel animæ, & hoc naturaliter, siue ex causis naturaliter motiuis, non præsupponitur obiectum siue terminus esse naturaliter cognoscibilis; & ideò fundamentum, licèt sit huic naturaliter cognoscibile: non sequitur relationem huic esse naturaliter cognoscibilem.

Ad secundum, ens limitatum & ad se, vel si etiam est limitatum, & ad alterum, tamen limitatum est naturale obiectum intellectus creati, sed entitas limitata in se, quæ est essentialiter ad alterum illimitatum, non est naturaliter intelligibilis ab intellectu creato, sicut nec terminus, sine quo nec ipsa intelligi potest. 24.

Dubia subtilissima.

Licèt istæ responsiones probabiliter videantur saluare, quòd absoluta entitas animæ, vel actus beatifici posset naturaliter intelligi ab anima, licèt non naturaliter possit intelligi ab ea relatio ad terminum, nec per consequens oporteat Deum intelligi in ratione termini illius relationis: Tamen rationes illæ de anima, & de actu videntur habere aliam difficultatem, vnam communem: quia per illud quod est naturalis imago obiecti potest ipsum obiectum cognosci, licèt per hoc, quod est imago non cognoscatur relatio imaginis.

Per speciē albi videtur album, non tamen relatio ad illud.

Exemplum: per speciem albi in oculo videtur album, licèt non cognoscatur relatio illius speciei ad album: & ita est de intellectu, ponendo speciem intelligibilem. Et ratio est: quia illa relatio fundata in specie sensibili, vel intelligibili non est formalis ratio cognoscendi obiectum; sed illa forma, in qua fundatur relatio igitur in proposito, licèt non naturaliter intelligatur relatio animæ, vel actus beatifici ad Deum: tamen quia est tale fundamentum, quod ex se est similitudo obiecti, per ipsum poterit cognosci obiectum.

Videtur etiam stare ratio priùs facta de actu: quia actus videtur esse formalis similitudo obiecti: & actualior, quàm species intelligibilis, si poneretur: igitur si per speciem possit obiectum distinctè intelligi, vel cognosci, magis vel æquè poterit intelligi per actum. 25.

Videtur etiam stare aliud quod fuit ibi tactum: quia quòd actus intelligatur, vt est obiecti, & non intelligatur obiectum sub illa ratione, sub qua terminat actum videtur esse contradictio: nunc autem ex naturalibus anima, quæ beata est, potest cognoscere ex natura sua actum beatificum, vt est beatificus: per consequens, vt est obiecti beatifici: quia etsi non habeat actum illum ex natura sua; tamen super illum actum iam existentem potest reflecti, & hoc virtute sua naturali. Quod probo, primò per illud 15. de Trin. cap. 2. vbi dicitur. *Qui dicit scio me viuere: vnum aliquid se scire dicit, proindè si dicat, scio me scire me viuere, duo sunt.* Et sequitur: *sic potest addere*

tertium

tertium, & quartum, & innumerabilia, si sufficiat, potest, inquam, ex virtute naturali: si tamen sufficiat ad continuandum istos actus reflexos.[r]

Hoc probatur secundò; quia si ad actum reflexionis requiritur aliquod supernaturale, pari ratione ad nouum actum, nouum supernaturale, & tunc sicut in infinitum potest procedi in actibus reflexionis, sic in infinitum requiritur aliud, & aliud supernaturale, quo reflectatur.

Confirmatur: quia actus tertius haberet se ad secundum, sicut reflexus ad rectum si igitur posito actu recto, non potest anima reflecti super illum, nisi virtute alicuius supernaturalis ad hoc eleuantis; pari ratione nec per tertium reflecti potest super secundum, nisi per aliud supernaturale.

Hoc probatur tertiò: quia intellectus actum, quem habet potest percipere, & experiri, & hoc secundùm propriam perfectionem illius actus, & ex natura ipsius potentiæ: sicut quando video ex virtute potentiæ naturalis, percipio me videre, & possem illud ex ratione virtutis visiuæ percipere, si esset reflexiua, sicut intellectus.

COMMENTARIVS.

112. m *Contra hanc responsionem*, &c. *Quia si contingenter adueniret natura, natura posset esse sine illa dependentia, & ita non essentialiter dependeret*, & hoc satis probatum est à Doctore in secundo, dist. 1. q. 5. vel 4. *Relatio autem imaginis videtur esse relatio dependentiæ imitantis ad illud, quod imitatur*, vt exposui in primo, distinct. 3. q. vlt. Consequentia patet, quia si talis relatio est idem realiter naturæ, sequitur, quòd natura, & relatio sunt simpliciter vna res realiter, & per consequens cognoscens distinctè naturam, distinctè cognoscet illud, quod est eadem res cum natura.

Relatio non possunt cognoscatur vtrũque extremum.

n Respondet Doctor ad primum, quòd *relatio non potest cognosci, nisi cognoscatur vtrunque extremum: quando igitur fundamentum non includit terminum in ratione cognoscibilitatis, ipsum non est causa sufficiens ad cognoscendum relationem*, quia relatio in ratione suæ cognoscibilitatis includit tam terminum, quàm fundamentum, id est, quòd fundamentum, & terminus sunt, quæ præcisè, & immediatè mouent intellectum ad notitiam relationis: oporteret ergo quòd fundamentum includeret virtualiter terminum relationis secundùm totam suam entitatem, ad hoc vt esset causa sufficiens mouendi intellectum ad notitiã relationis; sicut Deus, qui ponitur terminus relationis creaturæ, potest immediatè mouere intellectum creatum ad notitiam relationis terminatæ ad ipsum, & fundatæ in creatura, ipsa creatura non concurrente, quia ipse Deus virtualiter continet totam entitatem fundamenti, sic in proposito, fundamentum non est causa sufficiens, nisi contineat virtualiter totam entitatem termini; modò est impossibile quòd creatura contineat Deum sub ratione deitatis.

o *Et cum arguitur quòd ipsa relatio necessariò consequitur fundamentum. Ex hoc non sequitur, quòd per ipsum possit perfectè cognosci, nisi esset entitas absoluta, ad cuius cognitionem non requiritur aliud cognosci in ratione termini*, quia talis entitas absoluta potest distinctè cognosci, quocunque alio extrinseco non pertinente ad rationem formalem eius, & intrinsecam circumscripto. Sed non est sic de relatione, quæ necessariò includit terminum, non vt aliquid sibi intrinsecum, & pertinens ad suum *esse* quiditatiuum, sed requirit, quia ipsa relatio est formaliter tendentia in terminum.

p *Contrà*. Hîc probat quòd solum fundamentum sit sufficiens ratio cognoscendi relationem. 113.

q Respondet, quòd *non includit eam in entitate, vt totalis causa*, &c. Aduerte tamen quòd fundamentum est causa illius relationis fundamentalis, quia immediatè recipitur in ipso, & etiam causa, suo modo, immediatè effectiua; terminus verò etsi ponatur causa in ratione terminandi, cùm sit simpliciter impossibile ipsam esse actu, & non esse ad talem terminum, cùm ipsa sit formaliter tendentia in terminum, tamen quòd terminus sit causa effectiua ipsius totalis, siue partialis, videtur satis dubium per ea, quæ dixi suprà. *quæst.* 11. nec hoc expresè habetur à Scoto: sufficit ergo quòd relatio in sua entitate, & in cognoscibilitate dependeat à termino in ratione præcisè termini, cũ ipsum necessariò ad suũ *esse* requirat. Vnde si, per possibile, vel impossibile, posset immediatè causari ab alio, quàm ab extremis, adhuc necessariò requireret extrema ad suũ *esse* pertinẽtia, quia ex quo est formaliter ad aliud, si illud aliud nõ esset, nec ipsa esset. De huiusmodi materia prolixè dictum est suprà *q.* 11. in dubiis ibi positis. Ponitur ergo fundamentum, vt causa eius proxima, vt ipsam terminans in ratione fundamenti, & ponitur alia causa terminus, vt terminans necessariò eius dependentiam; quia ergo necessariò dependet à fundamento, in quo ponitur, quia est impossibile ipsam esse sine fundamento; & similiter necessariò dependet in suo *esse* à termino, ideò quantùm ad hoc ponitur fundamentum causa partialis, & terminus alia causa partialis, non faciendo mentionem de causa effectiua. Sed quia teneo quòd causetur effectiuè etiam ad mentem Doctoris & quòd tantum effectiuè à fundamento, hæc dicere volui.

r *Si tamen sufficiat ad continuandum istos actus reflexos*. Et hoc dicit, quia non posset hujusmodi actus continuare, nisi semper præsupponendo omnes alios præmissos simul esse, puta, si habeo centesimum actum reflexum, simul habeo nonaginta nouem præcedentes, & sic de aliis, & propter hoc dicit si sufficiat ad continuandum in infinitum huiusmodi actus reflexos.

SCHO

SCHOLIVM.

Respondet ad tres instantias suadentes ex notitia animæ, vel actus, cognosci Deum cognitione ipsi propriâ. Ad primam, ostendit benè rationem cognoscendi cognitam, non ducere in notitiam alterius propriam, nisi contineat totam cognoscibilitatem eius; & constat animam non sic continere cognoscibilitatem Dei. Vide 2. dist. 3. quæst. 9. Ad secundam, ex eodem patet, quia est ratio cognoscendi cognita. Ad tertium, sine resolutione, animam non posse reflecti super actum beatificum ex naturalibus. Nec est inconueniens admittere processum intentum in argumento, quia idem supernaturale, nempe voluntas Dei, sufficit ad actum rectum, & omnes reflexos. Admittendum tamen videtur, posse animam ex naturalibus, reflectere super actum beatificum, sicut potest actu recto videre actum beatificum alterius animæ. De quo 1. dist. 3. quæst. 8. & 9.

AD ista [a] aliquid esse medium cognoscendi, vel in cognoscendo potest intelligi dupliciter. Vno modo, quòd sit medium cognitum, sic quòd per ipsum cognitum cognoscatur aliud: sicut cognoscitur conclusio per principium. Alio modo, quòd non sit medium cognitum, sed ratio cognoscendi solùm: sicut species sensibilis in sensu est ratio sentiendi. Primo modo nihil potest esse medium cognoscendi obiectum aliud, nisi contineat in se cognoscibilitatem illius obiecti, secundùm quam illud cognoscitur per illud: quia si istud excedat illud in cognoscibilitate, tunc illud qualitercunque perfectè cognitum deficiet ab isto cognito in cognoscibilitate. 26.

Ratio cognoscendi cognita nō facit cognoscere distinctè aliud nisi cōtineat omnem eius cognoscibilitatem.

Secundo modo [b] benè potest aliquid esse medium cognoscendi aliud, licèt cognoscibilitas sua propria deficiat à cognoscibilitate illius, dum tamen sit natum ducere in illud, vt cognoscibile. Per hoc patet ad primum: quia licèt anima sit imago Dei tamen non est nata esse medium cognoscendi Deum, secundo modo, sed tantùm primo modo, vt haberi potest ex auctoritate Augustini priùs adducta. *Qui videt suam mentem*, &c. Medium autem cognoscendi, secundo modo respectu istius medij vt cogniti, est aliquod proprium formale repræsentatiuum ipsius animæ. Et per illud cognoscitur anima sub propria ratione tanquam perfectissimum repræsentabile per illud, & per consequens per illud non potest intelligi Deus sub ratione suæ intelligibilitatis, sed tantùm in aliquo diminuto intelligibili imitante, & participante intelligibilitatem eius.

Cognitio actus nō sufficit ad cognitionem obiecti.

Et per idem ad secundum: quia actus est similitudo cognita, & talis non sufficit ad cognoscendum illud, cuius est actus, sicut species intelligibilis in vno intellectu visa, alij intellectui videnti eam non sufficeret ad perfectè cognoscendum obiectum, cuius est.

Hic signatur quædā additio infrà ad finem huius li.

Contrà, actus in illo intellectu [c] cui inest, est ratio perfectè attingendi obiectum tanquam præsens per illum actum: igitur ei, cui ille actus est præsentialiter notus, ille per illum actum notum, poterit attingere illud obiectum: quia per illum actum; & in illo habet idem obiectum sibi præsens.

Specie (idē de actu) nō est ratio cognoscendi nisi ei, cui inest.

Respondeo, intellectus, cui actus inest, per illum, vt rationem proximam attingendi, attingit obiectum: supposita tamen præsentia obiecti propria; cui autem ille actus est cognitus, non habet illum, vt sibi propriam rationem attingendi, sed ad hoc, quòd haberet actum, quo formaliter attingeret, oportet habere alium actum, & cum hoc propriam præsentiam obiecti.

Arg. principale; quia soluitur faciliter ex dictis, ideò omisit; do ipsius solutionem his.

Ad aliud, cùm arguitur, quòd anima ex natura sua potest reflecti super actum beatificum, vt beatificus est: hoc posset negari; verum quidem est, quòd reflecti potest, sed non nisi virtute illius, virtute cuius habet actum rectum. Nec plus probat auctoritas Augustini: quia non dicit quòd possit semper ex sola natura, sed si habet actum rectum, potest reflecti super illum, vel ex virtute naturæ, vel ex virtute illius, per quod habet actum illum, & non sequitur inconueniens de processu in infinitum: quia idem supernaturale sufficit ad actum rectum, & ad omnes reflexos.

Ad illud etiam de sensu patet, quia quod percipio me videre, esto quòd hoc non sit per potentiam visiuam, tamen non est per potentiam aliquam inferiorem, sed fortè per aliquam superiorem, cuius est cognoscere actum visus.

COMMEN

COMMENTARIVS.

114\. a Respondet Doctor ad instantias, prætermittendo vnam distinctionem, scilicet quòd aliquid esse medium in cognoscendo potest intelligi dupliciter, &c. *Primo modo nihil est medium cognoscendi obiectum illud, nisi contineat in se cognoscibilitatem illius obiecti*, &c. Et hoc patet, quia si *A.* cognoscitur per *B.* vt cognitum, ita quòd *B* vt cognitum, sit ratio cognoscendi *A.* siue causandi notitiam perfectam, & distinctam *A*, sequitur quòd *B.* continebit *A*, secundùm totam eius cognoscibilitatem; patet, quia *B.* vt sic, est causa suæ cognitionis, & causat ipsam secundùm totá suam virtutem, & per consequens causat illam quantum est cognoscibile, vt suprà exposui. Si ergo vt sic cognitum, causat notitiam alterius quantum ipsum est cognoscibile, sequitur quòd continebit cognoscibilitatem illius, & per consequens entitatem. Sed non potest continere cognoscibilitatem obiecti perfectioris; patet, quia tunc, vt cognitum causaret notitiam perfectam illius quantum est cognoscibile; hoc autem est simpliciter impossibile, quia vt causat cognitionem sui, causat perfectam quátum potest; ergo ad causandum illam requiritur tota eius perfectio, & virtus. Si ergo ponatur causare perfectiorem, qualis est illa, quæ est perfectioris obiecti, non poterit causare per perfectionem, quam præcisè habet ad causandum cognitionem sui perfectam; ergo per maiorem perfectionem, & per tantam perfectionem, quanta requiritur ad causandum notitiam perfectam perfectioris obiecti; sed obiectum imperfectius non habet tantam perfectionem, quanta requiritur; ergo si posset causare, vt cognitum cognitionem perfectioris obiecti, necessariò contineret illud secundùm totam eius cognoscibilitatem, & per consequens secundùm totam eius entitatem, & sic patet ratio. Nota.

b Sed loquendo de medio secundo modo, quod scilicet est ratio cognoscendi, non vt cognitum, dicit, quòd *aliquid potest esse medium cognoscendi aliud, licèt cognoscibilitas sua propria deficiat à cognoscibilitate illius, dum tamen sit natum ducere in illud, vt cognoscibile*, & sic species intelligibilis hoc modo ponitur medium cognoscendi, quia potest esse ratio formalis cognoscendi obiectum cuius est talis species, vt suprà patuit. *Et per hoc patet responsio ad primum, quia licèt anima sit imago Dei, tamen non est nata esse medium cognoscendi Deum secundo modo*, quia si vt cognita, esset sic medium, necessariò contineret entitatem Dei perfectam. Sed si ponitur medium, tantùm ponitur medium primo modo, vt haberi potest ex autoritate Augustini suprà adducta, *Qui videt suam mentem*, &c.

115\. c *Contra actus in illo intellectu, cui inest est ratio perfecta attingendi obiectum tanquàm præsens per illum actum*, &c.

Respondeo intellectus, cui actus inest per illum, vt rationem proximam attingendi, &c. Nota, quòd aliud est esse rationem propriam intelligendi, siue causandi notitiam obiecti; & aliud est esse rationem propriam, & proximam attingendi obiectum; quia primo modo ponitur causa actus intelligendi; secundo modo ponitur præcisè ipse actus intelligendi, quia potentia habens illum formaliter attingit obiectum, & actu per illum percipit obiectum in se. Et ideò posito quòd nunc habeam actum, quo intelligo lapidé in se præsentem, si cognosco illum actum in me, non propter hoc cognosco obiectum, cuius est; patet quia ille actus secundus non terminatur ad obiectum in se, sed præcisè ad actum rectum, quo intelligo obiectum in se; & ideò sola visio actus non sufficit ad videndum obiectum illius actus, quia oportet videre obiectum per actum immediatè ad ipsum terminatum; licèt ergo actu recto immediatè terminato ad obiectum videam obiectum, quádo est præsens, non tamen sequitur quòd per illum actum, siue in me, siue in alio, videam obiectum, quia actus ille rectus, etsi sit similitudo obiecti cognita, non tamen est ratio causandi notitiam distinctam obiecti, cuius est.

In isto articulo sunt aliqua parua dubia. Primò in hoc, quòd nihil potest intelligi per aliquid, vt per medium cognitum, nisi tale medium contineat illud virtualiter, vel essentialiter secundùm totam eius cognoscibilitatem. Quæro primò, quid, intelligitur per medium cognitum, vt cognitum. Aut intelligitur de medio, cui inest cognitio propria, aut de cognitione, qua cognoscitur? Si primò, ergo non est ratio cognoscendi, vt cognitum, sed est ratio cognoscendi, vt præcisè entitas talis. Si secundò, contrà, quia talis notitia non est ratio causandi cognitionem alterius, quia tunc contineret illud secundùm totam cognoscibilitatem, quod nó videtur de cognitione, maximè quando per medium cognitum cognoscitur substantia aliqua. 116. *Primum dubium.*

Secundò instatur, quia cùm accipitur per medium cognitum, vt cognoscitur aliud, aut ly *vt* accipitur reduplicatiuè, & tunc sequitur quòd *esse* cognitum illius medij esset causa cognoscendi aliud, quod est falsum, quia vt sic, habet tantùm *esse* diminutum; aut accipitur specificatiuè, & tunc sensus est, quòd tali medio, vt sic cognito, nó repugnat quòd per ipsum aliud causetur, & tunc quæro vt priùs, quia aut causat, vt habet præcisè *esse* cognitum, aut absolutè, aut vt est aliquod totum per accidens, quocunque dato, sequitur inconueniens. *Secundum.*

Tertiò instatur, & accipio aliquod principium per quod, vt cognitum, cognoscitur conclusio, puta ista conclusio; *homo est risibilis*, per hoc principium cognitum *animal rationale est risibile.* Tunc quæro dicatur principium. *A* & conclusio *B.* notitia. *B.* à quo immediatè causatur, aut à notitia *A.* & hoc non, quia talis notitia contineret conclusionem secundùm entitatem suam totam; aut causatur ab *A* absolutè, & tunc *A* contineret totam entitatem *B.* & per consequens extrema ipsius *B.* & sic contineret entitatem hominis, qui ponitur vnum extremum, quod non videtur, quia contineret seipsum, aut causatur ab *A.* includente tam principium, quàm conclusionem, & hoc est tantùm vnum per accidens. *Tertium.*

Quartò sic, quia ponitur Deus sub ratione Deitatis esse primum subiectum Theologiæ in se, vt primò notum, vt patet *in prologo q.3.* & sic, vt *Quartum dubium.*

vt primò notus,continet omnem veritatem in illa ſcientia contentam, & ſic per ipſum, vt primò notum, poteſt cauſari notitia omnium veritatum contentarum in Theologia in ſe.Tũc ſic, ipſe, vt primò notus ponitur ſubiectum Theologiæ beatorum; ergo vt primo notus continet notitiam omnium veritatum Theologicarum reſpectu intellectus beati creati, & tunc mouebit neceſſariò talem intellectum ad notitiam non tantùm ſui, ſed & omnium contentorum; patet,quia non ponitur voluntas ſic ſubiectum, vt ſuprà patuit.

117. *Reſponſio.* Reſpondeo præmittendo vnum,quòd quando Doctor dicit, quòd per medium cognitum cognoſcitur aliud,ſic debet intelligi,quòd *A* ſi ponitur ratio formalis cauſandi notitiam *B.* quod nunquàm poterit cauſare notitiam *B.*niſi priùs ſecundùm totam virtutem ſuam cauſet in eodem intellectu notitiam ſui perfectã, quia obiectum motiuum per modum naturæ priùs neceſſariò mouet ad ſui notitiam perfectam, quàm ad notitiam alterius, quia non poteſt *A* cauſare notitiam *B.* in intellectu *C.* niſi *A* ſit perfectè præſens *C.* & vt ſic, priùs neceſſariò cauſat notitiam ſui perfectam quantum poteſt, vt etiam ſuprà expoſui, & non poteſt perfectiorem cauſare,quia ſecundùm totam eius virtutem, & perfectionem, quam habet, cauſat perfectiorem cauſare non poſſet, niſi haberet in ſe maiorem perfectionem,& per conſequens non poteſt cauſare notitiam *B* in *C*, ſi *B* eſt perfectius intelligibile,quàm *A*, niſi contineret totam intelligibilitatem, ſiue totam entitatem *B.* cùm ad perfectam notitiam *B.* requiratur tanta perfectio. Dicitur ergo medium,vt cognitum, cauſare notitiam alterius, &c. quia per cognitionem ipſius medij arguimus de cognitione alterius, vel perfectioris, vel imperfectioris, quia ſi *A* vt præſens *C.* cauſat neceſſariò cognitionem ſui perfectam vt quatuor,& perfectiorem cauſare non poteſt. Si cauſat cognitionem *B.* vt duo, perfectam, ſignum eſt, quòd *A.* continet perfectionem *B*, quæ requiritur ad cognitionem ipſius *B.* Si verò *B* ſit cognoſcibile vt ſex, quæ cognitio requirit in cauſa perfectionem fortè vt ſeptem, tunc talis cognitio non poterit cauſari ab *A.* quia tunc contineret entitatem *B* vt ſeptem, ſed tantùm habet perfectionem vt quatuor, quia non poteſt cauſare notitiam, niſi perfectã vt quatuor. Hoc modo debet intelligi per medium cognitum,nõ quòd cognitio eius ſit cauſa, nec quòd neceſſariò requiratur,ſed quia tale medium nõ poſſet cauſare, vt obiectum notitiam alterius obiecti, niſi priùs cauſaret ſui notitiam. Sed non eſt ſic de ſpecie intelligibili,quia ipſa cauſat notitiam obiecti,& tamen non cauſat priùs notitiam ſui. Si etiam dicatur quòd notitia obiecti,virtualiter continentis aliud,eſt ratio cauſandi notitiam illius,non requiritur tunc quòd talis notitia contineat virtualiter entitatem illius obiecti, ſed ſufficit quòd ſit notitia perfectà talis obiecti virtualiter continentis aliud obiectum,ſicut etiam dixi *in prolog.q.*3.reſpondendo ad rationes Gregorij: vide ibi,prima tamen reſponſio videtur melior,& magis ad propoſitum,ſcilicet,quòd obiectum ſit notum habitualiter, & tamen non cauſat notitiam alterius,niſi actu ſit priùs cognitum,non quòd cognitio ſit formalis ratio cauſandi,ſed ipſum obiectum, vt actu notum habitualiter, id eſt, vt præſens intellectui in ratione actu intelligibilis,vt expoſui *in prologo,vbi ſuprà.*

Species intelligibilis cauſat notitiam obiecti.

Hoc præmiſſo, patet reſponſio ad primum argumentum, & ſimiliter ad alia ſequentia. Cùm dicitur in tertio argumento,Dico ſecundum primum modum,quòd principium continet concluſionem, id eſt, quòd medium in tali principio, ſcilicet animal rationale continet concluſionem,id eſt, inhærentiam paſſionis ad ſubiectum;non enim intelligo,quòd contineat ſubiectum, ſed ſufficit quòd contineat prædicatum, & inhærentiam ipſius ad ſubiectum; & hoc modo eſt ratio cognoſcendi huiuſmodi inhærentiam,quam virtualiter continet. Nam cùm dico,quòd principium continet veritatem concluſionis, nihil aliud intelligo, niſi quòd continet conformitatem,ſiue inhærẽtiam prædicati ad ſubiectum,vt expoſui *in prolog. qu.*3. *art.*1.vide ibi ſingularem expoſitionem.

Principium continet concluſionem.

Ad quartum,patet reſponſio,quia non ponitur Deus, vt primò notus, eſſe ratio formalis continendi omnem veritatem, ita quòd notitia illa contineat, ſed dicitur continere, vt primò notus habitualiter, id eſt, vt perfectè præſens intellectui in ratione obiecti, actu intelligibilis; tamen in aliquo intellectu non poteſt immediatè cauſare notitiam alicuius contenti,niſi priùs cauſet notitiam ſui, in intellectu creato non cauſat notitiam ſui,& per conſequens nec alterius;ſed voluntas diuina poteſt ſupplere vicem talis obiecti,vt expoſui *in q.*3. 118.

Secundò principaliter dubitatur, quia Doctor videtur concedere quòd quando medium cognitum continet aliquid virtualiter, vel eſſentialiter, quòd poſſit cauſare notitiam illius perfectam. Contrà,primò,quia cauſa effectiua, ſiue æquiuoca,ſiue vniuoca continet virtualiter effectum,& tamen non omnis effectus cognoſcitur per cauſam tanquam per medium cognitum,patet de multis,nam per Solem cognitum, non cognoſcuntur omnes effectus Solis. Nec valet dicere quòd Sol non continet aliquem effectum ſecundùm totam eius entitatem, quia ad omnem effectum ſolis principaliter concurrit cauſa prima, imò plus dependet à cauſa prima,vt patet. Contrà. Tum,quia non ſequitur, Deus continet omnem effectum ſecundùm totem entitatem, ergo cognoſcendo Deum ſub ratione propria poterit cognoſcere omnem effectum perfectè,non ſequitur, vt ſuprà patuit. Tum etiam, quia Deus continet etiam paſſionem hominis, & tamen non cognito Deo,poteſt immediatè cognoſci paſſio per ſubiectum cognitum, & hoc eſt, quia virtualiter continet illam; ergo ſic erit de Sole.

Cauſa effectiua continet virtualiter effectum.

Secundò inſtatur, quia voluntas Diuina continet virtualiter omnem effectum,& tamen per ipſam,vt cognitam etiam perfectiſſimè non cognoſcitur omnis effectus, imò nec poteſt cognoſci, vt patet de Beatis perfectè cognoſcentibus ipſam voluntatem diuinam qui tamen poſſunt de nouo acquirere cognitionem multorum, vt patet à Doctore *in* 4. *diſt.* 45. *& in* 2. *diſt.* 3.*q.vltima.*

Tertiò inſtatur,quia homo continet eſſentialiter omnia ſuperiora,& tamen homo cognitus non eſt ratio cognoſcendi omnia ſuperiora perfectè; patet, quia ſuperiora ſunt ratio cognoſcendi hominem diſtinctè, vt patet à Doctore *in primo*

in 1. *diſt.* 3. *q.* 2. aliter ſequeretur circulus, quia tunc idem idem reſpectu eiuſdem puta *A*. reſpectu *B*. eſſet ratio cognoſcendi *B*. & è contra *B*. eſſet ratio cognoſcendi *A*. Similiter hoc idem videtur de homine reſpectu partium eſſentialiũ, quia homo continet eſſentialiter animã, & corpus, & tamen per hominem cognitũ non cognoſcitur diſtinctè anima, non enim humanitas cognita cauſat notitiam diſtinctã ipſius animæ.

119. Quartò inſtatur, quia paternitas in nobis continet eſſentialiter omnem conceptum ſuperiorem, & tamen ipſa cognita non eſt ratio cauſandi cognitionem ſuperiorum.

Nota. Reſpondeo. Ad primam concedendo de illo, quòd continet ſecundùm totam eius entitatem. Cùm inſtatur de Deo. Dico quòd ſic debet intelligi, quòd quando obiectum continet plura virtualiter ſecundùm totam entitatem, quando cauſat notitiam ſui per modum naturæ in aliquo intellectu, quòd etiam poteſt cauſare notitiam omnium virtualiter cõtentorum; imò amoto impedimento, neceſſariò cauſat, & ſic eſſentia diuina, quæ neceſſariò mouet intellectum diuinum ad ſui notitiam, etiam neceſſariò mouet ad notitiam omnium contentorum; intelligitur ergo quando obiectum ſub ratione propria immediatè cauſat notitiam ſui: ſed non quando illa notitia cauſatur ab alio ſicut cauſatur viſio à voluntate diuina. Cùm dicitur ſecundò de paſſione. Dico quòd ideò dicitur ſubiectum continere entitatem paſſionis, pro quanto continet ſecundum, quod ponitur cauſa neceſſaria, & immediata & præciſa ipſius. Et dico, ſi, per impoſſibile, Deus non eſſet, & homo eſſet, adhuc contineret homo ſuam paſſionem, & ideò per hominem cognitum poſſet cognoſci paſſio, ſed non eſt ſic de Sole, quia ſi Deus, per impoſſibile, non eſſet, & Sol eſſet, Sol, non poſſet producere aliquem effectum, cùm talis effectus neceſſariò dependeret à prima cauſa, tenendo ordinem eſſentialem ſic, ſcil. quòd ſit impoſſibile ſecundam cauſam aliquid cauſare non concurrente prima cauſa.

120. Ad ſecundam. Dico quod ſi voluntas diuina neceſſariò moueret intellectum creatum per modum obiecti ad ſuam notitiam, quòd etiam moueret ad notitiam omnium contentorum. Sed quia tantùm mouet contingenter ad ſui notitiam, non ſequitur, quòd cognoſcens voluntatem diuinam cognoſcat omnia contenta.

Ad tertiam. Dico quòd ſi homo poſſet immediatè cauſare notitiam ſui diſtinctam poſſet etiam cauſare notitiam diſtinctam omnium ſuperiorum; ſed talis notitia diſtincta non poteſt haberi ſine notitia ſuperiorum. Dico ergo quòd homine cognito per ſpeciem intelligibilẽ poſſunt omnia ſuperiora cognoſci, vel per eandem ſpeciem, vel per aliam, & aliam ſicut expoſui *ſuprà q.* 13. quæ tamen dependent à primo obiecto eo modo, quo expoſui.

Ad quartam. Dico quòd concluſio Doctoris intelligitur de illo medio cognito, quod eſt motiuum alicuius intellectus ad ſui notitiam; quia tũc poteſt mouere ad notitiã contentorum; ſed relatio nullo modo eſt motiua ad ſui notitiam.

Tertiò principaliter dubitatur de hoc, quòd dicit quòd ſi fundamentum includeret terminum ſecundùm ſuam cognoſcibilitatem, quòd tunc includeret relationem ſecundùm ſuam cognoſcibilitatem, quia pono quòd *A*. includat *B*. ſecundùm cognoſcibilitatem *B*. & tunc ſequitur, quòd poſſit cauſare relationis notitiam ſine *B*. hoc autem eſt falſum, quia ipſa relatio eſt formaliter habitudo ad *B*. ergo non poteſt perfectè cognoſci ſine *B*.

Secundò inſtatur, quia idem videtur quòd ſi terminus includeret fundamentum ſecundum totam cognoſcibilitatem fundamenti, quòd tunc cognito termino poſſet ſtatim cognoſci fundamentum, quod non videtur. 121.

Tertiò, quia Deus ſub ratione Deitatis ponitur terminus relationis creaturæ, vt menſurabilis eſſentialiter ad ipſum, vt ad menſuram; ergo cognito Deo, vt termino talis relationis neceſſariò cognoſceretur ipſa relatio. Nec valet dicere quòd talis notitia cauſaretur à voluntate, quia ipſa non ponitur terminus talis relationis, nec vt terminus continet ipſam relationem, quia terminatur ad ipſam.

Reſpondeo, præmittendo vnum, quòd quando dicit Doctor quòd ſi fundamentũ contineret terminum, intelligitur ſic, quòd fundamentum, vt præſens intellectui in ratione obiecti actu intelligibilis, neceſſariò cauſaret notitiam ſui perfectã, & immediatè pòſt cauſaret notitiã termini contenti, & pòſt notitiam relationis, & ſic relatio illa non poſſet actu cognoſci non præcognitis extremis. Et ſic patet ratio ad primam, cùm dicitur quòd tunc poſſet cognoſci relatio ſine termino; ſi intelligitur ſine termino cauſante, vel concauſante notitiam relationis, conceditur, quia ipſa tantùm eſſet cauſata à fundamento. Si verò intelligatur ſine termino, vt præcognito, tunc negatur, quia requiritur ſaltem terminus, vt præcognitus. *An relatio poſsit cognoſci ſine termino.*

Per hoc patet reſponſio ad ſecundum. Concedo enim quòd ſi terminus contineret virtualiter fundamentum relationis, quòd primò cauſaret notitiam ſui; ſecundò notitiam fundamenti; & tertiò notitiam relationis, & quòd poſſet cauſaret notitiam relationis ſine fundamento, vt concauſante, ſed non ſine fundamento, vt ſaltem præcognito, & ſic patet.

Ad tertium dico, quòd etſi Deus ſub ratione Deitatis ponatur terminus relationis dependentiæ menſurabilis, &c. Non tamen ſequitur quòd cauſet notitiam ſui. Nec requiritur ad hoc quòd cognoſcatur talis relatio, quod notitia ſit cauſata à Deo ſub ratione Deitatis, ſed ſufficit quòd voluntas diuina in aliquo intellectu cauſet notitiam termini ſub ratione propria, & notitiam fundamenti ſub ratione propria, & notitiam relationis talis, & tunc benè verum eſt quòd relatio illa non poteſt diſtinctè cognoſci extremis non præcognitis, licèt non cauſantibus huiuſmodi cognitionem, nec aliud requiritur, vt patet conſideranti, & ſic patet reſponſio ad iſtas inſtantias.

Quartò principaliter dubitatur de hoc, quòd ſpecies intelligibilis eſt medium cognoſcendi obiectum, licèt cognoſcibilitas ſua propria deficiat à cognoſcibilitate obiecti, dum tamen ſit natum ducere in illud, vt cognoſcibile. Inſtatur primò, quia ſi ſpecies eſt ratio cognoſcendi obiectum, ergo eſt cauſa cognitionis illius; ergo continet entitatem obiecti, ſiue eius cognoſcibilitatẽ, quæcunque ſit illa. Sed eſt impoſſibile quòd imperfectius ſimpliciter contineat perfectius, imò eſt impoſſibile quòd cauſatũ immediatè ab aliquo cõtineat illud; ſed lapis immediatè cauſat 122.

causat speciem suam in intellectu Angeli, si ponitur præsens, imò essentia Angeli immediatè causat speciem sui in intellectu suo, vt patet à Doctore *in secundo, dist. 3. quæst.* 11. & sic species Angeli contineret ipsum Angelum.

Secundò instatur sic; si causat notitiam obiecti, aut causat notitiam abstractiuam perfectam secundùm, quòd obiectum est intelligibile abstractiuè perfectè, ergo non continet ipsum obiectum deficiendo à cognoscibilitate eius, quia causat notitiam, ita perfectam quantum obiectum natum est intelligi; aut non causat perfectam notitiam; ergo per speciem aliquam non haberetur distincta, & perfecta notitia obiecti. Si dicatur quòd causat distinctam, & perfectam abstractiuam, sed non intuitiuam. Contrà. Tum, quia species sensibilis in sensu exteriori causat intuitiuam, & perfectam, & tunc, vt priùs arguatur, quia si causat visionem perfectam quantum ipsum obiectum est visibile; ergo sequitur quòd continet obiectum visibile secundùm totam suam visibilitatem, & sic non deficit à visibili secundùm eius visibilitatem. Si imperfectam causat, ergo sequitur quòd nunquam poterit haberi visio perfecta alicuius visibilis, cùm visio tantum causetur à potentia, & à specie in organo. Tum etiam, quia loquendo de abstractiua, si per speciem cognoscitur obiectum abstractiuè, quantum, vt sic, est cognoscibile, sequitur quòd saltem, vt sic, contineat totam eius cognoscibilitatem, & tamen species ipsa est simpliciter imperfectior ipso obiecto, cùm sit imitatiua ipsius.

123. Tertiò instatur, quia sic conceditur quòd species est ratio sic cognoscendi, & per consequens, vt sic, continet cognoscibilitatem obiecti, quare etiam non conceditur quòd per ipsum contineat, vt cognita; videtur enim quòd ex quo ipsa est præsens ipsi intellectui, & perfectè præsens, cùm ipsum actu informet, quòd etiam priùs causet cognitionem sui, quàm obiecti, & sic poterit eodem modo dici medium, vt cognitum, sicut etiam conceditur de aliis mediis, vt cognitis, vel saltem oportet assignare differentiam istorum.

Respondeo, præmittendo aliqua. Primum illud, quod proprie est ratio cognoscendi aliud tanquam per medium cognitum, sic virtualiter continet illud quòd nullo modo continetur ab illo, imò omnino sibi repugnat sic posse contineri, quia sic causans, vt obiectum cognitum modo præexposito est essentialiter perfectius contento, quod per ipsum cognoscitur tanquàm per medium cognitum, & hoc satis patet ex superiùs declaratis. Et ideò tale medium nunquàm potest causare notitiam contenti, nisi priùs causet notitiam sui perfectam quantum potest, vt suprà patuit. Secundum est, quòd medium propriè non, vt cognitum, sed quod est ratio cognoscendi primò obiectum, cuius ponitur tale medium, sicut species intelligibilis, semper vel dependet in *esse* ab obiecto primo, vel saltem natum est dependere: quando enim species lapidis causatur immediatè ab ipso lapide in intellectu Angeli, talis species dependet actu à lapide; si verò talis species causaretur à Deo immediatè adhuc eo modo repræsentaret lapidem, sicut si esset immediatè causata à lapide, vt patet à Doctore in primo, & secundo, & sic nata est contineri ab *ipso*. Dico ergo quòd tale medium non dicitur continere obiectum in se, nec secundùm eius entitatem, nec secundùm cognoscibilitatem, cùm vel dependeat ab obiecto, vel sit natum dependere si ab alio causetur; habet enim ab obiecto, quòd sit ratio sic causandi, quia obiectum causando id secundùm suam entitatem, causat etiam illud secundùm conditiones consequentes ipsum. Dicitur ergo diminutè continere cognoscibilitatem obiecti ex hoc solo, quòd immediatè est ratio causandi notitiam obiecti abstractiuam, & in hoc, quia supplet vicem obiecti, & per consequens non sequitur quòd contineat obiectum secundùm cognoscibilitatem, imò ipsum obiectum continet suã cognoscibilitatem abstractiuam etiam perfectam quantum ipsum est sic cognoscibile, licèt causet eam mediante suo effectu dando sibi naturam talem, quòd causet non cognitus notitiam abstractiuam obiecti, & etiã notitiam abstractiuam contentorũ in tali obiecto, vt suprà dixi. Non est ergo simile de medio, vt cognito, & de isto medio. Multa alia dubia essẽt circa multa alia dicta in isto articulo, quę tamẽ causa breuitatis pro nũc trãseo. *Nota.*

QVÆSTIO XV.

Vtrùm respectu illius verbi creaturæ, intellectus poßibilis sit actiuus, vel paßiuus.

Scot. 1. *dist.* 3. *q.* 6. *&* 7. *&* 4. *d.* 10. *q.* 3. *&* 9. *Met. q.* 10. D. Tho. 1. *p. q.* 56. *ar.* 1. *& q.* 85. *ar.* 1. Gofred. *quo.* 6. *q.* 7. Hen *quo.* 4. *q.* 11. *& quol.* 5. *q.* 14. Capt. 1. *d.* 35. *q.* 1. *ar.* 1. Occã. 1. *d.* 2. *q.* 2. Con. 2. *de anima, c.* 6. *q.* 2. *a.* 3.



CONSEQVENTER quæritur de modo, quo intellectus exit in actum, siue de causa intellectionis. Et est quæstio: Posito quòd Beatus in patria habeat verbum de creatura visa in essentia diuina: Vtrùm respectu illius verbi creaturæ, intellectus possibilis habeat se purè passiuè. 1.

Arguitur quòd sic: quia intellectus possibilis recipit illam intellectionem: sed idem respectu eiusdem non rationem receptiui & actiui, quod enim recipit est in potentia; quod autem agit, est in actu Idem autem non potest esse simul in potentia & in actu: cùm istæ sint primæ differentiæ entis: igitur intellectus possibilis nullo modo actiuè se habet respectu verbi, & per consequens purè passiuè.

Contrà:

Contrà: si verbum ibi formatur, quæro à quo formatur? Non potest dici, quòd formetur ab obiecto: quia intellectio est actio immanens secundùm Philosophum 9. *Metaphysicæ*; si autem esset actio obiecti in intellectum, illa esset actio transiens. Nec potest dici formari ab intellectu agente: quia intellectus agens facit de potentia intelligibili, actu intelligibile, secundùm Philosophum, 3. *de Anima*: igitur tota actio eius completa est ante intellectionem actualem: & per consequens ante verbum. Nec potest dici, quòd memoria formet actiuè verbum: quia verbum formatur per actum intelligendi: memoria non intelligit; sed omne *intelligere* est ipsius intelligentiæ 15. *de Trin.* igitur relinquitur tandem, quòd nihil in anima actiuè formet verbum, nisi intellectus possibilis. *Ratio opp.* Tex. 16. T ex 8. Cap. 7. Idem 14. Trin. c. 7.

Hîc non quæritur, si de obiecto beatifico possit haberi verbum, nec de obiecto secundario viso in illo obiecto primo; nec si aliud sit verbum obiecti primi, & secundi; sed supponitur de obiecto secundario haberi verbum, & quæritur qualiter intellectus possibilis se habeat in eius formatione. Incipiendo igitur à manifestioribus, primò inquiretur de formatione verbi secundùm modum intelligendi, quem nunc experimur, & secundò explicabitur ad intellectionem in patria.

SCHOLIVM.

Prima conclusio: in parte intellectiua est aliquod principium actiuum intellectionis. Probabatur primo ex Philos. neque intelligi potest, quòd sit in voluntate, maximè quoad primam intellectionem: de quo 2. dist. 42. quæst. 4 neque in parte sensitiua, quia effectus æquiuocus, nempe intellectio, non esset sua causa imperfectior. De quo 4. dist. 12. quæst. 3. num. 14. Secundò, Angelus potest quodcunque intelligibile limitatum intelligere, & non potest omnia simul; quia neque vno actu, neque multis; ergo habet in se principium elicitiuum illius intellectionis: éstque in potentia accidentali ad eam, De quo 2. dist. 3. quæst. 8. num. 8. & quæst. 10. per totum. Reÿcit opinionem Gofredi dicentis tantùm esse creditum Angelum habere nouam intellectionem; quia quod potest anima adjuuante sensu, non est denegandum Angelo, naturæ perfectioris, neque potest dici, quòd habet intellectionem à generante, quia non est accidens proprium. De quo 2. dist. 3. quæst. 11. Tertiò, probat conclus. ex variis locis Augustini, ponentis in imagine rationem parentis & prolis; de quo latè, 1. dist. 1. quæst. 1. num. 4. & 1. dist. 3. quæst. 9. & 2. dist. 16. num. 20. quibus locis agit Doctor de imagine.

2. DE primo supposito, quòd intellectio perfecta, puta definitiua de obiecto definibili, siue sit verbum illius, siue non, saltem non est sine verbo ipsius; & per consequens si quid actiuè se habeat ad intellectionem illam perfectam, ipsum quodammodò actiuè se habebit in formatione verbi. De causa igitur intellectionis in nobis pro statu isto tria sunt videnda.

Primò, quòd in parte intellectiua est aliquod principiũ actiuũ respectu intellectionis. Secundò, vtrùm illud actiuum sit aliquid animæ intellectiuæ, vel tãtummodò sit obiectum, vel repræsentatiuum obiecti, quod dicatur esse in anima, pro tanto quòd sit in ipsa sicut accidens eius, vel repræsentatiuum, non autem sicut aliquid naturæ eius. *In parte intellectiua est aliquod actiuum respectu intellectionis.*

Tertiò, dato quòd sit aliquid animæ, inquiretur, si est intellectus agens, vel possibilis. Prima conclusio probatur sic: a Intellectio aliqua in nobis est noua, vt experitur quilibet, & est forma absoluta, vt dictum est in quæstione de hoc habita: omnis autem forma absoluta, cùm sit terminus actionis, habet aliquod principiũ actiuũ; per quod accipit *esse*: igitur respectu intellectionis nostræ nouæ est aliquod actiuum principium: illud est intrinsecum supposito intelligenti: vt patet per Philosophum secundo de Anima, *com. 6. Differt autem*, supple in intellectu, & sensu: *quoniam hæc quidem actiua operationis extra sunt, vt visibile*, & cæt. Et sequitur: *Causa autem quoniam singularium secundùm actum est sensus: scientia autem vniuersalium, hæc autem in ipsa quodammodò sunt animæ. Vnde intelligere in ipsa quidem est cùm velit: sentire autem non est in ipsa, necessarium autem est esse sensibile*: Hæc ille. Habetur igitur hæc conclusio tanquam certa, quòd alicuius intellectionis nouæ principium actiuum sufficiens est intrinsecum supposito intelligenti. 3. de Anima cap. 38. Tex. c. 59. Tex. c. 60. *Est aliquid actiuum in intellectu, quod non est in sensu.*

Tunc arguitur vltrà per diuisionem: vel illud principiũ pertinebit ad voluntatẽ, vel ad partẽ sensitiuã, vel ad partem intellectiuam, vt distinguitur contra voluntatem, & sensum; non potest dari primum, saltem in prima intellectione: quia ipsa pręcedit omnem vid. in 2 d. 42.

nem actum voluntatis:nec est dare secundum, scilic. quòd illud principium sit præcisè in parte sensitiua:relinquitur igitur quòd sit in parte intellectiua.

Quære in 3. d.1.q 6. Cap.29.

Secundum, [b] scilicet quòd non sit in parte sensitiua, probatur tripliciter. Primò sic: effectus æquiuocus semper est minùs nobilis totali causa sua æquiuoca, vt habetur 12. *super Gen.* sed intellectio est simpliciter perfectior phantasmate, & quacunque tali perfectione,quæ est in parte sensitiua: quia intellectio est propriè perfectio naturæ intellectualis, vt intellectualis est, quæ inquantùm talis, nobilior est tota anima sensitiua,& ita perfectior perfectione. 3.

Angelus nequit omnia simul intelligere, & quare?

Secundò probatur [c] sic:Angelus non semper habet omnem intellectionem,quam potest habere:quia cùm possit intelligere quodcunque intelligibile, vel haberet vnicam,quæ esset simul omniũ intelligibiliũ,vel haberet tot distinctas, quot correspon- derent omnibus intelligibilibus,quorum vtrunque videtur esse impossibile:quia primum poneret nimiam perfectionem illius intellectionis: imò videtur,quòd infinitã: quia nec intellectio diuina excederet eam quantum ad multitudinem obiectorum. Secundum videtur ponere nimiam perfectionem intellectus, quia ita distinctè cognosceret omnia per distinctos actus simul: sicut vnum obiectum per vnum actum. Sequitur igitur, quod cum possit quodcunque intelligibile intelligere, quòd possit habere aliquam intellectionem nouam: igitur videtur sibi attribuendum quicquid perfectionis est in intellectu potente habere aliquam nouam intellectionem; sed in tali perfectionis est habere notitiam habitualem perfectam, per quam intellectus sit in potentia accidentali tantùm ad intelligendum,secundùm Philosophũ 3.*de Anima*, qui loquens de intellectu possibili dicit:*Cùm autem sic singulæ sint nesciens dicitur.qui secundùm actum:hoc autem confestim accidit cùm possit operari per seipsum.Est quidem igitur,& tunc potentia quodammodo,non tamen similiter,& ante addiscere.*Vult dicere,quòd quando habet habitum,per quem potest ex se operari,licèt tunc sit in potentia aliqua,nõ tamen essentiali, quæ est ad formam, siue ad principium operandi, sed tantummodò accidentali ad operationem, & hæc est dispositio perfectior eius, quod de potentia operandi exit in actum operandi.

al. angelus vel habẽs Tex. 8.

Gofr.quo. 6 q.7.

Hic dicitur [d] quòd Angelum posse habere nouam intellectionem est merè creditum:quia Philosophi præcipui hoc non viderunt. 4.

Prætereà.Hic etiam diceretur, quòd Angelus ad quamlibet intellectionem,quam habet,moueretur immediatè à Deo.

3. de Anima. & 12. Metaphysicæ.

Contra hoc, licèt fortè Philosophus, qui posuit intellectionem Angeli idem cum substantia Angeli,diceret consequenter intellectionẽ esse ab eo,à quo est substantia; & licèt catholicus dicens intellectionem illam,qua Angelus intelligit se,esse coęuam Angelo,& quasi propriam perfectionem, necessariò consequentẽ naturã eius,posset aliquomodo probabiliter dicere illã immediatè à Deo,iuxta illam propositionẽ probabilem: *accidens proprium coæuum substantiæ, cuius est, est à generante illam substantiam:* tamen de accidente per accidens, quod contingenter inest, non videtur probabile dicere,quòd illud sit à generante.

Angelus sibi relictus posset intelligere.

Et confirmatur: quia licèt Deus possit immediatè causare quamcumque intellectionem in Angelo:tamẽ si aliquam non causet,vtpote huius obiecti,sed derelinquat Angelum sibi;& ordini causarum naturaliter actiuarum;non videtur probabile,quòd Angelus nõ possit attingere ad intellectionẽ huius obiecti,cùm anima sic sibi & causis naturalibus relicta ad eius intellectionẽ possit attingere naturaliter,licèt mediãte sensu.Nõ enim videtur,quòd anima possit attingere ad intellectionẽ alicuius obiecti, etiã mediãte sẽsu: quin ad intelligẽdũ idẽ obiectũ possit Angelus attingere sine sẽsu.

Istud autem, quod dicitur ex Philosopho,videtur facere ad propositum nostrum: quia si Philosophus vidisset aliquã intellectionem nouam posse cõpetere Angelo;dixisset ipsũ aliquãdo esse in potẽtia accidẽtali ad intellectionẽ:quia hæc est dispositio perfectior eius,quod aliquãdo est in potẽtia ad intelligendũ:igitur ille,qui tenet,siue per rationẽ,siue per fidẽ aliquã esse intellectionẽ nouã in Angelo,consequẽter dicat Angelũ quandoque ad illã esse in potentia accidẽtali,sicut Philosophus consequẽter diceret ad illud,quod ipse tenet,magis autem concordat cum Philosopho,qui tenẽs aliquod antecedens, concedit consequens, quòd Philosophus etiam concederet, si illud antecedens teneret; quàm ille, qui tenendo illud antecedens negat illud consequens,quia Aristoteles illud non negaret,concedendo illud antecedens. 5

Tertiò,propositum probatur per auctoritates, 15.de Trin.7.vel 14. dicit Augustinus. *Quod excedit in anima mens vocatur*, & pòst: *Homo non secundùm omnia, quæ ad*

quæ ad naturam eius pertinent, sed secundùm solam mentem imago dicitur. Et lib. 14. cap. 8. *Imago ibi inuenienda in nobis est, quo etiam natura nostra nihil habet melius.*

6. Ex istis auctoritatibus, & aliis similibus habetur, quòd tota imago est in parte intellectiua, accipiendo intellectiuam pro ea, quæ transcendit sensitiuam: Sed imago includit parentem & prolem, vt patet 9. *de Trin. cap. vlt.* & alibi multoties: igitur in parte intellectiua est parens gignens illam notitiam, quæ est proles, & per consequens principium actiuum respectu intellectionis. Qui igitur poneret phantasma, vel aliquam formam talem in parte sensitiua esse rationem immediatè gignendi notitiam actualem, non saluaret, vt videtur, rationem parentis in mente propriè accepta. *In imagine est parens & proles.*

Prætereà, Augustinus 15. de Trin. cap. 23. *Memoria hominis, & maximè illa, quam pecora non habent, in qua res intelligibiles ita continentur, vt non in eam per corporis sensus venerint, habet in hac imaginem Trinitatis; imparem quidem, sed tamen qualemcunque similitudinem patris.* Hoc exponit cap. 13 in fin. sic: *Hoc verbum nostrum de scientia nostra nascitur, quemadmodum & illud de scientia patris natum est*, &c. 21. vel 63. *Memoria*, inquit, *tribuens omne, quod scimus.*

Ex istis habetur, quòd illa memoria, quam pecora non habent, hoc est propriè intellectiua, pro tanto habet similitudinem patris, quia de ipsa, vel de scientia, quæ est in ea, nascitur verbum nostrum sicut Verbum æternum nascitur de scientia patris. Satis expressè videtur in istis auctoritatibus velle, quòd in parte intellectiua propriè accepta sit principium actiuum respectu intellectionis. *In memoria secundum August. est ratio effectiua, & loquitur de intellectiua.*

COMMENTARIVS.

1. a  *Rima conclusio probatur*, scilicet, quòd respectu intellectionis in nobis sit aliquod actiuum. Et arguitur sic: *intellectio aliqua in nobis est noua, vt experitur quilibet*, quia nunc comperior me intelligere aliquid, quod priùs non intelligebam; ergo intellectio noua, & illa est forma absoluta, vt probatum est suprà, quæst. 13. art. 1. Hîc duo nota. Primum de intellectione noua, quia accipitur hîc intellectio noua, quæ de nouo nullo alio præsupposito habet *esse*, ita quòd non dicitur præcisè noua propter nouitatem alterius; sicut relatio intrinsecus aduenieus dicitur præcisè noua propter nouitatem alicuius absoluti, ad quod necessariò sequitur, vt patuit suprà *quæst. 10. & 13.* Modò intellectio dicitur noua, quia stante obiecto, & intellectu nullo alio posito, potest immediatè causari; loquitur ergo de nouitate immediata, ita quòd non præcisè dicatur noua propter nouitatem alterius ad quod necessariò sequatur. Secundò nota de principio intrinseco, siue de principio præcisè existente in ipsa anima respectu intellectionis in nobis, quia hîc loquitur tantùm de intellectione abstractiua, quia de intuitiua non est præsens quæstio, quia nunc experimur abstractiuam, sed non intuitiuam, vel saltem est dubium de intuitiua pro statu isto, & de ista Philosophus, vel parum, vel nihil loquutus est; sed fortè in omnibus locis, in quibus locutus est de intellectione nostra, loquitur de abstractiua: respectu ergo istius ponitur principium intrinsecum actiuum, videlicet species intelligibilis, quæ est subiectiuè in intellectu possibili. Si teneatur tamen quòd notitia talis causetur ab obiecto, saltem partialiter, tunc ille erit principium intrinsecum. Sed in proposito loquitur de principio intrinseco absolutè, siue ex parte animæ, siue ex parte obiecti, sed pòst determinabit de vnoquoque. Et quòd respectu intellectionis in nobis sit principium intrinsecum actiuum, patet per Philosophum secundo de Anima. tex. 60. *Differt autem.*

Nota tamen pro intelligentia huius auctoritatis, quia non ponitur obiectum extrà, puta visibile, esse actiuum immediatum respectu visionis, imò est ipse sensus, & species visibilis obiecti existens in organo visus, tamen sensibili actu extrà non existente, & approximato potentiæ, nunquam esset visio illius, quia visio perfecta necessariò terminatur ad obiectum extrà actu existens, & in propria existentia præsens, & ideò quamuis sensus visus habeat in se speciem visibilis, nunquam posset causare visionem, visibili non præsente in propria existentia, & hoc modo dicitur, quòd sensus non habet in se vnde possit sentire, quia dependet à sensibili extrà, quod tamen sensibile dicitur causa remota sensationis, quia causat speciem sensibilem in organo sensus, & vltrà requiritur præsentia sensibilis, vt possit haberi de ipso sensatio. Sed quia anima cognoscit obiectum abstractiuè; & talis cognitio non requirit existentiam obiecti, cùm non terminetur ad ipsum inquantum existens, vt suprà patuit, *quæst. 13.* sed sufficit species intelligibilis existens in anima, & ideò anima intelligit cùm vult, quia etiã obiecto annihilato habet in se omnia requisita ad intellectionem abstractiuam, de qua est sermo nunc. Secus esset de intuitiua, quam non posset habere sine præsentia obiecti in propria existentia, vt suprà patuit *quæst. 13.* Sic igitur hæc conclusio tanquam certa, scilicet, quòd alicuius intellectionis nouæ principium actiuum sufficiens est supposito intelligenti intrinsecum. 2. *Nota.*

b *Secundum, scilicet, quòd non sit in parte sensitiua probatur*, &c. de quo vide Doctorem *in 4. dist. 12.*

Hîc tamen aduerte, quòd hæc ratio, non ità simpliciter concludit, nisi rectè intelligatur; nam

nam intellectio actualis est etiam nobilior specie intelligibili, & tamen æquiuocè causatur ab illa, & similiter visio albedinis est nobilior ipsa,& tamen æquiuocè causatur ab ipsa,saltem vt à causa remota; similiter species intelligibilis est perfectior phantasmate, & tamen æquiuocè causatur ab illo,vt patet *quæstione præsenti*, & in primo, *dist.3.q.*8. Dico ergo, quòd ratio benè concludit de causa totali æquiuoca, sicut etiam ipse dicit *in* 4. *dist.*12. & non semper de partiali,si ergo poneretur phantasma,vel aliquid existens in parte sensitiua totalis causa intellectionis ratio concluderet,& sic ratio debet intelligi.

c *Secundò probatur idem sic Angelus non semper habet omnem intellectionem*,&c.

In ista litera nota aliqua. Primum est de notitia habituali, aliquando accipitur habitualis, pro habitu acquisito ex frequentatis actibus de quo non est hîc sermo. Aliquando accipitur nô habitualis, propter quandam similitudinem ad huiusmodi habitu primo modo dictum, quia sicut habens habitum acquisitum promptè, & statim potest exire in actum,sic habés notitiam isto secundo modo. Est ergo notitia hoc secundo modo principium perfectum productiuum notitiæ actualis, & est memoria fœcunda, quæ includit præsentiam obiecti, vel in se, quando est respectu notitiæ actualis intuitiua, vel in alio repræsentatiuo, vt in specie intelligibili respectu notitiæ actualis abstractiua. Et de hujusmodi notitia habituali loquitur sæpè Doctor *in primo,dist.*2. *parte* 2.*dist.*6.& *dist.*27.& *dist.*3. *q.*7. ita in præsenti loquitur præcisè de habituali in Angelo, & hoc tamen respectu notitiæ abstractiuæ,quia habet in se species quiditatum intelligibilium,de quo vide Doctorem *in* 2. *distinct.*3.*q.*10. *& dist.*9.

Secundò nota de potentia essentiali, & potentia accidentali,siue potentia remota ad agendum,siue propinqua. Potentia essentialis est remota, accidentalis propinqua. Et de hoc vide exposita *in* 1. *dist.*6.& *dist.*7.& *in secundo,dist.*3. nec oportet hîc multû immorari. Et quomodo Angelus possit acquirere cognitionem actualem nouam de obiecto priùs habitualiter noto,vide Doctorem *in secundo,dist.*3.*q.*10.& quæ ibi exposui.

4. d *Hîc dicitur.* Hîc recitat vnam opinionem, quæ dicit quòd Angelum posse habere nouam intellectionem,est merè creditum.

Nota aliqua in ista littera. Primò de intellectione coæua Angelo, qua seipsum intelligit, quòd non concomitatur necessariò naturâ eius, ita quòd posita natura Angeli necessariò sequatur talis intellectio, quia illa causatur in ipso Angelo per essentiam ipsius Angeli, vt patet,à à Doctore *in secundo,dist.*2.*q.*8. & vide quæ ibi exposui, & licèt sit de facto illa intellectio in eodem instanti, quo ponitur Angelus esse, non tamen ponitur necessariò, quia posset esse natura Angeli sine tali intellectione, non tantùm per potentiam diuinam, sed etiam per potentiam naturalem, quia voluntas Angeli posset intellectum Angeli auertere à consideratione suæ essentiæ, & conuertere ad aliud obiectum, & quomodo possit hoc voluntas, vide quæ dicit Doctor *in secundo,dist.*44.& quæ ibi notaui.

Nota. Et posito etiam quòd illa sit in eodem instanti primo,in quo Angelus accipit *esse*, adhuc esset causata ab ipso, quia non est impossibile naturam tantùm per instans durantem posse immediatè, & in eodem instanti causare actum aliquem, & potest ex natura sua elicere, de quo vide Doctorem *in* 2.*distinct.*5.*quæst.*2.quæ quæstio est de Reportatis Parisiis. Si tamen talis intellectio necessariò concomitaretur naturam Angeli,sicut passio subiectum,tunc posset concedi quòd esset à causante naturam Angeli. Et quòd dicit de accidente proprio coæuo substantiæ cuius est, & necessariò concomitante, hoc non debet intelligi,vt aliqui intelligunt de aliqua qualitate accidentali absoluta, nec propriè de aliquo accidente absoluto,quia nullum tale necessariò concomitatur substantiam, cùm omne tale sit verè separabile à substantia,vt patet à Doctore *in* 4.*dist.*11.

Et si dicatur, quòd ignis determinat sibi aliquem gradum caloris, quo non posito non est substantia ignis.Dico duo,primum,quòd calor in igne sic determinato, causatur à substantia de hoc vide Doctorem *in* 4.*dist.*11.& 12.*vel* 13. posito tamen casu quòd esset tale accidens necessariò consequens naturam substantiæ, cuius est, & hoc ex natura præcisè ipsius substantiæ, potest concedi quòd tale accidens sit causatum à causante substantiam; si tamen non ponatur immediatè generari à substantia illius accidentis. 5.

A quo causetur calor in igne.

Secundò nota ibi, esse in potentia accidentali ad intellectionem, est dispositio perfectior eius, quod est in potentia ad intelligendum, non intelligitur,quòd esse sic in potentia accidentali sit perfectius, quàm non esse,quia melius est esse in actu intelligens, quàm in potentia,quia & Deus actu omnia intelligit, & non est aliquo modo in potentia ad aliquam intellectionem producendam; intelligit ergo sic, quòd loquendo de intellectu,qui est in potentia ad intelligendum, quòd tunc est in perfectiori dispositione ad intelligendum quando est in potentia accidentali, siue propinqua,siue dispositissima,quàm quando est tantùm in potentia remota, quia primo modo statim potest exire in actum, cùm, vt sic, habeat actu omnia requisita ad producendum actum, sed secundo modo non potest statim exire ad actum, cùm,vt sic, deficiat sibi aliquid necessarium ad hoc,statim possit exire in actum.

Tertiò nota expositionem autoritatum.Prima cùm dicit, quòd homo secundùm mentem tantùm dicitur imago. Et sciendum,quòd imago accipitur dupliciter, aliquando habitualiter,aliquando actualiter, quæ distinctio patet à Doctore *in* 2. *dist.*24. Imago actualiter includit memoriam perfectam, actualê intellectionem, & actualem volitionem. Prima pars includit intellectum cum obiecto præsente,vel in se,vel in aliquo repræsentatiuo,& etiam includit voluntatê,quia tunc repræsentat Patrê,vt perfectè fæcundû, quia ratione intellectus cum obiecto est productiuus Filij, & ratione voluntatis est spiratiuus Spiritus sancti, & hoc patet à Doctore *in* 1.*dist.*3.*q.vltima.* Secunda pars, quæ est actualis notitia obiecti,repræsentat Filium;tertia pars, quæ est actualis volitio obiecti cogniti, repræsentat Spiritum sanctum, & hoc dicitur imago actualis. Imago verò potentialis, siue fundamentalis,siue aptitudinalis, est memoria fæcunda, quæ includit intellectum, & voluntatem, 6.

Imago sumitur dupliciter.

Nota expositionem autoritatum.

luntatem, & obiectum actu præsens in ratione obiecti intelligibilis,& amabilis;& hoc totum dicitur imago fundamentalis. & dicitur hoc hoc totum memoria fæcunda, quia statim potest exire in actum, siue in notitiam actualem obiecti,& amorem illius, quæ sunt postea duæ partes vtimæ actuales repræsentantes Filium, & Spiritum sanctum. Secundo modo accipiendo imaginem, imago dicitur mens, id est, memoria fæcunda, & perfecta modo præexposito. Et addit,quòd imago includit parétem,& prolem,parens est mens,quæ est productiua ratione intellectus, & obiecti notitiæ genitæ, scilicet, notitiæ obiecti, quæ notitia perfecta dicitur proles, siue verbum, vt patet à Doctore *in primo,dist.*27. & ratione voluntatis est productiua volitionis obiecti, quæ volitio adhuc dicitur proles. Sicut ergo parens actiuè se habet respectu prolis,etiam loquendo de vtraque prole,vt patet à Doctore *in tertio,dist.*4.Sic memoria fæcunda est productiua prolis. Aliæ autoritates, scilicet, quomodo verbum nostrum nascitur de scientia nostra, accipiunt *scientiam* pro scientia habituali, scilicet, pro memoria, vt patebit infrà, *& in* 1.*dist.*6.*q.*17.

Scientia sumitur pro memoria.

7. *Primum dubium.*

In isto articulo sunt aliqua dubia. Primò in hoc,intellectio est propriè perfectio naturæ intellectualis,vt intellectualis est,quæ inquantùm talis nobilior est tota anima sensitiua,& ita perfectio intellectus perfectior est perfectione sensitiuæ.

Secundum.

Secundò dubitatur in hoc,si Angelus haberet vnicam intellectionem respectu omnium intelligibilium, illa intellectio esset formaliter infinita, quia nec intellectio diuina excederet eam quantùm ad multitudinem obiectorum.

Tertium.

Tertiò dubitatur in hoc. Si intellectus Angeli, ita distinctè cognosceret omnia intelligibilia per distinctos actus,sicut quodlibet eorum scorsum,esset nimia perfectio in ipso Angelo.

Instatur contra primum,probando quòd forma perficiens perfectius perfectibile non sit simpliciter nobilior forma, quæ immediatè perficit imperfectius perfectibile. Et primò sic, quia sequeretur quòd forma accidentalis esset perfectior forma substantiali; patet, quia substantialis perficit materiam,& accidentalis perficit substantiam completum, quæ est multò perfectior materia ergo.

Secundò instatur,etiam loquendo in ordine formarum accidentalium,& arguitur sic;causa æquiuoca est perfectior suo effectu; hoc patet sæpe à Doctore, sed phantasma causat speciem intelligibilem, vt patet à Doctore *præsenti quæstione,& in primo,dist.tertia,quæst.*8.& non causat, nisi æquiuocè, ergo phantasma est perfectius specie intelligibili, & tamen phantasma est perfectio sensitiuæ, vt sensitiuæ, & species intelligibilis est perfectio intellectiuæ, vt intellectiua est, cùm tantùm in intellectu possibili immediatè recipiatur: ergo.

Causa æquiuoca partialis est nobilior suo effectu.

Si dicatur, quòd phantasma est causa æquiuoca non totalis, sed tantùm partialis, & talis causa non est perfectior suo effectu. Contrà,& probo quòd etiam causa æquiuoca partialis sit simpliciter nobilior toto effectu. Et suppono primò dictum Doctoris *in primo, dist.*17. quòd quando duæ causæ partiales concurrunt simul ad aliquem actum, quòd vtraq; attingit actum secundum substantiam, & intensionem actus; ita quòd talis actus,& secundùm intensionem, est ab vtraque causa partiali. Suppono secundò,quòd vna non producit actum in virtute alterius,& hoc patet à Doctore *præsenti quæstione, & in primo, dist.*3. *quæst.*8. *& dist.*17. Tunc sic, actus elicitus aut secundùm totum est ab vna sicut ab alia, aut tantùm secundùm partem; si primò, ergo causa partialis æquiuoca est perfectior suo effectu. Si secundò, hoc non videtur; quia vtraque præcisè attingit ipsum effectum, & secundùm substantiam, & secundùm intensionem. Tum etiam, quia pono quòd effectus sit simpliciter indiuisibilis,qualis est species intelligibilis,& actus intelligendi; ergo sequitur quòd phantasma, quod immediatè ponitur in sensitiua parte sit nobilius aliqua forma immediatè recepta in intellectu possibili. 8.

Tertiò instatur, quia forma non dicitur perfectior eo,quòd communicatur perfectiori perfectibili; patet hoc, quia communicari accidit sibi. Tum etiam,quia talis perfectior esset tantùm denominatione extrinseca,quia à receptiuo, siue à subiecto perfectiori, & non denominatione intrinseca,de qua est sermo, quia dicimus, quòd intellectio est in se formaliter perfectior, quàm forma recepta in sensitiua parte, aliter sequeretur quòd relatio rationis, quæ est subiectiuè in subiecto perfectiori, esset simpliciter nobilior intellectione,quæ immediatè ponitur in subiecto imperfectiori, puta, quòd relatio rationis sit in natura Angelica, intellectio sit in intellectu humano, quod non videtur;intelligitur ergo de perfectione intrinseca,& formali.

Quartò instatur sic, quia si intellectio ideò est nobilior,quia in subiecto nobiliori,siue quia est perfectio subiecti nobilioris,statim sequitur quòd omnis intellectio perficiens eundem intellectum sit æquè perfecta; hoc non videtur verum,quia vna intellectio est nobilior alia,puta illa,quæ est perfectioris obiecti.

Quintò instatur,quia visio albi videtur simpliciter nobilior notitia abstractiua eiusdem albi, & tamen notitia abstractiua est in intellectu,& visio in potentia visiua. Antecedens patet, quia illa terminatur ad obiectum actu existens, & notitia terminatur ad obiectum, non vt existens, ergo visio erit simpliciter nobilior notitia abstractiua eiusdem albi.

Sextò instatur sic; si intellectio est nobilior, quia perfectio nobilioris naturæ,sequitur quòd intellectio,quam habet intellectus de lapide,erit bobilior intellectione, quam habet homo de eodem lapide;consequens falsum, quia illæ intellectiones sunt eiusdem speciei, quia eiusdem obiecti, Antecedens patet, quia natura intellectualis Angeli est multò excellentior natura intellectuali hominis.

Septimò instatur sic; Illa operatio est simpliciter perfectior, quæ est propinquior, & immediatior suæ mensuræ perfectionali, quàm illa quæ est remotior; sed albi visio actualis est propinquior, & immediatior ipsi albo, vt obiecto mensuranti, quàm intellectio eiusdem abstractiua; ergo talis visio erit simpliciter perfectior intellectione.Maior patet,quia perfectio mensurabilium est pænes accessum ad suam mensuram perfectionalem, vt patet etiam à Doctore. Minor patet, quia visio immediatè causatur ab albo,& intellectio eiusdem remotissimè ab illo

causatur, vt suprà patuit, q. 13. ergo visio immediatiùs imitatur ipsum album, vt mensuram suam, quàm intellectio eiusdem.

9. Octauò instatur sic: Illa operatio est simpliciter nobilior, & perfectior, quæ respicit idem obiectum sub nobiliori conditione, quàm illa, quæ respicit idem obiectum non sub illa conditione nobiliori. Sed visio albedinis respicit ipsam simpliciter in esse realis existentiæ, & vt singularis, quæ singularitas, sicut addit perfectionem naturæ singularis, vt patet à Doctore *in primo, dist. 5. q. 2. in 2. dist. 7. & quæst. 11.* ita cognitio singularitatis videtur habere aliqualem perfectionem, & hoc patet à Doctore *in secundo, dist. 3. quæst. 11.* intellectio verò eiusdem albedinis abstractiua non respicit eam secundùm suum *esse* realis existentiæ, nec vt singularem, quæ sunt conditiones multò excellentiores, quàm habere *esse* tantùm obiectiuum, siue possibile, quod *esse* respicit propriè notitia abstractiua, vt patet à Doctore *in quæst. 13. quodl.* Maior patet, quia actus specificatur ab obiecto, vt patet à Doctore *in primo, distinct. tertia, quæst. 7. & præsenti quæstione,* imò actus capit nobilitatem ab obiecto, vt patet à Doctore *in primo, dist. 3. quæst. 7.* & quantò respicit obiectum sub conditionibus nobilioribus, tantò nobilior dicitur, vt patet à Doctore *in tertio d. 27.* vbi vult quòd amor qui respicit Deum sub ratione Deitatis sit perfectus, quia respicit ipsum sub nobilissima conditione. Hoc idem *in prologo qu. tertia,* vbi vult quòd notitia Theologica, quæ respicit obiectum Theologiæ sub perfectissima ratione, & conditione sit nobilissima, & perfectissima.

Actus specificatur ab obiecto.
Actus capit nobilitatem ab obiecto.
Amor qui respicit Deũ est perfectus.

Nonò instatur sic: Si intellectio est perfectior absolutè, quia est perfectio nobilioris naturæ, quæro, aut hoc intelligitur, quia immediatè recipitur in nobiliori natura, aut quia perficit nobiliorem naturam? aliud non videtur dandum. Sed nullo istorum modorum sequitur propositum, ergo; non primò, quia, vt suprà dixi, forma perfectior ipsa intellectione, immediatè informat naturam imperfectiorem, vt patet de forma substantiali; non secundo, patet, quia à natura ignobiliori potest immediatè causari effectus nobilior, quàm intellectio; patet, quia ab igne, qui est imperfectior natura intellectuali, immediatè causatur substantia, quæ est perfectior omni accidente, vt patet per Philosophum 7. *Met. tex. com.* 4. Imò substantia separata à materia, quę est perfectissima inter omnes substantias creatas, non potest immediatè causare aliquam substantiam, nec immediatè transmutare materiam ad formam, vt suprà patuit *q.* 7. Non tertiò, quia aliqua forma essentialiter, & formaliter perfectior intellectione, immediatè perficit naturam ignobiliorem; patet de anima intellectiua, quæ immediatè perficit corpus organicum, quod tamen est imperfectius intellectuali natura.

10. Decimò instatur sic: Si intellectio est perfectior, eò quòd nobiliorem perficit naturam, sequitur quòd illa operatio erit simpliciter perfectior, quæ ponitur perfectio nobilioris potentiæ, siue intelligatur, quòd subiectiuè sit in nobiliori potentia, siue quòd sit immediatè elicita à nobiliori potentia, siue quòd sit formaliter perfectiua nobilioris potentiæ. Sed quocunque istorum dato, non sequitur quòd operatio nobilioris potentiæ sit simpliciter perfectior operatione ignobilioris potentiæ. Probatur quo ad singulas partes, quia aliqua est volitio potentiæ volitiuæ, omnino ignobilior aliqua intellectione potentiæ intellectiuæ, quæ potentia intellectiua vt supponitur, & probatum est in 4. dist. 49. est formaliter imperfectior potentia volitiua; quòd autem aliqua intellectio sit perfectior, patet in multis, quia cognitio distincta vltimi finis est simpliciter perfectior volitione lapidis, Tum, quia terminatur simpliciter ad obiectum perfectius. Tum, quia immediatiùs potentia intellectiua per illam coniungitur obiecto perfectissimo, quàm potentia volitiua volitione, qua vult lapidem; modò sic immediatè coniungi fini vltimo est singularis perfectio in operatione sic coniungente, vt patet à Doctore suprà *q. 13. quodl. art. 1. & 2.* hoc idem *in 4. dist. 10. & 49.* intellectio ergo talis, siue accipiatur, vt est subiectiuè in intellectu, siue vt causata ab intellectu, siue vt formaliter perfectiua intellectus, est simpliciter perfectior ipsa volitione lapidis: siue consideratur inquantum est subiectiuè in voluntate, siue inquantùm causata à voluntate, siue inquantùm perfectiua voluntatis. Hoc etiam patet à Doctore *in prolog. quæst. vlt.* vbi concedit quòd aliqua intellectio sit formaliter nobilior aliqua volitione. Patet, etiam, quia nolitio obiecti, quæ ponitur actus positiuus voluntatis, vt patet à Doctore *in primo, dist. prima, & dist. 47. & in 2. dist. 6. quæst. 2. & dist. 42. & in tertio, dist. 30. & in quodlib.* quæ nolitio ponitur formaliter perfectio potentiæ volitiuæ, non est formaliter perfectior omni intellectione, vt patet per multas intellectiones discurrendo.

Nota.

Posset etiam principaliter instari contra hoc, quod dicit in hoc dicto, scilicet, quòd *natura intellectualis est simpliciter perfectior natura sensitiua,* quia licèt sit verum, vbi intellectiua, & sensitiua distinguuntur, tamen vbi eadem est anima, in eodem posset multùm dubitari, sed hoc prætermitto pro nunc aliàs fortè declarabitur.

Respondeo ad omnes instantias, præmittendo aliqua. Primò, quòd Doctor non loquitur 11.
hîc de quacunque perfectione simpliciter accepta, sed præcisè de perfectione secunda adueniente naturæ habenti *esse* perfectum, & sic non loquitur de perfectione, quæ nata est esse pars essentialis alicuius, sicut sunt formæ substantiales, quæ licèt perficiant materiam, tamen vltra hoc sunt partes intrinsecæ compositi per se; de istis ergo non est sermo, sed præcisè est sermo de perfectionibus aduenientibus naturæ habenti *esse* completo. Secundò præmitto, quòd natura quælibet habet suam perfectionem natam sibi competere, & hoc patet in omnibus naturis dicentibus perfectionem, quod dico, quia aliquod ens est ita vltimatè imperfectum, quòd non ordinatur ad vlteriorem perfectionem naturæ, vt patet de relationibus, vt dicit Doctor. Et sicut est ordo in naturis natis perfici perfectione secunda, ita videtur quòd sit ordo in perfectionibus secundis, ita quòd natura perfectibilis perfectior nata est etiam habere perfectionem respectus perfectiorem, vt patet discurrendo in naturis. Et non loquor hîc præcisè de naturis, quæ specie distinguuntur, quia vna potentia visiua, specie distincta, ab alia

Responsio ad omnes instantias.

alia circa idem obiectum non habent viſionem ſpecie diſtinctam, ita quòd ſicut vna eſt perfectior potentia eſſentialiter, & quiditatiuè alia, ita & viſio vnius ſic quiditatiuè perfectior viſione alterius reſpectu eiuſdem viſibilis; poteſt tamen eſſe perfectior intenſiuè, ſed de tali non eſt præſens ſermo, ſed eſt ſermo de perfectione ſecunda eſſentiali,& quiditatiua,quæ ſpecificè, vel genere diſtinguitur ab alia. Eſt ergo ſermo de naturis,ſiue ſpecie,ſiue genere diſtinctis natis habere perfectionem eiuſdem rationis, ſicut dicimus quòd omnes potentiæ ſenſitiuæ conueniunt in hoc, quòd natæ ſunt habere operationes ſenſitiuas,vt vltimas perfectiones ſecundas. Et omnes potentiæ intellectiuæ natæ ſunt habere intellectiones eiuſdem rationis ſic,quòd conueniunt quiditatiuè in conceptu intellectionis. Et ſic dicimus quòd potentia intellectiua, quæ eſt perfectior omni potentia ſenſitiua,nata eſt habere perfectionem ſecundam cuiuſcunque potentiæ ſenſitiuæ, & ſic dato quocunque intellectu, etiam infimo,in natura intellectuali, eſt perfectior eſſentialiter omni potentia ſenſitiua etiam perfectiſſima, & ſic ille intellectus natus eſt habere perfectionem ſecundam excedentem omnem ſecundam potentiæ ſenſitiuæ.

Potentia intellectiua eſt perfectior omni potentia ſenſitiua.

12. Tertiò præmitto, quòd perfectio ſecunda naturæ merè intellectualis eſt eſſentialiter, & formaliter perfectior omni perfectione ſecunda naturæ ſenſitiuæ; & non eſt ſic perfectior, quia præcisè fundatur in tali natura ſic perfecta, quia tunc ſequeretur quòd omnis perfectio fundata in tali natura non eſſet æquè perfecta; imò ſi per impoſſibile intellectio fundaretur immediatè in potentia viſiua,& viſio immediatè fundaretur in intellectu,adhuc intellectio eſſet eſſentialiter perfectior viſione. Nec præcisè dicitur perfectior,quia cauſata à tali natura perfectiore, quia tũc quodlibet cauſatũ immediatè à tali natura eſſet æquè perfectũ,imò ſi eſſet immediatè ab alio cauſata.eſſet eadẽ quę nũc,quia reſpectus ad aliã,& ad aliam cauſam non variat rationem formalem rei, vt patet à Doctore in pluribus locis. Nec præcisè dicitur perfectior, quia immediatè perficit naturam perfectiorem, quia tunc relatio aliqua eſſet æquè perfecta, quæ immediatè perficit creaturam intellectualem. Eſt ergo perfectior formaliter, quia præcisè talis entitas, & nulla alia cauſa videtur aſſignanda, manifeſtatur tamen illa perfectio, quia eſt perfectio naturæ,ita perfectè. Intelligit ergo Doctor,quòd natura intellectualis,vt huiuſmodi nata eſt habere perfectionem ſecundam excellentiorem omni perfectione ſecunda, nata competere naturæ merè ſenſitiuæ, & maximè illa perfectio ſecunda præcipuè eſt perfectior, qua natura nata eſt coniungi perfectiſſimo contento ſub adæquato eius obiecto.

Nota.

12. Iſtis præmiſſis patet reſponſio ad inſtantias. Ad primam dico primò, quòd intelligitur de perfectione ſecunda, quæ non eſt nata eſſe pars eſſentialis alterius. Dico ſecundò, quòd intellectio dicitur perfectior omni perfectione ſecunda naturæ ſenſitiuæ, quia talis entitas, & non præcisè,quia eſt perfectio talis naturæ.

Ad primum dubium.

Ad ſecundũ. Ad ſecundam dico,quòd ſpecies intelligibilis non cauſatur à phantaſmate,vt à cauſa totali, quod requiritur ad hoc, vt cauſa æquiuoca ſit perfectior ſuo effectu. Cùm quæritur,à quo cauſatur? Dico, quòd partialiter à phantaſmate, & partialiter ab intellectu agente, vt infra patebit *præſenti q.* & ſuprà patuit, *& in primo, diſt.3. q.* 8. Cùm dicitur, quòd ſecundùm totum *eſſe* eſt ab vtraque cauſa; admittitur, ſed non ſeorſum ſumptis,ſed ſimul concurrentibus, ita quòd alia non cauſante, effectus non erit; concluderet benè ſi præcisè ab vna, ita enim ille effectus eſt à duobus ſimul ſumptis, quòd quacunque minima entitate illius effectus aſſignata, præcisè eſt à duabus ſimul ſumptis, licèt tamen principalius ab vna,quàm ab alia, vt ſatis patuit *in primo, diſt.tertia, q.*8. & patet *præſenti quæſt.*

Ad tertiam, concedo quòd intellectio non dicitur perfectior ex hoc ſolo, quòd communicatur naturæ perfectiori; imò ſic communicari præſupponit totam perfectionem illius, quod communicatur, verum tamen eſt, quòd eius perfectio aliqualiter manifeſtatur, eo quòd naturæ perfectioris ponitur eſſe perfectio. *Ad tertium.*

Ad quartam, patet reſponſio ex ſuprà dictis, quia præcisè non dicitur perfectior, quia ſic perficit. *Ad quartum*

Ad quintam. Dico,quòd notitia abſtractiua eſt nobilior quacunque ſenſitiua. Cùm probatur quòd ſenſitiua terminatur ad exiſtens;dico, quòd ex hoc ſolo non dicitur perfectior, quia priùs dicitur intellectio formaliter perfectior, quàm intelligatur ad aliud emanare,& cùm dicitur, quòd eſt perfectioris obiecti, hoc nihil eſt, quia intellectio eſt à perfectiori potentia, & vltrà dico, quòd ex ſua natura eſt perfectior, vnde etiam dico quòd quando ab eodem præcisè obiecto cauſatur viſio & intellectio vtráque habet ab obiecto effectiuè ſuam perfectionem ſibi competentem,ſic, quòd intellectio nata cauſari ab obiecto *A.* neceſſariò cauſatur, vt perfectior, quàm cauſetur viſio ab eodem obiecto, & tunc obiectum illud eſt ſuo modo illimitatum ad plures effectus, quorum vnus neceſſariò eſt perfectior alio. *Ad quintum*

Ad ſextam, patet reſponſio ex ſupra dictis. 13. *Ad ſextum.*

Ad ſeptimam, dico, quòd intellectio poteſt habere duplicem menſuram,vnam eſſentialem, & aliam per ſimilitudinem limitationis.De prima vera eſt propoſitio, quia propriè menſura eſſentialis eſt menſura ſecundùm quantitatem virtutis, & hoc modo in genere operationum intellectio, ſi non eſt prima, ſaltem eſt propinquior primæ,quàm aliqua ſenſitiua. Et ſimiliter ſi omnes operationes comparentur primæ operationi infinitæ in diuinis, intellectio ſimpliciter eſt propinquior, quàm aliqua ſenſitiua. Dico ſecundò,quòd etiam loquendo de menſurabili ſecundùm ſimilitudinem imitationis,adhuc intellectio eſt perfectior ſimilitudo naturalis obiecti ſecundùm imitationem,quàm ſenſitiua. Et cùm dicitur quòd ſenſitiua terminatur ad exiſtens, vt exiſtens; dico, quòd præcisè habetur, quòd tunc includit relationem realem menſurabilis ad ipſum obiectum, & intellectio quando obiectum actu non exiſtit,includit tantùm relationem realem aptitudinalem,ſiue potentialem menſurabilis ad ipſum obiectum, & quando obiectum actu exiſtit, includit actualẽ realem,tamen ſiue includat relationem realem, ſiue *Ad ſeptimũ.*

siue non, intellectio ex sua natura est magis similitudo obiecti naturalis secundùm imitationem, quàm aliqua operatio potentiæ sensitiuæ. Et de hac mensura prolixè dixi suprà *quastion.*13.

Ad octauum dubium. Ad octauam, patet responsio ex suprà dictis, quia dicitur perfectior ex sua natura intrinseca, & non ex hoc solo, quòd terminatur ad obiectum sub conditionibus nobilioribus; benè tamẽ verũ est, quòd si loquamur de operationibus eiusdem generis, puta intellectionibus, quòd illa intellectio est simpliciter perfectior, quæ terminatur ad perfectius intelligibile, siue ad idem intelligibile sub conditionibus perfectioribus, quàm alia, quæ terminatur, vel ad imperfectius intelligibile, vel ad idem sub conditionibus imperfectioribus.

Ad nonam, patet responsio ex suprà dictis, quia scilicet ex natura sua formali est perfectior.

Ad vltimam. Dico primò, quòd fortè omnis actus voluntatis erit perfectior, si tenetur quòd actus voluntatis ex natura sua sit perfectior. Dico secundò, & melius, quòd aliud est loqui de potentiis partis intellectiuæ, vt intellectiuæ, & aliud de potentiis intellectiuæ, vt comparantur ad sensitiuam; quia primo modo si accipiatur intellectio perfectissima, & volitio perfectissima, puta visio, & fruitio eiusdem, fruitio ex natura sua est simpliciter perfectior visione. Et hoc modo dicit Doctor *in prolog. quæst. vltima*, quòd debet fieri comparatio perfectissimi in vna specie ad perfectissimum in alia specie, vide ibi, sic est in proposito. Ex his patet solutio ad omnes instantias.

14. *Instantia notanda.* Secundò principaliter contra secundam instatur, probando quòd posito quòd idem actus intelligendi sit omnium intelligibilium, etiam si intelligibilia essent actu infinita, & simul eodem actu intellecta, quòd talis actus intelligendi non esset infinitus formaliter, & intensiuè.

Primum dubium. Et primò arguitur, eundem actum simul esse plurium obiectorum est simul habere plures respectus ad illa obiecta, quia plures terminationes, siue transitiones super illa obiecta. Sed idem habere plures respectus, siue rationis, siue reales, ex hoc non est perfectius intensiuè; patet, quia si idem album includeret actu infinitas similitudines ad infinita alba, non esset infinitum formaliter. Sic dico in proposito, quòd eodem actu intelligendi simul intelligerem infinita obiecta simul habere infinitos respectus ad illa, & sic non sequitur ipsum esse actu infinitum intensiuè.

Secundum. Secundò instatur, & pono quòd actus intelligendi diuinus non sit in se formaliter infinitus, & quòd tamen ille actus sit infinitorum obiectorum, non sequitur tunc quòd sit infinitus intensiuè, quia si sic, tunc eius infinitas dedependeret ab aliquo extrinseco, quod est simpliciter impossibile. Confirmatur, quia si actus intelligendi diuinus non esset obiectorum secundariorum, adhuc esset formaliter infinitus, & patet de facto, quia in primo instanti, quo terminatur ad essentiam, est formaliter infinitus, & tamen in illo instanti non est ad obiecta secundaria, vt suprà patuit *in secundo, dist.*1. *quæst.*1. *& in prol. quæst. penult. & dist.*39. sic ergo non diceretur formaliter infinitus ex hoc, quod esset ad obiecta infinita.

Tertiò instatur, & pono quòd sint infinita obiecta eiusdem speciei, vt puta actu infinitæ partes eiusdem continui, quæ obiecta sint æquè perfecta, & quòd eodem actu simul perfectè intelligantur, sed quòd non sint intelligibilia, quæro tunc, aut ille actus ex hoc est formaliter infinitus, aut nõ? Si secũdò habetur intẽtũ: Si dicatur quòd debet intelligi de infinitis obiectis specie distinctis. Contrà, quia Doctor *in* 1. *d.* 2. *p.* 1. *q.* 1. in illis præambulis, vbi probat intellectum diuinum esse formaliter infinitũ, quia intelligit actu infinita, & exemplificat ibi de infinitis partibus continui; ergo. Si primò, contrà, quia tanta perfectio præcisè requiritur ad cognoscendum plura æquè perfecta, & eiusdem speciei, sicut ad cognoscendum vnum; patet, quia si idem calor produceret duos calores, tanta perfectio sufficeret ad producendum duos gradus, quanta ad producendum vnum gradum, siue vnum calorem. Sic in proposito. *Tertium.*

Quartò instatur sic: Idem intellectus creatus, eodem actu intelligendi finito, potest æquè perfectè intelligere obiecta, & æquè perfectè duo, sicut vnum illorum seorsum, ergo & infinita, quia sicut patet 4. *Physicorum, tex. comm.* 55. Si duo corpora possunt simul esse in eodem loco, ergo & infinita. Et similiter si idem corpus potest simul esse in duobus locis, ergo & in infinitis, vt patet à Doctore *in secundo, dist.* 2. *& in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 2. ergo: sic videtur in proposito. Ergo idem actus infinitus potest esse infinitorum obiectorum. Antecedens patet, quia beatus eodem actu perfectè videt se in essentia diuina, & perfectè videt aliam quiditatem. Et confirmatur, quia voluntas diuina potest causare in me actum intelligendi, quo æquè perfectè videam duo obiecta, sicut vnum illorum seorsum. 15. *Quartum.*

Quintò instatur, quia actus voluntatis est formaliter perfectior actu intellectus, & tamen si aliqua voluntas simul eodem actu vellet infinita obiecta, ille actus ex hoc non esset formaliter infinitus. Patet etiam de actu voluntatis diuinæ, qui contingenter transit super obiecta volita, & tamen ex hoc non est magis perfectus, quòd transeat super mille, sicut super vnum, aliter adueniret sibi noua perfectio si transiret super plura, quod est impossibile; ergo erit simile de eodem actu intellectus creati. *Quintum.*

Sextò instatur sic; intellectus creatus eodem actu formaliter finito potest intelligere distinctissimè obiectum infinitum intensiuè; ergo eodem actu potest infinita obiecta secundùm numerum, & in se formaliter finita perfectè intelligere, dico eodem actu finito. Antecedens conceditur à Doctore, & consequentia patet, quia non minor perfectio requiritur in actu, quo cognoscitur infinitum intensiuè, quàm infinitum secundùm numerum, imò maior, quia simpliciter maior perfectio obiecti. *Sextum.*

Septimò instatur, quia si infinita perfectio est in actu intelligendi, qui ponitur esse infinitorum obiectorum simul, ergo si ponatur idem actus intelligendi esse simul simpliciter secundùm numerum, vt puta, quòd sit actu infinitarum partium continui *A*, & infinitarum partium continui *B*, & sic de aliis, vel quòd sit simul infinitorum hominum, infinitorum equorum, &c. Tunc ille actus adhuc erit perfectior, 16. *Septimum.*

perfectior, & sic perfectior infinito, quod est impossibile.

Octauum. Octauò instatur sic, intellectus Angeli eodem actu perfecte potest intelligere, puta lapidem quantum est intelligibilis, ita quòd intuitiuè perfectè videt ipsum lapidem quantum est intuibilis, & videt eodem actu finito; ergo eodem actu finito videt simul infinitas partes lapidis, cùm sit diuisibilis in infinitum, & tamen ille actus erit simpliciter finitus. Antecedens patet, quia intellectus Angeli potest intelligere omne creatum, quantum est intelligibile, & quòd vnico actu, patet, quia lapis ponitur vnum obiectum integratū ex omnibus partibus eius. Consequentia patet, quia non intelligeret distinctè, & perfectè ipsum lapidem, nisi simul perfectè intelligeret omnes partes, quia totum non distinctè concipitur, nisi simul concipiantur partes illius.

Nonum. Nonò instatur: Sicut idem obiectum simul potest intelligi infinitis intellectionibus, ergo idem actus potest esse infinitorum obiectorum. Antecedens patet, quia si idem obiectum esset præsens simul infinitis potentiis intellectiuis intelligeretur; consequentia patet, quia non apparet maior ratio de vno, quàm de alio.

Decimum. Decimò instatur, quia actus intelligendi, quo intellectus Diuinus intelligit essentiam suam, est ita perfectus quando terminatur ad diuinam essentiam solam, sicut quando terminatur ad infinita obiecta; & si nullo modo intelligeret infinita obiecta intelligibilia, adhuc esset formaliter infinitus, vt patuit in primo, *dist. 2. quæst. prima, partis primæ.* Ergo ex his patet, quòd actus intelligendi in Angelo, etiam si esset infinitorum obiectorum non esset infinitus.

17. *Responsio ad instantias. Essentia Diuina est infinita formaliter ex se, à se, & per se.* Respondeo ad omnes instantias præmittendo aliqua. Primò, aliquid dicitur esse infinitum formaliter, etiam quocunque alio extrinseco circumscripto, stante sola ratione formali illius. Sicut essentia diuina, & breuiter omne infinitum intensiuè, & sic intellectio intellectus diuini, quæ est formaliter infinita, & necessariò stante sola ratione formali illius, omni alio circumscripto, esset formaliter infinita. Ad tale tamen infinitum aliquid dicitur concomitari necessariò. Sicut dicimus, quòd voluntas diuina in se est formaliter infinita, etiam omni alio circumscripto, tamen ad ipsam concomitatur, quòd possit immediatè producere, siue causare omne causabile, & sic quasi ab effectu ad causam arguitur infinitas eius, puta voluntas diuina potest immediatè causare infinita causabilia, & simul; ergo est actu infinita, sicut etiam arguit Doctor *in primo, dist. 2.* Sic dico de intellectione diuina, quia ex quo est formaliter infinita, ad ipsam necessariò concomitatur, quòd sit omnium intelligibilium, ita perfectè omnium sicut alicuius tantùm, & sic quasi à posteriori arguitur; actus intelligendi est simul infinitorum obiectorum æquè perfectè, sicut alicuius illorum, & si, per possibile, nullius obiecti esset, & staret ratio formalis intellectionis, adhuc esset formaliter infinita. Et patet de intellectione diuina, quæ priùs est formaliter infinita, quàm sit alicuius obiecti extrinseci.

Secundò præmitto, quòd intellectio obiecti habet specialiter ab obiecto suam perfectionem, priusquàm etiam concurrat actiuè potentia, vt exposui *in 2. dist. 3. qu. 10.* Ita quòd obiectum, puta *A.* est causatiuum suæ notitiæ, ita quòd talis notitia est præcisè à tali perfectione obiecti, & nullum aliud obiectum posset causare notitiam illam, nisi virtualiter contineret ipsum *A.* secundùm totam entitatem *A.* vt vt exposui suprà, *q. 14.* Et sic oportet quòd tale continens sit necessariò perfectum, non dico tantùm intensiuè, sicut vnum album est perfectius alio, scilicet essentialiter, & specificè, & sic vnum indiuiduum quantumcunq; perfectum, non potest continere aliud eiusdem speciei, etiam imperfectissimum secundùm totam suam entitatem, vt patet suprà, *q. 14.* ergo nec secundùm totam cognoscibilitatem, nec per consequens poterit causare notitiam illius. Hęc omnia patent suprà, *q. 14. & in secundo, dist. 3. q. 10.* Continens ergo infinita indiuidua secundùm totam eorum entitatem, necessariò erit infinitum. Et hoc si æquè perfectè continet simul omnia, sicut quodlibet seorsum, & per consequens potens causare notitiā infinitorum ęquè perfectè, sicut notitiam cuiuslibet seorsum sumpti, erit formaliter infinitum, cum quodlibet habeat propriam cognoscibilitatem, sicut propriam entitatem. *Nota.*

18. Tertiò præmitto, quòd intellectio, puta lapidis, sic est illius, quòd ei repugnat, quòd sit alterius obiecti, siue perfectioris, siue imperfectioris, quia vt sic, nata est præcisè esse ab ipso lapide, vel à continente lapidem secundùm totam eius entitatem. Si modo talis intellectio simul esset etiam alterius lapidis, tunc haberet aliam perfectionem, sicut & illius alterius lapidis est intelligibilis propria intelligibilitate, & sic dico de aliis. Si ergo esset vnica intellectio, quæ actu esset infinitorum obiectorum æquè perfectè sicut cuiuslibet seorsum, & hoc secundùm eorum totam intelligibilitatem, illa intellectio esset formaliter infinita; patet, quia *A.* est intelligibile vt duo, *B.* est intelligibile vt tria; siue *A.* Posito quòd sit intelligibile vt vnum, & *B.* similiter, & *C.* similiter, & sic in infinitum, adhuc actus intelligendi infinita huiusmodi æquè perfectè simul, sicut quodlibet seorsū erit infinitus, quia sic, quodlibet includit propriam intelligibilitatem, & entitatem, ita quòd vnum non potest contineri in alio secundùm totam suam entitatem, & intelligibilitatem, sed si continetur, necessariò continetur in perfectiori secundùm speciem. Et breuiter non est aliqua creatura quantumcunque perfecta, quæ contineat aliam absolutam secundùm totam eius intelligibilitatem, vt suprà dixi, *q. 14.* Si ergo esset aliqua intellectio, quæ simul æquè perfectè esset infinitorum obiectorum, etiam eiusdē speciei esset formaliter infinita, quia quodlibet includit suam propriam perfectionem, & intelligibilitatem concomitantem perfectionem propriam. Et sic talis intellectio esset æquè perfecta, imò plusquàm essent infinitæ intellectiones infinitorum obiectorum, vt patet, & illa esset ab aliquo obiecto virtualiter continente infinita obiecta secundùm eorum totam entitatem, & intelligibilitatem, sicut patet de intellectione intellectus diuini. *Speculare.*

19. Quartò præmitto, quòd si teneatur, quòd intellectio infinitorum obiectorum eiusdem speciei

ciei non sit formaliter infinita, quia fortè vna non adderet alij intellectioni, si illæ essent distinctæ. Sicut si essent infinitæ partes albi extensiuè, & tamen totum album esset tantùm intensum vt vnum, quælibet pars esset ita intensa sicut totum, & non essent plures gradus intensionis, & sic quamuis in toto sint infinitæ partes inexistentes, quarum quælibet sit intensa præcisè vt vnum, non sequitur quòd totum sit intensionis infinitæ, nisi fortè dicatur quòd si totum album esset vnum per se resultans ex infinitis illis, quòd tunc esset infinitè intensum, quia in sua entitate formali includeret infinitos gradus; sed in proposito, album habet plures partes tantùm ratione quantitatis, cui inest albedo intensa vt vnum, quæ vt consideratur in se, est omnino indiuisibilis. Si ergo essent infinitæ albedines separatæ à quantitate, & quælibet esset intensa vt vnum, & illæ facerent vnam albedinem, ita quòd tunc esset vna albedo, illa fortè includeret infinitatem intensiuam, quia & infinitos gradus intensionis, sic in proposito de intellectione, quæ est omnino indiuisibilis, vt patet, si essent infinitæ intellectiones respectu infinitorum obiectorum eiusdem speciei, quælibet haberet proprium gradum intensionis, & si illæ sic vnirentur, quòd esset tantùm vna, tunc illa esset intensiuè infinita, quia includeret infinitos gradus intensionis: modò si actu ponitur vna, quæ sit infinitorum obiectorum, illa videtur eminenter continere infinitas intellectiones, quæ essent infinitorum obiectorum, & hoc fortè est probabile. Si tamen nec hoc teneatur, sed quòd illa intellectio sit formaliter infinita, quæ est infinitorum obiectorum specie distinctorum, quia intellectio nata esse ab obiecto perfectiori essentialiter, est perfectior illa, quæ nata est esse tantùm alterius obiecti essentialiter imperfectioris, & sic si esset vna infinitorum obiectorum specie distinctorum illa eminenter contineret infinitas intellectiones specie distinctas, & sic esset formaliter infinita, licèt sit impossibile esse infinitas species siue simul, siue successiuè. Tamen si aliqua vna intellectio ex se esset formaliter obiectorum, etiam infinitorum secundum speciem, si essent, illa esset formaliter infinita. Sicut ponitur, quòd voluntas diuina formaliter infinita ex hoc, quòd quantùm est ex sua perfectione formali, posset esse simul productiua infinitarum specierum, ita quòd non esset repugnantia ex parte voluntatis, sed tantùm ex parte specierum, vt patet *in primo, dist.2.* Vtraque tamen via est sustentabilis, rectè intelligendo.

Intellectio est formaliter infinita quæ est infinitorũ obiectorum.

20\. Quintò suppono etiam, quòd Doctor hîc non videtur firmiter asserere, quòd si intellectio Angeli esset omnium obiectorum possibilium, & sic infinitorum, quòd esset formaliter infinita, sed quòd esset æqualis perfectionis cum intellectione diuina quantùm ad numerum intelligibilium. Sed quicquid sit, sustinendo quòd esset formaliter infinita. Respondeo ad instantias. Ad primam dico, quòd quando ponitur intellectio esse infinitorum obiectorum, non ponitur præcisè, ipsam includere infinitos respectus, imò illi respectus præsupponunt intellectionem, secundùm totam eius perfectionem, sed diceretur formaliter infinita, vel quia eminenter contineret infinitas intellectiones infinitorum obiectorum, vel saltem per æquiualentiam contineret, & hoc modo ponitur formaliter infinita, etiam posito quòd nullum respectũ includeret, & etiam posito quòd actu non terminaretur ad obiectum, sufficit enim quòd sit talis entitas, quòd sit nata terminari ad infinita obiecta, & etiam infinitorum obiectorum. Ad secundam dico, quòd intellectio diuina est ex se formaliter infinita, licèt originatiuè, & fundamentaliter hoc habeat ab essentia diuina, & si nullius alterius obiecti esset, adhuc esset formaliter infinita. Ex tali tamen perfectione infinita, necessariò sequitur quòd ipsa sit omnium intelligibilium, & hoc est ex redundantia suæ infinitæ perfectionis, quòd sit omnium intelligibilium.

Responsio ad primum dubium.

Ad secundũ dubium.

Ad tertiam patet quid dicendum ex illis præsuppositis. Si teneatur, quòd sit infinitorum obiectorum eiusdem speciei, & vt sic, sit infinita, patet responsio. Si verò teneatur quòd requiratur quòd sit infinitorum secundùm speciem, tunc poneretur sic secundùm Doctorem quòd actus intellectus Angeli sit tantùm vnus respectu omnium obiectorum, siue actu sint, siue successiuè, & tunc erit infinitus.

Ad tertium dubium.

Ad quartam dico primò, quòd fortè hoc negaretur, quòd æquè perfectè duo simul sicut vnum, vt exposui *in primo, dist.2. & in secundo distinct.3.* quomodo causa finita non potest æquè perfectè producere duos effectus simul, sicut quemlibet seorsum. Cùm dicitur, quòd Deus potest illum causare. Dico, quòd etsi ipse possit quantùm in se est, tamen natura actus non est capax quòd vnus, & idem actus sit æquè perfectè duorum obiectorum simul, sicut vnius tantùm. Dico secundo, quòd concesso antecedente illo, negatur tamen consequentia, scilicet, quòd simul possit esse infinitorum, quia hîc requiritur maior perfectio. Cùm enim probatur per simile de duobus corporibus, &c. Dico, quòd non est simile, & hoc patuit *in secundo, dist.2.* quia præcisè requiritur tanta perfectio agentis, ponentis duo corpora in eodem loco materiali, sicut ponendo infinita, quia hîc tantùm ponitur penetratio dimensionum.

Ad quartum dubium.

Ad quintam dico primò, quòd si respectu actus voluntatis non concurrit obiectum, sed tantùm voluntas, quòd tunc non est simile, quia ponitur actus intelligendi dependere ab obiecto proprio, à quo habet suam perfectionem. Dico secundò, quòd etiam talis actus, qui esset infinitorum obiectorum, esset infinitus, quia voluntas non est nata velle plura obiecta simul eodem *velle*, æquè perfectè simul, sicut quodlibet seorsum; quin requiratur maior perfectio, & in voluntate, & in actu volendi. Si verò teneatur quòd obiectum concurrit actiuè ad actum voluntatis, dico idem de actu voluntatis, quod dico de actu intellectus. 21.

Ad quintum dubium.

Ad sextam concedo antecedens, sed negatur consequentia propter causam superiùs dictam. Si verò posset intelligere obiectum infinitum quantum est intelligibile, tunc consequentia esset vera, quia tunc illa intellectio obiecti infiniti esset formaliter infinita, quia obiectum esset intelligibile intellectione formaliter infinita, & tunc talis intellectio esset verè comprehensiua obiecti infiniti, vt aliàs exposui.

Ad sextum dubium.

Ad septimam patet responsio ex prædictis.

Ad septimum dubium.

Ad octauam, dico quòd videt distinctè lapidem, vno actu, scilicet, secundùm totum suum esse

Ad octauum dubium.

esse quiditatiuum, sed non videt actu infinitas partes lapidis, ita quòd distinctè videat ibi infinita actu, & hoc simul, siue actu, siue pluribus; successiuè tamen potest videre, & hoc distinctis actibus; videt tamen ibi infinitas partes inexistentes, non tamen æquè distinctè simul, sicut solum lapidem. Et de hoc erit sermo prolixior.

Ad nonum dubium. Ad nonam patet responsio, quia non est simile, quia quòd obiectum videatur ab alio, nullam perfectionem formaliter dicit in obiecto, imò accidit sibi, sed quòd idem actus intelligendi sit plurium obiectorum, hoc est perfectionis in actu, vt suprà patuit in illis præsuppositis.

Ad decimam, & vltimam patet responsio ex præmissis: quia hoc est concomitanter, quòd sit omnium obiectorum. *Ad decimum dubium.*

Tertiò principaliter essent multæ bonæ instantiæ contra tertium principale, sed nolo omnia in dubium pro nunc reuocare, aliàs erit de hoc sermo.

SCHOLIVM.

Certum esse, quòd ad actualem intellectionem causandã concurrunt aliquid ex parte animæ, & obiectum per se, vel per speciem. Vtrùm autem horum est per se actiuum, vel principalius, certum non est; & pro vtráque parte adducit Augustinum, & Philosophum. De quo latè 1. dist. 3. q. 7. vbi varias sententias circa hoc refutat.

7. De secundo [e] primi articuli principalis, certum est, quòd ad actualem intellectionem causandam concurrunt aliquid ipsius animæ intellectiuæ, & obiectum aliquo modo præsens, scilicet vel in se, vel in aliquo repræsentante; sed quod istorum debet poni per se actiuum, respectu intellectionis, auctoritates videntur variè loqui Augustinus 12. super Gen. cap. 29. *Non putandum*, inquit, *est corpus aliquod agere in spiritum, quasi spiritus corpori facienti, materiæ vice subdatur. Omni enim modo præstantior est res, quæ facit illa, de qua facit; nec vllo modo corpus præstantius spiritu: imò spiritus præstantior corpore. Quamuis igitur imago esse incipiat in spiritu, tamen eandem imaginem non corpus in spiritu, sed spiritus in seipso facit celeritate mirabili.* *Idem 3. de Anima t. com. 19.*

Item idem 10. de Trin. c. 5. *Anima conuoluit, & rapit imagines corporum.*

Pro actiuitate tamen obiecti, videtur dicere 15. de Trin. 10. vel 24. *Formata cogitatio ab ea re, quam scimus; verbum est, quod in corde dicimus.* Et ibidem. *Ex ipsa scientia quam memoria tenemus, nascitur verbum.* Et cap. 12. vel 30. *Verbum est similitudo rei notæ, de qua gignitur, & imago eius.* *Quòd obiectum cõcurrat ad intellectione, suadetur ex August. & Philos.*

Philosophus autem videtur loqui pro actiuitate obiecti, quia illud videtur esse principium actiuum, per quod aliquid reducitur de potentia essentiali ad accidentalem. Hoc autem est aliquid ex parte obiecti; quia illud, per quod obiectum est præsens, sub ratione actu intelligibilis, est species causata ab obiecto.

Pro hoc est illud secundi de anima, quod priùs est adductum, scilicet: *Vniuersalia quodammodò sunt in anima.* : *Vnde intelligere in ipsa quidem est cum velit*; ac si diceret, quòd quia obiecta intelligibilia sunt præsentia animæ, ideò ipsa est in potentia accidentali potens intelligere, cum velit. *Tex. 60.*

Sed pro actiuitate potentiæ videtur aliquibus esse illud 9. Metaphys. quòd *speculatio est actio immanens.* Si autem intellectio non est ab intellectu, sed tantùm ab obiecto: non esset ibi actio immmanens: sed tantùm transiens. *Tex. 16.*

COMMENTARIVS.

22. [e] De *secundo primi principalis, certum est quòd ad actualem notitiam causandi concurrunt, aliquid ipsius animæ*, &c. Quia tamen Doctor expressè tenet hîc, & in primo, dist. 3. q. 7. quòd vtrunque concurrit, duo faciam, primò recitabo auctoritates declarando eas, & soluam singulatim, secundò adducam opinionem Doctoris. Primò arguitur auctoritatibus, quæ videntur probare quòd sola anima sit totum actiuum respectu intellectionis. Prima est Aug 12. super Gen. cap. 29. *Non putandum est*, &c. Ista auctoritas tria includit. Primò quòd corpus, id est, res corporalis, non agit in spiritum. Agere in alium est producere aliquid, quod recipitur in illo, in quod agit, sicut ignis agit in lignum, producendo calorem, qui recipitur in ligno; siue agere in aliud est propriè inducere aliquid productum ab agente in illud, in quod agit, & sic receptiuum habet vicem, siue rationem materiæ receptiuæ, & sic habet rationem passiua. Si ergo corpus ageret in spiritum, tunc spiritus aliquid reciperet ab ipso corpore, & sic spiritus haberet rationem materiæ receptiuæ, & sic diceretur subdi corpori actiuo, pro quanto aliquid recipere à corpore agẽte in illum. Secundo ibi, *omni enim modo.* Hîc probat primum, scilicet, quòd corpus non possit agere in spiritum, quia tunc corpus esset perfectius spiritu; patet, quia omne agens præstantius est passo. Et hoc est, quod dicit quòd *res, quæ agit est præstantior illa, de qua agit*, id est, in quam agit; & patet, quia actiuum, vt actiuum, est præstantius passiuo. Tertiò ostendit quomodo causatur imago in spiritu, & dicit quòd non à corpore præsente, sed à seipso spiritu mirabili celeritate, id est, subitò; & sic patet quomodo intellectio non causatur ab obiecto præsertim corporali, sed ab ipsa anima.

Quid sit agere in alium.

Quomodo agens sit præstantius passo.

23. *An obiectum sit actiuum respectu intellectionis?* Secunda auctoritas est. 10. de Trin. c. 5. *Anima conuoluit*, &c. ex qua auctoritate videtur velle quòd ipsa anima sit actiua suæ operationis, quam auctoritatem etiam exposui in primo, dist. 3. dist. 7. & ibi multæ aliæ auctoritates, & rationes pro ista positione, quas vide ibi.

Deinde adducit auctoritates probantes obiectum esse actiuum. Prima auctoritas dicit quòd ipsa cogitatio, siue cognitio obiecti, qua ipsum scimus, siue intelligimus, est verbum, quæ cognitio est formata, id est, causata ab ipso obiecto, & hoc verbum, siue cognitionem obiecti in corde dicimus, id est, gignimus, siue producimus. Secunda accipit scientiam habitualem, scilicet, pro obiecto relucente in memoria, scilicet pro obiecto præsente, vel in se, vel in aliquo repræsentante ipsi intellectui, & tunc dicitur verbum teneri in memoria, & ex ipsa scientia habituali, scilicet obiecto præsente intellectui nascitur verbum, siue notitia ipsius obiecti. Tertia, verbum est similitudo, & imago rei notæ, id est, quòd cognitio obiecti, quę dicitur verbum est similitudo naturalis ipsius obiecti per imitationem, vt patuit suprà, q. 13. Et cùm dicit, quòd est similitudo rei notæ, id est, est similitudo obiecti præsentis intellectui, quod obiectū sit præsens, dicitur notum habitualiter de quare nota, scilicet obiecto habitualiter noto nascitur verbum, siue potentia actualis obiecti.

Deinde adducit auctoritatem Philosophi, primò pro actiuitate obiecti, secundò pro actiuitate potentiæ. De quo primo dicit Doctor quòd *Philosophus videtur loqui pro actiuitate obiecti, quia illud videtur esse principium actiuum, per quod aliquid reducitur de potentia essentiali ad accidentalem. Hoc autem est aliquid ex parte obiecti, quia illud, per quod obiectum est præsens sub ratione actus intelligibilis.* Patet quia dicimus, quòd lignum est in potentia essentiali, siue remota, ad calefaciendum, & per calorem receptum est in potentia accidentali, siue propinqua, ideò calor est ratio formalis calefaciendi, quia sine calore non poterit calefacere, & habito calore calefacit. Sic in proposito, de obiecto, quando intellectus non habet speciem intelligibilem obiecti, est in potentia essentiali, siue remota ad intelligendum obiectum, quia vt sic, nullo modo potest ipsum intelligere: sed habita specie intelligibili obiecti est in potentia accidentali, scilicet propinqua, ad intelligendū ergo, talis species, per quam obiectum est præsens, & tenens vicem obiecti, est ratio formalis ipsi intellectui causandi notitiam obiecti.

Pro illo est illud 2. de Anima quod priùs est adductum, *scilicet vniuersalia quodammodò sunt in anima*, &c. Dicūtur autem obiecta vniuersalis esse in anima per species intelligibiles obiectorum, quæ formaliter sunt in anima, vt patet à Doctore *in 1. dist. 3. q. 6.* Et accipiuntur hîc vniuersalia in potētia remota, scil. pro ipsis quiditatibus, vt ibi expositū est, quæ immediatè repræsentātur à speciebus intelligibilibus, vt ibi dixi. *Secundo de anima contex. 60.*

Sed pro actiuitate potentiæ videtur aliquibus esse illud 9. Met. quòd *speculatio est actio*, &c. Patet, quia intellectio est formaliter in intellectu; modò si esset actiuè ab obiecto, tunc transiret in intellectiuum, non enim posset esse in obiecto intellecto. Ergo videtur ex ista auctoritate Philosophi, quòd intellectio sit actiuè ab ipso intellectu, & non ab ipso obiecto intelligibili. *9. Met. contex. 16.*

SCHOLIVM.

Resoluit, tam intellectum, quàm obiectum per se, vel aliquid eius vicem supplens, effectiuè concurrere ad intellectionem; quod latè tractat. 1. d. 3. q. 7. n. 20. Probat primo ex Aug. Secundò, quia quando obiectum adest præsens intellectui, potest esse actualis intellectio; ergo tunc est causa eius actiua; & necessariò est solus intellectus, vel solum obiectum, vel ambo simul. Quòd non sit obiectum tantùm, probat primò, quia quandóque est imperfectius intellectione, vt si est sensibile, quoad intuitionem eius. Secundò, conatus maior facit ad perfectiorem intellectionem. Tertiò, operatio non esset perfectio per se intellectus, quia eliceret eam mediante accidente per accidens, sicut quando lignum calefacit. De hoc latè Doct. 1. d. 3. q 7. n. 7. 16. 17. vbi multis refutat sententiam Goffred. quæ etiam videtur D. Thomæ, dantem totam actiuitatem obiecto, vel speciei. Quòd verò intellectus non sit tota causa intellectionis, probat, quia actus est similitudo obiecti, ab eo accipit speciem, & essentialiter dependet. De quo latè Doctor 1. d. 3. q. 7. n. 3. refutans Henric. tribuentem totam actiuitatem respectu intellectionis, animæ.

Intellectus & obiectū coagunt ad intellectionem 1. d. 3. q. 7. nu. 20. DE isto articulo [f] potest dici, quòd vtrunque concurrit in ratione principij actiui respectu intellectionis: aliquid, scilicet ipsius animæ, & ipsum obiectum, vel aliquid ex parte obiecti. Et hoc videtur haberi ab Augustino 9. de Trin. cap. vlt. *Liquidò*, inquit, *tenendum est, quòd omnis res quantuncunque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui. Ab vtróque enim pariter notitia, scilicet à cognoscente, & cognito.* Ex 2. de Trin. c. 1. vel 5. *ex visibili & vidente & gignitur visio*, Et licèt ibi subdat, *informatio sensus, quæ visio dicitur, à solo imprimitur corpore, quod videtur.* Hoc non est contra illud: quia æquiuocè accipitur hoc nomen, *visio*: primò pro actu videndi: secundò pro ipsa similitudine rei visæ, & illa à solo corpore causatur. Et ista æquiuocatio potest colligi ex multis verbis illius capituli. 8.

Quando obiectum est præsens intellectui, haberi potest notitia, non aliter. Pro hac conclusione videtur esse ratio [g]: quoniam quando obiectum intelligibile est actu præsens intellectui, potest haberi intellectio actualis illius obiecti, sed nō potest haberi sine principio perfectè actiuo: igitur vel alterum illorum tantùm est perfectè principiū actiuū, vel ambo integrāt vnū principiū perfectè actiuū: ita quòd vtrū que sit partiale actiuū. Quòd autē neutrū sit perfectè principium actiuum, probatur.

Obiectum non est causa totalis intellectionis. Primò de obiecto: quia aliquod obiectum non est nobilius ipsa intellectione, sicut accidens sensibile: & principium actiuum perfectum, quando est æquiuocum, necessariò est perfectius forma causata.

Secundò

Secundò probatur idem [h] quia obiecto existente æquè præsente intellectui, si maior est conatus, & maior intentio ad intelligendum, perfectior potest haberi intellectio: & hîc videtur, quia perfectius vestigium derelinquitur; igitur maior intentio voluntatis causat aliquo modo perfectiorem intellectionem: quod non videretur probabile, si solum obiectum esset causa actiua eius, quia illud videretur semper agere secundùm vltimum potentiæ, cùm sit agens naturale non liberum per essentiam. Patet sed nec liberum per participationem videtur, cùm non sit in eadem natura cum voluntate. *Maior conatus facit ad perfectiorem intellectionē.*

9. Tertiò ostenditur idem sic: [i] Operatio illa non est, per se perfectio agentis, quam ipsum elicit præcisè mediante aliquo suo accidente per accidens. Exemplum: *calefacere* vel etiam *calere* non est per se perfectio ligni calidi: quia non competit sibi nisi per calorem, qui est accidens eius: illud autem, à quo obiectum aliud ab anima, est præsens intellectui, est eius accidens per accidens: quia quandoque contingenter inest: quandoque non: igitur si solum illud est principium actiuum respectu intellectionis: intellectio non esset propria perfectio intellectus, vel hominis. *Intellectio si ab obiecto tantùm esset, non esset perfectio intellectus.*

Item secundò probatur, quòd nec totalis actiuitas conueniat intellectui: quia actus videtur propria similitudo obiecti. Videtur etiam sortiri speciem ab obiecto, licèt non sicut à principio formali intrinseco: tamen sicut à per se principio extrinseco Videtur etiam essentialiter dependere ab obiecto, propter quod refertur ad ipsum in tertio modo relatiuorum: hoc autem non videretur verum, [k] si obiectum esset tantùm causa per accidens: vel causa, sine qua non. *Intellectio non fit à solo intellectu.*

Concedo igitur auctoritates prius adductas ad quascunque affirmatiuas, siue de intellectu, siue de obiecto. Verum quidem est, quòd vtrúmque istorum aliquo modo est actiuum ad intellectionem, sed actiuum partiale: ambo autem integrant vnum actiuum totale.

COMMENTARIVS.

24. *Intellectus, & obiectum concurrunt in ratione principij actiui respectu intellectionis*

f *De isto articulo.* Doctor priùs ponit intentionem suam, & pòst soluit rationes siue auctoritates pro vtráque parte. Dicit ergo, quòd *vtrumque*, scilicet intellectus, & obiectum *concurrit in ratione principij actiui respectu intellectionis.* Et hoc videtur haberi ex Aug. &c.

g Deinde adducit rationes pro conclusione, quia *quando obiectum est præsens intellectui, potest haberi intellectio actualis illius obiecti*, &c. Sequitur: *Principium perfectè actiuum quando est æquiuocum, necessario est perfectius forma causata*, vt patet *in 4. dist.* 12. & dicit *perfectius forma causata*, quia propriè dicitur causari totum, & non forma informans, sicut dicimus album causatur, & non propriè albedo, sicut intelligens causatur, & non intellectio, modò non dicitur perfectius toto, vt comprehendit vtrúque, sed perfectius forma informante causata.

h *Secundò probatur idem*, &c.

In ista ratione nota aliqua primò quòd intellectio elicita maiori conatu est perfectior, scilicet intensiuè; patet, quia substantia, & intensio actus est à causa actus, vt patet à Doctore *in primo, dist.* 17. Ab eodem enim est intensio, & substantia actus: modò quando causa agit maiori conatu, id est, maiori virtute, tunc producit perfectiorem actum, sicut patet quando aliquis toto conatu figitur in visibili, tunc perfectior, & intensior visio causatur. Secundò nota, quòd intellectus sibi derelictus semper agit actuali conatu, quando obiectum est æquè præsens, ita quòd maior & minor conatus non est ab intellectu vt intellectus, sed hoc est à voluntate sic intelligendo, quòd potest firmare intellectum in actu intelligendi, & quantò plus firmatur à voluntate, tantò intensiùs, & maiori conatu intelligit. Sed de hoc vide Doctorem *in 2. d.* 42. vbi hanc materiam prolixè exposui.

i Tertiò principaliter ostendit sic; *operatio illa non est per se perfectio agentis, quam ipsum elicit mediante aliquo suo accidente præcisè per accidens*, &c. Sequitur: *igitur si solum illud est principium actiuum respectu intellectionis, intellectio non esset propria perfectio intellectus, vel hominis.* Patet, quia non ita esset ipsi per aliquod sibi intrinsecum, sed merè per extrinsecum, quia tantùm per speciem intelligibilem obiecti, quæ est ipsi intellectui tantùm accidens per accidens, & sic esset multùm vilifacere naturam ita perfectam, quæ tamen dignificari debet quantum potest, nisi appareat manifesta contradictio; hîc autem nulla apparet contradictio.

k *Hoc non videtur verum, si obiectum esset tantùm causa per accidens, vel causa sine qua non.* Patet, quia anima per accidens, vel à causa sine qua non, nihil per se, & essentialiter dependet vt mensuratum à mensura. Et aduerte, cùm dicit de similitudine obiecti, debet intelligi de similitudine per imitationem, & illa, & tunc obiectum est causa intellectionis, vel saltem, aliquid virtualiter continens illud, sic intelligendo, quòd actus intelligendi immutetur essentialiter obiectum. Et de hoc satis dictum est in quæst. 13. quodlibet. & in primo, dist, 3. quæst. 7. *Nota.*

Cætera vsque ibi: *De tertio primi principalis*, patent ex dictis hîc & in primo, dist. 3. q. 8. & dist. 17.

SCHOLIVM.

Explicat quomodo obiectum, & intellectus sint duæ concausæ diuersæ rationis, quarum neutra ab altera accipit virtutem. De quo latè, 1. dist. 3. q. 7. nu. 20. & q. 8. nu. 2. Probat intellectum esse principaliorem causam respectu intellectionis, ad quam naturaliter mouetur, non verò respectu visionis beatæ. Explicat loca Augustin. & Philosophi conformiter ad resolutionem suam, de effectiuo concursu vtriúsque causæ ad intellectionem. Vide eum, 1. dist. 3. q. 7. nu. 37. vbi soluit argumenta tribuentium totam actiuitatem speciei; & nu. 27. vbi soluit argumenta Goffredi negantis omnem actiuitatem animæ, & nu. 24. vbi refellit argumenta Henrici tribuentis totam actiuitatem ipsi animæ.

SEd hîc sunt duo dubia. Primum quomodo ista constituunt vnum perfectum principium. Secundum de quibusdam auctoritatibus adductis, puta de illa Augustini *Ex ipsa scientia nascitur verbum*, quomodo ista facit pro obiecto: & similiter illa Aristotelis 2 de Anima, *scientia autem vniuersalium est*. 10.

Ad primum dico, quòd causæ concurrentes quandoque sunt eiusdem rationis, & ordinis, vt plures trahentes nauem: quandoque verò sunt alterius rationis, & ordinis: & hoc dupliciter; quandoque posterior habet virtutem suam à priore. Exemplum, Sol, & pater in generatione hominis: quandoque posterior non habet virtutem suam à priore; nec dependet in habendo suam virtutem ab ea, sed tantùm dependet ab ea in agendo secundùm suam virtutem: ita quòd superior principaliùs agit, & inferior minùs principaliter agit. Exemplum fortè de patre, & matre in generatione prolis: vt enim videtur haberi ex 16. *de Animalibus*. Mater aliquo modo se habet actiuè, quòd videtur rationabile: cùm formam eiusdem speciei consequatur virtus eiusdem speciei. Mas autem, & fœmina non differunt specificè secundùm Philosophum 10 *Metaph.* Mater autem virtutem suam actiuam non habet à patre, nec in habendo ipsam ab illo dependet, sed dependet ab ipso in agendo secundùm ipsam virtutem, & agit minùs principaliter.

Vide 1. de Gen. animalium ad finem. Tex. 25.

Mater actiuè concurrit ad generationem.

Intellectus & obiectũ sunt duæ causæ, diuerso rationis, & neutra ab altera accipit virtutem 1. d. 3. q. 7.

Ad propositum, intellectus & obiectum non concurrunt primo modo: quia ille concursus non est necessarius ex ratione concurrentium, sed tantùm ex defectu virtutis in vno: quia si duplicaretur virtus vnius, ipsum solum sufficeret; non sic hîc; quia quantuncunque sit obiectum perfectum, vel intellectus perfectus, neutrum tamen causaret actum sine alio, nec concurrunt secundo modo: quia intellectus non habet virtutem suam actiuam ab obiecto: nec è conuerso. Tertiò igitur modo possunt dici concurrere.

Quod autem eorum sit principalius non oportet discutere.

Quære 3. d. 1. q. pen.

Quid sit secundùm Aug. verbum gigni de memoria de sciẽtia de obiecto.

Ad secundum dico, quòd ista tria accipit Augustinus pro eodem, verbum gigni de memoria, & verbum gigni de scientia in memoria: & verbum gigni de re nota: quia per scientiam intelligit actum primum, per quem anima est in actu sufficienti ad actum intelligendi, & in virtute illius primi actus gignitur verbum, & in illo actu primo relucet obiectum: & pro tanto dicitur gigni de obiecto; igitur de scientia gignitur, vt de principio formali gignendi: de obiecto autem vt relucente in illo principio: de memoria verò vt continente illud principium, ita quòd omnes tales auctoritates Augustini secundùm intentionem illius loquuntur pro auctoritate obiecti. 11.

2. de anima 1. 2. & 5. & 3. de Anima tic. 8. & 8. Phys. t. 32.

Consimiliter & illæ auctoritates Aristotelis, quæ dicunt, quòd *per scientiam possumus intelligere cùm volumus*; & in secundo de Anima, *scientia est vniuersalium*, & in tertio de Anima. *Cùm autem vnaquaque fiant*, vt habetur suprà.

Scientia est ratio secũdùm quam memoria est gignens.

Et est intelligendum, quòd tam Augustinus, quàm Aristoteles accipit scientiam non pro habitu illo acquisito ex actibus frequentatis, & facilitante ad similes actus, sed pro illo, per quod obiectum est præsens, vt actu intelligibile, siue ponatur species intelligibilis, siue aliquid aliud. Scientia enim est illud secundùm Aristotelem, secundùm quòd anima educitur de potentia essentiali ad accidentalem. Hoc autem præcedit omnem actualem intellectionem: quia illa est terminus potentiæ accidentalis. Scientia enim acquisita ex actibus, & facilitans ad considerandum, non præcedit omnem actum intelligendi. 12.

Similiter apud Augustinum. Scientia est formalis ratio, secundùm quam memoria est patiens, siue gignens. Ista autem scientia acquisita ex multis considerationibus non

non est formalis ratio gignendi quamcunque intellectionem: imò gignitur ex multis præcedentibus.

Si dicas, quòd illa auctoritas 12. *super Gen.* non affirmat tantùm de anima: sed etiam negat obiectum agere in animam.

Similiter Aristoteles non tantùm conceditur obiectum agere, sed videtur negare intellectum agere: quia videtur ponere quòd *intelligere sit pati quoddam.*

Ad primum posset dici quòd Augustinus negat ibi obiectum agere in animam immediatè secundùm *esse* materiale, quod habet extra animam. 2. & 3. de Anima.

Ad secundum, Aristoteles videtur frequentiùs loqui pro actiuitate obiecti, & passibilitate potentiæ. Cuius ratio est: quia communiter locutus est de potentiis animæ, inquantùm sunt illa, quibus formaliter possumus operari, puta de sensu, inquantùm est, quo possumus formaliter sentire; & de intellectu, quo intelligere: sic ut loquitur de anima, vt est illud, quo formaliter viuimus: nunc autem licèt intellectus actiuè causet intellectionem, non tamen dicitur intelligere inquantùm causat: quia si Deus causaret illam eandem intellectionem, non tamen dicitur intelligere illa intellectione; sed intellectus ille, in quo causatur intellectio: igitur & modò intellectus dicitur intelligere, non quia causat, sed quia recipit intellectionem. Et sic verum est quòd *intelligere est quoddam pati:* quia intellectum intelligere non est nisi ipsum recipere intellectionem. Ista autem auctoritas 9. *Metaphysicæ* si faciat pro actiuitate obiecti, vel non, patet ex quæstione de actu cognoscendi, & appetendi. 2. de Anima tex. 24. f. q. 13. sup.

7 SCHOLIVM.

Ponit primò quatuor argumenta suadentia intellectum agentem, tantùm esse actiuum, & possibilem minimè actiuum esse. Secundò, adducit alia quatuor argumenta suadentia intellectum possibilem esse actiuum.

13. DE tertio primi articuli principalis, videndum est an illud in parte intellectiua, quod est actiuum ad intellectionem, sic intellectus agens vel possibilis. Videtur quòd agens: quia intellectus possibilis recipit intellectionem: si igitur cum hoc sit actiuus respectu intellectionis: pari ratione posset dici quòd respectu speciei intelligibilis, quam recipit, esset actiuus, & ita non requireretur intellectus agens ad aliquem actum in intellectu. *Arguitur variè, possibilem nō esse actiuum.*

Confirmatur illud: quia actiuum, & passiuum distinguunt potentias in anima. 3. de Anima t. 17.

Secundò ad idem sic. Philosophus 3. *de Anima* distinguens intellectum agentem à possibili, sic ait: *Est enim intellectus hic quidem talis, quod est omnia fieri; & de agente: ille autem, quo est omnia facere.* Ex hoc videtur sequi quòd intellectus agens adæquetur possibili in ratione actiui, & passiui. Est igitur actiuus, & omne illud, cuius possibilis est receptiuus, & per consequens ad intellectionem. Vide 3. de Anima, te. 37. & 38.

Præterea idem sequitur de intellectu agente, *est sicut habitus quidam, & vt lumen:* lumen autem intellectuale videtur esse principium actiuum cognoscendi veritates intelligibiles, secundùm illud 12. de Trin. 15. *Mens rebus intelligibilibus naturali ordine, disponente conditore, subjecta, sic ista videt in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt, quæ in hac corporea luce circum adjacent.* al. subiuncta.

Præterea ibidem sequitur: *semper nobilius est agens patiente, & principium materia; igitur impassibilis est substantia in actu:* igitur vult quòd intellectus agens est nobilior possibili, vel saltem non minùs nobilis; nunc autem imago consistit in eo, quod optimum est in nostra natura, vt probatur in primo articulo per Augustini: igitur intellectus agens pertinet ad imaginem, sed non potest pertinere nisi ad memoriam: (patet) sed cùm memoria habeat conseruare obiectum, vel speciem obiecti, & exprimere, vel gignere notitiam actualem eius; Patet, quòd intellectui agenti non potest competere primum: quia non est virtus receptiua, nec conseruatiua: igitur competit sibi secundum, scilicet exprimere notitiam. Tex. 19.

Sed pro alia parte, scilicet intellectu possibili arguitur primò per illud Aristotelis *quòd intellectus agens est sicut lumen.* Commentator vult ibi, quòd sicut lumen facit quodammodò potentia colorem actu colorem, sic intellectus agens facit de potentia intelligibili actu intelligibile: igitur actus eius terminatur ad obiectum actu intelligibile, & hoc præcedit intellectionem. Tex. c. 19. Com. 19. Ad finem.

Confirmatur per illud 3. *de Anima, com.* 18. vbi vult Commentator, quòd si res haberent *esse* eo modo, quo posuit Plato, non oporteret ponere intellectum Agentem; igitur non ponitur nisi vt per ipsum fiat obiectum actu vniuersale; sed hoc præcedit actualem intellectionem.

Com. 18. 3. de Anima, vbi sup. Vide in 4. d. 45. q. 1.

Munus agẽtis trãsferre de ordine materiali, ad spirituale.

Præterea secundo, secundùm Commentatorem, intellectus agens ponitur, vt per ipsum transferatur obiectum de ordine in ordinẽ. Quòd sic intelligi potest de ordine sensibiliũ ad ordinem intelligibiliũ, & per consequens de ordine corporaliũ ad ordinem spiritualium; & quare requiritur ibi aliquod transferens proprium; ratio videtur esse, quia agens, quod habet *esse* corporale, non habet rationem agentis, nisi in passum corporale, propter hoc, quòd tale agens requirit passum approximatum sibi localiter; quia si non esset localiter præsens, esset tali agenti quasi non præsens: igitur nunquam aliquod corporale potest esse ratio immediatè causandi aliquod spirituale, nec per consequens transferendi ab illo ordine ad illum ordinem. Et ista videtur esse ratio Augustini 12. *super Gen.* 29. Sed quando obiectum fit de actu intelligibili, actu intellectum, non transfertur sic de ordine ad ordinem: igitur non requiritur ibi intellectus agens.

Confirmatur, quia ad hoc, quòd intellectum fiat actu volitum, non ponitur talis trãslatio ab ordine in ordinem; & hoc ideò est, quia actu intellectum est sufficienter proportionatũ voluntati. Cùm igitur actu intelligibile habẽs *esse* in memoria intellectiua, sit æquè sufficienter proportionatum intelligibile, ad hoc scilicet, vt sit actu intellectum, sequitur quòd ibi nõ requiritur virtus transferens de ordine ad ordinem.

An propter agere & pati dicitur intellectus agens & possibilis.

Præterea tertiò, si intellectus agens esset per se actiuus ad intellectionem actualem, pari ratione vbicunque poneretur potentiã esse actiuã ad propriã operationem, & cum hoc etiam potentiã receptiuã talis operationis, ibi esset distinguere potentiã agentem, & possibilem: vtpote voluntatem agentẽ, & voluntatẽ possibilẽ, secundùm communem opinionem quæ ponit voluntatem actiuam, & etiam receptiuam volitionis; & similiter si sensus ponatur actiuus, propter hoc fortè, quòd sensatio videtur nobilior ipso obiecto sensibili extrà, esset distinguendum de sensu agente, & possibili. Cùm igitur Philosophus istam distinctionem de agente, & possibili nusquam ponat ibi, nisi in intellectu, sequitur quòd ista differentia non est propter illa, quæ communiter inueniuntur in aliis potentiis, & ita non propter agere & recipere actionem. 15.

Præterea quartò, videtur esse contra illud idem 9. de Trin. & vlt. *à cognoscente, & cognito paritur notitia*; intellectus autem agens non est cognoscens, sed solum possibilis: igitur ab illo paritur intellectio, & per consequens actiuè se habet respectu intellectionis.

SCHOLIVM.

Si teneatur prima via tribuens totam actiuitatem intellectui agenti; dicendum erit, quòd habet duas actiones; vnam, qua transfert obiectum de ordine corporalium ad spiritualium, faciendo de potentia intelligibili actu intelligibile; alteram, qua facit de potentia intellecto actu intellectum, producendo intellectionem. Iuxta hoc dat modum respondendi argumentis in contrarium, positis, num. 14. Authoritates adductæ loquuntur de prima actione intellectus agentis, quia hæc est magis propria, quia nulli alij potentiæ competit: sed non negant ei secundam actionem, licèt de ea mentionem non faciant, quia est communis cum aliis potentiis.

Duæ actiones intellectus agentis.

DE isto articulo 1 si prima via tenetur, posset dici quòd intellectus agens habet duas actiones ordinatas. Prima est facere de potentia intelligibili actu intelligibile, vel de potentia vniuersali actu vniuersale. Secunda est, facere de potentiã intellecto actu intellectum. Primum intelligitur sic, quòd virtute intellectus agentis de phantasmate in phantasia gignitur species intelligibilis in intellectu, vel aliqua ratio, in qua actu relucet intelligibile, quæ breuiter loquẽdo dicatur species intelligibilis: & istã gignitionem realẽ repræsentatiui de repræsentatiuo dicitur concomitari quædã gignitio metaphorica obiecti de obiecto, sc. intelligibilis de imaginabili: quod ideò rationabiliter dicitur, quia tale *esse* obiectiuum habet obiectum in *repræsentari*; quale habet repræsentatiuum correspondens; & ideò translatione reali facta in repræsentatiuo, quando de corporali gignitur spirituale, scilicet de repræsentatiuo singulari 16.

Imaginabile quomodo fit intelligibile.

ſingulari gignitur repræſentatiuum vniuerſale, conſimilis dicitur, vel intelligitur tranſlatio in obiectis de corporali ad ſpirituale, vel de ſingulari ad vniuerſale.

Doctrina ſingularis. Intellectu agens facit de potentia intellecto, actu intellectum.

Secunda actio poneretur [m] per quam de potentiâ intellecto fieret actu intellectum. Vbi ſimiliter intelligitur factio metaphorica ex parte obiectorum correſpondens factioni reali ex parte eorum, quibus tenditur in obiecta: quia realiter ſpeciem intelligibilem ſequitur actualis intellectio, & ſicut prima tranſlatio de potentia ad actum: ſic etiam ſecunda diceretur fieri per intellectum agentem, tam ex parte obiectorum, & hoc metaphoricè; quàm ex parte illorum, in quibus relucent obiecta, & hoc realiter, pro tanto, ſcilicet quòd virtute intellectus agentis de phantaſmate gigneretur ſpecies intelligibilis, & ſic metaphoricè de potentia intelligibili gigneretur actu intelligibile; & ſecundò virtute ſpeciei intelligibilis gigneretur actualis intellectio, & ſic metaphoricè loquendo in obiectis de potentia in intellecto fieret actu intellectum.

Duplex paſſio in poſſibili reſpectu intellectus agentis.

17. Conſimiliter poſſet poni duplex paſſio ordinata in intellectu poſſibili correſpondēs iſti duplici actioni intellectus agentis; quarū prima eſſet receptio ſpeciei intelligibilis à phantaſmate per primam actionem intellectus agentis: & ſecunda eſſet receptio intellectionis à ſpecie intelligibili per ſecundam actionem intellectus agentis. Et ſecundùm hoc diceretur, quòd ad memoriam intellectiuam pertinent intellectus agens, & poſſibilis. Agens quidem, non quantùm ad primam actionem, quæ eſt facere de potentia intelligibili actu intelligibile: imò illius actionis terminus eſt memoria in actu, quia per illam actionem eſt intellectus habens obiectum actu intelligibile ſibi præſens. Sed quantùm ad ſecundam actionem, quia cùm memoriæ ſit exprimere actualem notitiam, vel intellectionem: & intellectus agentis ſecunda actio ſit agere ad iſtam actionem: intellectus [n] quantùm ad ſecundam eius actionem, includeretur in memoria. Intellectus autem poſſibilis, quantùm ad primam eius receptionem, qua ſcilicet, recipit actu intelligibile ſibi præſens, dicitur memoria: & quantùm ad ſecundam receptionem, ſcilicet actualis intellectionis, dicitur intelligentia.

Sola potentia intellectiua diuiditur in agentem, & poſſibilem.

Et ſecundùm hoc [o] reſponderi poſſet ad illa, quæ videntur adducta in contrarium, per hoc quòd actio abſtrahendi, quæ eſt prima actio intellectus agentis, eſt magis propria ſibi, quàm ſecunda, quæ eſt cauſare intellectionem; quia illa poteſt competere aliis potentiis; nulla autem alia transfert obiectum ſuum de ordine ad ordinem, ſic intelligendo de ordine corporalium ad ordinem ſpiritualium: imò voluntas, licèt cauſando actum ſuum, ſecundùm aliquos, per hoc metaphoricè transferat obiectum ſuum de ordine intelligibilium ad ordinem appetibilium; tamen iſta tranſlatio non requirit voluntatem agentem, ſic intelligendo, hoc eſt, præparantem obiectum ſuum, vt ſit actu volibile, ſicut intellectus agens præparat obiectum ſuum, vt ſit actu intelligibile; quia quando obiectum eſt actu intellectum, eſt actu volibile. Non igitur requiritur aliqua actio præparans obiectum voluntati. [p] Illæ igitur auctoritates affirmant, quòd verum eſt primo actu intellectus agentis. Etſi quandoque dicatur, quòd propter illum ſolum ponitur intellectus agens, verum eſt, vt talis virtus eſt propria intellectui; quia eſt ibi tantùm potentia præparans obiectum: præter ſecundum enim actum, non eſt propriè in intellectu talis virtus agens. Nam aliæ potentiæ poſſunt agere ad operationem, præſuppoſito obiecto.

COMMENTARIVS.

Quomodo ſe habeat intellectus agens.

25. l DE *iſto articulo ſi prima via teneatur*, ſcilic. quòd intellectus agens ſit actiuus, poſſet dici tam agens, quàm poſſibilis, habet duas actiones ordinatas, ſic intelligendo, quòd intellectus agens reſpectu illarum actionum, puta ſpeciei intelligibilis, & intellectionis actualis actiuè ſe habet, & potentialis reſpectu earum merè paſſiuè ſe habet, vt ipſe inferius exponit. Primò ergo exponit de illis, ad quas agens actiuè ſe habet, prima ergo actio eſt facere de potentia intelligibili, actu intelligibile, vel de potentia vniuerſali actu vniuerſale. Secunda eſt facere de potentia intellectu, actu intellectum; prima, ſcilicet actio, quæ eſt verè realis (qui terminatur ad terminum verè realem, ſcilicet ad ſpeciem intelligibilem, quæ eſt qualitas abſoluta) intelligitur ſic, quòd virtute intellectus agentis de phantaſmate in phantaſia gignitur ſpecies intelligibilis in intellectu, vel aliqua ratio, in qua actu relucet intelligibile, quæ breuiter loquendo dicatur ſpecies intelligibilis. Cùm dicit, quòd gignitur ſpecies intelligibilis de phantaſmate, non intelligitur ly *de* vt de cauſa materiali, ſed ly *de* intelligitur virtualiter, id eſt, quòd gignitur ſpecies intelligibilis de phantaſmate, quia phantaſma continet eam virtualiter, partialiter tamen, vt expoſitum eſt in primo, diſt. 3. quæſt. 6. Et ſic phantaſma, & intel

intellectus agens sunt duæ causæ partiales integrantes vnam totalem respectu speciei intelligibilis, licèt intellectus agens sit causa principalis, vt patuit *in primo, dist.3. quæst.8.* & hæc gignitio speciei est verè realis, eo quòd ad terminum realem, scilicet ad speciem vt dixi. *Et ad istam gignitionem realem repræsentatiui*, scilicet speciei intelligibilis, *de repræsentatiuo*, scilic. phantasmate, *dicitur concomitari quadam gignitio metaphorica*, (quæ dicitur metaphorica, quia non terminatur ad terminum realem, nec est à causa realiter agente) *obiecti de obiecto*, scil. *intelligibilis de imaginabili*, id est, quòd quando realiter de phantasmate, quod repræsentatiuum obiecti, habentis *esse* tantùm imaginabile, gignitur species intelligibilis, quæ est repræsentatiua obiecti habentis *esse* intelligibile, tunc concomitatur alia gignitio metaphorica, scilicet de obiecto imaginabili gignitur obiectum intelligibile.

26. *Exemplum.* Pono exemplum, species albi existens in virtute phantastica repræsentat ipsum album singulare cum hîc, & nunc, siue album existat, siue non, & tunc album vt sic repræsentatum, habet *esse* tantùm imaginabile, quia tunc virtus phantastica cum illa specie repræsentante, quæ propriè dicitur phantasma, potest causare actum imaginandi terminum ad album sic repræsentatum; causata verò specie intelligibili albi ab ipso phantasmate, & intellectu agente, quæ est species intelligibilis repræsentat ipsum album, non vt singulare, sed tantùm in vniuersali, quia est repræsentatiua quiditatis non singularis, nec cum conditionibus singularibus, vt patuit *in primo, dist.3. quæst.6.* Tunc album sic repræsentatum habet *esse* actu intelligibile, quia tunc immediatè potest causari actualis intellectio terminata ad album in vniuersali. Et sic potest concedi quòd album vt habet *esse* intelligibile, gignitur de albo vt habente *esse* intelligibile, & ista gignitio dicitur tantùm metaphorica, quia album vt sic præsens phantasmati, habet esse tantùm secundùm *quid*; & similiter album vt præsens speciei intelligibili, habet tantùm *esse* secundùm *quid*. Et ideò conceditur quòd gignitur intelligibile ab imaginabili metaphoricè, non quòd imaginabile aliquomodo causet, sed ex hoc solo, quia à phantasmate partialiter causatur species intelligibilis verè realiter, & quia phantasma repræsentat illud idem obiectum cum obiecti conditionibus materialibus, & sic habet *esse* imaginabile. Et species intelligibilis repræsentat in vniuersali, & non sub conditionibus materialibus, & tunc habet *esse* intelligibile. Et hoc est quod dicit ibi: *Quod ideò rationabiliter dicitur, quia tale* esse *obiectiuum habet obiectum in* repræsentari, *quale habet repræsentatiuum correspondens*, &c. Et vult dicere, quòd quando vna species obiecti gignitur de alia specie eiusdem obiecti eo modo, quo species genita repræsentat obiectum, & gignens repræsentat, quod etiam eodem modo dicitur vnum obiectum gigni de alio. Cùm ergo species in phantasia, quæ dicitur phātasma sit verè corporalis, quia informat, organum corporale, & species intelligibilis spiritualis, quia informat immediatè intellectum; & similiter phantasma repræsentat corporale, quia obiectum cum conditionibus corporalibus, & species intelligibilis repræsentat vniuersale, siue naturam in *esse* quiditatiuo, sequitur quòd quando species spiritualis gignitur de corporali, quòd etiā obiectum repræsentatiuum per speciem spiritualem dicitur gigni ab obiecto corporali, quia ab obiecto vt repræsentato à specie corporali, scilicet phantasmate.

m *Secunda actio poneretur per quam de potentia intellecto fieret actu intellectū*, &c. Et nota, quòd *obiectum potentia intellectum* accipitur pro obiecto actu imaginato, & *actu intellectū* accipitur pro obiecto actu ab intellectu cognito. Est ergo realis gignitio primò phātasmatis, in quo relucet obiectum imaginabile; secundò, speciei intelligibilis, in qua relucet obiectum vt intelligibile, & sicut de phantasmate realiter gignitur species intelligibilis, sic metaphoricè de obiecto relucente in phantasmate gignitur obiectum relucens in specie intelligibili, modo præexposito. Tertia actio realis est gignitio actualis imaginationis, siue actualis actus imaginandi, quo virtus phantastica actu imaginatur obiectum relucens in phantasmate, & hic actus gignitur à virtute phantastica, & phantasmate, & in tali actu imaginandi, tunc obiectum dicitur actu imaginatum, & vt sic, dicitur potentia intellectum potentia, scilic. proxima. Quarta est gignitio realis quæ est actualis intellectionis obiecti relucentis in specie intelligibili, qua potentia intellectiua actu intelligit obiectum, & talis intellectio causatur ab intellectu agente, & specie intelligibili; & in isto actu intelligendi obiectum habet *esse* intellectum actu, & tunc obiectum vt actu intellectum, dicitur metaphoricè gigni de obiecto potentia intellecto, scilicet de ipso obiecto vt actu imaginato, quia vt sic, dicitur potentia intellectum. Est tamen differentia in prima actione, & secunda, quia in prima dicitur propriè metaphoricè gigni de intelligibili in potentia, intelligibile in actu, quia species intelligibilis per quam obiectum habet *esse* intelligibile in actu realiter gignitur à phantasmate, licèt partialiter, per quod phantasma obiectum est in potentia imaginabile. Sed in secunda reali non dicimus quòd actualis intellectio, per quam obiectum habet *esse* actu intellectum, gignatur ab actuali imaginatione, per quam obiectum habet *esse* intellectum potentia, nec per consequens ita propriè dicimus obiectum actu intellectum metaphoricè gigni de obiecto potentia intellecto, sicut in prima. Sed quia tamen actualis intellectio obiecti præsupponit actum imaginandi esse idem obiectū, dicimus, non tamen propriè, quod intellectio actualis realiter gignitur de actuali imaginatione, & sic obiectum, vt actu intellectum, dicitur metaphoricè gigni de obiecto potentia intellecto, quia sicut per actualem imaginationem tenditur à potentia in obiectum à potentia, sci. phantastica, sic per actualem intellectionem tenditur ab intellecto in obiectum.

27. *Nota*

28. Nota etiam quomodo ista differant, obiectum potentia intelligibile; obiectum actu intelligibile; obiectum potentia intellectum; obiectum actu intellectum. Primo modo tantùm relucet in phantasmate; secundo modo in specie intelligibili; tertio modo in actuali imaginatione; quarto modo in actuali intellectione. Primo modo vt comparatur obiectum potentia intelligibile ad obiectum actu intelligibile dicitur esse in potentia proxima ad hoc, vt postea sit

Duplex est passio. Melius non potest dici.

sit actu intelligibile, vt vetè obiectum non relucet in phantasmate dicitur tunc in potentia remota ad obiectum actu intelligibile,& vt relucet in specie sensibili existente in sensu exteriori dicitur in potentia imaginabile, & vt relucet in phantasmate dicitur actu imaginabile; vt verò non relucet in aliquo sensu, dicitur in potentia remota imaginabile.

n *Intellectus agens quantùm ad secundam eius actionem includeretur in memoria*, ita quòd memoria prout est expressiua notitiæ includit intellectum agentem,& speciem intelligibilem integrantes vnam totalem causam notitiæ, sed intellectus agens est principalis causa. *Sed intellectus possibilis quantùm ad primam receptionem,qua, scilicet recipit actu intelligibile sibi præsens*,quod tunc est, quando recipit speciem intelligibilem, per quam dicitur obiectum actu intelligibile præsens intellectui possibili, tunc talis intellectio dicitur memoria, non tamen productiua, sed conseruatiua speciei intelligibilis, quæ pertinet ad memoriam actiuam. *Et quantùm ad secundam receptionem, scilicet actualis intellectionis, dicitur intelligentia*, quia tunc habet actualem intellectionem, qua actu intelligit obiectum, & qua formaliter dicitur intelligens.

29. *Actio abstrahendi est prima actio intellectus agentis.*

o *Et secundùm hoc responderi posset ad illa*, &c. Cùm dicit, quòd propria actio intellectus agentis est abstrahere; ista abstractio obiecti nihil aliud est, nisi causare speciem, per quam obiectum fit præsens intellectui in ratione actu intelligibilis, vt exposui *lib.1 dist.3.q.6.* Et sic dicitur transferre obiectum de ordine in ordinem,& hoc est proprium intellectui agenti;nulla autem alia potentia transfert obiectum suum de ordine in ordinem, sic intelligendo de ordine corporalium ad ordinem spiritualium. Licèt enim virtus phantastica transferat obiectum de ordine sensibilium ad ordinem imaginabilium; patet, quia causando phantasma obiecti, tunc obiectum est actu imaginabile,quod prius fuit potentia imaginabile,tamen vtrobique obiectum est præsens cum conditionibus materialibus, & corporalibus, vt suprà patuit, nunquam tamen potest causare speciem, per quam obiectum sit actualiter intelligibile, quod vt sic, dicitur habere *esse* spirituale, pro quanto, scilicet non est præsens sub conditionibus corporalibus,vt suprà patuit,& quòd nulla alia potentia sic transferat, probat per argumentum à fortiori,quia hoc magis videtur competere voluntati,cui tamen non competit, quæ licèt secundùm aliquos,causando actum suum per hoc metaphoricè transferat obiectum suum de ordine intelligibilium ad ordinem appetibilium, tamen ista translatio non requirit voluntatem agentem; sic intelligendo, hoc est, præparando obiectum suum vt sit actu volibile, quia quando obiectum est actu intellectum, est actu volibile. Sed non est sic quando obiectum est actu imaginatum,est actu intelligibile;nisi enim priùs in intellectu possibili esset causata species intelligibilis,per quã est actu intelligibile,nunquam obiectum posset poni actu intelligibile, etiam quibuscumque aliis positis in potentiis sensitiuis tam interioribus, quàm exterioribus. Et de hoc prolixè dictum est *in primo, dist.3.q.6.* vbi probatur necessitas speciei intelligibilis respectu notitiæ abstractiuæ obiecti.

p *Illæ igitur auctoritates affirmant, quod verum est de primo actu intellectus agentis*, &c. *Nota.*

Hîc aduerte, quòd hoc dictum non est absolutè intelligendum, non enim album vt actu visum à potentia visiua, est tunc actu imaginabile, quia necessariò requiritur species albi in virtute phantastica repræsentans ipsum in ratione obiecti actu imaginibilis. Sed hoc fortè dicit quòd in virtute phantastica non est ponenda aliqua virtus actiua, quæ sit causatiua talis speciei, per quam obiectum est actu imaginabile,sed causata specie sensibili in sensu exteriori,statim illa causat aliam in virtute phantastica vt causa talis, per quam obiectum est præsens virtuti phantasticæ vt actu imaginabile. Si tamen, teneatur prima via, quòd concurrat etiam virtus phantastica, vt suprà dixi, sic potest sustineri eo modo, quo exposui.

SCHOLIVM.

Si teneatur intellectum possibilem efficere intellectionem; dicendum erit, quòd ipse cum obiecto constituat memoriam; quódque agens tantum transfert obiectum de ordine imaginabilium ad ordinem intelligibilium. Ad argumenta posita,nu.13.contra hoc. Ad primum, quòd potentia operatiua non est actiua sui obiecti, & ideò intellectus possibilis non est actiuus speciei, quia sic quodammodò efficeret suum obiectum. Ad secundum, benè exponit quomodo intellectus agentis sit omnia facere, scilicet actu intelligibilia. Ad tertium, quomodo veritas principij relucet per actionem intellectus agentis, quia producit speciem, sine eo quòd concurrat ad intellectionem immediatè. Ad quartum, agens esse perfectius possibili, quatenus respicit sensibilia, non aliter, quia facit intelligibilia; iuxta hoc dicendum, possibilem, non agentem, spectare ad imaginem,vt dixi nu.17. Problematicus tamen manet Doctor, sed tenendo non dari distinctionem realem potentiarum, primam viam,quæ ponit agentem tantùm esse actiuum, præfert alteri. De potentiarum distinctione vide Scot.2.dist.16.vbi ostendit non distingui realiter inter se, vel ab anima. De speciebus, & vtroque intellectu latè Doctor. 1. dist.3. quæst. 6. 7. 8.

Intellectus possibilis intrat rationem memoriæ, secundùm hanc sententiam

18. SI verò teneretur alia via,scilicet quòd illud animæ,quod est actiuum ad intellectionem, est intellectus possibilis, & quòd intellectus agens habet tantùm actionem abstrahendi obiectum, tunc esset dicendum, quòd intellectus agens non pertinet ad memoriam sed actio eius terminatur ad memoriam:& hoc respectu sensibiliũ, quia

quia terminatur ad illam formam, per quam obiectum actu intelligibile relucet intellectui,& illa est forma constituens perfectam memoriam. Respectu autem merè intelligibilium, puta spiritualium, nullam actionem omnino haberet; & hoc si talia intelligantur non per speciem; vel si per speciem, tamen possunt eam causare virtute propria. Intellectus autem possibilis secundùm hoc poneretur pertinere ad memoriam,non tamen vt retinens omne repræsentatiuum obiecti actu intelligibilis; sed etiam vt exprimens actiuè notitiam actualem.

Et tunc ad illa,quæ sunt adducta contra hoc, posset responderi.

Ad argum. posita. nu. 13. *Quare intellectus possibilis non facit speciem, sicut intellectionem.* Vide 1. q. prologi.

Ad primum,quòd potentia operatiua non est actiua sui obiecti, licèt sit actiua sui actus circa obiectum, & ideò non pari ratione potest intellectus possibilis causare speciem intelligibilem, sicut potest causare intellectionem illam. a 19.

Ad confirmationem illam,diceretur quòd loquendo de potentia, vt dicit respectum,benè distinguitur in actiuum, & passiuum; sed loquendo de illo, quod subest respectui,quod communiter intelligimus, cùm dicimus *potentia* quemadmodum dicimus, quòd calor est potentia calefactiua: sic non oportet, quòd actiuum, & passiuum distinguant ipsam, b quia tunc voluntas esset duæ potentiæ.

Ad aliud, cùm arguitur secundùm Aristotelem, quòd intellectus agens est, *quo est omnia facere:* intelligendum est sic, facere omnia actu intelligibilia.

Intellectus agentis, omnia facere exponitur.

Et hoc habetur ex eo,quod sequitur, quòd *lumen facit quodammodò potentia colores actu colores:* quia facit eos actu visibiles. Sic intelligendo,quòd licèt natura absoluta, coloris, quæ est in genere Qualitatis, maneat eadem in tenebris:tamen vt sic non est visibilis,intelligendo de potentia propinqua: quia quando oportet duas causas cōcurrere ad agendum,vna earum,scilicet secunda non est in potentia propinqua, nisi alia, scilicet prima concurrente. Ad hoc autem,quòd color agat in visum, requiritur alia causa concurrens ad agendum,scilicet lumen: ideò tunc solùm est color visibilis in potentia propinqua, quando est actu illuminatus. Hoc modo phantasma non potest gignere speciem intelligibilem: nisi concurrente actione intellectus agentis.

Intellectus agens omnia facit actu intelligibilia & quomodo?

Ille igitur intellectus facit omnia actu intelligibilia, & hoc in potentia propinqua: quia relucentia in speciebus intelligibilibus, quæ priùs fuerunt in potentia remota, quia tantùm relucentia in repræsentatiuo materiali, & repræsentante ea sub ratione singularis; non autem dicit, quòd agens est, quo est omnia facere actu intellecta.

Cùm igitur concluditur adæquatio c intellectus agentis in agendo ad possibilem in recipiendo, debet inferri vniformiter de actione, & receptione actu intelligibilis, non de actione & receptione actu intellecti.

Ad tertium,veritas principij videtur in rationibus terminorum; illæ autem rationes terminorum,vt actu intelligibiles, & vniuersales, relucent intellectu per actionē lucis intellectus agentis. Sic igitur videt veritatem d principiorum in luce intellectui agentis,non tanquam immediatè causante illam visionem, sed mediatè, scilicet causando rationes terminorum in *esse* intelligibili, per quas posteà causatur actus videndi veritatem principiorum.

Solus possibilis est intelligentia, solus etiam pertinet ad memoriam.

Ad quartum diceretur, e quòd agens est nobilius possibili, præcisè,vt respicit obiecta sensibilia:quia præcisè respectu illorum est agens in intellectum possibilem.

De isto articulo hoc tenendum videtur, quòd illam distinctionem Augustini 10. de Trin cap.2. *memoria, intelligentia, & voluntas,* comparando ad illam Aristotelis in intellectu agentem,& possibilem,sic sibi inuicem correspondent,quod solus possibilis est intelligentia, quia solus recipit actum intelligendi, & sic etiam communiter Aristoteles loquitur de intellectu, vt est, quo intelligimus, siue quo recipimus intellectionem:etiam possibilis pertinet ad memoriam, inquantùm memoriæ est recipere notitiam habitualem, secundùm illud 15. de Trin.10. *Scientia, quam memoria tenemus,* & sic loquitur Aristoteles quandoque de intellectu possibili,vt est quo scimus: siue vt est quo habemus scientiam, per quam reducitur de potentia essentiali ad accidentalem. 20.

Possibilis gignit notitiam.

Sed quo ad alium actum memoriæ,qui est gignere notitiam actualem,patet quòd hoc competit adhuc intellectui possibili per accidens: quia quando forma actiua inest alicui subiecto, actio secundùm illam formam per accidens competit eidem,sicut lignum per accidens calefacit: nunc autem illud quo obiectum actiuè se habet ad gignendum intellectionem est forma intellectus possibilis; igitur intellectus possibilis saltem per accidens gignit.

Sed si

Sed si vltra hoc quæras, an conueniat actus gignendi notitiam per se ipsi parti intellectiuæ potest teneri secundum prædicta, vel competere præcisè intellectiua agenti, vel præcisè intellectui possibili: & secundum hoc iste, vel ille diceretur pertinere ad memoriam.

Vel posset poni tertio modo actum gignendi vtrique competere, sed agenti tanquam principaliori; & possibili tanquam minus principali. Nec sequitur: si sint vni natura; igitur non possunt habere respectu eiusdem causalitatem principaliorem, & minus principalem. Patet enim instantia de intellectiua principalior, & alia subordinata in aliqua actione, & tamen, sunt vna natura.

f Sed ista instantia secundum aliquos non est similis: quia non vtraque potentia immediatè attingit idem, vt causatum, sed vna per operationem suam causatam, mouet aliam ad suam operationem.

Breuiter, si non teneretur distinctio potentiarum, nec re absoluta, nec relatione reali, sed tantùm, quòd idem absolutum quodammodò illimitatum est principium immediatum multorum actuum, & sic respectu alterius dicetur alia, & alia potentia tunc prima via probabilis videtur.

COMMENTARIVS.

Quomodo potentia operatiua sit actiua & non actiua.

a *AD primum, quòd potentia operatiua non est actiua sui obiecti,* &c. Intellectus agés dicitur causare obiectum hoc modo, scilicet quòd facit obiectum esse actu intelligibile, & facit ipsum actu inteligibile, quando causat speciem intelligibilem obiecti; modò potentia merè operatiua, tunc obiectum, scilicet causandi actum, quo percipit obiectum, non facit ipsum obiectum actu intelligibile, imò vt sic nec præsupponit ipsum vt actu intelligibile, & ideò intellectus potentialis potest causare actualem intellectionem circa obiectum actu intelligibile, non causando speciem intelligibilem, per quam obiectum est præsens intellectum, vt actu intelligibile.

b *Sic non opportet quòd actiuum, & passiuum distinguant ipsam, quia tunc voluntas esset dua potentia,* patet, quia eadem voluntas causat actum suum, & sic dicitur actiua, & illa eadem recipit actum à se causatum, & vt sic dicitur passiua, & tamen in re est tantùm vna potentia, sic dicendum est in proposito de intellectu.

c *Cùm igitur concluditur adæquatio intellectus in agendo, &c.* id est, quòd intellectus agens facit omnia obiecta actu intelligibilia causandi species intellibiles obiectorum, & tunc intellectus possibilis respectu illarum est receptiuus, per quas obiecta sunt sibi præsentia vt actu intelligibilia. Sed quia non facit ipsa obiecta actu intellecta, scilicet causando intellectionem illorum, ideò possibilis non recipit illa obiecta vt actu intellecti, id est, non recipit ab intellectu agente actualem intellectionem illorum cum illa causetur ab intellectu possibilis, & specie intelligibile.

d *Sic igitur videt veritatem principiorum in luce intellectus agentis,* &c. id est, quòd intellectus agens causando species intelligibiles terminorum, ipsi termini fiunt actu intelligibiles, & præsentes intellectui possibili, & tunc intellectus possibilis vna cum speciebus illis causat actualem intellectionem terminorum quibus terminis cognitis, statim habetur veritas principij constituti ex illis terminis. Et de hoc dictum est prolixè *in primo distin.* 3. *quest.* 4. de sinceris veritatibus.

e *Ad quartum diceretur quòd agens in nobilius possibili præcisè vt respicit obiecta sensibilia quia præcisè respectu illorum est agens in intellectum possibilem,* intelligendo tantùm de prima actione, scilicet faciente obiecta actu intelligibilia, & non actu intellecta, vt suprà patuit.

De isto articulo. Doctor videtur declinare magis ad hoc, quòd intellectus agens sit actiuus notitiæ obiecti, quàm possibilis, ita quòd intellectus agens & species intelligibilis per se producunt actum intelligendi possibilis, verè potest dici actiuus tantùm per accidens, quia per speciem intelligibilem quam formaliter habet. *Nota.*

f *Sed ista instantia secundùm aliquos non est similis,* &c. Sed de hoc vide quæ exposiui in quæst. vlti. prolo. & in 2. dist. 25. *Breuiter si non teneretur distinctio potentiarũ, nec re absoluta, nec relatione reali,* de quo *in 2. dist.* 16. *Sed tantùm quòd idem absolutum quodammodò illimitatũ est principium immediatum multorum actuum, &c.* & sic patet iste secundus articulus qui tamen pro maiori parte est prolixè expositus à Doctore *in primo. dist.* 3. *q.* 6. *&* 7. *&* 8. & vide quæ ibi exposui & multa dubia ad expositionem huius articuli multùm valentia.

In isto articulo sunt principaliter dubia. Primum est de obiecto intelligibili; secundum, de intellectu; tertium est de vtroque simul. Primò instatur, probando quod obiectum sit totalis causa sui actus intelligendi, & primò sic; & pono quod essentia diuina sit obiectum adæquatum intellectus diuini, si ipsa non potest immediatè causare notitiam sui in intellectu suo, sequitur quòd sit imperfecta causa; patet, quia illa dicitur causa imperfecta, quæ non potest attingere operationem, ad quam ordinatur, & hoc vt causa totalis. Modò essentia diuina & perfectissima inter omnes, imò super omnes causas. *Primum dubiu.*

Secundò instatur sic: quantò obiectum est perfectius, tantò perfectiori modo operatur, ergo obiectum in infinitum perfectius operatur. Hæc consequentia patet in simili per Doctorem, *in primo, dist.* 2. *parte* 1. *q.* 1. vbi arguit sic causa: superior est perfectior in causando, ergo in infinitum superior in infinitum est per *Secundum.*

perfectior,& perfectius erit patet ergo consequentia. Sed si obiectum non haberet totam operationem in voluntate sua,ita quòd immediatè possit omnem sui notitiam producere,non operaretur in infinitum perfectius.

Tertio instatur sic: Aliquid sic potest supplere vicem obiecti, quod potest immediatè causare notitiam illius obiecti, vt totalis causa ergo & ipsum obiectum poterit esse totalis causa illius notitiæ. Antecedens patet,quia voluntas diuina potest se sola immediatè causare in intellectu notitiam hominis intuitiuam, non concurrente intellectu meo; patet, quia ipsa potest supplere vicem omnis causæ secundæ,vt ab omnibus conceditur Theologis consequentia; patet, quia in hoc dicitur supplere vicem alicuius,pro quanto,potest producere operationem natam produci a tali obiecto, vt patet à Doctore *in prolo.q.*1. & vide quæ ibi exposui,

Voluntas diuina pōt supplere vicem causæ secundæ.

Quarto instatur sic: voluntas diuina potest immediatè, vt totalis causa, causare visionem essentiæ diuinæ formaliter infinitæ in aliquo intellectu creato; ergo multò magis essentia diuina poterit causare, vt totalis causa, notitiam intuitiuam sui in intellectu creato, posito quòd ipsum possit immediatè mouere. Antecedens est notum,consequentia patet.Tum, quia in hoc voluntas perfectè suppleret vicem illius essentiæ. Tum, quia essentia est origo,& fundamentum omnis perfectionis voluntatis diuinæ, vt patet suprà.*q.*1.*quol.& in q.*7.*& in* 1. *d.*8.*q.*3.

Quintò instatur sic: aliqua causa imperfectior est totalis causa propriæ operationis, Antecedens patet,quia ignis est totalis causa generandi alium ignem;similiter calor est totalis causa causandi calorem in subiecto. Consequentia patet, tum quia actio consequitur entitatem; ergo quando entitas est perfectior,& actio erit similiter. Tum,quia licèt Doctor. *in primo, dist.* 3. *q.* 7. dicat quòd ideo intellectus creatus non potest esse causa totalis actus intelligendi, quia est natus operari circa totum ens,& habet totum ens pro obiecto,tamen concedit quòd agens inferius potest esse totalis causa quia limitatum ad operandum, circa determinatam materiam. Sic in proposito arguo de obiecto,puta lapide,quòd potest immediatè causare notitiam sui, quia respicit & determinatam actionem, & determinatum receptiuum.Si ergo aliqua causa imperfecta est totalis causa suæ actionis,multò fortius obiectum perfectius erit totalis causa suæ operationis, siue notitiæ suæ.

Nota

Sexto instatur sic;Intellectus in ratione obiecti actu intelligibilis causat notitiam sui intuitiuam in seipso, ergo aliquod obiectum est causa totalis sui actus.Antecedens patet, quia intellectus separatus perfectè seipsum cognoscit per essentiam suam,vt patet à Doctore, *in* 2. *dist.*7. *q.* 8. Consequentia similiter patet, quia cùm intellectus sit simplex, & omnino ex natura rei in distinctus, non potest distingui in duo quorum vnum sit vt potentia, & aliud vt obiectum,vel totum causat vt potentia; vel totum causat vt obiectum;si secundò, habet; intentum; si primò, est contra Doctorem; qui vult quòd intellectus non sit totalis causa.

Quomodo intellectus sit simplex.

Septimò instatur,obiectum,vt totalis causa, potest immediatè causare speciem intelligibilem sui in intellectu sibi proportionato. Hoc patet à Doctore *præsenti q.* quare etiam non potest immediatè,vt totalis causa,causare notitiam sui,cùm hoc sit magis propria operatio eius,quàm causatio speciei intelligibilis. Tum etiam, quia ex quo intellectus merè passiuè se habet respectu speciei intelligbilis, maximè quando illa causatur à merè obiecto intellectuali,siue spirituali,vt patet *presenti q.*Sequitur quòd etiam respectu notitiæ obiecti merè passiuè se habebit,vel saltem est assignanda ratio diuersitatis.

Octauò instatur sic: Notitia obiecti est sic propria operatio obiecti,quòd vnitatem,specificationem, & distinctionem habet à solo obiecto,ergo talis notitia erit ab obiecto,vt totali causa. Antecedens patet à Doctore *in primo, dist.* 3.*q.* 7. consequentia patet, quia si talis notitia esset etiam ab aliquo alio quàm ab obiecto,tunc ab illo ita haberet vnitatem & distinctionem,sicut ab obiecto, quod est falsum.

Nono, aliquod obiectum continet virtualiter aliquem intellectum,ergo potest in illo intellectu immediatè causare notitiam illius intellectus vt totalis causa, & hoc & in ratione obiecti actu intelligibilis. Consequentia patet, quia aliter non contineret ipsum, vt totalis causa. Antecedens patet,quia fortè suprema essentia creata continet intellectum humanum, vel saltem ipse Deus continet.

Decimò instatur, intellectus seipsum mouet, potentialis causa ad notitiam sui, ergo & quēlibet alium, quem immediatè potest mouere, mouebit vt totalis causa, ad notitiam.Antecedens patet suprà. Consequentia etiam patet per illam propositionem Doctoris s. quòd *Quando aliquid mouet aliud immediatè quodlibet eiusdem rationis simili modo potest mouere.* Vide in prolo *q.*3.& in secundo dist. nona, & vide quæ exposui circa illam propositionem. *Primum.*

Secundò principaliter instatur, probando quòd intellectus sit totalis causa intellectionis obecti.Primò quia si intellectus Diuinus, cùm sit formaliter infinitus,non sit totalis causa intellectionis obiecti, sequeretur quòd non esset infiniti vigoris,vt patet.

Secundò, voluntas ponitur totalis causa sui actus: ergo & intellectus.Antecedens videtur verum; Consequentia patet, quia intellectus intensiuè non est minoris perfectionis, quàm voluntas.Tunc etiam, quia vterque habet idem obiectum,& sub eadem ratione formali; ergo si voluntas est totalis, causa circa idem obiectum, sequitur quod similiter intellectus erit totalis causa. *Secundum.*

Tertiò instatur, quia quantò potentia est perfectior,tantò perfectius operatur ergo si aliqua est in infinitum perfectior, sequitur quòd in infinitum perfectiùs operatur; sed non perfectius operaretur in infinitum, si se sola, & vt totalis causa,non operetur circa obiectum. *Tertium.*

Quartò instatur;intellectus est potētia perfectissima inter potentias productiuas creatas; ergo specialiter debet habere propriam operationem,& sibi soli competentem; sed si non esset totalis causa intellectionis,tunc non esset perfecta, & propria operatio ipsius intellectus; patet,quia illa operatio dependeret ab alio extrinseco, sicut creare est propria operatio volūtati diuinæ,quia soli illi conuenit, & nulli alteri,nec totaliter,nec partialiter;sic in proposito

Quintò

Quintum. Quintò instatur sic: Aliquis intellectus creatus virtualiter continet aliquod obiectum; ergo potest esse causa totalis illius. Consequentia patet, quia continens virtualiter aliud, potest immediatè causare notitiam illius, vt patet à Doctore *quæst.*14.

Sextum. Sextò instatur: Aliquod ens imperfectiùs est causa totalis suæ actionis, vt suprà patuit; ergo à fortiori, intellectus erit causa totalis operationis propriæ, scilicet intellectionis obiecti. Si dicatur, vt dicit Doctor *in primo, dist.*3. *q.*7. quòd non potest poni causa totalis, quia respicit omne ens, &c.

Contrà Quia voluntas similiter respicit omne ens, & tamen secundùm aliquos & fortè secundùm Doctor. ipsa ponitur causa totalis sui actus. Et posito quòd non ponatur causa totalis actus volendi, tamen respectu actus nolendi videtur quòd sit totalis causa, quia obiectum nolitionis est tantùm priuatio boni, vt patet à Doctore *in* 2. *dist.*25. Et sic talis priuatio nullius est actiua, vt patet.

Septimum. Septimò instantur sic: Intellectus vt potentia merè intellectiua, est causa totalis notitiæ sui; patet, quia à nullo alio causatur; perfectè enim seipsum intelligit, præsertim loquendo de intellectu separato; ergo saltem respectu suæ notitiæ erit totalis causa.

34. *Octauum.* Octauò instatur sic: Intellectus potest esse totalis causa notitiæ perfectioris; ergo & notitiæ imperfectioris. Consequentia patet per Doctorem *in* 2. *dist.*18. Potens producere perfectiùs, potest producere imperfectius eiusdem rationis. Si ergo intellectus potest, vt totalis causa, producere notitiam sui, quæ est satis perfectior notitia lapidis, & tamen est eiusdem rationis, sequitur quòd à fortiori poterit, vt totalis causa, producere notitiam lapidis; ergo obiectum non concausaret secum actiuè.

Nonum. Nonò instatur sic: Sicut se habet potentia factiua circa obiectum factibile, ita potentia operatiua circa obiectum suum. Sed potentia factiua circa suum obiectum se habet vt totalis causa, ita quòd obiectum non concurrit aliquo modo actiuè; hoc patet discurrendo in omnibus factiuis, calor enim, qui est potentia factiua circa calefactibile, merè actiuè se habet circa illud, sic quòd calefactibile nullo modo concurrit actiuè; ergo similiter potentia operatiua circa suum obiectum, imò hoc videtur à fortiori propter perfectionem potentiæ operatiuæ; ergo obiectum non concurrit actiuè cum potentia. Et similitudo inter potentiam factiuam & actiuam patet, quia vtraque respicit obiectum, circa quod operatur.

Decimum. Decimò, & vltimò instatur sic: Si intellectus diuinus moueretur à perfectissimo obiecto creato ad notitiam illius, etiam posito quòd moueretur, vt à partiali causa, vilesceret; ergo & intellectus supremus creatus, si moueretur ab obiecto imperfectiori se, tunc vilesceret; ergo talis intellectus etsi possit moueri ab obiecto perfectiori, vel æquali, non tamen ab imperfectiori, quia tunc vilesceret, sicut intellectus diuinus. Confirmatur, quia intellectus diuinus non dicitur vilescere, quando mouetur ab essentia diuina, vt patet à Doctore *in prol. quæst. pen. & d.*39. *& hic in quodl.* & hoc est, quia mouetur ab obiecto formaliter infinito. Sic videtur dicendum in proposito, & sic patet ista conclusio.

Tertiò principaliter instatur, probando quòd intellectio obiecti non sit ab intellectu & obiecto, vt à duabus causis partialibus integrantibus vnam totalem. Et primò sic, quia accipio perfectissimum intellectum creatum, puta intellectum supremi Angeli, & accipio lapidem pro obiecto actu intelligibili intuitiuè. Tunc sic, si intellectus ille non potest causare notitiam lapidis, nisi simul concurrat lapis actiuè ad huiusmodi intellectionem, sequitur quòd talis intellectus dependet à lapide, respectu suæ propriæ operationis, qualis est intellectio, quòd videtur multum vilificare intellectum illum supremum, scilicet, quòd non possit propriam operationem elicere, nisi in eliciendo simul concurrat tale obiectum imperfectissimum in operatione ad talem potentiam. 35.

Secundò instatur, quia si intellectio lapidis simul dependet à lapide & intellectu, ergo includit relationem dependentiæ essentialis ad intellectum & lapidem; & tunc quæro, aut includit præcisè vnam terminatam ad intellectum & obiectum, aut aliam & aliam; non prima, quia eadem relatio numero non respicit duos terminos æquè primò; non secundò, quia tunc idem effectus numero pluribus dependentiis essentialibus simul dependeret, quod videtur impossibile, etiam apud Doctorem.

Tertiò instatur, quia tunc eadem intellectio æquè esset naturalis similitudo intellectus, sicut & obiecti; patet, quia Doctor *in præsenti, q.* probat obiectum esse causam actiuam intellectus, per hoc, quòd intellectio est naturaliter à potentia intellectiua, sicut ab obiecto, quod tamen Doctor non concedit. Et quòd sequatur, patet, quia Doctor *in præsenti, q. & in primo, dist.*3. *q.*7. probat obiectum concurrere actiuè ad notitiam sui, per hoc, quòd talis notitia specificatur ab obiecto. Cùm ergo magis intellectus sit causa talis notitiæ, sequitur quòd illa notitia æqualiter, vel magis specificabitur ab intellectu, quod tamen est falsum, nec à Doctore cōceditur, cùm sit idem intellectus respectu omnium intellectionum; ergo. Similiter sequitur quòd notitia æquè dependebit ab intellectu in ratione mensurabilis, sicut etiam ab obiecto, si talis notitia æquè causetur ab vtroque. Patet hoc, quia Doctor *in præsenti q.* per hoc probat notitiam dependere ab obiecto in ratione mensurabilis, quia causatur ab obiecto, siue quòd ideò obiectum est causa notitiæ, quia notitia dependet ab illo vt mensurabile; ergo cùm intellectus sit æquè, vel magis causa notitiæ, sequitur quòd talis notitia erit æquè mensurabilis ab obiecto, & tunc eadem notitia essentialiter refertur ad obiectum, & intellectum, quod est impossibile, vt suprà patuit. *Quomodo concurrat obiectum.* *Quomodo notitia dependeat ab obiecto.*

Quartò instatur, & quæro, si intellectio est necessariò à potentia & obiecto, aut ideò est, quia repugnat intellectui posse illam producere, & hoc nō, quia intellectus est valde perfectior; ergo est tantæ actiuitatis, quòd potest eam producere; aut quia obiectum, vt necessariò concurrit, & hoc non, quia posita causa sufficienti alicuius effectus, potest poni effectus; modò si intellectus est ex se causa sufficiens notitiæ, puta lapidis, sequitur quòd lapide non concurrente actiuè, quod possit immediatè produci ab intellectu, nec apparet ratio manifesta, scilicet, quòd intellectus non sit sufficiens causa. 36.

Intellectio est actio immanens. Quintò instatur, quia intellectio est actio immanens, vt suprà patuit, *quæst.* 13. Ergo ad illam non concurrit obiectum actiuè, quia intellectio non recipitur in obiecto, vt patet, sed tantùm in intellectu. Nec valet dicere, vt dicit Doctor *in primo, dist.* 3. *quæst.* 7. quòd quando concurrunt duæ causæ partiales ad eandem actionem immanentem, quod sufficit quòd recipiatur in vna earum. Sic est in proposito, quia intellectio recipitur in intellectu. Contrà, quia quando obiectum causat intellectionem, aut agit actione immanente, aut actione transeunte; non primò, quia illam non recipit; non secundò, quia tunc intellectio esset actio transiens, & sic eadem actio esset transiens, & immanens, quia vt esset ab obiecto esset transiens, & vt esset ab intellectu esset immanens, quod videtur omnino falsum.

Sextò instatur sic; si intellectus, & obiectum necessariò concurrunt vt duæ causæ partiales, aut concurrunt ex æquo, & æquè perfectè, aut non æquè perfectè, sed vna perfectius altera; non primò, tum, quia Doctor *hîc & in primo, dist.* 3. *quæst.* 8. Vult, quòd vna sit principalis. Tum, quia tunc idem effectus indiuisibilis æquè perfectè esset ab vna, sicut ab alia, & per consequens, cùm sit indiuisibilis, posita vna, alia remota, adhuc effectus ille esset ab vna sola, aliter non esset æquè perfectè ab vna, sicut ab alia. Sequitur secundò, quia tunc effectus haberet perfectius *esse* ab vna, quàm ab alia; ergo haberet aliquam perfectionem ab vna, quàm non haberet ab alia, aliter non esset perfectius, nec perfectius *esse* haberet ab vna magis, quàm ab alia. Et si aliquam perfectionem haberet ab vna, quam non haberet ab alia, tunc idem effectus numero non esset à duabus causis partialibus vnam totalem integrantibus, quia pono quòd intellectio illa sit causata æquè immediatè à duabus illis causis, ita quòd tota sit à duabus, & non ab vna sola.

37. Septimò instatur, & pono quòd intellectio sit causata ab intellectu, & ab obiecto intensa vt duo, & quòd obiectum semper agat æquè intensè, & secundùm totam virtutem, sicut dicit Doctor *in præsenti quæst. & in primo, dist.* 3. *quæst.* 7. Obiectum enim præsens agit simpliciter toto conatu, & secundùm totam eius virtutem. *Speculare hæc omnia.* Deinde pono quòd intellectus magis conetur circa illam intellectionem iam causatam, quod est possibile, vt patet *præsenti quæstione*, puta quòd voluntas magis, ac magis firmet eum in tali cognitione, certum est tunc quòd illa intellectio sit intensior; ergo aliquis gradus intellectionis merè causatur ab intellectu, & non ab obiecto, tunc vltrà, ergo ille intellectus potest vt totalis causa, causare omnes alios gradus intellectionis præcedentes. Probatur. Tum, quia sunt eiusdem rationis cum gradibus sequentibus. Tum, quia si potest in gradum perfectiorem, à fortiori, potest in gradum imperfectiorem, vt patet; ergo tota intellectio potest esse à solo intellectu. Patet, quia ipsa secundùm omnem gradum potest esse ab intellectu, vt probaui; ergo & secundùm totum suum *esse*, hoc patet rectè consideranti.

Octauò instatur, & pono quòd lapis sit præsens intellectui Angeli in ratione obiecti actu intelligibilis. Si intellectio lapidis de nouo causatur in intellectu Angeli, quod est possibile secundùm Doctorem *in secundo, dist.* 3. *quæst.* 11. Quæro à quo causatur, si ab intellectu solo habetur propositum; si ab intellectu, & lapide; contrà, quia corpus non agit aliquid in alio, nisi approximetur illi localiter, hoc patet à Doctore *in præsenti quæst.* sed non potest approximari localiter intellectui Angeli, cùm ille intellectus non sit in loco circumscriptiuè. Tum etiam videtur mirabile quòd corpus merè materiale possit causare intellectionem, quæ est merè spiritualis.

Nonò instatur, quia si intellectio esset simul ab intellectu, & obiecto; tunc sequeretur quòd esset partim vniuocè producta, & partim æquiuocè. Vniuocè, quia ab obiecto, patet, quia ponitur naturalis similitudo obiecti; & æquiuocè, quia ab intellectu. Sed de hoc est inconueniens, quòd idem effectus numero partim sit æquiuocè productus, & partim vniuocè. Secus quando idem effectus est à pluribus causis essentialiter ordinatis, & totalibus, quia tunc secundùm alium, & alium respectum ad aliam & aliam causam dicitur vniuocè & æquiuocè produci, vt patet à Doctore, *in primo, distinct. tertia, quæst.* 8. Sed non sic videtur, quando partialiter causatur ab vna, & partialiter ab alia.

Decimò instatur: Et pono quòd obiectum fiat ita perfectum, quòd contineat causalitatem potentiæ, hoc videtur possibile, quia licèt; sicut dicit Doctor quòd quantumcunque obiectum intendatur, nunquam erit formaliter potentia, tamen poterit continere virtualiter potentiam, quia si obiectum intenderet in infinitum, tunc virtualiter contineret intellectum; ergo & causalitatem eius, ergo à solo obiecto poterit causari notitia sui, in intellectu illo, quem virtualiter continet; ergo non apparet ista necessitas, scilicet quòd intellectus, & obiectum necessariò concurrant ad causandum simul notitiam obiecti. Et omnis pluralitas semper vitanda est, vbi non apparet manifesta necessitas ponendi talem pluralitatem.

Respondeo ad instantias contra primum. 38.

Ad primam concedo, quòd essentia diuina est perfectissima causa, vel quasi causa intellectionis tam sui, quàm omnium contentorum, & quòd perfectissimè causa, in suo tamen ordine causandi, & sic inter omnes causas, quæ tantùm partialiter causant, ipsa perfectissimè causat sic, quòd non est obiectum aliquod, quod ita perfectè moueat ad notitiam sui, & contentorum, sicut essentia diuina; non autem pertinet ad perfectionem essentiæ diuinæ, quòd ipsa sit totalis causa notitiæ sui, & contentorum respectu intellectus diuini, quia hoc sibi omnino repugnat. Sicut etiam ponitur, quòd ipsa perfectissimè causat effectum in creaturis in suo ordine causandi, scilicet quia ipsa ponitur simpliciter prima causa, & tamen apud Philosophos non conceditur quòd ipsa sola possit immediatè attingere omnem effectum, quem vt prima causa attingit, concurrentibus secundis causis, vt suprà patuit, *quæstione* 7. Sic dicendum est in proposito, esset benè imperfecta causa, si perfectissimè non posset causare notitiam sui, & contentorum, vt obiectum actu intelligibile, loquendo de modo causandi ipsius obiecti, vt obiectum est, quia vt sic, tantùm *Responsio ad dubia. Ad primum.*

quia vt sic, tantùm natum est partialiter concurrere, & non vt totalis causa.

Ad secundũ. Ad secundam concedo quòd quantò causa est perfectior, perfectiori modo causat, & si est infinita quantùm in se, potest infinitè causare, & sic perfectissimè, & sic concedo quòd essentia diuina perfectissimè, imò infinitè mouet intellectum diuinum ad sui notitiam. Sed cùm infertur, ergo vt totalis causa, negatur, quia hoc non pertinet ad perfectionem causæ obiectiuæ, quia causa obiectiua propriè tantùm partialiter concurrit, vt suprà dixi.

Posset tamen dici vnico verbo, ad ista duo argumenta, quòd essentia diuina est causa totalis notitiæ sui, & aliorum, & hoc formaliter, vel realiter. Nam ipsa per realem identitatem continet intellectum diuinum, & ideò ipsa realiter habet vnde possit causare omnem notitiam, tam sui, quàm omnium contentorum. Esset benè imperfectior, si cum illa necessariò concurreret alius intellectus realiter distinctus.

39. *Ad tertium.* Ad tertium concedo, quòd eo modo quo supplet vicem obiecti, quòd ipsum obiectum, si esset in se præsens, & posset immediatè mouere intellectum, eodem modo causaret notitiam sui, & contentorum. Cùm dicitur, quòd voluntas diuina potest se sola causare notitiam essentiæ diuinæ in intellectu meo. Dico, quòd hoc potest habere duplicem sensum. Primò, quòd præcisè suppleat vicem obiecti vt obiecti. Alio modo, quòd suppleat vicem obiecti simul, & potentiæ; primo modo non est verum, quia obiectum vt obiectum, non est natum esse causam totalem notitiæ, & sic non potest hoc modo supplere vicem. Secundo modo concedo, quia tunc ipse supplet vicem essentiæ vt obiecti, & intellectus creati vt potentiæ intuitiuæ, & hoc ideò est, quia ipsa continet intellectum creatum secundùm totam eius entitatem, & continet etiam essentiam secundùm perfectam identitatem, vt suprà patuit. Cùm infertur, ergo & essentia sic potest immediatè causare notitiam illam vt totalis causa; concedo, si tamen potest immediatè mouere intellectum creatum; eius oppositum probatum est suprà, *quæst.* 14. nec tamen sequitur, quòd tunc causet illam in ratione præcisè obiecti vt obiectum est, sed quia ipsa essentia est obiectum actu intelligibile formaliter productiuum notitiæ sui in intellectu creato, si tamen posset ipsum immediatè mouere, & continet virtualiter secundùm totam entitatem omnem intellectum creatum, tunc supplet vicem intellectus creati. Et sic eadem essentia vt est obiectum actu intelligibile, est partialiter motiua ad sui notitiam, & vt continet virtualiter intellectum supplet vicem potentiæ. Et patet melius, si essentia diuina causaret immediatè notitiam lapidis in intellectu Socratis, non suppleret vicem lapidis vt causa totalis, quia lapis vt obiectum actu intelligibile non mouet, nisi partialiter, eo ergo modo, quo lapis natus esset mouere, eo modo suppleret; nec similiter suppleret vicem intellectus Socratis vt causa totali, quia præcisè eo modo suppleret vicem potentiæ, quo ipsa potentia nata esset causare, & quia non esset nata causare, nisi tantùm partialiter, ideò eodem modo præcisè suppleret vicem potentiæ; patet ergo quomodo essentia causaret notitiam vt totalis causa, quia tantùm causaret supplendo vicem obiecti, & potentiæ eo præcisè modo, quo obiectum, & potentia concurrunt.

Ad quartum, patet ex dictis ad tertium. 40. *Ad quartum*

Ad quintum Ad quintum, concedo quòd aliquod ens est causa totalis alicuius actionis, & tamen negatur quòd ens perfectius possit esse totalis causa suæ intellectionis. Et ratio diuersitatis potest assignari ex duobus.

Primò, quia est aliquis effectus, qui ex natura sua non potest esse nisi à duabus causis partialibus, vnam totalem integrantibus, vel ab alia causa perfectè virtualiter continente secundùm totam entitatem vtramque causam partialem; & patet, quia filius sic est à patre, & matre, vt à duabus causis partialibus, quod est impossibile esse ab vna earum; posset esse tamen immediatè à Deo, quia continet virtualiter causalitatem vtriusque causæ. Sic videtur dicendum de actu intelligendi, quòd sit talis entitas, cui repugnet esse totaliter ab obiecto, vel totaliter à potentia, sed præcisè competit sibi esse ab vtroque partialiter concurrente, vel ab aliquo continente virtualiter causalitatem vtriusque vt dixi de prole.

Secundò potest assignari ratio quasi à priori, quia intellectus, cùm sit potentia perfectior omni sensitiua necessariò habet aliquam operationem sibi propriam, & nullam habet, nisi actum intelligendi, qui actus, si non esset effectiuè à potentia, illa non diceretur operatio propria illius potentiæ; patet, quia tunc se haberet ad illam in pura potentia contradictionis, sicut calor in ligno non dicitur operatio, siue actio propria ipsius ligni, cùm tantùm se habeat ad illum in pura potentia receptiua. Et vltrà, quia intellectio obiecti dicitur etiam operatio propria illius; patet, quia illi soli conuenit, nam intellectio lapidis non conuenit homini; & non diceretur propria, nisi aliquo modo esset ab illo causata, vel saltem ab aliquo virtualiter continente ipsum; patet ergo quare intellectio non potest esse nec à solo obiecto, nec à sola potentia, sed tãtùm ab vtroque partialiter, & sic patet quomodo aliqua causa inferior potest esse totalis causa sui effectus, & tamen superior non poterit.

Ad sextum. Dico primò, quòd quando obiectum est distinctum præter opus intellectus, quòd tunc partialiter concurrit, & potentia similiter partialiter. 41. *Ad sextum.*

Dico secundò, quòd quando idem intellectus seipsum intelligit, quòd illa intellectio est partialiter causata ab intellectu, & partialiter ab essentia, cuius est talis intellectus, ita quòd illa essentia mouet intellectum suum ad sui notitiam, & omnium, quæ per identitatem continet, sicut etiam essentia diuina immediatè mouet intellectum diuinum ad sui notitiam, & omniũ per identitatem contentorum, & sic mouet in ratione obiecti, etiam ad notitiam sui intellectus; sic videtur dicendum in proposito. Et posito quòd nulla penitus esset distinctio præter opus intellectus inter obiectum, & potentiam, ita quòd idem penitus indistinctum esset obiectum intelligibile, & potentia intellectiua, tunc in isto casu diceretur quòd idem vt obiectum actu intelligibile esset realiter totalis causa notitiæ suæ, quæ notitia realiter reciperetur in ipso, & similiter vt potentia esset realiter totalis causa notitiæ, quæ reciperetur in tali potentia, nec tamen essent duæ causæ totales respe

respectu eiusdem notitiæ, imò tantùm vna in re, licèt ratione distinguerentur, idem intellectus vt realiter consideratum est obiectum, & potentia.

Ad septimũ. In Angelo est intellectus agens.

Ad septimum. Dico primò, quòd fortè obiectum non potest vt totalis causa, immediatè causare speciem intelligibilem, quia etiam Doctor non negat intellectum agentem in Angelo, vt patet in *secundo, dist. 3. quæst.* 11. *& dist.* 9. De hoc aliàs dictum est.

Dico secundò, quòd posito quòd obiectum sit causa totalis speciei intelligibilis, loquendo de obiecto speciali. Dico tũc, quòd non est simile de intellectione obiecti, & de specie intelligibili, quia intellectio ponitur operatio propria intellectus, vt suprà patuit, ideò necessariò concurrit actiuè ad illam, sed species intelligibilis non ponitur operatio propria intellectus, imò præsupponitur operationi propriæ, cùm pertineat ad memoriam, ideò se semper habet ex parte obiecti, & per consequens benè immediatè potest esse ab obiecto vt à totali causa, & non à potentia. Sed postea esset difficultas, quomodo obiectum possit immediatè causare speciem intelligibilem repræsentatem naturam vniuersalem. Dictum est *in secundo, dist.* 3. *qu.* 11. *& dist.* 9.

42. Ad octauum responsum est *in secundo, dist.* 3. *q.* 10. vbi ostendit quòd quamuis actus intelligendi esset ab intellectu etiam vt à causa principali, tamen vnitatem specificam habet præcisè ab obiecto vide in illis dubiis, quæ exposui ibi.

Ad nonum.

Ad nonum. Dico primò, quòd nullum obiectum creatum continet virtualiter aliquem intellectum etiam infinitum, & hoc secundùm totam eius entitatem, de quo satis dictum est suprà, quæst. 14. & *in secundo, dist.* 3. *q.* 10. Dico secundò, quòd hoc posito, scilic. quòd contineat virtualiter secundùm totam entitatem, adhuc non supplebit vicem in ratione obiecti vt totalis causa, vt suprà exposui, & dic hîc pariformiter, sicut suprà dictum est ad tertium.

Ad decimũ.

Ad decimum, negatur quòd si potest seipsum mouere vt totalis causa, quòd quemlibet aliquãdo possit sic mouere. Et ratio, quia quando seipsum mouet ad notitiã sui, illa notitia est propria operatio realiter vnius & eiusdem rei, licèt diuersimodè consideratæ; sed quando mouet alium intellectum, tunc ille alius si debet habere illam intellectionem, vt operationem sibi propriam, requiritur necessariò quòd actiuè se habeat ad illum, vt suprà dixi, & ponuntur hîc distincta præter opus intellectus, ideò eadem operatio non potest dici propria vtrique, nisi vtrunque actiuè concurrat, & sic patet responsio.

Secundò principaliter respondet ad instantias contra secundum principale. Ad primam, dico sicut dixi ad primam contra primum dubium principale.

43. Ad secundum dico. Primò, quòd obiectum, saltem cognitio obiecti, concurrit ad actũ voluntatis, saltem partialiter, vt patet à Doctore *in* 2. *dist.* 25. licèt non ita expresè affirmet, tamẽ hîc videtur affirmare ex hoc quod dicit, quòd fruitio in patria differt specie à fruitione in via, & hoc propter aliam & aliam præsentiam obiecti fruibilis, vt patet *in* 3. *d.* 31. *& in* 4. *dist.* 49. quod non esset verum, nisi obiectum actiuè se haberet ad actum voluntatis. Cùm dicitur de actu volendi. Dico, quòd si ille non causatur ab obiecto volibili, tamen erit partialiter causatus à notitia actuali illius obiecti, & hoc sufficit.

Quomodo differat fruitio in patria à fruitione in via.

Dico secundò, quòd tenendo, quòd voluntas sit totalis causa sui actus, nõ est simile de intellectu, & voluntate. Non enim Doctor concedit intellectum esse totalem causam actus intelligendi, quia sequeretur excessiua perfectio in ipso intellectu, quia ex hoc sequeretur quòd intellectus contineret virtualiter omnia obiecta intelligibilia, quia illæ intellectiones non ponerentur contineri virtualiter in illis obiectis, sed tantùm in ipso intellectu. Si enim obiecta ponerentur causæ necessariò concurrentes ad eorum notitiam, & intellectus posset notitiam illorum immediatè vt totalis causa causare, benè sequeretur quòd intellectus virtualiter contineret omnia intelligibilia, & sic posset esse infinitæ perfectionis, vt patet *in* 1. *dist.* 2. *p.* 1. *q.* 1. *& in secundo, dist.* 3. *q.* 10. Sed ponit Doctor obiectum necessariò concurrere vt causa partialis, quia intellectus respicit ipsum obiectum absolutè; ergo si esset causa totalis, ex quo est etiam potẽtia receptiua, & sibimet optimè præsens, tunc posset immediatè causare notitiam omnis obiecti, etiam omnino absentis, vt patuit *in primo, dist.* 3. *q.* 7. Sed non esset sic de voluntate, quia ipsa non respicit obiectum absolutè, sed tantùm vt cognitum, cùm non possit elicere actum circa aliquod obiectum, nisi vt præcognitum; & ideò stante cognitione obiecti; potest voluntas esse immediata causa suæ volitionis; & hæc est principalis ratio quare Doctor ponit obiectum concurrere actiuè, & quare solus intellectus non potest esse totalis causa vltra alias causas à Doctore assignatas, minùs tamen euidentes, imò magis persuasiones, pro nunc non pertracto, sustinendo opinionem quòd voluntas sit totalis causa sui actus.

Quomodo concurrit obiectum intellectionem.

Ad tertium. Dicõ vt dixi ad primum contra primum dubium principale, & sic concedo quòd intellectus diuinus est causa perfectissima, & perfectissimè, & infinitè suo modo causat notitiam essentiæ in suo tamen ordine causandi, quĩ potentiæ conuenit vt potentia intellectiua, & talis ordo est præcisè partialiter causare.

Ad quartum concedo quòd intellectio est operatio propria intellectus, & cùm infertur quòd non esset propria, nisi esset totalis causa. 44.
Dico, quòd operatio propria potest multipliciter intelligi. Primò, quòd præcisè illi soli conueniat sic operari vt totalis causa operationis, sicut dicimus quòd creare soli Deo conuenit. Secundò dicitur propria, quia talis operatio modo speciali conuenit, & sic causare vermem est propria actio soli Deo, conueniens, vt præcisè causæ primæ, & perfectissimæ, & hoc modo nulli alteri conuenit: potest tamen conuenire causis secundis, non tamen eodem modo, licèt ponantur causæ etiam totales. Tertiò dicitur operatio propria, quæ licèt sit à duabus causis partialiter concurrentibus, erit tamen vtrique causæ propria, secundùm tamen alium & alium modum operandi, & sic intellectio dicitur propria operatio intellectus, quia soli intellectui conuenit sic operari in ratione potentiæ operatiuæ, & obiecto conuenit in ratione obiecti operatiui. Concedo ergo quòd intelligere est propria operatio intellectus sic, quòd nulli alteri conuenit sic operari in ratione potentiæ operatiuæ, & tamen cum

cum hoc etiam stat quòd sit operatio propria ipsius obiecti modo præintellecto.

Ad quintum. Dico primò, quòd nullus intellectus creatus continet virtualiter aliquod obiectum realiter distinctum, & hoc secundùm totam eius entitatem, vt exposui suprà, *quæst.* 14. *& in secundo, dist.* 3. *q.* 10. Dico secundò, quòd hoc concesso, quòd tunc potest supplere vicem obiecti modo præexposito suprà.

Ad sextum, patet responsio suprà quare, scil. intellectio necessariò est tam ab obiecto, quam à potentia, nec illa ratio adducta per Doctorem est præcisa ratio, quare intellectus non ponitur totalis causa, sed est vna bona congruentia, vt patet intuenti, sed prima ratio assignata est multum euidens, vt patet ibi.

Ad septimum patet responsio suprà.

Ad octauum patet similiter responsio. Et vltrà dico, quòd intelligitur dictum Doctoris de effectu eiusdem rationis, id est, eiusdem speciei, quia ignis est nobilior forma substantiali aquæ, & tamen non sequitur quòd si potest producere formam substantialem ignis in aliqua materia, quòd etiam possit producere formam substantialem aquæ. Sic in proposito, nam notitia intellectus differt specie à notitia lapidis.

Ad nonum, negatur similitudo illa de potentia factiua, & operatiua, quia factiua præcisè respicit passum vt receptiuum.

Ad decimum dico, quòd diceretur intellectus diuinus vilescere, quia est formaliter infinitus, & ideò non posset recipere aliquid de obiecto, etiã infinito realiter distincto, quia hoc esset imperfectionis. Sed nõ est sic de intellectu creato, cũ sit finitus, & limitatus. Sed de hoc aliàs patet.

45. *Dependere ab alio potest intelligi multipliciter.* Ad instantias contra tertium principale. Ad primam dico, quòd dependere ab alio in causando contingit multipliciter. Primò, quòd habeat virtutem ab alio & motionem, siue causalitatem ab illo. Secundò, quòd habeat propriam causalitatem, & non in essendo, nec in causando ab alio dependeat, sed tamen se solo non possit attingere effectum, vel quia talis non est natus esse præcisè ab vno illorum. Vel quia effectus est operatio est virtutis, vt suprà dixi. Primo modo sonat imperfectionem, sed non secundo modo, quia tunc essentia diuina, vel intellectus diuinus diceret imperfectionem, cùm sola essentia non possit causare intellectionem sui, nec simul intellectus diuinus, vt suprà patuit. Sic in proposito, posito quòd Angelus agat actiuè, partialiter tamen, & lapis similiter, tunc talis intellectus respectu notitiæ lapidis esset imperfectus ex hoc solo, quòd causat effectum communem, esset tamen imperfectio in illo intellectu, recipiendo nouam intellectionem partialiter ab ipso lapide, quia tunc se habet in potẽtia passiua receptiua respectu lapidis partialiter causantis intellectionem sui in intellectu angeli. Dico secundò, quòd nõ est inconueniens ponere talẽ imperfectionem in Angelo, quia ex quo nõ est simpliciter illimitatus, nec formaliter infinitus nõ potest virtualiter cõtinere omne intelligibile secundùm totã eorũ entitatẽ, & ideò non est mirũ, si ad cognitionẽ aliorũ obiectorum à se recipiat aliquã perfectionẽ vt à causa partiali, & minùs principali, esset tamen inconueniẽs, si intellectio, quã Angelus habet de seipso esset causata etiam partialiter ab aliquo alio ente creato; quia tunc non haberet ex sua naturali perfectione vnde seipsum posset cognoscere.

Cum Angelus non sit infinitus est aliqua imperfectio in ipso.

Ad secundam dico, quòd sunt plures dependentiæ particulares, sicut & plures causæ partiales, & vna totalis aggregata ex illis pluribus. Et cùm dicitur, quòd est impossibile idem pluribus dependentiis dependere per rationem Doctoris. Dico, quòd loquitur de pluribus dependentiis totalibus, quibus totaliter dicitur à pluribus dependere; nec loquor de totalibus, quæ sunt ad plures causas totales essẽtialiter ordinatas, quia de talibus loquẽdo idẽ potest pluribus depẽdẽtiis depẽdere, vt exposui *in* 1. *d.* 2. *p.* 1. *q.* 1.

Ad tertiam dico, vt dixi *in* 2. *d.* 3. *q.* 9. *vel.* 10. vbi exposui, quia intellectio habet vnitatẽ specificam ab obiecto, & non à potentia. Et cùm probatur per hoc, quia Doctor ex hoc probat quòd est obiectum causa effectiua intellectionis, quia est naturalis similitudo. Dico, quòd non est causa præcisa ista; ideò est naturalis similitudo, quia est causa eius; patet, quia si esset illa cognitio aliunde causata, adhuc esset naturalis similitudo, sed dicitur naturalis eius similitudo, quia vt à se habet *esse* à tali obiecto, vel ab aliquo supplente vicem illius dicitur naturalis eius imago & similitudo, & non habet hoc ab intellectu, cùm sit idem intellectus omnium. Hoc idem dico de aliis, scilicet mensura, & specificatione, nec valet ista consequentia, intellectio est causata ab aliquo particulariter, ergo est eius similitudo naturalis, vel mensuratur ab illo; quia requiritur non simpliciter causari, sed sic causari, vt suprà dixi. 46.

Ad quartam dico, quòd quamuis intellectus sit perfectior intellectione, non tamen sequitur quòd possit eam causare vt totalis causa, nec similiter sequitur de obiecto, posito quòd sit perfectius intellectione, quia etiã Angelus est perfectior forma ignis, & tamen non potest eam causare. Dico ergo quòd ratio est, quia talis intellectio est operatio propria tam potentiæ, quã obiecti, ideò vnũ illorũ nõ potest esse totalis causa, nisi cõtineret aliud secũdùm totã suã entitatẽ. *Intellectus est perfectior intellectione.*

Ad quintam dico, quòd est actio immanens, eo modo, quo exposui suprà, *q.* 13. Cùm quæritur de obiecto, aut agit actione immanente, aut trãseũte? Dico, quòd immanente, quia agit partialiter intellectionẽ, quę est recepta in altera causa. Dicitur enim immanens, vt cõparatur ad causã principalẽ. Potest etiã concedi, quòd actione trãseunte, quia illa intellectio non recipitur in obiecto, & concedo quòd secũdùm aliũ, & aliũ respectũ dicitur trãsiẽs, & immanẽs. Trãsiẽs quidẽ, vt cõparatur ad obiectũ, in quo nullo modo recipitur. Immanẽs verò, vt cõparatur ad potẽtiã, in quã recipitur. Et hoc nõ est aliquo modo inconueniens. Et sic patet quomodo eadem intellectio dicitur transiens, & immanens.

Ad sextam dico primò posito quòd concurrat ex æquo, nõ sequitur quòd possit esse ab vna sola. Cùm dicitur ęquè perfectè est ab vna, sicut ab alia. Dico, quòd si intelligatur æquè perfectè ab vna, sicut ab alia, id est, quòd ęquè dependeat in *esse* ab vna, sicut ab alia, partialiter tamẽ ab vtrãque cõceditur. Si verò intelligitur æquè perfectè ab vna, sicut ab alia, i. quòd secundũ totũ *esse* sit ęquè perfectè ab vna, sicut ab alia. Dico quòd nec ab vna, nec ab alia est secũdùm totũ *esse*, sed ab vtraque simul & totaliter ab vtraque simul, sed partialiter ab vtraque seorsũ. Dico secundò, quòd 47. *Nota diligenter.*

quòd communiter vna causa est principalior alia. Et cùm infertur, quòd intellectio habet aliquam perfectionem à principaliori, quàm non habet à minus principali. Dico, quòd hoc non sequitur, sicut etiam patet de eodem effectu numero, qui dependet à pluribus causis essentialiter ordinatis, qui perfectius producitur à superiori, quàm ab inferiori: & tamen totus effectus est etiam ab inferiori; sic in proposito intellectio etiam in infimo gradu, profectiùs producitur ab vna causa, quam ab alia, vt patet.

Ad septimam dico primò, quòd aliud est loqui de intellectioni absolutè, & aliud de intentione eius: quia benè intellectio obiecti absolutè dependet ab obiecto & potentia, quia ipsa nullo modo potest haberi sine obiecto & potentia, & concedo quòd stante intellectione obiecti potest intendi, & non ab obiecto, quia obiectum producendo illam in primo instanti produxit secundum totam virtutem, & conatum, partialiter tamen & potest intendi per maiorem conatum intellectus, quia quantò intensiùs, & firmius figitur in obiectum, tantò illa intellectio intenditur; an modò ab intellectu, an à voluntate imperante, & firmante ipsum intellectum, visum est *in secundo dist.* 42. Concurrit ergo obiectum necessariò ad intellectionem etiam intensam, loquendo de intentione pertinente ad ipsum, puta quòd intellectio nata est produci intensa vt octo quando obiectum, & intellectus agens toto conatu, & secúdùm totam virtutem. Modò pono quòd intellectus non agat secundùm totum conatum, & obiectum secundùm totum conatum, tunc intellectio producitur intensa vt sex, ita quòd intellectio intensa vt sex est ab obiecto, & intellectu, & principaliùs ab intellectu, & post illa eadem intellectio intenditur præcisè per maiorem conatum intellectus. Non enim est necesse obiectum concurrere ad omnem gradum intensionis ipsius intellectionis. Exemplum patet in simili. Pono, quòd voluntas eliciat actum amoris, cùm obiectum amabile, & in primo instanti non eliciat secundùm totum conatum, & post continet eundem secúdùm totum eius conatum, patet, quòd tunc præcisè intendit illum actum. Pono etiam quòd voluntas eliciat actum amoris secúdùm totum conatum non tamen habituata, & post continuet eundẽ actum vt habituata, puta quòd infundatur habitus, qui concurrat actiuè ad eundem actum, tunc patet quòd ille idem actus vt elicitus à voluntate vt habituata erit intentior, quàm vt elicitus ab eadem non vt habituata, eliciente tamen vtrobique æquali conatu. Sic videtur dicendum in proposito, quòd aliquis gradus intensionis potest esse propter maiorem conatum intellectus.

Doctrina singularis.

Cùm infertur, si aliquis gradus potest causari à solo intellectu: ergo & quilibet alius præcedens, cum sint eiusdem rationis cum illo. Dico, quòd hoc non sequitur. Et patet in simili. Voluntas potest non habituata elicere actum intensum vt sex, & hoc secundùm totum suum conatum, & habituata potest ipsum producere vt octo intensum, ergo voluntas potest non habituata producere actum vt octo patet, quia omnes gradus intensionis sunt eiusdem rationis, & tamen hoc non sequitur, quia habituata potest producere actum intensiorem, quàm non habituata, vt patet à Doctore, *in primo, dist.* 17. *& in tertio, dist.* 27. Non valet ergo, potest elicere aliquem gradum, ergo quemlibet eiusdem rationis. Et cùm vltrà probatur, si potest producere gradum perfectiorem, ergo & imperfectiorem eiusdem rationis. Dico quòd aliud est addere gradum intellectioni præ existenti, & aliud est producere ipsum vt perfectiorem. Intellectio enim intensa vt octo includit necessariò omnes gradus præcedentes. Concedo ergo quòd si intellectus potest producere intellectionem intensam vt octo sic quod totam producere, quòd etiam poterit producere imperfectiorem, si agit cum maiori conatu. Sed modò negatur quòd intellectus etiam secundùm totum conatum possit producere intellectionem obiecti intensam vt octo immo nec vt sex, quia tunc produceret totam intellectionem obiectò non concurrente. Si dicatur, quòd Doctor concedit *in secundo, distin.* 18. quòd si causa potest producere effectum perfectum, quòd potest producere effectum imperfectiorem eiusdem rationis. Dico, quòd hoc verum est, quòd si intellectus meus potest vt totalis causa producere intellectionem lapidis perfectè vt octo ita quòd producat totum illum effectum, quod etiam potest producere intellectionem lapidis imperfectiorem, si agit cum minori conatu, & sic Doctor intelligit. Dico secundò, quòd fortè posset concedi, quòd obiectum etiam conuenit ad intellectionem secundùm omnem gradum, quia intellectio dependet continuè tam ab obiecto, quàm ab intellectu. Sed de hoc non est ita certum, & ideò prima responsio est probabilior.

Speculare diligenter.

Ad octauam. Dico primò, quòd quando Doctore hic *in præsenti quæst.* dicit quòd corpus non agit effectum, nisi approximetur localiter, &c. quòd non dicit secundùm intentionem propriam, si tamen intelligit de approximatione locali circumscriptiua, ita quòd passim sit etiã in loco circumscriptiuo, quia expresè vult *in 2. distin.* 29. quòd lapis possit immediatè mouere intellectum Angeli ad sui notitiam, qui tamen non est in loco circunscriptiuo. Dico secundò, quòd corpus dicitur approximari localiter, non tamen circumscriptiuè, quia non potest passum in quod agit intellectionem sui esse in loco circumscriptiuè, sufficit tamen quòd passum sit in loco naturali definitiuo, quia non potest in quocunque distantia agere in intellecum vt patet à Doctore *in secũdo, & in quarto, distin.* 25. Corpus etiam vt agit effectum corporalem approximatur passo localiter, ita quòd oportet passum esse in loco circumscriptiuo, sed non sic est quando agit effectum spiritualem, qualis est intellectio obiecti. Et sic patet, quia si poneretur lapis extra vniuersum, ita quòd nullo modo esset in loco circumscriptiuè, vel quòd Deus conseruaret lapidẽ, & non in loco quod Deus posset facere, vt suprà patuit, q. 11. Patet quòd lapis posset mouere intellectum ad sui notitiam, & sic causare partialiter effectum spiritualem, non tamen corpus posset immediatè vt causa totalis causare aliquem spiritualem effectum. Sed de hoc aliàs erit sermo.

Ad

Ad nonum dico, quòd non habito pro inconuenienti quòd idem effectus secundùm alium, & alium respectum ad aliam & aliam causam, sicut etiam patet de effectu producto à pluribus causis essentialiter ordinatis, qui dicitur æquiuocè produci à causa prima, sed à causis remotioribus, & vniuocè produci à causa proxima, vt patet de homine, qui producitur à Deo à Sole, & ab homine, sic in proposito; non enim est maior ratio de pluribus causis totalibus essentialiter ordinatis, quàm de pluribus partialibus integrantibus vnam totalem. Dico secundò, quòd intellectio est effectus æquiuocus, tam respectu obiecti, quàm respectu intellectus. Cùm dicitur, quòd intellectio est similitudo obiecti naturalis. Dico, quòd propter hoc non sequitur quòd sit effectus vniuocus, quia requiritur, quòd sit similitudo in natura, id est, quòd causa, & effectus sint eiusdem perfectionis specificæ; modò obiectum & intellectio non sunt huiusmodi. Sed dicitur intellectio similitudo naturalis obiecti, quia quasi eius imago ponitur per imitationem; cum per ipsam obiectum cognoscatur.

Intellectio est effectus aequiuocus.

Ad decimam responsionem quære alibi. Sunt etiam in isto articulo multæ difficultates, sed istæ pro præsenti sufficiant.

SCHOLIVM.

Primum dictum huius literæ, intellectus beatus potest habere verbum de creatura cognita in proprio genere; quia hoc potest in via, nec impeditur in patria (de quo vide 2.d. 3.q. 11. & 4 d.45.q.2.) & intellectus possibilis eodem modo concurrit ibi, & hic. Secundum videtur ibi non esse verbum proprium de creatura visa in essentia; primò, quia non attingeretur immediatè per notitiam in essentia. Secundò, non haberetur secundùm propriam speciem. Tertiò, de ipsa essentia diuina non habet beatus verbum. Impugnat has tres rationes, alijs quinque in fauorem oppositæ partis; sed respondet ad impugnationes præter duas posteriores, quarum habetur responsio ex 3. d. 14.qu.2.fine, vbi vt problema admittit Doctor posse vnum actum esse infinitorum obiectorum, Deo sic volente. Tertium, hic dubium videtur manere, an creatura in essentia videatur eodem actu, quo videtur essentia, vel alio distincto. Mihi videtur longè facilius, quòd distincto: de quo tamen Doctor nihil resoluit.

Articul. 2

21. DE secundo articulo dico [a] quòd intellectus beatus potest habere verbum de creatura cognita in genere proprio; & ad formationem illius verbi ponendum est intellectum possibilem sic se habere tunc, sicut se habet nunc ad formationem verbi: quod habet de obiecto nunc quia secundum August. 7. de Ciu. c. 30. *Sic Deus res, quas condidit, administrat, vt eas proprios motus agere sinat.* Igitur remanebit in patria naturalis; actio quæ nata est competere naturæ secundùm suam perfectionem.

Sinit Deus creaturas agere proprios motus.

Sed de creatura visa in essentia diuina dubium est, an intellectus beatus habeat de ea verbum proprium: quòd si sic, consimiliter dicendum esset de intellectu possibili in formatione verbi de creatura visa in essntia diuina, sicut de visa in proprio genere dictum est.

An de creatura visa in essentia diuina, formatur verbum

Sed posset dici, quòd non est ibi verbum de obiecto viso in essentia diuina; tum quia habens verbum immediatè attingit obiectum, cuius est verbum; lapis enim visus in essentia non immediatè attingitur, vt obiectum per actum visionis, quia sic videtur in genere proprio: sed ibi sola essentia diuina immediatè attingitur, [b] quia ipsa sola primò mouet, & per consequens ad seipsam attingendam.

Præterea: [c] Verbum proprium alicuius gignitur de scientia, siue propria specie ipsius obiecti, nunc autem in memoria intellectus Beati [d] non est scientia propria, vel species lapidis, vt videtur in verbo, quia per illam non videtur nisi in genere proprio.

De essentia diuina non habet beati verbum.

Item, eodem actu [e] videtur essentia diuina, & res in ipsa: sed de essentia visa non habet intellectus videns verbum, quia tunc non videret illam immediatè: igitur nec habetur verbum de re visa in ipsa essentia.

Conclusio cognoscitur immediatè, etsi cognoscatur per principium

22. Contra ista motiua f arguitur contra primum, etsi per principium cognoscatur conclusio: tamen ipsa potest cognosci immediatè in ratione obiecti: quia discursus non terminatur præcisè ad illud, quod fuit principium discurrendi: quia tunc ab illo adhuc esset vlterius discurrendum, nec per consequens esset discursus terminatus: nunc autem conclusio de se est terminus discursus syllogismi demonstratiui; igitur illo discursu terminato stat intellectus in cognitione immediata conclusionis; pari ratione, licèt essentia diuina moueat priùs ad videndum seipsam, tamen quia est motiuum illimitatum, mouet secundò ad videndum creaturam: in termino igitur illius motionis intellectus potest videre creaturam vt obiectum immediatum.

Ad verbũ sufficit memoria continens obiectum formaliter, vel virtualiter.

Contra secundum sic: Ad gignendum verbum proprium alicuius obiecti sufficit memoria perfecta siue actualiter, siue virtualiter continens illud obiectum, sicut per

per notitiam habitualem principij potest gigni actualis cognitio conclusionis, licèt illa memoria non sit huius obiecti formaliter, & propria; sed eius virtualiter contentiua: sic intellectus beati habens essentiam diuinam actualiter præsentem, vt intelligibilem, habet memoriam propriam respectu visionis illius essentiæ: & cum hoc memoriam perfectam virtualiter contentiuam visionis creaturæ; quia sicut virtualiter continet in entitate, sic in cognoscibilitate: beatus igitur habet memoriam, siue scientiam in memoria sufficientem ad gignendum proprium verbum lapidis, nec sequitur in ista secunda, sicut nec in prima ratione, quòd illa visio sit rei in proprio genere, quia visio in proprio genere est per rationem videndi acceptam à creatura aliqua.

Contra tertium motiuum: ille actus non est propria cognitio alicuius obiecti, qui potest stare in intellectu, & tamen illud obiectum omnino non esse cognitum: nunc autem visio essentiæ diuinæ potest stare eadem in intellectu beati, & tamen lapis non videri ab ipso; igitur, &c. Probatio maioris; quia proximum formale in intellectu ad hoc, vt obiectum sit sibi cognitum, est ipse actus cognoscendi illud obiectum sibi inhærens, & proxima ratio formalis non videtur posse in esse alicui sine illo, cuius est ratio formalis, sicut albedo non potest in esse alicui, nisi illud sit album.

An vno actu videtur essētia, & creaturæ.

Præterea. Pari ratione idem actus visionis esset ipsius essentiæ, & cuiuscunque creati visi in ea, & ita vnus actus finitus posset esse infinitorum obiectorum possibilium videri in ipsa: quia qua ratione non repugnat vnum actum esse duorum, vel trium obiectorum, pari ratione nec quorumcunque obiectorum.

Item, non patet necessitas illius consequentiæ: si eadem est visio essentiæ diuinæ, & lapidis: igitur si est verbum lapidis, est verbum essentiæ.

g Ad primum istorum diceretur, quòd illud, quod cognoscitur per aliud, benè potest immediatè cognosci. Sed sic si cognoscatur præcisè in illo, sicut intellectus diuinus præcisè cognoscit creaturam in essentia sua, & non per illam creaturam, vt obiectum immediatum, quia tunc intellectio eius vilesceret.

Consimiliter dicitur de visione, h quam beatus habet in verbo de creatura.

Ad secundum diceretur, i quòd essentia diuina non est in memoria creata beati aliquo ordine, priùs quàm in intelligentia: quia non causatur aliqua forma in intellectu beato repræsentans illam essentiam.

Visio creaturæ in essentia fit à voluntate Dei.

Sed primum quod causatus in intellectu beató est ipsa visio, illà autem causatur in ipsa intelligentia.

Vel aliter diceretur, quòd illa visio immediata causatur à voluntate diuina, sicut dictum est in quæstione proxima præcedente, & consimiliter visio lapidis, & per consequens neutra gignitur à memoria, non solùm ipsius videntis, sed nec ab aliqua memoria

Contrà: intellectio essentiæ diuinæ continet virtualiter intellectionem lapidis: igitur ista intellectio gignit illam, & tunc illa est verbum.

Respondeo, intelligentia non gignit; Vel potest dici, quòd vtraque visio immediatè causatur à voluntate diuina.

Ad tertium, illud videtur æquè concludere, quod non est idem actus intellectus diuini respectu essentiæ suæ, & obiecti secundarij, quod omnes negant. Vnde maior rationis est neganda, nisi intelligatur de primo obiecto.

Ad alia, quære alibi.

ADDITIO.

An vnus actus possit esse infinitorum obiectorum.

☞ *Ad alia duo argumenta responsio potest haberi in 3. dist. 14 quæst. 2. quasi in fine. Ibi potest dici, quòd conclusio ista posset, &c. Ideò conceditur totum primum argumentum: & si inferatur: igitur eadem erit visio intellectus beati cum visione intellectus Dei, negatur consequentia, quia intellectus Dei habet visionem obiectorum secundariorum necessariò per se & compræhensiuè ex perfectione sua, & sui obiecti primarij naturaliter omnia repræsentantis ei: sed intellectus beatus creatus habet visionem per accidens obiectorum secundariorum, quia illa per accidens intelligit, scillicet mediante essentia ostendente sibi illa liberè, & contingenter, ideò actus beati nullam perfectionem accipit ab illis obiectis, sed tota eius perfectio est ab essentia visa, & illa ostendente.*

Ad aliud, dicitur quòd argumentum valet, & consequentia tenet, si sit vnus & idem actus visionis essentiæ & aliorum obiectorum: si autem sit alius, & alius actus, consequntia nulla est.

COMMENTARIVS.

50. a *De secundo articulo principali.* Dicit quod *intellectus beatus potest habere verbum de creatura cognita in genere proprio*, &c. Et hoc magis patuit in secundo, *distin.* 3. *q.* 11. & *in* 4. *dist.* 45. & 49. Nam beatus stante actu perfecto beatifico potest perfectè cognoscere res in genere proprio, sic quòd talis cognitio potest immediatè causari ab intellectu beati, & ab ipsa creatura, & terminari immediatè ad ipsam creaturam in se, & hoc non solùm abstractiuè per species innatas, loquendo de intellectu Angelico, & hoc respectu quiditatum, & per species de nouo acquisitas respectu singularium, vt patet à Doctore *in secundo, dist.* 3. *q.* 11. Et similiter anima beata potest per species, quas priùs acquisiuit, dum esset in corpore, & per species de nouo acquisitas in patria, sed etiam potest intuitiuè de nouo cognoscere creaturam in se, vt patet *in secundo, distin.* 3. *q.* 11. & *dist.* 9. & *in* 4. *dist.* 45. & 49. Modò cognita perfectè creatura in se, est verbum eius perfectum, vt patet à Doctore *in primo, dist.* 27. *q.* 1. Vel saltem non est sine verbo, quia si teneatur quòd verbum propriè est cum actu reflexo super actum rectum, & super obiectum cognitum actu recto, vt cùm video me videre creaturam, tunc talis cognitio, quæ dicitur verbum, non erit sine actu recto. Tamen Doctor *in primo dist.* 27. *vult.* quòd cognitio perfecta obiecti sit verbum.

Quomodo anima beata possit cognoscere creaturam in se.

b *Sed ibi sola essentia diuina immediatè attingitur, quia ipsa sola primò mouet, & per consequens ad seipsam attingendam.*

Hæc litera est ponderanda, non enim essentia vt essentia mouet intellectum creatum, vt patuit suprà, *q.* 14. *art. vlt.* Sed tunc diceretur propriè verbum proprium essentiæ diuinæ, si illa immediatè moueret ad sui visionem, qua immediatè attingeretur.

c *Prætereà; Verbum proprium alicuius gignitur de scientia, siue propria specie ipsius*, quia accipiendo *verbum* pro perfecta notitia obiecti abstractiua illa gignitur ab intellectu, & specie intelligibili, quæ species dicitur scientia habitualis, sicut supra dictum est, si verò accipitur verbum pro visione, siue pro notitia intuitiua obiecti, tunc dicitur gigni ab intellectu, & obiecto in se præsente, quod obiectum in se præsens potest etiam dici scientia habitualis, vt aliàs exposui. Vult ergo dicere quòd verbum proprium obiecti gignitur de scientia propria illius obiecti, accipiendo *scientiam* pro scientia habituali altero prædictorum modorum.

d *Nunc autem in memoria intellectus Beati non est scientia propria, vel species lapidis*; patet quia intellectus beatus, vt huiusmodi, nec habet lapidem in verbo in se præsentem, quia tunc non esset ei præsens, vt in verbo, nec habet speciem intelligibilem causantem notitiam absolutè lapidis, vt in verbo, quia licèt possit habere speciem intelligibilem lapidis causantem notitiam eius in genere proprio, non tamen causantem, vt in verbo, quia vt in verbo
51. non est lapis natus sic cognosci, per illam enim solùm cognoscitur in genere proprio.

e *Item eodem actu videtur essentia diuina*, &c.

Et nota, quod aliquid dicitur immediatè cognosci multipliciter sicut multipliciter dicitur aliquid immediatè cognosci. Dicitur aliquid mediatè cognosci, vel per mediũ nõ vt cognitũ, & sic obiectũ cognoscitur per speciem intelligibilem tanquàm per medium non cognitum, vt patet. Sic similiter cognoscitur essentia diuina per voluntatem suam, tanquàm per medium non cognitum, sed per rationem formalẽ causandi notitiã claram essentiæ diuinæ; vel cognoscitur per medium vt cognitum, id est, per obiectum, vt necessario priùs cognitum, sicut conclusio cognoscitur per principium, vt per medium cognitum, vt suprà prolixè exposui *q.* 14. Sic per oppositum dicitur aliquid immediatè cognosci, vel quando non cognoscitur per mediũ non cognitũ, sicut Franciscus quãdo intuitiuè videtur in se tũc immediatè cognoscitur quia nõ cognoscitur per aliud, quod sit ratio cognoscẽdi, sed per rationẽ propria & immediatã, ita quòd talis notitia immediatè causatur à Francisco, & ab intellectu, ita quòd ibi non requiritur aliquod medium, nec vt cognitum, nec vt non cognitum. Et sic similiter essentia diuina immediatè cognosci ab intellectu diuino quia ipsa immediatè mouet intellectum suum ad sui notitiam. Dicit ergo Doctor quòd essentia diuina, non videtur immediatè ab intellectu beato, quia tunc ipsa immediatè moueret intellectum illum, sed tantũ videtur immediatè, accipiendo *mediatè*, pro medio non cognito, quia scilicet videtur mediantè voluntate sua causante huiusmodi visionem, vt patuit suprà *q.* 14. Nec etiam videtur ab intellectu beato mediatè, accipiendo *mediatè* pro medio, vt cognito, quia tunc tale medium contineret illam virtualiter, vt patui. *q.* 14. Modò verbum propriũ alicuius obiecti requirit quòd habeat esse per motionem illius obiecti, vt patet suprà *q.* 14. Si ergo beatus non habet verbum proprium de essentia diuina, multò minùs habebit de lapide viso in essentia, quia sicut essentia, vt essentia, non mouet immediatè intellectum beatum creatum, multò minùs lapis, ibi visus mouebit.

Aliquid dicitur immediatè cognosci, multipliciter.

f Doctor hunc instat contra has rationes, quibus probauit quòd Beatus non habet verbum de creatura, vt visa in essentia Diuina. Et primò contra primam sic. *Et si per principium cognoscatur conclusio, tamen ipsa potest immediatè cognosci*, &c. *pari ratione, licèt essentia diuina moueat prius ad videndum seipsum, tamen quia est motiuum illimitatum mouet, secundò ad videndum creaturam in termino igitur illius motionis intellectus potest videre creaturam, vt obiectum immediatum*, patet, quia prius habita visione essentiæ diuinæ potest intellectus immediatè attingere obiectum secundarium, & sic firmari in cognitione illius. 52.

g Respondet ad istas instantias. Ad primã, dicit quòd *illud, quod cognoscitur per aliud, benè potest immediatè cognosci.*

Nota, quòd cognosci aliquid immediatè est cognosci illud in se, id est, quòd cognitio terminatur ad illud, vt in se præsens, posito ergo quòd talis cognitio sit per aliud, scilicet, quod sit causata ab alio, tamen terminatiuè non est per

per aliud. Sed cognitio intellectus diuini, qua cognoscit creaturam, licèt sit per aliud, id est, per causata, vel quasi causata ab essentia diuina, tamen talis cognitio non terminatur immediatè in creaturam, scilicet vt in se præsentem, quia tunc non cognouisset eam ab æterno cum non fuerit in se præsens ab æterno, sed præcisè cognoscit eam, vt præsentem in essentia diuina, id est, quòd nullo modo est præsens intellectui diuino in ratione obiecti terminatiui, nisi præcisè ratione essentiæ diuinæ per quam omnia obiecta secundaria sunt præsentia intellectui diuino.

Intellectus diuinus dicitur vilescere dupliciter. Nota etiam, quòd intellectus diuinus dicitur vilescere dupliciter. Primò, cognoscendo creaturam mouetur ab ea recipiendo cognitionem illius ab ipsa, vt à causa partiali, quia tunc intellectus se haberet passiuè respectu illius. Secundò vilescit quando eius cognitio terminatur ad creaturam, vt in se, quia tunc non habet creaturam præsentem in ratione obiecti terminatiui, nisi præcisè ratione creaturæ; & sic præsentia talis obiecti esse præcisè à creatura, quod est inconueniens.

53. *Essentia diuina est obiectum adæquatum intellectus.* Aduerte etiam quòd essentia diuina dicitur obiectum adæquatum intellectus diuini, & hoc tam in ratione motiui, quàm terminatiui; dicuntur tamen, quia in ratione motiui sola essentia sic mouet intellectum diuinum ad sui, & aliorum cognitionem, quòd est impossibile aliquid aliud mouere, etiam, si illud aliud esset præsens intellectui diuino ratione ipsius essentiæ, vt exposui sup. *dist.* 1. *q.* 1. secundi, imò nec aliqua perfectio diuina, vt attributum mouent intellectum diuinum ad sui notitiam, sed sola essentia mouet, vt suprà exposui. Sed quando ponitur obiectũ adæquatum in ratione terminatiui, sic debet intelligi, quòd nihil aliud potest esse præsens intellectui diuino in ratione obiecti terminatiui in se, & ex sua ratione, sed præcisè ratione essentiæ diuinæ. Sed tamen habita tali præsentia essentiæ diuinæ, tunc vt sic præsens, terminat notitiam sui, ita quomodo lapis præcisè relucens in essentia diuina in ratione obiecti terminatiui terminat notitiam intellectus diuini, qua cognoscit lapidem & hoc modo quodlibet obiectum secundarium vt relucens in essentia diuina, habet propriam terminationem. Non enim intellectio diuina dicitur terminari ad lapidem ex hoc solo, quòd terminatur ad essentiam, imò alio respectu rationis terminatur ad lapidem vt relucentem in essentia diuina, vt patet *in primo, dist.* 39. Et sic patet quomodo dicitur essentia diuina obiectum adæquatum intellectus diuini, & hoc tam in ratione motiui, quàm terminatiui, quod benè nota.

54. *Aliquid cognosci per aliud potest dupliciter intelligi.* Nota etiam, quòd aliquid cognosci per aliud potest in proposito dupliciter intelligi. Vno modò, tanquam per causam motiuam, sicut passio cognoscitur per subiectum, quia causat cognitionem illius. Alio modò, non tanquam per causam, sed per dispositionem propinqui, sicut conclusio cognoscitur per principia, vt patet in primo Metaph. quæst. 4. Hoc modo cognoscitur conclusio per principia, siue etiam per discursum syllogisticum. Vide quæ ibi exposui. Nullo istorum modorum creatura potest immediatè cognosci ab intellectu diuino, etiam posito quòd cognoscatur per aliud isto duplici modo. Primus enim modus conceditur, vt patet *in prolo. q. pen.* Secundus modus omnino negatur, quia intellectus diuinus nihil cognoscit per discursum, vt patet. Sed in creaturis, quod cognoscitur per aliud vtroque modo, potest etiam immediatè cognosci, nisi fortè esset aliquod dubium de relationibus, de quibus aliàs.

h *Consimiliter dicitur de visione, quam beatus habet in Verbo de creatura.* Vult dicere quòd visio lapidis in essentia Diuina nullo modo terminatur ad lapidem immediatè, quia tunc talis visio diceretur esse in genere proprio, quia visio, quæ causatur à lapide in intellectu Beati, & similiter visio, quæ terminatur ad lapidem immediatè, idest, ad lapidem vt in se præsentem, vel vt in specie intelligibili, dicitur visio in genere proprio. Visio ergo quæ terminatur ad lapidem vt præcisè relucentem in Verbo, siue in essentia diuina in ratione obiecti terminatiui, non dicitur terminari ad lapidem immediatè, vt suprà exposui.

i Ad secundam dat duplicem responsionem. Prima, quòd *essentia diuina non est in memoria creata Beati aliquo ordine prius, quam in intelligentia.* Vult dicere Doctor quòd loquendo de memoria creata, talis memoria non est in intellectu beati vt beati, &c. Vnde nota, quòd benè intellectus aliquis potest habere memoriam creatam respectu essentiæ; patet de specie intelligibili in intellectu Angelorum creata immediatè à Deo, quia ipsa repræsentat essentiam in ratione obiecti intelligibilis; nam ipsa partialiter causat notitiam distinctam non tantùm essentiæ diuinæ, sed etiam per ipsam potest haberi notitia omnium virtualiter contentorum in essentia diuina, loquendo de notitia abstractiua tam essentiæ, quàm contentorum in ea, vt prolixè patet *in secundo, dist.* 3. *quæst.* 9. Habens ergo talem memoriam scilicet speciem intelligibilem, potest gignere notitiam tam essentiæ, quam contentorum. Sed talis memoria non ponitur in intellectu beati. Beatus enim non habet speciem intelligibilem essentiæ diuinæ, licèt non repugnet, repugnant tamen visio essentiæ, & notitia abstratiua eiusdem. Si verò ponatur memoria creata in intellectu beato, per quam posset haberi notitia intuitiua essentiæ diuinæ, sicut fortè aliqui ponunt lumen gloriæ præcedere ipsam visionem; tunc si illud tale posset partialiter causare visionem essentiæ; posset etiam causare partialiter visionem omnium contentorum in ipsa essentia, vt aliàs exposui. Sed dicit Doctor quòd talis memoria prior visione non est in intellectu Beati, & sic hoc negat habitum luminis gloriæ, quia nulla apparet necessitas ponendi illud, & hoc loquendo respectu visionis absolutè, quia sufficit sola essentia diuina, licèt posset poni quo ad perfectiorem visionem, quia potentia habituata, agens æqualis conatu, perfectiori modo imperat, quam non habituata, vt patet à Doctore *in primo, dist.* 17. *& in tertio, dist.* 27. Dicit ergo Doctor quòd primum quod causatur ab intellectu Beati, vt huiusmodi est; visio essentiæ, & talis visio causatur in ipsa intelligentia, id est, quòd talis visio pertinet 55. *Nota.*

net ad intelligentiam, modò intelligentia actualis, siue cognitio actualis, siue intuitiua, siue abstractiua non pertinet ad memoriam, vt patet *in primo, dist. 2. parte 2. quæst. 4 dist. 6.* Et sic beatus per illam visionem non immediatè gigneret notitiam lapidis; nec essentia quia non pertinet ad memoriam, sed præcisè ad intelligentiam.

56. k Secunda responsio est, quòd tam visio essentiæ, quàm lapidis; tantùm causatur à voluntate diuina contingenter, quæ voluntas, licèt suppleat vicem obiecti, tamen non pertinet ad memoriam. Illud enim quod pertinet ad memoriam, vt memoria est, nunquam potest causare notitiam alicuius obiecti in aliquo intellectu, nisi priùs causet notitiam sui, vt suprà exposui *in secundo dist. 9. & hic in quoli. & in primo, dist. 1. & in prolo. q. 3.* Modò voluntas diuina non vt cognita causat visionem essentiæ, & contentorum, quod si pertineret ad memoriam non posset nisi vt priùs visa. Dicit ergo quòd visio essentiæ lapidis, cùm sit à sola voluntate diuina, nullo modo est ab aliqua memoria scilicet, nec ipsius videntis, quia nihil tale ponitur inuidente prius ipsa visione, pertinet ad memoriam, vt suprà patuit: nec etiam ab aliqua alia memoria, scilicet ab essentia vt essentia, quæ nullo modo potest mouere intellectum creatum, nec ad sui visionem, nec aliorum, vt suprà patet, quæst. 14.

l *Contrà. Intellectio essentiæ diuinæ, &c.* & sequitur, *& tunc illa est verbum*, scilicet intellectio lapidis gignitur à visione essentiæ.

Respondet primò, quòd *intelligentia non gignit*; patet, quia ipsa est finis potentiæ, vt suprà patet, *in primo. dist. 2. 6. & 27.* Dicit secundo quòd vtraque visio est à sola voluntate diuina.

57. Ad tertium negatur maior, nisi intelligatur de obiecto primo. Obiectum primum potest dupliciter accipi. Primò à quo notitia essentialiter dependet, & obiectum secundum, à quo essentialiter non dependet, vt ponit Doctor *in primo, dist. 1. q. 2.* Secundò accipitur obiectum primum pro obiecto adæquato, & hoc tā in ratione motiui, quàm terminatiui. Si ergo intelligatur maior de obiecto primo, primo modo, patet, quòd est vera, quia tunc si talis actus posset esse, & obiectum non esse cognitum, tunc non esset actus proprius talis obiecti primi, quia tunc non dependeret essentialiter ab illo. Actus enim, qui essentialiter dependet ab obiecto vt obiecto, siue vt habente rationem obiecti actu intelligibilis, necessariò est ipsius obiecti, vt aliàs exposui; similiter si talis actus posset esse respectu alicuius obiecti primi. Secundo modo & tale obiectum non esset cognitum, non esset actus proprius talis obiecti primi primitate adæquationis, quia talis actus non posset esse tali obiecto non cognito. Sed loquendo de obiecto secundario, potest esse actus talis obiecti, & tamen ipsum non esse cognitum; patet, nam est eadem visio essentiæ diuinæ, & lapidis & tamen illo priori quo essentia cognoscitur ab intellectu diuino non cognoscitur lapis; & tamen talis visio est actus proprius lapidis, vt patet de visione in intellectu diuino quòd eadem visione cognoscit essentiam, & omnia contenta in ea, vt probat Doctor *in primo dist. 2. par. 1. q. 1.* & hoc de necessitate naturæ, & ex perfectione talis cognitionis, vt ibi exposui. Sic potest esse eadem visio essentiæ, & lapidis in intellectu creato beato, ita quòd eadem visione potest videre essentiam, & omnia relucentia in essentia; sic tamen, quod voluntas diuina potest causare visionem, & facere eam terminare ad essentiam, & etiam ad contenta in ea, & facere etiā, quòd talis visio præcisè terminetur ad essentiam, & non ad contenta, & ad vnum contentum, & non ad aliud, quia potest in intellectui beato ostendere *A* non ostendendo *B*.

Ad aliam instantiam aliqui dicunt sic quòd responsio potest haberi in tertio, *dist. 14. q. 2.* Ibi, *potest dici, quòd conclusio ista potest*, &c. Ideo concieditur totum argumentum: scilicet quòd idem actus finitus potest esse infinitorum obiectorum. Et si inferatur, igitur eadem erit visio intellectus creati beati cum visione intellectus diuini, cùm vtraque sit infinitorum obiectorum; negatur consequentia, quia intellectus Beati habet visionem per accidens infinitorum obiectorum secundariorum, quia illa per accidens intelligit: scilicet mediante essentia ostendente sibi illa liberè, & contingenter; ideò actus Beati nullam perfectionem accipit ab illis obiectis, sed tota eius perfectio est ab essentia visa illa liberè ostendente. De hoc vide quæ exposui super tertio *dist. 14. q. 2.* vbi vide multa bona. 58. *Nota.*

Ad vltimam instantiam patet responsio, quòd si visio essentiæ, & creaturæ sit idem actus quòd realiter erit idem verbum essētiæ, & creaturæ, licèt secundùm alium & alium respectum non sit simpliciter idem verbum, sicut eadem visio, etiam secundùm alium, & alium respectum potest diuersificari. Si verò visio essentiæ, & visio lapidis sint duo actus realiter distincti, tunc benè conceditur, quòd non erit idem verbum realiter lapidis, & essentiæ.

Ad argumenta principalia cum responsionibus patent in litera, & ex his quæ dicta sunt *in primo, distin. 3. quæst. 7. & in secundo, distin. 3. quæst. 10.*

SCHOLIVM.

Ad primum benè explicat, quando continentia virtualis tollit capacitatem habendi formam formaliter, non ratione sui, sed alicuius concomitantis. Explicat etiam vnde constat, quòd idem non transmutatur à semetipso de quo 2. dist. 25. n. 20. vbi ostendit lignum ad præsentiam ignis non se comburere, aßignans huius rei rationem vide 1. dist. 3. q. 7. n. 27. & 2. dist. 3. q. 7. 8. ad 4. & q. 11. dist. 2. q. 10. num. 12. quibus locis explicat quomodo idem mouet semetipsum, & est actiuum simul & paßiuum, & in actu & potentia.

Ad pri

AD primum principale, si teneatur, in tertio articulo, quòd intellectus agens actiuè se habeat ad intellectionem, & possibilis passiuè, tunc non secundùm idem mouet & mouetur anima ad intellectionem, nec tamen secundùm distincta subiecto, quia illa duo non sic distinguuntur. Si autem dicatur quòd possibilis actiuè se habeat ad intellectionem, tunc idem secundùm idem mouet ad eam & mouetur. 24.

Vide 3. d. 1. q. 7 & 2. d. 3. q. 10.

Et si dicatur hoc esse impossibile, quia tunc idem secundùm idem esset in potentia, & in actu.

Omnis actio ad formam non actiuam, est æquiuoci agentis.

Respondeo: omnis actio, quæ est ad formam non actiuam, est agentis æquiuoci, & non vniuoci; quia si agens esset vniuocum, forma, qua agit, esset eiusdem rationis cum forma terminante, & ita illa esset actiua. Augmentationum autem & multarum alterationum, & communiter motus localis, termini non sunt formæ actiuæ: igitur mouens in istis & vniuersaliter agens æquiuocum est in actu aliquo non eiusdem rationis cum termino ad quem mobile est in potentia, sed est in actu secundùm aliquid virtualiter, vel eminenter continens illum terminum: sic diceretur in proposito, quòd idem in anima est ratio virtualiter continendi intellectionem vt effectum æquiuocum; & recipiendi eandem.

Contra hoc: habens formam nobiliorem non est natum recipere formam minùs nobilem; igitur habens illam nobiliori modo, scilicet virtualiter non est natum recipere illam formam formaliter.

Et confirmatur: quia pari ratione diceretur, quòd quodlibet, quod fit tale formaliter, esset tale virtualiter, & ita quodlibet transmutaretur à seipso.

Quæ formæ non possunt esse simul in eodem subiecto.

Ad primum dico, quòd forma eiusdem speciei non potest simul haberi intensiùs & remissiùs, nec duæ formæ, vt contraria & media possunt simul esse in eodem; sed tamen duæ formæ disparatæ benè possunt simul esse, & etiam eiusdem generis remoti, sicut calor, & color, quarum tamen vna est nobilior altera.

Non est igitur impossibilitas formarum in eodem, quia vna est eminentior altera, vel eminenter siue virtualiter ipsius contentiua, sed ex aliqua ratione speciali: puta propter contrarietatem, vel vnitatem specificam, vel aliquam aliam talem.

Antecedens igitur vniuersaliter sumptum falsum est & licèt in multis singularibus videatur esse verum, tamen hoc non est ratione nobilioris formæ, vel nobilioris modi habendi formam, & minus nobilis, sed ex aliqua ratione speciali, quæ non reperitur hic in principio motiuo, & in ista forma recepta.

Quæ virtualis continentia impedit ne forma formaliter insit.

Si tamen aliquid haberet istam formam eminenter, sic, quòd infinitè virtualiter non esset capax eius formaliter, quia infinitas excludit omnem potentialitatem; sed quando forma illa virtualiter, sed finitè habetur, benè potest aliqua perfectio, licèt secundùm quid, & accidentalis addi subiecto per hoc, quòd illa recipit formaliter, sicut licèt substantia sit simpliciter perfectior accidente: tamen aliquo modo perficitur recipiendo accidens, & totum illud, scilicet substantia qualis perfectior est, quàm substantia sola; sic potentia operans est perfectior seipsa quàm potentia sola, & operatio est aliqualis perfectio ipsius potentiæ, licèt potentia sit simpliciter perfectior operatione.

Ad confirmationem illam potest dici, quòd ibi est cautela transferendi se à parte opponentis ad partem respondentis propter defectum argumenti, nec videtur aliud nisi obligare respondentem ad probandum vnum necessarium manifestum: puta quòd non quodlibet mouet se. Et ad illam probationem pari ratione, &c. Potest dici, quòd licet in hoc quòd est esse in potentia tale formaliter non sit aliqua repugnantia ad hoc quod est esse tale virtualiter, nec è conuerso, quantùm est ex parte rationis terminorum: quia tunc vbique esset eadem repugnatia: tamen alicubi concomitatur vnum istorum aliquid quod repugnat alteri. Et tunc gratia materiæ verum est, quòd illud quod est tale virtualiter, non potest recipere tale formaliter, sed non per se propter hoc quod est habere virtualiter sed propter illud concomitans.

Confutatio rationis aduersariorũ. Non ideo Sol nequit esse calidus formaliter, quia talis est virtualiter 2. d. 25

Exemplum. Sol est calidus virtualiter, & tamen non potest recipere calorem formaliter, sed tamen non repugnat ei esse formaliter calidum propter hoc, quòd est calidus virtualiter, quia etiam Saturno, qui est frigidus virtualiter, repugnat esse calidum formaliter; huius autem repugnantiæ causa communis est Soli, & Saturno, quia corpus cœleste non est receptiuum qualitatis elementaris, vel cuiuscunque corporis corruptibilis, sicut nec è conuerso. Sic in proposito, aliquod mobile ad

formam

formam concomitanter habet aliquid, propter quod repugnat ſibi virtualiter continere eam, ſicut lignum habet aliquid, propter quod repugnat ſibi virtualiter continere calorem, ſed hoc non eſt, quia eſt receptiuum caloris, ſed quia habet talem formam mixtam.

Ad argumentum in oppoſitum, cùm arguïtur de obiecto, quòd actio eſt immanens, concedo, quòd intellectio, quæ dicitur actio, id eſt, operatio, eſt actio immanens ſimpliciter in potentia operante, ſed actio illa de genere actionis, quæ terminatur ad illam operationem, aliqua quidem eſt immanens, non ſolùm in eodem ſuppoſito, ſed etiam in parte intellectiua, & ſecundùm vnum modum dicendi in tertio articulo, eſt immanens in eodem intellectu poſſibili: ad illam tamen intellectionem eſt aliqua actio non immanens: puta illa quæ eſt obiecti. *Soluit argumentum ad oppoſitum n.1. poſitum.*

Cùm arguitur de memoria, quòd illa non intelligit: illa ratio deficit dupliciter. Primò quia remouendo aliquid à memoria non propter hoc concluditur illud competere intellectui poſſibili; ſed magis contrarium, quia ſecundùm dicta in tertio articulo, vel ſolus intellectus poſſibilis eſt memoria, vel ſaltem intellectus ille includitur neceſſariò in memoria. Secundò deficit: ſic quia memoriam non intelligere, non concludit ipſam non eſſe actiuam reſpectu intellectionis, vt termini per actionē eius producti. Verbum autem non eſt terminus productus per intellectionem, ſed per actienem aliquam productiuam de genere actionis. *Memoria intelligit.* *Verbum nō producitur per intellectionem.*

Qvæstio XVI.

Vtrùm libertas voluntatis, & neceſſitas naturalis poſſint ſe compati in eodem reſpectu eiuſdem actus, & obiecti?

Alenſ. 1.*p.q.* 38.*m*.1.2.*&* 2.*p.q*.74 *m.* 7. D.Bonau. 2.*d.* 39. *num*.2. D Tho.2. *quæſt.* 10.*ar*.1.2. Hen. *quodl.* 3. *q.*17. *& quodl.*4.*quæſt*.10.*& in ſum.art.* 6.*q*.1.Aureol.1.*d.* 1. *q.* 3. Capreol *q.* 3. *ar.* 1. Richard.2.*d.*38.*ar.*2.*q*.1.Vaſq.1.2.*d*.39.vide Scot. 9. *Met.q*.13.



1. CONSEQVENTER quæritur de voluntate. Et primò de actione eius in communi, ſecundò in ſpeciali de diſtinctione vnius actus eius intrinſeci ab alio actu; & tertiò de diſtinctione actus intrinſeci ab extrinſeco.

Prima quæſtio eſt hæc. Vtrùm libertas voluntatis, & neceſſitas naturalis poſſint ſe compati in eodem, reſpectu eiuſdem actus, & obiecti.

Et arguitur quòd non: quia neceſsitas; & libertas videntur repugnare; iuxta illud Auguſtini de Libero arbitr. 11. & 12

Satis, inquit, *compertum eſt nulla ratione fieri mentem ſeruam libidinis; niſi propria voluntate.* & ſtatim poſt: *qui motus, ſi culpæ deputetur, non eſt naturalis, ſed voluntarius: in eo quidem ſimilis motui illi, quo deorſum lapis fertur, quòd ſicut iſte eſt proprius lapidis, ſic ille animi: ſed in eo diſsimilis, quòd in poteſtate non habet lapis cohibere motum, quo mouetur deorſum: animus verò non ſic* & ſequitur. *Arguitur nullam neceſſitatem naturalem eſſe in nobis*

Ideo naturalis lapidis eſt ille motus; animi verò iſte voluntarius. Hæc verba Auguſtini; & paulò poſt verba diſcipuli ab Auguſtino quidem approbata, ſequuntur, iſta. *Motus, quo voluntas conuertitur, niſi eſſet voluntarius, & in noſtra penitus poteſtate, neque laudandus, neque culpandus homo eſſet, neque monendus: monendum autem hominem non eſſe quiſquis exiſtimat, de hominum numero exterminandus eſt.* Ex iſtis ſatis patet, quod repugnat naturalis motio, & libera reſpectu eiuſdem.

Contra 5. de Ciuit. 10. *Si neceſsitas*, inquit, *dicenda eſt, quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſed etiam ſi nolumus, efficit quod poteſt: vt eſt neceſsitas mortis, manifeſtum eſt voluntates noſtras, quibus rectè vel perperam viuitur, ſub tali neceſsitate non eſſe.* Et ſequitur. 5. de ciu 10

Si autē definiatur illa necessitas esse secundùm quam dicimus necesse est, vt ita sit aliquid: aut vt ita fiat, nescio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis: neque enim & vitā Dei, & præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse est Deum semper viuere; & omnia præscire, & pòst: *cùm dicimus, necesse est, vt cùm volumus, libero velimus arbitrio, & verum dicimus, & non ideò liberum arbitrium necessitati subijcimus, quæ adimit libertatem.*

SCHOLIVM.

Voluntatem diuinam habere necessariò amorem essentialem, & notionalem; alioquin posset carere perfectione infinita, quod repugnat. Ponit ad hanc probandam tres rationes D. Thom. & Henrici; quæ procedunt de omni voluntate, respectu obiecti infiniti, clarè visi, vel in communi apprehensi. De quo latè & solidè egit 1.d.1.q.4.per totam.

In voluntate diuina est necessitas amandi, & spirandi.

HIc sunt tria videnda. Pimò an in aliquo actu voluntatis sit necessitas. Secundò si cum hoc stet ibi libertas. Tertiò, si quandoque cum libertate possit stare naturalis necessitas. 2.

De primo dico [a], quòd in actu voluntatis diuinæ est necessitas simpliciter, & hoc tam in actu diligendi se, quàm in actu spirandi amorem procedentem, scilicet Spiritum sanctum. Hoc sic patet, quia Deus necessariò est beatus: igitur necessariò videt, & etiam diligit obiectum beatificum. Similiter Spiritus sanctus est Deus, & per consequens summè necessarius in essendo: igitur cum accipiat *esse* procedendo, actus ille, quo procedit, est simpliciter necessarius; vtraque autem conclusio probatur propter *quid*, sic; Voluntas infinita [b] ad obiectum perfectissimum se habet modo perfectissimo se habendi: voluntas diuina est huiusmodi: igitur ad summum diligibile se habet modo perfectissimo, quo possibile est aliquam voluntatem se habere ad ipsum: sed hoc non esset, nisi ipsum necessariò, & actu adæquato diligeret, & etiam amorem eius adæquatum spiraret, quia si aliquod istorum deficeret, posset sine contradictione intelligi aliquam voluntatem perfectiori modo se habere ad obiectum: quia ille modus posset intelligi perfectior, & ille modus non includit contradictionem, quia non est contradictio, quòd voluntas infinita habeat actum infinitum circa obiectum infinitum, & per consequens actum necessarium, & etiam necessariò, quia si posset non habere talem actum circa tale obiectum, posset carere summa perfectione.

Voluntas Dei non esset perfectissima, nisi necessario diligeret & & spiraret.

Similiter, si amor adæquatus obiecti est spirabilis, vt credimus, maximè competit voluntati infinitæ esse principium spirandi illum.

Hé.quodl. 3.quæst.7. quodl.4.q. 11.&Tho. 1.2. q. 10. ar.1. & 2. Tex.c.36. c.12.

Ad hanc conclusionem [c] ponuntur quædam probationes, quæ etiam concludunt de omni voluntate respectu illius obiecti, siue clarè visi, siue in vniuersali apprehensi, sicut modò ipsum apprehendimus. 3.

Prima probatio talis est: Voluntas necessariò vult illud, in quo est ratio omnis boni, quia non potest obiectum aliquod non velle, in quo non est malitia aliqua, nec aliquis defectus boni: finis autem vltimus est huiusmodi.

Secunda probatio habetur [d] ex dicto Philosophi 2. Physic. *Sicut principium in speculabilibus, sic finis in operabilibus.* Et 7. Ethicor. *In actionibus, quod cuius gratia est principium, quemadmodum in Mathematicis suppositiones*; nūnc autem intellectus assentit necessariò principiis in speculabilibus: igitur voluntas necessariò assentit vltimo fini in agibilibus.

Tertia probatio talis est; voluntas necessariò vult illud cuius participatione vult quicquid vult; vltimus finis est huiusmodi: igitur, &c. Probatio maioris: omne variabile reducitur ad aliquid inuariabile, & ita varietas actuum circa ea, quæ sunt ad finem, præëxigit actum inuariabilem: & per consequens maximè circa illud, cuius participatione alia obiecta terminant actum. Minor probatur per illud 8. de Trin. 3. *Tolle hoc, tolle illud, vide ipsum bonum si potes, & ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed omnis boni bonum.*

COMMENTARIVS.

1. a DE primo dicit, quòd *in actu diuinæ voluntatis est necessitas simpliciter*, &c. Et sic patet hęc cōclusio à posteriori, siue quasi ab effectu, quia amor diuinæ essentiæ est simpliciter necessarius, ergo productio illius erit simpliciter necessaria, quia non potest esse effectus simpliciter necessarius, nisi & productio eius sit simpliciter necessaria: quia si est possibilis, ergo & effectus possibilis, hoc idem dico de Spiritu sancto.

Deinde

b Deinde probat vtranque conclusionem per medium sumptum à priori, siue à causa, quia *Voluntas infinita ad obiectum perfectissimum se habet modo perfectissimo se habendi*, &c. Et breuiter ista ratio de amore primo, quo voluntas diuina amat essentiam diuinam, tenet, supponendo primò, quòd ille amor sit summa perfectio voluntatis diuinæ, loquẽdo de perfectione, quæ consistit in actu secundo, quo perfectissimè cõiungitur obiecto perfectissimo, siue quo immediatè attingit obiectũ formaliter infinitum, vt patuit *in primo, d.2.p.1.q.1.* in illis præambulis, exponendo propositionem Philosophi 12. Metaph. quòd *si intelligere primi esset aliud à scientia sua*, &c. Secundò, quòd omnis perfectio diuina est ibi simpliciter necesse esse, quia si non esset simpliciter necessaria, tunc non repugnaret formaliter posse non inesse, & sic Deus posset carere aliqua perfectione simpliciter, & sic posset esse non Deus: est ergo ibi amor diuinæ essentiæ simpliciter necessarius, cùm sit perfectio simpliciter, & formaliter infinita. Tertiò, si illud, quod est formaliter necesse esse non est originatiuè, siue quasi originatiuè à seipso; sed originatiuè ab alio, tunc illud à quo est originatiuè, sicut dat originato entitatem, ita & necessitatem necessariò concomitantem, etiam vt gradum intrinsecum ipsam entitatem. Hoc patet, quia si *A* est originatiuè secundùm totum suum *esse* à *B*, si sit formaliter necesse esse, hoc habebit ab ipso *B*, à quo habebit entitatem illam; & tunc sequitur vltrà; quòd *B* necessariò originat *A*. patet, quia *A* est necesse esse, & non est necesse esse formaliter, nisi per originationem, per quam accipit originatiuè tale esse, ergo eius originatio erit simpliciter necessaria, ergo voluntas diuina necessariò elicit amorem diuinæ essentiæ. Posset etiam confirmari per hoc, quòd voluntas formaliter infinita est simpliciter necessariò rectissima, ita quòd est impossibile ipsam deficere ab aliquo gradu rectitudinis. Cùm ergo respiciat obiectum formaliter infinitum, sequitur quòd diligit illud quantùm est diligibile, sed est diligible amore infinito; ergo talis voluntas necessariò diligit illud amore infinito, quia da oppositum, scilicet, quòd possit ipsum non diligere amore infinito; ergo potest deficere ab aliquo gradu rectitudinis, quia ipsa tenetur ipsum diligere amore infinito, & si sic, sequitur quòd absolutè diliget Deum necessariò simpliciter, & hæc confirmatio patet *in primo, distin. 2. parte 1. quæst. illa* de vnitate Dei. De productione spiritus, scilicet, quæ est à voluntate, vt patet à Doctore *in primo, dist.* 10. Patet similiter quomodo illa productio sit simpliciter necessaria. De hoc prolixè vide Doctorem *in primo, dist.* 10. & 2. *dist.* 1. & *supra in quodl. quæst.* 14.

12. Metaph. contex. 51.

Nota.

c Deinde Doctor adducit quasdam probationes, quæ concludunt etiam de omni voluntate creata, & sunt Henrici, quæ probationes licèt sint adductæ in primo, dist. 1. quæst. 4. tamen hîc etiam aliqualiter pertractantur, quarum prima est: Voluntas necessariò vult illud, in quo est ratio omnis boni, quia non potest aliquod obiectum non velle, in quo non est malitia aliqua nec aliquis defectus boni, quia obiectum nolitionis est tantùm malitia, siue priuatio boni, vt patet à Doctore est huiusmodi, quia ibi est ratio omnis boni *in 2. dist.* 25. & *dist.* 41. Finis autem vltimus aliter non esset finis vltimus. 2.

Secunda probatio habetur ex dictis Philosophi 2. Physic. (quæ propositio est prolixè exposita, quæst. vlt. prolog.) Et 7. Ethic. *In actionibus, quòd cuius gratia est principium quemadmodum in Mathematicis suppositiones*, &c. Vult dicere, quòd finis in huiusmodi actionibus est principium, sicut petitiones sunt principium in Mathematicis, petitiones illæ sunt principia per se nota, & hoc ponitur in principio libr. Euclidis *Si ab æqualibus æqualia demas remanentia sunt æqualia.* Sicut ergo petitiones sunt principium in Mathematicis, quæ Mathematicalia sunt simpliciter speculabilia, sicut ergo petitiones sunt principium necessarium in Mathematicis, sic finis est principium necessarium in operabilibus, siue agibilibus. Cùm ergo intellectus assentit necessariò principiis speculabilibus, vt patuit *in primo, dist.*1.q.3. ergo similiter voluntas necessariò assentit vltimo fini in agibilibus.

SCHOLIVM.

Ostendit contra D. Tho. & Henr. voluntatem creatam circa obiectum beatum non necessitari; ita vt repugnet carere actu circa illud clarè visum, vel obscurè in communi conceptum. Primò, quia absolutum prius potest esse sine absoluto posteriori. De quo 2. dist. 12. quæst. 2. ergo & obiectum amabile, eiúsque visio absque amore. Secundò, si voluntas necessariò ageret, necessariò continuaret actum; constat tamen quòd cessare potest ab amando obiectum beatum in via, diuertendo intellectum ad alia. Quomodo autem diuertere possit intellectum, latè tradit 2. dist. 42. quæst. 4. nã um. 5. De quo etiam 1 dist. 1. quæst. 4. à num. 4. Tertiò, quia sequeretur obiectum esse principium per se, & præcipuum dilectionis. Plures rationes, & auctoritates pro hoc habes 1. d. 1. q. 4. nu. 4. 5. & 13.

Quære 1. d.1.q.4. ISTæ rationes [e] nō videntur probare conclusionem necessariam de quacunque voluntate in communi: nec etiam videntur in se necessariæ. Primum probatur: quia quando sunt duæ naturæ absolutæ, & essentialiter ordinatæ, prior sine contradictione videtur posse esse sine posteriori: nunc autē istorum trium quæ sunt, obiectū diligibile, & ipsa apprehensio, vel visio illius obiecti in intellectu creato, & etiam ipsa voluntas creata: quodcunque est absolutum, & prius naturaliter actu diligendi illud obiectum, & hoc loquendo de dilectione in voluntate creata: igitur quodcunque illorum possit esse: imò quòd omnia illa possint esse sine actu illo dilectionis, non includit contradictionem, nec per consequens oppositum est simpliciter necessarium, quomodo illud dicitur necessarium, cuius oppositum includit contradictionem.

Hîc dicitur, [f] quòd maior est vera de illis absolutis, quorum vnum non dependet ab alio, nec ambo à tertio: in proposito autem visio, & fruitio dependent ab eodem tertio, scilicet obiecto. 4.

g Contra hoc: quodcunque absolutum Deus potest immediatè causare, & tamen non necessariò, si causat illud per causam mediam, potest non necessariò causare, quia illa causa media non necessitat ipsum ad causandum effectum illius causæ mediæ; igitur licèt ambo ista causentur à causa communi; tamen secundum, non solū contingenter causabitur, sed etiam posito primo adhuc contingenter causabitur.

Si voluntas necessariò eliceret actum, necessariò cōtinuaret illum quantum posset. Prætereà. Potentia h, quæ necessariò agit circa obiectum, necessariò continuat actum illum, quantum potest: voluntas autem, saltem viatoris, non necessariò continuat actum circa finem in vniuersali apprehensum, quantum posset continuare: igitur non necessariò agit circa illum. Maior patet exemplo de appetitu sensitiuo, & videtur posse probari per rationem: quia illud, quod est intrinseca ratio ipsius potentiæ necessariò agendi, erit etiam ratio semper necessariò agendi, quantùm est ex parte potentiæ, & ita continuandi, quantum ipsa potentia potest continuare. Minor probatur, quia voluntas viatoris posset quandoque continuare actum intellectus, quo considerat finem, quando non continuat: sed vel conuertit intelligentiam ad considerationem alicuius alterius, vel saltem non impedit quin obiectum aliud occurrens impediat illam considerationem; illa autem consideratione non continuata, non continuatur circa illud obiectum actio voluntatis, & continuata illa, continuaretur ista. Probatio eiusdem minoris per illud 1. Retractionum, 9. & 22. *Nihil tam est in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas*; quod non intelligitur quantùm ad *esse* illius voluntatis, sed quantùm ad *agere* eius; nunc autem in potestate voluntatis est, quòd per eius imperium alia potentia habeat actum, vel non habeat: sicut quòd intellectus non considerat, saltem illud obiectum, sine cuius consideratione potest voluntas habere actum imperandi: igitur in potestate voluntatis est, quòd ipsamet non habeat actum circa illud obiectum determinatum. Hoc non non intelligo sic, quòd ipsa possit voluntariè suspendere omnem actum suum: sed voluntariè potest non velle illud obiectum: sed habet tunc aliud *velle*, scilicet reflexum super suum actum: Istud scilicet, *volo modo non elicere actum circa illud obiectum.* Et hoc benè potest ex se, alioquin non posset omnem actum suspendere post deliberationem: & est simile de actu intellectus, & voluntatis, quoad hoc, quòd non potest suspendere illam intellectionem, quæ necessaria est ad volitionem illam, per quam suspendit illam intellectionem: sed potest quamcunque aliam suspendere. Sic non potest pro nunc suspendere omnem volitionem, quia non illam, qua voluntariè suspendit, sed potest suspendere quamcunque aliam ad hoc non necessariò requisitam.

Voluntas potest diuertere intellectū, & continuare eius considerationem 2.d.42.n.5.

An voluntas potest suspendere omnem volitionem.

Prætereà. Necessitas agendi est ab illo, quod est principium per se agendi: quia si illud non necessariò se habet ad *agere*, nec aliquid per illud necessariò agit, passum autem secundùm se est in potentia contradictionis. Si igitur, per te, obiectum, sit ratio necessitatis in volendo: quia ponis quod quæcunque voluntas comparata ad ipsum obiectum necessariò vult ipsum, nulla autem voluntas vult necessariò quodcunque obiectum: tunc videtur sequi, quòd obiectum sit principale actiuum respectu volitionis: quod tamen sic arguens non concedit.

9.Metaph. cap.17.

COMMEN

COMMENTARIVS.

3. *Quomodo prius possit esse sine posteriori.*

e *Istæ rationes non videntur probare conclusionem necessariam*, &c. Cùm dicit primò, quòd *prius potest esse sine posteriori*, intelligitur quando, & prius, & posterius sunt entia absoluta, & realiter distincta, aliter non concluderet, vt exposui *in secundo, dist.* 12. *q.* 2. & etiam, quòd posterius non necessariò sequatur essentialiter posito priori; patet, quia partes compositi, & vnitæ realiter distinguuntur à toto, & sunt priores essentialiter, & tamen non possunt esse simul vnitæ sine composito, vt exposui *in* 2. *dist.* 12. *q.* 2. Modò obiectum fruibile est natura absoluta, vt patuit suprà *q.* 1. Visio etiam ipsius obiecti est qualitas absoluta, vt patuit suprà *q.* 13. Et similiter voluntas creata est natura absoluta, vt patet *in* 2. *dist.* 16. & actus diligendi est qualitas absoluta, vt patet suprà *q.* 23. Et tamen visio obiecti, & ipsa voluntas creata sunt prius natura ipso actu diligendi; patet, quia actus diligendi præsupponit voluntatem elicientem, & visionem obiecti, & distinguitur realiter actus diligendi à visione, & voluntate, vt patet; ergo potest esse visio obiecti sine actu diligendi ipsum obiectum. Et addit, *& hoc loquendo de dilectione in voluntate creata.* Hoc dicit ad differentiam dilectionis in voluntate diuina, quia licèt voluntas diuina sit entitas absoluta, & similiter dilectio, non tamen est realiter distincta à dilectione illa. An modò sit prius natura ipsa dilectione, exposui *in* 2. *dist.* 1. *q.* 1.

Nota. Et per hoc, quod dicit Doctor quòd *quandò sunt duæ natura absolutæ* intelligit, quòd de facto sunt realiter distinctæ, quia nunquam dantur duæ naturæ absolutæ, quin sint realiter distinctæ. Si ergo non includit contradictionem esse visionē essentiæ diuinæ sine fruitione eiusdem, sequitur quòd oppositum non sit simpliciter necessarium, scilicet, quòd stante visione essentiæ diuinæ necessariò fruatur ipsa, quia vt patuit potest non frui.

4. *Henricus quodl.* 3. *qu.* 17.

f *Hìc dicitur*, scil. ab Henrico, *quòd maior est vera de illis absolutis, quorum vnum non dependet ab alio.* Sicut patet de composito, quod dependet à partibus simul vnitis, nec ambo absoluta à tertio. *In proposito autem visio, & fruitio dependent ab eodem tertio, scil. obiecto.* Vult dicere, quòd quamuis absolutè fruitio non dependeat à visione, & per consequens absolutè non repugnet visionem posse esse sine fruitione, vt præcisè comparantur ad inuicem, tamen vt comparantur, scil. intellectus, & voluntas ad obiectum fruibile posita præsentia talis obiecti intellectus necessariò videt illud, & similiter voluntas fruitur illo obiecto viso.

Expositio litteræ.

g Contra hoc arguit: *Quodcunque absolutum potest Deus immediatè causare*, &c.

Ista litera sic exponitur per aliqua dicta. Primò, quòd Deus quodcunque absolutum potest immediatè causare sine quocunque alio absoluto extrinseco, & realiter distincto, quia licèt non posset immediatè causare compositum sine partibus, quia intrinsecè dependet ab illis, potest tamen omnem effectum absolutum immediatè causare sine omni causa secunda, quia potest supplere omnem causalitatem causæ secundæ, & sic potest immediatè causare in voluntate fruitionem essentiæ diuinæ sine visione concurrente, vt causa secunda. Et posset illam contingenter causare, quia quicquid causat ad extra, contingenter causat, vt patet *in* 1. *d.* 2. *d.* 8. Posset etiam immediatè causare fruitionem illam non causando priùs visionem, sed tunc voluntas per illam fruitionē non fruitur obiecto fruibili, vt aliàs prolixè exposui. Secundò præsupponit, quòd visio essentiæ sit causa fruitionis, causa tamen secunda, & causa necessaria, vt patet. Dicit igitur Doctor, posito quòd visio essentiæ sit causa necessaria fruitionis eiusdem, non tamen sequitur quòd si Deus immediatè causaret illam visionem, quòd etiam causaret fruitionem, quia Deus potest contingenter causare visionem nō causando fruitionem. Si enim necessariò causaret fruitionē priùs visione causata, quæ visio ponitur causa secunda effectiua fruitionis, tunc causa secunda determinaret, & necessitaret Deum ad causandum, quod est impossibile; licèt ergo tam visio, quàm fruitio causentur à Deo, tamen vtrunque contingenter causat, & potest causare visionem non causando fruitionem, & causata visione non necessitatur ad causandum fruitionem. 5.

h *Prætereà, potentia quæ necessariò agit circa obiectum necessariò continuat actum illum quantum potest*, &c.

Sunt aliqua exponenda in ista litera. Primo ibi: *Potentia quæ necessariò agit circa obiectum, necessariò continuat actum illum quātum potest.* Hoc intelligitur de actione immanente, quæ propriè non habet *esse* permanens, sed in continuo *fieri*, vt patet suprà *q.* 13. de intellectione, & volitione, & huiusmodi, quæ tamdiu sunt, quamdiu continuantur in *esse.* Et ideò si potentia necessariò elicit actum, tunc obiectum necessariò continuat illum; sed loquendo de actione transeunte, non est simile, quia benè potest effectus produci necessariò, quia tamen non amplius continuatur à tali causa; patet de igne producente calorem in ligno, vel formam substantialem in aliqua materia, qui necessariò producit effectum, & tamen ipsum productum non continuat: intelligitur ergo de actione immanente, siue de operatione potentiæ. Et sic similiter intelligitur illud, quod sequitur, scilicet: *Illud, quod est intrinseca ratio ipsius potentiæ necessariò attingendi*, scilicet actione immanente, *erit etiam ratio semper necessariò agendi, quantùm est ex parte potentiæ.* Et dicit *quantum est ex parte potentia*, quia aliunde potest esse defectus, & impedimentum. 6.

Secundò minor probatur. Ista probatio stat in hoc, quia si voluntas necessariò vult vltimum finem in vniuersali, necessariò vult omnia requisita ad volitionem finis, & præcipuè si illa necessariò requisita sunt in potestate voluntatis. Sed ad continuandam volitionem finis necessariò requiritur continuatio cognitionis finis, quia sicut voluntas non potest elicere actū, nisi circa præcognitum, ita non potest illum continuare circa idem obiectum, nisi habeat obiectum præsens actu cognitum. Cùm ergo sit in potestate voluntatis continuare actū cognoscendi vltimum finem, & non continuare, patet quia potest imperare intellectui, vt continuet actum illum cognoscendi, & ipsum firmare in tali cognitione, vt patet *in secundo, dist.* 42. sequitur quòd si ipsa voluntas vult necessariò vltimum finem in vniuersali, quòd etiam necessa-

riò continuabit actum cognoscendi illum finem necessariò, scilicet firmando intellectum in tali cognitione, cuius oppositum experimur, quia non semper firmat intellectum in cognitione finis, patet, quia aliquando conuertit intelligentiam, siue intellectum ad aliud obiectum. Et quomodo conuertat, vide Doctorem in secundo, dist. 42. *vel si actu non conuertit, saltem non impedit quin obiectum aliud occurrens impediat illam cognitionem*; patet, quia si fortius obiectum occurrit intellectui statim causat notitiã sui in intellectu, & sic impedit cognitionem alterius obiecti. Et quomodo hoc sit verum, vide quæ exposui in secundo, dist. 9. etiam in primo, dist. 3. q. 6.

7. *Primo retractationum 9. & 12.* Tertiò ibi exponendo auctoritatem Augustini, quòd *nihil est tam in potestate voluntatis*, &c. Hoc intelligitur non tantùm de actu elicito voluntatis, sed etiã de actu imperato. Et cùm dicit, quòd *in potestate volũtatis est, quòd per eius imperiũ alia potentia habeat actum, vel nõ habeat.* Hoc non intelligitur de omni actu alterius potentiæ, quia non de actu primo intelligendi obiectum, cùm ille necessariò præsupponatur, sed intelligitur, vel quantùm ad continuationem actus firmando intellectum; vel ipsum auertendo à consideratione obiecti, de quo dixi *in secundo, dist. 9. & dist. 42.*

Vltimò nota de suspensione actus voluntatis, aliquando enim suspendit actum absolutum scilicet nullum actum eliciendo circa obiectũ. Aliquando suspendit actum voluntariè, & tunc non potest suspendere, nisi eliciendo alium actũ, quo suspendit. Vt cùm dico, volo non amare Ioannem & tunc voluntariè suspendo actum amoris, & hoc potest dupliciter contingere, scilicet vel actum amoris priùs elicitum suspendere, & sic non continuare actum amoris, & tunc volo non continuare actum amoris, vel absolutè volo non amare, ita quòd nullo modo volo elicere actum amoris. Et sic patet ista litera.

SCHOLIVM.

Reijcit rationes D. Thomæ allatas, nu. 3. Ad primum, declarat quomodo defectus omnis mali non necessitat ad amandum, sed ad non odiendum. Sic idem habet, 1. d. 3. q. 4. n. 18. Hîc aduerte, licèt Doctor vt dubium reliquerit, an voluntas possit velle malum 1. d. 1. q. 4. nu. 18. & 2. d. 6. q. 2. n. 13. & 43. q. 2. tamen resoluit negatiuè, 4. d. 49. q. 10. §. ad 2. art. & d. 50. q. 2. ad 1. & in hac litera. Ad secundum explicat benè illud. Sicut principium in speculabilibus, &c. *quod tenet quoad ordinem obiectorum intelligibilium, & volibilium inter se; & etiã quoad ordinem potentiarum ordinatè tendentium in illa. Sed non est idem modus vtriusque potentiæ tendendi in illa; aliàs intellectus consentiret principio propter conclusionem, sicut voluntas fruitur vtendis, & vtitur fruendis; & hæc necessariò tenderet in media, sicut illa in conclusiones. Vide Doct. 1. d. 4. n. 16. Ad tertium, falsum esse voluntatem necessariò velle id, cuius participatione vult, quicquid vult. Vide alia argumenta soluta, d. q. 4. à nu. 16. Explicat nu. 7. quomodo Deus omnia vult necessariò necessitate immutabilitatis, quia non potest velle oppositum eius quod semel voluit, aliàs mutaretur. Quòd repugnat, ex 1. distinct. 8. quæstion. vltima.*

Ratio omnis boni in obiecto non necessitat voluntatẽ. SEcundum [i] scilicet quòd illæ probationes non sunt necessariæ; patet discurrendo per eas. Ad primam, negatur maior, quantumcunque in obiecto aliquo sit perfectio tota obiecti: tamen ad necessitatem actus requiritur, quòd potentia necessariò tendat in illud obiectum; & quicquid sit de voluntate creata beata, & de perfectione eius supernaturali, qua tendit in obiectum illud: tamen diceretur quòd voluntas viatoris simpliciter contingenter tendit in illud, etiam quando est in vniuersali apprehensum: quia illa apprehensio non est ratio determinandi voluntatem ad necessariò volendum illud: nec ipsa voluntas necessariò se determinat illo posito, sicut nec necessariò continuat illud positum, vt actum est in secunda ratione: tamen ista posset concedi, quòd voluntas non potest resilire ab obiecto, siue nolle obiectum, in quo non ostenditur aliqua ratio mali: nec aliquis defectus boni: quia sicut bonum est obiectum huius actus, qui est *velle*, ita malum vel defectus boni, quod pro malo reputatur, est obiectum huius actus, qui est *nolle*; & non sequitur vltrà: non potest nolle hoc; igitur necessariò vult hoc, quia potest hoc obiectum neque nolle, neque velle, vt actum est suprà, pertractando illam auctoritatem *primo Retractationum.* 5.

Voluntas non potest nolle nisi ostensum vt malum.

k Contra hoc potest argui. Si non potest nolle hoc obiectum, hoc ideò est, quia habet in se aliquid, cui repugnat illud nolle; tale autem repugnans non potest esse nisi actu velle illud obiectum: igitur illud necessariò sibi inest. Maior probatur, quia si vnum incompossibilium repugnat: alterum necessariò inest. Minor probatur, quia nulla inclinatio ad volendum habitualis, vel aptitudinalis repugnat illi *nolle* actuali, quia cum vno actu posset stare possibilitas, vel aptitudo ad oppositum actum.

Hîc potest dici, quòd illud repugnans actui nolendi finem est ipsamet potentia voluntatis,

voluntatis, quia ipsa non potest habere *velle*, nisi respectu obiecti volibilis; vel *nolle* nisi respectu obiecti, nolibilis, quia nullum aliud *velle*, vel *nolle* est possibile fieri: finis autem non habet rationem nolibilis, quia nec malitiam, nec defectum boni. Vnde hoc, quod est nolle finem; includit contradictionem, sicut videre sonum. Sicut vult Augustinus in Enchirid. 14. *Sic enim beati esse volumus, vt miseri esse non solùm nolimus, sed nequaquam velle posimus.* [l] Sicut igitur repugnat ipsi actui volendi tendere in miseriam, ita videtur repugnare actui nolendi tendere in beatitudinem, vel fortè magis, [m] quia non ita caret miseria omni ratione volibilis, sicut beatitudo ratione nolibilis.

Quare voluntas non potest nolle bonum, nec velle malũ.

6. Ad secundam probationem: illud simile Philosophi de fine, & principio debet intelligi quoad duo, scilicet quoad ordinem obiectorum intelligibilium, & obiectorum volibilium inter se: & etiam quoad ordinem, quem habent respectu potentiarum ordinatè tendentium in ipsa. Intelligo sic primum; quòd sicut est ordo in veritate inter principium, & conclusionem, quæ habet veritatem participatam à principio; sic est ordo inter finem, & ens ad finem in bonitate, siue appetibilitate; quia ens ad finem habet bonitatem participatam respectu finis. Et ex hoc sequitur secundum, scilicet, quòd sicut intellectus ordinatè tendens in illa vera, propter principium assentit conclusioni, sic voluntas ordinatè tendens in illud, quod est ad finem, tendit in ipsum propter finem. Sed non est simile hinc inde comparando illa ad potentias istas, vt absolutè operantes, quia tunc non posset aliqua voluntas velle illud, quod est ad finem: nisi vtendo, scilicet volendo ipsum propter finem. Cùm tamen dicit Augustinus 83. q. quæst. 30. *quòd peruersitas voluntatis est in vtendo fruendis, & fruendo vtendis.*

Sicut principium in speculabilibus ita finis in practicis, 1. d. 1. q. 4. n. 16.

Ex quo habetur, quòd voluntas potest obiecto vtendo frui, non sic autem potest intellectus verum scibile intelligere tanquam principium, scilicet tanquam euidens ex terminis. Et ratio differentiæ est, quia intellectus mouetur ab obiecto naturali necessitate: voluntas autem liberè se mouet. Patet etiam in aliis, quòd non est similis necessitas, hinc inde; quia per principium necessariò scitur conclusio, non sic per bonitatem finis necessariò appetitur illud quod est ad finem

Intellectus mouetur ab obiecto naturaliter, voluntas liberè se mouet.

Ad tertiam probationem, maior potest simpliciter negari; quia si voluntas nihil necessariò vult; non oportet quòd illud, ratione cuius vult alia, necessariò velit: sed quòd illud contingenter velit sufficit ad volendum alia, eo modo, quo vult ea.

Aliter potest dici, quòd maior potest habere duplicem intellectum. Vnum talem: illud cuius participatione vult alia tanquam participatione obiecti voliti, illud magis, vel priùs vult; alium talem, cuius participatione in entitate, vult alia, quæ participant entitatem, illud prius vult. Primus intellectus videtur esse verus: sed non secundus; quia etsi color, quem video, participet entitatem suam à primo ente, & visibilitatem à primo visibili, non tamen color visus requirit primum ens vel primum visibile priùs videri: quia non videtur participatione eius vt visi, sed vt entis, vel visibilis; & tantùm in isto secundo intellectu est minor vera, sicut & illa probatio adducta tantùm probat, quòd illud sit bonum, vel volibile participatione primi volibilis, non autem, quòd hoc præcisè sit volitum participatione illius primi, vt voliti.

7. De isto igitur articulo [n] quicquid sit de voluntate creata beata, vtrùm, scilicet per aliquid supernaturale necessitetur ad volendum vltimum finem, vel non; saltem probabiliter potest dici, quòd non omnis voluntas creata necessitatur ex natura sua ad volendum finem, non solùm absolutè, quod manifestum est, sed nec posita apprehensione obscura illius obiecti, sicut modò apprehẽdimus; hoc saltem certum videtur, quòd voluntas diuina necessitatur simpliciter ad volendũ bonitatẽ propriam.

Conclusio voluntatẽ creatam nõ necessitari ad amandũ vltimum finem obscurè apprehensum.

Et si quæratur, an necessariò velit aliquod aliud obiectum ab eo; posset dici quòd exclusa necessitate coactionis, de qua non est sermo, potest intelligi vna necessitas immutabilitatis, quæ excludit posse oppositum succedere ei, quod inest. Alia est necessitas omnimodæ ineuitabilitatis, siue determinationis: quæ non solùm excludit oppositum posse succedere isti: sed omnino excludit ipsum posse inesse; loquendo de sola prima necessitate, Deus necessariò vult quicquid vult, quia non potest succedere oppositum ei, quod inest, neque ex parte actus, neque obiecti: quia hoc non posset esse sine aliqua mutatione in Deo: cùm obiectum esse volitum non ponat aliquid extra ipsum Deum, & non potest de non volito fieri volitum, vel è conuerso, quin sit mutatio in aliquo. Non enim est transitus à contradictorio in contradictorium

Deus necessariò vult, quicquid vult, exponitur.

Non transitur à contradictorio in contradictorium, nullo aliter se habente. nullo aliter se habente:quia tunc non esset ratio, quare illud contradictorium magis esset verum modò,quàm priùs,& quare illud falsum. Sed de secunda necessitate potest dici, quòd licèt necessariò voluntas diuina habeat actum complacentiæ respectu cuiuscunque intelligibilis, inquantùm in illo ostenditur quædam participatio bonitatis propriæ,tamen non necessariò vult quodcunque creatum volitione efficaci,siue determinatiua illius ad existendum:imò sic vult contingenter creaturam fore, sicut contingenter eam causat, quia si necessariò hac secunda necessitate vellet eam fore, necessariò etiam necessitate ineuitabilitatis eam causaret, saltem pro tunc, pro quando vult eam fore.

COMMENTARIVS.

7. i De *secundo principali.* Nunc Doctor ostendit quòd illæ probationes non sunt necessariæ, quod etiam ostensum est in primo, *dist.*1.*q.*4. & omnia sunt ibi exposita,tamen pro iunioribus adhuc hîc aliqualiter expono. *Ad primam negatur maior,* scil. Voluntas necessariò vult illud, in quo est ratio omnis boni, quia quamuis in obiecto sit ratio omnis boni, quia infinitum, tamen ad necessitatem actus requiritur quòd potentia necessariò tendat in illud obiectum,& hoc ponendo quòd actus non causetur immediatè ab obiecto, vt patuit *in* 2.*dist.* 25. Tenendo enim quòd voluntas sit elicitiua sui actus circa quodcunque obiectum, non sequitur quòd si respiciat obiectum infinitum, quòd necessariò velit illud; oportet enim probare quòd necessariò velit, quod tamen per illam rationem non probatur. *Voluntas est elicitiua sui actus.* Sequitur,*& quicquid sit de voluntate creata beatà,& de perfectione eius supernaturali qua tendit in obiectum illud* (de qua erit sermo in quarto,dist.49) *tamen diceretur quòd voluntas viatoris simpliciter contingenter tendit in illud, & etiam quàndo est in vniuersali apprehensum*, (quia isti dicunt quòd licèt voluntas viatoris contingenter velit vltimum finem in particulari apprehensum,tamen necessariò vult ipsum in vniuersali apprehensum,vt patuit in primo,distinct.1.q.4.) *quia illa apprehensio non est ratio determinandi voluntatem ad necessariò volendum illud*, quia notitia obiecti non mouet necessariò voluntatem,ad aliquid volendum, saltem vt principalis causa,vt exposui in primo, dist.1. q.4. & patet in secundo,dist.25.& vide quæ dixi in primo,vbi suprà, respondendo ad obiectiones Alphonsi,& Ochã contra Doctorem.Sequitur,*nec ipsa voluntas necesariò se determinat illo posito*,id est,obiecto cognito,siue vltimo fine actu cognito,*sicut nec necessariò continet illud positum*,id est, vltimum finem actu cognitum, id est, quod nõ necessariò contineat cognitionem vltimi finis,vt suprà patuit:patet ergo quomodo voluntas non necessariò vult vltimum finem in vniuersali apprehensum. Et hoc magis patuit *in primo, dist.*1.*quæstion.*4. Tamen potest concedi quod voluntas non potest resilire ab obiecto,siue nolle obiectũ in quo non ostenditur aliqua ratio mali,nec aliquis defectus boni; quia sicut bonum est obiectum huius actus, qui est *velle*, ita malum,vel defectus boni,quod pro malo reputatur est obiectum huius actus, qui est *nolle*, & non sequitur vltrà,non potest nolle hoc,igitur necessariò vult hoc;quia potest hoc obiectum, neque nolle,neque velle,vt patet *hîc,& in primo,dist.*1.*q.*4. *Voluntas non potest nolle bonum.* Vult ergo Doctor quòd voluntas non potest nolle bonum,in quo non est aliqua ratio mali, & hoc vel existentis, vel apparentis, quia non potest elicere actum nolitionis, nisi circa obiectum nolibile. Modò tale bonum nullo modo est obiectum nolibile, cùm solum malum sit obiectum nolibile, siue sit malum apparens. Et non sequitur vltrà, quòd necessariò velit illud, quia licèt bonum sit obiectum volitionis, & hoc,siue verum,siue apparens,siue præfixum, non tamen sequitur quòd necessariò velit illud, sicut nec sequitur quòd necessariò nolit etiam summum malum,si illud esset possibile. 8.

k *Contra hoc potest argui.* Hîc Doctor probat quòd voluntas necessariò velit illud obiectum, si non potest illud nolle,& arguit sic, *Si non potest nolle hoc obiectum,hoc ideò est,quia habet in se aliquid, Maior probatur, quia si vnum incompossibilium repugnat, aliud necessariò inest*, patet,quia si negatio necessariò repugnat, affirmatio posita necessariò inest. Si enim repugnat necessariò homini non animal, necessariò animal inest homini. Et ideò benè dicit, quòd *si vnum necessariò repugnat alterum necessario inest.* Minor probatur, *quia nulla inclinatio ad volendum beatitudinem habitualis,vel aptitudinalis repugnat illi* nolle *actuali,quia cum vno actu posset stare possibilitas,vel aptitudo ad oppositum actum*, vt patet à Doctore in primo, dist.39. ergo *velle* actuali beatitudinem videtur repugnare *nolle* actuale beatitudinem,& per consequens si nolle beatitudinẽ necessariò repugnat volũtati, velle actualiter beatitudinẽ necessariò inerit volũtati.

Respondet, quòd *illud repugnans actui nolendi finem, est ipsa potentia voluntatis*, cui ex sua formali ratione repugnat habere *nolle* respectu finis,quia finis non est nolibilis,sed tantùm volibilis. Licèt enim *nolle* actuale,& *velle* actuale respectu eiusdem obiecti repugnent ad inuicem formaliter in *esse* simul,tamen non repugnat voluntati successiuè,& hoc loquendo de obiecto volibili,& nolibili. Licet enim voluntas non possit simul velle, & nolle lapidem, tamen successiuè potest habere vtrunque. Sed vt voluntas comparatur ad *velle*, & *nolle* respectu vltimi finis, nec simul,nec successiuè potest habere vtrunque, quia nolle finem repugnat voluntati. Sicut etiam intelligere repugnat lapidi ex sola potentia lapidis. Si dicatur, quòd tunc voluntas non erit libera respectu cuiuscunque obiecti,si illud non potest nolle. Dico quòd libertas voluntatis est in hoc, quòd idem obiectum potest velle, vel non velle. De hoc vide quæ dixi super secundo, dist.6. q.1. 9.

l *Quòd autem voluntas non possit nolle finem probat per Augustinum.* Ista auctoritas non concludit, quòd necessariò velimus beatitudinem, vel quòd necessariò nolimus miseriã,

quia

quia voluntas sicut potest velle, & non velle beatitudinem, sic potest nolle, & non nolle miseriam. Sed sic præcisè intelligitur, quòd sicut beatitudo est præcisè obiectum volibile, ita miseria obiectum nolibile. Et sicut est impossibile voluntatem velle actualiter miseriam, ita est impossibile ipsam nolle actualiter beatitudinem.

m *Vel fortè, & magis, quia non ita caret miseria omni ratione volibilis, sicut caret beatitudo omni ratione nolibilis.* Si ergo secundùm Augustinum non possum velle miseriam, quæ fortè non caret omni ratione volibilis, à fortiori non possum nolle beatitudinem, quæ caret omni ratione nolibilis, cùm in ipsa non sit aliquis defectus boni, nec aliqua ratio mali.

Ad alias duas rationes patet responsio hîc, & clariùs vide in primo, dist. 1. quæst. 4. & quæ ibi exposui.

Volũtas creata non necessitatur. n *De isto artic.* Hîc Doctor dicit duo. Primò, quòd voluntas creata non necessitatur ex sua natura ad volendum finem, non solùm absolutè, sed nec etiam posita apprehensione obscura illius obiecti, sicut modò apprehendimus. Sed an voluntas creata beata necessitetur ad volendum finem, & hoc per aliquid supernaturale, puta per charitatem, licèt Doctor hic non soluat, tamen in primo, *dist.* 1. *q.* 4. soluit, probando quòd voluntas comprehensoris eleuata per charitatem, non necessariò fruitur, vide ibi. Secundò dicit, quòd voluntas diuina necessariò vult propriam bonitatem, vt satis probatum est *in primo, dist.* 10. *quæst. vnica*, & vide quæ ibi exposui.

10. *Duplex necessitas.* o Deinde quærit an voluntas diuina necessariò velit aliquid aliud à Deo? Et ponit duas conclusiones, præmittendo quòd duplex est necessitas, scilicet immutabilitatis, & ineuitabilitatis omnimodæ, siue determinationis necessariæ. Prima excludit oppositum posse succedere ei, quod inest, hoc modo voluntas diuina vult quicquid vult ad extrà, quia oppositum eius nunquam potest inesse. Ab æterno enim voluit quicquid nunc vult, & quod voluit ab æterno esse pro tali tempore, necessariò erit, scilicet necessitate immutabilitatis, quia ex quo determinauit illud fore, est impossibile oppositum inesse, scilicet ipsum non fore. Licèt enim quando ab æterno voluit esse *A*, potuisset oppositum velle, scilicet non esse *A*, tamen facta determinatione, quòd *A* sit, non potest oppositum velle, scilicet velle *A* non esse, quia tunc voluntas diuina mutaretur, quia est impossibile transire de contradictorio in contradictorium, sine mutatione; sed mutatio non erit in obiecto prius volito, & pòst nolito; patet, quia obiectum nullum *esse* nouum habet; modò mutari est aliquid aliter se habere nunc quàm priùs se habuerit, vt patet 5. *Phys.* ergo si *A* est nunc volitum esse, & post nolitum esse, cùm hic sit transitus à contradictorio in contradictorium, erit aliqua mutatio, & non in *A*, vt patuit; ergo in voluntate diuina, quæ nunc aliter vellet, quàm priùs voluit, quod est simpliciter impossibile, scilicet quòd aliquo modo mutetur, vt patet *in primo, dist.* 2. *quæst. vlt.* Patet ergo quomodo voluntas diuina quicquid vult, immutabiliter vult. Sed de alia necessitate, scilicet ineuitabilitatis, quæ est, quòd simpliciter necessariò velit, ita quòd nunquam potest velle oppositum pro quocunque instanti, sicut dicimus, quòd pater in Diuinis necessariò generat filium, quia est simpliciter impossibile ipsum non generare. Loquendo de hac necessitate, voluntas diuina nihil vult ad extrà: patet, si enim hoc modo vellet creaturam, & hoc efficaciter, necessariò eam vellet, & sic creatura necessariò esset ab æterno, quia causa agens necessariò, & non impedita, statim ponit effectum, & necessariò. Loquendo tamen non de volitione efficaci, qua vult creaturam existere in aliquo tempore, sed de volitione complacentiæ, qua complacet quiditatibus cognitis, quæ sunt quædam participatio bonitatis diuinæ, vult illas necessariò, necessitate ineuitabilitatis, quia non potest non complacere eis sic positis in *esse* cognito, quia vt sic, habent *esse* necessarium, secundùm *quid* tamen, vt patet *in primo, dist.* 3. *quæst.* 4. *in secundo, dist.* 35. 36. 39. Et talis volitio non ponit creaturam in aliquo esse reali. Alij duo articuli clari sunt hîc, & ex distinctione decima primi.

SCHOLIVM.

Voluntatem cum necessitate ad actum liberam esse probat ex Augustino, & Anselmo. Secundò, Deus amat media ad se liberè: ergo & se. Tertiò, libertas est conditio intrinseca voluntatis; ergo compatitur cum conditione perfectissima operandi, & talis est necessitas, vbi est possibilis. Explicat quomodo cum necessitate stat libertas. De quo latè agit 1. *dist.* 10. *&* 4. *dist.* 49. *q.* 1. *ar.* 1. *& suprà quodl.* 2. *Quæstio nimis controuersa est, mihi tamen videtur non esse de re ipsa, sed de modo loquendi; & Doctor tenet eum, quo Philosophus, Augustinus & Anselmus vsi sunt. Vide Scholium vltimum,* 1. *dist.* 10. *vbi circa hoc dixi quod verius visum fuit.*

DE secundo articulo principali, dico quòd cum necessitate ad volendum stat libertas in voluntate. Hoc probatur, primò per auctoritates. Prima est Aug. *in Ench.* quæ dicta est suprà. 8.

Sic

Cum necessitate volendi stat libertas secundum August. & Anselm.

Sic enim oportebat priùs fieri hominem, & vt benè posset velle, & malè, nec gratis vel frustrà si benè; nec impunè si malè, hoc est in statu illo primo, meretur, vel demeretur. Et sequitur. *Posteà verò sic erit, vt malè velle non possit, nec ideò libero carebit arbitrio, multò quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit seruire peccato*; & subdit, quasi pro probatione: *neque culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est: qua beati sic esse volumus, vt esse miseri non solùm nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus, sicut enim anima nostra nunc habet nolle infelicitatem, ita tunc nolle iniquitatem semper habitura est.* Item Anselmus de lib. arbit. cap.1. *Qui sic habet, quod decet, & expedit, vt hoc amittere nequeat, liberior est, quàm ille, qui sic habet hoc ipsum, vt possit perdere.* Et ex hoc concludit: *liberior igitur est voluntas, quæ à rectitudine declinare nequit.*

Tex.146.

Deus quomodo se amet?

Idem probatur per rationem, & primò *quia*, nam ex præcedente articulo habetur quòd voluntas diuina necessariò vult bonitatem suam, & tamen in volendo eam est libera; igitur, &c. Probatio minoris: quia potentia operans circa vnum obiectum, non absolutè, sed in ordine ad aliud, eadem est operatiua circa vtrunque obiectum, sicut arguit Philosophus *in secundo de Anima*, quòd illa potentia, quâ cognoscimus differentiam vnius obiecti ab alio obiecto, ipsa nata est cognoscere vtrunque obiectum in se; sicut ipse arguit ibi de sensu communi; nunc autem voluntas ipsa diuina refert ad finem alia obiecta, quæ sunt volibilia propter finem: igitur ipsa sub eadem ratione potentiæ est operatiua circa vtrunque; sed circa illud quod est ad finem liberè operatur. Patet: quia contingenter vult illa, & contingentia in agendo reducitur ad principium non naturaliter actiuum, sed liberè; igitur ipsa sub ratione potentiæ liberæ vult bonitatem suam.

Libertas est perfectionis

Præterea; secundò probatur idem *propter quid*, & primò sic. Actio circa finē vltimū est actio perfectissima, & in tali actione libertas in agēdo est perfectionis: igitur necessitas in ea nō tollit, sed magis ponit illud quod est perfectionis; cuiusmodi est libertas.

Libertas, conditio intrinseca, voluntatis.

Præterea: conditio intrinseca ipsius potentiæ vel absolutè vel in ordine ad actum perfectum, non repugnat perfectioni in operando; nunc autem libertas, vel est conditio intrinseca voluntatis absolutè, vel in ordine ad actum volendi; igitur ipsa libertas potest stare cum conditione perfecta possibili in operando: talis cōditio est necessitas, specialiter vbi ipsa est possibilis. Est enim semper possibilis, vbi neutrum extremum requirit contingentiam in operatione, quæ est media inter extrema, sic est in proposito: sicut probatum est in præcedenti articulo.

Si quæras, quomodo stat libertas cum necessitate?

Non est quærenda ratio eorū, quorum nō est ratio.

Respondeo secundùm Philosophum *quarto Metaphysicæ*; non est quærenda ratio 9.
eorum, quorum non est ratio. *Demonstrationis enim principij non est demonstratio.* Ita dico hîc, quòd sicut ista est immediata, & necessaria, *voluntas diuina vult bonitatem diuinam:* nec est alia ratio, nisi quia hæc est talis voluntas: & illa talis bonitas; sic voluntas diuina contingenter vult bonitatem, seu existentiam alterius, & hoc, quia est talis voluntas, & illud est tale bonum: nisi addamus generaliter vnum breue, quòd voluntas infinita necessariò habet actū circa obiectum infinitū, quia hoc est perfectionis; & pari ratione nō necessariò habet actū circa obiectū finitum, quia hoc esset imperfectionis: nam imperfectionis est necessariò determinari ad posterius; & perfectionis requisitæ est sic determinari ad prius: & perfectionis cōcomitātis ad illud quod est simul naturâ.

Non est idē liberū, & contingēs, *aut* naturale & necessarium.

Confirmatur illud, quia non est eadem diuisio in principium naturale, & liberum, & in principium necessariò actiuum, & contingenter: aliquod enim naturale potest contingenter agere: quia potest impediri: igitur pari ratione possibile est aliquod liberum, stante libertate, necessariò agere.

Sed semper est dubium, in quo stat per se ratio libertatis: siue enim dicatur quòd libertas stat in determinatione ad agendum, siue in dominatione respectu sui actus; per neutrum hîc videtur posse saluari.

☞ Additio. Henricus.

Hîc diceretur, quòd cùm dicitur, voluntatem necessariò velle, necessitas potest de- 10.
terminare actum volendi, vt terminatur ad obiectum, & sic est verum manifestum, intelligendo de bonitate diuina, quæ sola est proprium, & per se obiectum: alia autem non sunt per se obiecta propria: ideò non necessariò vult illa: aut potest necessitas determinare actum vt egreditur à voluntate. Et hoc potest intelligi dupliciter. Vno modo, vt sit necessitas praua ad voluntatem: & voluntas intelligatur cadere sub necessitate, tanquam impellente in actum, & figente in actu; si autem sic esset, voluntas ageretur, & non ageret, nec staret in tali actu libertas. Alio modo potest intelligi necessitas concomitans: ita quòd

quòd ipsa intelligatur cadere sub voluntate, sic quòd voluntas propter firmitatem libertatis suæ sibiipsi necessitatem imponit in eliciendo actum, & in perseuerando, siue figendo se in actum: in inspiratione concomitatur necessitas naturæ, quæ est vis quædam naturæ primo modo dictæ, id est, essentiæ, siue naturæ secundo modo dictæ, scilicet principij naturalis producitur similis: talis enim assistit voluntati in communicando naturam Spiritui sancto.

Est igitur ordo quadruplicis necessitatis. Prima, qua Deus necessariò viuit. Secunda, quâ necessariò intelligit. Tertia, quâ necessarcò spirat. Quarta, quâ necessariò diligit se.

In quo igitur est libertas volendi?

Respondeo, quia delectabiliter, & eligibiliter elicit actum, & permanet in actu.

Contrà: secundùm Rich. gloriosius est, quod secundùm naturam habetur, quàm quod aliter habetur.

Respondeo, quod ex necessitate naturæ habetur velle, non necessitate tamen naturæ habetur obiectum: quia esset contradictio: igitur in ista propositione quæ est de dicto, Deum se velle est necessarium: patet distinctio, quòd necessitas potest determinare actum volendi sic, vel sic, scilicet absolutè, vel cum respectu ad obiectum: sed non æquè apparet in ista, Deus vult necessariò, *quæ est de re: tamen eadem veritas est communis, quòd necessitate naturæ habetur actus, sed non vult obiectum necessitate naturæ.*

SCHOLIVM.

Sententia Henrici, voluntatem spirare Spiritum sanctum, necessitate naturali, & etiam libera: de qua latè Doctor 1. dist. 1. quæst. 7. num. 13. & dist. 10. num. 3. reijcitur primò, quia inconuenit in amore essentiali, vnam tantùm esse necessitatem, & duas in notionali. Secundò, memoria sine coexistentia naturæ gignit; ergo & voluntas similiter spirat.

11. DE tertio principali dicitur, quòd in aliquo actu voluntatis diuinæ, scilicet in actu spirandi Spiritum sanctum, est aliquo modo necessitas naturalis, sic intelligendo, quòd voluntas, vt est simpliciter voluntas, non est principium elicitiuum actus notionalis, quo producitur simile in forma ipsi producenti: quia tunc in quocunque esset, esset principium elicitiuum actus, quo produceretur simile in forma, quod falsum est in creaturis. Sed voluntas, vt est in natura diuina, & vt sic per illam habet quandam naturalitatem ad producendum actum notionalem, sic est principium elicitiuum actus notionalis. Ex hoc enim quod fundatur in natura diuina, siue in essentia, habet sibi annexam quandam vim naturæ: & sic quandam necessitatem naturalem ab ista naturalitate, siue vi naturali annexa voluntati contrahit, & sic est principium elicitiuum actus notionalis; licèt enim in actu voluntatis essentialis, vt ordinatur in summum amatum, ab ipsa sola voluntate ratione, qua est libera, sit necessitas immutabilitatis; tamen inquantùm actio voluntatis ordinatur in amorem productum tendentem in amatum terminaliter, sic ab illa naturalitate annexa voluntati procedit necessitas immutabilitatis circa solum actum notionalem elicitum à voluntate, vel potiùs ab ipsa libertate voluntatis, vt ei talis naturalitas est annexa. Additur ad hoc, quòd illa naturalitas in voluntate nullo modo præuenit eius libertatem, nec est ratio elicitiua actus notionalis. Hoc enim esset omnino contra eius libertatem, sed potiùs est consecutiua, & annexa libertati, vt aliquid, quo assistente voluntati, voluntas ipsa ex vi, quam habet ex eo, quod est voluntas, & libera, potest elicere actum suum notionalem: quem sine illo assistente elicere omnino non posset. Sunt igitur aliter, & aliter istæ propositiones in diuinis necessariæ, *Deus necessariò viuit*: quia necessitate naturæ: *Deus necessariò intelligit*, quia necessitate intelligibilis determinantis intellectũ ad hoc, vbi est aliqua diuersitas rationis: *Deus necessariò spirat Spiritũ sanctum*, quia necessitate naturali non præueniente, sed concomitante: *Deus necessariò amat se*, necessitate consequente infinitatem libertatis absque aliqua necessitate naturæ. Henr. in sum. ar. 60. q. 1.

12. Contra istud, non videtur quòd illud, quod fundatur in aliquo, possit habere rationẽ aliquã necessitatis vlteriorem vltra illud, in quo fundatur; nec etiã quòd fundatũ posset habere duplicẽ rationẽ necessitatis, & illud in quo fundatur, tantùm vnicã: quia tunc circunscripta per impossibile, vel possibile illã vnica ratione necessitatis in fundamẽto, adhuc remaneret alia ratio necessitatis in fũdato, & ita illud fundamẽtũ remaneret necessariũ, & tamẽ nõ remaneret necessitas fũdamẽti: nũc autẽ, secũdùm istos actus notionales fundãtur in actu essentiali: & secundùm omnes actus essentiales aliquo modo sunt priores; igitur non potest esse quòd in actu essentiali, quo Deus diligit se, sit tantùm vnica necessitas: & ex vnica ratione necessitatis, scil. ex infinitate libertatis, & tamen quòd in actu spirãdi sit cũ hoc alia ratio necessitatis, sci. naturalis. *Fundatum in alio, non potest esse magis necessarium fundamento.*

Præterea; Sicut memoria perfecta in supposito conueniente est principium perfectum

Voluntas aequè potẽs ad spirandum, sicut memoria ad gignendum. perfectum producendi Verbum perfectum: sic videtur quòd voluntas perfecta in supposito, vel suppositis conuenientibus sit perfectum principium producendi amorem perfectum; sicut igitur memoria in Patre est principium gignendi Filium, sic voluntas in Patre & Filio est principium spirandi Spiritum sanctum. Nec videtur vltrà rationem perfectæ memoriæ, vel perfectæ voluntatis, coassistentia alicuius esse necessaria: sic quòd illo non assistente non posset voluntas in actum spirandi, & memoria in actum dicendi.

Si autem intelligeret assistentiam esse, vt obiecti ad potentiam: fortè illla requiritur tam in memoria, quàm in voluntate; & magis fortè ad hoc, vt per actum communicetur natura, quàm ad hoc vt actus sit necessarius: quia principiorum illorum, scilicet obiecti, & potentiæ, vtrunque per se est ratio propriæ necessitatis in eliciendo actum suum, vt suus est; sed fortè non vtrunque per se est ratio perfecta consubstantialitatis termini ad ipsum producens. Et tunc verum esset, quòd non requiritur talis assistentia ad actum essentialem, quia licèt ibi requiratur obiectum, non tamen vt principium communicandi suam propriam perfectionem.

SCHOLIVM.

Hîc explicat fundamentum suæ sententiæ de libera processione Spiritus sancti. Primum dictum, primæ differentiæ, principij actiui, seu agentis, est libertas, & natura ei opposita. Ostendit ex Aristotele 2. Phys. & 9. Metaph. & ex Augustin. Secundum dictum, hæ differentiæ variis nominibus ab Aristot. exprimuntur. Per hæc tria, non secundum propositum, à natura, & potentia irrationalis, intelligit principium, quod dicitur natura; per opposita his, principium liberum. Tertium, intellectus habet modum naturæ, in productione filij, voluntas modum oppositum. Quando autem imperat intellectui, totum est liberum, sicut & quando imperat aliis potentiis inferioribus; quia totum secundùm propositum: & probat ex Philos. Quartum, (& sequitur ex dictis) repugnat voluntatem esse principium per modum naturæ, sicut & naturam esse principium liberum, quia sunt primæ differentiæ principij actiui. Quintum, omne agens naturale, vel est primum omnino primum, vel à priori naturaliter determinatum, & neutrum horum competit voluntati. Sextum, causatio intellectus est naturalis; & voluntatis, esto sit necessaria, libera, quia hoc est hoc, & illud illud. Hæc, ratio à priori; à posteriori, supposita præfata diuisione, & vsu ex Philos. & Augustin. dici potest voluntatem semper esse liberam, quia nec à se, nec ab alio naturaliter determinatur, sed supposita apprehensione obiecti, tendit delectabiliter, & eligibiliter in obiectum, etiam quando non potest non tendere. De quo latè, 1. dist. 10.

Natura multifariã sumitur. De isto articulo potest dici, quòd non est hîc difficultas, accipiendo *naturam* extensiuè prout extendit se ad omne ens: Sic enim dicimus naturam voluntatis, imò extendendo ad non ens, dicimus naturam negationis. Sic enim, extensiuè loquendo, necessitas in ente quocunque posset dici necessitas naturalis; & tunc, cùm voluntas, saltem diuina, ex sua perfecta libertate habeat necessariò aliquod *velle*: ista necessitas perfectæ libertatis potest dici (isto modo) necessitas naturalis. 13.
Sed difficultas non est nisi accipiendo *naturam* magis strictè, prout scilicet *natura*, & *libertas* sunt primæ differentiæ agentis, vel principij agendi: quomodo loquitur Philosophus secundo Physicorum. Vbi diuidit causam actiuam in naturam, & propositum. *Eorum*, inquit, *quæ fiunt propter hoc*, id est, propter finem, cuiusmodi sunt omnia, quæ fiunt à per se causa, *alia quidem secundùm propositum: alia verò non secundùm propositum*, & paulò pòst: *Sunt autem propter hoc quæcunque ab intellectu vtique aguntur, & quæcunque à natura:* & reducit ad istas duas causas per se, duas causas per accidens, scilicet casum, & fortunam. De hac distinctione loquitur 9. *Metaphys.* distinguens modum, quo potentiæ actiuæ rationales, & irrationales diuersimodè exeunt in actus suos, *huiusmodi quidem*, inquit, scilicet, *irrationales potentias necesse est, quando actiuum, & passiuum appropinquantur, hoc quidem facere, illud autem pati*; *illas verò*, scilicet rationales, *non necesse est*, supple hoc facere, & illud pati. De hac distinctione loquitur Augustinus 5. de Ciuit. cap. 9. *Est causa fortuita, est naturalis, est voluntaria.* Et declarat ibi membra. (Tex. 49. — Tex. 10. — *Triplex causa.*)

Ista diuisio principij actiui diuersis nominibus exprimitur, non solùm apud diuersos, sed etiam apud Aristotelem; vt patet *ex secundo Physicorum*, vbi præmisit, *secundùm* (Tex. 49.)

secundùm propositum,& non secundùm propositum, & subdit, *ab intellectu, & à natura*, & *in 9. Metaphysicæ*, rationales & irrationales potentias; per ista tria, *non secundùm propositum,& à natura*, & *potentiæ irrationalis*, intelligit principium actiuum, quod communiter dicimus naturam: per alia verò tria intelligit illud aliud principium actiuũ, in quo concurrunt respectu actus extrinseci, & intellectus & voluntas. Sed vtrunque istorum per se acceptum habet suum proprium modum principiandi: intellectus quidem per modum naturæ: vnde ad suum proprium actum comparatus, natura est: sicut Filius in diuinis producitur per modum naturæ, licèt eius principium productiuum sit memoria. Voluntas autem semper habet suum modum causandi proprium, scilicet liberè, & ideò quando concurrit cum intellectu, vt in productione artificialium, totum dicitur produci liberè, & à proposito: quia propositum est principale, & immediatum principium illius productionis extrinsecè. Si autem quandocunque concurrat potentia naturaliter actiua cum ipsa voluntate, sicut est de potentiis inferioribus, quibus vtimur ad agendum, licèt actio propriè, vt est huius principij, sit per modum naturæ: tamen quia totum subiacet voluntati, ideò liberè vtimur, & dicimur liberè agere à principali agente. Et hoc modo loquitur *nono Metaphysicæ*, vbi vult quòd vltra intellectum, requiritur aliquod determinans, vt appetitus & prohæresis: alioquin simul faceret contraria. Nam ipsa scientia simul contraria ostendit, & ipsa, quantùm est ex parte sui, esset principium per modum naturæ, & necessariò, quantùm est ex parte sui, causaret quodlibet respectu cuius est in potentia. *Illa*, inquit, *contrariorum. Quare, simulne faciant contraria? Hoc verò est impossibile: necessarium est igitur alterum adesse, quod proprium est.* Hoc est determinans ad vnum oppositorum. Et subdit: *Dico autem siue appetitum*, &c.

Tex. 49. T. c. 10. *Principium actiuum naturale tribus nominibus apud Arist.* Tex. 10. 9. Met. t. cap. 10.

15. Ad propositum dico, quod licèt aliquod principium posset concurrerere in agendo cum voluntate, puta secundùm aliquos, obiectum; secundùm aliquos, intellectus: & illud concurrens, quantùm est ex se, sit naturaliter actiuum; tamen voluntas, per se loquendo, nunquam est principium actiuum naturaliter: quia esse naturaliter actiuum & esse liberè actiuum, sunt primæ differentiæ principij actiui, & voluntas, vnde voluntas, est principium actiuum liberè. Non magis igitur potest voluntas esse naturaliter actiua, quàm natura, vt est principium distinctum contra voluntatem, potest esse liberè actiua.

Non magis voluntas potest esse naturale principiũ, quàm natura liberum.

Sed quæritur vnde est, quod voluntas, licèt necessariò agat, non tamen naturaliter agit, cùm non possit natura magis esse determinata ad agendum, quàm quod sit necessitata ad agen?

Respondeo, omne agens naturale, vel est omnino primum: vel si est posterius, erit ab aliquo priori naturaliter determinatum ad agendum, voluntas autem nunquam potest esse agens omnino primum: sed nec potest esse determinata naturaliter ab aliquo agente superiori: quia ipsamet est tale actiuum, quòd seipsam determinat in agendo, sic intelligendo, quod si voluntas aliquid necessariò velit, puta *A*, non tamen illud *velle* causatur naturaliter à causante voluntatem: etiamsi naturaliter causaret voluntatem: sed posito actu primo, quo voluntas est voluntas, si ipsa sibi relinqueretur: etsi posset contingenter habere, vel non habere hoc *velle*: tamen seipsam determinaret ad hoc *velle*.

Agens naturale, vel est primũ, vel a superiori determinatum.

Quando igitur dicitur, quod naturale principium non potest magis determinari, quàm quod necessitetur.

16. Respondeo, licèt necessarium sit summè determinatum, quoad exclusionem indeterminationis ad vtrumlibet: tamen aliquod necessarium aliquo modo est magis determinatum, quàm aliud: sicut ignem esse calidum, vel Cœlum esse rotundum, est determinatum à causante, dante simul *esse* Cœli, & rotunditatem: sed graue est determinatum ad descensum, non habito necessariò actu descendendi ab ipso generante, sed tantũ habito ab ipso principio naturaliter determinatiuo ad descendendũ. Voluntas autem causata, si necessariò vult aliquid, non sic est determinata à causante ad illud, *velle*, sicut graue ad descensum, sed tantùm à causante habet principium determinatiuum sui ad hoc *velle*.

Cœlum est magis determinatum ad rotunditatem quàm graue ad descensum.

Si autem dicas, si descensus causatur à grauitate intrinseca, tunc graue mouet se: quare igitur non liberè æquè sicut voluntas mouet se ad illud *velle*, respectu cuius ipsa voluntas est ratio necessaria causandi?

De motu grauis 2. d. 2. q. 10.

Respondeo: illa causatio grauitatis est naturalis, ista libera: quia hoc est hoc, & illud est illud.

Breuiter igitur posset dici, quod *esse* formæ & modus essendi, *agere* & modus agendi sunt immediata: ideò sicut non est alia ratio, quare hoc habet talem modum essendi, nisi quia est tale ens; sic non est aliqua ratio, quare hoc habet talem modum agendi, puta liberè, vel naturaliter, nisi quia est tale principium actiuum, scilicet liberum, vel naturale.

SCHOLIVM.

Respondet ad locum ex August. 6. Ciuit. 10. quo arguebat contra Ciceronem, negantem præscientiam, ostendens contra ipsum, præscientia concessa, minimè tolli liberum arbitrium, nec necessitatem præscientiæ tollere libertatem voluntatis; secus esset de necessitate violentiæ, si daretur. Exponit locum Augustin. in argumento positum, vbi clarè docet necessitatem compati cum libertate.

Ad arg. in initio.

AD argumentum in contrarium dici potest, quod intentio Augustini est ibi arguere contra Ciceronem, qui negauit præscientiam Dei: nec ex illa præscientia concessa, oportet eum negare liberum arbitrium nostrum: Augustinus autem docet qualiter præscientia Dei, & liberum arbitrium simul stant, sic arguendo. 17.

Lib. 5. c. 9.

Sic, inquit, *Deo certus est ordo causarum; quod concessit ipse Cicero*: subdit Augustinus. *Et ipsæ, quippe nostræ voluntates in causarum ordine sunt: quoniam humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt: atque ita, qui omnes rerum causas præsciuit, profectò in eis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit.* Et pòst: *Quomodo igitur ordo causarum præscienti Deo certus id efficit, vt nihil in nostra sit voluntate, cùm in ipsarum causarum ordine magnum habeant locum nostræ voluntates?*

Etiam in sequenti capitulo: *Non propterea nihil in nostra voluntate est, quia Deus præsciuit quid futurum esset in nostra voluntate. Non enim nihil præsciuit, sed aliquid, & illo præsciente est aliquid in nostra voluntate.* Respondendo autem vult ostendere, quomodo simul stant necessitas illa, quam in præscito requirit præscientia, & tamen quod præscitum sit in nostra. Hoc quidem non esset verum, si esset ibi necessitas violentiæ: de qua ait; *etiam si nolimus, efficit quod potest*: sicut est necessitas mortis: sed si est necessitas qualiscunque, de qua solemus dicere: necesse est, vt ita sit aliquid: vel vt ita fiat aliquid: non oportet timere, quòd talis necessitas, si ponatur in actu nostro præscito, nobis auferat libertatem; quia ista necessitas præscientiæ, vel præsciti vt præsciti, etsi sit necessitas immutabilitatis, non est tamen simpliciter necessitas ineuitabilitatis, siue omnimodæ determinationis, sed tantùm ineuitabile ex suppositione ista, quia illud est iam præscitum.

Necessitas præscientiæ non aufert libertatem.

Præscientia Dei quomodo libera.

Et ad ostendendum, quod non qualiscunque necessitas tollit libertatem, subdit illud ex quo argutum est; *neque & vitam Dei & præscientiam*, &c. si præcisè dixisset, *& præscientiam*, facile esset videre qualiter illam non ponimus sub necessitate, quæ repugnet libertati: quia liberè & contingenter præscit hoc, licèt supposito quòd præsciat, immutabiliter præsciat. Et eodem modo est de actu meo præscito, quod licèt sit immutabiliter præscius: tamen contingenter ex parte Dei præscientis; & similiter relinquitur contingentia ex parte mei exequentis. 18.

Vita sumitur pro actu intellectus & voluntatis.

Sed difficilius est, quod addit, *vitam & præscientiam.* Sed ibi potest esse duplex responsio, vna quòd vita accipiatur ibi pro actu beatifico, sicut accipitur vita, Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te.* Et sicut loquitur Philosophus 12. Metaphysic. *Intellectus actus est vita.* Et pari ratione actus voluntatis est vita: vita ista non cadit sub necessitate excludente libertatem, etiam in Deo. Si autem intelligatur vita pro vita naturali ipsius Dei, tunc non debet intelligi de illa vita secundùm se accepta, sed de ipsa vt à voluntate diuina acceptata: potest autem esse aliquid benè in se necessarium, & necessitate repugnante libertati, quamuis tamen sit liberè, imò contingenter acceptatum.

Graue cadere potest liberè & naturaliter.

Exemplum. Si quis voluntariè se præcipitat, & semper in cadendo illud *velle* continuat, necessariò quidem cadit necessitate grauitatis naturalis, & tamen liberè vult

vult illum casum; ita Deus, licèt necessariò viuat vita naturali, & hoc tali necessitate, quæ excludit omnem libertatem; tamen vult liberè se viuere tali vita: igitur vitam Dei non ponimus sub necessitate, intelligendo vitam, vt à Deo libera voluntate dilectam.

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm actus dilectionis naturalis, & actus dilectionis meritoriæ sint eiusdem speciei.

2. Einde Quæritur: Vtrùm actus dilectionis naturalis, & actus dilectionis meritoriæ sint eiusdem speciei? Arguitur quòd non: quia illi actus differunt specie, qui eliciuntur à principiis diuersis specie; isti actus sunt huiusmodi: igitur, &c. Probatio maioris. Non est minor differentia in principiatis, imò maior. Probatio minoris: actus dilectionis naturalis elicitur à voluntate propria actione naturali ipsius: actus autem dilectionis meritoriæ elicitur mediante habitu supernaturali, puta charitate: naturale autẽ & supernaturale differũt specie. *Argum.*

Contrà, differentia specifica actuum præcipuè accipitur ex per se obiectis: nunc autem idem est per se obiectum dilectionis naturalis, & meritoriæ, quia Deus sub ratione summi boni, vtroque actu diligitur. *Ratio opp.*

SCHOLIVM.

Exponit clarè, actum dilectionis naturalis dupliciter sumi: primò, vt idem sit quod elicere actum amandi conformiter inclinationi naturali creaturæ rationalis. Secundò, sumitur pro actu dilectionis ex naturalibus, esto sit contra inclinationem naturæ rationalis, sicut sunt omnia peccata.

HIc primò videndum est, quid intelligendum sit per dilectionem naturalem. Secundò, quid per dilectionem meritoriam: tertiò ex his infertur veritas quæsiti.

De primo [a] non intelligitur hîc dilectio naturalis illa inclinatio naturæ ad bonum, quæ est coæua ipsi naturæ: imò fortè non aliud ab ipsa natura: sed quæritur de actu elicito dilectionis naturalis; illa autem inclinatio est actus elicitus: & pro tanto posset dici dilectio habitualis quia asimilatur habitui in hoc, quòd est præcedens actum & permanens sine actu.

Actus autem dilectionis naturalis [b] de quo quæritur, posset vno modo intelligi actus elicitus secundùm illam inclinationem naturalem: puta quando mens actu diligit se, vel actu vult sibi commodum. Alio modo posset intelligi actus naturalis dilectionis, distinguendo contra supernaturalem: ille scilicet, quem voluntas ex seipsa actu naturali potest habere, licèt non sit secundùm inclinationem naturalem, sicut voluntas ex seipsa potest habere actum vitiosum: & tamen ille actus est præter naturam, vel contra naturam secundùm Damascenum. Hoc secundo modo [c] magis videtur intelligi in quæstione: quia sic procedit primum argumentum: tamen primo, modo intelligendo dilectionem naturalem, illa fortè continetur sub dilectione naturali secundo modo accepta: saltem vt in pluribus, quia plures actus dilectionis, ad quos naturaliter inclinamur, possumus potestate naturali elicere, licèt non omnes, quia ad perfectissimum circa vltimum finem est inclinatio naturalis, licèt ad illum non possit natura attingere ex se. *Dilectio naturalis dupliciter sumitur.* *Aug. 5. ciu. ca. 9. idem habet.*

COMMENTARIVS.

1. *Quid sit dilectio.*

a E primo dicit Doctor quòd hîc non intelligit dilectionem naturalem ipsum appetitum naturalem, qui nihil aliud est nisi inclinatio naturæ ad bonum, quæ est coæua ipsi naturæ. Vnde nota, quòd inclinatio naturalis est tantùm quædam tendentia naturæ, non ad quodcunque bonum, sed præcisè ad bonum commodi, vt patet à Doctore *in secundo, dist.6.q.2. & dist.23.* & talis inclinatio naturalis nullo modo est actus, siue operatio elicita, vt subtiliter probat Doctor *in 4. dist. 42. q.9.* sed est præcisè quædam inclinatio, siue tendentia naturæ prior quocunque actu elicito talis naturæ, & est coæua naturæ, quia talis inclinatio naturalis, vel est præcisè ipsa natura, vel immediatè necessariò concomitans ipsam naturam, vt patet à Doctore *in quarto, vbi suprà* nec est aliud ab ipsa natura, quia talis inclinatio non est aliqua res addita naturæ, sed realiter est ipsa natura, vt patet à Doctore *in quarto, vbi suprà.* Et licèt dilectio naturalis aliquando accipiatur pro inclinatione naturali, siue pro appetitu naturali, in proposito tamen, hîc non accipitur pro tali inclinatione, quia, vt dixi, talis inclinatio naturæ non est actus elicitus, & quæstio quærit de actu elicito dilectionis naturalis, talis ergo inclinatio potest dici dilectio habitualis, quia assimilatur habitui in hoc, quòd est præcedens actum, & permanens sine actu.

2. *Quot modis accipitur actus elicitus.*

b *Actus autem dilectionis naturalis.* Hîc Doctor declarat quot modis potest accipi actus elicitus dilectionis naturalis, & primò: Omnis actus elicitus conformiter naturali inclinationi potest dici actus inclinationis naturalis, sicut actus voluntatis elicitus, quo diligit se, siue *esse* suum, siue quo diligit bonum, vt sibi commodum, dicitur actus dilectionis naturalis, quia elicitur circa illud idem obiectum, circa quod est naturalis inclinatio. Secundò accipitur actus dilectionis naturalis, vt præcisè distinguitur contra actum supernaturalem, ita quòd actus supernaturalis dicitur ille, qui præcisè causatur à causa supernaturali; licèt enim voluntas habeat naturalem inclinationem ad recipiendum quemcunque actum positiuum tanquàm perfectionem suam, & in hoc nulla sit supernaturalitas, si tamen actus ille sit tantùm causabilis à causa merè supernaturali, dicitur supernaturalis, ex sola cõparatione ad agens supernaturale. *Actus elicitus à quo causetur.* Actus verò qui immediatè potest causari à voluntate, etiam concurrente voluntate diuina generali influentia, dicitur naturalis ex hoc solo, quòd comparatur ad agens naturale, & hæc distinctio est satis clara à Doctore *q.1. prolog.* Et nota, quòd loquitur hic tantùm de actu dilectionis naturalis, qui naturaraliter potest elici à voluntate, etiam contra, vel præter inclinationem naturalem, sic, quòd nullo modo sit elicitus secundùm inclinationem naturalem, sicut voluntas ex seipsa potest habere actum vitiosum, tamen ille actus est elicitus præter naturam, vel contra naturam, secundùm Damascenum, & ratio est, quia actus vitiosus est tantùm carentia boni. Vnde peccatum, siue vitium, est formaliter quædam iniustitia, quæ deberet inesse actui, quando elicitur, quæ iniustitia est tantùm carentia rectitudinis, siue bonitatis, quæ actui deberet inesse. Cùm ergo inclinatio naturalis sit tantùm respectu boni, sequitur quòd actus vitiosus non erit secundùm naturalem inclinationem. Et quod dicit, *præter naturam, vel contra naturam*: dicitur enim actus elici contra naturam, quia determinatè inclinatur ad oppositum, scilicet ad *vbi* deorsum. Sic in proposito, quia voluntas inclinatur determinatè ad bonum commodi; si modò voluntas actu nollet bonum commodi, ille actus diceretur contra naturam. Actus verò præter naturam diceretur ille, ad quem voluntas non haberet naturalem inclinationem; si tamen haberet naturalem inclinationem, & determinatam ad oppositum illius actus, tunc diceretur elici præter naturam, quia non conformiter inclinationi naturali, nec contra ipsam inclinationem naturalem.

Actus contra naturam quis.

Actus præter naturã, quis.

c *Hoc secundo modo magis videtur intelligi*, id est, quòd titulus quæstionis debet magis intelligi de actu naturali distincto contra actum supernaturalem, quia actus meritorius est actus supernaturalis. Quæritur ergo hîc, an actus dilectionis naturalis sit eiusdem speciei cum actu dilectionis supernaturalis, qualis est actus dilectionis meritoriæ. Addit tamen, quòd actus dilectionis naturalis primo modo acceptus, prout scilicet conformiter elicitur inclinationi naturali continetur fortè sub actu dilectionis naturalis, secundo modo accepto, saltem vt in pluribus. Dicit, *vt in pluribus*, quia non omnis dilectio, primo modo accepta est in potestate voluntatis; patet, quia inclinatio naturalis est ad summam beatitudinem in particulari, vt patet à Doctore *in 4. dist.49.q.9.* & tamen voluntas ex se, siue ex puris naturalibus, non potest ad illam attingere, & sic patet primus articulus.

3. *Actus meritorius est actus supernaturalis.*

SCHOLIVM.

Secundum dictum huius articuli meritum est actus à Deo acceptatus, vt dignus præmio. Secundum, addit actui duas relationes; vnam ad voluntatem Dei, alteram ad præmium. Tertium; dicit duas relationes ad duas causas, voluntatem liberam & gratiã. Quartũ, petit elici secundùm inclinationem charitatis. Quintũ, (etsi non sit expresè in litera) petit promissionem Dei, de dando præmio. Colligo ex illis verbis specialiter acceptatus, *& docet expresè Doct. 3. d.19.n.7. & habetur ex Trident. sess.6.c.16. & Aug. serm.16. de Verbis Apost. pro quo citaui alios, dicta d.19. ibi in Scholio contra quendam modernum censorem. In his habes breuiter conditiones omnes meriti: de quibus vide Scot. 1.d.17.quæst.3.à num.12. & 2.d.7. num. 11. & 3. dist. 18. Circa quartum, elici actum secundùm inclinationem charitatis, est referri in Deum; & sufficit relatio, seu intentio virtualis, vt docet Doctor 4. di. 6. q.6. num. 2. ponens exemplum*

exemplum de pergente in Compostellam, cuius labores omnes, quos in itinere subit, ex vi resolutionis ad illam peregrinationem, meritorij sunt; etiamsi patiens eos, tunc de Deo, vel motiuis supernaturalibus non cogitet. S. Bonau. putat ex actu, quo quis in professione se, & sua offert Deo, omnia eius opera pro tota vita, esse virtualiter in Deum relata. Idem dici posse videtur respectu cuiuscunque offerentis se, & sua in Deum.

3 DE secundo dico, [d] quòd actus meritorius est actus Deo specialiter acceptus, tanquam scilicet dignus præmio reddendo pro illo actu. *Specialiter* dixit: quia omnia acceptat acceptatione generali, diligendo ea secundùm bonitatem suam, & ordinando ea ad seipsum, vt ad finem: sed actum meritorium specialiter acceptat in ordine ad aliquod bonum iustè reddendum pro eo. *Meritorium* igitur [e] addit supra actum duplicem relationem, vnam ad voluntatem vt acceptam, & aliam ad illud bonum, ad quod voluntas acceptans illud ordinat. Et huic relationi secundæ [f] similis est illa, quæ importatur in hoc, quòd est *vti*. Vti enim est obiectum volitum ordinare ad aliud, vt ad finem, sicut voluntas, apud quam meretur quis, actum istum meritorium ordinat ad aliud, vt ad præmium. Neutra autem relatio importata per *meritorium* est realis; [g] quia non competit actui ex natura alicuius realis in actu, sed tantùm per actum voluntatis, quo actus accceptatur. *De merito vide 18. d. li. 3. sed an charitas concurrat actiue, vide 17. d. 1. q. 2. n 8. & q. 3. n. 6. Al. illum.*

Non solùm enim [h] intellectus potest comparare obiectum aliqua comparatione, quæ non est ex natura rei, sed etiam voluntas potest, hoc acceptando, sicut intellectus cognoscendo. Et fortè posse comparare [i] obiectum comparatione, quæ non est ex natura obiecti, competit illis potentiis per rationem communem in eis, scilicet propter immaterialitatem earum. *Comparare obiecta ad alia competit voluntati & intellectui.*

Et si quæras de comparatione [k] causata in obiecto per actum voluntatis, an sit relatio rationis?

4. Potest dici, quòd strictè accipiendo relationem rationis, scilicet pro habitudine causata in obiecto per actum partis rationalis per essentiam, scilicet intellectus; illa non est relatio rationis, quia comparatio ista immediatè causatur per voluntatem, sicut ipsa immediatè habet actum comparatiuum. Et tunc sequitur quòd sic strictè accipiendo relationem rationis, non omnis relatio est realis, vel rationis; sed est tertia, scilicet relatio voluntatis comparantis. Alio modo potest intelligi relatio rationis pro quacunque comparatione facta per actum partis rationalis, siue per essentiam, siue per participationem, & sic ista potest dici relatio rationis. *Non omnis relatio est realis, vel rationis strictè.*

Vlteriùs [l] *meritorium* connotat, siue quasi præëxigit in actu duplicem habitudinem eius quasi ad duplex principium. Vna est ad voluntatem, vt liberè elicientem, vel imperantem actum. Nihil enim acceptatur vt meritorium, nisi sit liberè in potestate operantis: imò illud, quod est commune ad meritum, & demeritum: quod potest intelligi per hoc, quod est imputabile, requirit istam habitudinem ad voluntatem, vt in potestate sua habentem actum. Nihil enim imputatur alicui, nec vt præmiabile, nec vt punibile, nisi sit in potestate eius: nec per consequens vt laudabile, vel vituperabile. Laus enim quodammodò præmium est, vituperium quidem pœna. Alia autem habitudo requiritur ipsius actus ad formam supernaturalem, qua acceptatur ipsa persona, vel potentia operans, quæ ponitur esse gratia; vel charitas. Non enim actus alicuius acceptatur vt dignus præmio, nisi persona operans sit accepta, secundùm illud Genes. quarto, *Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius*, priùs ad Abel, quàm ad munera, quia non placet oblatio non dilecti. Vnde sequitur ibi: *Ad Cain verò, & ad munera eius non respexit.* *Regula theologica. Primo, 2. & 5. Ethicor.*

5. Sed qualis [m] requiritur habitudo actus ad charitatem ad hoc, vt sit meritorius, dubium est. Videtur enim, quòd sufficit charitatem inesse ipsi operanti: quia ex quo secundùm charitatem est specialiter dilectus, actus eius specialiter acceptabitur. Sicut videmus, quòd supplicatio vnius apud aliquem acceptatur, & alterius non: licèt inter eos non sit differentia in aliquo, quod sit principium actiuum respectu actus supplicandi, sed tantùm in hoc est differentia, quòd iste est specialiter dilectus ab illo, qui rogatur, & ille non.

Sed contra hoc arguitur: quia habens charitatem potest peccare venialiter:

Dicitur, quòd ille actus non est acceptabilis, quia habet aliquid repugnans: sed ad hoc quòd actus aliquis non habens aliquid tale repugnans acceptetur, sufficit solum principium acceptationis personæ.

Contrà hoc videtur esse, quòd ab habente charitatẽ potest aliquis actus indifferẽs elici,

Actus indifferens elicitur à iusto. elici, quia non apparet repugnantia, quòd aliquem actum eliciat non ordinans actualiter ad finem vltimum, vel virtualiter: hoc est virtute alicuius actus immediatè ordinati ad illum. Ille igitur non est meritorius, nec tamen est peccatum: quia nullo præcepto astringitur quis actualiter omnem actum suum ordinare in Deum, vel virtualiter, modo prædicto.

Actus vt sit meritorius petit elici secundum inclinationem charitatis. Potest igitur dici, h quòd ad hoc, quòd actus sit meritorius, non sufficit quòd habeat secum charitatem inexistentem personæ: sed vltra hoc requiritur, quòd secundùm inclinationem charitatis inexistentis actus eliciatur. Deus enim, qui se solum, & propter seipsum diligit, potest aliquam formam deiformem dare creaturæ: quam habens specialiter diligatur, & opus eius, ad quod ipsa inclinat, pro quanto sit secundùm ipsius inclinationem, specialiter acceptetur.

COMMENTARIVS.

4. *Quid sit actus meritorius.* d DE *secundo articulo* principali, qui est de actu dilectionis meritoriæ. Hîc Doctor declarat quid sit actus meritorius. Et hic articulus est satis clarus hic in litera, tamen sub breuitate aliqua in hoc articulo expono. Dicit, quòd *actus meritorius est actus Deo specialiter acceptus, tanquam, scilicet dignus præmio reddendo pro illo actu*, &c. Hîc tamen nota, cùm dicit, quòd *diligit omnia secundùm, bonitatem suam*, non debet intelligi, quòd quia habent talem bonitatem, quòd ideò sic diligat, quia voluntas diuina nullo modo mouetur ab aliquo bono extrà, nec aliquod bonum creatum est ratio diligibilitatis respectu voluntatis diuinæ, vt patet à Doctore *in primo, dist.* 41. imò omnia præcisè dicuntur bona, quia dilecta, & non è contrà, vt patet à Doctore *in secundo, dist.* 37. *& in tertio, dist.* 19. Dicitur ergo diligere creaturam secundùm bonitatem suam, quia vult creaturam habere talem, vel talem bonitatem. Ex hoc enim quòd vult lapidem esse in tali, vel tali perfectione, dicitur lapidem diligere, & vltra non diligit bonitatem creaturæ in se, & absolutè, puta volendo eam esse absolutè, sed præcisè vult eam in ordine ad seipsam, vt ad finem. Vult enim ab æterno lapidem esse in tali, vel tali bonitate, & vult ipsum propter seipsam: quia enim voluntas diuina summè diligit se, siue essentiam suam, quicquid vult extra se, vult in ordine ad seipsam, vt ad finem, non tamen semper attingendum per operationem: finis enim vltimus creaturæ aliquando accipitur pro fine attingibili per operationem: aliquando vt est causa finalis, quæ distinctio exposita est *super. qu.* 1. *prol.* Dicit ergo Doctor quòd actus sic generaliter acceptus à voluntate diuina non dicitur meritorius, sed dicitur meritorius ex hoc, quòd sic specialiter acceptatur in ordine ad aliquod bonum iustè reddendum pro eo, & hoc non ex natura actus, sed ex sola ordinatione voluntatis diuinæ: nullus enim actus quantumcunque intensus, & ordinatus, est ex natura sua meritorius vitæ æternæ, sed dicitur dignus vita æterna, quia voluntas diuina sic ordinauit, scilicet quòd omnis actus elicitus à voluntate informata charitate inclinante ad actum sit dignus vita æterna, ita quòd talis dignitas in actu, nihil aliud est nisi acceptatio passiua voluntatis diuinæ, quæ ideò acceptat talem actum, quia sic ab æterno ordinauit acceptare. Et de hoc prolixiùs patet à Doctore *in primo, dist.* 17. *& in tertio, dist.* 18. & vide ibi quæ notaui.

Voluntas Diuinas non mouetur ab aliquo bono extrà.

Voluntas diuina quicquid vult extra se, vult in ordine ad seipsã. Quis actus dicatur, & non dicatur meritorius.

5. e *Meritorium igitur addit super actum duplicem relationem.* Vnde voluntas diuina quando acceptat actum meritorium, non tantùm absolutè diligit bonitatem actus meritorij, volendo illam in ordine ad seipsam, sicut etiam vult bonitatem omnis creaturæ, vt suprà dixi, sed specialiter. Sicut vult, siue acceptat illum actum, ordinando illam ad præmium reddendum pro illo actu personæ eliciendi talem actum.

f *Et huic relationi secundæ similis est illa.* Tunc enim vtor obiecto cùm volo illud in ordine ad vltimum finem, *sicut voluntas* diuina *apud quam quis meretur*, dicitur supple mereri, quia actum istum meritorium ordinat ad aliud, vt ad præmium, scilicet reddendum pro tali actu.

g *Neutra autem relatio importata per actum meritorium, est realis*, &c. Dicit Doctor quòd istæ duæ relationes fundatæ in actu, per quas actus dicitur formaliter meritorius, sunt relationes rationis. De prima patet, qua actus acceptatur à Deo, nam esse acceptatum, siue volitum, dicit tantùm relationem rationis, sicut etiam esse cognitum. Ex hoc enim quòd actus diuinæ voluntatis, quo vult obiectum, terminatur ad ipsum obiectum, dicitur obiectum habere *esse* volitum, & talis relatio est tantùm ens rationis, quia non oritur ex natura alicuius rei. Similiter secunda relatio, quæ fundatur in actu in ordine ad præmium, qua actus non dicitur absolutè acceptus, sicut mediante prima, sed qua actus dicitur acceptus in ordine ad præmium est tantùm rationis, quia præcisè inest actui per actum diuinæ voluntatis acceptantis actum in ordine ad præmium.

h *Non solum enim intellectus.* Deinde Doctor declarat quomodo per actum voluntatis potest causari in obiecto relatio rationis, quia non in obiecto ex natura obiecti, quia tunc esset realis, & dicit quòd sicut intellectus cognoscendo obiectum, causat relationem rationis in obiecto, ita voluntas volendo obiectum, siue acceptando, causat relationem rationis; & hoc potest dupliciter intelligi tam in intellectu, quàm in voluntate. Vno modo, intellectus causat relationem rationis in obiecto cognoscendo illud in se, ita quòd obiectum per actum cognoscendi, dicitur habere *esse* cognitum, & sic obiectum, vt cognitum habet relationem rationis ad actum cognoscendi, & talis relatio rationis non est ibi causata per actum comparatiuum, quo compatat vnũ ad aliud; sed est causata per actum rectum cocognoscendi, qui terminatur ad obiectum. Et hoc est quod dicit Doctor *in primo, distin.* 35. *&* 36. quòd obiecta secundaria, vt cognita absolutè dicunt relationem, scilicet rationis terminatam 6.

Duplex actus.

ad

ad actum cognoſcendi,& non ècontra, niſi fortè dicatur, quòd actum cognoſcendi terminari ad aliud, & aliud obiectum, dicat etiam reſpectum rationis, vt videtur tenere Doctor *in primo, diſt.* 3. *&* 9. ſed de hoc aliàs; ſicut ergo intellectus cognoſcendo obiectum, dicitur obiectum includere relationem rationis, per actum cognoſcendi, quæ nihil aliud eſt niſi eſſe cognitum. Sic ſimiliter voluntas, volendo obiectum, ſiue acceptando, dicitur tale obiectum habere relationem rationis, quæ eſt eſſe volitum, ſiue eſſe acceptum. Et ſi dicatur, quòd obiectum eſſe cognitum, vel eſſe volitum eſt tantùm denominatione extrinſeca, & non intrinſeca; nam per actum cognoſcendi, qui formaliter non eſt in obiecto cognito, ſed in potentia cognoſcente, dicitur obiectum eſſe cognitum, vt patet à Doctore *in quarto, diſt.* 1. *q.* 1. vbi vult quòd creatura in intellectu diuino habet ſimpliciter perfectius, & verius eſſe, quàm in ſe. Dico, quòd Doctor non negat ibi eſſe cognitum, quòd ſit relatio rationis intrinſecè denominans obiectum, ſed denominatione intrinſeca benè dicitur creatura habere ſimpliciter verius eſſe in intellectu diuino cognoſcente, quàm in ſe, quia dicitur eſſe in intellectu diuino per actum intellectus diuini, qui eſt formaliter infinitus: pro quanto ergo denominatione extrinſeca denominatur à tali actu infinita, dicitur denominatione extrinſeca habere ſimpliciter verius eſſe quàm in ſe, vt ibi patet. Dico etiam, quod ſicut intellectus poteſt cauſare relationem rationis, comparando vnum obiectum cognitum ad aliud obiectum cognitum, vt ſatis patet, ſic ſimiliter voluntas poteſt cauſare relationem rationis, comparando vnum obiectum volitum.

Quomodo intellectus poſsit cauſare relationẽ rationis.

7. i Et addit Doctor quòd ratio communis, quare intellectus, & voluntas poſſunt cauſare talem relationem rationis in obiecto, eſt ratio immaterialitatis, quia ſcilicet ſunt potentiæ immateriales, & non organicæ. Sed hæc non eſt præciſa ratio, quia & aliquæ potentiæ organicæ ſenſitiuæ poſſunt cauſare relationem rationis, non tantùm cognoſcendo obiecta, ſed etiam comparando vnum ad aliud, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 4. *&* 5.

k Deinde Doctor declarat, quomodo relatio cauſata per actum voluntatis; poteſt dici relatio rationis, & quomodo non, poteſt enim dici relatio rationis, vel quia cauſata à potentia rationali propriè accepta, vel quia cauſata à potentia rationali impropriè accepta, ſiue tantùm participatiuè. Primo modo, relatio rationis dicitur tantùm cauſari ab intellectu, qui propriè dicitur potentia rationalis. Secundo modo, relatio cauſata per actum voluntatis poteſt dici rationis, pro quanto eſt à potentia rationali participatiuè tantùm, quæ diſtinctio ſatis patet à Doctore *in primo, diſt.* 2. Loquendo verò de relationibus cauſatis per actum aliarum potentiarum non poſſunt dici relationes rationis, quia nullo modo cauſantur à potentia rationali, nec propriè, nec participatiuè, propriè tamen loquendo de relatione cauſata per actum voluntatis, talis relatio non dicetur relatio rationis, ſed magis relatio voluntatis, vt etiam alibi patet à Doctore.

8. *Conditiones ſpectantes ad actum meritorium.*

l *Vlterius meritorium.* Hîc Doctor declarat duas alias conditiones requiſitas ad actum meritorium. Prima eſt, quòd actus meritorius ad hoc vt dicatur meritorius, connotat, ſiue præexigit, vnam relationem rationis, ad voluntatem ipſius merentis, vt liberè elicientem, vel imperantem actum, id eſt, quòd nullo modo aliquis actus voluntatis, ſiue elicitus, ſiue imperatus, poteſt eſſe meritorius, niſi includat hanc relationem, qua dicatur liberè elici, ſiue imperari, & intelligo de actu imperato, vel reſpectu ipſius voluntatis, vel reſpectu alterius potentiæ. Exemplum primi, cùm voluntas actu ſuo imperat ſibi, vt eliciat actum, ſicut volens triſtari de peccato, imperat ſibi diſplicentiam, ſiue nolitionem peccati, ita quòd talis nolitio dicitur actus imperatus, vt patet à Doctore *in* 4. *diſt.* 14. *q.* 2. Exemplum ſecundi, vt cùm voluntas imperat aliis potentiis, vt eliciant actum circa obiectum. Dicit ergo quòd nullus actus voluntatis, ſiue elicitus, ſiue imperatus, nunquam acceptatur à Deo, vt meritorius, niſi ſit liberè elicitus, vel imperatus: nam hæc eſt circunſtantia cauſæ neceſſariò requiſita ad actum moralem, ſcilicet quòd actus moralis ſit liberè elicitus, vel imperatus, vt patet à Doctore *in* 2. *diſt.* 40. ſed actum eſſe meritorium præſupponit ipſum actum priùs eſſe perfectè moralem, vt patet à Doctore *in* 2. *diſt.* 7. *& in præſenti, q. art.* 3.

Secunda conditio requiſita eſt, quòd requirit relationem rationis, ſiue habitudinem ad formam ſupernaturalem, qua acceptatur ipſa perſona, vel potentia operans, quæ ponitur eſſe gratia, vel charitas: non enim actus alius acceptatur, vt dignus præmio, niſi perſona operans ſit accepta ſecundùm illud Gen. 4. *Reſpexit Deus ad Abel, & ad munera eius*, prius ad Abel, & poſtea ad munera eius, quia non placet oblatio non dilecti. Oportet ergo quòd actus meritorius includat hanc habitudinem, ſiue relationem rationis, quòd ſit elicitus à perſona non tantùm liberè eliciente, ſed vltrà, quòd talis perſona ſit grata, & accepta Deo, & hoc per habitum ſupernaturalem, qui ponitur vt quidam decor in anima, per quem eſt grata, & accepta Deo in ordine ad vitam æternam, vt dicit Doctor *in* 1. *diſt.* 17. Nota tamen, quòd hanc ſecundam conditionèm non requirit actus meritorius neceſſariò, & abſolutè, quaſi ſit ſimpliciter impoſſibile actum eſſe meritorium, niſi ſit à perſona grata per habitum ſupernaturalem, quia Deus de potentia ſua abſoluta poſſet acceptare actum, & perſonam elicientem actum in ordine ad vitam æternam, ſine quocunque habitu infuſo, vt clarè patet à Doctore *in* 1. *diſt.* 17. ſed hoc non poſſet de potentia ordinata.

m *Sed qualis requiritur habitudo.* Deinde Doctor declarat, an actus dicatur meritorius ex hoc ſolo, quòd liberè elicitur à perſona habente charitatem, an vltrà hoc requiratur aliud. Et dicunt quidam, quòd ſufficit primo modo, quia ſi perſona eſt grata, quilibet actus talis perſonæ erit gratus. 9.

Contra hoc Doctor inſtat, quia perſona habens charitatem poteſt elicere actum peccati venialis, quia peccatum veniale ſtat cum charitate, per quam ſemper perſona eſt grata; ſi ergo quilibet actus eius eſſet meritorius vitæ æternæ, tunc peccatum veniale eſſet meritorium vitæ æternæ, quod eſt abſurdum.

Dicitur à tenentibus iſtam opinionem, quòd benè quilibet actus perſonæ gratæ, non includens aliquid repugnans ad beatitudinem habendam, eſt meritorius; modò peccatum veniale in

includit aliquid repugnans, & sic non est meritorius. Vult ergo ista opinio, quòd omnis actus non includens aliquam circunstantiam mali, si est à persona habente charitatem, semper est meritorius.

Contra hanc responsionem instat Doctor probando quòd à persona habente charitatem possunt esse multi actus, non includentes aliquam circunstantiam mali, qui tamen non sunt verè meritorij, quia habens charitatem potest elicere actum indifferentem, qui scilicet nec erit actu malus moraliter, nec actu bonus moraliter: patet, quia potest elicere aliquem actum non ordinando ipsum, nec actualiter, nec virtualiter ad vltimum finem, vt cùm quis potest in loco secreto facere sermonem aliquem, nec actualiter, nec virtualiter ordinando ad vltimum finem, talis actus non erit moraliter bonus, quia non habet omnem circunstantiam requisitam, nec moraliter malus, quia non includit aliquam circunstantiam mali, sed erit actus tantùm indifferens, scilicet nec bonus, nec malus moraliter, & de tali actu, vide quæ exposui super secundo Doctoris *dist.* 7. & tamen ille actus indifferens non erit meritorius: patet, quia ratio meritorij præexigit àctum moraliter bonum, vt patet à Doctorè *in 2.dist.*7. Et quod dicit Doctor actum ordinari virtualiter ad vltimum finem, hoc est virtute alicuius actus immediatè ordinati ad illum. Exempli gratia, quis vadit ad Ecclesiam, vt dicat aliquam orationem, ordinando illam ad vltimum finem, quando actu orat distractus aliqualiter, non cogitans de fine dicit orationem, quæ actu non ordinatur ad vltimum finem, quia nec actu cogitat de illo, tamen illa oratio dicitur virtualiter ordinari ad vltimum finem, quia tunc est elicita, siue prolata in virtute alterius actus immediatè ordinati ad vltimum finem, videlicet, in virtute huius actus, quo proposuit velle facere orationem in ordine ad Deum, & de hoc vide Doctorem in quarto, dist.6.

n Dicit ergo quòd ad hoc, quòd actus sit meritorius, non sufficit quòd habeat charitatem inexistentem, sed vltra hoc requiritur quòd talis actus eliciatur à voluntate secundùm inclinationem charitatis inexistentis, & charitas nunquam inclinat nisi ad actum moraliter bonum, vt patere potest ex his, quæ dicit Doctor *in 2. dist.* 7. & quòd hoc requirat actus meritorius, clarius patet à Doctore *in primo, dist.*17.

SCHOLIVM.

Ponit actum meritorium, & actum naturalem, specie non distingui; Primò, quia meritum constituitur per respectum, vel respectus, vt ostensum; & absoluta non constituuntur, nec distinguuntur specie per respectus. Secundò, potentiale ad formam specificam non differt specie ab ipsa; actus naturalis est huiusmodi in ordine ad meritum. Hæ rationes benè probant actus illos absolutos, per superuenientes respectus non distingui primò. Sed an actus charitatis specie differat ab amore naturali in esse *absoluto, seclusis illis respectibus, nihil resoluit hic Doctor, sed hinc inde disputat. Videtur secundùm cum sic differre, quia hic num.* 8. *admittit dilectionem charitatis,* habere quandam rationem specificam, quam non habet naturalis, *quà talis; verùm nihil resoluit. Ponit habitus supernaturales, & actus, quos nostris viribus elicere nequimus, vt ostendi q.*1. *prol. Schol. ad num.*20. *ex variis locis eius: an autem illi actus specie differant ab actibus naturalibus eiusdem rationis, non videtur quicquam resoluisse, & iuxta disputationem, quam hìc facit, videtur fauere negantibus actus intrinsecè supernaturales, Caietan. Paludan. Soto, & aliis: de quo dixi loco citato.*

DE tertio [a] principali potest dici, quòd actus dilectionis naturalis, & meritoriæ non differunt specie: & hoc loquendo de per se differentia, quam important per se ratio naturalis, & ratio meritorij: non autem per accidens, de differentia, scilicet aliqua concomitante: puta differentia obiectorum, vel aliqua tali, intelligendo etiam de differentia actus specifica in *esse* naturæ. 6.

Hæc conclusio, sic intellecta [b] probatur sic: quia forma absoluta non distinguitur specie ab alia per solam relationem, sed per aliquam differentiam absolutam eiusdem generis, secundùm illud in Prædicamentis: *Diuersorum generum, & non subalternatim positorum diuersæ sunt species, & differentiæ.* Absolutum igitur non distinguitur specificè, per aliquod respectiuum. Actus autem dilectionis est forma absoluta, vt habitum est priùs in quadam quæstione de hoc mota. *Meritorium* autem (vt dictum est) non importat nisi respectum; igitur, &c.

Reg. 2. Antepræ-dicamentalis. Quæst.13.

Si istius rationis [c] altera præmissarum negaretur, saltem ambæ istæ videntur veræ: Quòd non est distinctio specifica rei à re per solum respectum rationis, vel non realem. Nunc autem *meritorium*, vt dictum est, non importat formaliter nisi respectum, vel respectus: & non reales, puta ad voluntatem acceptantem: & ad præmium in ordine ad illud, ad quod acceptatur.

Meritoriũ non importat formaliter nisi respectus.

Diceretur, quòd etsi istæ rationes [d] concludant, quòd non distinguitur actus ab actu in genere naturæ: tamen distingui potest in genere moris: quia illa distinctio fit per respectus, cùm circunstantiæ formaliter dicant respectus. Et fortè aliquæ dicunt respectus non reales, sicut videtur de circunstantia finis. Nam quòd aliquis velit hunc

3. *Ethicor.*

hunc actum propter hunc finem, non videtur dicere in actu nisi relationem voliti, per actum voluntatis ad talem finem relati.

7. Contra hoc: illud [e], quod est proprium potentiale ad formam specificam, non distinguitur specificè ab ipsa specie: quia ipsum vt est potentiale, non est completè in aliqua specie, nunc autem actus naturalis, vt hîc loquimur, est proprium potentiale, respectu illius, quod dicit actus meritorius, quia actus sub illa ratione consideratus, sub qua est in potestate naturali voluntatis, capax est ordinis illius, quem importat *meritorium*. Exemplum huius. Si animal esset tantùm constitutum per formam animalis, & non per formam specificam sub animali, illud non esset distinctum specie ab aliqua specie sub animali, quia esset proprium potentiale respectu formæ specificæ: ita est de natura actus comparata ad illas conditiones, quas importat *meritorium*. *Potentiale ad formam specificam non distinguitur ab ipsa specie.*

Diceretur, quòd tunc actus moralis [f] non posset dici distingui specie à *meritorio* in specie moris, quia iste actus est in specie virtutis moralis: actus autem meritorius est in specie alterius virtutis, puta supernaturalis: istæ autem virtutes differunt specificè: igitur & actus differunt specie in genere moris: & tamen ille, qui est actus virtutis moralis, est actus naturalis: intelligendo, quòd est in naturali potestate voluntatis: quia actus virtutis moralis non excedit totam potestatem illam.

g Respondeo, actus, qui est completè circunstantionatus secundùm virtutem moralem, est potentiale respectu virtutis, quam dicit *meritorium*: imò est immediatius potentiale, quàm actus naturalis; naturalis, hoc est naturæ nudæ, vt præsupponitur virtuti morali. Est enim rationabile vt actus merè naturalis per prius recipiat perfectionem illam, quæ non transcendit totam facultatem naturæ, cuiusmodi perfectio est secundùm virtutem moralem; & vlteriùs, illa habita, recipiat perfectionem simpliciter supernaturalem. Non solùm igitur de actu merè naturali, vt scilicet prior est perfectione morali, sed etiam de actu perfectè morali, concludit ratio priùs facta, scilicet quòd potentiale non distinguitur specificè ab illo, respectu cuius est potentiale: quia sub illa maiori potest accipi minor vera, non solùm de actu merè naturali, sed de actu morali. *Actus moralis fundat meritũ 2.d.7.n.11.*

8. h Et cùm arguitur, quòd virtus moralis differt specie à charitate: igitur actus differt specie ab actu in genere moris. Consequentia non valet, quando sunt virtutes subordinatæ: licèt enim de virtutibus disparatis videretur, quòd earum essent actus distincti specie, saltem in *esse* moris: tamen quando vna est superior, & alia inferior, non oportet quòd bonitas, quam habet actus ab vna, sit distincta absolutè specie à bonitate, quam habet ab alia: sed magis quòd virtus superior tribuat bonitatem vlteriorem, quæ sit quasi completiua bonitatis illius, quam tribuit inferior. Et hoc modo charitas dicitur esse forma aliarum virtutum, quia bonitas meritoria, quæ competit actui aliquo modo à charitate, est completiua bonitatis cuiuscunque alterius in actu. *Charitas quomodo forma virtutum?* al. virtutis.

i Contra hoc, saltem actus, vt est charitatis, siue meritorius, licèt non sit in specie disparata ab actu vt est virtus moralis, erit tamen in specie vlteriori, & completiori, quàm sit actus vnde moralis: & talis distinctio specifica sufficit ad propositum. al. nude.

Hîc vno modo [k] posset concedi conclusio, & tunc dilectio meritoria diceretur habere quandam rationem specificam, quam non habet aliqua dilectio naturalis, vnde naturalis: licèt eadem dilectio numero sit naturalis, considerata vt præsupposita rationi meritorij Ratio igitur *meritorij* est ratio specifica completiua bonitatis præcedentis, non autem specifica disparata, nec plus probat medium priùs positum de potentiali proprio & perfectione completiua. Si autem iustitia generalis est virtus suprema, & forma aliarum virtutum moralium, tunc de illa esset aliquo modo simile, & de charitate. *Admittit actum charitatis distingui specie ab actu naturali. 5. Ethic.*

9. Aliter dicitur, quòd ratio *meritorij* [l] non est aliqua ratio specifica, & completiua in genere moris: quia non dicit aliquam bonitatem, vel rectitudinem intrinsecam actui, sed tantùm illam præsupponit, & dicit vlteriùs respectum ad voluntatem acceptantem. Sed si *meritorium* non præsupponat præcisè bonitatem actus moralem, sed bonitatem, quam tribuit charitas, cùm illa sit completior bonitate morali in actu, sequitur quòd actus, qui est meritorius, habet aliquam bonitatem specificam vlteriorem, quàm bonitatem moralem. Licèt enim *meritorium* non importet talem bonitatem vlteriorem: tamen præëxigit; & hoc videtur probabile: quia aliàs posset actus esse meritorius, qui tamen nullam haberet bonitatem vltra bonitatem moralem. *Meritoriũ supponit bonitatem quam tribuit charitas.*

Contra hoc [m] actus potest haberi etiam completè existens in specie moris, licèt non

non habeatur habitus virtutis, ficut eſt generaliter de electione, qua generatur virtus moralis: igitur à ſimili, omnem bonitatem, quam actus habebit, quando charitas inerit, habere poſſet, ſi non ineſſet.

Bonitas à charitate in actu ſuppenit bonitatem moralem, & præit meritoriam.

Reſpondeo. Ratio probat quòd omnem illam rectitudinem poſſet habere: quia conformitatem eandem ad regulam, puta dictamen verum, & ideò in moralibus haberetur eadem bonitas moralis, quia illa rectitudo eſt bonitas moralis, vel non eſt ſine ea: ſed actus charitatis vltra rectitudinem, hoc eſt, conformitatem ſui ad cognitionem directiuam, habet propriam bonitatem ex hoc, quòd eſt ſecundùm inclinationem charitatis: imò eſſe ſecundùm illam inclinationem, eſt habere propriam bonitatem charitatiuam, non ſic de virtutibus moralibus.

COMMENTARIVS.

10. *An dilectio naturalis, & meritoria differant ſpecie.*

a DE *tertio principali*, ſcilicet an dilectio naturalis, & dilectio meritoria differant ſpecie, & dicit quòd non differunt ſpecie, *& hoc loquendo de per ſe differentia*, &c. Vult dicere, an ratio formalis, qua actus dicitur naturalis, & ratio formalis, qua actus dicitur meritorius, differant ſpecie, ſcilicet an iſtæ relationes differant ſpecie, quarum vna formaliter ineſt actui naturali, per quam dicitur actus naturalis, & alia ineſt actui meritorio, per quam actus dicitur formaliter meritorius? Ex hoc patet quòd loquitur de ratione formali meritorij in ſe, & de ratione formali naturalis in ſe, & non per accidens, ſcilicet de differentia aliqua concomitante, puta de differentia obiectorum, vel aliqua tali, puta, quia ratio meritorij reſpicit pro obiecto primum æternum & ratio naturalis non; vel quia ratio meritorij reſpicit Deum, vt acceptantem, ratio naturalis non; vel etiam, quia ratio meritorij reſpicit habitum charitatis pro principio productiuo, vel inclinatiuo, ratio actus naturalis non, ſed poteſt eſſe à ſola voluntate, vel à ſolo habitu naturali; vel quia ratio meritorij reſpicit agens ſupernaturale, ratio autem naturalis tantum agens naturale; & omnes iſtæ differentiæ dicuntur accidere rationi meritorij, & rationi naturalis, & ſunt extrinſecæ. Non enim agens ſupernaturale, vel primum æternum, vel Deus, vt acceptans, formaliter denominat illam relationem rationis, in qua formaliter conſiſtit ratio meriti. Licèt ergo agens ſupernaturale, & naturale differant ſpecie ab inuicem, non tamen ſequitur quòd ratio per ſe meritorij, quæ reſpicit agens ſupernaturale, & ratio per ſe naturalis, quæ reſpicit agens naturale, dicantur per ſe differre ſpecie, ſed tantùm per accidens denominatione extrinſeca, & de tali differentia non loquitur hîc. Et hoc eſt, quòd dicit Doctor ibi. *Non autem per accidens de differentia ſcilicet aliqua concomitante, puta de differentia obiectorum, vel aliqua tali*, &c. quæ differentia, vt aliquid extrinſecum concomitatur rationem meritorij.

Nota.

11. Et quòd addit ibi, *intelligendo etiam de differentia actus ſpecifici in eſſe naturæ*, vult dicere, quòd actus dilectionis naturalis præciſè acceptus ſecundùm ſubſtantiam, & intenſionem, vt prior relatione, qua dicitur naturalis, quæ per accidens ineſt actui, & actus dilectionis meritoriæ præciſè acceptus ſecundùm ſubſtantiam, & intenſionem actus, vt prior relatione, quæ ineſt illi actui per accidens, per quam dicitur meritorius; iſti actus ſic abſolutè conſiderati in ſuo eſſe naturæ, ſiue vt præciſè ſunt duæ qualitates abſolutæ non differunt ſpecie. Sunt ergo duæ concluſiones. Prima eſt de rationibus formalibus per ſe meritorij, & per ſe naturalis, quæ rationes inſunt actibus. Alia eſt de ipſis actibus abſolutè conſideratis, & vult quòd nec actus abſolutè conſiderati differant ſpecie, nec ſimiliter ratio per ſe naturalis, & ratio per ſe meritorij, quæ inſunt actibus differant ſpecie. Aduerte etiam, quòd quando dicit quòd tales actus non differunt ſpecie, puta dilectio naturalis, & meritoria, vt ſunt ſimpliciter eiuſdem obiecti, quia nulli dubium, quòd dilectio hominis, & dilectio Dei differunt ſpecie, tenendo quòd dilectio ſit partialiter ab obiecto, vt videtur tenere Doctor *in 2. diſt. 25.* loquitur ergo de dilectione eiuſdem obiecti, ſcilicet quòd dilectio Dei naturalis, & dilectio eiuſdem meritoria non differunt ſpecie.

b *Hæc concluſio ſic intellecta*, &c. Hîc Doctor primò probat quòd actus dilectionis non dicitur diſtingui ſpecie, nec per rationem naturalis, nec per rationem meritorij, id eſt, quòd dilectio Dei abſoluta, quæ diſtinguitur ſpecie à dilectione lapidis naturalis, non dicitur diſtingui ſpecie per ſe per rationem meritorij, nec dilectio lapidis dicitur diſtingui ſpecie à dilectione Dei per rationem naturalis; patet, quia forma abſoluta non diſtinguitur formaliter ſpecie per aliquam relationem, ſiue per aliquem reſpectum. Tum quia, tunc reſpectus eſſet de ratione formali, & quiditatiua abſoluti, quod ſæpè improbatum eſt à Doctore. Tum, quia diuerſorum generum, & non ſubalternatim poſitorum, ſunt diuerſæ ſpecies differentes; ſed dilectio, & reſpectus pertinent ad diuerſa genera; patet, quia dilectio eſt qualitas abſoluta, vt probatum eſt ſuprà *q. 13.* & pertinet ad genus Qualitatis, ad quod genus non pertinet reſpectus. 12. *Opinio Scoti.*

c *Si iſtius rationis altera præmiſſarum negaretur*, puta, quia fortè iſta negaretur, quòd actus dilectionis ſit qualitas abſoluta, cuius tamen oppoſitum ſubtiliter eſt oſtenſum, *q. 13.* poſito tamen & non conceſſo, quòd actus dilectionis non ſit forma abſoluta, ſed reſpectiua realis, tamen adhuc dicit Doctor quòd ſaltem iſtæ duæ propoſitiones ſunt veræ, ſcilicet iſta, *nulla res præter opus intellectus, ſiue abſoluta, ſiue relatiua, dicitur per ſe diſtingui ſpecie per ſolum reſpectum rationis, ſiue per reſpectum non realem*, aliter reſpectus rationis eſſet de quiditate reſpectus realis, quod eſt impoſſibile. Et ſimiliter iſta eſt vera, *Ratio meritorij, vt huiuſmodi, non importat formaliter, niſi reſpectum rationis*, ſiue vnum, ſiue plures non curo, quia præciſè dicit reſpectum rationis ad voluntatem acceptantem, & ad præmium retribuendum, vt ſuprà patuit. Stat ergo ratio, *Nota.*

ratio, scilicet, quòd nulla dilectio etiam posito, quòd tantùm sit relatio realis potest distingui specie ab alia per respectum meritorij, siue per respectum naturalis.

13. d *Diceretur, quòd etsi istæ rationes concludant, quòd non distinguitur actus ab actu in genere naturæ*, id est, quòd actus dilectionis naturalis præcisè acceptus secundùm substantiam, & intensionem actus, & actus dilectionis meritoriæ præcisè acceptus secundùm substantiam, & intensionem, quod idem est dicere, quòd in genere naturæ, isti actus sic accepti non differunt specie ab inuicem, tamen possunt distingui in genere moris, puta, quòd dilectio naturalis, vt est actus moralis, includens omnem circunstantiam requisitam ad actum moralem, vt sic distinguitur specie ab actu meritorio formaliter accepto, quia ratio moralis, cùm dicat tantùm circunstantias actus dicit præcisè respectum, & fortè aliqua circunstantia, vt circunstantia finis, dicit tantùm respectum rationis; patet, quia quòd aliquis velit hunc actum propter hunc finem, non videtur dicere in actu, nisi relationem voliti, & per actum voluntatis ad talem finem relati; cùm ergo relatio, per quam actus dicitur moralis, & relatio per quam actus dicitur meritorius differant specie, sequitur quòd actus moralis differat specie ab actu meritorio.

14. *Instantia.* e *Contra hoc.* Hîc Doctor instat adhuc, probando quòd actus dilectionis naturalis, vt perfectè moralis, non differat specie ab actu dilectionis meritoriæ, vt perfectè meritoriæ. Et antequam formem rationem, declaro vnum dictum, scilicet quid dicatur proprium potentiale respectu formæ. Dicitur proprium potentiale, respectu formæ, quando talis forma non est nata recipi, nisi in tali potentiali; nam corpus organicum, vt præcisè habens talia, & talia organa, qualia habet corpus humanum, est ita proprium potentiale, siue susceptiuum animæ intellectiuæ, quòd illa non posset in alio corpore recipi, & breuiter dicitur proprium potentiale formæ specificè, quod natum est facere cum tali forma per se vnum in genere. *Responsio.* Dicit modò Doctor quòd proprium potentiale ad formam specificam, non distinguitur specie ab illa. Patet ista, quia quod distinguitur specie ab alio, est per se completè in aliquo genere; sed quod est proprium potentiale, siue receptiuum formæ specificæ non est per se, & completiuè in aliquo genere, sed tantùm reductiuè, quia partes compositi essentialis sunt tantùm reductiuè in genere, vt patet à Doctore *in secundo, dist.* 1. *q. vltima*; tale ergo potentiale non distinguitur specie à forma specifica, ad quam est in potentia, & hoc patet per exemplum Doctoris. *Si animal esset tantùm constitutum per formam animalis, & non per formam specificam sub animali, illud non esset distinctum specie ab aliqua specie sub animali, quia esset proprium potentiale respectu formæ specificæ.* Vult dicere, quòd ex quo animal est genus ad omnes species contentas sub animali, per consequens per aliam, & aliam differentiam est contrahibile ad aliam, & aliam speciem, ita quòd animal est potentiale respectu differentiarum contentarum sub eo; si ergo animal præcisè constitueret aliquid sub animali per solam formam animalis, puta, quòd tale constitutum præcisè includat formam animalis, & non aliam formam specificam contentam sub animali, tale sic constitutum non esset distinctum specie ab aliqua specie sub animali, quia illud tale esset in potentia ad formam specificam sub animali, sic est in proposito, quia actus perfectè moralis est proprium susceptiuum, & potentiale ipsius meritorij: non potest ergo immediatè recipi, nisi in actu perfectè morali, vt patet à Doctore *in 2. dist.* 7. Si ergo actus meritorius, vt meritorius, esset per se in aliquo genere, tunc actus moralis, vt moralis, cùm sit proprium potentiale respectu meritorij, non posset distingui specie à ratione *meritorij*.

f *Diceretur, quòd tunc actus moralis.* Hîc Doctor adhuc arguit, probando quòd actus moralis acceptus in specie moris, vt scilicet est actus virtutis moralis, non distinguatur specie ab actu meritorio, accepto vt est actus virtutis supernaturalis, scilicet charitatis, quod tamen est falsum, quòd autem distinguantur specie isti actus, probatur, quia actus distinguuntur specie, quorum habitus, qui vel inclinant ad huiusmodi actus, vel sunt principia elicitiua eorundem actuum specie distinguuntur. Hoc patet, discurrendo quasi per omnes habitus specie distinctos; sed habitus virtutis supernaturalis, puta charitas, & habitus virtutis moralis, puta habitus amicitiæ, distinguuntur specie, & hoc in genere moris, scilicet inquantùm sunt actus talium virtutum, id est, quòd actus virtutis moralis acceptus in genere, siue, vt est moralis, distinguitur specie ab actu meritorio, quia actus meritorius est supernaturalis, & moralis est actus naturalis, accipiendo *naturale*, prout est in potestate voluntatis, vt suprà patuit. 15.

g Respondet Doctor quòd actus moralis, puta dilectio Dei perfectè moralis, prout scilicet includit omnem circunstantiam pertinentem ad actum moralem, est proprium potentiale respectu dilectionis meritoriæ, ita quod ratio *meritorij* non est nata immediatè recipi, nisi in actu perfectè morali. Sicut enim dilectio, vt nudè accepta, id est, vt caret omni constantia morali, est proprium potentiale respectu omnis circunstantiæ pertinentis ad actum moralem, ita quòd est verè perfectibilis omni circunstantia morali: primò enim est perfectibilis circunstantia obiecti; & deinde vlterioribus circunstantiis requisitis ad actum moralem; sic talis dilectio perfectè moralis erit proprium potentiale actus meritorij, siue rationis formalis, per quam talis dilectio perfectè moralis dicitur meritoria, & hoc clariùs patebit infrà, *dist.* 18. *art.* 1. *& in 2 dist.* 7. *Responsio Doctoris.*

h Et cùm probatur quòd tales actus differant specie per hoc, quòd virtutes illorum differunt specie. Dicit Doctor quòd ista propositio si habet veritatem, erit vera de speciebus disparatis, siue de habitibus disparatis, supple, quorum vnus non ordinatur ad perfectionem alterius. Sed in proposito, charitas ordinatur vt perfectio completiua habitus amicitiæ Dei naturalis, non quòd charitas perficiat formaliter habitum amicitiæ, cùm immediatè perficiat voluntatem, sed ex hoc dicitur perficere, quia inclinat ad actum meritorium, quia est completiua perfectio actus perfectè moralis: nam dilectio Dei, vt est à voluntate, & ab habitu morali amicitiæ Dei est benè perfectè moralis, sed non meritoria: vt verò eadem dilectio est ab habitu charitatis, siue vt à principio inclinatiuo, siue vt à principio elicitiuo, est formaliter meritoria: licèt ergo isti habitus differant specie, tamen actus non differunt 16.

specie

ſpecie ab inuicem, quia idem actus eſt ab vtroque habitu, licèt vt meritorius ſit tantùm à charitate.

i *Contra hoc, ſaltem actus.* Hìc Doctor arguit probando quòd actus perfectè moralis ſaltem erit in ſpecie vlteriori, ſiue perfectiori, licèt non ſit in ſpecie diſparata, quia nunquam ſpecies diſparata perficit aliam. Et vult dicere, quòd ſicut actus nudè conſideratus non eſt in ſpecie diſparata reſpectu actus moralis, cùm ſit perfectibilis omni circunſtantia morali, tamen ille actus, vt perfectè moralis, videtur quòd ſit in perfectiori ſpecie; patet, quia vt nudè conſideratus præcisè eſt in ſpecie actus; ſed conſideratus vt perfectè moralis, eſt in ſpecie moris. Sic idem actus perfectè moralis, vt conſideratus vt perfectè meritorius, tunc erit in vlteriori, & perfectiori ſpecie, quia tunc erit in ſpecie meritorij.

17. *Reſponſio Doctoris.* k Reſpondet Doctor duobus modis. Primo modo, concedendo rationem illam, quòd ſicut dilectio naturalis, vt perfectè moralis habet quandam perfectionem ſpecificam, quam non habet nudè conſiderata, ſic etiam dilectio Dei naturalis perfectè moralis, vt eſt meritoria habet quandam rationem, ſiue perfectionem ſpecificam, ſcilicet rationem *meritorij*, quam non habet conſiderata, vt tantùm moralis, & ſic ratio *meritorij* erit ratio ſpecifica completiua bonitatis moralis præcedentis, non autem eſt ratio ſpecifica diſparata à bonitate morali præcedente, quia tunc non eſſet perfectio illius bonitatis moralis.

l Secundo modo dicit Doctor quòd ratio *meritorij* non eſt aliqua ratio ſpecifica completiua actus moralis; patet, quia actus præintelligitur perfectè moralis ante rationem *meritorij*, & per conſequens ratio *meritorij* non pertinet ad perfectionem intrinſecam actus moralis, ſed tantùm addit reſpectum ad voluntatem acceptantem. *Sed ſi meritorium non præſupponat præcisè bonitatem actus moralem, ſed bonitatem, quam tribuit charitas*, &c. Vult dicere Doctor quòd ſi actus, puta dilectio Dei, vt eſt elicita à charitate, habet aliquam bonitatem intrinſecam priorem ratione *meritorij*, quam bonitatem non habet habitus moralis, tunc talis dilectio ab habitu morali habebit quòd ſit perfectè moralis, & à charitate habebit vlteriorem bonitatem intrinſecam, & per conſequens actus perfectè moralis, vt eſt elicitus à charitate, habet vlteriorem bonitatem ſpecificam, quam charitas ſibi tribuit, & ſic licèt ratio meritorij non importet talem bonitatem vlteriorem, quæ eſt à charitate tamen præexigit eam: patet, quia ratio formalis meritorij eſt acceptari ad præmium æternum, ſed Deus nunquam acceptat actum, niſi vt elicitum à charitate, vt ſuprà patuit *art.* 1. *& in primo, diſt.* 17. & ſic ratio *meritorij* præſupponit actum priùs eſſe elicitum à charitate, & per conſequens præexigit aliquam bonitatem in actu, quam charitas ſibi tribuit: & quòd *præexigit vlteriorem bonitatem moralem, videtur probabile, quia aliàs poſſet actus eſſe meritorius, qui tamen nullam haberet bonitatem, vltra bonitatem moralem.* Aduerte tamen, quòd tenendo quòd actus non habeat à charitate vlteriorem bonitatem, tunc poſſet dici quòd actus, vt perfectè moralis non habens vlteriorem bonitatem eſſet verè meritorius, quia voluntas diuina poſſet illum acceptare in ordine ad præmium æternum, & ponendo quòd nullo modo eſſet à charitate, ſed hoc de potentia Dei abſoluta, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 17. Si etiam ponatur quòd non ſit meritorium, niſi ſit elicitus à charitate, vt eſt verum de potentia Dei ordinata, vt patet *art.* 1. *& in primo, diſt.* 17. *& in tertio, diſt.* 27. adhuc non eſt neceſſe quòd talis actus elicitus à charitate habeat vlteriorem bonitatem moralem ad hoc vt ſit meritorius, quia ſufficit quòd actus perfectè moralis ſit elicitus à charitate; licèt vt ab ipſa non habeat vlteriorem bonitatem ſibi intrinſecam, & hoc patet à Doctore *in* 1. *diſt.* 17. & videtur probabile quòd ſicut actus, vt eſt ab habitu perfectè morali, habet bonitatem moralem, ita videtur quòd vt eſt à charitate, quæ eſt ſuprema virtus, habeat aliquam vlteriorem bonitatem, propter quam Deus acceptat illum actum, vt meritorium.

m *Contra hoc.* Hìc arguit Doctor probando quòd actus non habeat neceſſariò vlteriorem bonitatem à charitate; patet, quia ſi de quo magis videtur ineſſe, & non ineſt, ergo nec de quo minus; ſed magis videtur quod actus non poſſit dici moralis, niſi ſit elicitus à virtute morali, quàm quòd neceſſariò habeat illam vlteriorem bonitatem, vt elicitur à charitate, licèt actus poſſit eſſe perfectè moralis ſine habitu morali, quia ad hoc vt ſit moralis, ſufficit quòd ſit elicitus à ſola potentia conformiter dictamini recto, vt ſubtiliter patet à Doctore *in prologo, q. vltima, & diſt.* 17. *primi*, imò actus poteſt eſſe virtuoſus, etſi non ſit generatiuus virtutis, nec elicitus ab habitu virtutis, vt patet à Doctore *in* 4. *diſt.* 14. *quæſt.* 2. ſed ſicut actus moralis poteſt habere eandem bonitatem ſine habitu morali, ſicut cum habitu morali, ſic ille idem actus eandem bonitatem, quam habet ab habitu charitatis, poterit habere ſine habitu charitatis, & hoc eſt, quod dicit Doctor. 18.

Reſpondet, quòd benè ratio probat quòd omnem illam rectitudinem poſſet habere, quia conformitatem eandem ad regulam, quæ eſt dictamen verum, & ideò in moralibus haberetur eadem bonitas moralis, vel non eſt ſine ea, & de hoc vide prolixè Doctorem *in prolog. quæſt. vltima, & diſt.* 17. *primi, in ſecundo, diſt.* 7. *& diſt.* 42. *in tertio, diſt.* 33. *&* 36. *in quarto, diſt.* 14. *q.* 2. *in quodlib. q.* 18. vbi prolixè pertractatur iſta materia. Sed in propoſito actus charitatis vltra rectitudinem, hoc eſt, vltra conformitatem ſui ad cognitionem directiuam, habet propriam bonitatem ex hoc, quòd eſt ſecundùm inclinationem charitatis, ſiue ex hoc, quòd eſt elicitus à charitate, *imò eſſe ſecundùm illam inclinationem*, ſiue eſſe ſic elicitum à charitate, *eſt actum habere propriam bonitatem charitatiuam, ſecundùm quam actus acceptatur à Deo, ſed non eſt ſic de virtutibus moralibus*, quia tota rectitudo actus poteſt eſſe ex ſola conformitate actus ad ſolam rationem rectam, ſiue dictamen rectum, & habitus moralis ponitur non propter rectitudinem actui dandam, ſed vt per ipſum voluntas actum rectum eliciat faciliter, & delectabiliter. *Reſponſio Scoti.*

SCHO

SCHOLIVM.

Videtur admittere actus fidei acquisita, & infusa non differre specie; & quandoque nec numero; de quo suprà qu.14. nu.5. Sed hic nu.12. videtur admittere, eos specie distingui; & idem videtur asserere 3.dist.23. §. Aliter potest: *tamen in hac tota quæstione nihil circa hoc resoluit, licèt disputando magis inclinet, vt actus habituum infusorum, & acquisitorum, eiusdem rationis, non differant specie.*

10. CONtra conclusionem, [n] quæ tenetur in solutione quæstionis, obiicitur sic: cognitio naturalis de Deo, & cognitio fidei infusæ sunt actus differentes specie in intellectu; igitur pari ratione, dilectio naturalis & dilectio charitatiua in affectu. Antecedens probatur, quia actus fidei infusæ est determinatè veridicus, ita quòd non potest ei subesse falsum; actui autem credulitatis acquisitæ ex naturalibus potest subesse falsum; in cognitiuis autem illud, quod est determinatè veridicum, distinguitur à non determinatè veridico, specie, vt patet 6. *Ethic.* quia sic suspicio, & opinio, quibus potest subesse falsum, distinguitur à virtutibus intellectualibus, quæ sunt habitus determinatè veridici. Probatur etiam antecedens de cognitione naturali scientifica de Deo, de qua videtur manifestè, quòd differat specie à quacunque credulitate. Consequentia probatur, tum per locum à simili; quia videtur esse simile de istis actibus, in intellectu, & de illis in voluntate: tum à causa, quia quando cognitiones præuiæ differunt specie: actus voluntatis sequentes differunt specie, quia ea, quæ sunt eiusdem speciei non præëxigunt per se, nisi aliqua eiusdem speciei. c. 5. & inde. *Suspicio & opinio quomodo distinguũtur à virtutibus intellectualibus.*

Ad illud antecedens [o] potest negari aliquando de actu credendi naturali, & supernaturali; quia *credere* supernaturale est actus, vt elicitur secundùm inclinationem fidei infusæ: *credere* autem naturale est actus elicitus secundùm certitudinem acceptam ab aliquo testificante. Nunc autem, vt dictum est priùs in quadam quæstione, simul potest quis vno, & eodem actu credere ex testimonio asserentis, & credere secundùm inclinationem fidei infusæ, si inest: igitur idem est actus in re; & ille, vt est nanaturalis, est potentialis ad illam perfectionem; quam recipit à fide infusa. Proprium autem potentiale non distinguitur specie à perfecto habente vltra illud potentiale propriam perfectionem. Quæst. 14.

11. Ad probationem [p] antecedentis potest dici, quòd cognitio certa, quæ habet propriam certitudinem intrinsecam; & hoc vel à se, vel ab obiecto, vt includitur in ipsa, vel ab aliqua per se causa, distinguitur specie ab incerta cognitione. Exemplum. Cognitio principij seipsa est certa, vel ab obiecto, scilicet à principio, quod est à se verum manifestum, vel saltem est manifestum ex terminis, qui sunt per se causæ euidentiæ principij, & includuntur in ipso: conclusio autem est certa per principium, tanquam per causam suæ certitudinis; sed per nullum istorum modorum est actus fidei infusæ certus: sed tantummodò à quodam extrinseco. Illud enim lumen fidei infusæ, quia est participatio quędam luminis diuini, non potest inclinare intellectum, nisi in aliquod determinatè verum. Certitudo ergo illa in actu ęst ex quadam comparatione ad quoddam extrinsecum infallibile, cui actus ille conformatur. Non est autem ex ipsa intrinseca perfectione actus, quia æquè perfectus esset, quãtùm ad quodlibet intrinsecum sibi, si æquè intensè eliceretur pręcisè secundùm finem acquisitam. *Cognitiones principij & conclusionis differunt specie.*

Contrà, saltem istam certitudinem [q] habet à per se causa sua; & hoc sufficit.

Respondeo: qualiscunque sit causalitas fidei infusæ respectu actus credendi, tamen non facit actum illum esse certiorem intellectui habenti actum, quàm si ipsa fides infusa non causaret. Certitudo enim nata est inesse intellectui de actu suo excludens non tantùm deceptionem, sed etiam dubitationem. Et hoc non est nisi intellectus percipiat illud, à quo actus habet, quòd sit certus: quia si nihil potest percipere vnde sit certus, videtur quòd possit dubitare: intellectus autem non percipit illud principium certificans. *Actus fidei infusæ non est certior habenti, quàm acquisitæ.*

12. Alia autem probatio antecedentis, [r] quæ tangit de actu scientifico, videtur accipere manifestè verum; & tunc neganda est consequentia: non enim sequitur, si intellectiones distinguantur specie; igitur & volitiones: nisi addatur in antecedente, quòd intellectiones, vt sunt per se præuiæ ad volitiones, distinguuntur specie: hoc est, quòd requiratur in eis distinctio specifica ad hoc, vt posset habere tales volitiones, & ita non est in proposito: quia si quis naturali ratione sciens Deum esse bonum; eliciat *Intellectiones diuersæ speciei, non inferũt volitiones sic diuersas.*

actum fruitionis circa ipsum, & alter credens ipsum esse bonum, diligat ipsum, nec primus actus requiritur per se ad habendum dilectionem, vel scientificus; nec secundus, vt creditiuus, sed vterque requiritur sub quadam ratione communi, scilicet vt ostensiuus obiecti diligibilis.

Consimiliter etiam posset dici r ad aliam probationem antecedentis de credulitate infusa, & acquisita: esto quòd illi actus differunt specie: hoc non est per se, inquantùm sunt præuij ad *diligere*; hoc est, inquantùm præcedunt ipsos actus diligendi, non requiritur illa differentia istorum specifica.

Exemplum: si alicui demonstratiuè concluderetur hoc esse volendum, & alteri dialecticè: tamen actus, quo iste vellet hoc, non differt specie ab actu, quo ille vellet idem: quia in cognitionibus, inquantùm sunt præuiæ, non requiritur ista differentia specifica.

COMMENTARIVS.

19. *Contra conclusionem.* n *Contra conclusionem,* Hîc Doctor arguit, probando quòd dilectio naturalis verè differat specie à dilectione meritoria, siue supernaturali, & arguit à simili, quia sicut cognitio naturalis de Deo, & cognitio supernaturalis ipsius, quæ est à fide infusa verè differunt specie, sic & dilectio naturalis, & dilectio supernaturalis. Quòd autē illæ cognitiones differāt specie, probat, quia illa cognitio cui potest subesse falsum, differt specie ab illa cognitione, cui non potest subesse falsum, hoc patet per Philosophum 6.Eth.c.3. qui vult quòd suspicio, & opinio, quibus potest subesse falsum, distinguantur specie ab habitu intellectuali, cui non potest subesse falsum, qualis est habitus scientificus, qui est determinatè verus, cùm ergo cognitioni Dei naturali possit subesse falsum, vt patet de actu fidei acquisitæ, de quo dictum est *in tertio, dist.23. in quodl.q.14 ar.*1. quomodo fidei acquisitæ naturali potest subesse falsum, & fidei infusæ non potest subesse falsum, vide ibi.

Responsio Doctoris. o Respondet Doctor primò negando illud antecedēs, scil. quod actus fidei acquisitę, & actus fidei infusæ de eodem obiecto, differant specie, imò nec aliquando differunt numero. Patet, quia quis eodem actu potest firmiter credere Deum esse trinum, & vnum ex aliqua certitudine accepta ab aliquo testificante illud, & illud idem credere secundùm inclinationem fidei infusæ, ita quòd idem actus credendi, simul potest esse à fide acquisita, & à fide infusa, & ille idem actus, qui est à fide infusa posset dici supernaturalis, quia est ab habitu supernaturali; & potest dici naturalis, vt est à fide acquisita, quæ est habitus naturalis. Et de hoc vide Doctorem *in tertio, dist.28. & in quodl.q.14. art. primo,* & vide quæ ibi exposui. Potest ergo esse idem actus in re, & ille idem actus, vt est naturalis est potentialis ad illam perfectionem, quā recipit à fide infusa: modò proprium potentiale non distinguitur specie à perfecto habente vltra illud potentiale propriam perfectionem, vt suprà patuit.

20. p *Ad probationem antecedentis.* Dicit Doctor vnum singulare, quòd cognitio certa, cui scilicet non potest subesse falsum, dicitur distingui specie à cognitione non certa; sed non quæcunque certa, sed sola illa, *quæ habet propriam certitudinem intrinsecam, & hoc, vel à se,* scilicet formaliter, *vel ab obiecto, vt includitur in ipsa,* supple virtualiter, *vel ab aliqua per se causa. Exemplum, cognitio principij,* &c. & quomodo hoc, vide Doctorē in primo, d.2.q.2. & d.3.q.4. *sed conclusio est certa tantùm per principium, tanquam per causam suæ certitudinis,* talis ergo cognitio sic certa benè distinguitur specie à cognitione, nō sic certa qualis est suspicio, & opinio, quæ non est cognitio certa aliquo istorum modorū. Sed in proposito cognitio fidei infusæ nullo istorum modorum est certa, sed tantummodò est certa ab aliquo extrinseco, scilicet à Deo reuelante, & infundente tale lumen fidei, vt prolixè patet à Doctore *in tertio, dist.23. &* 24. & vide quæ ibi exposui, *Certitudo illa, quæ est in cognitione fidei infusæ est tantum ex quadam comparatione ad quoddam extrinsecum infallibile,* scil. ad voluntatem diuinam reuelantem, cui cognitio illa conformatur.

q *Contrà, saltem istam certitudinem habet.* Hîc Doctor arguit, probando quòd cognitio Dei, quæ est à fide infusa, & cognitio quæ est à fide acquisita, adhuc differant specie, quia prima cognitio habet certitudinem à per se causa, scilicet à fide infusa, quæ non inclinat nisi ad determinatum verum, vt suprà patuit; secunda non habet certitudinem ab aliqua per se causa, quia si aliqua esset, esset fides acquisita; sed illa ex ratione sua non inclinat in determinatè verum, quia fidei acquisitæ potest subesse falsum, vt suprà allegaui.

Respondet, quòd posito quòd fides infusa siue sit causa elicitiua actus, siue tantum inclinatiua ad actum, talis actus non habet maiorem certitudinem, vt est elicitus à tali fide, sicut si nullo modo esset elicitus, *certitudo enim nata est inesse intellectui de actu suo excludens non tantum deceptionem,* &c. Exemplum, non enim habeo cognitionem certam, de hac propositione, *Totum est maius sua parte,* nisi percipiam terminos, & vnionem terminorum, qui sunt causa talis certitudinis; sic in proposito actus fidei infusæ est certus, non ex hoc solo quòd sit ab habitu, sed quia habitus inclinans ad talem actum est ab eo, qui non potest fallere, nec falli: nisi ergo percipiam principium dans certitudinē actui, nunquā habebo certitudinem de actu, sed tale principiū viator percipere non potest.

r *Alia probatio antecedentis.* Hæc probatio ponitur suprà *, in illa ratione parum post dictū Philosophi 6.Eth. de suspicione, & opinione ibi, *Probatur etiam antecedens de cognitione naturali scientifica de Deo, de qua videtur manifestè quòd differat specie à quacunque credulitate de Deo.* Et hoc patet, quia si quis haberet notitiam certam 21. * nu.10.

tam ex euidentia rei, sicut habens notitiam huius, *Deus est trinus, & vnus*, quæ cognitio est ex euidentia rei, vt patet à Doctore *in tertio, d.* 24. tunc haberet notitiam certam ex euidentia rei; sed habens notitiam huius, *Deus est trinus & vnus*, ex solo actu credendi, talis notitia nullo modo est certa ex euidentia rei, & tunc tales notitiæ ex suis rationibus formalibus specie distinguerentur. Sed cùm postea infertur, ergo similiter actus voluntatis, scilicet naturalis, & meritorius distinguuntur specie, quia quando cognitiones præuiæ differunt specie, actus voluntatis sequentes differunt specie, quia illę quę sunt eiusdem speciei non præexigunt per se, nisi aliqua eiusdem speciei. Dicit Doctor quòd si tales actus voluntatis necessariò requirant cognitiones specie distinctas, quòd tunc tales actus possunt esse specie distincti, & hoc patet, nam fruitio in via, & fruitio in patria præexigunt necessariò notitias specie distinctas. Et ideò distinguuntur specie, vt exposui *in tertio, dist.* 31. Fruitio enim in via præexigit notitiam fidei, & fruitio in patria præexigit claram visionem Dei, quæ notitiæ specie differunt, vt patet à Doctore *in tertio, dist.* 31. *& in 2. dist.* 25. *& in 4. dist.* 49. & vide quæ ibi exposui præcipuè in tertio. Et quod dicit quando volitiones necessariò præexigunt notitias, hoc dicit tenendo opinionem, quam videtur tenere *in 2. d.* 25. quòd obiectum, vel cognitio obiecti est partialis causa volitionis; & tunc si obiectum est præsens voluntati per actus intelligēdi specie distinctos, necessariò causabit actus voluntatis correspondētes specie distinctos. Et de hoc vide quæ prolixè exposui super tertio Doctoris *dist.* 31. sed in proposito dilectio naturalis Dei, & dilectio meritoria non necessariò præexigunt tales notitias specie distinctas; patet, quia si quis naturali ratione sciens Deum esse bonum eliciat actū fruitionis circa ipsum, & alter credens ipsū esse bonū eliciat actū fruitionis circa ipsum nec primus actus requiritur per se ad habēdā dilectionē, vt sciētificus, nec secundus, vt creditiuus, sed vterque requiritur sub quadam ratione cōmuni, sc. vt ostēsiuus obiecti diligibilis: oportet ergo addere, quòd tales volitiones necessariò præexigant notitias, vt specie distinctas.

¶ *Consimiliter etiam posset dici ad aliam probationem antecedentis de credulitate infusa*, &c. 12.

Aduerte tamen, quòd sunt actus specie distincti, qui necessariò præexigunt intellectiones, vt specie distinctas, vt patet de fruitione Dei in se, siue vt clarè visi, & de fruitione eiusdem Dei ænigmaticè cogniti, quia istę fruitiones non differrent specie, nisi obiectum esset aliter, & aliter approximatum voluntati, scil. per aliam, & aliam notitiam specie distinctam, vt suprà exposui *in tertio, dist.* 31. Similiter volitiones specie distinctæ respectu obiectorum specie distinctorum præexigunt cognitiones specie distinctas, quia talia obiecta non sunt præsentia voluntati, nisi per cognitiones specie distinctas; quia cognitio specificatur ab obiecto, & quomodo exposui *in 1. d. 3. q.* 10. Sunt etiam aliqui actus voluntatis qui præexigunt notitias specie distinctas, qui tamen non differunt specie, sed non præexigunt necessariò, quasi impossibile esset voluntatem habere actum circa idem obiectum, nisi esset demonstratiuè ostensum, vel nisi esset probabiliter ostēsum, vt patet in exēplis datis à Doctore. Nec valet, notitiæ specie distinguūtur, & sunt partialiter causæ actus voluntatis; ergo & actus voluntatis specie distinguūtur, quia effectus eiusdē rationis possunt esse à causis specie distinctis, vt patet de mure genito ab alio mure, & de mure genito à Sole, & sic non quæcūque notitiæ specie distinctæ causant partialiter actus volūtatis, vt patet de notitiis positis in exēplis Doctoris & tamen sunt aliquæ notitiæ specie distinctæ, quæ necessariò causant partialiter tantùm actus volūtatis specie distinctos, vt suprà dixi de notitia intuitiua Dei, & de notitia ænigmatica ipsius. Et quare aliquæ notitiæ specie distinctę causant actus voluntatis specie distinctos, & quare aliquæ nō, nō videtur assignāda alia ratio, nisi quia sūt tales entitates.

Nota.

SCHOLIVM.

Ad primum, reijcit asserentes habitum tantum facere modum actus, promptè, delectabiliter; quia nihil horum competit charitati: admittendo ergo charitatem coëfficere actum; quod tenet vt probabilius 1. *d.* 17. *q.* 3. *nu.* 23. (*non reputans oppositum improbabile: de quo ibi, qu.* 2. *quatuor sententias fusè tractat*) *explicat quando ex principiis sequitur actus distingui. Quòd ait actus differre specie ex principiis totalibus sic differentibus, intelligit de principiis vniuocis, quia si vnum sit vniuocum, & alterum æquiuocum, effectus poterunt esse eiusdem speciei; sic animalcula ex propagatione, & putrefactione sunt eiusdem speciei, vt ipse ex Aug. docet* 1. *d.* 2. *q.* 7. *n.* 27. *Quando autem sumitur distinctio specifica actuum ex principiis partialibus, requiritur esse disparata, vt species intelligibiles, hominis & lapidis: quia ex subordinatis non sumitur, vt ex potentia, & specie, vel habitu.*

13. AD argumentum principale [t] dicitur, quòd habitus est causa non substantiæ actus, sed modi in actu: & ille modus posset concedi differre specie suo modo à substantia actus. Gof. quod. 2. q. 4.

Ista responsio, licèt videatur, secundùm aliquos, probabilitatem habere, loquendo de illo modo, quem habitus attribuit actui, cuiusmodi est delectabiliter, vel faciliter, vel promptè operari vel expeditè, istos quidem modos, vel etiam istum modum, si sint vnus modus, videtur habitus acquisitus communiter tribuere actui; vel si vltrà hoc dicatur quòd habitus aliquis, puta virtutis, virtuosis tribuit rectè, vel virtuosè agere, tamen nullus istorum modorum in actu potest esse proprius charitati vel actui meritorio: quia *meritorium* (vt dictum est) dicit actum acceptatum voluntati diuinæ in ordine ad præmium reddendum. Nunc autem, nihil aliud est actum acceptari à voluntate diuina sic, quàm voluntatem sic acceptare actum: nihil autem causatum

Charitas nō est principium modi in actu.

potest esse ratio formalis voluntati, quòd sic acceptet actum, & hoc intelligendo, vt ratio formalis medians inter potentiam, & actū: igitur de charitate non videtur posse dici quòd ipsa sit principiū illius modi in actu, qui modus sibi propriè correspondet.

An actus distinguuntur ex principiis.

Potest igitur aliter [u] dici ad argumentum, quòd maior illa, quòd actus illi differunt specie, qui eliciuntur à principiis differentibus specie, vna est de principiis totalibus: quia ab illis habent totaliter actus entitatem suam: & per consequens vnitatem suam, & distinctionem. Vera est etiam de principiis partialibus [x] dum tamen sint principia disparata, & per se requisita, inquantùm disparata: quia si sint subordinata; vel non per se requiratur, quòd sint disparata, non oportet quòd actus speciè distinguantur. Nunc autem charitas non est principium totale actus, nec disparatum respectu ipsius voluntatis, sed subordinatum, quia potentiæ est vti habitu, non è conuerso. Nec est per se requisita non solùm ad substantiam actus: sed nec ad actum, inquantùm meritorium, sed requiritur vt quoddam præuium ad hoc, quòd actus sit acceptabilis.

Charitas non est essentiale ad meritum.

Sed nec requiritur vt tale præuium necessitate ordinis essentialis causarum, sed tantùm necessitate dispositionis illius voluntatis, quæ contingenter disposuit non acceptare actum, nisi secundùm istam inclinationem sit elicitus. Principium autem speciè distinguens, vel est per se principium illius in se, & per consequens dans sibi aliquam entitatem realem, quæ sit eius in se; vel saltem est principium eius secundùm illud, secundùm quod distinguitur specie; vel si est principium dispositiuè distinguens oportet quòd per se disponat ad hoc, quòd secundùm ordinem essentialem causarum hoc vt distinctum causetur: nullum istorum competit actui per habitum charitatis.

Actus moralis, charitatis & meritorius præclarè explicantur.

Nota hîc per ordinem quis sit actus imputabilis ad laudem, vel vituperium, actus nudus. actus virtuosus secundùm virtutem moralem, actus charitatiuus, & actus meritorius. Primus dicit respectum ad potentiam liberè elicientem actum. Secundus addit respectum ad virtutem inclinantem vel veriùs ad regulam virtutis, scilicet rationem rectam, vt dictantem. Tertius dicit respectum ad charitatem inclinantem. Quartus ad voluntatem diuinam specialiter acceptantem. Tertius dicit bonitatem aliquam vltra secundum, & præëxactam ad quartum, non ex natura rei, sed ex dispositione voluntatis acceptantis.

COMMENTARIVS.

23. *Dilectio naturalis elicitur à voluntate.*

[t] VLtimo loco soluendum est argumentum principale. Arguit sic Doctor probando, quòd dilectio naturalis, & dilectio meritoria differant specie, quia eliciuntur à principiis diuersis specie; ergo differunt specie. Antecedens patet, quia dilectio meritoria elicitur à charitate, & dilectio naturalis elicitur à voluntate, siue ab habitu naturali. Probatio consequentiæ, quia non est minor differentia in principiatis, quàm in principiis imò maior; patet, quia pluralitas principiatorum effectiuè stat cum vnitate principij effectiui; plures enim effectus possunt esse ab eadem causa; sed pluralitas causarum arguit necessariò pluralitatem effectuum; videtur ergo quòd tanta sit distinctio in causatis quanta in causis, vel maior.

Respondet primò sic, tenendo vnam opinionem de habitu, scilicet, quòd habitus est causa actus non secundùm substantiam, vel intensionem actus, sed præcisè secundùm modū actus, puta, quòd actus sit prōptè, faciliter, & delectabiliter elicitus, ita quòd actus secundùm substantiam, & intensionē sit præcisè à potentia, & modus actus, siue sit vnus modus, vel plures sit præcisè ab habitu, tunc posset concedi talem modū differre specie à substantia actus, suo tamen modo, & hoc dicit quia talis modus non est propriè species, tamen eo modo quo posset concedi species, differt specificè à substantia actus. *Et ista responsio secundùm aliquos videtur habere probabilitatem, &c.* & talem modum habitus acquisitus attribuit actui, ille enim modus non est ab habitu infuso, vt patet à Doctore in primo, d.17 *Vel si vltra hoc dicatur, quòd habitus aliquis puta virtutis tribuit virtuosis* vltra modum supradictum *rectè, vel virtuosè agere*, ita quòd actus non tantùm habeat ab habitu modū supradictum, sed etiam quòd habeat suam rectitudinem ab habitu. Sed an habitus sit causa substantię actus, & intēsionis, vel etiā quòd sit causa rectitudinis in actu, vel quòd tantùm inclinet potentiam ad actum eliciendū, hæc omnia prolixè tractantur à Doctore in 1.d.17. Posito tamen, quòd habitus sit causa modi supradicti, & similiter sit causa rectitudinis in actu, *tamen nullus istorum modorum in actu*, scil. rectitudo actus, & facilitas, &c. *potest esse proprius charitati, vel actui meritorio*, quia modus proprius actus meritorij, inquantum meritorius, dicit tantùm actum acceptū voluntati diuinæ in ordine ad præmium reddendum. *Nunc autem nihil aliud est actum acceptari à voluntate diuina in ordine ad præmium, quàm voluntatē sic acceptare*, id est, quia voluntas diuina acceptat actum in ordine ad præmium, ideò actus habet esse acceptatū, & per consequens esse acceptatum, quod est modus actus meritorij est tantùm à voluntate diuina sit acceptante, & per cōsequens talis modus, qui est proprius actui meritorio, nō est causatus à charitate, & hoc patet, quia nulla res causata potest esse ratio formalis voluntati diuinæ, qua sic acceptet actum, & hoc intelligendo, vt ratio formalis mediat inter potentiam, & actum, sicut

ſicut habitus mediat inter potentiam, & actum; tale enim medians inter potentiam, & actum meritorium non videtur eſſe, niſi charitas, quæ tamen charitas non dat actui illum modum, qui eſt ſic acceptari. Alij verò modi ſupradicti non ſunt proprij actui meritorio, quia etiam poſſunt competere aliis actibus. Tenendo ergo quòd habitus ſit tantùm cauſa modi ipſius actus, & modus proprius actus meritorij ſit ſic acceptari, ſequitur quòd charitas non erit cauſa actus meritorij, nec quantùm ad ſubſtantiam actus, nec quantùm ad modum proprium, & ſic negaretur illud antecedens, quo dicitur, quòd charitas eſt cauſa actus meritorij.

Charitas mediat inter potẽtiam, & actum meritorium.

24. u *Poteſt igitur aliter dici.* Ad argumentum concedendo aliqualiter, ſcilicet, quòd habitus ſupernaturalis, puta charitas, & habitus naturalis, puta habitus amicitiæ Dei acquiſitus, differant ſpecie, & aliquo modo ſunt cauſa actus, non tamen ſemper ſequitur, principia elicitiua differunt ſpecie; ergo actus eliciti differunt ſpecie, & ſi eſt vera, eſt vera de principiis totalibus elicitiuis, quia ab illis habent totaliter actus charitatem ſuam, & per conſequens vnitatem ſuam, & diſtinctionem. Et nota, quòd iſta eſt ſemper vera; *Principia totalia elicitiua operationum, ſiue actuum ſpecie diſtincta, vt huiuſmodi, ſemper eliciunt actus ſpecie diſtinctos*; quia tales actus ſpecificantur ab illis principiis, & tamen iſta non eſt ſemper vera, *Cauſæ totales ſpecie diſtinctæ producunt effectus ſemper ſpecie diſtinctos*, vt patet à Doctore in primo, diſtinct. 2. parte 2. quæſt. 4. vbi vult contra Auerroëm, quòd aliqua eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ poſſunt eſſe à cauſa totali æquiuoca, & à cauſa totali vniuoca, vide ibi, & quare hoc, non videtur alia ratio aſſignanda, niſi quia tales entitates. De hoc tamen vide quæ prolixè expoſui ſuper ſecundum Doctoris diſtinct. 1. quæſt. vlt.

Contra Auerroëm.

x Addit etiam Doctor quòd illa eſt vera de principiis partialibus, *dum tamen ſunt principia diſparata, & per ſe requiſita inquantùm ſunt diſparata*, &c. De principiis partialibus requiſitis, vt diſparatis, patet exemplum de obiectis ſpecie diſtinctis, puta lapide, & homine, quia ab illis ſunt actus cognoſcendi ſpecie diſtincti, quia tales actus præexigunt neceſſariò talia principia partialia, inquantùm diſparata. De principiis verò partialibus ſubordinatis ſuprà patuit de habitu charitatis, & de habitu morali; ſimiliter patet de voluntate, & habitu, qui ſunt principia partialia actus, tenendo quòd habitus ſit partialis cauſa actus, vt videtur tenere Doctor *in primo, diſt.* 17. & tamen voluntas, & habitus concurrunt ad eundem actum, licèt ſpecie diſtinguantur, & hoc eſt, quia habitus in cauſando actum ſubordinatur voluntati, quia voluntas vtitur habitu cùm voluerit; in propoſito charitas non eſt principium totale actus, nec partiale diſparatum, ſed ſubordinatum voluntati, vt clarè patet à Doctore *in primo, diſt.* 17. nec ſimiliter charitas eſt per ſe requiſita non ſolùm ad ſubſtantiam actus; patet, quia actus dilectionis Dei poſſet eſſe à ſola voluntate ſine charitate, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 17. *&* *in tertio, diſt.* 27. nec eſt rectitudo requiſita ad actum inquantum meritorius; patet, quia dicitur meritorius, quia acceptatus, quod eſſe ſic acceptatum eſt à voluntate diuina, vt ſuprà patuit; ſed tantùm requiritur vt quoddam præuium ad hoc, quòd actus ſit acceptabilis; ſed nec requiritur tale præuium neceſſitate ordinis eſſentialis cauſarum, puta quòd actus nullo modo eſſet acceptabilis à Deo, niſi præuia charitate in voluntate, ſed tantùm requiritur vt præuia neceſſitate diſpoſitionis voluntatis diuinæ, quæ contingenter diſpoſuit non acceptare actum, niſi ſit elicitus ſecundùm inclinationem charitatis, vt patet *in primo, diſt.* 17. Et addit, quòd principium diſtinguens principiatum ſpecie ab alio principiato, vel eſt per ſe principium illius in ſe, ſcilicet quantùm ad *eſſe* illius principiati, ſicut obiectum cauſat actum, vel eſt principium eius ſecundùm illud, ſecundùm quod diſtinguitur ſpecie, ſicut dictum eſt ſuprà de modo actus tenendo quòd ſit ab habitu; vel ſi eſt principium diſpoſitiuè diſtinguens, oportet quòd per ſe diſponat ad hoc, quòd ſecundùm ordinem eſſentialem cauſatum hoc vt diſtinctum cauſetur. Patet de organizatione corporis humani, quæ eſt talis diſpoſitio ad animam, quòd illa vt diſtincta ſpecie ab anima ſenſitiua cauſatur, ſed nullum iſtorum competit actui per habitum charitatis; & ſic patet argumentum.

Qvæstio XVIII.

Vtrùm actus exterior addat aliquid bonitatis, vel malitiæ ad actum interiorem.

Alens.4.*p.q.77.m.3.ar.3. & 2.p.q.107.m.3. art.2.* Scot.2.*d.42.q.4.* vbi Bassol. Leuchet. Rubion, Tataret. Rada *to.2. Controuer.*18.*ar.* Herrera 2.*disp.33.q.22.* Angles 2. *dist.40.qu.*1. Glossa *ca. Si cui de pœn.dist.*1. affirmant. Negant D.Thom.1.2.*q.*20.*ar.*4. vbi eius expos. Vasq. 1. 2. 76. *c.*2. Assor. *tom.2.l.2.cap.6.quæst.6.*



EINDE quæritur de comparatione actus intrinseci voluntatis ad actum extrinsecum. Vtrùm actus exterior addat aliquid bonitatis, vel malitiæ ad actum interiorem. Arguitur quòd non: quia quod non habet rationem voluntarij, non habet rationem boni, vel mali; actus autem exterior, vt distinctus ab interiori, non habet rationem voluntarij; quia non habet, quòd sit voluntarius nisi ab actu interiori; igitur actus exterior secundùm se non habet bonitatem, vel malitiam: non adderet autem, nisi tale aliquid secundùm se haberet igitur: &c. 1.

Argum. 3.Ethic.

Ratio op. Exod.20. & Deut.5. & alibi.

Contrà, quæ præceptis negatiuis distinctis prohibentur, habent propriam, & distinctam rationem illiciti: nunc autem alio præcepto prohibetur actus exterior, & alio interior; vt patet de istis præceptis: *Non mœchaberis, & non concupisces vxorem*, &c. Et similiter de istis præceptis: *Non furtum facies, & non concupisces rem proximi*, &c.

SCHOLIVM.

Sensus quæstionis est, vtrùm quando actus internus, & actus externus circa idem obiectum, (v.g. volitio dandi eleemosynam, & ipsa datio) sunt in eodem supposito; externus addat distinctam bonitatem moralem interno, præter eam, quæ respondet gradibus intentionis, & aliis circumstantiis ipsius.

ISta quæstio [a] habet maiorem difficultatem de bonitate actus morali: quia de bonitate actus naturali manifestum videtur, quicquid per illam intelligatur, quòd ipsa est alia & alia alterius naturæ. Patet autem, quòd alia est natura actus interioris & exterioris, imò isti actus eliciuntur immediatè à diuersis potentiis; interior à voluntate, exterior à potentia aliqua exteriori, licèt per imperium voluntatis. 2.

Secundò etiam habet difficultatem intelligendo de actu illo, & isto, non quando sunt diuersi, siue in diuersis suppositis, puta si vnus habeat actum interiorem, & alius exteriorem: siue in eodem supposito, puta, si vnus nunc solùm habeat interiorem, & aliàs exteriorem. Sed difficultatem habet de actibus istis, quando sunt coniuncti, puta, quando in eodem ex actu interiori sequitur actus exterior.

Desideriũ absentis, amor præsentis. Amor perfectior desiderio. Interior intenditur per exteriorem.

Tertiò, non est intelligenda quæstio de additione bonitatis, & malitiæ secundùm intensionem, sed secundùm extensionem; frequenter quidem euenit, quòd tam in bonis, quàm in malis, actus desiderij, qui est respectu absentis, est remissior actu illo, qui est præsentis, quem Augustinus vocat amorem *9. de Trin. vlt.* dicens, quòd *appetitus instantis sit amor fruentis.* Et fortè non tantùm est actus intensior circa obiectum præsens, quàm circa absens, sed simpliciter alius actus; sed siue sit idem actus desiderij, & amoris, siue alius, & alius; saltem actus amoris est perfectior intensiuè: quietat enim voluntatem eo modo, quo actus desiderij non potest eam quietare. Quando igitur exterior habetur, tunc vel occasionaliter actus interior intenditur, Sed de hoc non quæritur, sed an actus exterior ex se addat bonitatem aliam illi, quæ est in actu interiori.

Est igitur intellectus quæstionis iste, in quo præcipuam habet difficultatem, an actus exterior, quando in eodem est coniunctus interiori, habeat bonitatem moralem propriam

propriam

propriam distinctam à bonitate actus interioris? Vbi sunt tria videnda primò, à quo actus habeat bonitatem moralem, vel malitiam. Secundò, an ab eodem habeat, quòd sit laudabilis, vel vituperabilis, siue culpabilis. Tertiò, si est alia bonitas, vel laudabilitas tam in actu exteriori, quàm interiori.

COMMENTARIVS.

1. *Declaratio tituli quæstionis.*

a ISta *quæst.* Primò Doctor declarat quomodo intelligitur titulus quæstionis, & dicit primò, quòd non intelligatur de bonitate naturali actus interioris, scilicet voluntatis; & actus exterioris, id est, potentiæ sensitiuæ, quia manifestum est, quia alia est bonitas naturalis actus exterioris, & actus interioris.

Secundò dicit quòd non intelligitur quæstio de actu exteriori in vno supposito, & de actu interiori in alio supposito, nec etiam intelligitur de actibus illis in eodem supposito in diuersis temporibus: puta si aliquis nunc solùm habet interiorem, & aliàs, siue in alio tempore, habeat exteriorem; sed intelligitur quæstio de illis actibus, quando sunt coniuncti, puta quando in eodem ex actu interiore, sequitur exterior, vt cùm quis vult actu elicito aliquem offendere, stante illo actu elicito, imperat actum exteriorem in potentia sensitiua, quo actu occidit; licèt enim actus occidendi exterior sit posterior actu elicito interiori, tamen dicitur coniunctus interiori ex hoc, quòd sequitur ad actum elicitum interiorem.

Tertiò titulus quæstionis non est intelligendus de dubitatione bonitatis, & malitiæ secundùm intensionem, id est, quòd non quæritur, an bonitas actus interioris intendatur per actũ exteriorem, sed præcisè quæritur, an bonitas moralis, vel malitia actus exterioris sit simpliciter alia à bonitate, vel malitia actus interioris, ita quòd sint duæ bonitates, vel malitiæ illorum actuum ad inuicem distinctæ, quia manifestum est quòd actus interior, puta dilectio alicuius obiecti per actum exteriorem circa illud obiectum causaliter, vel occasionaliter intenditur: vt cùm quis amat formosam mulierem, per actum exteriorem fornicationis saltem occasionaliter actus amoris interior intenditur, & ideò titulus quæstionis non intelligitur de bonitate, vel malitia actus interioris secundùm intensionem, puta quòd actus interior sit intensior ex actu exteriore sequente.

SCHOLIVM.

Bonitas moralis est integratio omnium, quæ iuxta rectam rationem conueniunt actui, vel agenti per ipsum. Hanc conclusionem tradit latiùs, & explicat 1. dist. 17. q. 3. & 2. dist. 7. nu. 11. vbi præter entitatem actus, explicat optimè triplicem bonitatem moralem ipsi conuenientem; obiectalem, circumstantialem, & gratuitam, seu meritoriam, & d. 40. vbi ex professo de eodem agit. Hic explicat bonitatem duplicem, scilicet essentialem, vel absolutam, & accidentalem, seu respectiuam; & qualiter bonitas naturalis tantùm est in agentibus sine intellectu; & moralis in intellectiuis tantùm.

3. DE primo[b]; bonitas moralis actus est integritas eorum omnium, quæ recta ratio operantis iudicat debere ipsi actui conuenire, vel ipsi agenti in suo actu conuenire.

Hæc descriptio declaratur:[c] Sicut enim bonitas primaria entis, quæ dicitur bonitas essentialis, quæ est integritas, vel perfectio entis in se, importat positiuè negationem imperfectionis, per quod excluditur imperfectio, & diminutio; Sic bonitas entis secundaria[d] quæ est accidentalis, siue superueniens entitati, est integritas conuenientiæ; vel integra conuenientia eius alteri, cui debet conuenire, vel alterius sibi. Et istæ duæ conuenientiæ communiter sunt connexæ.

Exemplum primi: sanitas dicitur bona homini, quia sibi conueniens; & cibus dicitur bonus quia habet saporem sibi conuenientem.

Exemplum vtriusque potest haberi ab Augustino 8 de Trin. cap. 3. *Bona* (inquit) *valetudo sine doloribus & lassitudine.* Hoc pro primo membro; quia valetudo est bona homini, quia est ei conueniens. Et subdit Augustinus: *Et bona facies hominis dimensa pariliter & affecta hilariter, & luculenter colorata.* Hoc pro secundo membro; quia talis facies dicitur bona, habendo illa, quæ sibi conueniunt. Et est differentia[e] quia illud quidem, quod est conueniens alicui, dicitur ei bonum, hoc est, illi perfectio, vel bonitas; sed non dicitur denominatiuè, vel accidentaliter bonum in se: illud autem, cui aliquid conuenit, dicitur denominatiuè bonum, eo quòd habet illud quod sibi conuenit; & in primo est denominatio[f] quasi formæ à subiecto: sicut anima dicitur humana, sic aliquid dicitur bonum homini, quia bonum humanum, sed in secundo è conuerso, est denominatio subiecti à forma, cùm dicitur, homo est bonus, *Bonum in se & bonũ alteri differunt & quomodo*

secundùm illud bonum suum: actus autem g natus est conuenire agenti,& etiam habere aliquam conditionem sibi conuenientem. Vtroque igitur modo habens illam potest dici bonus bonitate accidentali. Et hoc verum est generaliter de actu etiam naturali,& per consequens bonitas ista in habendo illud,quod sibi conuenit,non tantùm est bonitas accidentalis, sed naturalis.

ADDITIO. h *Ista conuenientia, vel est à natura extremorum; vel si debeat reduci ad iudicium alicuius intellectus, adhuc est naturalis: quia hoc erit, cùm intellectus sit mensura conuenientiæ, hoc est, ad iudicium illius intellectus, qui est mensura totius naturæ, qui est intellectus diuinus. Iste quidem sicut perfectè cognoscit quodcunque ens, ita perfectè cognoscit conuenientiam, vel disconuenientiam vnius entis ad alterum.*

Quid bonitas naturalis, & quid moralis.

Vlteriùs; aliquod agens de eo [i] quod conuenit actui suo, non iudicat, nec illud in potestate sua habet; sicut est agens sine intellectu,& voluntate; & ibi, vel ex solis causis merè naturalibus determinatur, quid conueniat actui, & ex eis inclinatur agens ad agendum; vel si vltra illud sit iudicium alicuius intellectus, & motio alicuius voluntatis, hoc non est, nisi ipsius Dei, inquantùm est vniuersalis director, & motor totius naturæ; & ista bonitas in actu agentis sine intellectu, non erit, merè naturalis. 4

Aliud est agens, quod de conuenientia sui actus iudicat, & illum in potestate sua habet, sicut agens per intellectum,& voluntatem,& bonitas secundaria talis actus integra, dicitur bonitas moralis.

Agentia, alia ex cognitione sẽsitiua, alia ex intellectiua,& in his tantùm esse potest bonitas moralis.

Ad bonitatem moralem requiritur actualis conformitas ad propriũ iudicium rectum.

Vltra istud iudicium generale de conuenientia actus, quod est communiter de actu agentis per cognitionem, siue sine cognitione; sunt aliqua, quæ secundùm iudicium speciale agunt ex cognitione intrinseca sibi,& quædam cum cognitione sensitiua tantùm, quæ aliquo modo apprehendunt conuenientiam obiecti, siue iudicent de conuenientia actus, siue non, saltem non transcendunt bonitatem naturalem. Alia agunt ex cognitione intellectiua, quæ propriè sola est iudicatiua de tali conuenientia, & talia nata sunt habere regulam intrinsecam rectitudinis in suo actu. & in solis istis potest esse actus bonus habens bonitatem moralem; sed non sufficit ad illam, quòd in agente sit potentia iudicatiua de conuenientia sui actus, sed oportet, quòd actu rectè iudicet de actu, & secundùm illud iudicium actus fiat. Si enim cognitio propria sit erronea, licèt agatur conformiter cognitioni rectæ alterius cognoscentis, quia tamen tale agens natum est regulari in suo actu per propriam cognitionem, & secundùm illam non agit, sed contra illam, ideò non rectè agit.

Consimiliter talem actum elicit, qualem habet in sua potestate; habet autem in potestate sua talem actum, qualem cognoscit, & elicit: quia potestas liberi arbitrij, vel formaliter, vel concomitanter existit in cognitione, & electione Sic igitur patet, qualiter bonitas moralis actus est conuenientia iudicata secundùm rectam rationem operantis. 5.

Ex quibus iudicatur de conuenientia actus.

Quod autem addebatur [k] *omnium eorum, quæ debent conuenire actui*, sic declaratur; omne iudicium incipit ab aliquo certo. Primum iudicium de conuenientia non potest præsupponere aliquam conuenientiam dictatam ab alio intellectu quia tunc non esset primum. Præsupponitur igitur aliquod certum,& nõ ab illo intellectu iudicatũ, & huiusmodi est natura agentis,& potentia, secundùm quam agit, & ratio quiditatiua actus. Ex ratione enim istorum quiditatiua concludit, hunc actum esse conuenientem huic agenti secundùm istam potentiam, vel disconuenientem, nullo præsupposito, nisi rationibus istorum terminorum; sicut ex ratione hominis, & potentiæ intellectiuæ, & actus intelligendi, patet, quòd conuenit homini per intellectum intelligere. Patet etiam, quòd non conuenit sibi per intellectum tangere, cognita ratione illius actus, qui est *tangere*. Similiter patet ex rationibus naturæ, potentiæ, & actus, quare bruto non conuenit intelligere, vel magis propriè, sibi repugnat intelligere; in isto quidem primo iudicio, quod præcisè accipitur ex natura operantis, & potentiæ operatiuæ, & ipsius actus non est inconuenientia, hoc est, indebita, siue inordinata connexio, sed disconuenientia, hoc est, impossibilitas absolutè conueniendi.

COMMEN

COMMENTARIVS.

2. *Quid sit bonitas moralis.*

b DE *primo.* Hîc Doctor declarat, primò quid sit bonitas moralis, vt per hoc cognoscatur quid sit malitia ei opposita, & secundò declarat à quo actus habeat bonitatem moralem, vel malitiam ei oppositam. Et licèt iste articulus primus sit satis clarus hîc, & specialiter ex his, quæ dicit Doctor *in prologo quæst. vlt. & dist. 17. primi, & in secundo, dist. 7. 40. & 41. & in tertio, dist. 33. & 36. & in 4. dist. 14.* & vide quæ ibi exposui, præsertim in quæst vltima prologi & dist. 7. secundi, tamen propter inexpertos in via Doctoris expono hunc articulum. Dicit ergo primò, quòd *bonitas moralis actus est integritas eorum omnium, quæ recta ratio operantis iudicat debere ipsi actui conuenire, vel ipsi agenti in suo actu conuenire*, id est, quòd tunc actus dicitur bonus moraliter, quando sic elicitur, vel imperatur à voluntate, sicut recta ratio dictat esse eliciendum, sic quòd actus dicatur bonus moraliter, vel quia habet omnes circumstantias, quas recta ratio iudicat actui conuenire; vel dicitur bonus moraliter, quando agens elicit actum secundùm omnes circumstantias, quos recta ratio ipsius agentis iudicat conuenire ipsi agenti in suo actu, id est, in eliciendo ipsum actum.

Declaratio bonitatis moralis.

c *Hæc descriptio declaratur.* Hîc Doctor declarat bonitatem entis, siue entitatiuam, quæ dicitur bonitas essentialis, & non accipitur hîc bonitas entis, siue entitatiua, prout est passio entis, sed accipitur pro perfectione essentiali entis in se, ita quòd talis bonitas essentialis, siue perfectio, *quæ est integritas, vel perfectio essentialis entis in se importet positiuè negationem imperfectionis, per quod excluditur imperfectio, & diminutio*, id est, quòd bonitas essentialis, loquendo de bonitate perfecta entis, importat entitatem positiuam perfectam, ad quam concomitanter sequitur negatio imperfectionis, sicut bonitas essentialis primi entis dicit positiuè entitatem perfectam, ad quam concomitatur negatio omnis imperfectionis: nam negatio imperfectionis non potest necessariò alicui inesse, nisi propter entitatem positiuam, vt suprà patuit *in primo, dist. 3. quæst. 1.* vide quæ ibi exposui. *Sic bonitas entis secundaria, quæ est superueniens entitati essentiali, est integritas conuenientiæ, vel integra conuenientia eius, cui debet conuenire, vel alterius sibi, & istæ duæ conuenientiæ connexæ communiter sunt*, scilicet, quando integra conuenientia conuenit illi, cui debet conuenire, sicut patet de sanitate, quæ dicitur bona homini, quia sibi conueniens; & cibus dicitur bonus, quia habet saporem sibi conuenientem, & ideò bonitas cibi est conueniens sapori ad cibum, ita quòd prima dicitur sanitas bona homini, quia conueniens sibi, & similiter sapor dicitur bonus cibo, quia sibi conuenit, ita quòd cibus dicitur denominatiuè bonus, quia habet saporem sibi conuenientem, & hæc integra conuenientia dicitur conuenientia eius alteri, cui debet conuenire, secunda conuenientia alterius sibi, vt patet ibi: *Exemplum*

Exemplum.

vtriusque potest haberi ab August. 8. de Trin. cap. 3. & 8. *Bona*, inquit, *valetudo sine doloribus & lassitudine*, Hoc pro prima conuenientia, quia valetudo est bona homini quia est ei conueniens, & subdit, *& bona facies hominis dimensa pariliter, & affecta hilariter, & luculenter colorata.* Hoc pro secundo. Vnde non dicitur hîc bona facies hominis, quia conueniens homini, sed dicitur in se bona facies, quæ habet omnia conuenientia ad bonam faciem, & hoc est quod dicit, *vel alterius sibi.* Si enim diceretur bona facies hominis, quia conueniens homini, cui debet conuenire, hæc esset prima conuenientia, sed quia dicitur bona facies in se, non quia alteri conuenit, sed quia conuenientia faciei conueniunt sibi, dicitur secunda conuenientia, quia talis facies dicitur bona habendo illa quæ sibi conueniunt.

e *Et est differentia.* Hîc Doctor declarat aliqualem differentiam inter primam integritatem, siue conuenientiam integram, & secundam. De prima, quia *illud, quod est conueniens alicui, dicitur ei bonum, hoc est illi perfectio, vel bonitas; sed non dicitur denominatiuè, vel accidentaliter bonum in se.* Patet, cùm enim dicitur valetudo est bona homini, quia conueniens homini, non dicitur valetudo bona in se formaliter, sicut accipitur in secundo membro. Vnde de secundo membro dicit: *Illud autem cui aliquid conuenit, dicitur denominatiuè bonum, eo quòd habet illud quod sibi conuenit*, sicut facies hominis dicitur in se denominatiuè bona, quia habet omnia conuenientia faciei.

3. *Differentia inter primã integritatem & secundam.*

f *Et in primo est denominatio quasi formæ à subiecto.* Patet, quia valetudo denominatur bona, quia conueniens tali subiecto, puta homini, sicut anima dicitur humana ex hoc, quòd conuenit homini; sic aliquid dicitur bonũ homini, quia bonum humanum, & sic valetudo hominis dicitur bonum humanum, quia conueniens homini. *Sed in secundo membro à conuerso est denominatio subiecti à forma*, vt cùm dicitur facies bona, quia integritas faciei, siue integra conuenientia quæ est bonitas faciei, denominat ipsam faciem, & similiter *cùm dicitur homo est bonus, secundùm illud bonum suum*, puta, quando habet bonitatem dicitur bonus, ita quòd est ibi denominatio subiecti à forma bonitatis.

g *Actus autem natus est conuenire agenti,* &c. Hîc Doctor declarat quomodo actus potest dici bonus dupliciter, & quia est conueniens homini, puta actus debellandi hostem dicitur bonus, quia conueniens homini debellanti, & sic denominatur bonus, quasi à subiecto, quia ideò bonus, quia conueniens tali subiecto, & si actus debellandi habet bonitatem aliquam sibi intrinsecã, tunc talis actus erit bonus denominatiuè tali bonitate, ita quod ibi erit denominatio subiecti à forma. Et hoc est quod suprà dixit, quòd istæ duæ conuenientiæ virtualiter sunt connexæ, & præcipuè in actu morali, qui dicitur bonus, quia conueniens alteri, & dicitur bonus, qui habet aliquam bonitatem intrinsecam, qua formaliter dicitur bonus. Et non tantùm istæ duæ conuenientiæ sunt connexæ in actu morali, sed & sunt generaliter connexæ in actu naturali, &c. Vult dicere quòd actus non tantùm dicitur bonus bonitate accidentali

Actus potest dici bonus dupliciter.

dentali sibi inhærente, qualis est bonitas moralis, quæ est rectitudo actus sibi conueniens, sed etiam bonitate naturali sibi conueniente. Exemplum. Actus dilectionis potest intelligi habere duplicem bonitatem, videlicet naturalem, & accidentalem; nam dilectio, vt est quiditatiuè ens, habet bonitatem suam, siue perfectionem essentialem sibi conuenientem, puta, quia est talis entitas, siue talis qualitas; & hæc dicitur bonitas naturalis, siue essentialis, quæ nihil aliud est nisi perfectio quiditatiua actus. Potest etiam habere bonitatem accidentalem, puta rectitudinem, quæ est bonitas moralis.

Actus dilectionis potest intelligi habere duplicē bonitatem.

4. h *Ista conuenientia.* Nunc Doctor declarat quomodo bonitas essentialis dicatur conuenire, & dicit quòd *ista conuenientia* bonitatis essentialis alicui, *vel est ex natura extremorum,* puta comparando lapidem ad hominem, quia lapis habet talem bonitatem essentialem sibi conuenientem, & homo qui homo habet præcisè talem bonitatem essentialem sibi conuenientem, & hoc est, quod dicit, *ex natura extremorum. Vel si* talis conuenientia bonitatis essentialis, puta, quòd talis bonitas conuenit vni & talis alteri, *debeat reduci ad iudicium alicuius intellectus adhuc erit conuenientia naturalis,* puta si aliquis actu iudicet lapidi talem bonitatem essentialem esse conuenientem, & talem homini, adhuc talis conuenientia bonitatis essentialis erit naturalis, patet, *quia hoc præcisè erit cùm intellectus sit mensura conuenientiæ, hoc est, ad iudicium illius intellectus, qui est mensura totius naturæ,* scilicet intellectus diuinus, &c. & quia perfectè cognoscit Socratem conuenire cum Ioanne in tali perfectione, vel bonitate essentiali, & in tali bonitate discordare ab asino, ideò perfectè iudicat talem bonitatem essentialem esse conuenientem Socrati & Ioanni, & esse disconuenientem asino.

i *Vlteriùs, aliquod agens.* In ista litera vsque ibi, *sicut igitur patet*, plura dicit Doctor. Primò, quòd est aliquod agens, quod nullo modo iudicat de actu suo, an scilicet conueniat sibi an alteri sit sibi conueniens, nec illum habet in potestate sua, vt sunt omnia agentia sine cognitione, tam intellectiua, quàm sensitiua; talia enim agentia nullum penitus iudicium habent, sed in actibus suis, vel ex solo impetu naturæ regulantur, & agunt propter finem; vel regulantur à prima regula omnium, quæ est Deus, & hoc magis videtur, vt patet à Doctore *in* 1.*d.*2.*q.*1. in prima ratione, qua probat Deum habere intellectum, & voluntatem, & similiter in vltima.

Prima regula omnium est Deus.

Secundò, sunt alia agentia, quæ tantùm agunt per cognitionem sensitiuam, & talia siue habeant iudicium de suis actibus, an scilicet sint sibi conuenientes, siue non, tamen illi actus, cùm non sint in potestate talium agentium, vltra bonitatem naturalem nullam aliam videntur habere, vt patet de visione elicita à sola potentia visiua, quæ præter bonitatem naturalem sibi conuenientem, puta, quòd est præcisè talis entitas nullam aliam videtur habere, & dico *vt tantùm elicita à potentia sensitiua*, quia si esset elicita à tali potentia ex imperio volūtatis, posset habere bonitatem, vel malitiam moralem, vt infrà patebit *ar.*3.& patuit suprà *in prolog.q. vlt.& in* 2.*d.*42.*& in* 3.*d.*33.

Agentia per cognitionem sensitiuam.

Tertiò, sunt alia agentia, scil. per intellectum & voluntatem, quæ habent actus suos in potestate sua, ita quòd contingenter possunt illos elicere, & non elicere. Talia agentia possunt per intellectum iudicare de conuenientia actus, & non tantùm de conuenientia primo modo supradicta, an scil. illi actus sint boni, quia conueniunt tali agenti, sicut valetudo est bona, quia conueniens homini, sed etiam de conuenientia secūda, quo est integritas conueniens actui, qua cōuenietia dicuntur formaliter boni: sicut facies dicitur formaliter pulchra, quia habet circūstātias sibi cōueniētes; talia ergo agentia nata sunt habere regulam intrinsecam rectitudinis in suo actu: & illa est potentia intellectiua, quæ iudicat de actu suo, & de actibus aliarum potentiarum, vt suprà patuit quæst. vlt. prologi, *& in solis istis agentibus potest esse actus bonus habens bonitatem moralem, sed non sufficit ad illam,* scilicet bonitatem moralem, *quòd in agente sit potentia iudicatiua de conuenientia sui actus, sed oportet quòd actu rectè iudicet de actu, & secundum illum rectum iudicium actus fiat.* Vult dicere, quòd non sufficit ad bonitatem moralem actus, quòd quis habeat potentiam iudicatiuam, patet, quia habens talem potentiam si actu haberet cognitionem erroneam, & eliceret actum conformiter illi cognitioni, ille actus non esset rectus, & tamen haberet potentiam iudicatiuam. Si etiam haberet cognitionem rectam, & non erroneam, & actu non eliceret actum conformiter tali cognitioni, adhuc actus non esset rectus; ad rectitudinem ergo actus requiritur quòd conformiter eliciatur dictamini recto, siue cognitioni rectè actu, & formaliter dictanti, non tantùm de actu eliciendo, sed de omni circumstantia requisita; & talis cognitio dicitur verè practica, de qua prolixè dictum est *in prologo q. vlt. & in primo, dist.*17. Consimiliter tale agens per intellectum, & voluntatem talem actum elicit qualem habet in sua potestate. Habet autem in potestate sua talem actum qualem cognoscit, & elicit, quia potestas liberi arbitrij, vel formaliter, vel concomitanter consistit in cognitione, & electione, de quo libero arbitrio aliàs patebit. Sic igitur patet quomodo bonitas moralis actus est conuenientia iudicatiua secundùm rectam operationem operantis: de qua conuenientia actus moralis vide quæ prolixè pertractat Doctor in primo, distinct.17. 5.

Agentia per intellectū, & voluntatem.

6. k *Quod autem addebatur.* Nunc Doctor declarat quæ sunt circumstantiæ necessariò requisitæ ad bonitatem moralem actus. Et primò præmittit vnum, antequàm declaret circumstantiam obiecti, vel finis, &c. Et dicit, quòd *omne iudicium incipit ab aliquo certo. Primum iudicium de conuenientia, non potest præsupponere aliquam conuenientiam dictatam ab illo intellectu, quia tunc non esset primum iudicium practicum.* Si enim prima conuenientia actus dicitur esse primò dictata ab illo intellectu, & dicitur prima conuenientia dictata à primo iudicio intellectus dictante, si esset alia conuenientia prior dictata, illa non esset, nisi à priori iudicio dictante, & sic primum iudicium non esset primum. Dicit ergo, quòd primum iudicium de conuenientia actus, antequàm iudicet de tali conuenientia, præsupponit aliquod certum à tali potentia iudicatiua, nam iudicatum, & illud certum

certum est natura agentis, & potentia agendi qua agit, & ratio quiditatiua actus; si enim intellectus vult iudicare, an aliqua volitio sit conueniens voluntati, necesse est priùs ipsum cognoscere naturam ipsius agentis, & potentiam volitiuam,& actum volendi;nisi enim ista cognosceret non posset aliquo modò iudicare an actus conueniat tali agenti; sicut quis non potest iudicare voluntatem esse conuenientem homini, nisi præcognoscat tam hominem, quàm voluntatem; sed præcognitis natura operantis, & potentia elicientis, & ratione quiditatiua actus ex ratione quiditatiua istorum præcognita concluditur hunc actum, puta volitionem esse conuenientem huic agenti, scilicet homini secundùm istam potentiam, scilicet volitiuam.

SCHOLIVM.

Explicat optimè, vnde sumitur conuenientia obiecti, tali actui, & tali agenti, ex natura agentis, actus, & obiecti. Item bonitatem ex obiecto dici ex genere, quia est potentialis respectu aliarum bonitatum superuenientium: quarum prima est circumstantia finis, cui succedunt aliæ circumstantiæ, hoc versu contentæ, Quis, quibus auxiliis, quid, vbi, cur, quomodo, quando. *De quibus Greg. Nyssen. 5. Philos. cap. 1. Arist. 3. Ethic. c. 1. D. Thom. 1. 2. q. 7. ar. 3. Vide Doctorem, 2. dist. 40. & aliis locis citatis. Explicat D. Dionysij celebre dictum,* Bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu; *ac etiam quomodo malitia duplex est, priuatiua, & contraria, de quo 2. dist. 7. nu. 12. Ponitur in fine additio huc spectans ad nu. 4.*

6. VLteriùs[l] ex rationibus istorum trium concludi potest quid sit obiectum conueniens tali actui, vt est talis agentis: puta de actu comedendi, quòd conuenienter transeat super cibum restauratiuum deperditi, non autem super illud, quod non est natum esse nutrimentum, sicut lapis, vel aliquid huiusmodi, quod licèt alij animali esset nutrimentum, non tamen homini. Ista determinatio obiecti est prima determinatio quæ pertinet ad genus moris, non tanquam differentia determinans ad aliquid in illo genere, sed tanquam potentiale receptiuum determinationis moralis; quia quando actus habens obiectum conueniens agenti, & actioni, tunc est capax determinationis moralis, secundùm circumstantias ordinatas, propter quod dicitur, ex obiecto, actus habere bonitatem ex genere; quia sicut genus est potentiale respectu differentiarum; sic bonitas ex obiecto est prima in genere moris, præsupponens solam bonitatem naturæ, & capax omnis bonitatis specificæ in genere moris.

Vnde constat obiectum esse conueniens.

Bonitas ex obiecto quare dicitur ex genere.

In ista autem bonitate specifica[m], quæ dicitur bonitas ex circumstantia, talis est processus; prima bonitas videtur esse circumstantia finis: quia ex natura agentis, & actionis, & obiecti, statim concluditur, quòd talis actus non debet competere tali, nisi in ordine ad talem finem, & debet eligi & appeti propter finem talem: & ista circunstantia non est ipsius actus, vt in *esse* reali positi, vel non positi præcisè sic; sed est ipsius actus vt voliti, & per actum voluntatis ad talem finem relati: imò, non minùs est electio bona, quæ sit propter finem debitum, esto quòd per actum illum elicitum extra non attingatur finis electionis, quàm si attingeretur. Post circumstantiam finis videtur sequi circumstantia modi agendi, quæ concluditur ex omnibus prædictis, vel aliquibus eorum, talis, vel talis debere esse.

Prima bonitas ex fine.

Posteà concludi potest de tempore, quia tali agenti talis actio propter talem finem, etiam talem habens modum non debet semper conuenire, sed pro tempore, pro quo ordinabilis est ad talem finem, vel pro quo potest talem finem habere.

Vltima autem omnium videtur circumstantia loci: imò multi sunt actus, quorum etiam bonitas completa moralis non determinat locum.

Sic igitur patet de pluralitate eorum, quæ recta ratio dictat debere conuenire actui quia ad hoc, vt sit perfectè bonus; debet habere, secundùm descriptionem iam positam, omnium istorum integritatem. Vnde Dionysius de Diuin. nom parte 4. *Bonum est ex vna, & tota causa, malum autem ex particularibus defectibus*; tota inquit causa, hoc est, integra ex omnibus circumstantiis. c. 3. & inde Tex. 17. & 20.

7. Contrà circumstantiæ sunt relationes[n] & bonum est qualitas 10. *Eth.* virtus etiam est qualitas in Prædicamentis.

Respondeo 7. Phys. *Virtus omnis, & malitia ad aliquid sunt*; actus igitur esse bonos vel virtuosos; importat relationem, vel multas relationes; sed tamen habet modum denomi

Circumstantiæ quomodo sunt relationes.

denominandi, vel prædicandi qualitatis, sicut sanum, & pulchrum. & communiter ita est de quarta specie Qualitatis.

o Iuxta secundam partem auctoritatis Dionysij, videndum est vnde actus habeat malitiam moralem; vno modo potest malitia opponi priuatiuè bonitati in actu: alio modo contrariè; sicut etiam homo dicitur malus contrariè quando habet habitum vitiosum, qui est habitus quidem positiuus, licèt cum priuatione perfectionis debitæ. Alio modo dicitur malus priuatiuè tantùm, scilicet quia caret bonitate, quam deberet habere, licèt non habeat habitum vitiosum contrarium positiuum.

Distinctio ista potest haberi à Boëtio super Prædicamenta, exponendo primam proprietatem qualitatis. *Dicitur* (inquit) *iustitiæ iniustitiam non esse contrariam. Putant enim iniustitiam priuationem esse iustitiæ, non contrarietatem.* Et subdit, hoc reprobando: *Multæ habitudines* priuationis *vocabulo proferuntur, vt illiberalitas, atque imprudentia, quæ nunquam virtutibus opponerentur, quæ sunt habitus, nisi ipsæ quoque habitus essent.*

Per rationem apparet ista distinctio; potest enim aliquis agere non cum circumstantia debita, & tamen non cum circumstantia indebita, puta quando non ordinat actum ad finem debitum, nec tamen ipsum ordinat ad finem indebitum: tunc ille actus est malus priuatiuè, non contrariè, sicut ille, qui ordinatur ad finem indebitum, & ex multis talibus actibus generatur habitus consimilis in malitia, scilicet priuatiua, non contraria. Exemplum huius, dare eleemosynam non propter finem bonum, scilicet amorem Dei; vel subuentionem proximi, non tamen propter malum finem, puta vanam gloriam, vel nocumentum alicuius, est actus malus priuatiuè, non tamen contrariè.

Malitia contraria quando opponis malā circumstantiam; priuatiua, quādo deest debita.

De malitia priuatiua loquitur Dionysius, quòd quicunque defectus particularis cuiuscunque circunstantiæ necessariò requisitæ reddit actum sic malum, sed malus contrariè non est, nisi habeat circumstantiam positiuam habentem aliquam deformitatem. 8.

Breuiter igitur, sicut bonitas moralis est integra conuenientia, sic malitia moralis est disconuenientia, & malitia quidem priuatiua disconuenientia priuatiua, hoc est, carentia conuenientiæ debitæ. Malitia autem contraria est disconuenientia contraria Hæc est conditio aliqua repugnans conuenientiæ.

Plures bonitates in vno actu.

Ex dictis sequitur corollarium quòd in eodem actu substrato potest esse multiplex bonitas moralis, quia idem actus potest esse rectè circumstantionatus, non solùm multis circumstantiis particularibus, quæ non sunt multæ bonitates, sed integrant vnam bonitatem; sed etiam potest idem actus esse circumstantionatus completè omnibus circumstantiis pertinentibus ad vnam virtutem, & etiam omnibus pertinentibus ad aliam virtutem, & ita secundùm dictamina diuersa perfecta prudentiæ, respectu multorum finium propriorum. Exemplum: vado ad Ecclesiam ex iustitia, quia teneor per obedientiam, vel ex voto. Vado etiam ex charitate ad Deum, vt orem, vel vt exhibeam Deo cultum latriæ; & vado etiam ex charitate fraterna, vt ædificem proximum. Et breuiter in quocunque actu, siue bono tantùm bonitate morali, siue vltra bonitate meritoria, quantò concurrunt plura motiua ordinata agendi, tanto melior est.

Vide 10. Ethic. c. 10.

Consimiliter in eodem actu possunt concurrere multæ malitiæ, tot quidem, quot sunt dictamina de oppositis, quæ deberent inesse.

COMMENTARIVS.

7. 1 VLteriùs ex rationibus istorū triū. Deinde Doctor declarat quomodo intellectus iudicat de circunstantiis actus conuenientibus, puta de circunstātia obiecti finis, modi, tēporis, & loci, & dicit, quòd habita cognitione operātis, & potentiæ, secundùm quā quis operatur, & ipsius operationis, siue actus, primò iudicat de circunstantia obiecti, quæ est prima circūstantia requisita ad actū moralē. Habita enim cognitione, puta actus comedēdi, & agentis, cui cōuenit sic comedere, & potentiæ, secundùm quam inest actus comedēdi, statim iudicat quòd talis actus comedendi conuenienter transit super cibum restauratiuum deperditi, &c. & hæc est prima circunstantia actus, sic quòd actus transeat super obiectum conueniens, & hoc secundùm dictamen rationis. Aliter talis conuenientia obiecti non diceretur pertinere ad bonitatem moralem, vt patet à Doctore in secundo, dist. 7. Sequitur: *Ista determinatio obiecti est prima determinatio, quæ pertinet ad genus moris, non tanquam differentia determinans aliquid in illo genere,* scilicet moris, *sed tanquam potentiale receptiuum determinationis moralis.* Actus enim dicitur bonus ex genere ex hoc solo, quòd transit super obiectum conueniens secundùm iudiciū rationis,

Nota.

Actus quomodo dicitur bonus ex genere.

rationis,ita quòd tale obiectum sic conueniens, non est aliqua differentia determinans aliquid in genere moris, quia est simpliciter primum præsuppositum, & potentiale respectu aliarum circunstantiarum, ita quòd nisi actus transiret super obiectum conueniens, nullo modo esset capax alicuius circunstantiæ moralis,puta finis, &c. Sicut si actus diligendi haberet pro obiecto malum culpæ, talis actus nunquam posset esse bonus moraliter,quia bonitas moralis necessariò præsupponit actum esse bonum ex genere, siue habere obiectum conueniens; non enim dilectio secundùm rectam rationem nata est transire super malum culpæ,quia malum non est diligibile,cùm sit priuatio boni.

8. m *In ista autem bonitate specifica*,&c. & patet littera, de aliis circunstantiis, scilicet modi, temporis,& loci, licèt Doctor *in* 1. *dist*.40. vbi etiam prolixè enumerat circunstantias morales, ponat circunstantiam causæ efficientis, vt scilicet actus eliciatur liberè,de qua vide ibi.

n *Contra*. Hîc Doctor arguit probando quòd huiusmodi circunstantiæ non pertineant ad bonitatem moralem; patet, quia bonum est qualitas *ex* 10. *Eth*. Virtus etiam est qualitas, vt patet in Prædicamentis; sed circunstantiæ sunt tantum relationes; ergo non pertinent ad bonum morale.

Respondet Doctor quòd secundùm Philosophum,7.*Phys.t.c*.17. Virtus omnis, & malitia ad aliquid sunt, & per consequens actum esse virtuosum, vel moralem importat relationem, vel plures relationes.Dicit enim formaliter cõformitatem ad rationem rectam, siue ad dictamen rectum,ita quòd circunscripta tali conformitate actus non esset bonus moraliter; & de hoc clariùs vide Doctorẽ *in* 1.*d*.17.& hoc modo actus verè moralis non est qualitas absoluta,sed dicitur qualitas à Philosopho, pro quanto habet modum denominandi,vel prædicandi Qualitatis, sicut sanum, vel pulchrum. Sed an habitus, vel actus moralis sit quiditatiuè relatio, vel tantùm denominatiuè, vide Doctorem in primo,dist.17.

o *Iuxta secundam partem auctoritatis Dionysij*. Auctoritas Dionysij de diu.nom.est quòd *bonum est ex vna,& tota causa*,id est,quòd bonũ morale est ex causa integra ex omnibus circunstantiis, & hæc est prima pars auctoritatis. Sequitur secunda pars: *Malum autem est ex particularibus defectibus*, puta ex carentia circunstantiæ debitæ, vel ex positione malæ circunstantiæ. Et hoc declarat Doctor & dicit, quòd actus vno modo dicitur malus moraliter malitia opposita priuatiuè bonitati in actu. Exemplum.Si actus caret aliqua circunstantia morali, quam natus est habere,dicitur malus priuatiuè, quæ priuatio circunstantiæ opponitur priuatiuè circunstantiæ actuali debitæ. Alio modo dicitur malus contrariè, & hoc est quando non tantùm caret circunstantia debita, sed includit positiuè circunstantiam malam. Nam sicut dare eleemosynam amore Dei cum aliis circunstantiis est bonus actus moraliter, sic dare eleemosynam personæ indigenti,non ordinando illam ad debitum finem,est malus priuatiuè,quia est ibi priuatio debiti finis. Dare verò tantum propter libidinem,vt propter finem, talis actus est malus contrariè, quia includit circunstantiam finis mali, quæ suo modo contrariè opponitur circunstantiæ finis debiti.Et de istis malitiis priuatiuè & contrariè,vide Doctorem in 2, dist.7. & quæ ibi exposui.

Exemplum.

Actus malus contrariè.

Actus malus moraliter.

Actus malus contrariè quid.

p *Ex dictis* de bonitate morali, *sequitur corollariè, quòd in eodem actu substrato potest esse multiplex bonitas moralis*, Nam quilibet habitus virtutis habet intelligere propriam prudentiam, quæ est quoddam dictamen rectum,siue cognitio practica, dictans de actu talis virtutis, ita, quot sunt virtutes specie distinctæ in voluntate, tot possunt esse habitus prudentiæ specie distincti in intellectu dictantis de actibus illarum virtutum,ex quibus habitibus prudentiæ generatur prudentia in homine,scil.habitus generalis prudentiæ communis omni habitui prudentiæ. Et de hoc vide Doctorem *in primo, dist*.17. Dicit ergo Doctor quòd idem actus potest elici à voluntate secundùm inclinationem plurium virtutum,quæ virtutes inclinant ad illum actum eliciendum, vt conformiter se habent suis dictaminibus propriis, & sic vnum dictamen potest dictari de tali fine, & aliud de alio fine,& sic de aliis, ita & idem actus potest elici à voluntate, ordinando illum ad fines sic dictatos, secundùm quòd alia & alia virtus inclinat. Exemplum: *Vado ad Ecclesiam ex iustitia, &c*, & sic patet quomodo idem actus est elicitus ad alium, & alium finem, secundùm quod alia, & alia virtus inclinat. De istis habitibus virtuosis, quomodo simul possunt concurrere ad eundem actum, Vide Doctorem in quarto, dist.14, quæst.2. 9.

In eodẽ actu substrato potest esse multiplex bonitas.

SCHOLIVM.

Explicat benè & clarè, imputabile id dici, quod est in potestate voluntatis, mediatè, vel immediatè; in quo sunt duo respectus; vnus ad dominium voluntatis, alter ad pænam, vel præmium. Ponit duas differentias claras inter imputabile primum, seu actum voluntatis elicitum, & imputabile secundum, id est, actum cuiuscunque alterius potentiæ imperatum à voluntate.

9. DE Secundo principali dico [a] quòd laudabile, & vituperabile, imò generalius, præmiabile & punibile continentur sub hoc communi, quod est *imputabile*, & illius communis est vna ratio,hæc, scilicet actum esse in libera potestate agentis, & licèt ad istã potestatẽ concurrant intellectus, & voluntas,tamen illa indifferẽtia,qua posset nõ fieri illud,quod fit,& posset fieri illud,quod nõ fit,intelligendo diuisim,nõ cõiũctim,in sensu,scil.diuisionis,nõ cõpositionis;ista,inquã,indifferẽtia,vel indeterminatio ad alterã partẽ,nõ potest cõpletè reduci nisi in ipsã volũtatẽ:quia quæcũque

Hîc signatur quæda additio infrà in fine huius lib. n.14.

Imputabile quod subest voluntati liberæ.

Omnis causa naturalis determinata est ad alteram partem contradictionis.

Tex. 10.

al. discipulus.

Imputabile *dicit duos respectus.*

alia potentia actiua est naturaliter actiua, & ita determinatè vnius; quantùm est de se; vnius, inquã partis contradictionis, ita quòd licèt sit indeterminatè actiua respectu multorum disparatorum, sicut Sol est causa multorum effectuum hîc inferiùs, tamen loquendo de quacunque vna contradictione; causa quæcunque talis est determinata ad vnam partem, puta Sol ad generandum herbam hanc determinatè: & hunc vermem, & sic de aliis. Voluntas autem sola habet indifferentiam ad contradictoria, & talem, quòd ipsa est sui determinatiua ad alterum eorum, *ex 9. Met. c. 4.* aliter simul ageret contraria. Propter hoc igitur, quòd actus eius sic indifferenter est in eius potestate, licèt non nisi supposita intellectione, ideò per se est imputabilis agenti. Vnde secundo de libero arb. dicit Aug. *Satis compertum est*, &c. *motus, si culpæ deputatur, non est naturalis, sed voluntarius.* Et post verba discipuli; *motus, quo voluntas conuertitur, nisi esset voluntarius, & in nostra potestate positus, neque laudandus esset homo : neque culpandus*, vt suprà in quæstione de necessitate naturali in voluntate. *Imputabile* igitur duos respectus importat. Vnum ad potestatem, vel dominium agentis, & alium ad aliquid correspondens actui, vel agenti secundùm iustitiam, & hoc propter ipsum actum, & secundum sequitur ad primum : quia enim iste est dominus sui actus, ideò actui & agenti debetur aliquid propter actum. Primus respectus manet non variatus per se in actu bono, vel malo: secundus autem variatur, non quidem formaliter secundùm bonum, vel malũ, sed præsupposita differentia boni, vel mali, quæ attenditur secundùm conuenientiã, vel disconuenientiam aliquam dictã in primo articulo, variatur penes aliqua correspondentia isti & illi. Bonũ quippe sic est imputabile, quòd ad laudẽ, vel præmium. Malum autem sic, quòd ad vituperium, vel pœnam. Actus autem neuter, siue indifferens, dum tamen sit in potestate agentis, imputatur, velut quodammodò vituperabilis: quia poterat ordinatè agere. Vel saltem, vt non laudabilis, & hoc propter defectum eius, qui potuit laudabiliter egisse.

Ex hoc patet [b] quòd non ab eodem formaliter est actus bonus bonitate morali, & imputabilis, sed primum habet ex conuenientia ad regulam, iuxta quam debet elici. Secundum ex eo, quòd est in libera potestate agentis. Laudabile autem & vituperabile ambo ista important: quia & licèt formaliter dicant hoc, quod est imputabile, cũ determinatione illius ad quod est imputabile; tamen materialiter connotant illud, propter quod ipsum est ad hoc imputabile scilicet bonitatem, vel malitiam, propter quas ad pœnam, vel præmium imputandum est. 10.

De *imputabili* tamen distingui potest, [c] quòd vno modo propriissimè accipiendo, illud potest dici *imputabile*, quod est immediatè in potestate voluntatis, & sic solùm *velle* est imputabile : quia ipsum solùm est immediatè in potestate libera voluntatis. Alio modo imputabile potest dici quicquid est simpliciter in potestate voluntatis, licèt non immediatè. Et sic actus alterius potentiæ, quem voluntas mediante actu suo volendi potest imperare, vt eliciatur, vel impedire ne eliciatur, est imputabilis voluntati: quia tota coordinatio vsque ad illum actum, etiam includendo istum actum est in potestate voluntatis.

Et est differentia secunda inter imputabile primo modo, & secundo modo. Vna, quia ad imputabile primo modo non requiritur, nisi ipsa potentia voluntatis, & illud quod requiritur propter actum eius, cuiusmodi est intelligere. Et ratio est, quia illud est immediatè effectus voluntatis. Et de hoc potest accipi illud primo Retract. cap. 9. *Nihil est tam in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas.* Intellige *voluntas*, non quantùm ad suum *esse*, sed quantùm ad actum suum proprium. Ad actum autem imputabilem secundo modo requiritur potentia alia à voluntate exequens illum actum. Ex hoc sequitur alia differentia, quòd vno modo est maior contingentia, siue indifferentia respectu actus primo modo imputabilis : quia scilicet non requiritur ad illum nisi voluntas, supposita ostensione sufficiẽti intellectus. Vnde per alia posteriora quæcunque impediri non potest ne eliciatur; sed ad actum secundo modo imputabilem, requiritur alia potentia, per cuius impotentiam impeditur potentia ad actum illum. Non igitur ex sola indifferentia voluntatis est contingentia eius, sicut contingentia primi actus. Cùm igitur contingentia cuiuslibet alterius causæ, vel potentiæ in agendo magis recedat à ratione contingentiæ simpliciter, quàm contingentia voluntatis in causando; sequitur quòd simpliciter maior est contingentia respectu actus voluntatis primo modo imputabilis, quàm alterius; pro quãto tamẽ actus secũdo modo imputabilis depẽdet à pluribus: ex quorũ quocũq; vel defectu eius, potest accidere ne ille effectus eueniat; potest dici effectus ille magis contingens; vel magis propriè, multipliciùs contingens. 11.

Quære in 2. d. 7. *Imputabile primũ quomodo differt à secundo.*

COMMEN-

COMMENTARIVS.

10. *An actus sit laudabilis.* a DE *secundo articulo principali*, in quo Doctor declarat an actus ab eodem habeat, quòd sit laudabilis, siue vituperabilis, siue culpabilis. Et dicit quòd aliquid esse *laudabile, vel vituperabile, imò generaliùs præmiabile, & punibile, continentur sub hoc communi, quod est imputabile*, &c. Vult dicere, quòd actus ex hoc dicitur imputabilis, quia est in potestate agentis, id est, actus imputatur agenti, vel ad laudem, vel ad vituperium, vel præmium, vel ad pœnam, ex hoc solo, quòd est in potestate agentis, quia scilicet agens potest ipsum elicere, vel non elicere. Si enim non esset in potestate agentis, non posset sibi imputari, nec ad laudem, nec ad vituperium. Sequitur: *Et licet ad istam potestatem concurrant intellectus, & voluntas*, nunquam tamen fertur nisi in præcognitum, vel fortè etiam tenendo, quòd talis actus sit causatus à voluntate partialiter, & ab intellectu, id est, ab actu intelligendi obiectum, siue ab obiecto cognito, *tamen illa indifferentia*, qua actus potest elici & non elici, completè est à sola voluntate, quia sola voluntas habet hanc indifferentiam, siue indeterminationem, quòd potest eundem actum elicere, *intelligendo diuisim*, in sensu, scilice. diuisionis, & non compositionis, id est, quòd voluntas in eodem instanti, quo intelligitur, prout actu elicitiuo potest ipsum elicere & non elicere, sed diuisim, id est, quòd in illo instanti, quo elicit actum, & quo intelligitur prior actu, potuisset non elicere actum. Et similiter in illo instanti, quo actum non elicit, potuit ipsum elicere, ita quòd est simpliciter indifferens ad hoc.

11. Hîc tamen aduerte, quòd actus nunc dicitur esse in potestate voluntatis liberè, præcisè in illo instanti, quo illum elicit, quia in illo instanti, quo elicit actum, adhuc intelligitur prior actu elicito, & per consequens in illo instanti, quo elicit, potest non elicere. Sed non est intelligibile quòd simul habeat actum elicitum, & nõ elicitum, nec quòd simul eliciat, & non eliciat, nec quòd coniunctim potest simul elicere, vel nõ elicere, ita quòd possibilitas eliciendi, & non eliciendi possit simul reduci ad actum, scilicet quòd simul eliciat & non eliciat; sed benè in eodem instanti, quo vna possibilitas reducitur ad actum, potuit alia reduci, si prima non reduceretur. Et de hoc vide prolixè Doctorem *in primo, dist.* 39. & quæ ibi clarè exposui, & aliqualiter *in secundo, dist.* 25. Dicit ergo Doctor *Ista, inquam, indifferentia, vel indeterminatio ad alteram partem non potest completè reduci, nisi in ipsam voluntatem, quia quæcunque alia potentia actiua est naturaliter actiua, & ita determinatè vnius, quantùm est de se*, id est, vnius partis contradictionis. Agens enim per modum naturæ dicitur præcisè determinari ad vnum effectum, siue numero, siue specie; sed dicitur determinari ad alteram partem contradictionis, sic, quòd vtraque pars non est in potestate eius, puta quòd ignis approximatus passo posset ipsum calefacere & non calefacere, quia sic determinatur ad calefaciendum, quòd amotò omni impedimento de necessitate calefacit; sed non est sic de agente libero, quia tale sic est circa obiectum volibile, quòd amoto omni impedimento, potest ipsum velle, & non velle, ita quòd in illo instanti, quo elicit actum volendi, potest non elicere actum volendi, sic quòd tale agens ex semetipso potest se determinare ad alteram partem contradictionis, vt patet 9. *Metaphys. tex. com.* 10. Aliter simul ageret contraria. Si enim voluntas esset indeterminata ad velle, & nolle circa idem, nec quòd coniunctim posset elicere, vel non elicere, ita quòd possibilitas eliciendi, & non eliciendi possit simul reduci ad actum circa idem obiectum, vel ad velle, & non velle, siue ad nolle & non nolle, & non esset in potestate sua se determinare ad alteram partem, tunc simul vellet obiectum & nollet, vel simul vellet & obiectum, & non vellet.

Agens per modum naturæ quid.

Sequitur, *Quia igitur actus eius sic determinatè est in eius potestate, supposita tamen intellectione, ideò talis actus per se est imputabilis agenti*, vel ad laudem, vel ad vituperium, vel ad præmium, vel ad pœnam. Vnde August. secundo de libero Arbitrio: *Satis compertum est*, &c. Dicit ergo, quòd si talis motus, vel actus deputatur culpæ, id est, sit imputabilis agenti ad culpam, talis, inquam, motus non est naturalis, sed voluntarius, quia si actus esset productus per modum naturæ, & necessariò non posset agenti imputari ad culpam, sed si imputatur ad culpam, vel ad laudem, erit voluntariè productus. Sequitur: *In illa auctoritate Augustini.* Motus (inquam) quo voluntas conuertitur, nisi esset voluntarius, &c. vt satis patet supra quæstione decima sexta, & in secundo, distinctione trigesima septima. Et sic patet quomodo imputabile ad laudem, siue ad culpam est in potestate agentis, ita quòd *imputabile duos respectus importat. Vnum ad potestatem, siue dominium agentis*, vt scilicet liberè sit in plena potestate ipsius agentis. *Et alium* respectum importat *ad aliquid correspondens actui, vel agenti secundùm iustitiam, & hoc propter ipsum actum*, ita quòd agenti per actum, qui est in potestate sua, imputatur laus, vel vituperium. Et addit, quod *secundus respectus sequitur ad primum*, quia enim iste est dominus sui actus, ideò actui, & agenti debetur aliquid propter actum, puta laus, vel vituperium, vel præmium, vel pœna. Sequitur: 12.

Imputabilia duos respectus importat.

Primus respectus, scilicet quem actus importat ad agens, *manet non variatus per se in actu bono, vel malo*, quia tam actus bonus, quàm malus non potest dici bonus, vel malus, nisi quia est in potestate agentis. *Sed secundus respectus ipsius actus variatur, non quidem formaliter secundùm bonum, vel malum, sed præsupposita differentia boni, vel mali*, &c. Variatur penes aliqua correspondentia ipsi & illi, quia aliud & aliud correspondet, nam actui bono moraliter correspondet laus, vel præmium, & actui malo moraliter correspondet vituperium, vel pœna; & sic actus bonus moraliter imputatur agenti ad laudem, vel ad præmium; & actus malus moraliter imputatur 13

agenti ad vituperium, & ad pœnam. Sequitur: *Actus autem neuter vel indifferens*, qui ſcilicet, nec eſt moraliter bonus, nec etiam moraliter malus, vt ſuprà expoſui quæſt.17. Talis actus, *ſi eſt in poteſtate agentis, adhuc erit imputabilis, vel vt quodammodo vituperabilis.* Id eſt, dicitur talis actus imputari agenti ad vituperium, ex hoc quòd potuit illum ordinatè elicere,& ſibi date rectitudinem, qua eſſet moraliter bonus, vel ſi non ſit imputabilis ad vituperium, ſaltem poteſt dici vt non laudabilis imputari, *& hoc propter defectum eius*, ſcilicet agentis, *qui potuit talem actum laudabiliter egiſſe.*

Actus neuter eſt in poteſtate agentis.

14. *Nota.*

b *Ex hoc patet, quòd non ab eodem formaliter eſt actus bonus bonitate morali, & imputabilis,* quia actum eſſe bonum moraliter *habet ex conuenientia regulam*, ſcilicet ad dictamen rectum, ſiue ad prudentiam,ita quod dicitur bonus moraliter, quia conformiter elicitur dictamini recto,vt ſuprà patuit ar.1.Et actus dicitur imputabilis ex hoc, quod eſt in libera poteſtate agentis, vt dixi ſupra. Sequitur: *Laudabile autem, & vituperabile ambo iſta important*, ſcilic. quòd actus laudabilis importat quòd ſit conformis dictamini recto, & quòd ſit in libera poteſtate agentis; & actus vituperabilis importat quòd ſit difformis dictamini recto, & quòd ſit in poteſtate agentis; *quia licèt laudabile, & vituperabile formaliter dicant hoc, quod eſt imputabile, cum determinatione illius ad quod eſt imputabile.* Id eſt quòd laudabile non dicit præcisè imputabile,quia poteſt eſſe ad laudem,& ad vituperium; ſed dicitur imputabile cum determinatione,formaliter dicitur imputabile ad laudem, vel ad præmium;& vituperabile dicitur formaliter imputabile ad vituperium, vel ad pœnam. Licet ergo dicant formaliter imputabile cum determinatione &c. *Tamen materialiter connotant illud, propter quod ipſum eſt ad hoc imputabile,* ſcilicet *laudabile* connotat bonitatem moralem,propter quam actus eſt imputabilis agenti ad præmium; & *vituperabile* connotat malitiam,propter quam actus eſt imputabilis agenti ad pœnam.

c *De imputabili tamen diſtingui poteſt.* Dicit Doctor quòd *imputabile* poteſt dupliciter accipi, ſicut etiam actus voluntatis poteſt dupliciter accipi. Vno modo pro actu voluntatis elicito. Alio modo pro actu voluntatis imperato in aliis potentiis. Loquendo ergo de actu elicito voluntatis,dicit quòd omnis talis actus,cùm ſit in poteſtate voluntatis, eſt imputabilis, vel ad laudem, & præmium:ſi eſt elicitus conformiter regulæ rectæ, vel ad vituperium, & ad pœnam, ſi eſt elicitus difformiter regulæ rectæ, vel non ad laudem, ſi eſt indifferens,puta ſi eſt elicitus à voluntate,nec conformiter, nec difformiter regulæ rectæ. Et actus voluntatis elicitus eſt magis in poteſtate voluntatis,quàm actus imperatus,quia ad eliciendum talem actum, voluntas nihil præſupponit, niſi cognitionem obiecti, cùm quis elicit actũ. Sed executio actus imperati dependet à potentia ſenſitiua, quæ agit per modum naturæ, & aliquando actus imperatus in potentia ſenſitiua poteſt impediri in potentia ad actum illum ne eliciatur. 15.

Imputabile poteſt dupliciter accipi.

Nota etiam, quòd ſicut actus voluntatis elicitus eſt per ſe primò bonus, vel malus moraliter,vt patet à Doctore *quæſt.vlt.prologi.& in 2. diſt.42.& in tertio, diſt.33.* ita eſt per ſe primò imputabilis formaliter, & ſic actus imperatus in aliis potentiis à voluntate eſt tantùm materialiter bonus, vel malus, vt patet à Doctore *in 2.diſt.42.& in tertio,diſtinct.33.* ideò non per ſe primò,nec formaliter, ſed ſecundariò, & materialiter dicitur imputabilis. Et ratio eſt, quia virtus,vel malitia,formaliter eſt ab actu voluntatis elicito vt patet,&c.

SCHOLIVM.

Reſoluit in actu externo eſſe bonitatem diſtinctam à bonitate actus interni. Ita Doctores citati poſt titulum quæſt. Probat primò ex Auguſtino. Secundò, quia externus habet integritatem ſibi conuenientium,diſtinctam ab illa, quæ conuenit interno. Adducit oppoſitæ ſententiæ argumenta,& ſoluit ſolidiſſimè & clariſſimè.

DE tertio principali,[d] primò poteſt dici,quòd actus exterior, ſcilicet imperatus, habet bonitatem moralem propriam aliquam aliam, quam actus interior elicitus; & ſecundò videbitur,qualiter habet, vel non habet propriam imputabilitatem. Primum probatur dupliciter. Primò per Auguſtinum 3. de Trin.cap.5.vel 14. *Mala voluntate, vel ſola quilibet miſer efficitur, ſed miſerior poteſtate, qua deſiderium malæ voluntatis impletur; profectò quamuis & ſic malè volendo miſer eſſet: minùs tamen eſſet, ſi nihil eorum, quæ perperam voluiſſet, habere potuiſſet.* Patens eſt, quòd hoc non poteſt intelligi de miſeria pœnæ, quia deſiderans,& non potens habere quod deſiderat,plus habet de pœna, quàm ille, cuius deſideria implentur. Intelligitur igitur de miſeria culpæ; actus igitur malus exterior addit ad miſeriam culpæ; quæ præfuit in actu interiori malo. 12.

Quære in fonte Vide Boët. 4. de Conſo.proſa 4. 9.Metaph. t.c.9.

Secundò probatur idem per rationem [e]. Ex primo articulo habetur,quòd bonitas moralis eſt integritas eorum,quæ ſecundùm rectam rationem operantis dicuntur debere conuenire ipſi actui. Eſt autem alia integritas eorum, quæ ſecundùm dictamen rectæ rationis debet conuenire actui interiori,& eorum,quæ actui exteriori:igitur & alia bonitas moralis, & per conſequens alia malitia moralis,& hoc ſiue priuatiua tantùm;quia alia carentia eorum,quæ debent conuenire,ſiue cõtraria,quia alia diſconue

disconuenientia repugnans illis, quæ debent conuenire. Probatio minoris. Recta ratio non dictat actui conuenire debere, quod impossibile est sibi conuenire; nunc autem actui exteriori impossibile est conuenire illud, quod conuenit actui interiori, vel conuenire potest; & hoc intelligendo de vtroque actu vt in *esse* reali, & de eo, quod sibi conuenit, vt in tali *esse*: licet enim actui exteriori inquantùm est obiectum volitum, & non vt actu elicito, posset aliquo modo competere denominatiuè, denominatione quadam exteriori, illud, quod conuenit actui interiori realiter; non tamen idem, eodem modo conuenit illi, & isti, quia etiam potentiæ operatiuæ non sunt capaces eiusdem actus: imò nec eiusdem rationis, nec per consequens actus illi essent capaces conuenientiæ eiusdem rationis, vel ad minùs, quod sufficit ad propositum, poterunt habere conuenientiam aliam, & aliam. Et per hoc patet ad aliquas instantias contra prædicta.

13. Contra [f] ista instatur, primò, quia eadem est veritas actus intelligendi, & ipsius obiecti intellecti: igitur pari ratione eadem est bonitas actus volendi & obiecti voliti, Antecedens videtur manifestum in exemplis, quia sicut veritas principij est immediata, sic notitia eius potest dici immediata, & conclusionis mediata. Similiter notitia principij est ex terminis, & conclusionis ex principiis, sic istis competit veritas.

Confirmatur idem, quia vbi vnum propter alterum, ibi tantùm vnum; sed actus exterior non habet bonitatem, nisi tantùm propter bonitatem actus interioris; igitur non est ibi alia, & alia bonitas.

Prætereà. Peccatum (secundùm Anselmum de Conceptu virginali) est carentia iustitiæ debitæ; non est autem in actu interiori, & exteriori nisi vna iustitiæ debitæ carentia: quia iustitia, vel iniustitia, secundùm ipsum non est nata esse, nisi in voluntate. *Lib.1.c.27, idem habet de casu dia.c.5. & 16. & alibi.*

Prætereà. Vbi est vna auersio, & vna libido: ibi videtur esse vna ratio formalis peccati; sed in actu interiori, & exteriori non est nisi vna auersio: quia voluntas est illa potentia, cuius solius est auerti à fine sicut conuerti ad finem: libido etiam, quæ aliquando vocatur ab Augustino cupiditas, vt 83.*q.q.q.36.est propriè venenum charitatis*, igitur inest propriè illi potentiæ, cui nata est charitas inesse; hæc est voluntas sola. *Vide notanter in fonte illud sap.*

14. g Ad primum esto quòd eadem veritas, quæ est ipsius actus intelligendi formaliter sit quodam alio modo, scilicet obiectiuè, ipsius obiecti intellecti, & hoc inquantum obiectum habet *esse* in ipso intellectu; & consimiliter bonitas, quæ est formaliter actus volendi, sit quodammodò denominatiuè ipsius obiecti voliti, inquantùm volitum est; tamen actus ille benè potest habere aliquam bonitatem propriam, inquantùm positus in *esse* reali extra voluntatem, sicut in *esse* suo reali habet propriam conuenientiam debitam, vel disconuenientiam. *Bonitas actus quodammodò obiecti.*

Ad confirmationem [h] illa potest deduci ad oppositum: quia si actus exterior habet conuenientiam ad regulam suam per actum interiorem, siue mediante actu interiori; igitur habet aliam, quàm actus interior: quia idem non est causa, nec etiam medium respectu suiipsius, nec etiã est causa, vel ratio mediandi respectu suijpsius. *al. Confirmatio.*

Exemplum huius habetur in actibus intellectus; conclusio enim, licèt habeat veritatem à principio: tamen habet propriam veritatem: quia propriam conformitatem eius, quod affirmatur ad existentiam rei, & ad ipsos terminos proprios conclusionis. Non enim conclusio est vera formaliter veritate principij, sed est vera veritate mediata, & determinata, & ita habet veritatem determinabilem.

Consimiliter multæ conclusiones sequentes ordinatè ex eodem principio habent veritates proprias distinctas, & fortè prior est verior, & magis necessaria, quia in necessitate sua non dependet à posteriori, sed è conuerso.

Consimiliter conclusiones falsæ repugnantes eidem vero habent proprias falsitates, quia proprias disconuenientias eius, quod enuntiatur ad illud, quod est in re.

Consimiliter de actibus voluntatis, non solus actus volendi natus est habere conuenientiam, vel disconuenientiam propriam ad dictamen rectum, sed actus imperatus natus est mediante illo habere conuenientiam, & conformitatem, & licèt idem sit, cui debet conformari actus iste & ille; tamen ea, quæ conformantur, sunt diuersa & ideò habẽt ex parte sui diuersas conformitates, siue conuenientias, licèt ad idem.

15. Si dicas, quòd veritas non conuenit alicui extra intellectum, sed tantùm actui intellectus, vel obiecto, vt est in intellectu; igitur à simili, bonitas non conuenit actui exteriori,

exteriori, vt exteriùs elicito, seu præcisè, vt obiecto actus volendi.

Tex. 8. Respondeo: consequentia negari posset iuxta illud 6. Metaphys. in fine. *Non est falsum, & verum in rebus*, vt *quod quidem bonum verum, quod autem malum falsum, sed in mente.*

Non est verũ vel falsum in rebus.

Aliter posset negari antecedens, quia si intellectus aliquis sit regula intellecti: sicut est de intellectu diuino exemplante, & regulante creaturam, illud potest dici verum, non tantùm, vt est actu cognitum, sed etiam vt est in se: quia secundùm *esse* suum in se,[i] est exemplatum, & conforme exemplari.

Ad aliud dico[k] quòd iustitia potest accipi vno modo, prout est rectitudo habitualis, siue habitus voluntatis, & ab illa dicitur voluntas recta habitualiter: etiam quando nihil vult actu; & sic dicitur dormiens iustus, qui habet habitum, & alius iniustus, qui caret isto habitu, vel habeat iniustitiam contrariam. Alio modo potest accipi rectitudo pro rectitudine actuali, siue in actu, quæ est conformitas actus eliciti ad suam regulam. Primum membrum distinctionis conceditur satis communiter. Secundum probatur: quia actus non dicitur formaliter rectus, vel iustus ab illa iustitia habituali in voluntate: quia stante illa potest haberi actus peccati venialis, vel actus indifferens, quorum neuter est actus iustus, nec rectus, sed oportet, quòd rectitudo, qua formaliter actus dicitur rectus, præcisè insit, dum actus inest: imò fortè non inest immediatè voluntati, sed ipsi actui, & mediante illo voluntati: quia voluntas nata est immediatè recipere habitum, & operationem: iustitia autem actualis neutrum horum est, sed tantùm est conditio quædam ipsius actus: puta conformitas eius propria ad suam regulam.

Iustitia alia habitualis alia actualis.

Istud autem esset manifestius, si actus non esset raptim transiens, sed idem aliquandiu manens: quia sicut motus pro parte sui potest esse velox, & idem numero, & specie pro secunda parte sui tardus, ex quo sequitur, quòd nec velocitas, nec tarditas omnino sunt idem motui: ita posset actus priùs elici conformiter regulæ rectæ, & idem actus continuatus etiam posset elici posteà, non conformiter illi regulæ, & ita esset actus pro priori parte rectus & pro posteriori non rectus. Sed quia actus raptim transit, vel si manet, manet communiter cum eo sua rectitudo, nec idem manens mutatur à recto in non rectum, nec sibi recto pro priori parte succedit alia pars non recta, ideò non ita manifesta est differentia actus, & suæ rectitudinis: concluditur tamen ista differentia modis prædictis, & per hoc etiam, quòd relatio non consequens necessariò naturam fundamenti, non est omnino eadem fundamento: nunc autem rectitudo non necessariò consequitur naturam actus. Iustitia etiam actualis, etsi primaria sit præcisè in actu volendi: tamen secunda, vel secundaria, potest esse in actu imperato per actum volendi, quia & ille habet rectitudinem propriam: licèt dependentem à rectitudine actus volendi. 16.

Idem actus successiuè bonus & malus.

Delib. arb. cap. 8. Quando igitur[l] dicitur, quòd iustitia non est nisi in voluntate, verũ est de iustitia habituali, quæ est rectitudo propter se seruata, vt definit Anselmus seruatum enim conuenit habitui, vel magis extendendo: verum est de iustitia actuali primaria, quia voluntas illam propter se seruat, hoc est, tenet in actu suo, quem illa iustitia rectum elicit. Si autem sit sermo de iustitia actuali secundaria, illam oportet dicere esse voluntatis non subiectiuè, sed causaliter tantùm, & ita adhuc de ista potest aliqualiter saluari definitio illa iustitiæ: quia illa est rectitudo voluntatis, non vt voluntati formaliter inhærens, sed voluntatis, vt causæ, vel imperantis. Est etiam propter se seruata, tanquam effectus voluntariè positus.

COMMENTARIVS.

16. *Actus dilectionis naturalis, & meritoria non differunt specie.*

d DE *tertio principali*, (quòd actus dilectionis naturalis, & meritoriæ non differunt specie, & hoc loquendo de per se differentia, quam important per se ratio naturalis, & ratio meritorij, non autem per accidens de differentia, scilicet aliqua concomitante, puta differentia obiectorum; vel aliqua tali, intelligendo etiam de differentia actus specifica.) Nunc Doctor declarat principale intentum, scilicet quomodo actus exterior imperatus à voluntate habet bonitatem moralem propriam aliam ab illa, quàm habet actus elicitus, & similiter habet propriam malitiam. Secundò declaratur, quomodo actus exterior bonus, vel malus non habet propriam imputabilitatem.

De primo probat auctoritate, & ratione, quomodo actus exterior imperatus habet propriam bonitatem, vel malitiam, aliam à bonitate, vel malitia actus interioris eliciti. Auctoritas Augustini patet in litera.

e Secundò probatur ratione, supponendo quod

Quæ sit bonitas moralis. quod dictum est in primo articulo, quòd bonitas moralis est integritas eorum, quæ secundùm rectam rationem operantis dictantur debere conuenire ipsi actui. Tunc sic: Quicunque actus formaliter habent aliam & aliam integritatem supradictam, habent aliam & aliam bonitatem moralem, cùm bonitas moralis sit talis integritas; sed actus exterior imperatus secundùm dictamen rectum, siue secundùm rectam rationem, habet aliam integritatem ab integritate actus eliciti. Probatur minor, quia *recta ratio non dictat actui conuenire debere, quod impossibile est sibi conuenire*, &c. *non tamen idem eodem modo conuenit illi, & isti*, quia bonitas moralis conuenit formaliter, & intrinsecè actui interiori, & tantùm extrinsecè actui exteriori, pro quanto actus talis est volitus, sicut etiam obiectum cognitum ab intellectu diuino, puta lapis, dicitur æternus denominatione extrinseca, quia intellectio diuina, qua lapis intelligitur, est formaliter vita æterna. Sic in proposito, quia actus elicitus à voluntate formaliter bonus, quo voluntas vult actum exteriorem, talis actus exterior denominatione extrinseca dicitur bonus moraliter, quia tantùm bonitate morali formaliter inexistente actui interiori, tamen actus exterior denominatione intrinseca habet aliam integritatem sibi conuenientem, qua dicitur moraliter bonus. Et hoc patet, quia potentiæ operatiuæ, scilicet exterior, & interior non sunt capaces eiusdem actus, imò nec eiusdem rationis, nec per consequens actus illi erunt capaces conuenientiæ eiusdem rationis. Si dicatur, quòd quamuis illi actus sint alterius rationis, tamen conuenientiæ, siue integritates, quibus dicuntur boni moraliter sunt eiusdem rationis. Dicit Doctor quòd hoc etiam concesso, actus exterior saltem habebit aliam conuenientiam, & integritatem numero distinctam ab illa, quæ conuenit actui interiori, & hoc sufficit ad propositum.

17. f *Contra ista instatur.* Nunc Doctor tribus mediis instat, probando quòd actus exterior non habeat aliam bonitatem à bonitate actus interioris, & arguit sic: *Primò eadem est veritas actus intelligendi, & ipsius obiecti intellecti*; patet, quia sicut veritas principij est immediata, sic notitia talis principij erit immediata; & similiter sicut veritas conclusionis est mediata, puta notitia eiusdem conclusionis erit mediata, siue veritas mediata, & sic patet antecedens; ergo pari ratione eadem est bonitas actus volendi, & obiecti voliti. Cùm ergo voluntas actu elicito conformi rectæ rationi velit actum exteriorem, ita quòd actus exterior habet rationem obiecti voliti, & non est bonus moraliter, nisi quia sic volitus, & per consequens eadem erit bonitas moralis actus volendi, & obiecti voliti, scilicet actus exterioris.

g Respondet Doctor primò, quòd posito quòd veritas actus intelligendi, quæ est formaliter ipsius actus intelligendi, &c. Vult dicere, quòd veritas actus intelligendi, quæ est conformitas ipsius actus ad obiectum intellectum, talis conformitas, siue veritas, denominat formaliter, & intrinsecè ipsum actum intelligendi, & quia talis actus fit conformis, terminatur ad obiectum cognitũ obiectiuè, & denominatione extrinseca denominat ipsum obiectum, sicut visio denominat formaliter ipsam potentiam visiuam, & obiectiuè, siue denominatiuè denominatione extrinseca denominat obiectũ, scilicet colorem, cùm dicitur color visus. Sic in proposito potest concedi quòd eadem bonitas moralis denominat actum volendi, & obiectum volitum, vt volitum, scilicet actum exteriorem, vt volitum; tamen alio modo denominat actum interiorem, scilicet actum volendi, scilicet denominatione intrinseca, & formaliter, & actum exteriorem tantùm obiectiuè, siue terminatiuè, siue denominatione extrinseca, loquendo semper de actu exteriori, vt præcisè volito, qui potest habere *esse* volitum, siue actu existat, siue non existat; loquendo tamen de actu exteriori in *esse* reali, talis actus habet aliam conuenientiam ad rationem rectam, ideò enim præcisè, & formaliter est eadem conformitas, siue conuenientia actus interioris, & exterioris ad rationem rectam, vt suprà patuit.

h *Ad confirmationem* dicit Doctor quòd illa confirmatio est ad oppositum, quia si actus 18.
exterior habet conformitatem ad rationem rectam propter conformitatem actus interioris ad rationem rectam, sequitur quòd habet aliam conformitatem & propriam, quia conformitas actus interioris ad rationem rectam formaliter & immediatè sibi inest, hoc est, non mediante aliquo alio actu, sed conformitas actus exterioris formaliter, & tantum mediatè, quia tantùm mediante actu interiori conformi sibi inest, & per consequens illa propositio est neganda, vel exponenda, scilicet quòd vbi vnum propter aliud, ibi vnum tantùm. Si ergo actus exterior habet bonitatem propter actum interiorem, sequitur quòd habebit aliam, quia si esset simpliciter eadem, tunc eadem esset causa suiipsius; patet, quia bonitas mediata suo modo est causata ab immediata, & si tam mediata, quàm immediata est tantùm vna, tunc idem est causa suiipsius, vel si non ponitur causa, sed tantùm medium respectu bonitatis exterioris, ita quòd bonitas actus interioris mediata inter rationem rectam, & bonitatem actus exterioris, tunc si est eadem bonitas, sequitur quòd idem erit medium respectu suiipsius, vel ratio mediandi respectu suiipsius, quod est impossibile, & ponit multa exempla, quibus ostendit, quando aliquid est tale propter aliud, puta bonum propter aliud, quòd habebit propriam bonitatem, & aliam; patet in actibus intellectus, quia licèt conclusio sit vera propter veritatem principij, tamen habet propriam veritatem, quia propriam conformitatem eius, quod affirmatur ad existentiam rei, & ad ipsos terminos proprios conclusionis. Nam ista conclusio, *homo est risibilis*, habet propriam conformitatem, scilicet prædicati, quod affirmatur de subiecto ad existentiam rei, id est, quia tale prædicatum dicitur de tali subiecto, sicut in re risibile conuenit homini. Habet etiam propriam conformitatem ad terminos proprios, quia sicut oratio habet alios & alios terminos, ita habet aliam & aliam conformitatem; non enim conclusio est vera formaliter veritate principij, sed est vera veritate mediata, & demonstrata, & principium est verum veritate immediata, & indemonstrabili, & per hoc exemplum patent etiam alia exempla sequentia.

19. i *Secundùm esse suum in se est exemplatum, & conforme exemplari*, puta quia lapis sic est in re, sicut intelligitur ab intellectu diuino, & tunc est veritas lapidis exemplati ad suum exemplar, quod est intellectus Diuinus, vel actus intellectus diuini, vel *esse* cognitũ ipsius lapidis, quod circa cognitum est idea lapidis, siue exemplar ipsius, secundùm quod exemplar producit lapidem in *esse* reali, de quo vide Doctorem *in primo, dist.* 35. non quòd sit idea respectu actualis existentiæ, quia idea non ponitur respectu contingentis, vt probat Doctor *in primo, dist.* 39. sed ponitur præcisè respectu entis in *esse* possibili, vel obiectiuo, puta idea hominis est *esse* cognitum ipsius hominis in suo *esse* quiditatiuo, & tunc voluntas diuina contingenter producit hominem in vero *esse* reali, sicut in suo *esse* obiectiuo relucet in propria idea, siue in proprio *esse* cognito, ita quòd idea, siue *esse* cognitum hominis terminatur ad *esse* quiditatiuum hominis, quod est ens possibile produci in *esse* reali; & sic patet quomodo veritas, siue conformitas, quæ est exemplati ad exemplar immediatè fundatur in ipso exemplante, non vt præcisè cognito, sed vt habente *esse* absolutum.

Quomodo ponatur idea.

Secundò principaliter arguit, quia sicut non est alia malitia actus interioris, & exterioris, ita non est alia bonitas, patet de malitia; quæ formaliter est tantùm carentia iustitiæ debitæ, secundùm Anselmum de Conceptu virgin. lib. 1. c. 7. ergo iustitia debita actui, quæ est rectitudo actus, est tantum in actu voluntatis, & iniustitia, quæ est carentia talis rectitudinis, erit præcisè in actu voluntatis.

Duplex iustitia.

k Respondet Doctor distinguendo de iustitia habituali, & actuali; habitualis est habitus virtutis, ita quòd accipitur hîc *iustitia habitualis*, non pro iustitia habituali propriè sumpta, quæ est virtus ad alterum, de qua quinto Ethicorum, quæ diuiditur in iustitiam habitualem punitiuam, & præmiatiuam, quæ iustitia habitualis habet sub se multas species, de qua vide Doctorem *in tertio, dist.* 34. *& in* 4. *di.* 14. *quæst.* 2. Sed loquitur hîc de iustitia habituali, accipiendo iustitiam habitualem pro omni habitu virtutis moralis naturaliter acquisito. Accipitur etiam à Doctore iustitia habitualis pro habitu supernaturali, scilicet pro charitate, de qua patet à Doctore *in* 2. *dist.* 6. *quæst.* 2. & specialiter *in* 4. *d.* 14. *quæst.* 14. Aliquando accipitur pro iustitia originali habituali, quæ etiam dicitur habitus supernaturalis, vt patet à Doctore *in* 2. *di.* 29. Sed hîc in proposito accipit iustitiam habitualem omnibus modis supradictis. Iustitia verò actualis est tantùm rectitudo actus, quæ rectitudo nihil aliud est, nisi quædam conformitas, vel ad rectam rationem naturalem, vel ad rectam rationem supernaturalem, de quibus regulis vide Doctorem *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 2. & actus per talem rectitudinem, siue conformitatem dicitur moraliter bonus, ita quòd talis conformitas, quæ est iustitia actualis, immediatè fundatur in actu vt patet à Doctore *hîc, & in* 2. *dist.* 34. *&* 37. *& in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. Sed iustitia habitualis immediatè fundatur in voluntate.

Quæ sit iustitia actualis.

20. Nota etiam, quòd duplex est rectitudo actus actualis. Vna tantùm naturalis & in se, & quantùm ad regulam, vt omnis rectitudo actus, quæ præcisè est secundùm dictamen naturalis. Alia potest dici supernaturalis, non quòd insit actui supernaturali, sed quia inest à regula supernaturaliter acquisita, vt cùm quis elicit actum dilectionis Trinitatis conformem fidei infusæ, quæ dicat Deum esse diligendum, inquantùm est trinus & vnus. Dicitur & aliquando rectitudo supernaturalis, & dispositiuè meritoria, vt quando actus est à charitate, si tamen charitas producit in actu aliquam realitatem, quæ sit dispositio ad hoc, vt actus acceptetur ad præmium, vt videtur probabile, vt suprà patuit *quæst.* 17. & rectitudo supernaturalis istis duobus modis, licèt sit naturaliter causata, & quantùm ad huiusmodi causationem possit dici naturalis, tamen quia est ab habitu supernaturaliter causato, potest dici supernaturalis. Est etiam rectitudo merè supernaturalis, impropriè tamen, qualis est acceptatio passiua, qua actus acceptatur à diuina voluntate in ordine ad præmium æternum. Sed in proposito non accipitur rectitudo actus vltimo & penultimo modis, sed benè aliis mediis.

Duplex rectitudo.

Nota etiam, quòd rectitudo actus est duplex, quædam est præcepta, vel præcepto diuino, vel præcepto legis naturæ. Exemplum primi. Honorare parentes loco & tempore, & instante necessitate est actus præceptus, ita quòd oppositum faciens peccat mortaliter. Exemplum secundi: Colere Deum est præceptum legis naturæ strictè sumptum, vt patet à Doctore *in tertio, dist.* 32. Alia rectitudo non est præcepta, sicut vouete castitatem non est præceptum, sed tantùm consilium.

Rectitudo actus est duplex.

Aduerte etiam, quòd propriè loquendo priuatio rectitudinis præceptæ debere inesse actui semper est peccatum mortale. Aliquando est peccatum veniale, quando talis rectitudo non est præcepta debere inesse. Aliquando rectitudo actus non est præcepta debere inesse actui, & tamen priuatio rectitudinis, puta orare amore Dei cum aliis circumstantiis non semper obligat, & tamen si orem propter inanem gloriam primò & principaliter, erit peccatum mortale, quia etsi ista circumstantia, scilicet *amore Dei* non semper sit præcepta, tamen circumstantia opposita contraria, quæ est alius finis, est simpliciter prohibita. Multa alia possent dici, quæ breuitatis causa transeo.

Ad propositum applicando, dico quod si accipiatur iustitia habitualis pro habitu morali, siue pro habitu supernaturali; & hoc formaliter loquendo, dico quòd sicut talis iustitia est formaliter in voluntate, ita & priuatio talis habitus erit formaliter in voluntate, quia priuatiuè opposita nata sunt inesse eidem successiuè. Iniustitia vero actualis, quæ est carentia rectitudinis, opponitur priuatiuè iustitiæ actuali, & sicut talis rectitudo actualis immediatè fundatur in actu, ita iniustitia actualis, & carentia rectitudinis actualis immediatè fũdatur in actu, & mediatè in potentia, cuius est actus. Sic ergo actus exterior potest esse rectus formaliter, id est, potest haber rectitudinẽ propriã sibi formaliter inhærentẽ, quæ dicitur iustitia actualis, ita potest habere carentiam talis rectitudinis, quæ dicitur iniustitia actualis; & sic actus rectus, siue exterior, siue interior non dicitur rectus formaliter à iustitia habituali. Potest enim esse rectus, etiam quòd non sit ab aliquo habitu generatus, 21.

Iniustitia actualis quid.

generatus, vt patet à Doctore *in primo, d.17. & in quarto, dist.14.q.2.* Et dicit hîc, quòd *stante iustitia habituali, potest haberi actus peccati venialis, vel actus indifferens.* Hic specialiter loquitur de iustitia, quæ est charitas, cũ qua stat actus indifferẽs, qui scil. nec est formaliter malus, nec formaliter bonus. Et similiter actus peccati venialis vt patet à Doctore *suprà, q.17.* & in 1.d.17. Dicit etiam, quòd idem actus manens, siue continuatus per horam, si est rectus, quamdiu manet eius rectitudo manet, ita quòd idem actus manens non potest mutari à recto in non rectum; patet, quia rectitudo non posset inesse, nisi per alium actum, cui præcisè inesset talis rectitudo; nec simpliciter actui recto continuato per horam potest inesse rectitudo pro vna parte, puta priori, puta pro medietate horæ, & pro alia parte non rectitudo, quia (vt dixi) non posset fieri non rectus, nisi mediante alio actu, cui rectitudo inesset, & hoc patet à Doctore *in 2. dist.28.* vbi dicit, quòd quando quis actu vitat peccatum, pro toto illo tempore, quo vitat peccatum, non potest peccare, quia non posset peccare, nisi per alium actum.

S C H O L I V M.

Ponuntur corollaria ex doctrina data. Primum, cum eadem habituali iustitia, plurificari iustitias actuales, quarum vna potest esse intensior alia secundùm modum conatus. Secundum, singulos actus malos habere proprias malitias. Tertium, malitias eodem modo differre, quo bonitates opposita; de quo 2.dist.37.q.1.nu.9. & 4.dist.50.q.6. Quartum, qualiter vnum est grauius aliis specie, & numero, de quo Doct. locis iam citatis, & 2.dist.21.q.2.nu.3. Quintum, quomodo peccata in infinitum continuantur in damnatis, quia non possunt corrumpere naturam intellectualem, quid nonnulli sentiant, de vulneratione natura per peccatum, nihil physicum ei auferre potest, sed tantùm gratuita. Vide Doct.2.d.37.q.1.nu.4. respondendo ad tertium positum, nu.13. Explicat optimè triplicem auersionem ab vltimo fine, quarum vltima tantùm potest esse in actu externo. Vide triplicem relationem ad vltimum finem, 2.dist.41.nu.3. vide etiam de illa auersione 2.d.43 & d.37.q.1.nu.6.

17. EX isto sequuntur quædam corollaria, per quæ etiam declaratur propositum. *Manente eadem iustitia habituali, possent multiplicari actuales.*

Vnum, quòd manente eadem iustitia habituali sunt tot iustitiæ actuales, quot sunt actus eliciti, quarum vna potest esse intensior alia, si actus vnus cum maiori conatu elicitur, quàm alius, & si habitus maneret æqualis imò actus prior potest elici cum maiori conatu: & tunc habebit iustitiam actualem intensiorem correspondentem intensioni suæ, & secundus actus potest elici cum minori conatu: licèt certum sit, quòd tunc habitus sit minor.

Aliud, quòd singuli actus mali habent proprias malitias actuales: quia sicut nati sunt habere proprias bonitates, quia conuenientias, vel conformitates, siue eidem regulæ, siue aliis: sic singuli habent proprias carentias.

Aliud, quod malitiæ eo modo differunt, quo bonitates, quæ deberent inesse: si specie, specie: si numero; numero. Priuationes enim distinguuntur sicut habitus nati essent distingui, puta surditas, & cæcitas, suo modo differunt specie priuatiua, sicut auditus, & visus specie positiua, & hæc cæcitas, & illa numero priuatiuè, sicut hic visus, & ille differunt numero positiuè. de hoc 2. d.37.q.2. nu 9. *Quomodo differunt peccata?*

1 Et hinc patet, quòd non solùm distinctio vitiorum Physicè loquendo, sed etiam peccatorum Theologicè loquendo, & hoc specie, & numero, & etiam genere accipi potest, non tantùm per distinctionem conuersionis: quia illa nec per se constituit, nec etiam distinguit peccatum, vt peccatum; sed accipitur secundùm rationem propriam huius priuationis, quæ est formalis ratio distinguendi priuatiuè, sicut habitus † positiuè.

18. Apparet etiam quomodo vnum peccatum est grauius alio, siue intelligatur secundùm distinctam speciem grauitatis, siue secundùm distinctam grauitatem, & in eadem specie; quia actus eo modo, quo debet habere bonitatem maiorem, siue in specie, siue intentionis in specie: eodem modo, si caret bonitate debita est peior priuatiuè, & si habeat conditionem aliquam positiuam repugnantem, est peior contrariè. *Scilicet esset ratio formalis distinguendi.*

Tertiò apparet quomodo peccata possunt continuari in infinitum in damnatis, & tamen natura non consumetur: nec habilitas naturalis, siue quodcunque aliud in natura. Nam nulla creata natura potest naturam intellectualem, vel aliquid naturale in ipsa corrumpere, & si posset diminuere, posset aliquando destruere totaliter illam. *Peccata cõtinuantur in infinitũ in damnatis.*

Similiter, effectus contingens alicuius causæ non necessariò concomitatur suam causam: igitur oppositum talis effectus, vel alicuius conditionis in ipso non destruit, vel diminuit talem causam: malitia autem in actu est priuatio aliqua in illo, quod est effectus contingens voluntatis: igitur nihil diminuit de ipsa voluntate.

Quid

Quid ergo adimit peccatum [m] additum peccato : cum secundùm Augustin in Enchir. *in tantum sit malum, quantum adimit de bonitate?*

Respondeo : malitia actualis in aliquo actu elicito non adimit bonum, quod simul secum inest. Patet: nec oportet, quod adimat bonum, quod infuit: quia (vt dictum est priùs) actus raptim transiens non mutatur de bono in malum.

Quid adimit peccatum? Si autem intelligatur per bonum, quod infuit, habitus gratuitus, qui adimitur peccando, hoc non potest intelligi de quocunque peccato : quia secundum peccatum non adimit illum, quia iam ademptum fuit : nec primum peccatum ex per se ratione suæ magis ademit illud, quàm secundum: quia tunc peccatum primum esset simpliciter grauius secundo: quia malus bonum adimeret; contingit autem quandoque, quòd secundum sit grauius primo, & ita natum esset adimere maius bonum, & ita per se adimit bonum illud actuale : adimeret etiam per se bonum habituale, si inesset; adimit igitur peccatum generaliter illud quod deberet, inesse sicut in cæco nato cæcitas adimit visum, non qui infuit; sed qui debuit inesse, & ita dicit Augustinus 11. super Gen. de Angelo peccante, quòd *cecidit non ab eo, quod accepit, sed ab eo, quod accepisset, si Deo subdi voluisset*, & si in infinitum adderetur peccatum peccato, quodlibet adimeret bonitatem propriam, quæ deberet inesse : nec est inconueniens in vno bono finito virtualiter contineri, sicut infinitos effectus successiuè eliciendos, sic & infinitas rectitudines eorundem.

Quomodo in bono finito, contineri possint infinita.

n Ad aliud de auersione : auersio à fine potest intelligi actualis nolitio ipsius finis; & patet quòd non omnis peccans auertitur isto modo, cùm fortè frequenter peccans non actualiter consideret finem, vel si considerat, non illum in se ex malitia respicit.

Ad arg. positum n. 13. Alio modo [o] potest intelligi auersio, non sic formalis, sed quasi virtualis: quod potest poni acceptatio aliqua voluntatis incompossibilis volitioni finis, saltem efficaci, vel consecutioni finis; sicut quando voluntas vult omnino aliquid inordinatum, & deordinans à consecutione finis, puta aliquid contra præceptum diuinum, sine cuius obseruatione possibile non est consequi finem : adhuc isto modo intelligendo, auersio est solius voluntatis. Tertio modo largiùs [p] potest dici auersio, quæcunque malitia separans à fine efficaciter volendo, vel consequendo, & talis malitia potest esse in actu voluntatis imperato, quia cùm imperare actum sit malum : non stat voluntatem efficaciter velle finem vltimum, nec etiam consequi ipsum. Sicut igitur referibilitas, vel quasi inordinabilitas ad finem potest dici conuersio: sic inordinabilitas potest dici auersio; quando igitur accipitur, quòd non est nisi vna auersio in actu interiori, & exteriori, verum est duobus primis modis intelligendo: imò nō est talis auersio nisi in actu interiori; & si sic intelligatur, quòd auersio sit formalis ratio in peccato, negandum est : imò sufficit illa inordinabilitas actus imperati, quæ posset dici auersio tertio modo dicta. Quod etiam additur ibi de libidine, si libido intelligatur esse improba voluntas, hoc est, immoderatum *velle*, libido non est formaliter in omni peccato, sed vel formaliter, vel causaliter concurrit ad peccatum. Si igitur libido, vel cupiditas debet esse conuertibile cum peccato: oportet extendere ista non tantùm ad actum interiorem voluntatis immoderatum, sed etiam ad actum imperatum. 19.

Tertia tantum auersio potest esse in actu externo.

An libido sit in actu externo.

COMMENTARIVS.

22. l *Et hinc patet quòd non solùm distinctio vitiorum, philosophicè loquendo*, quæ vitia formaliter priuatiuè opponuntur bonitatibus moralibus traditis *à Philosopho, sed & patet distinctio peccatorū, Theologicè loquēdo*, nec dicūtur tantùm distingui per distinctionē conuersionis, scilicet per aliam & aliam conuersionē ad creaturam, vt aliqui dicunt, quia illa nec per se constituit, nec etiam distinguit peccatum vt peccatum; sed talis distinctio accipitur secundùm rationem propriam huius priuationis, quæ est formalis ratio distinguendi vnam malitiam ab alia priuatiuè, sicut & bonitas opposita est ratio distinguendi positiuè, & hoc magis patet à Doctore in secundo, dist. 34. *Apparet ergo quomodo vnum peccatum est grauius alio peccato*, quia actus eo modo, quo debet habere bonitatem maiorem, siue in specie, eodem modo, si caret tali bonitate maiori debita, ille actus est peior priuatiuè, & si habeat conditionem aliquam positiuam repugnantem illi bonitati, tunc est peior contrariè. Apparet etiam quomodo peccata possunt continuari in infinitum in damnatis, nec tamen natura eorum, nec habilitas aliqua corrumpitur, & hoc clarè ostensum est in secundo, dist. 34. vide ibi.

Quomodo vnum peccatum est grauius alio?

m *Quid ergo adimit peccatum additum peccato?* Dico vt dicit Doctor in secundo, dist. 34. quòd formaliter adimit iustitiam actualem, cui formaliter opponitur, non quòd adimat illam, sic quòd priùs infuerit, sed quæ deberet inesse, vt ibi prolixè expositum est.

n *Ad*

n *Ad alind de auersione.* Dicit Doctor quòd auersio ab vltimo fine potest intelligi vel quòd sit actualis auersio, qualis est nolitio finis, siue odium Dei, & dicitur auersio formalis, quia sicut amor Dei immediatè, & formaliter conuertit ad Deum, sic odium Dei immediatè auertit à Deo, si tamen tale odium sit possibile. De quo vide Doctorem *in 2. dist. 9. q. 1. & d. 43.* Loquendo de tali auersione, patet quòd est tantùm actus voluntatis immediatè ab ipsa elicitus.

Auersio multiplex. o *Alio modo potest intelligi auersio* mediatè, siue virtualis, *quæ potest poni acceptatio aliqua voluntatis*, &c. & quomodo hæc auersio dicatur virtualis, vide *in 2. d. 35.* & isto etiã modo intelligẽdo auersionẽ, auersio est actus solius volũtatis.

p *Tertio modo largiùs potest dici auersio*, &c. & hoc tertio modo auersio potest esse actus alterius potentiæ imperatus à voluntate, vt actus fornicandi, qui imperatur à voluntate contra præceptum Dei, qui præcipit non fornicari. Et de huiusmodi materia, scilicet conuersionis, & auersionis, vide prolixè Doctorem *in 2. d. 35.* & quomodo specialiter potest esse peccatum in actibus aliarum potentiarum, vide in 2. dist. 42.

SCHOLIVM.

Supposita distinctione imputabilitatis, quam suprà explicuit n. 10. dicit actum externum imperatũ esse propriè imputabilem accepto imputabili generaliter pro eo, quod est simpliciter in potestate voluntatis, licèt mediatè; mediante scilicet actu volendi. Instantiam verò cõtra hoc, adducit ad oppositum: nam ex eo quòd actus externus non sit imputabilis, nisi mediante actu interno volendi, benè sequitur, quòd sit alia imputabilitas illius, & alia huius, cùm nihil possit esse mediũ respectu sui ipsius. Præterea sunt ibi diuersa fundamenta, & consequenter diuersi respectus, esto terminus sit idẽ. Respondendo tandẽ ad argumentũ principale positũ n. 1. distinguit triplicẽ acceptionẽ voluntarij, & dicit actũ externum esse voluntariũ tertio modo, nimirũ quia est in potestate voluntatis, & litera est clara. Vide Doct. in 2. d. 32. n. 14. & in 4 d. 14. q. 1. n. 12.

20. DE secundo in isto articulo, scil. de imputabilitate, patet ex distinctione posita in secundo articulo, si strictè accipiendo, solùm illud dicatur imputabile, quod est mediatè in potestate voluntatis; patet quòd solum *velle*, vel *nolle* est imputabile

Si autem imputabile generaliter dicatur illud, quod est simpliciter in potestate voluntatis: sic actus imperatus propriè est imputabilis: quia etsi non sit immediatè in potestate voluntatis: est tamen mediante actu volendi, qui actus non solùm secundùm se est in potestate voluntatis; sed etiã vt principium actus exterioris: quia voluntas potest per interiorẽ ponere illũ exteriorem. Exemplũ, seruus ex præcepto domini occidit, illa occisio imputatur domino, quia in potestate sua erat actus serui, licèt mediatè. *Actus imperatus verè imputabilis.*

Et si arguitur, sicut priùs, quòd ille non est imputabilis nisi mediante isto.

Respondeo, ex hoc sequitur propositum, quòd illius & istius est alia imputabilitas: idem enim non est medium, nec ratio mediandi respectu suiipsius, & potest idem declarari, sicut priùs de propria bonitate: quia quãquã terminus sit idẽ: tamẽ in diuersis fũdamẽtis sũt diuersi respectus ad eũdẽ terminũ; actus ille, & iste sunt diuersa fũdamẽta: igitur licèt imputabilitas cõueniat istis in ordine ad eãdẽ volũtatẽ: tamẽ illa erit alia sicut est alia causabilitas, vel aliud subiacere potestati causę, licèt causa sit eadem. *Imputabilitas alia interni, alia externi actus.*

21. Ad primum argumentum principale, voluntarium potest dici illud, quod est subiectiuè in voluntate, vel illud, quod est volitũ à voluntate; vel illud, quod est imperatũ à voluntate. Primũ non facit complètè, quòd aliquid sit voluntariũ: quia habitus potest esse in voluntate, & tamen non voluntariè voluntas habet illum, quia tristitia est in voluntate subiectiuè. Secundum dicitur voluntarium participatiuè: quia acceptatio eius vt obiecti, est voluntaria: ipsum enim magis diceretur volitum, quàm voluntarium, voluntarium enim propriè dicitur, quod est in potestate voluntatis, & sic dicitur tertio modo: & sic actus exterior est voluntarius, sicut actus interior simpliciter, non tamen est æquè primò, sed illo præsupposito. Ad arg. in initio. 1 Voluntarium, *tripliciter sumitur.*

Ad probationem minoris dico, quòd licèt actus exterior separatus ab actu interiori, hoc est sine illo positus in *esse*, non sit voluntarius, & hoc, quia effectus remotior non dicitur voluntarius nisi ponatur in *esse* per actum interiorem, qui est effectus propinquior; tamen quando actus exterior coniungitur cum interiori, & ex illo procedit, tunc ille exterior, vt distinctus, habet rationem voluntarij, & distinctam, quia voluntarij mediatè; actus autem interior non sic est voluntarius, sed immediatè.

QVÆSTIO XIX.

Vtrùm in Christo vnitas naturæ humanæ ad Verbum sit sola dependentia naturæ assumptæ ad personam Verbi.

Alens. 3. *p. q.* 2. D. Th. 3. *p. q.* 2. *ar.* 3. *& in* 3. *d.* 2. *q.* 1. *vbi* Scot. *q.* 1. Bon. *ar.* 1. *q.* 1 Ric. *ar.* 1. *q.* 1. Ægid. *q.* 1. Durand. *q.* 1. Suar. 3. *p. tom.* 1. *disp.* 3. *sect.* 1.

1. COnsequenter quæritur de dependentia naturæ assumptæ ad Verbum: Vtrùm in Christo vnitas naturæ humanæ ad Verbum sit sola dependentia naturæ asſũptæ ad

Argum. ad personam Verbi. Arguitur quòd non. Talis est ibi vnitas, quæ sufficit ad verificandum prædicationem naturæ de persona, iuxta illud primo de Trin. *Talis fuit illa vnio, quæ Deum faceret hominem: & hominem Deum.* Nunc autem sola dependentia non videtur ad hoc sufficere: quia dependens nō prædicatur semper de illo, à quo depēdet: quod patet in proposito: natura enim assumpta dependet à Patre, nō tamen Pater est homo, igitur est ibi aliqua alia vnitas, quàm dependentia naturæ humanæ ad Verbū. Cōtrà, discurrēdo per omnes modos vnitatis, nō videtur posse ibi alia vnitas inueniri.

Ratio op. Hic tria sunt videnda. Primò qui modus vnitatis sit hîc ponendus; secundò inquiretur qualis ipsa vnitas sit possibilis, quantùm est ex parte personæ assumentis. Tertiò, qualiter est possibilis quantùm ex parte naturæ assumptæ.

SCHOLIVM.

Primò ostendit dari ordinem dependentiæ naturæ humanæ ad Verbum; tum quia hæc vnio non est informationis, nec aggregationis: tum, quia non est relatio mutua, vel æquiparantiæ; ergo dependentiæ. Secundò, supposito quòd iuxta fidem solus filius sit incarnatus, infert tria: Primum, illam dependentiam non esse causati ad causam. Secundum, rationē terminandi non esse communem tribus. Tertium, esse proprietatem personalem. De his vide Doct. 3. dist. 1. q. 1. n. 3.

Vide in Enchirid. c. 33. *Caro* pro homine sumitur.

DE primo [a] creditum est naturam humanam personaliter esse vnitam Verbo Ioan. 1. *Verbum caro factum est*: vbi *caro* secundùm Augustinum pro homine ponitur, & hoc expressè habetur in Symbolis diuersis. A.

Ex isto infertur hæc conclusio, quòd ibi est ordo, siue dependentia naturæ humanæ ad Verbum. Consequentia probatur, quia omnis vnio, vel est per informationem, vel per aggregationem, vel est vnio ordinis, & ne sit altercatio de perfectionibus essentialibus: vel de proprietatibus notionalibus, vel aliis, quæ dicuntur vnita in Deo, intelligo de vnione, quæ est realiter distinctorum: hîc autē non potest poni vnio per informationem, quia Verbum non est potentiale, nec informabile, nec actus informans naturam humanam; nec est hîc tantùm vnio per aggregationem, quia sic Verbum habet vnionem ad naturam meam: vel Pater ad naturam assumptam, & generaliter quodcunque distinctum ad aliud simpliciter distinctum: nec illa vnio aggregationis, vt patet, sufficit ad vnitatem personæ.

Quid est ordo. Restat igitur tertia vnio [b] scilicet ordinis. Ordo autem est posterioris ad prius. Patet autem, quòd Verbum non habet rationem posterioris respectu naturæ, igitur è conuerso, natura habet per se ordinem posterioris respectu Verbi, & ita dependentiam. Probatur etiam consequentia: [c] quia vnio naturæ ad Verbum importat relationem realem, non ex parte Verbi: igitur in natura assumpta tantùm: omnis autem relatio realis, non mutua, nec æquiparantiæ, vel est quædam dependentia, vel requirit dependentiam relati ad illud, ad quod refertur.

d Vlteriùs qualis sit illa dependentia naturæ ad Verbum, concluditur ex quodam credito, isto, scilic. quòd solus Filius est incarnatus; ex quo sequitur, quòd natura illa non est vnita cuilibet personæ in Trinitate, sed soli Filio; ex quo sequuntur tria.

Dependentia ad Verbum non est causati ad causam. Primum, quòd ista dependentia non est propria causati ad causam, quia secundùm Augustinum 5. de Tri. 14. *Ad creaturam Pater, & Filius, & Spiritus S. sunt vnū principium.*

Ratio terminandi nō communis. Secundum verò est, quòd ratio formalis terminandi istam dependentiam non est aliquid commune tribus personis: quia in quocunque est illud quod est formalis ratio terminandi aliquam dependentiam, & hoc priùs naturaliter, quàm dependentia sit terminata, ad ipsum dependet dependens: si igitur ratio terminandi esset communis tribus personis, tota Trinitas terminaret, quod falsum est.

Var. lib. 3. q. 1. Hîc dicitur, [e] quòd licèt sit aliquid cōmune toti Trinitati, tamen alio modo est in vna persona, quā in alia, & pro tāto posset esse in vna ratio terminādi, licèt nō in alia. 3.

Contra hoc, in habendo illud, quod est commune tribus personis, non est aliqua distinctio, nisi pertinens ad originem: puta quòd prima persona habet illud à nullo: Secunda ab vno: Tertia à duobus: Sed ista differentia non facit, quòd vna persona terminet dependentiam naturæ, & non alia: quia illa differentia esset omnino eadem, etiamsi nulla persona fuisset incarnata, siue quælibet, siue quæcunque sola persona: puta si Pater solus fuisset incarnatus. [f]

Ratio terminādi est personalitas Verbi. Tertium sequitur ex isto [g] scil. quòd ratio formalis terminandi istā dependentiam naturæ est entitas personalis personæ Verbi. Hoc probatur, quia realis vnionis est aliqua entitas realis, formalis terminus, siue ratio terminādi: quæcūque autē entitas, generalissimè loquēdo de entitate, vel est entitas essētialis, siue naturę vel est entitas hypostatica

postatica, siue personalis, quando est in natura intellectuali, de qua loquimur. Probatū est autem, quòd ratio terminandi istam dependentiam non est entitas naturæ, siue essentiæ in Deo: Igitur erit hypostatica; & breuiter ista dependētia non est ad aliquid cōmunicabile, vt per se terminum, vel per se rationem terminandi, sed est ad aliquid incommunicabile, siue incommunicabiliter subsistens, vt tale, sicut est naturæ dependētis, vt cōmunicabilis, vel communicatæ: sic patet primum, scilicet quòd vnitas, siue vnio naturæ humanæ ad Verbum est quædā dependentia, vel consistit in dependentia tali, scilicet naturæ, vt communicabilis ad aliquod subsistens incommunicabile.

Contrà: [h] vnio eiusdem rationis posset esse ad personam Patris: ergo haberet terminum formalem eiusdem rationis: sed entitas hypostatica est alterius rationis in personis: igitur, &c.

Respondeo [i]: diceretur ad hoc, sicut diceretur de communitate eius, quod est persona in Diuinis: quia si ponatur alia communitas realis personæ ad tres personas, posset concedi communis ratio terminandi eadem, non tamen propria.

COMMENTARIVS.

1. a Licèt hæc quæstio sit pertractata *in 3. dist. 1. q. 1.* tamen pro clariori intelligentia, adhuc hanc quæstionem ordinatè exponam. De primo ergo articulo, in quo Doctor ostendit quòd vnio naturæ humanæ, qua scilicet natura humana realiter vnitur Verbo, siue quæ vnio terminatur ad Verbum in vnitate personæ, est tantùm relatio & dependentia, quâ natura humana dicitur formaliter dependere ad Verbum, vt ad suppositum terminans talem vnionē, ac per hoc suppositans, siue sustentans humanā naturam in vnitate suppositi. Dicit ergo quòd naturam humanam personaliter esse vnitam Verbo, est tantùm creditum, vt patet Io. 1. *Verbum caro factum est*, vbi secundùm Augustinum *caro* ponitur pro homine, & est sensus, quia natura de nouo est vnita Verbo in vnitate suppositi, sequitur quòd Verbum factum sit homo. Ex hoc ergo, quòd natura humana est sic vnita Verbo, infertur quòd ibi est ordo naturæ humanæ ad Verbū; quia *omnis vnio vel est per informationem*, vt patet in composito per se, vbi forma substantialis per se vnitur materiæ, informando illam, similiter patet in cōposito per accidens, vbi forma accidentalis vnitur subiecto, informando illud; *vel est vnio per aggregationem*, sicut in aceruo lapidum, vbi plura sunt vnita, inter quæ nec est aliqua informatio, nec aliquis ordo, nec aliqua dependentia, & hæc est minima vnitas, vt patet in 1. d. 2. p. 2. q. 1. *Vel est vnio ordinis*, scilicet prioris ad posterius, vel ècontra, quia vbicunque est ordo, ibi est prius & posterius, & relatio ordinis potest multipliciter accipi, vt exposui super 3. *d.* 1. *q.* 1. *a.* 2. Et addit Doctor *& ne*, inquit, *sit altercatio de perfectionibus vel essentialibus*, puta de attributis diuinis, *vel de proprietatibus notionalibus*, &c. & quomodo dicātur vnita, vide in 1. d. 5. q. 1. Intelligit ergo de vnione, quæ est inter realiter distincta. Ad propositum applicando, dicit quòd vnio naturæ humanæ ad Verbum non est per informationem; patet, quia si natura humana informaret Verbum, tunc Verbum esset perfectibile à natura humana, & sic esset in potentia receptiua ad aliquam formam, quòd est impossibile, cū omnis imperfectio formaliter repugnet Verbo: nec similiter Verbū est actus, siue forma informans naturam humanam, quia tunc ex Verbo, & natura humana fieret aliquod tertium cōpositum, & sic Verbum haberet rationem partis respectu talis compositi, & esse partem repugnat infinito, vt probat Doctor *in 1. d. 8. qu. 2.* Et similiter Verbum diceretur perfici perfectione compositi, quia omnis pars vt pars alicuius totius, participat perfectionem illius totius, vt patet à Doctore in pluribus locis. Sequeretur etiam quòd natura humana, & diuina essent ibi confusæ, vt patet *in 3. dist. 1. & 11.*

Ioannis 1. Vide in Enchirid. c. 33.

Relatio ordinis potest multipliciter accipi.

Vnio naturæ humanæ ad Verbum non est per informationem.

b *Restat igitur tertia vnio*, &c. & hoc strictè loquendo de ordine, quia communiter loquendo, est etiam ordo prioris ad posterius, vt patet *in 1. d.* 30. Sed in proposito accipit ordinem, vt dicit relationem posterioris ad prius: *patet autem quòd Verbum non habet rationem posterioris respectu naturæ*, cùm sit necessariò æternum. Sequitur ergo, cùm talis vnio naturæ ad Verbum dicat per se relationem ordinis, quòd natura assumpta habet per se ordinem posterioris ad Verbum vt ad prius, & ita dependentiam, ita quòd talis vnio ordinis naturæ ad Verbum est tantùm vnio dependentiæ, qua natura humana dependet ad Verbum, quia omnis relatio per se ordinis posterioris ad prius est relatio dependentiæ. 2.

Quid sit ordo.

c *Probatur etiā consequentia*, scilicet quòd vnio naturæ humanæ ad Verbum sit dependentia, siue relatio dependentiæ, quia *omnis relatio realis non mutua*, &c. & dicit *non mutua*, quia relatio causæ ad causatum est mutua, & illa non dicit dependentiam aliquam in causa, licèt relatio causati ad causam dicit dependentiam in causato: & dicit *nec æquiparantiæ*, qualis est relatio æqualitatis, vel similitudinis, quia non semper relatio huius similitudinis notat dependentiam vnius ad aliud; vt patet de duobus albis perfectissimis, vt dicit Doctor *in 1. q. 30.* contra Henricum. communiter ergo *omnis relatio realis non mutua, nec æquiparantiæ, vel est quædam dependentia* realis, qualis est in proposito scilicet vnio naturæ humanæ, quæ realiter est relatio dependentiæ, *vel requirit dependentiam relati ad illud, ad quod refertur*: sic relatio creaturæ ad Deum, quæ requirit creaturam realiter dependere ad Deum, ad quem refertur mediante relatione dependentiæ. Cùm ergo vnio naturæ humanæ ad Verbum sit relatio realis, patet quia aliter non fuisset realiter vnita Verbo, vt patet *in 3. d. 1.* nec est relatio mutua; patet, quia Verbum non refertur realiter ad naturā, cùm non sit aliqua relatio realis Dei ad creaturam, vt probat Doctor *in 1. d. 30.* nec est propriæ æquiparantiæ, quia relatio æquiparantiæ propriè sumpta semper est mutua, vt patet de æqualitate, similitudine, & huiusmodi: ergo relatio realis scilicet dependētiæ, quia talis vnio est verè causata à tota Trinitate, vt patet *in 3. d. 1.* & nō est inconueniens relationē realem extrinsecus aduenientē posse immediatè causari, vt ibi patet. Talis

In Deo si est relatio est relatio rationis.

vnio vt causata, quæ est quædã dependentia realis, includit per realem idẽtitatem aliam relationem dependentiæ formaliter terminatã ad Deũ: & hoc modo vnio vt causata dicitur formaliter quædam dependẽtia. Sed talis vnio, vt comparatur ad Verbum, sustentificans naturam humanã, tunc propriè non dicitur dependentia ad Verbum, ita quòd ipsa dicatur dependere ad Verbũ, vt ad suppositum sustentans ipsam: sed requirit naturam humanam dependere ad Verbum, vt ad sustentans ipsam: patet ergo quomodo vnio naturæ humanæ est relatio realis dependentiæ.

3. d *Vlterius, qualis sit illa dependentia naturæ*, &c. Nunc Doctor declarat quæ dependentia sit talis vnio: & breuiter dicit quòd non est dependentia causati ad causam, ita quòd cùm dicitur natura humana vnitur Verbo in vnitate suppositi, non notatur naturam humanam dependere ad Verbũ vt causatũ ad causam, quia vt sic tã natura humana, quàm vnio sunt causata ad totam Trinitatem.

Secundum declarandum in isto articulo est, quòd ratio formalis terminandi istam dependentiam non est aliquid commune tribus personis, quia tunc tota Trinitas terminaret istam vnionem, & sic natura humana simul fuisset assumpta à tribus, quod est falsum.

Opinio Varronis. e *Hic dicitur*. Hic recitat opinionem Varronis, *lib. 3. qu. 1.* quam hîc improbat, sed prolixiùs in tertio, dist. 1. quæst. 1.

Contra hoc instat Doctor quia *in habendo illud, quod est commune tribus personis*, &c.

f Sequitur, *Siue solus Pater fuisset incarnatus*, patet, quia semper Pater haberet illud commune à se, & Filius à Patre, & Spiritus sanctus à Patre, & Filio. Et præterea talis differentia esset tantùm rationis, vt patet, sed relatio rationis non est ratio formalis terminandi realem dependentiam patet à Doctore in tertio, dist. 1.

g Vltimò dicit Doctor quòd *ratio formalis terminandi istam dependentiam naturæ est entitas personalis personæ Verbi*, siue proprietas personalis, & hoc probat Doctor quia ratio formalis terminandi istam dependentiam realem est aliqua entitas realis, vt patet, & non est aliqua entitas cõmunis tribus personis, quia tunc tres personæ simul terminarent; ergo est aliqua entitas propria personæ Verbi, si Verbum terminat, vel propria persona Patris, si Pater terminaret, sed talis entitas propria Verbi est tantùm proprietas personalis, puta filiatio, si Verbũ constituatur in *esse* personali per relationem, vel si per absolutum, de quo in primo, *dist. 26.* tale absolutum constituens personam Verbi esset ratio terminandi. Et nota vnam rationem, quam facit Doctor *in 3. dist. 1. q. 1.* probando quòd sola proprietas personalis sit ratio formalis terminandi talem vnionem.

h *Contrà*. Hîc Doctor intendit inferre quòd si proprietas personalis esset ratio formalis terminandi istam vnionem, quòd tunc proprietas personalis Patris, & proprietas Filij essent eiusdem rationis, cuius oppositum probatum est *in 1. d. 7. & dist. 13.* Quòd autem sequatur, patet, quia vnio naturæ humanæ ad Patrem esset eiusdem rationis cum vnione naturæ humanæ ad Verbum; ergo & termini essent eiusdem rationis, & per consequens rationes formales terminandi, quia vnio non esset eiusdem rationis, nisi etiam ratio formalis terminandi esset eiusdem rationis. 4.

i Dicit Doctor quòd *diceretur ad hoc argumentum*, &c. Vult dicere, quòd si ab vltimis constitutiuis personarũ posset immediatè abstrahi aliqua realitas realiter communis illis, tunc ratio formalis terminandi istam dependentiam esset communis tribus, tamen vna persona non terminaret, nisi per rationem formalem propriam sibi; sed personæ diuinæ, siue proprietates personales non conueniunt in aliqua realitate communi contrahibili, licèt in aliquo conceptu abstracto ab illis, vt patet *in 1. dist. 26.* & ideò tales proprietates non sunt eiusdem rationis, ita quòd conueniant in aliqua realitate communi, imò vt sic, sunt simpliciter, & primò diuersa, vt patet *in 1. d. 7. 13. & 26.* non sunt tamen primò diuersa in aliquo concepto communi abstracto per intellectum, vt patet *in 1. d. 26.* & vide quæ notaui super primo, *d. 23. & 25.* & hoc modo non poneretur talis cõceptus cõmunis ratio formalis terminãdi cũ ratio formalis terminãdi talẽ dependentiã sit entitas realis, vt suprà patuit, & talis cõceptus cõmunis non est in se entitas realis, sed benè primò modo posset poni ratio formalis terminandi cõmunis, sed nõ esset ratio formalis terminandi alicui personæ, nisi vt facta sibi propria, sicut natura humana est ratio formalis generandi sibi simile, quæ est cõmunis omnibus indiuiduis hominis, & tamẽ Socrati nõ esset ratio formalis generãdi sibi simile, nisi vt facta propria Socrati, puta per hæcceitatem contrahẽtem talem naturam ad Socratem; sic similiter si esset talis realitas communis tribus personis, id est, tribus proprietatibus personalibus, illa esset ratio formalis terminandi talem dependentiam communis illis tribus, sed nõ esset ratio formalis terminandi Verbo diuino, nisi vt facta sibi propria per aliquid contrahens ipsã ad Verbum, licèt hoc sit impossibile, quia hoc esset imperfectionis in Verbo diuino, nam quicquid est in Diuinis ex natura rei, est simpliciter in vltima actualitate, ita quòd nullo modo est contrahibile, siue determinabile, vt patet *in primo, dist. 2. p. 2. q. 1. & d. 5. quæst. 2.*

SCHOLIVM.

Non repugnat personæ diuinæ terminare dependentiam naturæ creatæ, nec quà persona, neque quà diuina, neque quà hæc. Ratio est, quia independenti non repugnat terminare dependentiam; de quo agit Doct. 3. d. 1. q. 1. num. 4. vbi reijcit rationes D. Thomæ, & Henrici ad hoc. Obijcit quatuor pulchras instantias.

de hoc 3. d. 1. q. 1. n. 4. DE secundo articulo[k] principali videndum est, quomodo sit possibile ex parte termini, quomodo scilicet hoc subsistens incõmunicabile, vt tale, potest terminare dependentiã: hoc autẽ potest aliqualiter declarari sic. Si repugnaret sibi dependentiã terminare, aut illa repugnãtia esset per hoc, quòd est illud subsistẽs siue persona: aut per hoc quòd est persona diuina: aut per hoc, quòd est hæc persona, quæ scil. sola ponitur terminare dependentiã: sed propter nullũ istorũ repugnat isti personæ. 4.

Quod

Quod probatur dupliciter. Primò sic: Independenti non repugnat terminare dependentiam, etsi habeat propriam independentiam non repugnat sibi esse terminum proprium dependentiæ. Nunc autem Verbum, quantùm ad entitatem suam, etiam personalem, est independens, & hoc independentia sibi propria. Igitur nullo istorum trium modorum repugnat sibi terminare dependentiam. Probatio minoris: cui formaliter repugnat omnis imperfectio; ei formaliter repugnat omnis dependentia; & quod est formalis ratio repugnantiæ respectu vnius, & respectu alterius. Hoc patet; quia dependentia vel est formaliter imperfectio, vel omnino habet necessariò imperfectionem annexam: nunc autem Filio ratione proprietatis hypostaticæ repugnat formaliter omnis imperfectio: ita quod ista proprietas est ipsi Filio formalis ratio repugnantiæ: nihil enim ponitur in Diuinis ex natura rei, quin sibi præcisissimè considerato, repugnet quæcunque imperfectio: alioquin præcisè quantùm est de se possibile esset sibi aliquam imperfectionem competere: & ita posito, quòd illa imperfectio competeret, adhuc ipsa posset manere ipsa; & si ipsamet manet, est intrinseca Deo: igitur possibile esset aliquam imperfectionem esse intrinsecam Deo: quod est impossibile. *Independenti non repugnat terminare dependentiam.* *Repugnat omnis imperfectio cuicunque in Deo.*

5. Contra istam rationem [k] obiicitur; primò contra maiorem: quia si independentia concluderet posse terminare dependentiam: igitur independentia talis concluderet posse terminare talem dependentiam: consequens est falsum: sicut patet in multis. Primò in substantia, & accidente: quia omnis substantia est indepedens independentia accidentis ad subiectum: & tamen non omnis substantia potest terminare dependentiam accidentis cuiuscunque ad subiectum: sicut lapis non potest terminare dependentiam sapientiæ. Consimiliter patet de dependētia totius ad partes: quia multa sunt, quibus repugnat dependere tali dependentia, quæ est totius ad partes; nec tamen possunt terminare talem dependentiam, sicut est quodcunque simplex, quod non est totum, nec pars. Patet etiam de independentia causati ad causam, quia Angelus est independens à quocunque causato, vt à causa: non tamen potest terminare quodcunque causatum.

Apparet etiam communissimè de proprietate, de qua est propositum, quia proprietas personalis, cùm sit omnino independens, secundùm hoc posset terminare omnem dependentiam creaturæ ad Deum, vt causati ad causam, & hoc secundùm quamcunque rationem causalitatis, quod est manifestè falsum: quia proprietas in persona non est formalis ratio causandi, sed aliquid commune tribus; vt dictum est supra per Augustinum. 3. *Trin.* 15.

Respondetur igitur ad maiorem [l] quòd licèt independenti, ratione suæ independentiæ, non repugnat, quod ipsum terminet dependentiā alterius: tamen independētia non sufficit ad hoc, vt sibi conueniat terminare: sed oportet quòd habeat prioritatem, vel primitatem essentialem respectu illius, quod dependet ad ipsum: quia dependentia est posterioris essentialiter ad prius essentialiter: oportet etiam quòd habeat perfectionem aliquam, respectu cuius dependens sit imperfectum: & ad propositum entitas hypostatica non habet prioritatem essentialem respectu creaturæ: quia ordo essentialis est per se inter essentias, distinguendo essentias contra entitatem hypostaticam. Formæ enim, id est, quiditates rerum se habent sicut numeri: entitas etiam hypostatica non est simpliciter perfecta, vel simpliciter perfectio, prout dictum est in quæstione de hoc mota. Per idem negaretur minor, quia si aliquid esset ratio repugnantiæ respectu cuiuscunque imperfectionis ipsum esset perfectio simpliciter. Si igitur entitas hypostatica non est perfectio simplicitor, sequitur quod ipsa non est formalis ratio repugnandi omni imperfectioni, & per consequens nec per ipsam habet persona formaliter propriam independentiam. *Independentia sola non sufficit ad terminādam dependentiā alterius.* *8. Met. tex. 10.* *Quæst. 5.*

COMMENTARIVS.

5. *Opin. Scoti.* i DE *secundo articulo principali videndum est, quomodo sit possibile ex parte termini, id est, quomodo hoc subsistens incommunicabile,* scilicet Verbum diuinum, *vt tale potest terminare dependentiam,* & arguit sic; non repugnat Verbo diuino posse terminare talem dependentiam; ergo potest simpliciter terminare. Patet consequentia, quia sicut repugnantia dicit incompossibilitatem, ita non repugnantia dicit possibilitatem. Probatur antecedens, quia si terminare dependentiam talem sibi repugnaret, aut hoc esset, quia verbum est subsistens, siue persona, absolutè loquendo; aut quia est persona diuina; aut quia est hæc persona, id est, aut repugnat personæ, inquantùm persona, aut inquantùm diuina, aut inquantùm hæc persona: non videtur aliud membrum dandum, propter quod repugnet Verbo posse terminare talem dependentiam; sed pro

propter nullum istorum repugnat Verbo diuino, & arguit sic : *In dependenti non repugnat terminare dependentiam,* &c. *sed Verbum quantum ad entitatem suam etiam personalem, est independens,& hoc independentia sibi propria,* loquendo de independentia,quæ sibi conuenit ratione entitatis personalis, quæ entitas est propria verbo. Probatur ista minor,quia *cui formaliter repugnat omnis imperfectio, ei formaliter repugnat omnis dependentia,& quod est formalis ratio repugnantiæ respectu vnius*, id est, omnis imperfectionis, *est etiam respectu alterius*; scilicet omnis dependentiæ, & ècontra scilicet quòd est formalis ratio repugnantiæ respectu omnis dependentiæ, erit etiam respectu omnis imperfectionis, quia omne dependens necessariò includit imperfectionem, quia limitationem, & omne imperfectum includit necessariò aliquam dependentiam. Sed Verbo diuino ratione proprietatis personalis repugnat formaliter omnis imperfectio, quia nihil ponitur in diuinis ex natura rei, quin sibi præcisissimè considerato repugnet omnis imperfectio, quia si sibi non repugnet, ergo aliqua imperfectio possit sibi competere,& posita, per possibile, tali imperfectione in proprietate personali, adhuc talis proprietas personalis maneret in diuinis, quia est ibi necesse esse, & non maneret nisi vt intrinseca Deo, scilicet per realem identitatem, & per consequens possibile esset aliquam imperfectionem esse intrinsecã Deo, quod est impossibile, quia enti infinito formaliter, simpliciter repugnat omnis imperfectio.

6. k *Contra istam rationem.* Doctor instat contra hanc rationem, vt magis declaretur, quam etiam rationem facit *in tertio, dist.*1. *quæst.*1. Et primò instat contra maiorem, probando quòd ista non sit vera scilicet *independenti non repugnat terminare dependentiam,*& arguit sic : Si independenti non repugnat posse terminare dependentiam,igitur tali independenti posset conuenire posse terminare dependentiam talem,puta si est independens independentia opposita dependentiæ, puta accidentis ad subiectum;dicitur enim talis independentia, vt comparatur ad talem dependentiam sibi oppositam.

l *Respondetur igitur ad maiorem.* Ex quo Doctor dedit multas instantias contra illam maiorem, hîc dicit non secundùm opinionem propriam,vt patebit,quòd illa maior non est simpliciter vera, quia sola independentia non est ratio formalis terminandi dependentiam, *sed oportet addere*,scilicet quòd ratio independentiæ *habeat realitatem,siue primitatem essentialem respectu illius,quod dependet ad ipsam*; patet, quia dependentia posterioris essentialiter ad prius essentialiter. Oportet etiam addere, quòd ratio formalis independentiæ habeat aliquam perfectionem respectu dependentis, quia sicut dependens vt dependens, necessariò dicit imperfectionem respectu illius, ad quod dependet, ita terminans dependentiam dependentis necessariò dicit perfectionem respectu dependentis ; & maior sic intellecta videtur habere veritatem, aliter non.

Nota tamen, quòd hæc non est præcisa ratio veritatis illius maioris (vt infrà patebit) maiore isto modo concessa, minor sumpta videtur neganda,scilicet quòd proprietas personalis habeat prioritatem essentialem respectu creaturæ, & quòd dicat perfectionem respectu illius. De primo patet,quia ordo essentialis est per se inter essentias,distinguendo essentiam contra entitatem hypostaticam : & quòd tantùm inter essentias, scilicet specificè distinctas sit per se ordo essentialis, scilicet per se posterioris essentialiter ad prius per se essentialiter, probatur per Philosophum 8. *Metaph.tex.com.*10. vbi vult,quòd formæ,id est,quiditates rerum se habeant,sicut numeri, inter quas est propriè ordo essentialis. De secundo patet, quia entitas hypostatica non est simpliciter perfecta, vel simpliciter perfectio; prout dictum est suprà,*quæst.*5. *Nota.*

SCHOLIVM.

Soluit obiectiones contra rationem conclusionis allatas; & earum vis stat in his propositionibus. Prima, independens tali dependentia, puta causati ad causam, vel accidentis ad subiectum, non ideò potest qualemcunque dependentiam terminare, alioquin Angelus causaret reliqua creata, & lapis subiectaret omne accidens. Secunda, independens tali dependentia, non ideò potest talem dependentiam cuiusque dependentis terminare. Patet exemplis allatis. Tertia, independens tali dependentia potest alicuius dependentis talem dependentiam terminare, vel priorem, mediatè vel immediatè: sic lapis alicuius accidentis dependentiam terminat,& Deus,licèt nequeat terminare dependentiam accidentis per modum subiecti, terminat eam mediatè, causando subiectum, quod est terminare dependentiam priorem. Quarta, independens simpliciter potest saltem alicuius dependentiam terminare, huiusmodi est proprietas personalis in Deo, & ideò potest terminare dependentiam communicabilis ad suppositum. Per has clarè soluuntur quatuor instantiæ positæ, circa quas habet Doctor pulcherrimam doctrinam.

Diuisio dependentiæ. Ad terminandũ diuersas dependentias formales, requirũtur diuersæ rationes terminãdi, vel vna illimitata.

AD ista m. Ad primum. Dependentia potest dupliciter distingui. Vno modo formaliter,siue quasi specie, secundùm rationem distinctam formalem dependentiæ:alio modo quasi materialiter,secundùm distinctionem ipsorum dependentiũ: & hoc dupliciter,vel in eodem ordine,vel in alio, & alio. Prima distinctio requirit in termino rationem formalem terminandi aliam,& aliam,vel eandem quasi illimitatã, virtualiter scilicet,vel eminenter continentẽ tales rationes formales distinctas. Secũda distinctio n non requirit distinctionem nisi eorum quæ dependent:& quandoque 6.

ista

ista distincta sunt eiusdem ordinis, quando, scilicet æquè immediatè, vel æquè mediatè dependent ad idem: quandoque sunt alterius ordinis, quando scilicet vnum dependet mediatè, & aliud immediatè. Licèt igitur ista propositio sit falsa [o], *Independens tali dependentia potest qualemcunque dependentiam terminare*; & ista etiam: *Independens dependentia tali potest dependentiam cuiuscunque dependentis terminare*: tamen videtur ista probabilis, quòd *independens tali dependentia potest alicuius dependentis talem dependentiam terminare, vel priorem, & hoc vel immediatè, vel saltem mediatè*: & ista probabilior, *Simpliciter independens potest cuiuscumque dependentis, vel saltem alicuius dependentis aliquam dependentiam terminare.* Et istarum duarum propositionum veritas appareret, si ista esset nota, quòd quæcumque entitas quacumque alia, vel est per se prior, vel posterior: & ita videtur posse haberi ex connexione entium, & vnitate eorum, siue vniuersi, quæ vnitas est ordinis secundùm Philosophum 12. *Metaph.* *Tex. c. 52.* videretur enim illa entitas inconnexa cum aliis, quæ non haberet per se ordinem prioris, nec posterioris.

7. Quando igitur arguitur, si independentia, &c. Vno modo posset negari consequentia [p], quia si independens tali dependentia non possit terminare talem dependentiam, hoc est propter aliquid annexum suæ independentiæ, quæ est limitata, & ideò potest habere aliquam imperfectionem annexam. Sed hæc ratio non tenet de independente simpliciter: quia in tali saltem nulla est imperfectio.

Quare quælibet substantia non est capax cuiuslibet accidentis.

Aliter etiam deficit illa consequentia [q]: quia non oportet quòd talis independentia concludat talem terminationem, nisi independentia simpliciter acciperetur in antecedente, sic quòd independentia simpliciter, & omnimoda concluderet posse terminare omnem dependentiam: sed hoc non fuit acceptum, sed solummodò, quòd independens omnino posset aliquam dependentiam terminare: hoc enim sufficit ad propositum: quia per viam diuisionis, sequitur cùm illud independens, de quo est sermo scilicet persona, vel entitas personalis, non possit terminare aliquam dependentiam, quæ est causati, vel mensurati, vel aliā huiusmodi: quòd possit terminare istam, quæ est naturæ, vt est communicabilis ad aliquid, vt incommunicabiliter existens.

Independens simpliciter, terminare potest omne dependens.

Aliter posset concedi [r] consequens secundùm intellectum priùs expositum, scilicet quòd independens tali dependentia, alicuius taliter dependentis, vel priori dependentia, dependentis potest dependentiam terminare. Per hoc patet ad illas instantias ibi positas.

8. Ad primam: quia substantia illa potest aliquam dependentiam alicuius accidentis terminare: puta illius, quod natum est sibi conuenire: & esto quòd esset aliqua substantia non susceptiua alicuius accidentis: sicut est natura diuina: illa tamen potest terminare aliquam dependentiam priorem, quàm sit ista: puta alicuius causati prioris ipso accidente: & sic mediatè terminat dependentiam ipsius accidentis.

Ad secundam, de toto, [f] & de partibus per idem: quia simplex, quod nec est totum, nec pars, non potest terminare dependentiam totius ad partes, sed potest terminare dependentiam priorem, quàm sit illa, quæ est totius ad partes.

Et si quæras quam dependentiam terminat Angelus respectu ignis, qui dependet à partibus suis?

Respondeo, illam dependentiam, quæ est minùs nobilis ad magis nobile in ordine essentiali naturarum.

Per idem ad tertiam: quia Angelus terminat dependentiam cuiuscunque naturæ inferioris: & hoc mediatè vel immediatè; illam quidem, quæ est secundùm ordinem essentialem quiditatum: & illa est quodammodò prior dependentia illa, quæ est effectus à causa efficiente: imò hæc videtur omnino prima, & hæc potest assignari communiter conuenire cuilibet independenti respectu illius, respectu cuius dicitur independens.

Simplex potest terminare dependentiā priorem dependentia totius à partibus, sic Angelus lapidis & mensurati.

Ad quartam [t] independens omnino benè videtur, quòd necessariò possit aliquam dependentiam terminare, quia non videtur aliter connexionem habere cum aliis entibus, sed non oportet quòd qualemcunque dependentiam possit terminare: quia illam quæ requirit in termino perfectionem simpliciter, cuiusmodi est dependentia causati ad causam, non terminat: nisi sit perfectum simpliciter: potest autem esse independens, si sibi repugnet imperfectio, licèt sibi non conueniat simpliciter perfectio: quia entitas hypostatica, vt talis, non est perfectio simpliciter: nec tamen omnis talis est imperfecta.

Quare hypostasis non terminat omnem dependentiā.

Per hoc excluditur responsio ad maiorem [u], quia independenti omnino, nec ratione independentiæ suæ, nec ratione alicuius sibi annexi potest repugnare generaliter terminare quamcunque dependentiam. 9.

Et cùm tangitur, quòd ad hoc vt terminet, requiritur quòd sit prius essentialiter: potest dici, quòd propriè loquendo de prioritate essentiali, quæ scilicet est ratione essentiæ, vt distinguitur contra entitatem hypostaticam; sic vna est prioritas trium personarum: sed extendendo prioritatem essentialem ad prioritatem per se, & hoc respectu cuiuscunque entitatis, siue quiditatiuè, siue hypostaticè, potest entitas personalis in Diuinis dici prior essentialiter, vel magis propriè, per se prior quocumque causato. Et isto secundo modo accipiendo prioritatem, necesse est vt omne dependentiam terminans, sit prius eo, quod dependet. Non autem primo modo accipiendo prioritatem: nisi tantùm quando est dependentia causati ad causam, vel aliqua similis dependentia: puta causati posterioris ad causatum prius, vel causæ vnius ad aliam causam, vel mensurati ad mensuram.

Omne terminans prius est dependente ab eo.

Et cùm dicitur, quòd solæ formæ, hoc est, quiditates, se habent sicut numeri, quo ad hoc, quòd in eis solùm attenditur ordo essentialis, non igitur in entitate hypostatica. Potest distingui de dependentia essentiali; quia quædam est simpliciter essentialis, quæ est ratione essentiæ in vtroque extremo, vbi scilicet fundamentum ratione essentiæ dependet, & terminus ratione essentiæ terminat; & isto modo est dependentia essentialis creaturæ vt causati ad Deum vt ad causam. Alio modo potest dici essentialis tantùm ex parte fundamenti, cui scilicet essentia est ratio dependendi: sed nihil ratione essentiæ terminat, sed ratione entitatis distinctæ ab essentia, puta hypostaticè.

Dependentia causati ad causam, est essentialis, ratione vtriusque extremi.

Et cùm additur [x], quòd terminans dependentiam, oportet esse perfectum, licèt hîc possit distingui, quòd perfectio, sicut & entitas æquiuocè conuenit entitati quiditatiuè, & hypostaticè: tamen propriè perfectio non videtur conuenire nisi entitati quiditatiuè, quia entitas hypostatica non est secundùm quam aliquid formaliter perficitur, sed secundùm quam recipit perfectionem, vel saltem determinatur ad perfectionem receptam.

In termino non requiritur perfectio.

Et secundùm hoc, neganda esset illa propositio, oportet quòd terminans dependentiam sit perfectum: sufficit enim quod sibi repugnet imperfectio, qualis conuenit dependenti.

Et per hoc patet ad illud, quod dicitur contra minorem: quia perfectionem non extendendo, sed propriè accipiendo, neganda est ista propositio, quòd si aliquid sit ratio repugnantiæ respectu cuiuscunque imperfectionis, ipsum est perfectum, vel perfectio simpliciter. Quicquid enim potest realiter esse idem simpliciter perfecto, ipsum non potest esse aliquo modo imperfectum, & tamen non oportet quòd quodcunque tale secundùm rationem suam formalem, sit simpliciter perfectum.

Idem simpliciter perfecto, non potest esse imperfectum.

COMMENTARIUS.

7. m AD *ista*, &c. Hîc Doctor respondet ad instantias factas contra maiorem, & primò ad primam, quæ est de substantia, & accidente, præmittendo multa, quæ valent ad solutionem ad illas instantias. Dicit ergo primò, quòd *dependentia potest dupliciter accipi. Vno modo formaliter*, scilicet pro ratione formali ipsius dependentiæ, quæ est formaliter relatio. *Alio modo materialiter* pro natura dependente, quæ formaliter denominatur tali dependentia, quæ est relatio. Primo modo dicit Doctor *distinctio dependentiæ formaliter accepta requirit in termino rationem formalem terminandi aliam & aliam, vel eandem quasi illimitatam, virtualiter scilicet vel eminenter continentem tales rationes formales distinctas*, id est, quòd si sunt duæ dependentiæ specie distinctæ, necessariò sunt ad terminos specie distinctos, id est, quòd ratio formalis terminandi vnam necessariò distinguitur specie à ratione formali terminandi aliam; patet de duabus dependentiis specie distinctis causati ad causam, quæ terminantur ad causas species distinctas, siue ad eandem causam secundùm aliam, & aliam rationem terminandi specie distinctam, vel si tales dependentiæ specie distinctæ habent eundem terminum secundùm eandem rationem formalem terminandi talis ratio formalis, etsi non sit specie distincta, virtualiter tamen, siue eminenter continet rationes formales specie distinctas, quæ immediatè possunt correspondere illis dependentiis specie distinctis in ratione formali terminandi. Exemplum: Dependentia, qua calor depēdet ab igne in ratione causati, & qua vermis dependet à Sole, specie distinguitur, & vna terminatur ad Solem, & alia ad ignē, ita quòd Sol terminat dependentiam vermis causati ab ipso secundùm aliam rationem formalem speciē distinctam ab illa, secundùm quam ignis

Dependentia potest dupliciter accipi.

Exemplum.

ignis terminat dependentiam caloris ab eo causati. Si verò calor & vermis essent immediatè causata à Deo, si illæ dependentiæ distinguuntur specie, Deus immediatè terminaret dependentiam illarum secundùm aliam, & aliam rationem specie distinctam, non in eo formaliter contentam, sed tantùm virtualiter, quia virtualiter continet caliditatem Solis respectu vermis; & causalitatem ignis respectu caloris.

8. n Sed loquendo de distinctione secundo modo, scilicet dependentiæ materialiter sumptæ, quæ distinctio est secundùm naturas dependentes, dicit quòd talis *distinctio non requirit distinctionem, nisi eorum, quæ dependent.* patet, quia natura hominis, & natura asini distinguuntur specie, & non dicuntur distingui per aliqua extrinseca, sicut dependentiæ primo modo acceptæ. Et addit, quòd istæ naturæ dependentes ab inuicem distinctæ, puta vel specie, vel genere, *quandoque sunt eiusdem ordinis, quando scilicet immediatè, vel æquè mediatè dependent ad idem; quandoque sunt alterius ordinis, quando scilicet vnum dependet mediatè, & aliud immediatè.* Exemplum primi, quando sunt eiusdem ordinis immediati, vt substantiæ etiam genere distinctæ, dependent in ratione causati ad Deum causantem; & non tantùm substantiæ, sed etiam omnia accidentia realia absoluta, quæ omnia dicuntur dependere dependentia eiusdem ordinis immediati, scilicet causati ad causam. Idem patet de omnibus accidentibus, quæ dependent ad subiectum dependentia eiusdem ordinis immediati, quia subiectum immediatè terminat dependentiam accidentis sibi inhærentis. *Exemplum.*

Comparando tamen dependentiam accidentis ad substantiam, ad quam vltimatè dependet, & comparando dependentiam substantiæ ad Deum, vtraque dependentia dicitur dependentia ordinis immediati, licèt vna sit causati ad causam, qualis est substantiæ ad Deum; alia est inhærentis ad subiectum cui inhæret, qualis est accidentis ad subiectum cui inhæret. Si verò vtraque comparetur ad Deum, scilicet substantiæ causatæ à Deo, & accidentis ad subiectum, prima dependentia dicitur dependentia eiusdem ordinis immediati, & secunda est eiusdem ordinis mediati, quæ scilicet est accidentis ad subiectum. Licèt enim dependentia accidentis ad subiectum, vt præcisè comparatur ad subiectum cui inhæret, sit dependentia eiusdem ordinis immediati, tamen vt comparatur ad Deum, dicitur dependentia eiusdem ordinis tantùm mediati; non enim Deus immediatè terminat dependentiam accidentis in ratione subiecti, terminat tamen mediatè, quia ex quo causat substantiam, quæ immediatè dependet ad Deum, & substantia in ratione subiecti immediatè terminat dependentiam accidentis, ideò dicimus quòd accidens dependet ad Deum dependentia ordinis tantùm mediati, & hoc est quod dicit.

9. o *Licèt igitur ista propositio sit falsa*, &c.

In hac litera sunt quatuor propositiones, duæ falsæ, & duæ veræ; prima falsa est ista, quòd *Independens tali dependentia*, puta causati ad causam, vel accidentis ad subiectum, *potest qualemcunque dependentiam terminare.* Patet instantia, quia lapis est independens dependentia accidentis ad subiectum, & tamen non potest determinare dependentiam cuiuscunque accidentis, quia non accidentis spiritualis. Similiter Angelus est independens dependentia causati ad causam respectu omnium inferiorum, & tamen non potest terminare dependentiam cuiuscunque causati inferioris, vt patet, quia tunc esset causa cuiuscunque inferioris, quod est falsum. Secunda falsa est ista: *Independens tali dependentia potest talem dependentiam cuiuscunque dependentis terminare*: patet per instantias immediatè prædictas. Tertia propositio vera est ista, quòd *Independens tali dependentia potest alicuius dependentis talem dependentiam terminare, vel priorem, & hoc vel immediatè, vel saltem mediatè.* Hæc patet, nam lapis est independens dependentia accidentis ad subiectum, & licèt non possit terminare dependentiam cuiuscunque accidentis, quia non spiritualis, potest tamen terminare dependentiam alicuius corporalis, puta alicuius coloris, vel quantitatis. Similiter Deus est independens independentia accidentis ad subiectum, & licèt non possit terminare dependentiam alicuius accidentis, nec corporalis, nec spiritualis, quia non potest esse subiectum accidentis, potest tamen terminare mediatè dependentiam accidentis: patet, quia terminat dependentiam substantiæ vt causatæ ad causam, quæ substantia potest immediatè terminare dependentiam accidentis, quæ dependentia causati ad causam est prior dependentia accidentis ad subiectum. Potest etiam terminare dependentiam priorem dependentia accidentis ad subiectum, sicut patet de dependentia, quæ est secundùm ordinem essentialem quiditatiuum, quæ est quodammmò mensurati ad mensuram, & illa est prior dependentia, quæ est effectus ad causam; licèt ergo Angelus non terminet immediatè dependentiam lapidis, vt causati, quia non causatur ab eo, terminat tamen mediatè, quia terminat dependentiam lapidis, vt quiditatiuè mensurati, & hoc immediatè, & per consequens terminat mediatè dependentiam lapidis causati, licèt non ab eo causati, ac per consequens etiam dicitur terminare dependentiam accidentis immediatè dependentis ad lapidem, & hoc est quod dicit, scilicet, vel terminat dependentiam priorem dependentia accidentis ad subiectum, & hoc mediatè, vel immediatè; nam dependentia causati ad causam est prior dependentia accidentis ad subiectum, & terminans immediatè talem terminat *Nota.* immediatè priorem, & dependentia quiditatiua mensurati ad mensuram est prior dependentia causati ad causam; & terminans immediatè talem dicitur etiam terminare dependentiam prioris dependentia accidentis ad subiectum, & hoc mediatè, quia immediatè terminans dependentiam mensurati ad mensuram terminat mediatè dependentiam illius causati ad causam vndecunque causetur.

Quarta propositio, & probabilior est ista, *Simpliciter independens potest cuiuscunque dependentis, vel saltem alicuius dependentis dependentiam terminare.* Hæc propositio habet duas partes, 10. prima non videtur vera, scilicet, quòd simpliciter independens possit terminare dependentiam cuiuscunque dependentis, siue priorem, & hoc mediatè, vel immediatè: patet, quia proprietas diuina personalis est simpliciter independens, quia nullo modo dependens, & tamen non potest terminare dependentiam alicuius accidentis ad subiectum, nec dependentiam causati ad causam, nec dependentiam mensurati quiditatiuè ad mensuram, quia tale terminans dicit formaliter perfe-

 ctionem

ctionem; sed proprietas personalis diuina nullam perfectionem formaliter dicit, nec imperfectionem. Secunda tamen pars illius propositionis disiunctiuè est vera de omni independenti simpliciter, quod potest alicuius dependentiæ terminare dependentiam, & sic proprietas personalis diuina, quæ est simpliciter independens, potest saltem terminare dependentiam naturæ communicabilis ad suppositum diuinum, siue esse rationem formalem terminandi talem dependentiam, quia sic terminans non requirit aliquam perfectionem formaliter, vt patet *in tertio*, *d.*1. Sed sufficit, quòd tale terminans sit simpliciter incommunicabile, & sic patet veritas propositionis pro secunda parte, contra quam non videtur posse afferri aliqua instantia, quia non videtur posse inueniri aliquod simpliciter independens, quin possit terminare aliquam dependentiam.

Et quod addit, quòd *veritas duarum propositionum vltimarum esset nota, si esset notum quod quæcunque entitas quacunque alia, vel est per se prior, vel posterior,* patet quia ex hoc, quòd *A* est per se, siue essentialiter prius, *B* statim sequitur quòd eo modo quo *A* est per se prius *B*, puta vel in ratione causæ, vel in ratione mensuræ quiditatiuæ, vel in ratione subiecti, vel in ratione suppositi potest terminare talem dependentiam talis posterioris essentialiter; quia ergo independens, siue dependentia tali secundùm tertiam propositionem, siue simpliciter independens est essentialiter, siue sit per se prius aliquo ente in aliqua per se ratione prioritatis manifestæ, sequitur quòd possit terminare dependentiam alicuius. Et quòd talis per se prioritas, & per se posterioritas sit in entibus, patet ex connexione entium, & vnitate eorum in vniuerso, quæ vnitas est ordo, scilicet prioris, & posterioris; nam illa entitas non videtur habere vnitatem, siue connexionem cum aliis, quæ non habet ordinem cum aliis, nec per se prioris nec posterioris

11. Ex his declaratis patet responsio ad instantias supradictas. Cùm ergo primò arguitur: Si independens potest terminare dependentiam, igitur independens tali dependentia, potest terminare talem dependentiam.

p Respondet Doctor primò negando consequentiam, quia antecedens potest esse verum consequente existente falso; nam hoc consequens si est falsum, hoc erit propter aliquid annexum, suæ dependentiæ; puta quia talis independentia est limitata, & per consequens tale independens erit limitatum, & ideò potest habere aliquam imperfectionem annexam, propter quam tale independens non potest terminare talem dependentiam; licèt enim lapis respectu sapientiæ sit independens dependentia accidentis ad subiectum, tamen non potest terminare dependentiam sapientiæ, & hoc mediatè, vel immediatè, quia est independens limitatum. Sed hæc ratio non tenet de independenti simpliciter, quia in tali nulla est perfectio; & ideò benè stat, quòd independens simpliciter potest terminare saltem aliquam dependentiam, vt suprà patuit de proprietate personali diuina, de qua minùs videtur, quia etsi nullam imperfectionem includit, tamen non dicit aliquam perfectionem formaliter.

Proprietas personalis nullam dicit perfectionem.

Secundò dicit illam consequentiam deficere. Si enim sic argueretur: Independens simpliciter, & omnino terminans omnem dependentiam cuiuscunque dependentis, ergo potest terminare talem, & talem dependentiam; talis consequentia valeret, sed tale antecedens non fuit sic acceptum, sed solummodò fuit acceptum, quòd independens omnino posset aliquam dependentiam terminare: præcisè enim dicit in illa ratione, qua probauit non repugnare Verbo posse assumere naturam. Dicit enim sic: Independenti non repugnat terminare dependentiam, & si habeat propriam independentiam non repugnat sibi esse terminum propriæ dependentiæ, &c.

Nota etiam quando arguitur sic in illa consequentia; independens simpliciter, & omnino potest terminare omnem dependentiam, ergo dependens tale potest terminare talem dependentiam: ly *dependens tale*, non debet accipi pro quocunque independente tali, quia sic consequẽs est falsum, stante tali antecedente vero: patet de lapide respectu sapientiæ. Sed debet accipi in consequente pro eodem imdependenti simpliciter, & omnimodè, ipsum restringendo ad talem independentiam, vt sit sensus; ergo independens simpliciter, & omnino acceptum, tamen secundùm talem independentiam, potest terminare talem dependentiam, quia si potest omnem terminare, sequitur quòd etiam talem possit terminare.

r Tertiò dicit, quòd consequens illius primæ consequentiæ posset concedi secundùm intellectum priùs positum, scilicet, quòd *independens tali dependentia alicuius taliter dependentis, vel priori dependentia, dependentis potest terminare dependentiam,* vt supra patuit. Tenendo ergo consequentiam valere, & consequens esse verum secundùm sensum vltimo loco datum, singillatim respondet ad instantias. Et primò ad instantiam de lapide, & dicit quod substantia lapidis potest saltem terminare dependentiam illius accidentis, quod est natum sibi conuenire, & tunc debet inferri sic; independens potest terminare dependentiam aliquam; sed independens dependentia accidentis ad subiectum potest terminare dependentiam alicuius accidentis, scilicet sibi conuenientis, & non repugnantis. Et si aliqua natura non est susceptiua accidentis, sicut natura diuina, illa tamen potest terminare aliquam dependentiam priorem, vt suprà patuit. 12.

Angelus est simplex.

s Et per idem dico ad instantiam de toto, & partibus, quia simplex, qualis est Angelus, saltem potest terminare dependentiam priorem, quàm sit illa, quæ est totius ad partes, quia saltem potest terminare dependentiam, puta ignis, vt mensurati quiditatiuè ad mensuram quiditatiuè. Siue illam qualis est inter minùs nobile essentialiter ad magis nobile essentialiter.

Ad aliam instantiam de causato ad causam, patet, quia licèt Angelus non possit terminare dependentiam, puta lapidis causati ab eo, & hoc immediatè, potest tamen illa mediatè terminare, patet, quia potest terminare aliam priorem, scilicet illam, quæ est secundùm ordinem essentialem quiditatum.

t Ad quartam instantiam de proprietate diuina personali, dicit quòd *tale independens simpliciter potest terminare aliquam dependentiam,* puta illam quæ est naturæ communicabilis ad suppositum omnino incommunicabile, aliter non videtur habere connexionem cum aliis entibus, qualis in proposito, scilicet loquendo de proprietate Diuina non potest esse nisi prioris 13.

per

per se ad posterius; *sed non oportet quòd possit terminare qualemcunque dependentiam, quia non illam, quæ requirit in termino perfectionem simpliciter, qualis est dependentia causati ad causam.* Independens enim omnino, & terminans dependentiam causati ad causam, siue mensurati quiditatiuè ad mensuram quiditatiuam, est perfectum simpliciter, & perfectum simpliciter est necessariò, & omnino independens, quia omnis dependentia necessariò includit imperfectionem, & non tantùm perfectum simpliciter est omnino independens, sed etiam illud, quod nullam perfectionem dicit formaliter. Si tamen sibi repugnet omnis imperfectio, est omnino independens, quia omnino independens, etsi non includat aliquam perfectionem, necessariò tamen excludit omnem imperfectionem: & si tale esset aliquo modo dependens, tunc non excluderet necessariò omnem imperfectionem, & tale independens est proprietas personalis diuina.

u *Per hoc excluditur responsio ad maiorem.* Quæ responsio exponebat illam maiorem, scilicet *omne independens potest terminare dependentiam.* Siue sic, *independenti non repugnat terminare dependentiam*, &c.

Cùm dicitur, quòd ad hoc, vt dependens terminet requiritur quòd sit prius essentialiter: dicit Doctor quòd prioritas essentialis est duplex: quædam est ratione essentiæ, qualis est causæ ad causatum, & mensuræ ad mensuratum: & hæc prioritas est propriè essentialis, quia respicit essentias. Alia est prioritas essentialis extendendo prioritatem essentialem ad prioritatem per se, & hoc respectu cuiuscunque entitatis, siue quiditatiuè, siue hypostaticè, & hoc modo proprietas personalis in diuinis potest dici prior essentialiter, vel magis propriè per se prior, quocunque causato, non quòd entitas personalis diuina possit terminare dependentiam causati, siue esse ratio terminandi, vt suprà patuit. Sed dicitur per se prior, quia entitas omnino independens est per se prior omni entitati dependenti, qualis est entitas causati.

14 Nota. Et isto secundo modo accipiendo prioritatem, necesse est vt omne terminans dependentiam sit prius eo, quod dependet, non autem primo modo accipiendo prioritatem, id est, quòd non est necesse quòd omne terminans dependentiam sit prius dependente prioritate primo modo accepta, nisi tantùm quando est dependentia causati ad causam, vel aliqua similis dependentia, puta causati posterioris ad causatum prius; sicut Sol terminat dependentiam vermis causati ab eo; quia Sol est prius causatus verme, vel quòd talis dependentia sit vnius causæ ad aliam causam, sicut est in causis essentialiter ordinatis, vbi secunda dependet à prima in causando, & sic prima terminat dependentiam talem, vel quòd sit depndentia mensurati ad mensuram, scilicet mensurati quiditatiuè, siue mensurati secundùm perfectionem ad mensuram perfectionalem, & sic terminans dependentiam aliquo istorum modorum necessariò includit perfectionem.

Dependentia essentialis potest multipliciter accipi. Et cùm dicitur, quòd tantùm inter essentias est ordo essentialis: dicit Doctor quòd dependentia essentialis potest dupliciter accipi. Vno modo est simpliciter essentialis, quæ requirit vtrunque extremum dicere essentiam; sicut est dependentia creaturæ, vt causatæ, ad Deum, vt causam. Alio modo dependentia dicitur essentialis tantùm ratione fundamenti pro quanto fundatur in essentia. Sed non dicitur essentialis ratione termini, qualis est in proposito, scilicet dependentiæ naturæ ad suppositum.

x *Et cùm additur* in illa responsione ad maiorem, *quòd terminans dependentiam oportet esse perfectum.* Hìc dat duas responsiones, scilicet quòd perfectio dicitur æquiuocè, sicut & entitas: nam entitas videtur conuenire æquiuocè entitati quiditatiuè, & hypostaticè, ita dicitur quædam perfectio quiditatiua, & quædam hypostatica. *Tamen propriè loquendo, perfectio tantùm entitati quiditatiuè conuenit, & non hypostaticè, quia talis entitas non est, secundùm quam aliquid formaliter perficitur: sed secundùm quam aliquid respicit perfectionem, vel saltem determinatur ad perfectionem receptam.*

Vult dicere, quòd entitas personalis non est 15
perfectio, qua aliquid perficitur, sed est entitas determinatiua suppositi ad perfectionem: nam suppositum diuinum per proprietatem dicitur habere talem perfectionem, puta Deitatem, quia ex quo proprietas est actus non perficiens Deitatem, sed actus tantùm personalis per quem constituitur aliquid in *esse* personali, per hoc dicitur determinare suppositum ad perfectionem naturæ, quam habet, & de hoc vide prolixiùs Doctorè *in primo, d.5.q.2.& d.26.* & quæ ibi exposui.

Nota tamen, quòd quando dicit Doctor quòd *entitas conuenit æquiuocè entitati, quiditatiuè & hypostaticè*, hoc enim non videtur verū. Tū, quia cóceptus entis est conceptus vniuocus cōmunis, cuicunque enti etiam vltimis differentiis, vt patet à Doctore *in primo, d.3.q.3.* Tum etiam, quia ab vltimis constitutiuis personarum diuinarum est conceptus communis dictus in *quid* de eis, vt patet à Doctore *in primo, d. 26.* & vide quæ exposui *super d.23.& 25.primi*, ergo multò fortiùs conceptus entis erit vniuocus entitati quiditatiuè, & hypostaticè.

Quid sit prædicatū vniuocum, & vniuocè prædicari. Respondeo, quòd Doctor fortè intelligit quòd entitas realis, vt entitas, accipiendo entitatem pro aliqua realitate, non conuenit vniuocè entitati quiditatiuè, & hypostaticè. Dico secundò, quòd aliud est prædicari vniuocè, & aliud est esse prædicatum vniuocum, vt patet à Doctore *in primo, d.3.q.3.& in tertio, d.7.* Nam prædicari vniuocè dicit conceptum communem quiditatiuè inclusum in illis de quibus prædicatur; prædicatum verò vniuocum dicit benè conceptum communem, sed non quiditatiuè inclusum. Et hoc modo potest dici prædicari æquiuocè, quia recedit à vera prædicatione vniuocè dicta. Sed quia videtur quòd conceptus entis includatur quiditatiuè in vltimis constitutiuis diuinarum personarum, quia si ab illis (vt dixi) potest abstrahi aliquis conceptus communis in *quid* de eis, multò fortiùs potest abstrahi conceptus entis dictus in *quid*: ideò dico quòd debet sic intelligi, quòd entitas realis pro vera re, cui verè conuenit perfectio tantùm conuenit æquiuocè entitati reali quiditatiuè, & hypostaticè.

SCHO

SCHOLIVM.

Probat secundò, non repugnare Verbo hanc dependentiam terminare: quia datur dependentia naturæ in creatis ad suppositum, cui communicatur; ergo dandus est status ad aliquod incommunicabile, vt terminans talem dependentiam: verbi gratia, accidēs terminatur sic ad suppositum creatum, cui inhæret, vt supposito extrinseco: ergo à fortiori, suppositum diuinum potest dependentiam naturæ humanæ extrinsecè terminare. Quod hic ait naturam substantialem esse idem suo supposito, non vult duplicem negationem in qua rationem suppositi ponit 1. dist. 2. q. 7. n. 38. & 3. d. 1. q. 1. à num. 5. realiter identificari naturæ; vult ergo naturam singularem fundantem illam negationem, constitutam per hæcceitatem, esse eandem naturæ absolutæ absolutè sumptæ; de quo 2. d. 3. q. 1. & 6. obiicit dupliciter, & soluit per optimam & claram doctrinam, de quo alius 3. d. 1. q. 1.

Natura substātialis eadem supposito, accidentalis, non.

De secundo [a] potest propositum sic declarari: aliqua est in entibus dependentia naturæ communicabilis, inquantùm communicabile, ad suppositum, cui communicaretur: ergo in illa dependentia status est ad incommunicabile, vt terminans talem dependentiam. Antecedens declaratur, quia aliqua natura habet proprium per se suppositū, sicut est natura substantialis, & ibi est identitas realis naturæ, & suppositi, nec est dependentia naturæ ad aliquid extrinsecum, vt eius suppositum: & aliqua natura propter eius imperfectionem suppositum per se habere non potest, & per consequens non potest sic intrinsecè terminari: sed requirit suppositum extrinsecum: sicut natura accidentis requirit suppositum substantiæ, ad quod vltimatè eius dependentia terminatur tanquam ad suum suppositum, & hoc per accidens: quia suppositum per se habere non potest: tali autem supposito per accidens non est natura per se idem: quia natura, & tale suppositum sunt alterius generis: sed est ibi aliqua vnio supplens, vt possibile est, vicem identitatis; illa est actualis dependentia naturæ: & ex parte suppositi actualis sustentatio naturæ, vel terminatio dependentiæ eius: sic quod illā naturam dependere ad illud suppositum est ipsam communicari ipsi tanquā suo supposito, sicut potest habere suppositum, quia non potest per se habere suppositum, sicut substantia; sed tantùm per accidens. Consequentia principalis patet: quia cùm suppositum sit per se aliquid incommunicabile, dependentia naturæ vt communicabilis ad suppositum erit per se ad incommunicabile; & ita cùm persona diuina sit verissimè incommunicabilis; imò sit sola per aliquod positiuum incommunicabilis, vt dicetur in tertio articulo, non repugnabit sibi ex parte sui terminare dependentiam naturæ, vt communicabilis, tanquam suppositum eius, non per se, vel intrinsecum: sed tantùm extrinsecum, & alterius naturæ. 11.

Accidens habet suppositum per accidens.

Sola persona diuina incommunicabilis.

Diceretur, [b] quòd nulla natura potest dependere ad ipsum, vt ad suppositum extrinsecum: quia non potest informari per accidens aliqua natura, sicut suppositum substantiæ informatur accidente, & pro tanto est suppositum per accidens naturæ accidentis. 12.

De hoc 3. d. 11. q. 1. & 1. d. 2. q. 7. n. 38.

Prætereà, quòd dependentia accidentis est per se ad singularem substantiam: non autem ad suppositum, vt suppositum, scilicet quantùm ad illud, quod suppositum addit vltra rationem singularis: quia illud non videtur esse nisi negatio; negatio autem non est ratio terminandi aliquam dependentiam.

Confirmatur, quia natura singularis assumpta à Verbo eodem modo terminat dependentiam accidentis, sicut terminaret, si non esset assumpta, sed assumpta non habet rationem propriam suppositi; igitur quando non est assumpta ratio suppositi, non est ratio per se terminandi. Nec potest dici, quòd quando est assumpta dependentia accidentis, quod sibi inhæret, terminatur ad personam assumentem: quia dependentia accidentis est inhærere; accidens autem naturæ assumptæ non inhæret personæ assumenti.

Ad primum dici potest, quòd sufficit hoc habere, quòd non sit repugnantia à parte incommunicabilis, quòd sit terminus alicuius dependentiæ: an autem aliqua natura alia ab illa, quæ est propria ipsius incommunicabilis, possit dependere ad ipsum incommunicabile: de hoc in sequenti articulo. Quod autem tangitur, quòd incommunicabile terminans dependentiam naturæ extrinsecæ oportet esse informabile à tali natura, sicut substantia informatur accidente dependente ad ipsam.

Respondeo, quando accidens inest substantiæ, sunt ibi duæ habitudines: vna formæ 13.

formæ ad informabile:& illius extremum est substantia, vt receptiua talis formæ:& vt potentialis, salte potentialitatē secundùm *quid*. Alia est habitudo accidentis, vt dependentis ad substantiam, vt ad quam dependet, & illius extremum est substantia, vt essentialiter prior accidente naturaliter posteriori. Prima habitudo non potest esse alicuius naturæ ad Verbum, quia illa requireret imperfectionem in Verbo, quia aliquam potentialitatem. Secunda potest esse, quia illa non requirit in Verbo, nisi per se prioritatem, quæ non repugnat sibi respectu cuiuscunque naturæ creatæ. Hic patet illud dictum: *Deus est, respectu cuius omnis substantia creata est quasi accidens*: quia etsi habitudinem accidentis ad substantiam, quæ est formæ secundùm *quid* ad informabile, non possit substantia creata habere respectu Dei: tamen habitudinem naturæ communicabilis extrinsecè, & posterioris, potest habere respectu personæ diuinæ, qualem habitudinem habet etiam natura accidentis respectu suppositi substantiæ.

Duplex habitudo accidentis ad substantiam.

Ad secundum potest dici [c] quòd substantia singularis est incommunicabilis prout *incommunicabile* opponitur vniuersali, quod est communicabile pluribus; sed non prout *incommunicabile* excludit omnem communicabilitatem tam communis, quàm formæ, & hoc, tam formæ partialis, quæ dicitur communicari materiæ informatæ, quàm formæ totalis, puta quiditatis, vel naturæ, quæ dicitur communicari supposito participanti: sic, inquam *incommunicabile* non conuenit omni singulari: sed solùm illi, quod non est alicui forma altero duorum modorum: & tale est illud, quod est vltimatum habens formam, vel ens per formam, ita quod nihil habet ipsum tanquam formam siue principium *quo* essendi: & tale est suppositum: licet igitur accidentis dependentia terminetur aliqualiter ad substantiam singularem: tamen non est vltima terminatio, nisi ad singularem, vt incommunicabile; quia dependentia, quæ est in communicabili, non videtur habere statum nisi ad communicabile: quia si est dependentia ad singularem communicabilem, cùm illa sit ratio essendi ei, cui communicatur, non est dependentia adhuc terminata vltimatè, nisi ad illud, cui communicabile communicatur.

Substantia est incommunicabilis vt vniuersale, sed cõmunicabilis vt forma.

Dependentia accidētis vltimatè est suppositum.

14 Nec tamen intelligo [d] quòd communicabile terminans dependeat ad incommunicabile, & propter hoc communicabile non vltimatè terminat, sed illud ad quod ipsum dependet: quia non est verum substantiam singularem communicabilem dependere ad suppositum substantiæ, sed est ibi vera identitas singularis communicabilis, & suppositi, sed pro quanto quòd dependet ad singulare communicabile vltimatè dependet ad incommunicabile, quia communicabile est alicui incommunicabili ratio essendi, & quod dependet ad illud, quod est alicui ratio essendi, dependet vlteriùs ad illud cui ipsum est ratio essendi: incommunicabile autem non sic est ratio essendi alicui: & ideò quod dependet ad ipsum non oportet vlteriùs dependere ad aliquid quasi habens *esse* per ipsum. Non igitur vltimatè terminatur dependentia accidentis, vt communicabilis, nisi ad suppositum substantiæ, vt incommunicabiliter subsistens, & sustentans ipsum, & est ista ad aliquid extra totum genus dependentiæ talis quæ est incommunicari quia est ad incommunicabile.

Et cùm arguitur [e] quòd ratio suppositi vltra substantiam singularem non addit nisi negationem.

Respondeo si hoc verum sit, tamen illa negatio priùs conuenit substantiæ singulari, quàm terminare dependentiam accidentis, nec est inconueniens aliquam negationem imperfectionis priùs conuenire alicui, quàm aliquod posteriùs dependere ad ipsum, sicut priùs conuenit homini non esse irrationale, quàm esse album, quia negatio illa statim sequitur affirmationem, quæ includitur in ratione hominis, etiamsi nunquam tale accidens competeret, vel competere posset homini.

Prius est homo non irrationalis quā albus.

Et cùm dicitur, [f] negatio non est ratio terminandi.

Respondeo, vltimatè terminare duo dicit, scilicet terminare, & sic terminare: quòd nihil vlteriùs terminet. Ratio igitur terminandi est aliquod positiuum, sed ratio istius, quòd terminatio sit vltimata, est illa negatio: quia, scilicet terminans non est communicabile. Si enim esset communicabile, tunc adhuc vlteriùs terminaret dependentiam illud, cui ipsum communicaretur. Exemplum. Si accidens dependeret ad aliud accidens: sicut secundùm aliquos color ad superficiem: eius dependentiam non vltimatè terminaretur ad superficiem: sed ad illud, cui superficies est forma: & esto, quòd non dependeret ad illud, cuius est forma, sed tantummodò

Vltimatè terminare duo dicit.

Ad cōfirm. patet ex dicit. modò esset sibi ratio essendi, adhuc vltimata dependentia esset ad illud, cui superficies est forma.

Ad confirmationem posset dici, quòd accidens naturæ assumptæ, &c.

COMMENTARIVS.

16. a DE *secundo, potest propositum sic declarari.* Hîc Doctor adducit aliam rationem, qua probat quòd non repugnat Verbo diuino posse terminare dependentiam naturæ humanæ in vnitate personæ. Et arguit sic: *Aliqua est in entibus dependentia naturæ communicabilis.* Antecedens patet de quacunque natura communicabili supposito, siue per se, siue per accidens: nam substantia quæcunque loquendo de substantia per se, nata est habere proprium suppositum, & sic, ita quòd inter naturam, & suppositum proprium est realis identitas, & per consequens talis natura non dicitur per se dependere ad proprium suppositum, quia dependentia realis semper est inter distincta realiter. *Nota.* Nota tamen quòd accipiendo suppositum propriæ naturæ in creaturis pro vltima ratione, & completiua suppositi quæ dicit tantum negationem, vt patet à Doctore *in primo, d. 2. par. 2. q. 1. & in tertio, d. 1. q. 1. & in præsenti q.* talis negatio non potest realiter identificari naturæ. Debet ergo sic intelligi, quòd suppositum proprium naturæ, id est, quòd natura perfectè singularis, ad quam immediatè concomitatur negatio ad communicari alteri supposito, in eodem instanti, quo actu est singularis, alteri supposito non communicatur, est idem realiter naturæ absolutæ, ita quòd natura humana, si actu non est communicata alteri supposito, dicitur completè, & vltimatè suppositum propter negationem dependentiæ actualis ad aliud suppositum, quæ immediatè concomitatur: & hæc, scilicet natura humana ratione talis hæcceitatis, ad quam nata est concomitari talis negatio, realiter identificatur naturæ humanæ, vt est probatum à Doctore *in secundo, d 3. q. 1. & 6.* & vide quæ ibi exposui. De hoc etiam vide quæ exposui super tertio, *d. 1. q. 1.* talis ergo natura communicabilis proprio supposito non dependet realiter ad illud propter realem identitatem. Sed si talis natura nata habere proprium suppositum communicatur supposito alterius naturæ, siue extrinseco, realiter dependet ab illo: sicut communicabile realiter dependet ad illud, cui communicatur: patet, quia ex quo tale communicabile non intelligitur per se stare, sed alteri communicari, statim sequitur quòd verè dependet ad illud, cui communicatur, quia scilicet communicatur supposito extrinseco: & hæc est probatio consequentiæ. quæ dependet ex illo antecedente, ex hoc, quia si natura non nata habere proprium suppositum, id est, non nata habere aliquod singulare eiusdem naturæ ad quod immediatè concomitatur negatio ad communicari alteri, quia actu per se existit: sicut natura accidentis, quæ nullo modo nata est habere proprium suppositum, quia tamen nata est habere per accidens suppositum substantiæ, quia realiter communicatur illi, sequitur quòd dependet ad illud, sicut communicabile ad aliquod incommunicabile; ergo natura communicabilis nata per se habere proprium suppositum, si actu communicetur supposito extrinseco non minùs realiter dependet ad illud, & si tale suppositum extrinsecum terminat in ratione suppositi dependentiam naturæ communicabilis, vt communicabilis, multò fortiùs suppositum diuinum poterit terminare dependentiam naturæ humanæ communicabilis. Patet, quia solum suppositum diuinum necessariò est incommunicabile, quia est suppositum per aliquam entitatem positiuam, quæ necessariò sibi inest per quam est necessariò incommunicabile, vt patebit in tertio articulo, & etiam patet *in tertio, d. 1. q. 1.* & vide quæ ibi exposui. Sed suppositum creatū dicitur vltimatè suppositum per aliquam negationem, scilicet per negationem actualis dependentiæ, quæ sibi non inest necessariò, vt exposui super tertio, *d. prima, q. prima,* & ideò suppositum creatum non est necessariò incommunicabile. Cùm ergo suppositum creatum per diuinam potentiam possit terminare dependentiam alterius naturæ in ratione suppositi, nam natura lapidis posset verè suppositari in aliquo supposito, puta naturæ humanæ, vt patet à Doctore *in tertio, d. 1.* multò fortiùs suppositum naturæ diuinæ poterit in ratione suppositi terminare dependentiam naturæ communicabilis, puta naturæ humanæ; & sic patet ista secunda ratio.

b *Diceretur.* Hîc Doctor instat contra istam secundam rationem, duabus rationibus, & vna confirmatione. 11.

Duplex habitudo accidentis ad subiectum. Ad primum respondet quòd accidentis ad subiectum est duplex habitudo. Vna vt formæ ad informabile, & sic dicit imperfectionem in subiecto, quia potentiam receptiuam. Alia est habitudo, quæ est dependentiæ accidentis ad subiectum, & talis habitudo tantùm præexigit prioritatem essentialem in subiecto, & hoc non est imperfectionis in subiecto. Hoc secundo modo natura humana dependet ad Verbum, & quantùm ad hoc est bene similitudo naturæ ad Verbum, sicut accidentis ad subiectum, & hoc clariùs patuit in tertio, *d. 1. q. 1.*

c Ad secundum Doctor primò præmittit, quid sit substantia, quæ dicitur suppositum: talis enim est simpliciter incommunicabilis & vt *quo,* & vt *quod.* Sicut prolixiùs exposui *super d. 2 par. secunda q. prima, primi,* siue talis substantia, vt suppositum dicit negationem duplicis dependentiæ ad aliud suppositum, scilicet actualis, & aptitudinalis, vt clarè expositum est *in tertio d. prima q. 1.*

Deinde Doctor dicit quòd licèt dependentia accidentis aliqualiter terminetur ad substantiam singularem, quæ est communicabilis, tamen non terminatur vltimatè, nisi ad singularem substantiam incommunicabilem, quia dependentia quæ est in communicabili, siue qua dependens communicatur alteri, non videtur habere statum, nisi ad incommunicabile. Id est, quòd talis dependentia non vltimatè terminatur nisi ad incommunicabile, *quia si est dependentia ad singularem substantiam communicabilem, cùm illa sit ratio essendi ei, cui communicatur nō est dependentia*

adhuc

adhuc terminata ad vltimatè, nisi ad illud cui communicabile communicatur. Vult dicere, quòd ex quo singularis substantia suo modo intelligitur communicari proprio supposito, (patet, quia est ratio essendi illi, quia totum *esse* positiuum suppositi creati est à substantia singularis, vt suprà patuit,) sequitur quòd non poterit vltimatè terminare dependentiam accidentis, cùm sit etiam communicabilis, & quasi dependens ad suppositum proprium, licèt non propriè dependens, vt suprà dixi:cùm ergo suppositum sit simpliciter independens ad aliud, siue simpliciter incommunicabile, solùm illud vltimatè terminabit:dependentiam accidentis.

18. d *Nec tamen intelligo,quòd communicabile terminans dependeat ad incommunicabile.*

Nota plura in ista litera. Primò in hoc quòd dicit quòd substantiæ singularis, & suppositi est vera identitas realis,*suppositum* non debet intelligi pro illa negatione actuali ad aliud suppositum, quia illa potest non inesse, & patet de facto in natura humana singulari suppositata in Verbo,quæ actu dependet ad illud, & per consequens non est ibi negatio actualis ad aliud suppositum,& sic non est identitas realis. Debet ergo sic intelligi, quòd substantiæ singularis, & suppositi, est vera identitas pro quanto negatio illa non dicit aliquam realitatem positiuam distinctam à substantia singulari. Vel pro tanto dicitur vera identitas, quia singularis substantia non suppositata actu in alio supposito necessariò est in se suppositata,vt patuit in tertio,d.1.

Nota secundò, quòd ratio suppositi vltimata non est aliquo modo ratio essendi alicui, cùm sit pura negatio, & posito etiam quòd diceret entitatem positiuam, adhuc non est ratio essendi simpliciter,sed tantùm ratio essendi tale,scilicet, essendi suppositum,quia suppositum habet vltimatè esse positiuum suppositabile per talem entitatem positiuam, sicut etiam suppositum vltimatè constitutum per negationem habet esse suppositabile negatiuum per negationem additam.

Nota tertiò,quòd terminans dependentiã alicuius,si tale terminans est communicabile,& dicitur communicari alicui, cui est ratio essendi simpliciter, non vltimatè terminat dependentiam,sed illud cui communicatur, & per consequens substantia singularis quamuis terminet dependentiam accidentis,non tamen vltimatè terminat, quia communicatur suo modo proprio supposito,cui est ratio essendi: quia tale suppositum non habet aliquod *esse* simpliciter positiuũ, nisi substantiam singularem quam includit,ideò à se suppositum vltimatè terminat dependentiam accidentis. Si etiam substantia singularis posset dependere ad suppositum, talis substantia non vltimatè terminaret,quia ad aliud dependeret,& hoc esset vna ratio, quia non vltimatè terminaret. Est alia ratio supradicta, quia posito quòd nullo modo dependeat ad suppositum,quia tamen communicatur, illi non vltimatè terminat,sed tantùm illud cui communicatur.

Nota etiam quòd dependentia vltimata terminatur ad illud extra totum genus accidentis, quia tantùm terminatur ad suppositum substantiæ,& sic patet ista litera.

e *Et cùm arguitur,quòd ratio suppositi, vltra substantiam singularem non addit nisi negationem*: modò negatio non terminat dependentiam accidentis. 19.

Respondet Doctor dicens,*si hoc verum sit*, id est, posito quòd ratio vltimata suppositi sit negatio (hîc dubitatiuè loquitur,licèt expresè teneat hoc in tertio dist.prima quæst.prima,& iudicio meo posset etiam sustineri quòd esset entitas positiua,de qua vide quæ exposui super tertio dist.prima quæst. prima,)quia tamen talis negatio immediatius inest substantiæ singulari, quàm dependentia accidentis terminetur ad substantiam singularem, ideò dependentia accidentis vltimatè terminatur ad substantiam singularem actu incommunicabilem per talem negationem, & ideò suppositum substantiæ vltimatè terminat dependentiam accidentis.Et quod dicit de negatione imperfectionis,hoc dicit propter affirmationem oppositam.

f *Et cùm dicitur, negatio non est ratio terminandi* dependentiam accidentis.Respondet,quòd vltimatè terminare dicit duo, scilicet terminare absolutè,& terminare sic,quòd nihil vlteriùs terminat: ratio ergo terminandi absolutè est aliquod positiuum, quia scilicet substantia singularis,sed ratio terminandi sic,scilicet,vt terminatio sit vltimata,est illa negatio.

g *Ad confirmationẽ illam*,&c.Hîc Doctor aliter non respondet ad confirmationem,tamen responsio, patet ex supradictis, quia accidens duo dicit respectu subiecti, scilicet habitudinem formæ ad subiectum informabile, & talis habitudo dicit inhærentiam accidentis ad subiectum. Alia est habitudo accidentis, vt dependentis ad substantiam. Secundo modo Verbum, vt suppositum naturæ humanæ,terminat dependentiam accidentis, sed non primo modo, quia non informatur aliquo accidente. *Accidens duo dicit.*

S C H O L I V M.

Adducit duas rationes D.Thom. pro conclusione huius art. Prima,quia personalitas diuina continet eminenter omnem perfectionem suppositi creati. Secunda,quia qualibet natura creata est in potentia obedientiali ad personam diuinam. Has reiicit Doctor, quia personalitas diuina continet eminenter personas creatas ratione essentiæ, quæ communis est tribus; & potentia obedientialis non respicit personalitatem, sed omnipotentiam, quæ etiam est communis tribus.De quo latiùs agit 3.d.1.q.1.n.4. Obiicit primò contra conclus. quia essentia, quæ idem est omnino in re proprietati,non terminat;ergo nec proprietas. Respondet argumentum vrgere negantes distinctionem formalem à parte rei inter essentiam,& proprietates: & idem docet 3.d.1.q.1.n.17. Obiicit secundo, quia ad relatiuum tantùm dependet correlatiuum: Respondet naturam assumptam dependere ad Verbum,vt ad subsistens incommunicabile, non sub ratione relatiui.

Var.l.3.q.1. D.Tho. in 3.sen.d.1. q.9.

Tertio [h] secundùm aliquos declaratur propositum sic. Persona diuina eminenter continet perfectionem omnis suppositi causati: igitur potest supplere vicem cuiuscunque in sustentando illam naturam, quam posset tale suppositum sustentare. 15.

Præterea. Quælibet natura creata est in potentia obedientiali respectu personæ diuinæ: igitur persona diuina potest sustentare quamcunque.

Personalitas diuina non continet virtualiter omnē entitatem creatam.

Prima ratio videtur deficere: quia etsi persona diuina ratione essentiæ contineat virtualiter quamcunque entitatem creatam: tamen non videtur virtualiter continere ratione proprietatis personalis aliquam entitatem creatam, quia pari ratione contineret quamlibet, & ita proprietas personalis esset formaliter infinita: cuius oppositum ostensum est in quæstione de hoc mota.

Quæst.5.

Præterea. Si proprietas personalis contineret virtualiter omnes entitates creatas, videtur, quod posset esse ratio formalis creandi creaturas, cuius oppositum dictum est in quadam alia quæstione.

Quæst.8. Potentia obedientialis respicit omnipotentiam.

Secunda etiam ratio videtur deficere, quia potentia obedientialis creaturæ respicit omnipotentiam creatoris, & illa est communis: igitur illa sustentatio, per quam Filius per omnipotentiam sustentat naturam istam est communis tribus: illa autem sustentatio, quæ est personæ vnitæ, est propria Filio: non igitur per hoc, quod est naturam esse in potentia obedientiali personæ concluditur ipsam posse naturam sustentare hypostaticè, vel suppositiuè, sed tantùm posse sustentare causaliter, scilicet effectiuè.

Contra conclusionem istius [i] articuli arguitur primò: quia vnio realis habet terminum realem; quæ igitur sunt simpliciter idem in re, sunt idem in terminando talem vnionem, proprietas & essentia sunt simpliciter idem in re: igitur sicut vnum terminat, sic & reliquum terminabit. 16.

Item, ad relatiuum vt relatiuum non dependet aliud à suo correlatiuo; igitur ad Verbum, vt Verbum, non dependet natura humana, quia solus Pater est correlatiuum.

Formalis distinctio necessaria, vt personalitas terminet, & nō essentia.

Ad primum dicendum, quod formalis distinctio relationis ab essentia sufficit ad hoc, quod proprietas posset dici formalis terminus vnionis realis, & non essentia: tamen ratio videtur efficax contra ponentes identitatem realem, & formalem essentiæ, & proprietatis constituentis personam.

Natura humana depēdet ad Verbum vt ad subsistēs incommunicabile.

Ad secundum dici potest vno modo negando antecedens: nam aliud est dependere ad relatiuum, vt correlatiuum, & dependere ad ipsum Verbum relatiuum Nam licèt natura humana assumpta à Verbo diuino dependeat ad ipsum tanquam ad Verbum, non tamen dependet ad ipsum tanquam correlatiuum. Aliter potest dici, quod natura assumpta dependet ad Verbum, sed non propriè vt ad relatiuum, sed vt ad incommunicabile subsistens, & sic neganda est consequentia.

COMMENTARIVS.

20. h *Tertiò secundùm aliquos declaratur propositum.* Hîc Doctor recitat duas rationes pro ista positione, scilicet, quòd non repugnet Verbo terminare dependentiam naturæ humanæ, quarum prima est Varronis *l.3.d.3.q.1.* quia scilicet persona diuina eminenter continet perfectionem omnis suppositi causati, &c. secunda est Thomæ *lib.3.script. d.1. q 9.* quia scilicet quælibet natura creata est in potentia obedientiali respectu personæ diuinæ: ergo, &c. Sed quia istæ rationes cum suis improbationibus patent in litera, & multò clariùs prolixiùs *l.2 d.1.q.1.* & vide quæ ibi clarè exposui, ideò hîc aliter nō expono.

i *Contra conclusionem istius articuli.* Hîc Doctor arguit, probando quòd Verbum non possit terminare dependentiam naturæ humanæ, quia tunc sequeretur quòd essentia diuina immediatè terminaret, quia proprietas Verbi, & essentia diuina sunt simpliciter idem: ergo si vnum terminat, & reliquum.

Respondet, quòd distinguuntur formaliter, vt est probatum *in primo, d.2. parte 2. q.1.* licèt ibi non dicat assertiuè, quòd distinguuntur formaliter, sed quòd sunt non idem formaliter, tamen rationes illæ ita videntur concludere de distinctione formali, sicut de non identitate formali, vt patet intuenti: hanc tamen distinctionem formalem expresè asserit in eodē primo, *d.8.q.pen.* respondendo ad quoddam argumentum. Sed in proposito talis distinctio formalis proprietatis, & essentiæ sufficit ad hoc vt vnum sit formaliter ratio terminandi talem dependentiam & nō aliud. Realiter tamen loquendo, proprietas non est realiter ratio terminandi quin & essentia, cùm sint penitus eadem res realiter, sed non eadem res formaliter: & quomodo in eadem realiter possint esse plures formalitates vide Doctorem *in primo, d.8 q.pen.* & quæ ibi notaui.

In vno indiuiduo possunt esse plures formalitates.

Et addit Doctor, quòd hæc ratio videtur efficax contra ponentes identitatem realem, & formalē essentiæ, & proprietatis, sed quòd tātùm ratione distinguantur, quia vnio realis est ad terminum realē. Tamen tenendo etiā quòd tantùm ratione distinguantur posset responderi ad rationē per fallaciam amphibologiæ, vt dicit Doctor *in 3.d.1.q.1.* & quomodo hoc, vide quæ ibi exposui.

Secundò

21. Secundò arguitur contra conclusionem, quia ad relatiuum, vt relatiuum, non dependet aliud à suo correlatiuo; igitur ad Verbum, vt Verbum, non dependet natura humana. Patet, quia solus Pater in diuinis est correlatiuum Verbi.

Respondet Doctor primò, negando antecedens, quia aliud est dependere ad relatiuum, vt correlatiuum, & aliud est dependere ad ipsum relatiuum, non vt correlatiuum, quia benè primo modo solus Pater est correlatiuum Filij, & si hoc modo natura humana dependeret ad Verbum vt correlatiuum, ipsa natura huma... esset Verbi correlatiuum: sed benè secundo modo, quia vt sic, dependet ad Verbum, quod est relatiuum, sed tantùm correlatiuum respectu Patris. Secundò respondet quòd natura assumpta dependet ad Verbum, sed non propriè vt ad relatiuum, sed vt ad incommunicabile subsistens, & sic neganda est consequentia, scilicet, igitur ad Verbum vt Verbum, non dependet natura humana, quia non intelligitur dependere ad Verbum, vt correlatiuum, siue vt est relatiuum; sed dependet ad Verbum vt est præcisè suppositum, siue incommunicabile subsistens.

SCHOLIVM.

Adducuntur tres rationes, & vna confirmatio suadentes personam creatam constitui per positiuum: Pro altera parte adducit Damasc. & duas rationes. Prima, omnis natura creata est in potentia obedientiali ad dependendum à persona diuina: ergo non personatur per positiuum, vel illud erit iterum personabile. Secunda, si dimitteretur natura assumpta, careret illo positiuo, vel oporteret aliquid sibi dari de nouo, quod repugnat, quia non esset accidens, nec materia, nec forma, nec substantia composita. Has rationes adducit 3. d.1. q.1. art.3. & alias duas; vna quòd modo natura assumpta careret entitate humana, quam alij homines habent. Altera, quòd natura intellectualis posset actu existere, & non esse personata. Tenet ergo personam creatam tantùm addere negationes naturæ: de quo latius 3. dist.1. num.10. & 11. & d.5. q.2. n.4. Sequuntur Occam 3. d.1. q.1. Bassol. q.1. art.1. Mayr. q.11. Henr. quodl.5. q.8. & omnes Scotistæ, Explicat optimè, & clarè tres negationes communicabilitatis, quarum duæ, scilicet actualis, & aptitudinalis dependentiæ constituunt personam creatam. De quo 3. d.1. q.1. n.10.

17. De tertio [k] articulo certũ est iuxta Damascenum.57. quòd Verbũ assumpsit naturam in atomo, hoc est, singularem, & tamen non habentem personalitatem propriam: quia illa non posset stare cum assumptione in vnitate personæ Verbi. Si autem propria singularitas naturæ personalis esset formaliter propria personalitas eius, non posset illa esse sine ista. Lib.3.c.2. al.60.

Propter quod oportet videre, quo formaliter & completiuè natura creata sit personata in se ipsa, vt ex hoc pateat, si potest ipsa carere propria personalitate, & personari, etiam personalitate extrinseca.

Est autem dubium, an personalitas propria sit formaliter per aliquid positiuum: & videtur quòd sic, quia negatio non est primò incommunicabilis: negatio enim quantùm est de se, posset cuicunque competere: tantummodò igitur est incommunicabilis propter incommunicabilitatem positiui, ad quod ipsa consequitur, & ita primum incommunicabile est positiuum: proprietas personalis est primò incommunicabilis, quia est ratio formalis constituendi incommunicabile, scilicet personam.

Præterea. Negatio non est primò propria alicui enti, sed tantùm propter hoc, quod sequitur aliquam affirmationem propriam; proprietas autem personalis est primò propria illi, cuius est: igitur, &c.

Præterea. Quod excludit imperfectionem, ipsum est perfectum, vel saltem aliquod positiuum; nunc autem dependere ad personam extrinsecam est imperfectionis: igitur personalitas propria, quæ excludit formaliter illam dependentiam, est aliquid positiuum.

Confirmatur: propter hoc enim ponitur, quòd singularitas naturæ est per aliquid positiuum, quia excludit imperfectionem, quæ est diuidi: vnde singulare dicitur indiuiduum, hoc est, in plura indiuisibile: à simili in proposito, personari in se excludit dependere ad personam extrinsecam.

18. Sed contrà. Damasc.c.55. *Nihil enim eorum, quæ plantauit in nostra natura Deus, Verbum à principio plasmans nos defecit: sed omnia assumpsit: totus enim toti vnitus est mihi, vt totum toti tribuat: quod est inassumptibile est incurabile:* Vult dicere igitur, quòd quæcunque entitas positiua in nostra natura est vnita Verbo. Lib.3. c.6.

Et quòd hoc sit possibile de quacunque, probatur ratione: quia quæcunque natura est simpliciter in potentia obedientiali ad dependendum ad personam diuinã: si ergo esset

Si persona esset positiuum non esset in obedentia ad personã diuinam, vel vna natura bis personaretur.

esset aliqua entitas positiua, quia natura esset in se personata, illa entitas esset assumpta à Verbo: & tunc natura in Christo esset personata simul duplici personalitate quod est impossibile: quia si creata; igitur per illam est formaliter incommunicabilis alteri personæ, & per consequens personæ Verbi non communicatur, & ita in ipso non personatur.

Præterea. Si aliqua entitate positiua natura esset formaliter persona creata: igitur Verbum non posset deponere naturam assumptam, nisi vel illa maneret non personata: quod videtur inconueniens, vel oporteret quòd daretur sibi de nouo aliqua alia entitas, quæ etiam haberet personalitatem creatam; sed hoc est impossibile: Illa enim non posset esse entitas accidentalis: quia accidens non est ratio formalis personandi substantiam: nec posset esse aliqua entitas substantialis: quia nec materia, nec forma, nec substantia composita, quia quæcunque talis, si daretur, non maneret natura eadem, quæ priùs: quia haberet aliam materiam, vel formam, vel entitatem substantiæ compositæ.

Persona creata non est quid positiuum, 5. d. 1. q. 1. a. 3.

Potest igitur dici, quòd nostra natura est personata personalitate creata, non aliquo positiuo tanquam ratione formali: quia vltra singularitatem non inuenitur aliqua entitas positiua, qua singulare completiuè sit incommunicabile: sed tantùm singularitati superadditur negatio communicabilitatis; siue dependentiæ, quæ est incommunicari. 19.

Triplex negatio communicabilitatis exponitur.

Potest autem intelligi triplex negatio communicabilitatis, siue dependentiæ. Sicut enim possumus intelligere dependentiam actualem, potentialem, & aptitudinalem: sic possumus intelligere negationem actus dependendi, & negationem possibilitatis dependendi, & negationem aptitudinis ad dependendum.

Prima negatio est nuda, siue sola.

Secunda est cum repugnantia ad actum.

Tertia est cum inclinatione opposita, siue aptitudine contraria. Exemplum: primo modo superficies, si esset sine colore omnino, esset non alba: quia haberet solam negationem albedinis. Secundo modo Angelus est non albus, quia sibi repugnat albedo. Tertio modo lapis † est non sursum, quia in lapide est negatio aptitudinis ad sursitatem, cum inclinatione ad non † sursitatem sicut ad suum oppositum.

Al. habet negationem eius quod est esse sursum. Al. sursumitatem.

Ad propositum, loquendo de dependentia ad hypostasim extrinsecam, & specialiter diuinam, de qua modò loquimur; sola negatio actualis dependentiæ non sufficit ad hoc, quod aliquid dicatur in se personatum, vel persona: quia anima Petri habet talem negationem, & tamen non est persona.

Secunda negatio non inuenitur in natura creata personali, quia nulli potest omnino repugnare dependere ad personam diuinam: imò quæcunque entitas positiua in tali natura est in potentia obedientiali ad dependendum ad ipsam, & per consequens illa negatio non constituit personam creatam.

Negatio aptitudinalis dependentia non facit personam.

Tertia etiam negatio non sufficit: quia illam habet natura assumpta: ipsa enim, cùm sit eiusdem rationis cum mea natura habet aptitudinem eiusdem rationis, & ita habet aptitudinem ad subsistendum in se, & non habet aptitudinem ad dependendum ad personam extrinsecam, nec est inconueniens possibilitatem esse sine aptitudine: quia ad formas supernaturales; & si sit potentia aliqua in susceptiuo, non tamen propriè aptitudo: quia illa non est propriè nisi ad formam naturaliter perfectiuam: ad personalitatem igitur propriam siue creatam, oportet concurrere duas negationes, primam & tertiam, ita quòd tertia est quasi habitualis necessariò conueniens naturæ, cui conuenit, siue sit personata in se, siue in persona aliena; sed alia negatio, scilicet actualis dependentiæ, superueniens isti negationi complet personalitatem propriam.

Dua negationes faciunt personam.

COMMEN

COMMENTARIVS.

22\. k *DE tertio articulo principali*, qui erat de possibili ex parte naturæ asſumptæ. Et in isto articulo quærit primò Doctor an persona creata vltra naturam singularem dicat aliquam entitatem positiuam, an tantùm negationem; & arguit primò tribus rationibus, & vna confirmatione, quòd personalitas propria dicit formaliter aliquod positiuum. Deinde arguit, probando quòd nòn dicat positiuum duabus rationibus. Et deinde respondendo declarat quomodo persona dicit negationem duplicis dependentiæ, scilicet actualis, & aptitudinalis, quæ omnia non tantùm sunt clara hîc in litera, sed specialiter notaui, & exposui super distinct. 1. quæst. 1. tertij. Et vide ibi multas difficultates, & multa notabilia.

S C H O L I V M.

Ad argumenta suadentia personam creatam constitui per positiuum, adducta n.17. Ad primum, explicat pulcherrimè, communicari vel dependere simpliciter tantùm repugnare personæ ratione positiui, cui id primò repugnat, & sic repugnat solummodò personæ diuinæ; & quia dependere naturæ creatæ repugnat, non simpliciter, sed secundùm quid, *quatenus est, scilicet sub negatione; talis entitas positiua incommunicabilis non requiritur. Per hæc patet ad secundum, quia ostensum est negationem dependentiæ simpliciter non competere naturæ creatæ personatæ, sic non repugnat ei simpliciter communicabilitas, sed sicut inhærere repugnat accidenti separato, manente scilicet separatione, non simpliciter. Ad tertium, non respondet: sed responderi potest, sufficere vt id, quod excludit imperfectionem, dicat perfectionem fundamentaliter, quod conuenit personæ creatæ. Ad confirmationem etiam non respondet hîc, sed 3.d.1.q.1.n.17. & 2.d.3. q.2. indiuidualitatem esse positiuam, quia ratione eius simpliciter repugnat diuidi. Quod variis exemplis explicat, 2.d.3.q.2.n.2. at non repugnat simpliciter naturæ personatæ assumi, vt sæpiùs dictum est, & ideò non est paritas.*

20\. AD illa igitur, [1] quæ probant quòd personalitas propria est formaliter per aliquid positiuum, ad omnia simul est vna responsio, quòd nulli simpliciter repugnat esse communicabile nec tanquam communicabile dependere, nisi sibi sit simpliciter proprium aliquod positiuum, quod sit ratio repugnantiæ communicabilitatis, & dependentiæ: tamen communicari, & dependere potest secundum *quid* repugnare alicui per solam negationem; quia dum negatio illa inest, affirmatio non potest inesse. Sed non propter hoc est simpliciter impossibile affirmationem inesse, nisi illud, cui talis negatio inest, esset necessaria ratio, quòd talis negatio consequeretur, & tunc negatio esset simpliciter propria, aliàs non esset nisi secundùm *quid* propria: simili enim modo propria est alicui negatio, sicut ipsi repugnat opposita affirmatio: sola persona diuina habet incommunicabilitatem primo modo: quia entitatem aliquam intrinsecam simpliciter propriam, per quam sibi repugnat posse communicari: natura autem creata, licèt in se subsistat: non tamen aliquid habet intrinsecum, per quod impossibile sit eandem dependere, & ideò sola persona diuina habet propriam personalitatem completam: natura verò creata personata in se, non habet: quia non habet repugnantiam ad posse dependere: sed tantùm ad actu dependere, & hoc secundùm *quid*, scilicet dum sibi inest negatio dependentiæ actualis.

Dependere simpliciter non repugnat nisi per positiuũ secundùm quid *sic.*

Natura personata, tantùm habet repugnantiam ad communicari quoniam est sub negatione.

Ad formam igitur personæ rationis dico, quòd incommunicabile simpliciter, quod scilicet importat repugnantiam ad posse dependere, non conuenit primò negationi siue alicui ratione negationis: nec talis incommunicabilitas est in creatura etiam in se personata, sed tantùm incommunicabilitas secundùm *quid*, scilicet repugnantia ad communicari, & hoc stante illa negatione dependentiæ actualis; ista autem incommunicabilitas secundùm *quid* non requirit entitatem positiuam simpliciter incommunicabilem, sed tantùm entitatem positiuam receptiuam negationis dependentiæ actualis: sed incommunicabilitas simpliciter, si alicui negationi conueniat, hoc non est, nisi quia illa consequitur entitatem positiuam simpliciter incommunicabilem.

Per idem ad aliam maiorem de dependentia, concedo quod si alicui repugnat posse dependere, hoc est propter aliquam perfectionem, vel rationem positiuam: sed illa repugnantia non est in creatura: sed sola negatio dependentiæ actualis.

Exemplum: accidenti separato non simpliciter repugnat inhærere, vel posse inhærere

Accidenti separato repugnat inhærere secundùm quid. inhærere;sed secundùm quid dici posset ei repugnare inhærere, pro quanto, quod stante illa separatione non potest simul stare cum hoc,quòd inhæreret.

Consimiliter ad illud de proprio, dico quòd incommunicabilitas simpliciter est simpliciter propria illi,cui conuenit sic incommunicabilitas:incommunicabilitas autem secundùm *quid* non est ei propria:sed tantùm quòd soli illi conuenit.

COMMENTARIVS.

23. 1 AD omnes rationes, quæ probant quòd persona dicat entitatem positiuam,quia negatio non est propria alicui, nisi per aliquod positiuum proprium.Dicit Doctor quòd negatio ad dependere ad aliud suppositum potest inesse alicui simpliciter & necessariò,& talis nunquam inest nisi per aliquod positiuum, per quod affirmatio opposita negationi repugnat; sicut dicimus quòd negatio lapidis necessariò inest Deo per aliquod positiuum, cui repugnat affirmatio. Sic similiter negatio dependentiæ actualis ad aliud suppositum necessariò conuenit personæ diuinæ,& hoc per aliquod positiuum,cui simpliciter repugnat affirmatio opposita negationi;dependere enim ad aliud suppositum simpliciter,& necessariò repugnat personæ diuinæ,& non nisi per aliquam entitatem positiuam in persona diuina,quæ est proprietas personalis, & ideò negatio dependentiæ ad aliud suppositum simpliciter & necessariò conuenit personæ diuinæ; & ideò talis negatio non est propria personæ diuinæ,nisi per aliquod positiuũ,sed quãdo negatio non inest necessariò,& tunc est,quando affirmatio opposita non repugnat simpliciter & necessariò, talis negatio nõ requirit aliquod positiuum proprium, propter quod insit,Patet, nam negatio albedinis ad lapidem non inest necessariò, quia affirmatio opposita non repugnat simpliciter necessariò ipsi lapidi, quia tunc lapis non posset esse albus, talis negatio potest dici propria non simpliciter, sed tantùm secundùm *quid*, quia quando lapis actu non est albus, tunc negatio albedinis actú inest sibi,& tunc quando inest actu,pro illo tunc potest dici propria. Sic dico ad propositum, quòd negatio dependentiæ actualis personæ creatæ ad aliud suppositum non inest necessariò: patet, quia affirmatio opposita, scilicet actualis dependentia ad aliud suppositum,non necessariò repugnat; patet, quia natura humana singularis actu dependet ad suppositum diuinum;quia ergo talis negatio dependentiæ actualis non necessariò inest,ideò non est propria simpliciter,sed tantùm secundùm *quid*,quia quando actu inest,actu non dependet ad aliud suppositum. De hoc etiam vide quæ notaui super primo *d.3.q.prima, & super tertio,d.1.quæst.1.*

Nota.

SCHOLIVM.

Tres rationes satis fortes,si fides non obstaret, contra possibilitatem Incarnationis ex parte naturæ assumptæ.

Al. de 3. igitur art. DE Secundo[m] igitur in tertio articulo principali quòd naturæ humanæ repugnat dependere ad personam alienam vt sustentantem ipsam:Primò,quia est natura substantialis;secundò,quia non potest habere aliquid intrinsecum,quod sit sibi ratio taliter dependendi;tertiò,quia intrinsecè, siue identicè habet rationem non dependendi tali dependentia. 21.

Et primò sic arguitur:natura substantialis nõ est nata dare supposito nisi esse simpliciter,& per consequens non præsupponit esse simpliciter;natura autem dependẽs ad suppositum alienum præsupponit in eo esse simpliciter, quia esse naturæ propriæ, quæ priùs conuenit sibi,quam ista natura dependens ad ipsum. Antecedens probatur, natura substantialis est entitas simpliciter, sicut accidentalis est entitas secundùm *quid*,& qualis est aliqua entitas formaliter, tale esse tribuit: sicut igitur natura accidentalis tribuit tantùm esse secundùm quid,& ideò præsupponit ens simpliciter, ita natura substantialis dat esse simpliciter.& ideò non præsupponit tale esse.

Ex secundo arguit sic: Omne dependens habet intrinsecè aliquid, quod est sibi ratio dependendi,natura humana non habet, nec habere potest aliquid tale intrinsecè,quòd sit sibi ratio dependendi tali dependẽtia;igitur,&c.Maior patet inductiuè independentia causati ad causam,in quocunque genere causæ: & probatur ratione: quia nisi in isto sit aliqua ratio dependendi, quæ non est in illo, non magis istud dependet, quàm illud: natura autem mea non dependet à Verbo tali dependentia: igitur nec illa assumpta magis dependet, nisi habeat aliquam rationem dependentiæ sibi intrinsecam.Probatio maioris,non dependens non fit dependens,nec è conuerso, nisi sit aliqua mutatio: mutatio autem non habet pro per se termino, nisi aliquam formam absolutam:si igitur natura sit de nouo dependens, aduenit sibi aliqua forma absoluta,quæ sit ratio dependendi, & talem etiam amittit, vt terminus *à quo* mutationis fiat de dependente non dependens. Probatio minoris:tum quia natura

tura illa posset deponi nullo absoluto corrupto in ea: si autem haberet aliquod absolutum, quod esset ratio dependendi sibi propria: oporteret illud corrumpi quando ipsa fieret non dependens: tum, quia naturæ eiusdem rationis competit similis ratio dependendi, & ad similem terminum, vel eundem terminum, quando non est nisi vnicum natum terminare talem dependentiam: natura autem Christi, & mea sunt eiusdem rationis, & meæ non competit aliquid, quod sit ratio taliter dependendi ad Verbum, quia tunc mea violenter subsisteret in propria persona.

Et tertiò arguitur sic: Propria personalitas, quæ potest competere huic naturæ humanæ, est realiter eadem sibi: igitur manente hac natura manet habens hanc personalitatem: sed personalitas propria est ratio repugnantiæ ad sic dependere: igitur, &c. Probatiò antecedentis, quia certum est quòd huic naturæ humanæ singulari potest competere propria personalitas: illa autem non potest esse aliud ab ipsa, nec ei accidens: quia accidens non est ratio personandi substantiam, nec potest esse substantia alia ab hac natura: quia nec substantia composita. Patet enim quòd vna substantia composita non est ratio formalis personalitatis alteri substantiæ compositæ: nec potest esse alia substantia sicut pars, quia non maneret eadem natura composita, nisi maneret eadem vtraque pars substantialis.

SCHOLIVM.

Pro resolutione & explicatione huius articuli describit dependentiam hypostaticam, quæ est dependentia naturæ vt communicabilis, ad alienam personam vt incommunicabiliter terminantem eius dependentiam. Pro quo notat aliquid dici communicabile tripliciter. Primò, vt aliquid idem ipsi, cui communicatur; sic vniuersale communicatur singularibus. Secundò, vt forma partialis subiecto, vel materiæ. Tertiò, vt forma totalis supposito, & hoc modo communicatur natura personæ alienæ. Nunc probat non repugnare talem dependentiam naturæ creatæ: primò, quia ostensum est art. 2. personam diuinam terminare posse aliquam dependentiam, & nullam potest præter istam. Secundò, accidens dependet à supposito extrinseco; ergo & substancia sic dependere potest. Tertiò, ex Philosopho. Quartò, accidens accipit aliqualiter modum substantiæ, quando separatur; ergo & substantia accipere potest aliqualiter modum accidentis, dependendo ad suppositum. Vide alias rationes ad hæc 3. d. 1. q. 1. art. 3 à num. 6.

2.2. POtest dici quòd non est ponenda inter aliqua esse formalis repugnantia, nisi vel in rationibus eorum propriis aliqua repugnantia includatur manifestè, vel necessaria ratione probetur includi, vel sequi; sed neutro modo est de natura humana, & dependentia ad personam alienam; igitur ponendum est, quòd talis dependentia non est simpliciter impossibilis, quando est ex parte fundamenti. Maior probatur, quia quodlibet ponendum est possibile esse, cuius non patet ratio impossibilitatis.

Consimiliter, quodlibet compossibile, vbi non apparet ratio incompossibilitatis. *Dependentia hypostatica describitur.* Prima pars minoris declaratur ex rationibus istorum, de quibus est sermo. Ratio autem naturæ humanæ magis patet: ratio autem illius dependentiæ, de qua loquimur potest circumloquendo, vel aliqualiter describendo, poni talis: *dependentia est naturæ, vt communicabilis ad personam propriam alterius naturæ, vt terminantem eius dependentiam.* Hæc ratio exponatur, primò, illud quod dicitur *ut communicabilis*: potest aliquid communicari alicui sic, quòd illud sit ipsum, quod communicatur: sicut vniuersale communicatur singulari. Alio modo sic, quòd illud cui communicatur, sit isto, tanquam formali principio essendi. Et dupliciter: vel vt forma partialis, quæ communicatur materiæ informatæ, & consequenter communicatur composito constituto per ipsam, vel vt forma totalis, sicut quiditas communicatur supposito, vt humanitas Socrati. In proposito intelligitur communicabile tertiò modo, scilicet quod sic communicatum sit forma totalis, quam habens dicatur secundùm eam esse formaliter tale: sed proprium suppositum naturæ dicitur hoc modo tale secundùm illam, non propter dependentiam; sed magis propter per se identitatem; sed ad suppositum non proprium potest esse per se identitas, sed illud quod potest ibi esse quasi supplens vicem identitatis est perfecta dependentia naturæ, & perfecta sustentatio ex parte suppositi, siue terminatio dependentiæ; tale autem suppositum, quia est per se suppositum alterius naturæ, & istius naturæ dependens, non est per se suppositum: & per se est prius eo, quod non est per se: sequitur quòd priùs habeat natu- *Tripliciter aliquid cõmunicatur alteri.* *2. & 8. Phys.*

 ram

ram propriam, quàm istam dependentem, quæ est sibi tanquam natura aduentitia, vel natura secunda.

Et quòd naturæ humanæ non repugnet talis dependentia, qualis dicta est, potest 25.
sic aliqualiter declarari, vt probatum est in secundo articulo: persona diuina potest esse proprius terminus alicuius dependentiæ; non autem dependentiæ, quæ est causati ad causam; nec breuiter cuiuscunque terminati ad aliquid ratione perfectionis formalis in ipso: sed tantùm illius, quæ est naturæ vt communicabilis ad incommunicabile sustentans ipsam; igitur talis dependentia est possibilis in aliqua natura: quia non potest esse possibilitas terminandi dependentiam nisi in aliquo sit possibilitas dependendi, sed hoc non magis repugnat naturæ humanæ, quàm alteri.

Vide de hoc n. 5. supra. Prætereà secundò, quia accidens dependet tali dependentia ad suppositum substantiæ, cui inhæret; nunc autem licèt ibi coniungatur dependere, & inhærere: tamen prior videtur esse ratio dependentiæ, quàm inhærentiæ; sicut in termino videtur esse prior ratio prioritatis essentialis, propter quam terminat dependentiam, quàm informabilis, vel susceptiui, secundùm quam terminat inhærentiam. Si igitur intelligatur alicui conuenire dependentia naturæ; vt communicabilis, & hoc sine inhærentia, non videtur contradictiò; sed talis est illa, quæ ponitur in proposito.

Tex. c. 19. Confirmatur, quia 2. *Phys* 5. *Metaph. quale* vno modo dicitur differentia substantiæ: igitu modus qualitatis non repugnat substantiæ.

Substantia accipit quodammodo, accidentis modum. Tertiò declaratur sic; accidens potest habere modum substantiæ, licèt non perfectè, scilicet quòd sibi repugnet dependere ad subiectum: tamen aliqualiter similem, scilicet in non dependendo actualiter: sicut apparet in accidente separato; pari ratione igitur videtur, quòd substantia potest habere modum accidentis, licèt non perfectè, scilicet dependendo, & inhærendo subiecto, tamen modum aliqualiter similem, scilicet in dependendo actualiter ad suppositum alienum.

SCHOLIVM.

Ad rationes contra conclus. num. 22. adductas. Ad primam, etsi substantia det esse *simpliciter, & primum supposito proprio, non dat sic in alieno. Ad secundam, natura creata habet rationem intrinsecam dependentiæ ad Verbum, non dependentia essentiali, sed aptitudinali, vt optimè explicat Doctor, quando autem assumpta est, vltrà habet rationem dependentiæ actualis, qua caret non assumpta. Alias rationes contra eandem conclusionem soluit 4. dist. 1. qu. 1. à num. 16.*

AD illa autem, quæ adducta sunt in contrarium. Ad primum, concedo quòd 24.
al. *dat* esse. natura substantialis † est ad *esse* substantiale: sed non oportet, quòd sit primum *esse* suppositi habentis *esse* per ipsam, nisi quando illud est eius per se suppositum: quando autem est eius suppositum non per se, sed alterius naturæ, tunc per illam alteram priùs habet *esse*.

Et cùm accipitur, illud quod dat *esse* simpliciter, non præsupponit *esse* simpliciter in eodem.

Respondeo, aliquod *esse* in se est *esse* simpliciter, & tamen supposito non proprio, non dat *esse* simpliciter omni modo. Ad secundum, aliquid potest esse ratio dependentiæ dupliciter. Vno modo, sic quòd ipsum necessariò consequatur, vel concomitetur dependentia actualis.

Ratio dependentiæ, alia essentialis, alia aptitudinalis: prima creaturæ ad Deũ: secunda causati ad causam secundam. Alio modo, quòd licèt ipsum necessariò concomitetur aptitudo ad dependendum: non tamen necessariò dependentia actualis, sed ipsum, quantùm est ex natura sua dependeret, & quando est actualis dependentia conuenit secundùm ipsum vt proximum fundamentum. Primo modò est dependentia creaturæ ad Deum: quia necessariò fundamentum dependentiæ est in actuali dependentia semper. Secundo modo est dependentia causati ad causam secundam, sine qua posset ipsum immediatè causari à prima, & ita posset ab illa secunda non dependere actualiter: licèt semper haberet aptitudinem ad dependendum. Maior igitur rationis vera est, intelligendo de ratione dependendi non præcisè primo modo: sed indifferenter primo modo, vel secundo: nihil plus concludit prima probatio maioris, inducendo de dependentiis causati ad causam.

Secunda verò probatio [n] probat, quòd dependens habet aliquam rationem depen- 25.
dendi, quam non habet non dependens; quod necessarium est, intelligendo per rationem

-tonem dependentiæ rationem formalem dependendi: quæ est ipsa dependentia: quia sine illa non posset aliquid dependere; sed intelligendo rationem fundamentalem dependentiæ, secundùm quàm inest dependentia, sicut secundùm albedinem similitudo, non oportet quòd illa ratio sit magis in dependente, quàm in illo, quod non dependet actu: est tamen æquè aptùm ad dependendum. Exemplum: accidens quando est in subiecto non magis habet talem rationem dependendi, quàm quando ipsum est separatum: quia ipsamet natura est isto modo proxima ratio dependendi: nec oportet ad hoc quòd actu dependeat, superaddi actu talem rationem dependendi. Sed sola ratio formalis, scilicet actualis dependentia. *Ratio dependentiæ fundamentalis non est magis in dependente quàm in nō dependente actū.*

Consimiliter hîc de natura assumpta, & non assumpta.

Tertia autem probatio videtur plus probare, scilicet quòd actu dependens habeat semper rationem dependendi fundamentalem, & hoc aliquam entitatem absolutam.

Ad illam igitur propositionem, cui illa probatio innititur, scilicet quod omnis mutatio habet pro per se termino formam absolutam. Respondetur per interemptionem, imò motus est secundùm *vbi*, & ad *vbi*; nec tamen *vbi* dicit aliquam formam absolutam. Qualiter autem non sit hoc contra Philosophum 5. *Phys.* vel 7. dictum est suprà, in quadam quæstione de corpore, & *vbi*, &c. *Modus non semper est ad vbi, supra q. 2. ar. 2. & 3. d. 1. q. 1. n. 15.*

Minor principalis ° rationis non est vera eo modo, quo maior est vera, scilicet intelligendo indifferenter de ratione formali dependendi, vel fundamentali, & hoc necessariò fundante actualiter, vel saltem aptitudinaliter; habet enim natura assumpta rationem formalem dependendi, scilicet ipsam dependentiam, & rationem fundamentalem: imò ipsa est proxima ratio fundamentalis dependentiæ, licèt non necessariò consequatur ipsam talis dependentia actu, sed aptitudine, nec plus probat prima probatio; quia si natura deponeretur, nullum absolutum in ea corrumperetur: & ita non habuit aliquod absolutum, quod esset necessaria ratio actu dependendi, sed absolutum fuit proximum susceptiuum dependentiæ, & sine illa manere potest, sicut sine respectu non necessariò consequente potest manere fundamentum absolutum. *q. 1. art. 3. Idē aliqualiter q. 1. 3.*

Ad aliam probationem dico, quòd licèt naturæ eiusdem rationis habeant aptitudinem similem ad dependendum: tamen non oportet, quòd si vna actu dependeat, quòd similiter & altera. Patet de accidente coniuncto, & separato: natura autem mea, etsi non actualiter dependeat ad Verbum dependentia prædicta, scilicet ad suppositum hypostaticè sustentans; tamen habet aptitudinem, sicut natura illa assumpta habet aptitudinem.

Ad argumentum principale dico, quòd licèt non omnis dependentia sufficiat ad verificandam prædicationem dependentis de illo, à quo dependet: tamen illa, quæ est naturæ, vt communicabilis ad suppositum, vt hypostaticè sustentans eam, sufficit ad verificandam prædicationem naturæ sic dependentis de supposito, ad quod dependet. Patet de accidente sic dependente ad suppositum substantiæ, de quo etiam prædicatur, & sicut prædicatio accidentis de subiecto licèt sit vera, non tamen est per se, sicut esset naturæ de proprio supposito, ita in proposito non est prædicatio per se naturæ humanæ de ipso Verbo. *Dependentia naturæ ad suppositum sufficit vt prædicetur de supposito.*

COMMENTARIVS.

e 4. In DE secundo igitur in tertio articulo principali. Hîc Doctor tribus viis arguit, probando quòd repugnet naturæ humanæ posse dependere ad personam extrinsecam, vt sustentantem ipsam. Et prima via sumitur ex hoc quòd est natura substantialis. Secunda ex hoc quòd non potest habere aliquid intrinsecum, quod sit sibi ratio taliter dependendi. Tertia ex hoc, quia intrinsecè siue identicè habet rationem non dependendi tali dependentia.

n. 21. Ex prima via arguit sic, * *natura substantialis non est nata dare supposito, nisi esse simpliciter*,

n. 24. Respondet * concedendo quòd natura substantialis dat *esse* substantiale, & est primum esse substantiale suppositi illius naturæ, sed quando communicatur supposito alterius naturæ, licèt dicat *esse* substantiale simpliciter, & *esse* simpliciter communicatum illi supposito, tamen non est *esse* primum illius suppositi, quia *esse* primum suppositi diuini, & intrinsecum est *esse* naturæ diuinæ; respectu ergo proprij suppositi naturæ substantialis non præsupponit aliquod *esse* simpliciter, sed tantùm respectu suppositi alterius naturæ.

Ex secunda via arguitur sic, * *omne dependens habet intrinsecè aliquid, quod est sibi ratio dependendi.* Patet ista inductiuè in dependentia causati ad causam in quocunque genere, nam causatum effectiuè habet in se aliquam entitatem, quæ est sibi ratio formalis dependendi ad causam. Patet etiam ratione, quia *nisi in isto sit aliqua ratio dependendi*, &c. n. 25.

Respon-

n. 24. Respondet * Doctor distinguendo de ratione dependentiæ, quia aliquid potest sic esse ratio dependentiæ, quòd ipso posito concomitatur necessariò dependentia actualis, & hoc modo entitas creaturæ est immediatum fundamentum dependentiæ actualis ad Deum, ita quòd ipsa posita in actuali existentia, necessariò concomitatur actualis dependentia ad Deum, quia ipsa creatura quantùm ad totum suum *esse* pro quocunque instanti à Deo dependet, quia pro quocunque instanti accipit totum suum *esse* à Deo, vt clarè patuit à Doctore *in secundo, dist.2.quast. 1. & in quodlib. quæst.*12. & ibi vide aliqua singularia, quæ ibi notaui. Posito etiam quòd lapis sit causatus à secunda causa, tamen tantùm dependet ab illa pro illo instanti, quo accipit *esse*, licèt principaliter à Deo dependeat, tamen pro toto tempore sequente illud primum instans immediatè dependet à Deo, vt patet à Doctore *in 2.dist.2. quæst.4.*

Secundò, aliquid potest esse ratio dependendi, ita quòd licèt ad ipsum positum concomitetur necessariò dependentia aptitudinalis, non tamen necessariò concomitatur dependentia actualis, & hoc modo est dependentia causati ad causam secundam, à qua actu dependet quando causatur, non tamen necessariò. Patet, quia posset immediatè causari à prima causa, & nullo modo à secunda, tamen ex quo illud causatum habet talem entitatem, cui non repugnat posse causari à causa secunda, ideò ipso posito, necessariò habet dependentiam aptitudinalem ad causam secundam. Ad propositum, maior primæ rationis est vera loquendo de dependentia, siue de ratione dependendi indifferenter, scilicet primo, vel secundo modo, puta quia est talis natura, ideò ad ipsam concomitatur necessariò dependentia actualis, vel aptitudinalis, quia etiam est talis natura potest sic, vel sic dependere, siue actu, siue aptitudine, siue necessariò, siue contingenter, & sic concedo quòd quia natura humana est talis entitas, ideò non repugnat sibi dependentia actualis ad suppositum diuinum.

n *Secunda probatio.* Dicit Doctor breuiter,
25. quòd quia natura de non dependente actu, sic dependens actu, hoc contingit propter aliquod nouum sibi pro illo nouo, quo actu dependet, siue quod est ratio dependendi, intelligatur ipsa dependentia formalis, quæ est vnio realis ad Verbum, hoc modo conceditur quòd talis vnio realis, siue dependentia, est entitas noua immediata, fundata in natura assumpta. Si autem intelligatur aliquid nouum absolutum aliud à natura assumpta, in qua immediatè fundatur talis dependentia, negatur hoc, & in tertio, *dist.*1. *quæst.* 1. improbatur subtiliter à Doctore, vide ibi. Et cùm probatur per hoc, quòd omnis mutatio habet pro per se termino formam absolutam. Respondet Doctor negando illam propositionem, & patet instantia, quia motus est ad *vbi*, vt ad terminum, vt patet *quinto Physic.* & tamen *vbi* non est forma absoluta. Et si dicatur quòd secundùm Philosophum *quinto Physi.tex.c.*10. ad relationem non est motus. Doctor remittit se ad ea, quæ dixit *in tertio, dist.* 1. *q.* 1. vbi glossat illam propositionem Philosophi, & ibi vide claram expositionem, quam ibi feci super literam Doctoris.

o *Minor principalis rationis.* Ista minor est ista; *natura humana non habet, nec habere potest aliquid tale intrinsecè, quod sit sibi ratio dependendi tali dependentia,* dicit quòd illa minor non est vera eo modo, quo maior est vera, &c. *Imò ipsa natura humana est proxima ratio formalis dependentiæ, licèt non necessariò consequatur ipsam naturam talis dependentia actualis, sed tantùm aptitudine,* accipiendo tamen aptitudinem non pro inclinatione naturali, quia vt sic tantummodo inclinatur ad proprium suppositum, vt patet in tertio, *dist.*1. *quæst.*1. sed prout aptitudo dicit non repugnantiam.

Loquitur de relatione quæ est respectus intrinsecus adueniens, non negat autē ad vbi esse motum localem, vide Auerroëm 8. Physi.com. 32.

Ad vltimam probationem secundæ viæ, dicit Doctor quòd licèt natura assumpta, & natura mea habeant similem aptitudinem ad dependendum, non tamen oportet quòd si vna actu dependeat ad suppositum diuinum, quòd similiter, & altera, vt patet de accidente actu coniuncto subiecto, & de separato, vt in Eucharistia.

QVÆSTIO XX.

Vtrùm Sacerdos obligatus ad dicendum missam pro vno, obligatus etiam ad dicendum missam pro alio sufficienter soluat debitum dicendo vnam missam pro ambobus?

D. Bonau. 4.*d.*45.2.*p.art.*2. *q.*3 Rich. *art.*2.*q.*3. Dur. *quæst.*3. Palud. *q.*2. Gerson. *Alphab.* 25. *lit.c.* Gabr. *in can.lect.*27. Soto *l.*10.*de Iust.q.*2. *art.*2. cum Scoto negant. Affirmant Caiet. *to.*1. *opusc. tract.*3.*q.*2.*&* 3.*p q.*79.*art.*5.*& quodl.*1.*q.*18. Syl.v. *Missa.*1. *q.*9. Canus 12. *de loc. c.*13. Alterum arg. Viguer. *c.*16. Ang. v. *Missa n.*52. Cord. *l.*1.*q.*3. Soto 4. *d.*13. *qu.*2. *art.*1. Vide Suar. 3.*p.tom.* 3. *d.*79. *sect.*12. Nauar. *c.*25. *n.*62.

Argum.  Rguitur, quòd non, quia qui tenetur ad maius bonum, non satisfacit soluendo minus bonum: sic est in proposito; quia duæ missæ sunt magis bonum, quàm vna. Vna etiam missa pro isto est maius bonum sibi, si dicatur pro illo: quàm si dicatur simul pro illo, & alio. 1.

Ratio opp. Contrà. Qui plus soluit, quàm illud sit, propter quod obligatur, videtur abun

abundanter satisfacere; sed vna missa est maius bonum, quàm sint illa, pro quibus obligatur duobus: quia bonum Missæ est ex virtute sacrificij; sacrificium autem est infinitum, & infinitis sufficiens. Christus enim qui offertur in illo sacrificio sufficiens fuit quando offerebatur in Cruce ad satisfaciendum pro peccatis: ergo, &c.

SCHOLIVM.

Præmittit missam non tantum ex opere operantis, sed etiam ex operato valere, & non solùm virtute meriti particularis, sed etiam virtute meriti Ecclesiæ proficere; alioquin missa mali sacerdotis nihil valeret, quod habeat vim ex operato: tenent ferè Catholici omnes, & colligitur in Trid. ss. 22. c. 2: de quo Bellar. l. 1. de missa. c. 4.

21. Hic [a] præmittendum est vnum, hoc, scilicet quòd probabile videtur, quòd Missa non solùm valet virtute meriti, siue operis operantis: sed etiam virtute sacrificij, & operis operati. Vel non solùm valet virtute meriti personalis Sacerdotis offerentis, sed etiam virtute meriti generalis Ecclesiæ: in cuius persona per ministrum communem offertur sacrificium: alioquìn Missa mali Sacerdotis, qui in illo actu non meretur personaliter, sed demeretur, nulli valeret in Ecclesia: quod reputatur communiter inconueniens, & rationabiliter, Iuxta illud Ioann. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*: quandocunque enim Christus vt summus sacerdos offert, panis, quem dat, id est, caro eius, est mundi vita. Ex hoc sequitur, quòd ad solutionem huius quæstionis, tria sunt videnda: primò si missa dicta pro duobus tantùm valet isti, sicut si pro eo solo diceretur, & hoc merito personali celebrantis. Secundò, si tantùm valet merito generalis Ecclesiæ offerentis. Tertiò, si iste simpliciter soluit debitum vtrique cui obligatur. *Duplex valor Missæ.*

COMMENTARIVS.

1. *Missa potest dupliciter valere.* a Hic *præmittendum est vnum.* Hîc Doctor præmittit, Primò vnum necessarium scilicet quòd Missa potest dupliciter valere. Vno modo virtute meriti ipsius Sacerdotis, puta quando Sacerdos existens in gratia offert illud sacrificium pro aliquo, vel aliquibus, tunc Deus acceptat illud, pro quanto offertur à Sacerdote existente in gratia, & si quis Sacerdos cum maiori deuotione celebrat, vel pro se, vel pro alio, magis meretur, & hoc est quod dicitur communiter, quòd Missa valet aliquando virtute meriti operis operantis, siue virtute meriti personalis Sacerdotis offerentis. Secundò valet virtute sacrificij, & hoc operis operati, siue ipsius sacrificij, & est idem dicere Missam valere virtute sacrificij, & ipsam valere virtute meriti generalis Ecclesiæ, in cuius persona per ministrum communem offertur sacrificium; & si hoc modo Missa non valeret, sequeretur hoc inconueniens, scilicet quòd Missa mali Sacerdotis, qui in illo actu non meretur personaliter, sed demeretur, quia celebrans in peccato mortali mortaliter peccat, talis Missa nulli valeret in Ecclesia, quod est inconueniens, iuxta illud Ioan. 6. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Quandocunque enim Christus, vt summus Sacerdos offert, panis quem dat, id est, caro eius, est mundi vita; quando ergo Sacerdos offert illud sacricificium, semper offert in persona Christi, siue in persona capitis Ecclesiæ, quod est Christus, & tunc dicitur valere virtute meriti operis operati scilicet ipsius Christi.

SCHOLIVM.

Oratio (idem est de omni alio opere bono) valet specialissimè oranti, generalissimè omnibus, & specialiter cui applicatur, alioquin frustrà ordinasset Ecclesia speciales orationes pro viuis, & defunctis; & constat ex vtraque lege veteri, & noua, hanc specialem applicationem validam esse. Isaac orat pro Rebecca Genes. 15. Dauid pro salute filij, 2. Reg. 12. Elias pro filio viduæ, 3. Reg. 17. Christus pro Petro, Lucæ 22. & Ecclesia pro eodem, Act. 12. & Paul. petit ab Ephesiis vt orent pro omnibus generatim, & pro se speciatim. Ephes. 6. & 1. ad Timoth. 2. pro omnibus & specialiter pro Rege. De generalissima applicatione patet ex symbolo de communione Sanctorum, iuxta quod dixit Dauid Psal. 118. Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua, *& Genes. 18. si reperti essent decem iusti Sodomis, parceret eis Deus. De specialissima applicatione patet, quia omne opus bonum est meritorium gratiæ & gloriæ, Matth. 5.* Gaudete & exultate, *& 20.* Voca operarios, &c. *& 1. Timot. 4.* Pietas ad omnia vtilis habens promissionem vitæ, &c. *Trid. ss. 6. c. 16. & can. 26. de quo Bellarm. lib. 5. de iustifi. cap. 1. 3. & per totum.*

De pri

Quære To. in 4.d.15. par.2.ar.1. q.4.

Meritum tripliciter applicatur.

DE primo est sciendum [b], quòd inter opera meritoria oratio habet magis rationem meriti applicabilis alteri: quia ipsa de ratione sui est placatiua Dei, & reconciliatiua rei Deo, & hoc illius, pro quo per ipsum orantem specialiter offertur. Potest autem meritum vel specialiter oratio, in triplici gradu intelligi valere alicui, siue pro aliquo. Vno modo specialissimè [c], & sic semper valet oranti, quando est in gratia: ipse enim habet motum animi bonum, & elicit opus bonum. Iste motus, & illud opus non sic sunt alterius pro quo orat, sicut orantis: nec potest iste ordinata voluntate sic illud alteri dare, quod non sit suum meritum: quia magis tenetur ex charitate diligere seipsum quàm alium: imò fortè non posset dare alteri sic, quin istud esset peccatum. Alio modo generalissimè, & sic valet toti Ecclesiæ: nec enim debet orans aliquem de Ecclesia excludere: sed ex intentione habituali omnes includere. Tertio modo [d] scilicet modo medio valet illi, cui per orantem specialiter applicatur. Nō enim valet ei specialissimè. Patet ex primo membro: Sed nec præcisè valet sibi generalissimè, sicut cuicunque: tunc enim frustrà in Ecclesia essent speciales orationes assignatæ, aliæ pro viuis, aliæ autem pro mortuis: & iterum pro viuis aliis, & aliis, puta benefactoribus, amicis, & aliis; vt patet in orationibus in Missali Romano pro diuersis assignatis personis, & statibus, vel congregationibus. Frustrà, inquam, essent istæ specialiter assignatæ: quia non plus valerent illis, quàm generaliter cuicunque in Ecclesia. 3.

COMMENTARIVS.

2. *Inter opera meritoria oratio habet magis rationem meriti.*

b DE *primo articulo.* Hìc Doctor præmittit primò, quòd inter opera meritoria oratiò habet magis rationem meriti applicabilis alteri, quia ipsa de ratione sui formaliter loquando est placatiua Dei, & reconciliatiua rei Deo, & hoc illius rei, pro quo ipse orans specialiter offert. Licèt enim sint aliqua opera magis meritoria facta in charitate, quàm oratio, puta dilectio Dei in se, & dilectio proximi in ordine ad Deum, tamen aliquod opus factum in charitate ex sua ratione formali est magis placatiuum Dei, & reconciliatiuum rei, sicut est oratio, qua quis formaliter orat Deum, vel pro se, vel pro alio, aliqua tamen opera facta in charitate sunt virtualiter magis placatiua, sicut dilectio Dei intensa in se. Et est simile de dilectione culpæ formali, & virtuali, dicitur enim culpa deleri formaliter per pœnitentiam, & dicitur aliquando deleri virtualiter, puta per intensam dilectionem Dei, vt patet à Doctore *in* 4.*d.*14.*q.*2.

c In proposito ergo meritum Sacerdotis celebrantis, & specialiter oratio ipsius in triplici gradu potest valere alicui. *Primò specialissimè, & sic semper valet oranti, quando est in gratia.* Sic tamen intelligendo, quòd talis oratio sit actu elicita cum debitis circumstantiis, vel quòd sit elicita in virtute alicuius actus prioris debitè circumstantionati, quia tunc talis actus elicitur à voluntate habente charitatem secundùm inclinationem ipsius charitatis, vt patet à Doctore *in* 2. *dist.*7. & actus elicitus à charitate semper est meritorius, vt patet à Doctore, *in* 1. *dist.*17. *& suprà in quodlib. quæst.* 17. & hoc est quod dicit Doctor, quòd *oratio semper valet oranti, quando est in gratia, quia tunc habet motum animi bonum, & elicit opus bonum. Iste motus animi*, id est, bona intentio, *& illud opus*, elicitum secundùm intentionem bonam *non sunt ita meritoria alteri, pro quo quis oret, sicut ipsius orantis.* Patet, quia charitas magis inclinat ad actum meritorium respectu illius in quo est, quàm respectu alterius, & habens charitatem magis tenetur velle sibi bonum meritorium, quàm alteri, vt satis patet à Doctore, *in tertio, distinctio.* 29. & vide quæ ibi exposui, & hoc est quod dicit hìc, *nec potest iste ordinata voluntate, sic illud opus alteri dare, quòd non sit sibi meritum, quia magis tenetur ex charitate diligere seipsum, quàm alium*, nam prima radix meriti primò consistit in affectione iustitiæ, non vt moderatiua affectionis commodi, id est, quòd prima radix meriti primò consistit in dilectione Dei in se, & propter se, vt patet à Doctore, *in tertio, distinctio.* 18. & vide quæ prolixè ibi exposui, & sicut tenetur quilibet diligere Deum gratuitè pro aliquando, vt patet à Doctore *distinct.* 27. *tertij.* Sequitur quòd etiam tenetur actu reflexo velle se diligere Deum, & quo modo hoc vide Doctorem *in tertio, distinct.* 28. *&* 29. & magis tenetur se velle diligere Deum meritoriè, quàm proximum velle diligere Deum, vt patet *in tertio, distin.* 29. Sequitur ex hoc, quòd quilibet tenetur magis velle sibi, quæ ad dilectionem Dei in se in hac vita, & ad perfectam fruitionem in alia acquirendam valeret, & per consequens magis tenetur velle actum bonum à se elicitum esse sibi meritum, quàm alteri, imò fortè non posset dare alteri, priuando se illo, quin esset peccatum. Secundùm ergo perfectam charitatem debet actum bonum primò velle esse sibi meritum, & magis velle esse sibi meritum, & pòst alteri, & ideò multi ex ignorantia peccant, dicentes volo quòd tale opus meum factum in charitate præcisè valeat pro te.

Actus elicitus à charitate semper est meritorius.

Secundò, oratio celebrantis potest intelligi valere generalissimè, & hoc modo valet toti Ecclesiæ, sic intelligendo, quòd orans non debet aliquem de Ecclesia excludere, supple à merito orationis, sed ex intentione habituali debet velle valere omnibus de Ecclesia, & de hoc vide quæ notaui, *in tertio, distinctio.* 28. *&* 30. 3.

d Tertiò, oratio celebrantis potest intelligi valere quodam modo medio inter modum specialissimum & generalissimum, puta quòd quis velit eam valere, non tantum sibi, qui est modus specia-

ſpecialiſſimus, nec tantùm toti Eccleſiæ, qui eſt modus generaliſſimus, ſed ſpecialiter velle valere alicui de Eccleſia, id eſt, quòd quamuis vellet orationem ſibi valere, & etiam toti Eccleſiæ, adhuc poteſt illam orationem ſpecialiter valere alicui perſonæ determinatè in Eccleſia, ita quòd talis oratio valeat illi perſonæ, non tantùm quia eſt membrum Eccleſiæ, pro qua Eccleſia offertur talis oratio, ſed quòd etiam valeat ſibi ſpecialiter, quia ſpecialiter offertur pro illa perſona, ſiue quia determinatè applicatur illi perſonæ, aliter in Eccleſia fruſtrà eſſent ſpeciales orationes aſſignatæ, alia pro viuis, alia pro mortuis, &c.

SCHOLIVM.

Miſſam dictam pro pluribus non tantùm valere cuilibet illorum, ac ſi pro ipſo ſolo diceretur. Primò id quod ex vi miſſæ correſpondet ijs, pro quibus offertur, eſt finitum; Secundò, æquale eſt meritum miſſæ pro pluribus, & pro vno, oblatæ; ſit ergo vt 100. ſi pro vno dicatur, habet 100. ſi pro duobus, non habet niſi 50. ergo, &c. hæc procedit de valore correſpondente merito celebrantis.

4. HAbet ergo [e] articulus iſte difficultatem ſpecialiter intelligendo hoc tertio modo. Et poteſt dici, quòd vna Miſſa dicta pro duobus non tantùm valet hoc modo iſti, quantum valeret ſi pro eo ſolo diceretur.

Quod oſtendi poteſt ſic. Merito finito ſecundùm plenam iuſtitiam adæquatè correſpondet aliquod præmium determinatum ad certum gradum. Præter autem bonum, quod debetur Eccleſiæ generaliter, & præter bonum, quòd debetur iſti oranti ſpecialiſſimè, quæ duo ſemper includuntur in præmio debito orationi, accipio illud bonum, quod virtute meriti ipſius orantis debetur medio modo ei, pro quo ſpecialiter oratur: illud eſt determinatum ad certum gradum: virtute igitur iſtius meriti non debetur, alicui iſto modo medio aliquod bonum quod non includitur in iſto bono determinato. Si ergo totum illud bonum detur iſti tanquam præmium modo medio debitum orationi, nullum bonum debitum orationi iſti, dabitur alteri, & per conſequens ſi virtute iſtius meriti datur aliquod bonum illi, vt debitum iſti orationi modo medio, ſequitur quòd non totum bonum ſic debitum datur iſti: ergo, &c.

Meritum applicatũ pluribus nõ tantum valet cuilibet, ac ſi pro ipſo ſolo applicaretur.

Confirmatur, quia æquali merito præciſè debetur æquale bonum, ſiue præmium, & hoc in quocunque modo debiti, ſcilicet generaliter, ſpecialiſſimè, & medio modo: nunc autem ex æquali deuotione celebrans habet opus æquè meritorium, loquendo de merito perſonali. Contingit autem, quòd æquè deuotè celebret, quando celebrat pro iſto ſpecialiter, ſicut quando ſpecialiter celebrat pro vtroque ſimul: ergo virtute eius meriti debetur præciſè æquale bonum merito huius miſſæ dictæ pro vno, & merito illius dictæ pro duobus: ergo ſi quando dicitur pro duobus, debetur iſti totum illud bonum æquale, ſequitur quòd virtute illius meriti nihil debetur alteri, quia bonum quod daretur illi alteri, non includitur in bono, quod correſpondet adæquatè iſti merito.

5. Diceretur ad maiorem [f] quòd merito æquali tam ſecundùm intenſionem, quàm ſecundùm extenſionem debetur bonum æquale vtroque modo: nunc autem quando quis ſimul pro duobus orat; licèt ſit meritum æquale ſecundùm intenſionem, ſicut quando orat pro vno: tamen eſt maius ſecundùm extenſionem: quia pluribus applicatur: & ideò debetur bonum æquè intenſiuè, ſed maius extenſiuè, quia vtrique.

Propoſitiuus cuius oppo. prolixus ponitur in 4. Petri de Tarant.

Similiter reſpondetur ad primam maiorem, [g] quòd merito certi gradus correſpondet bonum determinatum ad certum gradum. Verum eſt vniformiter accipiendo vtrobique, ſcilicet ſecundùm intenſionem, vel vtrobique ſecundùm extenſionem, ſed licèt meritum ad plures extendatur, & per conſequens præmium pluribus debeatur, non tamen oportet quòd intenſiuè minuatur, licèt pluribus communicetur.

Hoc declaratur primò ſic: Bonum ſpirituale proportionatur ſpiritui, & ſpiritus eſt vbique totus, & non per partes communicatur: ergo bonum ſpirituale communicatur ſine diuiſione, & ita non diminuitur, licèt pluribus communicetur.

Hoc etiam oſtenditur exemplo: vbi tamen minùs apparet, quàm in propoſito. Aliqua quidem corporalia, de quibus minùs videtur, quàm de ſpiritualibus, non minùs tamen communicantur, & ſi pluribus communicentur. Patet de lumine cande

Candela æquè illuminat plura, illuminabilia, ac vnũ. candelæ simul illuminantis plura illuminabilia, & æqualiter, sicut illuminaret quodlibet istorum per se. Patet etiam in voce, quæ æqualiter simul immutat auditum quemcunque multorum audientium, sicut immutaret vnum illorum solum.

Confirmatur tertiò responsio per auctoritatem, quæ habetur *de consecr. dist. 5. Non mediocriter.* Et notatur ibi Hieronymus, vbi inter alia sic habetur. *Cùm pro centum animabus Psalmus, vel Missa dicitur: nihil minus, quàm si pro vna qualibet ipsorum diceretur, accipitur.*

COMMENTARIVS.

4. e HAbet ergo articulus iste difficultatem. Doctor affirmatiuè ponit vnam conclusionem, quæ talis est: Bonum quod debetur merito orantis applicato duobus, non tantum valet vni soli, quantum valeret si illi soli applicaretur. Siue sic loquendo præcisè de merito celebrantis, quod non applicatur Ecclesiæ, nec sibi oranti, sed quod præcisè applicatur alteri, sicut dictum est de merito, tertio modo, siue de merito medio modo; tale meritum Missæ applicatum duobus non tantum valet vni soli, quantum si illi soli applicaretur; & patet. Certum est enim quòd meritum ipsius celebrantis est finitum, & per consequens secundùm plenam iustitiam sibi debetur bonum finitum, puta si tale meritum sit intensum vt quatuor, sibi præcisè correspondet bonum intensum vt quatuor, & si bonum esset vt sex, tunc secundùm plenam iustitiam non esset adæquatum illi merito, sed excederet.

Tota ergo vis istius articuli, An bonum, quod adæquatè debetur merito celebrantis, sit præcisè tantum bonum vni, quando Missa celebratur pro illo, sicut quando celebratur pro duobus, & patet quòd si totum meritum celebrantis est applicatum vni, totum bonum correspondens adæquatè illi merito debetur illi soli; & si totum meritum celebrantis esset æquè applicatum duobus, sicut vni, statim sequitur quòd minus bonum deberetur duobus, quàm vni; patet, quia vni debetur bonum vt quatuor (vt dixi) & si etiam alteri sit applicatum, deberetur sibi bonum vt quatuor, & non præcisè idem bonum, quod deberetur primo, quia idem bonum numero non potest simul esse in pluribus; ergo erit aliud bonum vt quatuor, debitum vni, & aliud bonum vt quatuor, debitum alteri, & sic ista duo bona coniuncta simul sunt maius bonum, quàm vnum solum seorsum sumptum, quia illa plura coniuncta sunt bonum vt octo, & vnum eorum est tantùm bonum vt quatuor, & per consequens Missa plus valeret dicta pro duobus, quàm pro vno tantùm; sed dicta pro duobus valet vt octo; ergo dicta pro vno tantùm valebit vt octo, quod est contra præsuppositum, quia suppositum est, quòd Missa tantùm valeat vt quatuor, & posito quòd vni valeret vt octo, tunc vt dicta pro duobus valebit, vt 16. & pro tribus, vt 24. & sic ascendendo; ergo nunquam tantum valebit dicta pro vno illi vni, quantum valet dicta pro pluribus, quod tamen est impossibile, scilicet, quòd valeat pluribus quàm vni, loquendo de bono, quod adæquatè correspondet merito celebrantis, quia si magis bonum corresponderet dictæ pro pluribus, tunc bonum non esset adæquatum merito Missæ, & hoc est, quod dicit Doctor in ratione, & confirmatione sequente.

f *Diceretur ad maiorem.* Hîc recitat vnam responsionem Præpositiui, qui dicit quòd merito æquali tam secundùm intensionem, quàm secundùm extensionem debetur bonum æquale, scilicet intensiuè, & extensiuè. Sed in proposito quãdo quis simul pro duobus æquè deuotè orat, sicut pro vno, licèt sit meritum æquale secundùm intensionem, tamen est maius secundùm extensionem, quia pluribus applicatur, & ideò debetur bonum æquè intensiuè. 5.

g *Similiter respondetur ad primam maiorem,* vbi dictum est quòd merito certi gradus correspondet bonum determinatum ad certum gradum. Dicit quòd *verum est vniformiter accipiendo vtrobique, &c.* Licèt ergo sit maius extensiuè quando pluribus communicatur, & minùs extensiuè quando paucioribus, tamen intensiuè non minuitur, nec augetur, quia si esset bonum communicatum decem, essent decem bona æqualia secundùm intensionem. *Hoc declaratur primo sic: quia bonum spirituale proportionatur spiritui,* id est, eodem modo se habet spiritus, cum ergo spiritus sit vbique totus, & non communicetur per partes, cùm sit indiuisibilis, ergo similiter bonum spirituale communicatur sine sui diuisione, & ita non diminuitur, licèt pluribus communicetur. *Bonum spirituale proportionatur spiritui.*

SCHOLIVM.

Refutat responsiones ad rationes pro conclus. & primò illam, quæ ait meritum non esse æquale extensiuè, quando pro pluribus, ac quando pro vno offertur, sed benè intensiuè; quia secundùm iustitiam pro æquali bono non debetur præmium numerosius, sicut nec intensius; quia plura bona æqualia æquiualent vni maiori intensiuè. Secundò, non liceret orare pro aliquo in particulari; quia si tantùm habebit, etiamsi simul oraretur pro omnibus, qui sunt in purgatorio, verbi gratia, ac si pro ipso solo oraretur, charitas ligat, vt pro omnibus simul oremus; quandoquidem id fieri possi, æquè facilè, & sine vllius incommodo, vel dispendio. Tertiò in amicitia humana faciliùs meretur quis bonum, vel remissionem culpæ vni, quàm pluribus.

Quartò,

Quartò, voluntas aut imperatiua vel elicitiua non habet æqualem effectum in singulis multorum, ac haberet in vno; ergo idem de meritoria voluntate.

6. POtest dici, quòd ista non impediunt rationes priùs positas: quia vtraque maior istarum rationum est vera simpliciter, tam secundùm extensionem, quàm secundùm intensionem: ita quòd pro æquali merito non debetur secundùm strictam iustitiam, bonum numerosius, sicut nec bonum intensius: quia plura bona æqualia æquiualent vni bono maiori intensiuè: & hoc in omni retributione iusta, & commutatione. Si ergo merito æquali non debetur maius bonum secundùm intensionem, nec per consequens plura bona æqualia secundùm extensionem: quia sicut ista, si facerent vnum, facerent vnum maius altero illorum, ita sunt maioris valoris secundùm iustitiam, quàm alterum illorum. *Pro æquali bono non debetur bonum numerosius, sicut nec intensius.*

Hoc confirmatur: quia alioquin qui vellet orare pro omnibus animabus in purgatorio, intendens quòd singulis valeret modo medio, æquè valeret cuilibet sicut si oraret pro vna. Et tunc secundùm ordinatam charitatem deberet quilibet orare pro quocunque: quia deberet impetrare bonum pluribus: dum tamen hoc posset per eundem actum sine diminutione boni alicuius eorum.

Dices quòd per modum satisfactionis non tantum valet pro pluribus, sicut pro vno: quia pœna debita non relaxatur, nisi aliquid æquiualens soluatur.

Contrà [h] tunc aliquis posset impetrare primam gratiam peccatoribus quotcunque, sicut vni: quia hîc non requiritur pœnæ solutio: sed Dei placatio & impetratio boni ab ipso.

Item, sicut plures pœnæ æquiualent vni maiori pœnæ, & non relaxantur, nisi per opus satisfactorium maius, vel per plura opera satisfactoria: sic videtur de pluribus bonis impetrandis, quòd æquiualent vni maiori, & ideò nisi per plura bona, vel vnum maius bonum impetrantur: quare etiam non sufficit ad deletionem mali aliquid, sicut sufficit ad impetrandum bonum, imò secundum videtur maius.

7. Confirmatur etiam propositum secundò: quia in amicitia humana dilectus per supplicationem suam meretur maius bonum vni, quàm si supplicaret pro multis: nam pro vno exaudiretur vt tantum bonum impetret ei; & si pro multis peteret, vel non pro omnibus exaudiretur, vel non tantum bonum impetraret: & istud est secundùm iustam legem amicitiæ. *Facilius obtinetur aliquid pro vno quàm pro multis.*

Confirmatur tertiò: [i] quia voluntas non videtur efficacior, vt est à causa meritoria, quàm vt est causa elicitiua, vel imperatiua: imò minùs efficax: quia vt meritoria est tantùm causa dispositiua habilitans, & disponens ad actionem principalis agentis: vt autem est elicitiua, vel imperatiua, est causa principalis: sed voluntas vt est causa elicitiua, vel imperatiua non æqualem effectum causat simul in quolibet multorum, sicut in vno solo causaret: neque enim simul intensa est amicitia ad quotcunque, sicut esset ad vnum, 8. *Ethic.* nec voluntas æquè perfectè intensè imperat plures operationes potentiarum inferiorum, sicut vnam. Minuitur enim intentio voluntatis plures actus inferiores imperantis. Consimiliter videtur, quòd voluntas minus bonum intensiuè mereatur, quando pluribus meretur. *Cùm quis habet duos amicos semper vnum magis diligit: adeò amicitia perfecta est ad vnum.*

Et si dicas, hoc verum est, quando deuotio minuitur ex distractione circa plures, sed si deuotio sit æqualis, non oportet quòd minus bonum mereatur multis, quàm vni.

Contrà: distractio non necessariò concurrit ex hoc, quòd pro pluribus celebratur, quia non oportet celebrantem pro multis tunc de eis actu cogitare: sed sufficit, quòd ante recollegerit istos, pro quibus intendit specialiter orare, & intentionem suam talem Deo obtulerit. Ex tunc enim, si tantùm in communi eorum memoriam habeat, hoc sufficit: quia Deus oblationem & deuotionem suam pro illis acceptat, pro quibus ordinauit priùs se velle offerre: & in isto casu verum est quòd propter multitudinem attentio actualis ad singulos minuitur: quia non est ad eos, nisi in communi; sed deuotionem, quæ est motus mentis in Deum, non oportet minui. *An requiritur in missa cogitatio eorũ, pro quibus offertur.*

Exemplum, non minùs deuotè celebrat quis de omnibus sanctis, quàm de vno Sancto: quia etsi minùs distinctè attendat ad quemlibet, tamen attentio ad totam communitatem sufficit ad deuotionem, non tantùm æqualem, sed maiorem, quàm sufficeret attentio ad vnum eorum: nisi fortè ad illum, in quo eminenter est illud, quod est materia deuotionis ad omnes, qui est solus Deus trinus: sic quando oratur pro multitudine siue communitate indigente, vt impetretur sibi bonum, quo indiget, *Non minuitur deuotio, nec attentio, orando pro multis, magis, quàm si oraretur pro vno.*

indiget, maior compassio potest haberi; & ita maius desiderium impetrandi illud, quo indiget, quàm si pro vno indigente oraretur, & ita non minuitur ibi deuotio, licèt minuatur attentio actualis, & distincta. Non ergo minus bonum tunc impetrat singulis propter diminutionem deuotionis, sed propter hoc solùm, quòd merito suo correspondet aliquod bonum certum, & hoc in quocunque eodem gradu, scil. reddendum illi cui valet specialissimè, vel illis quibus valet generalissimè: vel etiam illi, vel illis, quibus valet medio modo; & per consequens in isto tertio gradu, in quo loquimur, si est maior extensio, est minor intensio vnicuique.

COMMENTARIVS.

6. *Considera hæc omnia.* h CONtrà. Hîc Doctor arguit, probando quòd non concludat de bono, scilicet quòd meritum valeat ad bonum, ita vni, sicut pluribus, & ita pluribus sicut vni, quia tunc quis sicut aliquo merito potest alicui impetrare primam gratiam, scilicet Baptismalem, ita eodem merito potest omnibus peccatoribus eandem impetrare, quia hic non requiritur pœnæ solutio, sed Dei placatio etiam impetratio boni ab ipso, vt patet de peccato remisso per Baptismum.

Item, sicut plures pœnæ æquiualent vni maiori, & illæ pœnæ non relaxantur, nisi per plura opera satisfactoria, vel per vnum opus maius intensiuè; sic similiter videtur cùm plura opera meritoria, si simul essent, vt ita esset vnum maius intensiuè quolibet eorum seorsum sumpto, ita debentur eis, vel plura bona, vel vnum maius intensiuè, imò magis videtur quòd si plures pœnæ non delentur: nisi per plura opera satisfactoria, vel per vnum maius, & non delentur præcisè per vnum opus satisfactorium adæquatum illi pœnæ, multò fortiùs vni operi meritorio, cui secundùm strictam iustitiam correspondet sibi præcisè bonum vt quatuor, quòd non debeantur tali operi plura bona æqualia, quia illa opera si essent vnum, essent maius bonum intensiuè, & sic secundùm strictam iustitiam tale bonum excederet opus meritorium.

7. i *Confirmatur tertiò,* Vt intelligatur ista ratio, dicitur voluntas causa elicitiua respectu actus, vel imperatiua, quando actus secundùm substantiam, & intensionem verè elicitur à voluntate, vel imperatur, & hoc vel vt à causa totali, vel vt à causa partiali principali; tamen quia hoc modo est principalis causa actus, vt comparatur ad habitum, tenendo quòd habitus sit partialis causa actus, de quo dictum est in primo, *dist.* 17. Et dicitur causa meritoria, non quòd immediatè causet actum meritorium formaliter; patet, quia ratio meritorij, quæ est acceptatio passiua actus à diuina voluntate in ordine ad præmium æternum, est à solo Deo, vt patet *suprà, quæst.* 17. *& in primo, dist.* 17. Sed dicitur causa meritoria, quia ipsa habens charitatem, vel producit actum secundùm inclinationem charitatis, ita quòd actus vt sic productus, dicitur dispositio immediata ad sic acceptari; vel quia simul cum charitate producit aliquam entitatem in actu vltra substantiam, & intensionem, & bonitatem moralem actus, quæ charitas esset immediata dispositio ad hoc, vt actus sic acceptetur, vt *suprà* patuit, *quæst.* 18. Pro quanto ergo producit illam dispositionem, vel primo, vel secundo modo, dicitur causa meritoria. Hoc declarato arguit sic à fortiori: Si voluntas, vt causa elicitiua, non causat æqualem effectum simul in pluribus, sicut in vno solo causaret; ergo nec multò minùs, vt causa meritoria, cùm vt causa elicitiua, sit simpliciter magis causa; & quòd sic non causet vt elicitiua, patet, quia amicitia non est æquè intensa ad quodcunque, sicut esset ad vnum, vt patet 8. *Ethic. cap.* 6. Nec similiter voluntas æquè perfectè intensè simul imperat plures operationes potentiarum inferiorum, sicut si vnam solam imperaret; sic consimiliter videtur quòd voluntas minus bonum intensiuè mereatur, quando pluribus meretur. *Quare dicatur causa meritoria.*

SCHOLIVM.

Ad illud, bonum spirituale non diuidi, sicut nec spiritus, Respondet bonitates plurium spirituum maioris esse valoris, quam vnius; & vtrobique est diuisio æquiualens, alioquin non minus esset resuscitare vnum, quàm mille, sed bonum spirituale, nempe remissio culpæ, & pœnæ, & largitio gratiarum, diuisibile est, esto spiritus substantialis diuidi nequeat; & sic ruit argumentum. Opponit exempla exemplis, quia non æquè possum portare duo æqualia sicut vnum. Ad replicam, ostendit etiam in alteratione non æquè facilè plura moueri, ac vnum, nisi adæquentur obiecto adæquato mouentis, vel contineantur sub eo. Ad exempla de luce, & sono; Respondet, hæc & similia multiplicant se sphæricè, & partes eiusdem sphæræ adæquatæ eodem modo afficiuntur, siue sint pauca, siue multa; si tamen accipias alterius sphæræ partes, istas non afficiunt: & sic exempla sunt ad oppositum quia in casu nostro, vnus pro quo celebratur, est susceptiuum adæquatum, quasi sphæra, & sic non se extendet ad alium. Vide solutionem ad replicam huius, quæ satis difficilis est. Ad argumentum glossæ dat duas claras solutiones.

Ad illa

8. AD illa in contrarium. [k] Ad primum de spiritu, dico quòd spiritus, etsi extensiuè non diuidatur: tamen numeraliter spiritus à spiritu distinguitur: sunt enim singulorum corporum animatorum singulæ animæ: & illæ habent bonitatem naturalem magis extensiuè, quàm vna ex eis: imò æquiualentem bonitati magis intensæ secundum illud 7. de Trin. vel 24. *Plus aliquid sunt duo homines, quàm vnus homo.* Et per hoc distinguitur pluralitas in diuinis à pluralitate in creaturis: quia plus aliquid sunt hîc duo, quàm vnum: non sic ibi. Vnde subdit: *Non maior est Pater & Filius simul, quàm solus Pater.* Bonitates etiam plures spirituum sunt maioris valoris, & ideò requirunt plura bona, vel vnum maius bonum propter quod retribuantur: non enim qui orando meretur viuificare vnum mortuum, eadem ratione æquè meretur viuificationem quorumcunque mortuorum. Ita dico quòd bonum spirituale communicatur sine diuisione quantitatiua: secundùm extensionem tamen communicatur cum distinctione, scilicet aliud alteri, & ita requirit distinctum meritum, propter quod reddatur: & hoc dico æquale intensiuè. *Non maior est Pater & Filius simul quã solus Pater.*

Contrà, saltem [l] bonum spirituale non communicatur per partes; ergo si virtute huius Missæ debetur bonum vtrique, tanquam vnum totale præmium, illud non reddetur per partes, sic, scilicet, quòd pars dabitur vni, & pars alteri.

Confirmatur, quia qui per spiritum recipit, totum spiritum recipit: ergo similiter qui aliquod bonum spirituale recipit: recipit ipsum totum.

9. Respondeo, Augustinus 6. de Trin. 8: *In his, quæ non mole magna sunt, idem est maius esse, quod melius:* duo verò bona æqualia sunt meliora altero: ergo in eis est maior bonitas: maius autem licèt non possit actu diuidi, tamen habet plura parua sibi æqualia: sicut licèt cœlum non posset actu diuidi, tamen toti æquantur plura parua, quàm medietati, & in illis paruis est distinctio, & pro illo vno magno, licèt in se indiuisibili, tamen diuisibili, vel magis distinguibili in æquiualentia, possent illa multa reddi. Sic hîc tanto merito debetur adæquatè tantum; illud in se diuidi non potest, sed tamen illi æquiualere possunt multa bona minora, & ita ipsum potest diuidi valore; dum pro ipso diuersa bona minora distinctè reddantur. Non ergo illud bonum spirituale realiter per partes datur, sed datur in multis bonis minoribus, quæ respectu illius boni habent partialem valorem. *Præmiũ est diuisibile, sed respondet ac si daretur esse indiuisibile.*

Ad confirmationem, si possibile esset eundem spiritum distribui multis in valore, sicut hîc est possibile de bono reddendo virtute orationis: vnicuique minus bonum daretur: & fortè etiam realiter spiritus minùs communicaretur, si transcenderet suum susceptiuum proportionatum, sicut fortè anima non æquè viuificaret corpus, quantumcunque cresceret, sed passo proportionato æquè communicatur: in proposito receptiuum proportionatum bono illi, quod est reddendum pro merito, est vna persona: & quod datur illi, datur non per partes. *Anima an æquè perfecte viuificat corpus quantumcũque crescens.*

Contra exempla [m] ista priùs posita instatur per alia exempla: quia non æquè possum portare duo æqualia sicut vnum.

Si dicatur, quòd in mouendo localiter non æquè potest agens in plura, & pauciora: tamen in alterando potest, & hoc quando illa plura sunt agenti æquè approximata.

10. Dico quòd aliqui motus sunt tales, quibus necessariò totum simul secundùm omnes sui partes mouetur, hoc est, non priùs vna pars, quàm alia: sicut est motus localis: & de hoc intelligitur 5. Met. *Continuum est illud, cuius motus est vnus secundùm se, Vnus autẽ, cuius indiuisibilis: indiuisibilis autem secundùm tẽpus:* Si enim moueretur [n] vna pars cõtinui, alia nõ mota solueretur cõtinuitas. Alius est motus, [o] quo non est necessariũ totũ secũdùm omnes partes simul moueri, vt est alteratio: mobile etiã [p] aut intelligitur illud, quod est adequatũ virtuti mouẽtis, vel agentis: ita, scil. quòd nõ posset simul mouere maius, aut aliquod mobile minus tali adæquato. Est ergo aliqua differẽtia [q] inter motũ localẽ, & alios motus: quia semper totũ cõtinuũ secũdùm se totũ est mobile adæquatum mouenti, ita quòd non aliqua pars eius sine alia est mobile adæquatũ. In motu autẽ alterationis aliqua pars ipsius mobilis potest esse mobile adæquatũ mouẽti tãtæ virtutis, sic quòd simul nõ mouebitur nisi tãta pars: sed vtrobique [r] imò in motu generaliter, verũ est quòd ab isto mouẽte nihil simul mouetur, nisi suũ mobile adæquatũ, vel quod includitur in illo, & dico inclusũ in illo realiter, sicut aliquid eius: vel æquiualẽter; sicut minus, quod etiã nõ est pars maioris, potest dici includi in eo, & sic illud quod potest simul mouere illud mobile tãquã adæquatũ, nõ potest simul aliud mobile maius mouere: nec etiam cũ isto aliquod aliud: potest tamen simul Tex. 8. *A mouente nihil mouetur nisi suum mobile adæquatum.*

Non eſt minus mouere plura ad vnum, exponitur.

mouere duo mobilia: quæ ſimul iuncta non excederent mobile adæquatum, & de talibus verum eſt quòd non minùs mouet plura, quàm pauciora; quia non minùs mouet mobile ſibi ſimpliciter adæquatum, quàm mobile minus ipſo, quia tunc illud non eſſet omnino adæquatum: intelligo adæquatum, non ſic quòd mouens ſecundùm totum conatum ſui poſſit illud mouere, ſed ſic, quòd cum quantocunque modico conatu poteſt ipſum mouere, tale mobile omnino ſubiaceret tali mouenti, & mobile omnino ſubiacere mouenti poteſt dici ipſum mobile omnino adæquari paſſiuè ipſi agenti. Taliter Cœlum ſecundùm Philoſophum eſt mobile adæquatum Intelligentiæ, quæ, etſi non poſſit mouere maius, tamen poſſet minus.

2. Cæli. te. 21. & alibi.

Pars paſſi proportionati, non minùs perficitur, quòd ſimul aliæ perficiantur.

Ad exempla illa dico, quòd paſſi proportionati agenti poteſt quælibet pars æquè perfici: ita ſaltem quòd vna non minùs perficitur, ſi alia perficiatur, quàm ſi ſine illa perficeretur, quia enim totum eſt primo proportionatum agenti, ideò pluralitas partium, quæ includuntur in iſto toto, non impedit perfectionem actionis in omnes, ſicut nec in totum includens eas; ſed ſi vni paſſo proportionato adderetur aliud paſſum, illud non oporteret æquè perfici ab agente, ſicut ſi ſolùm reciperet actionem agentis. Hoc patet in illis exemplis. Lux enim & ſonus, & ſimilia, quantùm eſt de ſe, multiplicant ſe ſphæricè: paſſum ergo proportionatum tali agenti quantuncunque ſit paruum, cùm tamen ſit ſphæricum, includit partes: & illæ, quæ ſunt partes eiuſdem ſphæræ circunſtantis lumen æquè illuminabuntur. Hoc eſt, tantum illuminabitur medium ſecundùm vnum diametrum eiuſdem ſphæræ circa candelam, ſicut ſecundùm alium: ſed ſi accipiatur alia ſphæra remotior à candela, ambiens primam ſphæram acceptam circa candelam, illa non æquè illuminabitur ſicut prima. Quod ergo dicitur, quòd æquè illuminantur plura illuminabilia, ſicut vnum, verum eſt, quando illa plura ſunt partes eiuſdem illuminabilis adæquati, puta quando ſunt contenta in eadem ſphæra ſiue intra eandem ſphæram reſpectu illuminantis, vt centri †. In propoſito autem duo illi, pro quibus oratur, non ſunt per ſe partes vnius, quod ſit ſuſceptiuum adæquatum boni reddendi virtute orationis: ſed vterque per ſe eſt ſuſceptiuum adæquatum. 11

† *al.* ad circunferentiam.

Contrà, quòd ſecunda ſphæra minùs illuminatur quàm prima, hoc eſt, quia ſecunda eſt remotior à luce, non autem quia ſimul cum ſecunda alia, ſcilicet prima illuminatur: imò ſecunda nullum lumen reciperet, niſi prima ſimul illuminaretur: ergo non minùs recipit hoc vnum paſſum: quia aliud ſimul recipit, ſed quia ipſum eſt remotius ab agente. In propoſito non eſt talis remotio, ſed tantùm diſtinctio recipientium. 12.

Plura mobilia approximata eidem mouenti continentur ſub mobili adæquato eius.

Reſpondeo, duo mobilia poſſe æquè approximari eidem mouenti, neceſſariò concludit illa eſſe mobilia partialia contenta, ſcilicet realiter, vel æquiualenter in vno mobili adæquato; quod ſemper eſt imaginari ſphæricum circa centrum ipſius agentis, & quæ etiam ſunt in eadem totali ſphæra, hoc eſt, infra diſtantiam eiuſdem axis, illa æquè mouentur, & alia non æquè cum illis.

Ad argum. ex glo. n. 5. poſitum.

Ad auctoritatem Hieronymi, gloſſa ponit ibi duplicem reſponſionem. Vna eſt referens hæc ad ipſum celebrantem, vt ſit ſenſus: nihil minus accipitur, ſupple pro ipſo celebrante, quia ſiue pro vno, ſiue pro multis dicatur, ſemper valet ſpecialiſſimè celebranti, & æqualiter, quando eſt æquè diſpoſitus, & æquè ordinatè facit hoc, quod facit: hoc eſt, æquè celebratur pro multis, quando pro multis, & pro vno, quando pro vno.

Melior eſt breuis oratio feruens quam longa, & faſtidioſa.

Alia reſponſio gloſſæ eſt ibi referens ad caſum, in quo loquitur, quod, ſcilicet non minùs valet vna miſſa dicta pro centum animabus cum cordis hilaritate, quàm ſi pro quolibet vno diceretur cum anxietate. Præmittitur enim ibi ſic: *Melior eſt quinque Pſalmorum decantatio cum cordis puritate, ac ſerenitate, & etiam ſpirituali hilaritate, quàm totius Pſalterij modulatio cum cordis anxietate, ac triſtitia*, Et tunc ſubditur illud, quod adductum eſt: *Cùm ergo pro centum*, &c. Et hoc ſecundum fuit fortè ſpecialiter ſecundùm intentionem Beati Hieronymi, volentis loqui ad conſolationem Monachorum, quòd ſi pro multis tenerentur orare: tamen non oportet tot Pſalmos legere: quia vergeret in faſtidium: ſed meliùs ſatisfit illis, ſi pro eis dicantur pauciores, & cum hilaritate: meliùs etiam valet dicenti, ſi poteſt ſtare cum obligatione eius.

COMMENTARIVS.

8. k AD illa in contrarium. Nunc Doctor soluit instantias factas contra conclusionem.

Spiritus non est diuisibilis, ita nec bonum spirituale.

Ad primam de spiritu, & bono spirituali concedit similitudinem quo ad hoc, quòd sicut spiritus non est diuisibilis in plures partes, cùm non habeat quantitatem molis, ita nec bonum spirituale. Concedit etiam quòd sicut idem spiritus numero non potest esse in pluribus corporibus, ita nec idem bonum spirituale potest esse in pluribus potentiis volitiuis. Et vltrà sequitur quòd si plures spiritus, siue plures animæ possent esse in vna anima, illa esset perfectior qualibet earum, ita plura bona spiritualia erunt maius bonum intensiuè, quàm vnum solum, & sic argumentum nihil concludit.

l *Contrà, Saltem bonum spirituale non communicatur per partes, &c.*

Respondet Doctor quòd licèt vnum bonum spirituale quantumcunque intensum non sit realiter diuisibile in plura bona, cùm non habeat partes, & partes, potest tamen intelligi diuidi in plura bona secundùm æquiualentiam, puta si sit bonum intensum vt octo, & sint quatuor bona intésa vt duo, illa quatuor bona æquiualét bono vt octo, quia in illis sunt tot gradus bonitatis, quot sunt in illo vno bono. In proposito, tanto merito debetur adæquatè tantum bonum, illud in se diuidi non potest, sed tamen illi bono æquiualere possunt plura bona minora, & ita ipsum potest diuidi non in se, sed in valore, dum pro ipso diuersa bona minora distincta redduntur, & sic posito quòd quis celebret Missam pro decem, & merito celebrantis correspondeat adæquatè bonum intensum vt viginti, tunc reddentur decem bona illis decem, quæ æquiualent bono intenso vt viginti, & si meritum Missæ tantùm applicaretur vni, tunc illi redderetur bonum vt viginti.

9. m *Contra exempla ista priùs posita instatur per alia exempla, quia non æquè possum portare duo æqualia sicut vnum*, ergò nec similiter merito Missæ correspondent plura bona æqualia sicut vnum, quia sicut plura pondera æqualia faciunt pondus maius excedens virtutem ferentis, ita plura bona æqualia faciunt maius bonum excedens bonum adæquatum merito.

Si dicatur, quòd licèt in mouendo localiter non æquè potest agens in plura, & in pauciora, quia non æquè perfectè potest mouere localiter plura pondera æqualia, quàm pauciora, *tamen in alterando potest* simul plura passa æquè tamen approximata, ita perfectè alterare sicut vnum illorum.

Dicit Doctor, distinguendo de motu, quia aliquis est motus talis, secundùm quem necessariò totum corpus quod mouetur, simul secundùm omnes sui partes mouetur, hoc est, non priùs vna pars, quàm alia, sicut est motus localis, quando enim aliquod corpus localiter mouetur, omnes partes simul mouentur; quando enim cœlum mouetur in illo tempore, in quo incipit motus, omnes partes cœli simul mouentur.

n *Si enim moueretur vna pars continui, alia non mota solueretur continuitas*, patet, quia si aliquod corpus moueretur localiter, & simul omnes partes non mouerentur localiter, sed vna pars præcisè moueretur localiter, certum est quod non posset moueri, nisi diuideretur ab aliis partibus, & sic solueretur continuitas.

o *Alius est motus, quo non est necessariò totum secundùm omnes partes simul moueri, vt est motus alterationis.* Patet, quia aliquod corpus priùs alteratur secundùm vnam partem, quàm secundùm aliam: priùs enim calefit secundùm vnam partem, quàm secundùm aliam.

p *Mobile etiam.* Hîc etiam distinguit de mobili quoad adæquationem virtuti mouentis, quia quoddam est vnum mobile numero, quod sic adæquatur virtuti mouentis, quòd simul non posset mouere maius, aut aliquod mobile minus mobili adæquato; & tale potest simul moueri; sic intelligendo, quòd si mobile adæquatum sit vt octo, & sint duo mobilia, quorum vtrumque sit vt quatuor, posset agens vtrunque mouere, quia illa duo simul sumpta non excedunt mobile adæquatum. 10.

Differentia inter motum localem, & omnes motus

q *Est ergo aliqua differentia inter motum localem, &c.* Si enim aliqua pars continui esset mobile adæquatum mouenti, tunc per se posset moueri localiter, quòd non continget, nisi solueretur continuitas, vt suprà patuit. *Sed in motu alterationis aliqua pars ipsius mobilis potest esse mobile adæquatum mouenti tanta virtutis, sic quòd simul non mouebitur nisi tanta pars.* Patet, quia ignis non simul alterat totum aërem, sed primò, & adæquatè alterat tantam partem, quâ alterata successiuè possunt aliæ alterari.

Subtilis aduertentia.

r *Sed vtrobique, &c.* Vult ergo Doctor quòd habens mobile adæquatum vt octo, ita quòd intelligatur sibi adæquari, sic quòd etiam minimo conatu possit illud mouere, tunc non posset maius mouere, & potens mouere ipsum æquè faciliter totum mouet, sicut & quamlibet partem eius in eo realiter contentam, quia ponitur quod totum sit adæquatum mouenti etiam secundùm minimum conatum, & per consequens totum est æquè mobile, sicut quælibet pars eius. Si etiam pars mobilis accipiatur pro mobili minori, quod non sit pars mobilis adæquati, ad mobile adæquatum est æquè simul mobilis, sicut mobile minus, non sic intelligendo, quòd si mobile adæquatum sit vt octo, & mobile minus sit vt duo, quod non est realiter pars eius, possit vtraque æquè simul mouere. Sed sic debet intelligi, quòd si mobile adæquatum sit vt octo, tunc sint tria mobilia, quorum duo sint vt sex, & aliud sit vt duo, quòd æquè simul mouebit illa tria, sicut vnum illorum, quia illa tria simul sunt mobile adæquatum etiam respectu minimi conatus.

s *Ad exempla illa.* Nunc Doctor respondet ad illa exempla de voce, & de lumine. *Hoc patet in exemplis, lux enim, & sonus, & similia quãtùm est de se multiplicant se sphæricè;* & dicit *quantùm est de se*, quia fortè propter impedimentum non possent se multiplicare sphæricè, *Hoc est tantùm illuminabitur medium secundùm vnam partem eiusdem sphæra circa candelam, sicut secundùm aliam*, & sic totum illud sphæricum æquè simul illuminatur, sicut quælibet eius 11.

pars, & omnes partes illius sphætici æquè simul illuminātur, sicut quælibet seorsum sumpta propter rationem *suprà* positam. *Sed si accipiatur alia sphæra remotior à lumine candelæ ambiens primam sphæram, illa non æquè illuminatur sicut prima.*

Si dicatur, quòd hoc ideò est, quia est remotior, nam si esset æquè propinqua, æquè simul illuminaretur: in proposito, personæ, quibus applicatur bonum Missæ sunt æquè præsentes. Respondet * Doctor quòd *duo mobilia, siue passa, æquè approximari eidem mouenti, siue agenti, necessariò includit illa mobilia*, &c. Vult dicere, quòd talia mobilia æquè approximata si esset possibile, quòd simul illuminarentur non se haberent, vt duo mobilia adæquata, quia hoc esset impossibile, sed se haberent, vt duo mobilia partialia realiter, vel æquiualenter contenta in vno adæquato, vt suprà expositum est. Sed in proposito illi duo pro quibus oratur non sunt partes vnius nec realiter, nec æquiualenter, quòd sit susceptiuum adæquatum boni reddendi virtute orationis, sed vtrunque per se susceptiuum adæquatum.

*nu. 22.

SCHOLIVM.

Sacerdotem posse applicare virtutem sacrificij his, vel illis. Probat ex duobus locis Augustini, & ex congruentia, quia in familiis benè ordinatis, ipse Dominus per se non distribuit singulis, sed aliis id committit. Soluit satis clarè duas rationes in contrarium allatas.

An sit in potestate sacerdotis applicare bonũ, quod debetur Ecclesiæ alicui personæ.

DE Secundo articulo principali tria sunt videnda: primò si in potestate sacerdotis sit applicare certæ personæ bonum, quod debetur Ecclesiæ, vel alicui in Ecclesia virtute sacrificij. Secundò, si sacerdos potest illud bonum applicare pro libito voluntatis suæ. Tertiò, si valet isti æque, quando applicatur sibi, & aliis, sicut si sibi soli applicaretur. 13.

De primo, videtur [a] quòd non: quia instrumentum non habet virtutem applicandi, actionem, vel effectum actionis: agentis enim principalis est applicare virtutem, & actionem: nunc autem sacerdos, quantùm ad virtutem sacrificij, est merè instrumentum: quia organum inanimatum. Licèt enim sit organum viuum, quantùm ad meritum personale in celebrando: quia sic mereri est eius inquantùm in se viuit vita gratiæ, tamen quantùm ad illud bonum, quod debetur virtute sacrificij est organum præcisè ratione ordinis, & æquè prouenit effectus iste virtute sacrificij, etiam si minister in se non viuat vita gratiæ: ergo, &c.

Secundò sic. Bonum, quod non debetur isti, non habet iste ius alij assignandi, vel applicandi: bonum, quod debetur virtute sacrificij, non debetur sacerdoti inquantùm celebrans, sed tantùm ipse est nuntius offerens petitionem Ecclesiæ, & bonum, quod virtute sacrificij debetur, non sibi debetur: quia eadem esset virtus sacrificij, si ipse esset in morali peccato.

In potestate sacerdotis est applicare virtutem sacrificij.

Dico tamen, quòd in potestate sacerdotis celebrantis est aliquo modo applicare virtutem sacrificij. Quod probatur duplici auctoritate: Augustin. in Enchirid. 89. vel 77. *Non est negandum defunctorum animas releuari, cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur*: ergo offerens potest applicare illis sacrificium, & illæ per hoc poterunt releuari.

Idem in sermone de Cathedra sancti Petri: *Ostendam*, inquit, *qua ratione animas defunctorum iuuare possunt adhibeant pro eis Sanctorum preces, & sacerdotali eos prosecutione Domino commendent.* Iuuantur ergo animæ per hoc, quòd sacerdos pro eis applicat virtutem sacrificij

Ad hoc etiam est congruentia vna: quia vbi in domo aliqua aliquod bonum est 14.
distribuendum diuersis secundùm eorum exigentiam, vel indigentiam, rationabile est quòd Dominus domus non immediatè singulis distribuat, sed talis distributio alicui, vel aliquibus certis ministris in domo committatur. Ita videtur regulariter in familiis ordinatis; æquè ergo, vel magis debet ita esse in domo Dei, quæ est Ecclesia: quòd bonum ibi virtute sacrificij communicandum, non solum Deus distribuat, sed aliquis minister in Ecclesia; nulli autem magis conuenire potest in Ecclesia quàm Sacerdoti sacrificium offerenti, cui sicut conuenit determinare intentionem suam, pro quo specialiter offerat: sic conuenit sibi dispensatoriè vel dispositiuè determinare, cui virtute sacrificij bonum, quod impetratur reddatur.

Ad illa, [b] quæ probant quòd nullo modo conueniat Sacerdoti applicare virtutem sacrificij.

Ad primum dico [c] quòd licèt bonum, quod impetratur virtute sacrificij, non impetretur virtute meriti personalis Sacerdotis, sed virtute meriti Ecclesiæ, in cuius

persona

persona fit oblatio, & ob cuius gratiam oblatio acceptatur. Et ideò quoad hoc, scilicet tale bonum sic impetrandum, Sacerdos, licèt sit merè organum, tamen ratione ordinis habet gradum notabilem in Ecclesia, propter quem sibi conuenit offerre, & oblationis virtutem determinare, & in hoc non est præcisè organum, sed minister, & dispensator.

Ad secundum dico, [d] quòd si bonum reddendum virtute sacrificij non debeatur sacerdoti pro se; debetur tamen Ecclesiæ secundùm eius distributionem: quia ipse ex ordine suo est nuntius sponsæ ad sponsum offerens petitiones specialiter pro determinatis personis, & ita dispensatoriè, vel dispositiuè determinans eis illud, quod pro talibus petitionibus reddetur. *Sacerdos, nuntius sponsæ ad sponsum.*

COMMENTARIVS.

12. *Quomodo Sacerdos possit applicare virtutem sacrificij certæ personæ.*

a DE *primo*, &c. Hîc Doctor videtur expressè tenere quòd Sacerdos potest aliquo modo applicare virtutem sacrificij certæ personæ, & per consequens bonum correspondens virtuti sacrificij, siue bonum correspondens merito, quod habetur virtute sacrificij, quod bonum debetur Ecclesiæ, potest certæ personæ aliquo modo applicare, & hoc probat duabus auctoritatibus, quæ patent in litera. Probat etiam quadam congruentia, nam *vbi in domo aliqua aliquod bonum est distribuendum diuersis*, &c. *æquè ergo, vel magis debet esse ita in domo Dei, quæ est Ecclesia*, &c. *nulli autem magis conuenire potest in Ecclesia, quàm Sacerdoti sacrificium offerenti*, &c. ex quo enim potest Sacrificium offerre pro certa persona, ita videtur quòd bonum, quod debetur virtute sacrificij, possit applicare certæ personæ dispositiuè tamen communicando illud: solus enim Deus effectiuè communicat tale bonum, sed Sacerdos distributiuè, ex hoc, quòd producit quandam dispositionem ad tale bonum communicandum, quæ dispositio est oblatio sacrificij pro certa persona, quia credendum est quòd Deus ordinauerit dare aliquod bonum virtute sacrificij illi personæ, pro qua Sacerdos offert illud.

b *Ad illa quæ probant*, &c. nunc Doctor soluit duas rationes factas in principio articuli, quibus probat partem negatiuam, quarum prima est, scil. quia instrumentum non habet virtutem applicandi actionem, vel effectum actionis: & patet, quia instrumentum, propriè loquendo de instrumento, nullo modo attingit effectum principalis agentis, vt patet *in 4. dist. 1. q. 1. & 4.* & vltrà, quia principale agens vtitur instrumento, & non è contra, ideò principali agenti conuenit applicare effectum, qui habetur actione instrumenti: sed Sacerdos in Ecclesia respectu boni, quod debetur virtute sacrificij, est tantùm instrumentum, quia hoc conuenit sibi præcisè ratione ordinis.

c Respondet Doctor quòd licèt bonum, quod impetratur virtute sacrificij, non impetretur virtute meriti personalis Sacerdotis, sed virtute meriti Ecclesiæ.

13. Secundò sic arguit, quia bonum, quod non debetur isti, non habet iste ius alij assignandi, vel applicandi: patet, quia tale non est in sua potestate. Sed bonum, quod debetur virtute sacrificij, non debetur Sacerdoti inquantum celebrans, quia vt sic, est tantùm nuntius offerens petitionem Ecclesiæ, & bonum, quod debetur virtute sacrificij, non debetur sibi; patet, quia eadem esset virtus sacrificij, si ipse esset in mortali peccato.

d Dicit Doctor quòd etiamsi bonum reddendum virtute sacrificij non debetur Sacerdoti pro se, debetur tamen Ecclesiæ secundùm eius distributionem, &c. Et vult breuiter dicere quòd meritum sacrificij tantùm ad Ecclesiam pertinet, ita quòd oblatio sacrificij dicitur præcisè meritoria, pro quanto talis oblatio fit in persona Ecclesiæ, & sic bonum correspondens tali merito, est bonum debitum Ecclesiæ, & Sacerdos celebrans non est causa, nec effectiua, nec dispositiua respectu meriti Ecclesiæ, nec aliquo modo causa respectu boni, vt debiti Ecclesiæ, quia tale bonum præcisè debetur Ecclesiæ, pro quanto oblatio sacrificij fit in persona Ecclesiæ, quia enim Deus acceptat Ecclesiam vt sponsam, ideò acceptat oblationem sacrificij factam in persona Ecclesiæ, pro qua oblatione obligat se Deus, ex sua tamen mera voluntate, velle dare tantum bonum. Tamen Sacerdos, quia minister Ecclesiæ potest dispensatiuè, siue dispositiuè bonum debitum Ecclesiæ specialiter applicare certæ personæ, vel certis personis, & quantùm ad huiusmodi dispensationem non dicitur Sacerdos præcisè instrumentum Ecclesiæ, sed minister & dispensator boni debiti Ecclesiæ virtute sacrificij, siue virtute oblationis sacrificij, quam talis Sacerdos offert in persona Ecclesiæ: quia ergo habet specialem gradum in Ecclesia, scilicet gradum sacerdotalem, quo in persona Ecclesiæ potest offerre sacrificium, ideò dispensatoriè potest etiam applicare illis personis, pro quibus in persona Ecclesiæ offertur sacrificij bonum, quod debetur Ecclesiæ virtute talis oblationis factæ in in persona Ecclesiæ. *Nota.*

SCHO

SCHOLIVM.

Hæc litera continet aliquot dicta. Primum, obligatus celebrare pro vna intentione, si applicuerit eam ad alios, dubium est an tenet. Nihil resoluit, & rationes & authores stant ab vtraque parte, verius puto, licèt peccaret offerens pro aliis, ab his quibus debeat, applicationem tamen valere; alioquin administratio Sacramentorum factà quibus non debes, vel contra Superiorum mandata, non teneret. Secundum, applicatio pro ipso celebrante & pro Ecclesia in communi non subsunt determinationi ministri, benè tamen applicatio media pro aliquo, vel aliquibus specialiter. Constat ex Augustin. allato, & praxi, ac traditione Ecclesiæ. Tertium; ista applicatio media aliquando fit ab Ecclesia instituente, vt Parochi offerant pro suis Parochianis, & alij Sacerdotes pro aliis iuxta suas fundationes. Quòd verò Ecclesia hoc possit, probat ex Hieronymo. Quartum, applicatio debetur ex iustitia iis, qui conferunt ad sustentationem celebrantis. Quintum, obligatus celebrare pro aliquibus, potest secundaria intentione, id est, pro aliquo gradu longè inferiori, appplicare pro aliis. Mouet duo dubia, & non resoluit; primum, an priùs parentibus, quàm Parochianis applicanda Missa? Secundum, an potiùs mortuis, quàm viuis, & peccatoribus, quàm iustis?

An Sacerdos possit pro libito distribuere bonum sacrificij Missæ, & cui libuerit applicare.

DE Secundo [e] autem in isto articulo, scilicet an possit pro libitu distribuere bonum debitum virtute sacrificij: ita, scilicet quòd hoc bonum specialiter reddatur illi, cui ipse specialiter applicat virtutem sacrificij. Diceretur quod non; sed ad hoc, quòd applicatio sua habeat effectum, oportet quòd eam faciat secundùm beneplacitum Dei: quia ipse solus est dator illius boni. & secundùm suum proprium beneplacitum; non ergo dabitur illi, cui Sacerdos applicat: nisi Sacerdos in applicando conformet se voluntati datoris. 15.

Contra hoc, nullam videtur ille habere auctoritatem applicandi, vel assignandi aliquod bonum alicui, cuius applicatio nunquam tenebit, nisi fiat secundùm voluntatem alterius, de qua iste regulariter non potest habere certitudinem; sed Sacerdos celebrans non potest habere certitudinem determinatam de voluntate diuina, cui velit dare bonum reddendum virtute sacrificij: quia nec regulariter hoc Deus reuelat in speciali, nec ex Scriptura habetur doctrina de hoc, nisi multùm remota, & vniuersalis, quæ non sufficit ad sciendum voluntatem diuinam in speciali respectu huius personæ, vel illius; ergo si nunquam applicatio facta per Sacerdotem haberet effectum, nisi esset facta secundùm beneplacitum diuinum, sequeretur quòd Sacerdos nullam haberet auctoritatem applicandi virtutẽ sacrificij, nisi multùm in vniuersali.

Applicatio pro celebrante, & communis, sunt determinata.

Potest ergo dici [f] quòd vbi habetur doctrina certa de applicatione, ibi est sic facienda, ita, scilicet quòd si contrarium fiat, fortè nec ei cui applicatur, valet, & applicanti nocet: quia peccat: Cùm autem oratio possit vt dictum fuit in principio primi articuli alicui tripliciter applicari scilicet specialissimè, generalissimè, & modo medio inter ista, scil. specialiter, licèt non specialissimè. Prima autem applicatio determinata est: quia semper fit ipsi oranti. Secunda etiam determinata est quia semper fit toti Ecclesię: & has duas determinationes facit regula charitatis, quę debet esse potissimè ad seipsum & generaliter ad omnẽ proximũ. Tertia applicatio, scil. media, aliquando vt determinata est ex institutione siue ordinatione Ecclesiæ, quæ in diuersis parochiis instituit diuersos Sacerdotes Parochiales, qui tenẽtur officiare Ecclesias, & celebrare specialiter pro suis parochianis; consimiliter in diuersis collegiis partialibus sunt diuersi Sacerdotes instituti ad offerendũ sacrificium altaris, & specialiùs semper pro illis, qui sunt in tali collegio. De hoc potest accipi illud 7. q. 1 & notat Hieronymus ad Rusticum monachum. *In apibus princeps vnus: grues sequuntur vnam. Roma autem condita duos fratres reges simul habere non potuit.* Et sequitur: *singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archidiaconi, & omnis Ecclesiasticus ordo suis rectoribus regitur.* Hæc ille. Nec tantùm requiruntur rectores in Ecclesia ad correctionem faciendam, sed ad reconciliationem faciendam peccatorum per orationem Ecclesiæ, & hostiam salubrem. 16.

Vide Concil. Trid. sess. 25. ca. 4. de Ref.

Similiter videtur determinari applicatio ex iustitia. Et hoc illis, qui prouident, vel prouiderunt ministris de necessaria sustentatione Hoc modo multi dotauerunt Monasteria & Ecclesias solemnes collegiatas, vel minores Ecclesias, ad hoc vt ministri in talibus Ecclesiis tenerentur celebrare pro illis, & pro illis, pro quibus ipsi intendebant eos obligare. Et est obligatio rationabilis, vt qui recipit eleemosynas temporales, refundat 17.

refundat pro eis suffragium spirituale orationis,& oblationis. Sicut de temporali beneficio refundendo pro spirituali beneficio prædicationis,ait Apostolus 1. Cor.9. *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est si carnalia vestra metamus?* quasi diceret, non. Ex quo ergo licitum est,imò rationabile,quòd eleemosyna requirat orationē; ille, qui cum eleemosyna sua imponit obligationem orandi pro se, rationabiliter facit,& ita ista eleemosyna ad quemcunque succedentem semper transit cum onere sibi imposito:nullus tamen præsumitur se,& suum collegium sic alicui obligare,quòd non posset de cætero alteri aliqua suffragia committere, vel promittere; & ita præsumitur obligatio fieri secundùm intentionem obligantis, præcisè tamen secundùm notulam,licèt non sit hæc obligatio nisi promissoria.

Isti verò,quorum orationes, & oblationes sunt sic determinatæ cæteris personis; non possunt eas pro libitu aliis applicare: quia facerent iniustitiam subtrahendo debitum illis, quibus iam sunt obligati,& intelligo si applicarent aliis, ita specialiter sicut ipsis, & hoc aliis, quibus non æquè obligantur. Si quidem illa applicatio medio modo potest habere multos gradus. Exempli gratia,ponātur tres,& semper ipsa plus valet ei,cui fit in priori gradu,puta si quis sic intendat, quòd quantum potest oblatio valere alicui alij ab offerente,tantum valeat ipsi *A*:& tunc post ipsum *A*, quātum valere potest alicui alteri,valeat ipsi *B*:& post *B* ipsi *C*,& hoc siue per *A* intelligatur vna sola persona,siue multæ, pro quibus vult in eodem gradu orare. Esto igitur, quòd ex ordine Ecclesiæ, vel ex beneficio recepto, tenetur quis offerre medio modo: & hoc in primo gradu pro vno, non præiudicat tamen illi,si medio modo in secundo gradu offerat, vel applicet virtutem oblationis alij, & in tertio gradu tertio, & sic de quibuscunque gradibus:quia nunquam applicatio facta in gradu posteriori subtrahit aliquid illi, cui facta est in gradu priori.

Obligati ad celebrandum pro his,non possunt celebrare pro aliis.

18. Cui autem fieri debet applicatio,g & in quo gradu dubium est:an scilicet curatus debeat priùs applicare oblationem suo parochiano, quàm patri, vel matri. Videtur enim quòd de lege naturæ obligatur parentibus, & illi legi præiudicare non potest positiua obligatio,nec quisquam recipiens obligationem debet velle sibi sacerdotem obligari contra rectum ordinem legis naturæ, & ita interpretandum est, quòd nunquam voluit sacerdotem sibi sic obligari, quin posset liberè reddere semper patri, & matri illud,in quo eis tenetur.

Sed contrà,pater & mater,si sint parochiani alterius sacerdotis,habent eum obligatum ad orandum pro se sicut pro subditis: & videtur quòd obligatio ista spiritualis filiationis præualeat quantùm ad efficaciam.

h Alij autem sunt Sacerdotes in Ecclesia non habentes Curam,nec etiam Cappellaniam,vel Præbendam, ratione cuius sit eorum oblatio applicata certæ personæ, vel certis personis; & tales magis possunt liberè pro suo beneplacito applicare: debent tamen applicationem suam conformare beneplacito summi Sacerdotis, quantum possunt de illo verisimiliter coniicere vel concipere, quod difficile quandoque est percipere in speciali de hac persona,vel illa. Probabilius autem concipitur magis in communi, puta parentibus, benefactoribus, principibus, & prælatis, iuxta illud Apostoli 1.ad Timot. 2. cap. *Obsecro ergo primo*, &c. Pro mortuis etiam iuxta illud 2. Machab.12. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare.*

An curatus debet potius pro patre celebrare, quā pro parochiano. D. Thom.2.2 q.26.art.9. ad 3. *Parentes omnibus in ordine charitatis præfert.*

19. Et adhuc sistendo etiam sic in communi, dubium est, quibus debet offerens medio modo applicare beneficium, & hoc in gradu priori, & quibus in gradu posteriori:nam in aliquibus est maior indigentia,sicut in mortuis,qui non possunt pro se mereri,quàm in viuis;& in peccatoribus,quàm in iustis,qui per gratiam propriam,quam habent, possunt mereri: non sic peccatores, & magis indigenti videtur iustum priùs subuenire:tamen ex alia parte videtur maior vtilitas. Vtilius est enim viatori gratiam augeri,& ex consequenti merita,quàm mortuo solam pœnam remitti:vbi non augetur gratia nec crescunt merita. Videtur etiam quis magis obligatus fratri suo existenti in charitate,quàm peccatori,qui nec Deum diligit,nec à Deo diligitur,sicut iustus: & debeo magis diligere eum, quem Deus diligit, & qui Deum diligit, quàm illum, qui contrario modo se habet. Tutius ergo videtur applicationem facere generalem talem, *Digneris Domine oblationem istam specialiter acceptare pro illis pro quibus nosti me teneri specialiter offerre, & in illo gradu, in quo nosti me teneri pro eis.* Et si in speciali determinetur ad aliquem, vel aliquos, tutius est, quòd fiat sic sub conditione, *si tibi placet.*

Modus diligendi proximum.

COMMEN

COMMENTARIVS.

14. e De secundo, *in isto articulo.* Nota quòd in isto articulo Doctor dubitatiuè loquitur: ex vna parte videtur tenere quòd Sacerdotes in Ecclesia non habentes Curam, nec Cappellaniam, & huiusmodi, quòd possint applicare bonum ad libitum, & ex alia parte videtur tenere, quòd non ad libitum, sed tantùm ad beneplacitum Dei, quia ipse plus est dator illius boni. Et contra hoc secundum arguit Doctor, quia tunc Sacerdos nullam applicandi bonum alicui posset habere auctoritatem, quia celebrans non potest habere certitudinem determinatam de voluntate diuina, cui ipsa velit dare bonum reddendum virtute sacrificij, quia nec regulariter hoc Deus reuelat, cui scilicet in speciali velit dare tale bonum.

f *Potest ergo dici.* Hîc Doctor ponit duas conclusiones. Prima est, quòd vbi habetur doctrina certa de applicatione talis boni, ibi applicatio est sic facienda est, quòd si contrarium fiat, fortè nec ei cui applicatur valet, & applicanti nocet, quia peccat; cùm autem oratio possit (vt dictum fuit in principio primi articuli) alicui tripliciter applicari, scilicet specialissimè, generalissimè, & modo medio inter ista, scilicet specialiter, licèt non specialissimè: sic in proposito, bonum, quod debetur Ecclesiæ potest tripliciter applicari, scilicet specialissimè, generalissimè, & specialiter; primis duobus modis tale bonū semper intelligitur applicatum: nam oblatio sacrificij facta à Sacerdote in persona Ecclesię est meritoria boni debiti Ecclesiæ, & virtute talis oblationis bonum debetur Ecclesiæ, & tale bonum semper intelligitur applicatum toti Ecclesiæ; secundò, ipsi celebranti; tertiò illis, pro quibus Sacerdos in persona Ecclesiæ offert sacrificium, non quòd idem bonum numero detur toti Ecclesiæ, & celebranti, & aliis. Sed sic debet intelligi, quòd quando Sacerdos celebrat, & offert sacrificium in persona Ecclesiæ, debet illud offerre pro tota Ecclesia, & pro se, & pro aliis, & tunc Deus communicat bonum debitum toti Ecclesiæ, & aliquod ipsi Sacerdoti, & aliquod alij personæ, pro qua offert. Prima ergo applicatio, & secunda respectu boni debiti Ecclesiæ semper est determinata, & tertia applicatio videtur aliquando determinata ex institutione Ecclesiæ; aliquando non. Primo modo videtur ista determinatio esse ex hoc, quòd Ecclesia in diuersis Parochiis instituit diuersos Sacerdotes, qui tenentur officiare Ecclesias, & celebrare specialiter pro suis Parochianis, sic quòd eis applicent non tantùm bonum Ecclesiæ, vt suprà dixi, non specialissimè, nec generalissimè, sed specialiter, sed etiam quòd debetur merito personali non specialissimè, nec generalissimè, sed tantùm specialiter, siue in modo medio, & sic patet litera. *Nota.*

15. g *Cui autem fieri debet applicatio,* &c. Dicit Doctor quòd de lege naturæ videtur magis obligari parentibus, & illi legi præiudicare non potest positiua obligatio, nec quisquam recipiens obligationem debet velle sibi Sacerdotem obligari contra rectum ordinem legis naturæ, & ita interpretandum est, quòd obligans Sacerdotem, nunquam voluit Sacerdotem sibi sic obligari, quin Sacerdos possit liberè reddere semper patri, & matri illud, in quo eis tenetur. Posito etiam quòd pater, & mater sint Parochiani alterius Sacerdotis, qui tenetur pro eis offerre sacrificium, sicut pro aliis Parochianis, adhuc videtur dicendum, quòd magis teneatur patri, & matri, quia ius naturæ sic obligat, loquendo tamen de iure naturæ largè sumpto, vt patet *in tertio distinct.* 73.

h Secunda conclusio est, quòd loquendo de aliis Sacerdotibus non obligatis modo supradicto, tales, etsi magis possint pro suo libito applicare bonum, &c.

SCHOLIVM.

Missa non tantum valet virtute sacrificij applicata, multis sicut si vni soli applicaretur. Suadetur vt conclusio primi art. num. 2. Per virtutem sacrificij, seu meritum Ecclesiæ, intelligit Doct. id quod correspondet oblationi independenter à bono motu celebrantis. Quod idem est ac opus operatum, vt constat ex Doctore in initio quæst. num. 2. falluntur ergo, qui dicunt eum sensisse nullum fructum correspondere ex opere operato. Explicat, quomodo bonum reddendum virtute sacrificij correspondet merito Ecclesiæ militantis, & non celebrantis, neque bono contento in Eucharistia præcisè; quia hoc est æquale, quando seruatur in pyxide: meritum autem Ecclesiæ est finitum, & ideò bonum ei correspondens finitum est, & consequenter, quo pluribus applicatur, eo minùs singuli accipient. Etsi dicatur, quòd missa acceptatur voluntate Christi instituentis, offerentis, & acceptationem dantis; adhuc, meritum finitum erit; & hoc est fundamentum huius conclusionis. Vide Doct. 3. dist. 19. & Scholium nostrum ibi ad num. 7. vbi docet etiam meritum Christi non fuisse intrinsecè & simpliciter infinitum, quia fuit à principio finito, & pro finitis, & ad finita acceptatum: tamen extensione, & extrinsecè fuit infinitum, quia à persona infinita, & syncategorematicè pro infinitis sufficienter acceptatum est: & hoc sensu intelligitur extra v. Vnigenitus de pœnit. & rem.

Declaratio quæsiti præcipui. De tertio [i] autem in isto articulo dici potest, sicut in præcedenti articulo, quod, scilicet missa non tantum valet virtute sacrificij applicata pluribus in eodem gradu, sicut si vni soli applicaretur. Hoc declaratur simili ratione, qua prius: quia bonū quod debetur virtute sacrificij, correspondet, secundùm plenam iustitiam, alicui merito 20.

merito in Ecclesia:illud meritum est finitum,& certi gradus : ergo sibi secundùm iustitiam plenam adæquatè correspondet bonum certi gradus reddendum:ita quòd nihil reddetur virtute sacrificij nisi illud,vel inclusum in illo:ergo si totum illud reddatur isti,nihil virtute sacrificij reddetur illi;quia quod daretur illi,nec est istud bonum quod datur isti,nec includitur in illo, vt aliquid eius : & per consequens ex opposito consequentis,si virtute sacrificij aliquod bonum detur illi:non totum datur isti, quod debetur virtute sacrificij:daretur autem ei totum in medio gradu, si sibi soli specialiter applicaretur:ergo,&c. *Bonũ quod correspõdet merito Ecclesiæ.*

Ista autem ratio posset habere instantias,quæ positæ sunt in primo articulo;& consimiliter soluerentur.

21. Sed hîc est [k] quoddam dubium speciale ; nam ibi patet cui merito finito debet correspondere bonum reddendum ; quia merito personali celebrantis. Non ita patet hîc, cui merito correspondet bonum reddendum virtute sacrificij. Et dici potest, quòd non correspondet præcisè bono contento in Eucharistia : illud enim bonum æquale est,quando Eucharistia seruatur in pyxide , & tamen non tunc æquiualet Ecclesiæ,sicut quando offertur in Missa : & siue hoc indistinctè dicatur oblatio Eucharistiæ,siue sit consecratio,siue perceptio, siue oblatio, vel operatio aliqua Sacerdotis in persona Ecclesiæ. Vltra ergo bonum contentum in Eucharistia requiritur oblatio Eucharistiæ. Ista non est accepta nisi sit offerentis accepti,iuxta illud Gen.4. *Respexit Deus ad Abel,& ad munera eius.* Priùs ad Abel, quàm ad munera. Et iuxta illud Lucæ 21. *Vidua hæc paupercula plures,quàm omnes misit* : quia ex voluntate magis accepta ; & Greg.in homil. super illud Matth. 4. *Ambulans Iesus* , &c. *Nec pensat Deus quantum in eius sacrificio , sed ex quanto deferatur affectu.* Vnde si Iudæus obtulisset Patri Christum volentem , vel non volentem , non fuisset ista oblatio ita accepta à Patre : sicut quando Christus spontè se obtulit;imò non fuisset accepta,iuxta illud Ecclesiast. 34. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperis,quasi qui victimat filium in conspectu patris.* *al. ita quòd bonum.* *Intentionẽ pẽsat Deus non opus.*

22. [l] Ex istis patet quòd sicut Eucharistia non præcisè ratione rei contentæ plenè acceptatur:sed oportet quòd sit oblata,sic nec plenè acceptatur oblata , nisi ratione bonæ voluntatis alicuius offerentis: non autem præcisè ratione ipsius voluntatis celebrantis;quia hoc pertinet ad meritum personale,non ad virtutem sacrificij, nec immediatè ratione voluntatis ipsius Christi offerentis ; quia Christus etsi hîc offeratur vt contentus in sacrificio , non tamen hîc immediatè offert sacrificium : iuxta illud Hebr. 9. *Neque vt sæpè offerat semetipsum.* Et ibidem: *Christus semel oblatus est*, supple à selpso offerente : alioquin videretur , quòd vnius Missæ celebratio æquiualeret passioni Christi;si idem esset offerens immediatè,& oblatus. Certum est autem [m] quòd Missa non æquiualet passioni Christi, licèt specialiùs valeat , pro quanto ibi est specialior commemoratio oblationis , quam Christus obtulit in cruce. Iuxta illud Lucæ 22.& 1.Cor.c 2. *Hoc facite in meam commemorationem*:quia fit Missa tam repræsentando illam oblationem in cruce,quàm per eam obsecrando,vt scilicet per eam Deus acceptet sacrificium Ecclesiæ. Obsecratio etiam communiter fit per aliquid magis acceptum ei,qui rogatur,quàm sit sibi supplicatio obsecrantis. Patet in exemplis communiter:si enim supplico vt per salutem,vel pro salute animæ patris hoc mihi facias,suppono tibi magis acceptam esse salutem eius,quàm supplicationem meam : vnde propter illam acceptam volo supplicationem meam acceptari: *& propter quod vnumquodque , & illud magis.* Sic ergo patet [n] quòd Eucharistia oblata acceptatur non ratione voluntatis Christi vt immediatè offerentis : ratione ergo voluntatis Ecclesiæ generalis:illa autem habet rationem meriti finitam : & esto,quòd acceptaretur ratione voluntatis Christi vt offerentis,hoc est instituentis oblationem,& dantis, sibi valorem, & acceptationem, tamen non æquiualeret , nec acceptaretur sicut passio Christi, & ita esset meritum finitum,cui correspondet bonum debitum virtute sacrificij. *Missa repræsentat oblationem crucis, & per eam obsecrat vt acceptetur.* *Primo posteriorum 1.c.5.*

23. Sed cùm acceptetur ratione [o] voluntatis generalis Ecclesiæ : numquid simul Ecclesiæ triumphantis , & militantis ? Non videtur ; imò istud sacrificium est proprium Ecclesiæ militanti , sicut & Sacramentum in quo est sacrificium. *Oblatio sacrificij fit nomine Ecclesiæ militantis tantùm.*

24. Contrà,si est solius Ecclesiæ militantis : ergo si nullus viator esset in gratia , virtus sacrificij esset nulla. Et si vnus solus esset in gratia , æquaretur merito personali illius. Qualiter etiam modò ad meritum istud concurrit motus illius , qui nihil cogitat de oblatione:cuiusmodi est alius à celebrante,nec assistens sibi.

Dici potest, quòd est in eo motus virtualis: vel saltem habitualis, quo vult Deum acceptare preces Ecclesiæ. Propter ista argumenta dici potest sicut dicitur, respondendo ad argumentum principale huius quæstionis in fine.

Additio. *Secundò dicitur, quòd istud meritum est ad meritum passionis Christi, non quòd nunc Christus mereatur: sed quia quando passus est, meruit quòd istud meritum esset ad meritum illud applicabile.*

Leuch. poni vt textum. *Tertiò dico pro prima instantia, quòd nunquam erit Ecclesia militans sine aliquo, qui sit in charitate ex ordinatione Dei, iuxta illud dictum Christi.* Luc. 22. Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.

COMMENTARIVS.

16. *Quomodo valeat missa.* i DE *tertio in isto articulo dici potest*, &c. Dicit Doctor quòd bonum debitum virtute sacrificij plus valet applicatum Petro, quàm si applicaretur sic Petro, & aliis, & loquor de bono debito Ecclesiæ non specialissimè, nec generalissimè, sed tantùm specialiter, siue medio modo accepto. Et quòd plus valeat soli Petro, & simul Petro, & aliis, probatur eisdem rationibus, quibus in primo articulo principali probatum est de bono debito merito personali ipsius celebrantis.

k *Sed hîc est quodam dubium speciale*, scilicet an meritum, quod est virtute sacrificij sit infinitum, & per consequens bonum debitum tali merito sit etiam infinitum. Dicit Doctor primò, quòd *bonum correspondens merito Ecclesiæ non correspondet præcisè bono contento in Eucharistia*, id est, quòd bonum debitum merito Ecclesiæ non est præcisè tantum bonum quantum est Christus contentus in Eucharistia, quia loquendo de tali bono, æquale est etiam quando Eucharistia seruatur in pyxide, quia vt ibi ita perfectè Christus continetur, sicut quando Eucharistia est in manibus Sacerdotis, & tunc bonum debitum Ecclesiæ virtute sacrificij non plus valet Ecclesiæ quando Sacerdos offert sacrificium in persona Ecclesiæ, quàm quando Eucharistia seruatur in pyxide Secundò dicit, quòd vltra bonum contentum in Eucharistia, quod expresè correspondet Ecclesiæ aliud bonum, quod sibi debetur virtute oblationis sacrificij indistinctè loquendo de oblatione siue, scilicet intelligatur ipsa consecratio, siue perceptio sacramenti, siue oblatio, vel operatio aliqua Sacerdotis in persona Ecclesiæ. Et addit, quòd nunquam talis oblatio est Deo accepta, & ordinata ad bonum reddendum Ecclesiæ, nisi sit offerentis accepti, & per consequens existentis in gratia, & hoc probat multis auctoritatibus. Ex hoc sequitur quòd oblatio facta ab existente in peccato mortali non est meritoria, nec Deo accepta, nec ad aliquod bonum ordinata à Deo reddendum, nec sibi, nec Eccle-lesiæ, quia tunc talis offerens non mereretur, sed magis demeretur. *Nota.*

17. l *Ex istis patet, quòd sicut Eucharistia non præcisè ratione rei contentæ plenè acceptatur, sed oportet quòd sit oblata*, videlicet à Sacerdote potestatem habente specialiter offerendi verum sacrificium, vt minister Ecclesiæ; *sic nec plenè acceptatur oblata*, supple vt sit meritoria, *nisi ratione bonæ voluntatis alicuius offerentis.*

m *Certum est autem, quòd Missa non æquiualet Passioni Christi*, quia talis Passio oblata à Christo quo ad sufficientiam fuit meritoria, etiam pro infinitis, & quoad efficaciam fuit singulariter meritoria quoad prædestinatos, vt patet à Doctore in tertio, dist. 19.

n *Sic ergo patet quòd Eucharistia oblata acceptatur non ratione voluntatis Christi, vt offerentis*, &c. Ex quo ergo meritum, quod habetur virtute sacrificij, siue ratione voluntatis generalis Ecclesiæ offerentis sacrificium, siue ratione voluntatis Christi offerentis, & instituentis tale sacrificium, tale meritum est finitum, & per consequens certi, & determinati gradus; sequitur quòd bonum correspondens tali merito secundum strictam iustitiam erit finitum, & certi ac determinati gradus, siue loquendo de bono applicato specialissimè, siue generalissimè, siue specialiter, & per consequens patet quòd bonum debitum virtute sacrificij specialiter, siue medio modo plus valet Petro, si sibi soli applicetur, quàm ubi valeat si simul sibi, & alij applicetur. Et quod dicit de merito passionis Christi non vult Doctor quòd meritum passionis Christi sit formaliter infinitum, etiam acceptatum cum omni circunstantia ad suppositum diuinum, vt subtiliter probat Doctor *in tertio, dist.* 19. Et hoc loquendo intensiuè, tamen extensiuè potest esse infinitum, pro quanto Deus potuit acceptare illam passionem pro infinitis personis, vt patet. Siue ergo tale meritum sit intensiuè finitum, vel infinitum, vel etiam extẽsiuè, adhuc passio Christi oblata ab ipso est simpliciter magis meritoria, quàm Eucharistia etiam oblata ab ipso Christo. *Nota* *An meritum passionis Christi fuerit infinitum.*

o Addit etiam Doctor quòd talis oblatio præcisè acceptatur à Deo ratione voluntatis Ecclesiæ militantis, & non triumphantis.

Contrà. Si est solitus Ecclesiæ militantis, ergo si nullus viator esset in gratia virtus sacrificij esset nulla. Respondet Doctor quòd si sic esset virtus sacrificij minimè valeret Ecclesiæ, tamen non sic est, quia nunquam erit Ecclesia militans sine aliquo qui sit in charitate, & hoc ex ordine Dei, iuxta illud. Lucæ 22. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.*

Arguit etiam, quia si acceptaretur ratione voluntatis Ecclesiæ militantis, sequeretur quòd si vnus solus esset in gratia, quòd bonum debitum Ecclesiæ æquaretur merito personali illius existentis in gratia: patet, quia si meritum personale sit vt octo, ipsius celebrantis existentis in gratia bonum correspondens erit vt octo: cùm ergo bonum debitum Ecclesiæ sit ratione bonæ voluntatis existentis in gratia, videtur sequi quòd tale bonum æquetur merito personali illius solus existentis in gratia. Dico, quòd non sequitur, quia Deus magis acceptat illam oblationem, quæ fit virtute sacrificij, quàm acceptet opus personale. 18.

Deinde

Difficultas. Deinde mouet aliam difficultatem, ſcilicet quomodo ad meritum iſtud concurrit motus illius, qui nihil cogitat de obligatione, cuiuſmodi eſt alius à celebrante, nec aſſiſtens ſibi. Reſpondet, quòd etſi non ſit in eo motus actualis, tamen ſufficit motus virtualis, vel habitualis, quo vult Deum acceptare partes Eccleſiæ.

SCHOLIVM.

Primum dictum huius literæ: ſacerdos poteſt teneri ad celebrandum pro aliquo ex mera promiſſione, vel ſtricta obligatione, primum propter eleemoſynam, ſed ſine commutatione ſpiritualis pro temporali, quia hæc eſſet ſimonia. Secundum, obligatus primo modo eatenus tenetur, quatenus ſi voluit obligare, & non plus. Tertium, obligatus ſtrictè pro iſto, vno titulo, & pro illo, alio titulo, ſi verba ſunt certa ad hunc intellectum, non ſatisfacit celebrando vnam miſſam pro ambobus; & ratio data eſt Scholio præced. Quartum, quando verba poſſunt ſtrictiùs vel minùs ſtrictè ſumi, ad communem ſenſum recurrendum eſt; & in propoſito is eſt, vt obligans aliquem pro ſua intentione celebrare, intendat totum bonum celebrationis ſpecialiter applicabile ſibi deberi. Soluit ſubtiliſsimè duo argumenta ex Iure Canonico contra quartum dictum facientia. Docet num. 19. qui intendit ſe minùs obligare, aliter quàm alius intellexit, teneri iuxta communem ſenſum verborum: ſic qui fictè contraxit matrimonium tenetur verè contrahere, iuxta multos citates in Scholio 4. d. 30. q. 1. num. 6. vbi id habet Doctor.

25. a DE tertio articulo principali dico, quòd ſacerdos poteſt teneri ad dicendum miſſam pro iſto dupliciter. Vno modo ex liberali promiſſione: alio modo ex ſtricta obligatione. Nec intelligo ſtrictam obligationem per conuentionem legalem, ſiue per commutationem ſpiritualis, vt orationis, pro temporali, vt eleemoſyna, quæ data eſt; quia illa videtur Simoniaca. Nec valet dicere, quòd Sacerdos commutaret pro aliquo temporali ſuum laborem corporalem: quia non eſt veriſimile quòd aliquis vellet ſibi tantum dare pro labore corporali in illo actu. Sed eleemoſyna liberaliter offertur, cum mendicatione orationis, & recipiens eleemoſynam tenetur ſecundùm iuſtitiam exaudire mendicantem orationem ſuam, & tunc ſecundùm iuſtitiam, liberaliter tamen, ſcilicet ſine conuentione, & commutatione, obligat ſe ad orandum pro benefactore: vel ſi eſt communitas aliqua, Prælatus eius ſe pro tota obligat, vel ipſam totam obligat, vel ipſa tota ſe totam obligat, & quælibet iſtarum obligationum poteſt eſſe ſtricta, licèt non ſit ſecundùm commutationem huius pro illo. Secundùm iſtud intelligenda ſunt multa, quæ dicuntur in quæſtione, & quæſtionis ſolutione. *Simonia eſt conuentionem facere de dando ſpirituali pro temporali.*

Si primo modo teneatur, in poteſtate promittentis fuit tantum promittere, quantum voluit, & ad tantum ſe obligauit, & non plus. Si tamen iſte intellectus poſſit ſine mendacio ſtare cum verbis quæ habentur *Extra de ſponſalibus: Ex literis*: vbi glo. in fi. dicit, *ſecundùm promiſſorem ſit interpretatio: quia liberum fuit, & licitum ſtipulatori verba latè concipere, ff. de verb. oblig. quicquid*, & tunc ſi reddat ſicut intendebat in promittendo, ſoluit debitum. *Super verbo intelligentiam.*

Si autem teneatur ſecundo modo, ſcilicet ex ſtricta obligatione alia, & alia facta illi, & iſti, de dicendo Miſſam pro eo: poteſt dici tunc, quòd dicendo pro ambobus ſimul, non ſoluit debitum: diſtinguendo tamen de verbis obligationis, poteſt dici quòd aut ſunt certa & ſimpliciter determinata ad vnum intellectum, puta ſi obliget ſe ad dicendum Miſſam pro iſto, vna cum aliis, pro quibus tenetur, vel ſi ex alia parte obliget ſe ad dicendum Miſſam pro iſto ita ſpecialiter, ſicut poteſt Sacerdos ſpecialius pro alio à ſe celebrare: hoc eſt quantum poteſt & meritum perſonale, & etiam virtutem ſacrificij alicui alij ſpecialiùs applicare. Et in iſto caſu quando, ſcilicet obligatio eſt determinata ad certum intellectum, patet quod ſatisfacit, ſi ſecundùm intellectum ſatisfacit, & aliter non. Aliquando autem verba obligationis poſſunt habere diuerſos intellectus, ita quòd poſſunt intelligi ſtrictiùs, & minùs ſtrictè. Puta ſi dicam ſic: dicam pro te vnam Miſſam, & adhuc generaliùs ſic: celebrabo pro te. *Obligatus celebrare pro vno, vna obligatione, & alia, pro alio, nō ſatisfacit vna celebratione pro ambobus.*

Et in iſto caſu, vt videtur, verba accipienda ſunt ſecundùm intentionẽ obligantis, Quod probatur per illud *Extra de Iureiurando, Veniens*: vbi dicitur de quodam A, quòd *cùm graues inimicitias incurriſſet, illi, qui partis vtriuſque amatores extiterant, ſuggeſſerunt prædicto A. quod in ſatisfactionẽ inimicitiarum iuraret quorundã obedire mandato.*

Præmittens per verba non determinatè quo modo obligatur.

Cúmque ille non credens se tale quid commisisse, propter quod ei aliquod graue debet imponi iuramentum illud sub tali confidentia præstitisset: ipsi sibi sub iuramenti debito præceperunt: vt nunquam curiam ducis intraret, nisi cùm omnes per edictum ipsius generaliter ad curiam vocaretur, &c.

Verùm quia ille, qui dicti Ducis est Consiliarius, nequaquam sic intrasset, si mandatum illud sibi contrarium præsciuisset: noueritis nos mandasse Patriarchæ tali, vt si mandatum priori iuramento licitè facto, repugnet ipsum auctoritate nostra denuntiat non seruandum. Vult ergo Papa, quòd illud iuramentum non seruet, quando sibi virtute iuramenti impositum est aliquid tam difficile, quale non credidit imponendum, & ita non videtur teneri nisi in aliis facilioribus, de quibus intellexit, licèt illi, quibus iurauit, intenderunt obligare eum ad illud difficile, quod posteà virtute iuramenti imposuerunt.

In verbo intelligentiam.

Præterea. *Extra de sponsali. Ex literis*, ibi glo. *contra eum fit interpretratio, qui pactum apposuit, qui debuit legem aptiùs apponere. ff. de Pact. veteribus.* Si ergo ille, cui alius obligatur, non ita determinat verba, vt sint omnino certa ad intentionem suam, sibi imputet; quia obligans non videtur se velle obligare, nisi ad illud minus, quod potest stare cum verbis. 26.

Quod verba sint iuxta mentem promissarij.

Sed videtur, quòd verba obligationis sunt accipienda secundùm intellectum, quem habet ille, cui fit obligatio 22. q. 5. Quacunque. *Quacunque arte verborum quis iuret, Deus ita accipit sicut ille, cui iuratur intelligit*, & quotatur ibi Isid. 2. *sent.* Et ibi c. *Proxi. Ecce*, & quotatur August. in sermone quodam, *Qui per lapidem iurat falsum, periurus est, si tu illud sanctum non putes sanctum, putat ille cui iuras: non enim tibi aut lapidi, sed proximo iuras.*

Verba obligant secundum communem eorū sensum. In verbo proposuit.

Responsio ad hoc dubium videtur haberi *Extra de spons. Ex literis.* Vbi dicitur. *Si alter non intellexerit, quod alter proposuit, ad communem verbi intelligentiam recurratur, & cogatur vterque verba prolata in sensu illo retinere, quem solent rectè intelligentibus generare*, Et glo. ibi adducit illud. *ff. de Supellectili legata: lege Habeo, Non ex opinionibus singulorum, sed ex communi vsu nomina sunt intelligenda.*

b Sed quæres quæ est communis intelligentia habenda de talibus verbis? Videtur quòd obligans distinctè sacerdotem ad celebrandum pro se, intendit obligare eum ad illud, quod est sibi vtilius, dum tamen illum ad illud liceat obligare: nunc autem quod maximum bonum, quod debetur virtute meriti personalis, & etiam virtute sacrificij. Medio modo alicui applicandū, totum reddatur isti, est isti vtilius, quàm quòd non totum reddatur; & hoc licet: quia non est contra charitatem quòd vnusquisque bonum spirituale sibi procuret quantum potest sine præiudicio alterius: ergo iste, si intendit sacerdotem obligare, quod scilicet totum illud bonum sibi debeatur: non autem sibi deberetur totum, si simul pro altero celebraretur, sicut declaratum est in primo articulo, quantùm ad illud, quod debetur merito personali; & in secundo articulo quantùm ad illud, quod debetur virtute sacrificij Si ita esset, tunc celebrans pro duobus non solueret debitum isti.

Ad illa, quæ probant verba intelligenda esse secundum intentionem promittentis. 27.

Nō est præsumendum aliquē voluisse se obligare ad illicitum.

Ad primum, præsumitur quòd nullus vult se obligare ad illicitum: & hoc præsumendum est, quandoque non apparet expressè, quòd oblatio sit ad illicitum nunc autem oblationem priùs licitè factam velle auctoritate propria reuocare, est illicitū: ergo præsumendū est quòd nullus aliqua oblatione posteriori hoc velit: & hoc quando verba oblationis sequentis non expressè sonant reuocationem præcedentis: verba ista generalia, *iuro stare mandato vestro*, in intellectu, quem important, videntur licita; nec expressè sonant talem reuocationem oblationis præcedentis. Si ergo virtute iuramenti talis imponatur sibi, quòd non seruet obligationem priorem rectè nterpretandum est, quòd iuramentum suum ad istud non obligauit. Sic est in casu, de quo arguis: quia iste *A*, obligatus fuit Duci vt Consiliarius, & per consequens per iuramentum, quod fecit ciuibus pro pace eorum habenda, nullo modo intelligendum erat obligare eum ad recedendum ab obligatione facta Duci Et breuiter, si hoc in speciali fuisset sibi propositum ad iurandum, nullo modo liceret sibi iurare, & si iuraret, periuraret, & tenetur in hoc non seruare iuramentum, sed obligationē priorem; quando ergo istud in speciali non iurat, sed aliquod iuramentum generale licitum; nullo modo intelligitur in illo istud licitum includi: non ergo Papa mandauit eum absolui à iuramento, sed denuntiari, iuramentum secundum priori iuramento

Exponit c. veniens de iureiur.

liciè

licitè facto repugnare, vel esse repugnans: & ideò non esse seruandum. Intelligo repugnans, non secundùm formam iuramenti; quia generale fuit, & de solùm licitis intelligendum: sed repugnans quantùm ad illud, ad quod ipsi voluerint iuramentum applicare, quod, scilicet virtute iuramenti imposuerunt, & ideò quoad hoc specialiter non est obseruandum. Si tamen aliud imposuisset, quod non repugnaret iustitiæ, ad illud fuisset virtute iuramenti præstiti, tanquam simpliciter liciti, & in tali casu licitè obligatus.

Ad secundum etsi videatur, quòd obligans ita velit se ad modicum obligare, sicut potest stare cum verbis, quæ acceptat ille, cui fit obligatio, & ideò ita modicum soluere sufficit: tamen necessariò fit obligatio secundùm communem verborum intelligentiam, quando alter alterum planè non intellexit. *Promittēs tenetur secundùm communem sensum verborum.*

COMMENTARIVS.

19. a *Quot modis Sacerdos possit se obligare.* De tertio articulo principali, quod erat si Sacerdos soluat debitum simul dicendo Missam pro pluribus quibus obligatur. Et primò Doctor declarat quot modis potest Sacerdos se obligare. Primò potest obligare Missam ex sola liberali promissione. Secundò, ex stricta obligatione, loquendo de liberali promissione, dicit quòd est in potestate promittentis tantum promittere quantum voluit, & ad tantum se obligauit, & non plus, siue ad tantum quantum voluit præcisè. Verbi gratiâ, quis nullo modo obligatus ad dicendum Missam, si dicat alicui, pro quo non tenetur celebrare, puta ex aliquo beneficio recepto ego intendo applicare meritum Missæ tibi talis obligatio est merè liberalis, & in isto casu tantum se obligauit, quantum voluit se obligare:

Secundo modo loquendo de stricta obligatione, &c. Primò declarat per quid intelligit strictam obligationem, & dicit quòd non intelligit strictam obligationem, quæ est per conuentionem legalem, qualis est inter vendentem, & ementem, nec per conuentionem, quæ est per aliquam commutationem, scilicet spiritualis in temporalem, quia illa videtur Simoniaca, Hoc exposito, ponit duas conclusiones. Prima, quod ante verba obligationis, quibus se obligat ad dicendum Missam, si sunt certa, & simpliciter determinata, puta ad hunc intellectum, scilicet dicendo, obligo me ad dicendum Missam pro isto benefactore, vnà cum aliis, pro quibus teneor: tunc dicendo Missam pro illis pluribus, soluit debitum. Secunda conclusio est, quòd obligans se ad dicendum Missam pro aliquo, ita specialiter sicut potest Sacerdos specialiùs pro alio à se celebrare, hoc est, est, quantum potest & meritum personale, & virtutem sacrificij alicui aliis specialiùs applicans, & quo ad hoc dicit Doctor quòd sic obligans, si pro aliquo vno non potest pro duobus satisfacere, & hoc si obligans Sacerdotem ad dicendum Missam intendat eum sic obligare. Et posito etiam quòd Sacerdos sic dicat, ego dicam pro te vnam Missam, pro se tantummodo supradicto scilicet quod applicet sibi bonum Missæ, quantum potest sibi applicari, adhuc tenetur dicere Missam tantùm pro illo, quia verba obligationis, si obligatio est licita, sunt accipienda secundùm intellectum, quem habet ille, cui fit obligatio, vt patet *in secunda, quæst.5. c.quacunque*: quacunque arte verborum quis iuret, Deus ita accipit, sicut ille, cui iuratur intelligit, & dicit de obligatione licita, quia si obligaret eum ad illicita, tunc obligatus non tenetur seruare, & sic exponendum est illud, *extra de iure iurando, c. Veniens.*

20. b *Sed quæ est communis intelligentia habenda de talibus verbis*, puta cùm quis dat eleemosynam Sacerdoti, dicens, do tibi hanc eleemosynam vt dicas mihi vnam Missam, an per huiusmodi verba per se intendit obligare Sacerdotem ad dicendum illam Missam pro se tantùm: Dicit Doctor sic videtur, inquantùm obligans districtè Sacerdotem ad celebrandum pro se intendit obligare eum ad illud, quod est sibi vtilius. Dum tamen illum ad illud liceat ipsum obligare, nunc autem, quòd maximum bonum, quod debetur virtute meriti personalis, & etiam virtute sacrificij ipsius loquendo de bono specialiter, siue medio modo applicando, prout distinguitur contra bonum applicandum specialissimè, & generalissimè, prout in primo, & secundo articulis expositum est.

SCHOLIVM.

Ponit vnum casum specialem, in quo satisfacit pluribus obligatus vnam missam celebrando nempe quando quis fundat anniuersarium. Vbi nouit vnum tantùm sacrum per diem celebrari, resoluit circa hoc varios casus, & clarissimè.

30. Sed nunquid in casu c aliquo speciali satisfacit iste, qui tenetur ad vnam Missam pro eo, si celebrat simul pro eo, & alio.

Dicitur quòd sic, quia rationabilis consuetudo interpretatur obligationem generalem, nunc autem rationabilis consuetudo est, quòd anniuersaria celebrentur in illis Ecclesiis, vbi corpora sepeliuntur: & in quibus Ecclesiis ipsi mortui, dum vixerunt, perceperunt Ecclesiastica Sacramenta: si ergo talis Ecclesia rationabilem consuetudinem habeat, quòd eodem die non *An rationabilis cōsuetudo; quòd plura acceptētur pro eodem die cū vna tantū missa dici possit pro mortuis vbi accepta tantur.*

dicatur nisi vna Missa pro mortuis, si contingat eodem die plura anniuersaria concurrere, satisfit illis multis per vna Missam. Sic ergo videntur Monachi & Clerici in Ecclesiis cathedralibus & aliis collegiatis, & etiam sacerdotes curati satisfacere per vnam missam, quamuis teneantur pluribus, sic quòd cuilibet ad vnam Missam. Isti enim non obligantur ad impossibile, vel omnino ad inconueniens illi Ecclesiæ, in qua ministrant, cuiusmodi essent ibi eodem die plures Missas pro mortuis solemniter celebrare, nec ista difficultas oritur ex aliquo illicito, quia licitum fuit istis obligare se ad anniuersaria suorum familiarium in suis Ecclesiis celebranda, & debet intelligi ista obligatio secundùm rationabilem consuetudinem talium Ecclesiarum.

Secus est de pauperibus religiosis, & sacerdotibus non curatis, nec collegiatis. Tales enim tenentur ad singulas Missas propter singulas obligationes, nec excusaret eos consuetudo, de non celebrando plures Missas eodem die, quia nec habent rationem promittendi illa, ad quæ oppositum sequeretur: quia non habent rationem sic accipiendi anniuersaria; sed tantùm licèt eis ad illa se obligare, de quibus fuerint certi, quòd possint completè soluere.

Fundanti anniuersarium vbi scit vnum tantùm per diem celebrari solere, satisfit per celebrationem cõmunem cũ aliis.

Aliter dici potest [d], quòd benè potest aliquis si voluerit cedere iuri suo, & ideò ille, qui obligat sacerdotem, potest cedere, vt non teneatur solus habere missam: sed simul cum multis, & ista cessio, licèt expressè non fiat quandoque in obligatione, tamen rationabiliter intelligenda est fieri in animo eius, non solùm eius, qui se obligat, sed eius cui fit obligatio: & hoc quando ille, cui fit obligatio, benè nouit consuetudinem Ecclesiæ, scilicet quòd quanquam multis pro eodem die sit obligata: non tamen solet solui, nisi vna missa. Et ideò probabile videtur, si Canonicus talis Ecclesiæ ordinet sibi anniuersarium celebrare, & si multa concurrunt vna die, satisfit dicendo vnam Missam simul pro illis multis. Sed si aliquis nesciens [e] modum illius Ecclesiæ simpliciter intendat obligare ad tantum, ad quantum obligaret Sacerdotem simplicem non curatum, non videtur, quòd isti satisfit, nisi sibi reddatur tantum in Ecclesia collegiata, scilicet propria Missa, quantum teneretur reddere Sacerdos non curatus, quia consuetudo specialis est isti, & licitè ignota, quia iste non tenetur scire consuetudines speciales Ecclesiarum. Non debet ergo esse præiudicium isti: esset autem, si propter illam Sacerdos iste minùs sibi teneretur, quàm alius Sacerdos, modo simili obligatus. Si igitur vult Sacerdos propter suam consuetudinem sibi notam alleuiari, exprimat eam illi ignoranti, & si consentiat, quòd secundùm illam consuetudinem sibi satisfiat, benè quidem. 31.

Quod ergo ibi allegatur rationabilis consuetudo tanquam satisfaciens.

Dici potest, quòd quanquam absolutè possit rationabiliter esse consuetum, quòd in hac Ecclesia fiant anniuersaria defunctorum sepultorum in hac Parochia, absolutè etiam possit esse rationabilis consuetudo, quòd in eodem die in ista Ecclesia non dicatur Missa pro mortuis nisi vna; tamen in casu non possunt ista duo rationabiliter esse consueta, in isto casu, scilicet, quando iustitia requirit pro singulis obligationibus singulas Missas dici: quia æquè requiritur iustitia in Ecclesia collegiata, sicut à simplici Sacerdote, nisi ille, cui Sacerdos tenetur, velit cedere iuri suo: saltem implicitè acceptando pro se consuetudinem illius Ecclesiæ: quam non debet præsumi acceptare, nisi sit sibi nota. 32.

Et cùm dicitur, quòd non tenetur ad impossibile, vel ad inconueniens.

Respondeo: duo possunt esse inter se repugnantia saltem in casu, ita scilicet quòd ambo non iustè fiant simul, & tamen vtrumque eorum diuisim posse iustè fieri, & sicut de iustè, ita de decenter fieri.

Vbi tãtùm vnum anniuersariũ potest dici, iniustè plura acceptantur.

Dico ergo, quòd si ex consuetudine in hac Ecclesia approbata factum est simpliciter inconueniens, hîc plures Missas dici de mortuis eodem die, isti non licet se obligare aliquibus obligationibus, ex quibus sequeretur secundùm iustitiam debere plures dici. Si ergo iam obligatus est ad vnam Missam tali die, non obliget se noua obligatione ad aliam, quia illa noua obligatio non esset ad istam iam debitam: ergo ad aliam, quod est inconueniens in hac Ecclesia. Et cùm dicitur, quòd rationabilis consuetudo est, quod anniuersaria celebrentur in propriis Ecclesiis.

Quando rationabile est anniuersaria celebrare in propria Ecclesia.

Dico, quòd aliquid potest esse in se rationabile: & tamen cum alio non stat, quod absolutè posset esse rationabile in se. Sic absolutè rationabile esset anniuersarium hîc fieri, si possit stare cum ordinatione istius Ecclesiæ, quod ita fieret sicut ipse intendit, qui procurat, sic valet, quòd habeat propriam Missam. sed quando non potest, sicut in casu posito, ibi rationabile est anniuersarium non in ista Ecclesia celebrari; vel si

omnino

omnino ſacerdos iſte velit iſtud anniuerſarium recipere, & tamen conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ ſeruare, procuret Miſſam propriam pro iſto dici ab alio ſacerdote.

Et conſimiliter videtur eſſe dicendum de Eccleſiis dotatis, quarum miniſtri ratione ordinationis Eccleſiæ, vel eleemoſynarum receptarum, iam ſunt dotati, vel certis perſonis obligati ſpecialiter ad tantum numerum Miſſarum, pro quanto ipſi ſufficiunt, vel ad certum numerum ſuffragiorum; non enim videtur, quòd tales ſe licitè poſſunt obligare ad Miſſas, vel ad talia ſuffragia aliis ſoluenda, niſi intendant procurare talia ſpecialiter ſolui per alios, qui non ſunt iam totaliter obligati. *Obligati ad tot miſſas, quot dicere poſſunt, non poſſunt amplius obligari.*

53. De tertio in iſto articulo poteſt dici, quòd in caſu propoſito, abſolutè non ſatisfit Eccleſiæ: quia obligatio completa, ſiue quæ fit in ſolidum, quando eſt alia, & alia ad idem in ſpecie, ipſa eſt ad aliud, & aliud, ſicut patet. ff. Secus eſt, quando eſt ad idem in numero, vt quando pluribus obligationibus obligor hac ſexta feria ieiunare, puta ex præcepto Eccleſiæ: quia eſt ſexta feria quatuor temporum; & iterum, quia eſt vigilia Apoſtoli ieiunanda, & iterum ex regula mea: Iſtis obligationibus, quia ſunt ad idem numero, ſatisfacio vno actu ieiunandi. Secus autem eſt ſi ad idem in ſpecie: & ratio videtur: quia obligatio non eſt ad impoſſibile ſolui: quotcunque autem ſunt obligationes ad hoc, nulli poteſt ſatisfieri niſi ſoluendo hoc: non ergo tenetur ad aliud. Sed quando ſunt plures obligationes ad idem in ſpecie, poteſt ſatisfieri eis ſoluendo aliud, & aliud. Nunc autem in caſu propoſito eſt alia, & alia obligatio completa, & ad idem in ſpecie, ſcilicet ad dicendum Miſſam: ergo ſimpliciter non ſatisfacit, niſi reddat diſtincta. ſ. de oblig. & alibi.

Confirmatur, quia ad aliam obligationem, erat aliud & aliud ex parte eius, cui fit obligatio, alliciens & inducens obligantem, & ita videtur, quòd debeat eſſe obligatio ad aliud, & aliud correſpondens alteri inductiuo.

54. Ad argumentum principale patet ex dictis in ſecundo articulo: quia virtus ſacrificij non adæquatur valori eius, qui continetur in ſacrificio, ſed correſpondet alicui merito in Eccleſia: non etiam adæquatur merito paſſionis Chriſti, ſicut dictum eſt inferiùs, ſed pro tanto ad illud plus accedit, pro quanto illam paſſionem ſpecialiùs repræſentat, & ita virtute illius ſpecialiùs Deum placat, & bonum impetrat, quantùm ad meritum commune. *Virtus ſacrificij non æquatur contento in eo, neque merito paſſionis.*

COMMENTARIVS.

21. *Opinio aliorum.*

c *SEd nunquid in caſu aliquo ſpeciali*, &c. Hîc recitat vnam opinionem, quæ dicit quòd vbi eſt rationabilis conſuetudo, qualis eſt, quòd anniuerſaria celebrentur in Eccleſiis, in quibus corpora ſepeliuntur, & in quibus ipſi mortui dum vixerunt perceperunt Eccleſiaſtica ſacramenta. Si ergo contingat plura anniuerſaria concurrere, ſatisfit illis multis per vnam Miſſam, quia iſte non obligatur ad impoſſibile, vel omnino ad inconueniens illi Eccleſiæ, in qua miniſtratur, cuiuſmodi eſſet ibi eodem die plures Miſſas pro mortuis ſolenniter celebrare.

d *Aliter dici poteſt.* Hîc Doctor expreſsè videtur tenere, quòd non poſſit ſatisfieri in vna Miſſa ſolenni ſimul pluribus anniuerſariis, & hoc ſi illa Miſſa ſit obligata vni anniuerſario, quia tunc tenetur ſatisfacere ſecundùm intentionem obligantis, vt ſuprà patuit. Dicit tamen, quòd ille qui obligauit Sacerdotem ad anniuerſarium poteſt cedere iuri ſuo, vt Sacerdos non teneatur celebrare Miſſam tantum pro ſe, ſed quòd etiam ſic poſſit celebrare pro aliis, & tunc in iſto caſu poteſt Sacerdos obligatus ad dicendum Miſſam pro vno etiam ſimul ſatisfacere pro aliis exceſſione illius obligantis.

e Et addit, *quòd ſi aliquis neſciens modum illius Eccleſiæ*, &c. ſi tamen ſciret tales conſuetudines, & cederet iuri ſuo, vt ſuprà dixi, tunc poſſet ſatisfieri pro eo, & aliis, ſi igitur vult ſacerdos propter ſuam conſuetudinem ſibi notam alleuiari, exprimat eam ignoranti illam, & ſi conſentiant, quòd ſecundùm illam conſuetudinem ſibi ſatisfiat, benè quidem, quia tunc ſatisfacit ſibi, & aliis ſecundùm conſuetudinem illius Eccleſiæ in eadem miſſa. Si verò non conſentiat, tunc non ſatisfacit. Cætera patent.

QVÆSTIO XXI.

Vtrùm ponens mundi æternitatem poßit ſuſtinere aliquem eſſe vniuerſaliter benè fortunatum.

Henric. *quodl.6.quæſt.16.*



Argum. Ltimò quæritur. Vtrùm ponens mundi æternitatem poſſit ſuſtinere aliquem eſſe vniuerſaliter benè fortunatum. Arguitur quòd ſic;quia ponens mundi æternitatem non negat motum,ſed ponit,& per conſequens non negat naturam,quæ eſt principium motus : bona autem fortuna ſecundùm Philoſophum *in libro de bona fortuna,eſt ſine ratione natura,*&c. 1.

5.Phyſ.t.3. Ratio opp. Comm. 15. & 53.& alibi quære.

Contrà ; ponens mundi æternitatem negat Deum poſſe aliquid immediatè influere in animas noſtras, ſicut habetur 8. *Phyſ.* quod impoſſibile eſt,principium æternum , ſcilicet Deum,aliquid agere in inferiora,niſi mediante cœlo , & mediante illo non poteſt fieri influentia in animam noſtram ; ergo nullam influentiam poteſt Deus cauſare ſecundùm illam poſitionem : ſed ponens bonam fortunam habet ponere Deum immediatè in animas noſtras influere , vt habetur in illo libello verſus finem, *Benè fortunatis non expedit conſiliari : habent enim principium tale, quod eſt melius intellectu*, & parum pòſt;*rationis autem principium non ratio , ſed aliquid melius ; quid ergo erit melius ſcientia,& intellectu,niſi Deus? virtus enim intellectus eſt organum*,vult ibi expreſsè,quòd iſti immediatè mouentur à Deo.

Vide in prima d. 2. q.3. op. & d.primo & in Platone de multiplici mundo. Al. eius de mundi æternitate.

Quæſtio iſta , vt patet per argumentum ad oppoſitum,non quærit de quocunque modo ponendi æternitatem,ſed præcisè de modo ponendi Philoſophi , an ſcilicet, cum illis principiis Philoſophi propter quæ ponit mundum eſſe æternum poſſit ſtare aliquem eſſe benè fortunatum. Non poteſt autem aliquarum poſitionum compoſſibilitas videri , vel repugnantia,niſi vtraque poſitio videatur. Hîc ergo primò videndum eſt de poſitione ponentis aliquem eſſe benè fortunatum,& ſpecialiter illa,quæ tangitur in libro de bona fortuna , quæ dicitur fuiſſe Ariſtotelis & ſecundò videndum eſt de poſitione huius mundi æternitatis quæ habetur ex 8. *Phyſ.* & multis aliis locis. Tertiò patebit ſi eſt inter iſtas poſitiones repugnantia. 2.

SCHOLIVM.

Prima concluſio, datur fortuna,& eſt cauſa per accidens eorum,quæ eueniunt in minori parte,actione agentis à propoſito. Secunda concluſio,non diſtinguitur fortuna à voluntate , & intellectu : ſed voluntas , quæ reſpectu intenti eſt cauſa per ſe,reſpectu non intenti eſt fortuna. Tertia concluſio, omnis effectus fortuitus habet cauſam per ſe , nempe primam ; oſtendit Auguſtino.

Phyſ.t.4.

QVantum ad primum,ſufficienter poteſt ſententia Philoſophi de bona fortuna ad duo reduci. Primò , an ſit,& quomodo ſit. Secundò,propter quid, ſiue propter quam cauſam ſit. Primum iſtorum requirit tria,ſcilicet an ſit fortuna. Secundò an bona fortuna. Tertiò,an aliquis ſit benè fortunatus. 3.

De primo habetur [a] ſuccinctè veritas in tribus concluſionibus. Prima eſt affirmatiua, & communi conceptui plurium conſona , & talem philoſophandi modum habuit communiter Ariſtoteles,quia ſupponit ſemper communiter conceſſa. Sicut patet, ponens locum eſſe immobilem , ſicut communiter omnes concipiunt , licèt inquirendo per rationem videatur difficile. Et ponendo tempus eſſe idem numero vbique,quod etiam omnes communiter concipiunt , licèt per rationem aliqua circa hoc difficultas occurrat,& ita in multis, quæ accipit Ariſtoteles tanquam communiter conceſſa:hoc modo poterat accipere tanquam communiter conceſſum,quòd aliquid euenit à fortuna. Manifeſtum eſt enim , quòd agenti à propoſito aliquid euenit præter intentionem,& illud dicitur fortuitum, ſiue effectus fortuitus;eius igitur,

vt ſic

vt sic euenientis, fortuna est causa: qualis autem causa sic, patet ex 2. *Phys.* vbi Philosophus declarat, quod est causa per accidens eorum, quæ eueniunt in minori parte [b] actione agentis à proposito. *Tex.52.*

Secunda conclusio quòd [c] fortuna non est aliqua causa per se distincta à natura & intellectu, siue proposito: imò eadem voluntas, quæ respectu effectus intenti est per se causa, respectu effectus non intenti dicitur esse fortuna: intentum quidem euenit à proposito, & ideò causatur voluntariè: non intentum euenit præter propositum; & ideò causatur fortuitè: falsa est ergo positio Paganorum imaginantium fortunam esse quandam deam, cui tanquam causæ per se attribuunt effectus, quos videmus fortuitè euenire, & fortè, propter istum intellectum malum paganorum reprehendit Augustinus seipsum primo Retract. c.1. *non mihi, inquit, placet toties appellasse fortunam*, &c. Catholici autem potiùs debent talia attribuere prouidentiæ diuinæ, saltem generaliter. *Fortuna quid sit.*

4. d Tertia conclusio est, quod fortuna non est causa totalis, hoc est, quod nihil sic euenit à fortuna, quin eueniet ab aliqua causa per se intendente, iuxta illud Platonis in Timæo. *Nihil est, cuius ortum non præcesscit legitima causa*, & 5. de Ciuit. Dei, c.9. dicit August. *Cicero concedit nihil fieri, si causa efficiens non præcedat*; & hoc rationabiliter concessit, quia quod non est à se non potest habere *esse* nisi à causa efficiente: & ibi requiritur aliqua causa per se, siue intendens, quia sub intentione causæ vniuersalioris cadunt plures effectus, & ita sub intentione causæ primæ caduntomnes: sed quando alicuius effectus non apparet causa proxima per se, siue intendens: tunc ille dicitur effectus fortuitus, vel causalis, & sic est intelligendum illud Augustini de Academicis quæstionibus in principio, vbi dicit, *fortasse nihil aliud in rebus casum vocamus, nisi cuius ratio secreta est.* Et hanc opinionem tangit Philosophus in isto libello cap.2. *Si autem, inquit, à fortuna nihil dicendum est geri, sed nos alia existente causa propter non videre*, hoc est quia non videmus eam, *fortunam dicimus esse causam.* *Lib.2. Omne fortunum habet causam personam.* *Vide in 1. Tract.c.1.*

COMMENTARIVS.

1. a DE *primo habetur succinctè veritas in tribus conclusionibus. Prima est affirmatiua, & communi conceptu plurium consona*, scilicet quòd aliquid euenit à fortuna, & hoc Philosophus non probat, sed supponit manifestum esse, & consonum communi conceptui plurium, *& talem Philosophandi modum habuit communiter Arist. quia supponit semper communiter concessa*, &c. vt patet 4. Physico. tex. comm. 41. vbi vult in fine textus, quòd locus sit vltimum continentis immobile primi, vbi aliter non probat locum esse immobilem, sed supponit vt concessum communiter, & quomodo illa definitio loci intelligatur, vide Doctorem *in secundo, d.2.q.6.* de loco Angelorum. Hoc etiam modo ponit tempus esse idem numero vbique quia communiter omnes hoc concipiunt, si autem non, non erit. Vult dicere, quòd si motus factus, puta in vna hora sit vnus numero, ita & tempus mensurans illum motum erit vnum numero.

b *Quæ eueniunt in minori parte actione agentis à proposito*, & accipitur hîc in minori parte, pro quanto eueniunt præter intentum agentis à proposito, vt prolixè patet à Doctore *in primo, d.2. q.4.* vnde Philosophus 2. Physicorum, tex. comm.21. *Manifestum itaque quòd fortuna causa sit secundùm accidens in his, scilicet & eorum quæ in minori sunt secundùm propositum eorum, quæ propter hoc sunt*, id est, quæ sunt propter finem, *vbi circa idem, & intellectus, & fortuna est*, id est, quod agens à fortuna est agens per intellectum, sicut agens à proposito est agens per intellectum. Diceretur tamen quòd agens per intellectum, & à proposito est causa per se effectus, quem intendit; agens verò per intellectum, & à fortuna est tantùm causa per accidens effectus, qui euenit præter intentionem agentis per intellectum, & à proposito.

c *Secunda conclusio est, quòd fortuna non est aliqua causa per se distincta à natura*, &c. Vult dicere, quòd eadem voluntas dicitur agens à proposito, & agens à fortuna. Dicitur agens à proposito respectu effectus intenti, & hoc modo est per se causa secunda talis effectus, respectu verò effectus, qui euenit præter eius intentionem, dicitur agens à fortuna; & sic est causa tantùm per accidens: fortuna ergo quæ est causa per accidens, non distinguitur per se à voluntate, quia eadem voluntas dicitur & agens à proposito, & fortuna. Potest tamen distingui per accidens, prout voluntas comparatur ad effectum intentum distinguitur à seipsa, vt comparata ad effectum non intentum, quia primo modo dicitur voluntas agens à proposito, & causa per se effectus. Secundo modo dicitur fortuna, & causa per accidens effectus. 2.

d *Tertia conclusio est, quòd fortuna non est causa totalis*, &c. Id est, quòd omnis effectus fortuitus habet aliquam causam per se intendentem talem effectum. Licèt enim inuentio thesauri sit effectus fortuitus, vt comparatur ad Socratem fodientem terram, vt inueniat fontem, quia talis thesaurus non erat intentus à Socrate, tamen inuentio thesauri erit effectus per se intentus ab aliqua causa superiori.

SCHO

SCHOLIVM.

Datur bona fortuna, quia patet, agenti à proposito præter intentionem, euenire aliquod bonum. Diuiditur dupliciter; primò in eam, quæ est illorum, quæ sunt in nostra potestate, scilicet cùm pendent ex nostris actibus, vt inuentio thesauri non intenta; & in eam, quæ non est talium, vt esse diuitem, nobilem. Secundò in bonum acquirendum, & malum fugiendum: ista duplex diuisio habetur ex Philosopho.

Datur bona fortuna.

SEcundo in ista particula [e] quod est de bona fortuna, explicatur in vna conclusione, & duplici distinctione. Conclusio, quæ etiam videtur communiter concessa, hæc est; *bonam fortunam esse*, manifestum enim est quòd agenti alicui à proposito euenit præter intentionem aliquod bonum, & ita cùm bona fortuna [f] dicatur bonus effectus fortuitus, vel magis propriè, licèt minùs vsitatè, causa talis effectus, & illa duo sine se inuicem esse non possint, sequitur quod bona fortuna sit. Hanc diuisionem quasi vocis in significationes, puta bonæ fortunæ, vt accipitur pro causa, vel effectu, tangit Philosophus, cap. 1. *Causam frequenter dicimus ipsam esse: causa autem alienum à nomine: causa enim, & cuius est causa aliud est.* Hæc ibi. 5.

Al. quod est in hoc articulo est, an bona fortuna sit explicatur, &c.

Quis censendus benè fortunatus. Tex. 21. & circiter.

Vlteriùs [g] autem bonam fortunam distinguit Philosophus dupliciter penes ea, in quibus est, hoc est, penes effectus bonæ fortunæ, & est prima distinctio ista: Fortuna bona est in his, quæ non in nobis existunt hoc est, quorum non sumus domini. Sicut exemplificat, nobilem benè fortunatum dicimus, & totaliter cui talia existunt, quorum ipse non dominus est. Alio modo bona fortuna est in his, quæ sunt in nobis: Etenim cui præter cognitionem suam acciderit aliquod bonum operari, benè fortunatum dicimus. Sine ratione enim habens impetum ad bonum, & hoc adipiscens, dicitur benè fortunatus. Vel planiùs, intendens vnum, & in exequendo adipiscens aliud non intentum, & tamen bonum, dicitur in hoc habere bonam fortunam. Ista distinctio bonæ fortunæ penes effectus videtur esse in illud, quod est propriè tale; & in illud, quod est communiter vel minùs proprie tale: nam propriè bona fortuna videtur esse illorum, quæ sunt in potestate nostra: sicut & absolutè fortuna: & hoc sic intelligendo, quod licet fortuitum non sit per se, siue primò in potestate voluntatis, quia non euenit ex intentione eius: tamen est in potestate eius per accidens, & quasi secundariò vt annexum per se intento: respectu autem illorum, quæ nec sic, nec sic sunt in nostra potestate, & per consequens accidunt nobis, non inquantùm agentibus à proposito, non est proprie fortuna, sed casus, sicut patet 2. *Phys.*

Alia est distinctio bonæ fortunæ secundùm effectus, scilicet per se & per accidens: effectus per se est bonum sumere: effectus per accidens est malum non sumere, & hæc distinctio sæpè tangitur in libro.

COMMENTARIVS.

3. e SEcundum in ista particula. Nunc Doctor ostendit secundum principale in primo articulo, quod erat, an sit bona fortuna: dicit, quòd hoc explicatur in vna conclusione, & duplici distinctione.

f *Bona fortuna dicitur causa boni effectus non intenti ab agente à proposito, & illa duo sine se inuicem esse non possunt,* id est, quòd bona fortuna includit quod sit causa per accidens effectus boni, & quod talis effectus bonus sit præter intentionem agentis à proposito, & quia hoc causari videmus, ideò bonam fortunam esse manifestum est. *Hanc diuisionem quasi vocis in significationes, &c. tangit Philosophus in libro de bona fortuna cap. 1. Causam frequenter aimus ipsam esse: causa autem alienū à nomine. Causa enim, & cuius est causa aliud est.* Id est, quòd causa, & effectus sunt aliud, & aliud, & sic bona fortuna, vt accipitur pro causa per accidens effectus boni non intenti, est aliud à bona fortuna, vt accipitur pro effectu bono intento.

g *Vlterius autem.* Nunc ponit duplicem distinctionem bonæ fortunæ, positam à Philosopho *in libro de bona fortuna*, quæ duplex distinctio accipitur penes effectus bonæ fortunæ, nec per se, nec per accidens est ab agente à proposito, & per consequens non est propriè fortuna, sed casus, vt patet 2. *Phys. tex. com.* 59. 60. & 61. vide ibi. Alio modo bona fortuna est in his quæ sunt in nobis, &c. Hoc modo accipitur propriè bona fortuna, scilicet quæ est respectu eorum, quæ sunt in potestate nostra, siue respectu eorum, quæ fiunt ab agente à proposito præter intentionem. Sed impropriè, siue casualiter, accipitur bona fortuna etiam respectu eorum, quæ non sunt in potestate nostra, & propriè respectu talium dicitur casus. Secunda distinctio bonæ fortunæ secundùm effectus est penes per se, & per acidēs, ita quòd effectus bonus præter intentum nominatur effectus per se bonæ fortunæ; & malū non accipere, dicitur effectus per accidens bonæ fortunæ, vult dicere, quòd bona fortuna propriè, & per se est prosequi bonum non intentum. Fugere autē, siue declinare malum non intentum, hoc est tantùm per accidens.

Distinctio duplex bonæ fortunæ.

SCHOLIVM.

Secundum Philosophum nemo ex vno facto dicendus benè fortunatus : neque ex eo, quòd ipsi semper benè fortuito accidit, sed quando in pluribus benè fortuitò accidit. Singulas partes ad mentem Philosophi explicat, & quomodo nullus sine miraculo est vniuersaliter benè fortunatus.

6. TErtium in hac particula, scilicet de benè fortunato, stat in quadam diuisione trimembri. *Al. in hoc articulo.*

Primum membrum, nullus dicitur benè fortunatus eo quòd semel sibi benè accidit fortuitè.

Secundum membrum; nullus dicitur benè fortunatus ex hoc præcisè, quod sibi semper fortuitè benè accidit, quia siue intelligatur sic, quòd cum omni proposito suo annexum est aliquod bonum fortuitum, siue sic, quòd cuicunque proposito suo annexum est aliquod fortuitum, ipsum est bonum: neutrum enim istorum semper accidit sine miraculo speciali. Et hoc non solùm intelligendo vniuersaliter absolutè: verumetiam in tali actu: puta militari, vel negociatiuo, & hoc siue de bono euentu simili, puta victoria, vel lucro; siue dissimili, puta hoc, vel illo annexo casualiter: nullo quidem istorum modorum diceret Philosophus aliquem esse benè fortunatum, sicut nec ratio probabilis persuadet. *Vno actu nemo dicendus benè fortunatus.*

Tertium membrum, quòd aliquis dicitur benè fortunatus: quia sibi, vt in pluribus benè fortunatè accidit. Vnde secundùm Arist. 1. Ethic. *vna hirundo non facit ver*: sic vnus actus, & similiter vnus euentus effectus fortuiti non facit hominem dici benè fortunatum, sed quando accidit ei, vt in pluribus. Vnde dicit Aristoteles in lib. de bona fortuna. *Insipientes existentes dirigunt multa, & ideò quando habent actiones per se intentas, ad quas præter eorum intentiones, euenerunt vt in pluribus bona, dicuntur benè fortunati, & hoc patet ex communi sermone.* Vnde primò Rhethoricæ, *videmus propter bona fortunatas benè fortunatos electos*: *Cap. 5.*

7. Sed estne aliquis vniuersaliter benè fortunatus? Hoc potest dupliciter intelligi. Vno modo, vt cuilibet intento ab eo per se sit semper annexum aliquid bonum per accidens, vt in arte plantandi, & sanandi, &c. Alio modo sic, vt si talis, quòd quandocunque est annexum sibi aliquid fortuitum, illud sit bonum, & credo quòd neutro modo aliquis dicitur vniuersaliter benè fortunatus sine miraculo speciali, quia nullus potest esse quin in actione sua, aliis causis contingentibus concurrentibus possit aliquid malum per accidens concurrere, quia in potestate sua non est concursus aliarum causarum, scilicet vt fodiens fodiat ad bufonem, vel ad serpentem, nisi Deus faceret ex miraculo concursum causarum specialem ad hoc, sed vt in pluribus potest aliquis esse benè fortunatus, & hoc aliquando, quantùm ad bona similia coniuncta similibus propositis, vt quando euenit victoria coniuncta voluntati bellandi. Aliquando quantùm ad dissimilia bona dissimilibus propositis. Aliquando è conuerso, quantùm ad bona dissimilia similibus propositis, & sic est possibile aliquem, vt in pluribus esse benè fortunatum, vt patet per experientiam. *Nemo vniuersaliter benè fortunatus, exponitur.* *Al. cauet vsque ad. Duplex distinctio fortunæ.*

Sed in quibus consistit bona fortuna? Aristoteles dicit *primo Rhetoricæ suæ*, quòd in duobus, scilicet in assequendo bonum præter intentum, & fugiendo malum, vt si quis non incidit in latrones.

Alio modo distinguitur bona fortuna secundùm Aristotelem *in lib. de Bona fortuna*, quòd scilicet bona fortuna dicitur respectu eorum, quæ in nobis sunt, vt quando aliquis intendit vnum per se, & aliud euenit. Alio modo respectu eorum, quæ non sunt in nostra potestate, vt quòd aliquis sit nobilis, & pulcher, diues nascatur, &c.

Et ista distinctio fortunæ est in fortunam propriè dictam, & minùs propriè dictam, quæ magis dicitur casus: quia non est ab agente à proposito, quia non est talis euentus in potestate nostra.

SCHOLIVM.

Deum secundùm Theologos esse causam bonæ fortunæ, quia non habet causam intrinsecam, sed concursum causarum extrinsecarum, qui à Deo fit; sed Arist. posuit eius causam, impetum naturæ

naturæ, quia non potest esse ratio; cùm is qui plus habeat de intellectu, minus habeat fortunæ; nec voluntas, quia cum eadem voluntate, v. g. fodiendi, vni accidit fortuitò bonum, aliter malum. Arguit multipliciter contra Arist. n. 12. docet primam intellectionem esse quodammodò à casu, de quo 2. d. 32. q. 4. n. 5. quia nihil est in potestate voluntatis nisi intellectum: negat tamen esse absolutè fortuitam, sed à causa naturali, scilicet ab obiecto, cuius phantasma fortiùs mouet, vt habet 1. d. 3. q. 2. 21.

Causa bona fortuna, Deus, sed non secundum Arist.

SEd quæ est causa essendi benè fortunatum, quod est secundum principale in primo articulo principali, & hoc de bona fortuna impropriè dicta, quæ non est in potestate nostra. Non inuenio aliquid intrinsecum in homine, propter quod debeat dici benè fortunatus isto modo, sed hoc accidit sibi ex concursu causarum extrinsecarum, qui potest esse ex Deo disponente secundùm Theologos, licèt non secundùm Aristotelem sicut si aurum sit ibi, & aliquis intendens fodere, ipsum inueniat, hoc est ex cōcursu causarum extrinsecarū, & non est alia causa, nisi ipse est magis dispositus, vt causa vniuersalis moueat ipsū ad hunc loçū magis, quàm ad alium. 8.

Al. hoc bonum magis quam aliū vt, &c.

Sed tamen quare ad propositum illius sequitur bonum, & non ad propositum alterius? Aristoteles in libello de bona fortuna inquirit causam intrinsecam, quam dixit esse impetum.

Sed si dicas, tu quæris causam, vbi non est causa: effectus fortuitus non habet causam: Dicendum, quòd notum fuit Aristoteli, quòd sicut illud, quod euenit in pluribus habet causam vt in pluribus vniformiter: ita quod euenit in paucioribus, & difformiter habet reduci ad causam vniformiter agentē, & per se. Causa autem intrinseca, & proxima huius euentus fortuiti, secundùm Aristotelem in prædicto libello, est impetus, dicit enim sic: *Est ergo bona fortuna sine ratione natura, benè fortunatus enim est sine ratione habens impetū ad bona, & hæc adipiscens: hoc autē est naturæ, in anima enim inest tale, natura, quo impetu ferimur sine ratione ad quæ vtique benè habebimus. Et si quis interroget ab operāte, quare sic facit: nescio, inquit, sed placet mihi: simile patiens his, quæ à Deo agūtur. Etenim à Deo vecti sine ratione impetū habent ad operari aliquid.* Vult dicere, quòd aliqui habent *velle*, ad quod sequitur bonū aliquod præter intentum ex impetu, & istā sine ratione; & causa huius impetus est natura. Et diuersitatem hominum accipit Aristoteles per experientiam quod enim iste impellatur, & iste non, cum sine ratione eius, qui impellitur, hoc accidit, non potest esse ratio: ergo causa est natura; sed illa differentia, vel diuersitas non ponit differentiam specificam in natura, sed indiuidualem, quòd enim agens extrinsecum vniformiter agens moueat istum ab bonum & non alium, eiusdem rationis existentes; non potest esse nisi propter aliquid intrinsecum in vno quod non est in alio. Hoc autem non potest esse ratio, vt dictum est, nec aliquid consequens speciem: quia illud vniformiter cuilibet inest: est ergo aliquid pertinens ad indiuiduum; quòd autem non sit ratio, patet, quia *vbi plurimus intellectus, & ratio, ibi minima fortuna; vbi autem plurima fortuna, ibi minimus intellectus*, secundùm Aristotelem nec etiam voluntas, quia similis potest esse actus voluntatis in vtroque, & tamen vnus assequitur effectum fortuitum, & alius non assequitur: ergo illud intrinsecum est impetus à natura proueniens, ideò dicit benè fortunatum, benè natum; quia in eo est dispositio, qua à superiore motore impellitur ad propositum, secundùm quòd eueniunt sibi commoda. 9.

3 Physic. Cap. 1.

Denique parū Theologus & minus Phil. de his cognouit in hoc statu.

De bona fortuna c. 1.

Sed illa dispositio naturalis estne dispositio ex parte animæ, vel corporis?

An impetus sequitur animā secundum Arist.

Respondeo, si Aristoteles intellexit, quòd animæ differunt secundùm gradus naturales in nobilitate, & perfectione: tunc esset dicendum, quòd anima nobilior haberet talem impetum, sicut brutum nobilius habet nobiliorem æstimationem, & nobiliorem instinctum naturalem, ad assequendum commodum maius. Sed non credo Aristotelem sic intellexisse, scilicet quòd iste impetus sequatur aliquem ex nobilitate animæ, quia dicit, *vbi minimus intellectus, ibi maxima fortuna.* Vnde dicit, quòd talem non expedit consiliari: non ergo hoc conuenit intellectui ex sua perfectione, sed quia habet nobiliorem impellentem, sicut nauis malè regibilis meliùs frequenter nauigat, sed non propter seipsam, sed quia habet bonum gubernatorem. In corpore ergo ista dispositio est consequens complexionem determinatam. 10.

Sed est dubitatio qualiter natura est causa istius impulsus ad volendum aliquid, ad quod sequatur commodum præter intentionem operantis; si sicut grauitas est causa descensus deorsum in graui, tunc enim fortuitum non esset à fortuna, quia in natura est aliqua dispositio inclinans ad hoc: licèt non sufficienter motiua.

Item

Item probo, quòd omnia essent à fortuna, si ex hoc dicatur quis benè fortunatus, quia habet dispositionem, qua impellitur ad volendum aliquid, ad quod sequatur commodum sine ratione, & consilio, quia in actibus humanis consilians, nec priùs consiliatur, nec considerans priùs considerat: aliter esset processus in infinitum. In primis ergo actibus non habetur impulsus à ratione cogente ad eliciendum tales actus; ergo eliciuntur sine ratione, & natura, & talis dicitur fortuna; ergo, &c. *Lib. de bon. fortuna nō longè à fine.*

13. h Item tu dicis, quòd aliquis habet impetum sine ratione. Contrà: non est bona fortuna sine actu voluntatis; quia fortuna est effectus contingens consequens effectum agentis à proposito: nunc autem actus voluntatis est circa obiectum ostensum à ratione; ergo talis impulsus ad volendum, non est sine ratione. *Tex. 61. & circiter.*

i Item, si natura impellit aliquem ad volendum & non ratio: ergo non est fortuna, quod euenit, sed casus, quia hæc est differentia inter fortunam, & casum 2. *Phys.*

Respondeo, prima ratio vadit ad hoc, quòd prima intellectio sit fortuna; & si sequitur aliquid bonum, & conueniens, diceretur quis per eam benè fortunatus. *Henr. quodl. 6. q. 19.*

Respondeo igitur [k], & dico quòd secundùm quòd vnus Doctor exponit Philosophum in prædicto libello, videtur velle, quòd prima intellectio, siúe volitio sit à Deo mouente intellectum, & voluntatem, non per ostensionem obiecti, & dicit prædictus Doctor, quòd hæc est sententia Anselmi de casu Diaboli c. 12. qui dicit, *quòd Angelus non habuit primum actum à se.*

Sed credo, quòd habuit primum actum à se, sicut secundum, licèt voluntatem habuit à Deo; ad actum enim volendi non requiritur nisi voluntas, & intellectus præuius ostendens obiectum, & per hoc patet solutio ad rationem suam. *Angelus habuit primum actū à se.*

l Contrà, si Angelus habuit primum actum volendi à se, aut habuit volendo, & sic est processus in infinitum: aut non volendo, quod est inconueniens.

14. Respondeo: [m] dico quòd habendo intellectum ostendentem obiectum, & habendo voluntatem priùs natura, simul tamen tempore habuit *velle*. Dico ergo quòd ista conclusio est concedenda, quoad aliquid, scilicet primam intellectionem non esse à ratione, sed quoad aliquid à casu: quia intelligens non priùs intelligendo intelligit. Prima intellectio non est à ratione ostendente obiectum prius: ergo est à casu quodammodò, secundùm Augustinum lib. 3. de Lib arb. *non est in potestate nostra quin visis tangamur*, & ideò est illud fortuitum, & casuale. [n] *Prima intellectio quodammodò à casu 2. d. 42. q. 4. n. 5.*

Et si arguas. Prima intellectio si sit fortuita, omnia consequentia erunt fortuita. Dico quòd non sequitur: quia habita prima intellectione, & volitione potest aliquis ratiocinari de agendis, & ita quæ sequuntur illam deliberationem, non erunt fortuita, sed à ratione deliberata.

Sed si quæras, primæ intellectiones suntné simpliciter fortuitæ? Dicendum quòd non; quia sunt ab obiectis fortiùs mouentibus secundùm phantasmata magis impressa, cessantibus impedimentis, & sic prima intellectio habet causam naturalem motiuam in nobis; quia tamen non est à ratione deliberante, non est imputabilis homini, nisi interpretatiuè: quia in potestate hominis fuit facere obiectum fortiùs mouens ex frequenti consideratione, ex qua fortiùs imprimatur phantasma tale in memoriam, & per consequens fortiùs mouet & priùs, cessante impedimento. Prima ergo intellectio non est in potestate nostra, sed prima indifferentia, quia potest quis se determinare ad volendum, vel non volendum, hoc est, à voluntate, nòn ab intellectu: quia intellectus ab obiecto naturaliter mouetur, & ideò si voluntas naturaliter moueretur ab intellectu naturaliter moto, voluntas naturaliter moueretur, & sic homo esset vnum bonum brutum: voluntas igitur non mouetur necessitate naturali, sed habita prima intellectione, in potestate eius est conuertere intellectum ad considerandum hoc, vel illud, & hoc, vel illud velle, vel nolle: & sic prima volitio omnino est à nobis, nec est ita à casu sicut prima intellectio. *Secunda intellectio est in nostra voluntate 2. d. 42. q. 4.*

Ad secundum, dicendum quòd Aristoteles videtur dicere in libro prædicto, quòd ille impetus, vel impulsus ad velle aliquid, ad quod consequitur commodum, non est sic à ratione, quòd talis sciat sic reddere rationem, quare hoc facit. Dicendum ergo quòd illud *velle* habet à ratione ostendente obiectum volitum, sed non à ratione consiliante ostendente causam, quare hoc facit distinctè, sed hoc habet ab impetu. *Quomodo impetus sit & non sit à ratione.*

Ad tertium dicendum, quòd licet natura sit mediata causa illius euentus fortuiti, non tamen immediata, sed voluntas vnum intendens, licèt sit aliud eueniens præter intentum, quod dicitur fortuna, non casus.

COMMENTARIVS.

4. h Arguit contra hoc, quod dicit Philosophus, scilicet, quòd aliquis habet impetum sine ratione. *Contra, quia non est bona fortuna, sine actu voluntatis, quia fortuna est effectus contingens consequens effectum agentis à proposito*, id est, quòd effectus fortuitus, est effectus non intentus ab agente à proposito, sed agens à proposito intendit effectum actu elicito voluntatis; sed voluntas non potest velle aliquid non præostensum à ratione; ergo talis impulsus ad volendum aliquid, ad quod sequitur commodum, siue ad quod sequitur effectus non intentus non est sine ratione; ergo effectus fortuitus erit à ratione.

i Item arguit, probando quòd fortuna, siue effectus fortuitus semper sit à ratione; patet, quia si natura impellit aliquem ad volendum, & non ratio, ergo non esset fortuna, siue effectus fortuitus, illud quod sic euenit, sed magis esset casus, siue effectus casualis: patet, quia hæc est differentia inter fortunam, & casum, quia fortuna est ab agente à proposito, siue ab agente per cognitionem, & casus non est ab agente à proposito, vt patet 2. Physic. text. c. 59. 60. & 61.

Opinio Henrici. k *Respondeo igitur.* Hîc Doctor primò recitat vnam opinioné, quæ est Henrici quodlib. 6. quæst. 19. quam non tenet: nam Henricus videtur velle quòd prima intellectio, siue volitio immediatè sit à Deo, ita quòd Deus immediatè mouet intellectum ad primam intellectionem immediatè causando illam in tali intellectu, & similiter immediatè mouet voluntatem ad primam volitionem circa obiectum, immediatè causando illam in tali voluntate, non causando illam per extensionem obiecti tanquam per causam mediam, & dicit quòd hæc est sententia Anselmi, *de casu diaboli, cap.* 12. qui dicit quòd Angelus non habuit primum actum à se. Sed Doctor hoc improbat, quia Angelus sicut habuit secundùm actum à se, ita ad primum: patet, quia ad primum actum volendi non requiritur, nisi voluntas, vt principium immediatè elicitiuum, & intellectus præuius ostendens obiectum circa quod voluntas elicit actum.

5. *Scotus contra Henricum.* l *Contra.* Hîc Doctor adducit vnam rationé Henrici, quia probat quòd voluntas Angeli non potuit elicere primam volitionem, quia aut habuit illam volendo, aut non volendo: non secundum, patet, quia nullus elicit actum volendi non volendo illum. non primum; patet, quia tunc esset procedere in infinitum in actibus volendi, quia si elicit actum volendo illum; ergo priùs habet alium actum, quo vult actum volendi, & tunc quæro de illo alio, aut elicit illum volendo, & per consequens vult illum mediante alio actu volendi, & sic tunc procederet in infinitum; ergo prima volitio erit immediatè causata.

m Respondet Doctor quòd habendo intellectum ostendentem obiectum, & habendo voluntatem priùs natura, simul tamen tempore habuit *velle*, & cùm quæritur, aut habuit volendo, aut non volendo: si intelligatur, quòd habuit volendo, id est mediante alio actu volendi, patet, quòd non, quia tunc esset procedere in infinitum, si verò intelligatur quòd habuit volendo, accipiendo volendo liberè, id est, quòd quando voluntas elicit illum actum. Sic liberè elicit, quòd quando elicit illum, potest non elicere, & in hoc consistit voluntatis libertas. Hoc modo elicit primum actum volendi, volendo illum. Et de hac materia vide prolixius Doctorem *in secundo, d. quinta, quæst. secunda, quæ ponitur addita, & etiam dist.* 25. *Responsio Doctoris.*

Dico ergo. Nunc Doctor soluit rationes priùs factas, dicens quòd ista conclusio est exponenda, quoad aliquid, scilicet, quòd bené prima intellectio non est à ratione, siue non est ab intellectu priùs cognoscente, & per consequens potest aliquo modo dici à casu; sed loquendo de prima volitione dicit, quòd illa est ratione ostendente. *Scotus soluit rationes factas.*

Et ideò est illud fortuitum casuale, pro quanto, scilicet, non est in potestate nostra, nec ab agente à proposito. Licèt enim prima intellectio sit immediatè causata ab intellectu, & obiecto, vt patet à Doctore *in primo, d.* 3. *q.* 7. *& in quodl. q.* 15. & per consequens habeat causam determinatam intendentem illam eo modo, quo natura potest intendere effectum suum, & vt sic non possit dici effectus casualis, vel fortuitus, tamen aliqualiter potest dici casualis, vel fortuitus, pro quanto talis prima intellectio nullo modo est ab agente à proposito, siue ab agenter per cognitionem intendente talem cognitionem.

SCHOLIVM.

Ostendit contra aliquos Arist. hic, & 8. Phys. (vbi videtur dicere nihil nouum posse esse immediatè à Deo) sibi non contradicere, licèt teneatur posuisse Deum causam fortuitorum immediatam: quia non negauit 8. Phys. aliquid de nouo immediatè fieri à Deo absolutè, sed manentibus causis aliis actiuis, & receptiuis. Eodem modo posuit animam de nouo creari ob dispositiones nouas materiæ, quibus positis, Deus necessariò secũdùm ipsum, eam creat. Vide Doctorẽ 1. d. 8. q. 5. n. 6. & 8. vbi agit de opinione Philosophorum, quòd Deus omnia agat necessariò, quodque quicquid agit immediatè, secundùm eos, est necessarium, & d. 42. & supra q. 17. n. 26. & à n. 29. vbi tenet non esse demonstrabile, posse Deum omnia facere immediatè sine aliarum causarum concursu. Hæc de Philosophorũ opinione. Ex quibus patet quomodo aliquis posset esse benè fortunatus, etiamsi mundus esset ab æterno; quia effectus fortuiti in cælum, vel in Deum referrentur; secundùm fidem tenendum (inquit Doct.) Deum habere de omnibus prouidentiam generalem, iuxta quam omnia agunt secundùm naturas suas; & specialem, iuxta quam prouidet cuilibet hominum, secundùm sua occulta iudicia, & aliqua merita sibi nota.

Impetũ etiã secundum Sed de causa extrinseca huiusmodi euentus fortuiti secundùm Aristotelem videtur dicendum, quòd natura non est causa eius: quia natura est determinata ad vnum

vnum, saltem vnitate eiusdem ordinis, & connexionis. Euentus autem fortuiti non videntur habere connexionem, nec ordinationem ad alia: ergo natura non est causa sufficiens, & completiua euentus fortuiti. *Arist. nō esse causam effectus fortuiti.*

Item tunc sequeretur, quòd fortuna esset causa per se.

Item, nullus dicitur benè fortunatus, quia impellitur ad volendum aliquid, ad quod consequitur bonum, nisi illud bonum adipiscatur; sed illud bonum adipisci non potest, nisi causæ intermediæ concurrant ad hoc: cùm ergo natura non potest esse causa sufficiens huius concursus, natura non sufficit: ideò sequitur quod est aliqua causa extrinseca coniungens.

14 Sed, quæ sit illa causa extrinseca secundùm Aristotelem, estné cœlum, vel Intelligentia mouens cœlum mediante cœlo, vel Deus ipse immediatè mouens? Dicendum quòd si nihil sit effectus fortuitus, nisi illud, ad quod causalitas cœli potest se extendere, tunc non est necessarium causam inquirere nisi cœlum, & mouens cœlum, & hoc videtur probabile, quia nihil fortuitum videtur in homine nisi illud, ad quod causalitas cœli se extendit mediatè, vel immediatè. Sed primum non credo esse verum, quia aliquid est in homine, ad quod causalitas cœli non potest se extendere, sicut est volitio, nisi occasionaliter mouendo appetitum sensitiuum, secundùm cuius inclinationem apta est voluntas inclinari: cœlum ergo, quia non potest volitionem attingere, nec etiam causas ad eius causationem coniungere: ideò aliquid est in homine ad quod cœli causalitas non potest attingere. Et si diceretur, & fortè verum est, quòd nullus effectus fortuitus est in voluntate, & coniunctus volitioni per accidens, sed tamen causalitas cœli ad omnia alia se extendit, & sic non oportet aliam causam extrinsecam ponere, nisi cœlum, & Intelligentiam mouentem cœlum, & Deum mouentem mediatè, ita quòd si Aristoteles videtur dicere, quòd tale principium sit Deus, debet glosari, verum est mediatè. *Ad volitionem non se extendit causalitas cœli 2. d 14. q. 3.*

Si autem aliquis effectus fortuitus ponatur in voluntate, cùm cœlum non possit talem effectum attingere, nec causas ad causandum ipsum coniungere, nec aliqua Intelligentia creata: tunc oportet effectus fortuitos in Deum reducere, qui omnia prouidet, & coniungit causas medias ad effectus tales fortuitos causandos.

Sed quomodo hoc potest concordare cum principiis Aristotelis, qui non videtur ponere aliquod nouum immediatè esse à Deo: vnde ipse ponens mundum æternum non posuit motum potuisse esse nouum, nisi secundùm partes, ita quod totus non potuit esse nouus, & ista conclusio potest dependere à tribus principiis, primò propter immutabilitatem primi principij, quia principium est omnino immutabile: ideò nullum motum, nec mobile potest immediatè de nouo producere, quia aliter se haberet nunc, quàm priùs. *8. Phys. t. 15. & 12. Metaph. & alibi.*

Sed non credo quòd arguat solùm ex immutabilitate agentis: imò oportet addere aliquid ex parte effectus, sic quòd agens immutabile non potest immediatè causare aliquid nouum alterius rationis: quia aliter contradiceret sibiipsi: quia Intelligentia omnino immutabilis, secundùm eum, causat nouam partem motus; nec propter hoc est mutabilis, nec † adhuc sufficit, sed oportet tertiò addere sic: agens omnino immutabile non potest causare immediatè aliquid nouum alterius rationis, nulla posita diuersitate in mediis causis actiuis, vel receptiuis: aliter non haberet propositio Aristotelis veritatem: Si enim causæ intermediæ actiuæ sint diuersæ dispositionis in agendo, vel passiuæ diuersæ dispositionis in recipiendo: potest esse diuersitas effectuum: dato quòd in causa prima nulla sit mutabilitas, vel nouitas aliquo modo. *Al. hoc Non concludit Arist. ex immutabilitate, Deū nihil posse facere de nouo.*

15. Dicemus ergo, secundùm Aristotelem quòd agens omnino immutabile non habens causas medias actiuas, vel receptiuas diuersæ dispositionis, non potest causare aliquid nouum alterius rationis; sed aliqua istarum conditionum deficiente non habebimus secundùm Aristotelem vnde concludamus aliquam nouitatem in Deo. *Al. nullam.*

Dicendum ergo, quòd non contradicit sibi *in libello de bona fortuna*, & 8. *Phys.* secundùm quòd aliqui volunt sibi imponere: quia si secundùm primam viam sufficiat omnem effectum fortuitum reducere in cœlum, hoc non ponit aliquam nouitatem, vel mutabilitatem in Deo: quia non causat Deus effectus fortuitos de nouo, nisi mediante cœlo, & hoc non est contra eum: dato etiam secundùm aliam viam, quòd oporteat aliquos effectus fortuitos nouos reducere immediatè in Deum: adhuc non contradicit sibiipsi, quia certum fuit Aristoteli secundùm sua principia animam intellectiuam esse à Deo immediatè: & ad hoc attingere potest ratio naturalis, cùm sit *6. de animal. vel 2. de gen. animal. c. 3.*

immortalis,& ita aliquid nouum poteſt immediatè eſſe à Deo,& tamen non contradicit ſibi ſecundùm ſua principia.

Sed quomodo eſt hoc poſſibile? Dicendum quòd immutabilitas agentis, excludendo cauſas actiuas intermedias, vel receptiuas, concluditur ſecundùm Ariſtotelem quòd non poſſit fieri aliquid nouum alterius rationis: ſed ſi vna conditio defecerit,ſcilicet quando cauſæ intermediæ actiuæ, vel paſſiuæ diuerſimodè ſe habent in cauſando,poteſt cauſare de nouo aliquid alterius rationis. Si etiam effectus cauſandus ſit eiuſdem rationis,poteſt Deus ipſum cauſare immediatè,nulla poſita nouitate in eo,propter diuerſitatem cauſarum receptiuarum, ſicut Sol immediatè ſoluit glaciem & coagulat lutum, nulla poſita nouitate in eo; ita ſecundùm Ariſtotelem hoc corpore organizato,Deus neceſſitate immutabilitatis * cauſat hanc animam:& priùs non: quia materia non erat diſpoſita, ſicut nec Sol cauſat alium, & alium radium in aëre, & in aqua: niſi propter diuerſitatem recipientium;ſic in propoſito,Deus influit vniformiter in quodlibet inquantum poteſt,ſecundùm Ariſtotelem: & quia iſte eſt diſpoſitus,ille non, ideò Deus impellit iſtum ad tale propoſitum;ad quod conſequitur commodum,illum autem non impellit: quia non inuenit in eo diſpoſitionem illam,quam diximus priùs. Et ipſa poſitio Ariſtotelis *de bona fortuna* ſtat cum poſitione ſua, 8. *Phyſ.* ſcilicet quòd Deus non poteſt cauſare nouum mundum, vel nouum cœlum,& nouum motum ſecundùm ſuam cauſalitatem.

Al. ineuitabilitatis.

Sed ſecundùm fidem,& veritatem dicendum eſt, quòd Deus habens prouidentiam generalem de omnibus, regit res, ſecundùm quod natæ ſunt regi: ſecundùm quod dicitur 7.de Ciu.c.30. *Sic Deus res quas condidit*, &c. tamen præter iſtam generalem prouidentiam, habet prouidentiam ſpecialem ex quadam electione, ſecundùm quam prouidet vnicuique hominum,ſecundùm merita præſentia,vel futura, & occulta nobis;tamen ſibi præſentia: quia eius iudicia ſunt ſemper, licèt occulta: ita quòd aliquando aduerſitas plus proficit, quàm proſperitas, ſecundùm Boet. 4. *de Conſo. proſa* 4. ita quod licèt ponamus aliquem benè fortunatum: tamen ex hoc nihil nouum ponimus in Deo: vt dictum eſt. Et ſic patet ad rationes.

Deus omnia fortuita ſpeciali prouidentia prouidet, rationibus ſibi cognitis, nobis occultis.

FINIS.

ADDITIONES QVÆDAM AD QVÆSTIONEM ſeptimam immediatè ante illud, *Iam conſequenter*,&c.



AD Solutiones iſtorum obiectorum Doctor remittit ſe alibi. Poteſt tamen dici ad primum negando conſequentiam, quia licèt intellectus viatoris poſſit ex ſuis naturalibus cognoſcere ibi eſſe perfectiſsimam voluntatem, hoc tamen eſt per conceptum imperfectum: quia non eſt inconueniens per conceptum imperfectum cognoſci aliquid eſſe perfectiſsimum: ſicut per conceptum finitum cognoſcitur aliquid eſſe infinitum; & ideò non ſequitur quòd per talem rationem voluntatis, quam viator habet ex lege communi, poſsit tanquam per medium euidens à priori cognoſcere Deo ineſſe omnipotentiam.

Per conceptum finitum cognoſcitur infinitum.

Ad ſecundum dicendum eſt,quòd qualitercunque ſit de maiore, minor videtur neganda: quia etſi Deus ſit res ſimpliciſsima: non tamen omnis conceptus, quem nos habemus de eo,eſt ſimpliciter ſimplex,& ideò non oportet omnem propoſitionem talem eſſe per ſe propriè:& tamen ſi eſſet per ſe, non tamen ex hoc eſſet per ſe nota.

*Ad tertium dicendum, quòd cognitio Metaphyſici de Deo excedit cognitionem Philoſophi de Deo: tam extenſiuè,propter multitudinem paſsionum, vel proprietatum cognitarum, quàm intenſiuè, propter maiorem perfectionem,& perfectiorem modum cognoſcendi. Et per hoc ad formam argumenti dicatur, concedendo primam conſequentiam, & conſequens ad iſtum intellectum,quòd Metaphyſicus poteſt ad altiorem cognitionem attingere,quàm eſt illa cognitio,*quia, *ad quam non ſufficit naturalis, vel Philoſophicus attingere. Nam in cognitione* quia *eſt dare latitudinem & exceſſum,ſecundùm maius,& minus, tam intenſiuè, quàm extenſiuè: & ideò cùm vlteriùs infertur; ergo poteſt atingere ad cognitionem* propter quid, *neganda eſt conſequentia de demonſtratione* quia,&c.

Cognitio Metaph. de Deo excedit cognitione Philoſophi de eo,& quomodo?

ADDI

ADDITIONES AD QVÆSTIONEM decimam quartam circa finem ante illam particulam,

Et per idem ad secundum n. 26.

2. *EXEMPLVM huius apparet in sensu, quando enim species coloris videtur, sicut quando radius transit per vitrum rubeum, rubor apparet in pariete opposito: & ille rubor ita visus non est ratio videndi ruborem in vitro, sub propria ratione, sed tantummodò diminutè, vel fortè nullo modo, nisi per collationem huius ruboris ad illum, tanquam similis: quando autem species sensibilis est ratio sentiendi obiectum sub propria ratione sua, ipsa non est percepta per sensum, sicut apparet manifestè in visione recta, vbi nihil videtur in medio inter colorem, & oculum: & tamen est ibi species coloris multiplicata.*

Sed contra: licèt hoc sit ibi; in visione tamen reflexa videtur, quòd ipsa species videatur, quia hoc quod videtur, apparet videri in speculo, & tamen in tali visione reflexa species est ratio sentiendi obiectum in ratione sua propria, quia obiectum videtur sub propria ratione visibilitatis suæ: ergo à simili, in proposito posset Deus videri per medium quasi speculatum: & tamen sub ratione propria obiectiua.

3. Vtrùm species sit in speculo subiectiuè.

Sed hîc dicendum, quòd *Alacen* in perspectiua sua lib. 4. cap. 4. *ex intentione determinat quòd species non est in speculo subiectiuè, neque est ibi, vt terminans actum videndi. Et breuiter ostendi potest vnico experimento: quia quod alicubi existens in se videtur ab oculo existente in hoc situ, potest etiam videri ab ipso existente in alio situ; dum tamen medium sit illuminatum, & non sit opacum interpositum, & sit etiam debita distantia: sed oculus, qui in determinato situ existens videret album in speculo, alibi existens, non videret: quia non fit visio ista, nisi in illo puncto, ad quem peruenire potest radius reflexus, qui semper est in eadem superficie cum radio incidentiæ, & cùm ipso constituit angulum æqualem illi angulo, qui intercipitur inter radium incidentis, & corpus, super quod incidit.*

Species accipitur in aëre propinquo speculis.

Patet etiam propositum per hoc, quòd aliqua specula non sunt formaliter perspicua, sicut in calibe polito, & argento polito, benè videtur aliquis color tanquam in speculo: & tamen in istis non recipitur species coloris: quia non est nata recipi nisi in perspicuo tantummodò; ergo hic recipitur in aëre propinquo talibus speculis: sed vt ibi non potest terminare visionem: quando etiam recipitur in speculo perspicuo vitreo, adhuc ibi non terminatur visio, nisi ad aliquid opacum suppositum: puta plūbum, vel aliud huiusmodi. Dico ergo quòd in visione tali speculari species non est visa: sed tantùm ratio videndi obiectum illud, cuius est species, non tamen per lineam rectam, sed per lineam reflexam. Vnde obiectum quidem non est præsens oculo per lineam rectam, sed reflexam concurrentem cum recta in puncto: vbi est concursus radij visualis cum catheco.

ADDITIONES AD QVÆSTIONEM decimam octauam ante illud.

De secundo principali.

NOTA quòd vltra naturalem bonitatem volitionis, quæ competit sibi inquantùm ens, quæ etiam competit cuilibet enti positiuo, secundùm differentiam suæ entitatis maius, & minus, præter illam est triplex bonitas moralis secundum gradus se habens.

4. Quid est bonitas ex genere.

Prima dicitur bonitas ex genere, quæ competit volitioni ex hoc, quòd transit super obiectum conueniens actui tali, secundùm dictamen rectæ rationis, & non solùm, quia conueniens actui tali naturaliter, sicut Sol visioni: & hæc est prima bonitas moralis: quæ ideò potest dici ex genere: quia quasi materialis respectu omnis bonitatis posterioris siue vlterioris in genere moris: nam actus transiens super obiectum conueniens est quasi formabilis per quamcunque aliam circunstantiam moralem; & ita quasi potentiale: non omnino sic extra genus moris sicut fuit ipse actus in genere naturæ, sed in genere moris, quia iam habet aliquid de illo genere; puta obiectum debitum actui.

Bonitas virtuosa quid?

Secunda potest dici bonitas virtuosa, siue ex circunstantia, quæ competit volitioni ex hoc, quòd ipsa elicitur à voluntate cum omnibus circunstantiis dictatis à recta ratione debere sibi competere in eliciendo ipsam: bonum enim est ex causa integra secundùm Dionys. 4. de diu. no. *Et illud est quasi in specie moris bonum:*quia iam habet omnes differentias morales contrahentes bonum ex genere.

Tertia verò bonitas potest dici meritoria, siue gratuita in acceptatione diuina, in ordine ad præmium, quæ conuenit actui; ex hoc quòd præsupposita duplici bonitate, iam dicta elicitur conformiter principio merendi, quod est gratia, vel charitas. Exemplum primi, dare eleemosynam. Exemplum secundi, dare eleemosynam pauperi, qui eget. & in loco, quo potest sibi competere propter amorem Dei. Exemplum tertij, illud opus facere, non tantùm ex inclinatione naturali, sicut potuit fieri in statu innocentiæ: & fortè posset modò fieri à peccatore, si adhuc peccator existens, & non pœnitens ex pietate naturali moueretur ad proximum, sed tantùm ex charitate, ex qua faciens est amicus Dei, inquantùm respicit opera eius; hæc triplex bonitas est ordinata: ita quòd prima præsupponitur secundæ, secunda tertiæ, & non èconuerso. Huic triplici bonitati correspondet triplex malitia. Prima siquidem est malitia ex genere, quando scilicet actus qui tantùm habet bonitatem naturæ ex primo, ex quo debet constitui in genere moris habet malitiam, quia transit super obiectum disconueniens: puta si odire transit super Deum. Secunda autem malitia ex aliqua est circunstantia deordinante actum, licèt habeat obiectum conueniens. Tertia demeritoria.

Triplex bonitas dicta est ordinata.

Triplex malitia opposita triplici bonitati: de his 2.d.7.n.11.12.

CONCI



CONCILIATIONES LOCORVM EX QVODlibetis Scoti, cum aliis eiusdem Doctoris locis, quæ inter se apparenter opponi videntur.

AD LECTOREM.



VM attentè perlegerem Quodlibetorum Doctoris subtilis textum, & cursim, ac per occasiones Leucheti, Gadij, & Tartareti expositiones, ac Paduani Graßis contradictionum libellum, iudicaui gratißimum futurum Scotistis, si loca, quæ in his apparenter dißidere viderentur cum doctrina eiusdem Doctoris in aliis Philosophicis, vel Theologicis operibus, notarem, & in vnum collecta breuiter soluerem: collegi ergo præcipua loca à præfatis auctoribus veluti dißidentia iam pridem obseruata, omißis multis, quæ minoris momenti videbantur, quibus adiunxi, quæ ex propria lectione, notatu digna occurrerunt. Solui, qua breuitate potui, singula, Doctorem secum vbique concilians, & mentem eius plerúmque, vbi res exigebat, ex contextu aperiens; citans determinatè, non tantùm distinctiones, & quæstiones, vt alij hactenus fecerunt, sed articulos, paragraphos, versum, ac numerum, tam in hoc, quàm in reliquis Scoti operibus, vt sine labore loca apparenter opposita, in suo fonte, quando libuerit, examines quæ ex aliis desumpsi, plerumque aliter, semper breuiùs expedio. Quod te monitum esse volui (benigne Lector,) vt, quando nostra solutio, vel pacificatio non arriserit, ad illos recurras. Audeo polliceri collectionem, iis qui Doctoris subtilis doctrinam exactè percipere, & penetrare statuerunt, magno vsui futuram. Vale.

EX QVODLIBETO I.

CONCILIATIO I.

1. *Qua est prima entis diuisio?*



N præfatione ad quodlibeta dicit, quod ens, seu res prima sui diuisione diuiditur in creatum, & in increatum, à se, & ab alio, necessarium & possibile, finitum, & infinitum. *Sed quodl.3.prin.& 1.d.36.q.1.n 9.* ait, quòd primò diuiditur in reale, & rationis: & *quodl.5. fine*, in quantum & non quantum: ergo contradictio. Respondetur, hîc agit de ente reali: *quodlibeto* de ente communissimè sumpto: *& quodl.5.* de ente quoad diuina. Secundò, dici potest quòd sumendo *primum* pro *adæquato*, omnes istæ diuisiones sunt primæ. Primò modaliter Theologicè, in quantum, & non quantum; primò modaliter Metaphysicè, in finitum, & infinitum: primò, per passiones in vnum, & multa. Primò, per quiditates in Deum, & creaturam, substantiam, & accidens. Quisnam ordo seruandus in his, & aliis diuisionibus entis, difficile est præscribere secundùm Scotum. Præter loca citata *1.dist.1.q.2.n.12.* diuidit ens in quiditatiuum, & habens quiditatem, *& d.36.q.1.n.8.9.* in secundùm *quid*, & simpliciter, *& dist.19. q.1.n.3.6.* in vnum, & diuersum. Vide varias entis diuisiones apud ipsum *5. Met. c. 7.*

CONCILIATIO II.

An existentia sit de essentia Dei, vel modus eius intrinsecus.

Art.1.§. Illa entitas, n.3.ad 2. tenet existentiam esse de quiditate Dei; & idem habet *1.d.2. q.2.§. Ex his ad qu. n.4.* vbi ait *esse* prædicari de Deo primo modo per se, & idem ait *3. dist. 22. §. Sed quid Logicè, n.19 & quodl.6. a.1.§. Nunc restat.* vbi ait æternitatem esse modum extrinsecum existentiæ Dei: ergo ipsa existentia non est modus extrinsecus. Hanc partem tenent Leuch. & Tartaret. *in dicta loca.* Radato *2.Controu.2.a.4.* Syrectus, & VVallo *in formalitat.* P.Smising. *tract.1. dist.2.q.1.* Sed oppositum habet Scotus vt videtur *1. dist.8.q.3. fi.n.29.* vbi ait Deum per prius esse infinitum, quàm esse hoc existens; sed infinitas secundùm eum, est modus intrinsecus Dei *ibi n.17. & quodl.5.* & ideò hanc partem tenet Bargius *1.d.2.q.2.§. Ex his.* Fauent. *disp.14.c.2.* Mayron. *1.d.2.q.1.a.& q.7.* Primam partem magis ad mentem Scoti esse puto; quam etiam tenent Viguerius, & Paulus scriptor *in 2. locum citatum, & Gadius hoc quodl.*

2. *An infinitas sit prior existentia Dei, & quid de eius singularitate.*

Ad locum obiectum, non dicit infinitatem esse priorem existentia, sed quòd est prior singularitate, vel hæcceitate: existentia autem non est formaliter singularitas, vel hæcceitas. Ibi potiùs videtur dicere, quòd est de se existens, de se infinitus, & de se hic, quasi hoc ordine. Sed quia fortè ipsa singularitas est de essentia Dei; meliùs dices Scotum loqui secundùm imperfectum modum nostrum concipiendi; quia priùs concipimus in Deo id, quo differt à creaturis, & hoc est infinitas, non singularitas. Dices, Scot.*2.d.3.q.9.§. Ad quæst.n.6.* tribuit Angelo notitiam distinctam abstractiuam diuinæ essentiæ: ergo existentia non est de eius quiditate, alioquin illa notitia foret intuitiua. Respondetur, dicitur abstractiua, quia non est essentiæ, vt existentis, & præsentis, non verò vt abstrahit ab existétia. Contrà, quia *quodl. 7.a.2.con.2.* ait distinctissimam cognitionem haberi posse de Deo à viatore, sine eo quòd tendat in eius existentiam. Respondetur, ibi etiam excludit existentiam vt præsentem, & facialiter visam, quia loquitur de sciétia viatoris, quæ haberi potest citra visionem, vel intuitionem rei existétis, & præsentis. Dices secundò, Scot.*4.d.12.q.2. ad vlt.* ait, si persona diuina esset formaliter infinita secundùm relationem, relatio per se existeret; vbi per infinitatem probat existere. Respondetur, intellige id à posteriori.

Qualis scientia distincta Dei haberi potuit ab Angelo suis viribus.

CONCILIATIO. III.

An habeamus conceptũ simpliciter simplicem de Deo.

Art.1.§. De ista essentia n.3. ait essentiam esse rationem primam simpliciter essendi Deo, & loquitur de simpliciter simplici; *ibi.§. Aliter dicitur*, & alioquin hoc nihil esset singulare, quia etiam diffinitum est conceptus simplex, vt habet Scot.*1.dist.3.q.2.§.Ad secundam quæst.n.21.* Oppositum habet *1.d.2.q.2.num.5.* Vbi ait quòd de Deo pro nunc nullum habemus conceptum simpliciter simplicem, quia quicquid concipias, siue entis, boni, veri, non erit conceptus proprius Deo, nisi addamus aliquid, quo conceptus redditur non simpliciter simplex, vt *summum, increatum, infinitum, immensum:* vnde *1.dist.3.q.1.n.17.* benè ait, conceptum nobiliorem, & perfectiorem, quem de Deo habere possumus pro nunc, esse entis infiniti.

Respondetur, cùm ait essentiam esse conceptum simpliciter simplicem, intelligit vt opponitur conceptui resolubili in conceptus determinabilis, & contrahentis, seu potentiæ, & actus, vt constat *ex §. Aliter dicitur.* Cùm autem dicit Deum non habere conceptum simpliciter simplicem, intelligit de conceptu nullo modo resolubili in plures: quod verum est. Dices, conceptus simpliciter simplex pertinet ad perfectionem: ergo Deo conuenit. Respondetur, ita est in re, sed nostro modo intelligendi, qui non concipimus Deum vt est, perfectior est conceptus non ita simplex, quia plures entis perfectiones comprehendit, vt in exemplis: conceptus entis est simpliciter simplex, sed maximè imperfectus, quia excludit alias perfectiones: dicitur tamen permissiuè perfectus, quia compatitur secum infinitatem. Vide additionem ad Scot.*1.d.3.q.2.n.13.* 3.

Conceptus simpliciter simplex, an perfectior conceptu non simplici.

CONCILIATIO IV.

An intellectualitas sit de essentia Dei.

Art.1.§ Nam contradictio, n.10. ait, quòd vita intellectualis, seu intellectualitas est de quiditate Dei, vel essentiæ diuinæ, ita quòd si definirentur; intellectualitas intraret definitionem. Idem habet *1.Report.d.35.a.4. sed 1.d.26.* soluendo argu. principalia, *n.55.* ait, *intellectualitas dicit modum intrinsecum essentiæ.* Respondetur, hoc loco sumit intellectualitatem pro potentia, & sic est quasi modus intrinsecus, non propriè attributum. De quo vide ipsum *1.d.8.q.4.* quia attributa supponunt rem in suo *esse* intrinseco perfectam, & per modum qualitatis adueniũt, vt sapientia, iustitia. Sed hîc, & in Reportatis sumit intellectualitaté pro natura intellectuali, & sic est de quiditate Dei. Contrà, quia in loco ad oppositum cõparat intellectualitatem rationalitati respectu hominis: ergo non sumit eam pro potentia. Respondetur, non cõparat in rigore, alioquin non diceret esse modũ intrinsecum, sicut nec rationalitas est modus intrinsecus, sed quiditas hominis: comparat ergo

ergo in eo tantùm, quòd sicut in homine rationalitas præcedit attributa,& non est attributum, sic intellectus,& voluntas in Deo non sunt attributa,sed præcedunt ea, & se habent quoad hoc, sicut infinitas, vt ibi ipse Doctor asserit. Vide hic Scholium sextum.

CONCILIATIO V.

4. *An hæc Deus est, sit prima propositio in Diuinis.*

*Art.*1.§.*De ista essentia,num.*3. ait quòd hæc, *Deus est*, est prima omnium in Diuinis. Idẽ habet 1.*d.*2.*q.*2.§.*Ex his ad quæst.n.*4.sed hanc esse primam,*Deus vult*,tenet 2.*dist.*1.*q.*2.*n.*9 *&* 3.*d.* 7.*quæst.*1.*n.*7.*quæst.*3.*Prologi,n.*13. Respondetur, hîc loquitur in ordine propositionum necessariarum,ibi contingentium.

CONCILIATIO VI.

Omne notionale an relatiuum ad intra.

Eodem *ar.*§.*Ex isto secundo,n.*7.Omne notionale est relatiuum ad intrà,& ècontra:& ibidem ait,quòd essentiale est commune tribus.At 1.*dist.* 19.*q.*1.§. *De quarto dico,nu.*4. ait quòd Filius est æqualis Patri ad intrà, & habetur ex symbolo Athanasij,& tamen æqualitas est essentiale, non notionale. Respondetur,hîc loquitur de relatiuo originis,& æqualitas non est talis, & sic non est notionale,sed essentiale. Dices, ibi ad secundum docet Scotus essentiale esse ad se, sed hoc non conuenit æqualitati.Respondetur loqui de essentiali,quod est formaliter infinitum, dicens perfectionem simpliciter.

CONCILIATIO VII.

An attributa d'stinguãtur ex natura rei.

*Eodem art.*1.§.*Secunda ratio,n.*8.*&* §.*Secunda ratio,n.*11 ait attributa esse in Deo ex natura rei, scilicet distincta.Quod fusè probat 1. *dist.*8.*q.*4. Sed 4.*dist.*46.*q.*3.*in fine*, admittit quot sunt formalitates, tot esse res: ergo si distinguantur formaliter, & realiter. Respondetur, tantùm ait id posse concedi, sed formalitates sunt realitates, seu res(inquit)secundùm *quid*, quo sensu Cassiodorus(quem ibi citat)in Psal.50.vocat misericordiam,& iustitiam Dei,duas res.

CONCILIATIO VIII.

An secunda intentio sit passiua comparatio.

Ibidem §.*Tertia ratio,n.*12.innuit,quòd secunda intentio est passiua comparatio,quia duo obiecta ab intellectu comparantur. At videtur dicere 1.*d.*23.§.*Contra opin.n.*2. esse comparationem actiuam. Respondetur, est actiua respectu potentiæ, vel actus: & passiua respectu obiectorum. Obscurum satis est,quid sit secunda intentio secundùm Scotum. De quo vide eum, *q.* 3. *Vniuersal. & ibi* Maur.& formalistas, *q. de ente rationis*, VVallonum *p.*31.

CONCILIATIO IX.

An notionalia præcedãt essentialia.

*Art.*2.§.*Secunda conclusio,n.*16 docet notionalia in Diuinis præcedere essentialia ad extrà, vt creare,prædestinare,& intelligere creaturas. Idẽ ait 2.*d.*1.*qu* 1.*art.*1.*n.*2.sed 1.*d.*4.*q* 2.§.*Respondeo nu.*3. docet,quòd Deus Deitate est hîc, & in illo conceptu nulla includuntur supposita,*& hoc modo*(inquit)*fortè hac est vera*,Deus creat, *& similes,intelligendo subiectum pro hoc Deo existente in natura diuina*, *non intelligendo suppositum*: ergo ista ad extrà præcedunt notionalia.Respondetur, tantùm vult quòd ista conueniunt, non ratione suppositorum, *quia incommunicabilitas* (inquit) *non est ratio talium*:nam si per impossibile tantùm esset vna persona, vt posuit Auerroës 12. *Met. com.*39.illa faceret omnia ad extrà,eodem modo, sicut tres faciunt,vt benè Doctor 2.*d.*1.*q.*1.*ar.*3. verè tamen præcedunt productiones ad intrà omnem productionem, & operationem, seu intellectionem ad extrà,vt probat Doctor *loco* iam *citato artic.* 1. *&* 2.

CONCILIATIO X.

An Pater sit priùs beatus, quàm generet.

*Art.*3.§.*Ad argumenta probantia,nu.* 20. ait quòd Pater priùs nouit omnia in se,quàm in Filio,*&* 1.*d.*1.*q.*2.§.*Quantùm ad istũ,n.*5.quòd est priùs perfectè beatus,quàm generet.Sed *quodl.*4. *a.*3.*&* 1.*d* 28.*q.*3.*ad primum*,docet,quòd paternitas, & generatio ex natura rei sunt idem formaliter,nec priùs intelligit omnia in se, quàm in Filio, quia per generationem Filij est Pater. Respondetur,sensus est,non quòd in aliquo instanti sit beatus,vel intelligat, in quo non generet, vel non sit Filius,sed quòd licèt simul natura sit cum genito, est tamen prior origine ipso, & pro illo priori beatus,& omnia intelligẽs,id est, à se beatus, & intelligens:Filius autem licèt sit simul natura intelligens,& beatus,est tamen posteriùs origine talis,quia ab alio,non à se. Dices,quomodo capi potest,quòd priùs sit beatus, vel intelligãt, quàm sit?constituitur enim per generationẽ, vel relationem ad Filium:ergo anteà nullã habet prioritatem,quia nec ipse est. Respondetur, iam dixi prioritatẽ originis non explicari per instans *in quo*,sed is dicitur sic prior, *à quo alius*, & posterior, *qui ab alio*: vnde licet simul sint natura Pater,& Filius, generatio passiua & paternitas: Pater est prior origine, quàm Filius, seu quàm generet,vel respiciat Filium, id est, generando, vel respiciendo Filium, ipse est à se, seu *à quo alius*,Filius verò *qui ab alio.* Vide Doct. de hac

Prioritas originis explicatur,non per instans in quo.

prioritate 1.*d.*12.*q.*2.*&* *d.*28.*q.*3.*n.*9. *&* 2.*d.* 1. *q.*1.*a.*1.*&* *quodl*,4.*a.*1.*n.*4. *Bargius* 1.*d.*1. *q.*2. explicat illam propositionem, *Pater priùs est beatus,quàm generet*;ita vt*Pater* supponat pro Deo, non pro prima persona. Sed hinc sequitur Deũ, vt abstrahit à supposito, generare: quod repugnat; quia generans re distinguitur à genito ex Augustino 1.*de Trinit.c.*1.*&* 2.*de anima text.*47. at Deus est verè,& realiter Pater,Filius,& Spiritus sanctus,vt benè probat Doctor, (& est de fide)1.*d.*4.*q* 2.

EX QVODLIBETO II.

CONCILIATIO I.

Quo aliquid est extra causam,vel intellectum, eo est hoc primo.

ART. 1. §. *Tunc arguo n.* 6. ait, *quo aliquid est extra causam, & intellectum, eo est hoc primo, quia sic esse non competit nisi huic.* Sed 2 *d.*3.*q.*1. fusè probat naturam non esse hanc, vel indiuiduam de se,vel ex se: *&* *q.*6. §. *Etsi quæras n.*15. docet indiuiduari per hæcceitatem, quæ est vltima realitas formaliter distincta ab ipsa: ergo contradictio. Respondetur, hîc non vult rem esse de se singularem, sed benè per aliquid sibi intrinsecum,esto formaliter distinctum.Negat ergo tantùm per prædicta verba rem indiuiduari per aliquid extrinsecum: subiungit enim: *ergo frustrà quæritur ratio singularitatis per aliquid extrinsecum.*

CONCILIATIO II.

Quare intellectio creata supponit dictionem, diuina non.

*Ar.*1.§.*De secunda ratione n.*8. docet omnem intellectionem creatam fieri per dictionem:secus in Diuinis, vbi intellectio essentialiter prior est dictione. Quod etiam ait 1.*d.*2.*q* 7.§. *Ad* .. *dubium n.*22. Sed *quodl.*1. *a.* 2. §. *Tertia Conclusio. n.*16. ait, quòd qualis est ordo realis inter aliqua, quando realiter distinguuntur, talis est ordo formalis,vel rationis,quando formaliter, vel ratione distinguuntur:ergo si in creatis, vbi realiter

ter distinguuntur, *dicere* est prius, quàm *intelligere*, idem erit in Diuinis, vbi formaliter, vel sola ratione distinguuntur. Respondetur, ita est, comparando *dicere*, seu actum intellectus productiuum ad actum eiusdem productum: est enim idem ordo in Diuinis, & creatis: sed quoad intellectionem improductam, seu essentialem non est similis ordo in creatis, quia omnis intellectio creata est producta.

Conciliatio III.

An plurificabile potest de se extendi ad infinita?

*Art.2.§.Hæc propositio n.*17. ait, *quodcunque plurificabile eiusdem rationis potest, quantùm est de se, extendi ad infinita, nisi aliunde determinetur.* Idem habet 1.*d.2.q.7.nu.36* Sed 1.*d.2.q.7.§. Dico tunc ad q.n.18.& §.Nunc restat n.35.* docet essentiam diuinam, quæ est de se communicabilis, tribus tantùm personis communicari posse. Respondetur, quòd essentia non plurificatur, neque etiam communicatur pluribus eiusdem rationis, quia diuersa ratione procedunt personæ, vt hîc docet Doctor *ar.3. & 2.d.2. q. 7.§. Dico tunc ad quæst. n.18.* procedit enim Filius per intellectum, quomodo natus, & Spiritus sanctus per voluntatem, quomodo datus.

Conciliatio IV.

8. *An processiones distinguuntur ex principiis?*

Ar.3.§.Tertio modo n.25. ait processiones distingui quasi specie ex principiis formalibus, quia vna per memoriam fœcundam, alia per voluntatem fœcundam. Idem ait *quodl.*16. Sed 1.*d.*13 §.*Ad quæst.num.*18. ait distingui se ipsis, ita quòd non sit quærendum, per quid distinguuntur. Respondetur originatiuè suis principiis distingui, sed formaliter se ipsis: ita se explicat ibi: & ponit exemplum de differentiis oppositis, quæ se ipsis formaliter differunt, sed effectiuè per ea, à quibus habent *esse*: sic in proposito. Vide eum 1.*d.26.n.46.* vbi ait, *quòd Pater est à se formaliter, ab essentia fundamentaliter incommunicabilis.* Posset etiam dici, quòd terminatiuè distinguitur per suos terminos totales. Vide Bargium, Lichetum, & Viguerium in locum illum.

Conciliatio V.

Quod conuenit vni, & non alteri, an supponat duo distincta.

Art.1.§.Tunc arguo, n.6. ait, *si aptitudo conuenit huic, & repugnat illi: ergo præexigit in eis distinctionem.* Sed 1.*d.3.q.6.§. Ad quæst.n.9.* docet hæcceitatem esse principium indiuiduationis, & sic conuenit vni, repugnans alteri, & tamen non præexigit in eis distinctionem, sed facit eam: ergo contradictio. Respondetur, hîc loquitur de eo, quod supponit duo, & repugnat vni, conueniens alteri: v. g. de aptitudine, quæ supponit entitatem huius, & illius animæ: at in loco obiecto nõ sic, sed de eo, quod facit vnum, cui conueniat, repugnans aliis ab eo: quòd verò aptitudo supponat entitatem animæ, patet, quia non est ad se, nec ratio entis in actu, sed tantùm in potentia.

Conciliatio VI.

Vnde Filius nequit gignere?

Ar.3.§.Ad secundum, & primò, n.26. ait, quòd Filius nequit gignere. Idem habet 1.*d.2.q.7.n.18.* Sed *ibidem ar.2.prin.ex Aug.contra Maximinũ, l.1.* habet, quòd *creatorẽ genuit Pater, non Filius, neque enim non potuit, sed non oportuit*: ergo est in Filio potentia generandi: ergo actu generat, quia quicquid potest esse in Deo ad intrà, actu est. Respondetur, est in Filio potentia generandi quoad absolutum, non verò quoad proprietatem requisitam primæ personæ: & hoc sensu ait Augustinus, *neque enim gignere non potuit*: ita Lichet. hîc. vel dic, quòd per id, *neque enim nõ potuit* intelligit, non fuit impotens, sumendo negationẽ infinitanter. Ita Scotus 1.*Report.d.7.q.2.ad secundum.* Vide eum 1.*d.7.& 13.* Dices, Pater ergo est potentior Filio: negatur, quia obiectũ omnipotẽtiæ est possibile, seu causabile, ex Sco.1.*d.20.*

Conciliatio VII.

9. *Filius nihil habet nisi natum.*

Art. 3.prin. ait ex Hilario, quòd Filius nihil habet nisi natũ. Sed 1. *d.5. q.1.* fusè probat, quòd essentia non generat, nec generatur: ergo essentia quã habet Filius, non est nata: ergo contradictio. Respondetur, Scotus hic explicat Hilarium dicentem, Filius nihil accipit nisi natũ, id est, quod nascendo accipit; & sic Spiritus sanctus nihil habet, nisi quod procedendo accipit.

Conciliatio VIII.

An intellectus, & essentia sint principia intellectionis æquè prima.

Ar.3.§. Si quæras, nu.25. ait, quòd essentia, & intellectus non se habent, vt principium propinquum, & remotum, seu vt principalius, & minùs principale, sed vt vnum, quoad vtramque partem æquè proximum. At 1.*d.3.q.8.§. Respondeo,* dicit intellectũ esse causam principaliorẽ obiecto, siue in se, siue in specie concurrat: ergo contradictio. Respõdetur: ibi loquitur de intellectu, & obiecto creatis: & rationem dat, quia intellectus est illimitatior, & vtitur specie, vel obiecto, nõ ècontra: sed hæc locũ non habent in essentia diuina, quia æquè illimitata est, ac intellectus diuinus, nec ei subditur quoad exercitium, magis quàm hic ipsi.

Conciliatio IX.

An natura spiritualis aliquid efficiat, non per potentiam.

Ar.3.§.Si quæras, n.25. essentia spiritualis non est principium alicuius productionis, nisi vt coincidit cum intellectu, vel voluntate. Sed *in 2.d.3. q.11.n.4.* & clarè *quodl.15.a.1.§.Si verò teneretur,* habet, quòd producit speciem intelligibilem; & ratio suadet, quòd entitas spiritualis non est minùs effectiua suæ similitudinis, quàm corporalis. De quo dixi *ad q.22.* Scoti *de anima, annot.4.* Respõdetur, hic loquitur de productione vitali, quæ nequit prouenire immediatè nisi à potentia; quia loquitur de productione cõmunicatiua essentiæ: non negat ergo aliam productionem naturæ spirituali, quæ non est vitalis, sed communis omni enti, saltẽ absoluto, qualis est productio suæ similitudinis, vel speciei. Id saltem certum est naturã spiritualem producere suam speciem, vel similitudinem partialiter (Scotus vult quòd totaliter) alioquin Angelus, & anima separata non possent habere vllius naturæ spiritualis abstractiuam notitiam: quia hæc sine specie haberi nequit. Nec dici potest speciem fieri à solo intellectu, quia obiectum sensibile coëfficit partialiter speciem intelligibilem ex Scot.2.*d.3.q.11.n.6.* ergo multò magis id faciet obiectum spirituale.

Conciliatio X.

10. *Quidquid est in Deo, est de se hoc.*

Ar.3.§.Ad secundum, & primò, n.26. ait, quòd dictio, id est, generatio de se est hæc; & idem est de omnibus, quæ sunt in Diuinis. Et idem ait 1. *d.2.q.7.n.34.* Sed oppositum ait 1.*d.23.& 3.d.1. q.1.* vbi tenet personam diuinam multiplicari, & à tribus personis rationem personæ abstrahi; si autem persona esset de se hæc, non posset concipi, vt communis, vt ipse docet 2.*d.3.q.7.§.Qui dicunt, n.3.* contra D. Tho. docentem Angelum esse de se hunc. Respondetur, vult tantùm ab eis abstrahi modum communem, non verò aliquid, quod se habeat, vt natura. Ita habet 1.*d.26.§.Dico igitur, n.48.* dicens paternitatem, & filiationem esse primò diuersa, quoad realitatem contrahibilem, sed non quoad conceptum communem intellectus: sic ab indiuiduis abstrahitur idem modus

dus vniuocus constituendi, vel indiuiduandi, quo sensu hæc est superioris vniuoci de inferiori, *Hec indiuiduum est indiuiduum.* Vide Scot. ibi in fine, & *q.7. & 8. Vniuers. & ibi* Maurit. Bargium *1.d.23.* Viguerium, & Liehet. *ibi*, ac Mayronem *q.3* qui circa hoc multùm tractant.

EX QVODLIBETO III.

CONCILIATIO I.

An ens reale sit obiectum intellectus.

AR. 1. *prin.* ait ens commune reali, & rationis esse primum obiectum intellectus nostri. Sed 1.*d.3.q.3.§. Quantùm ad secundum ar.n.* 8.20. & 24. & *quodl.14.a.2.* id ait de ente reali. Respondetur ens communissimè sumptum, abstrahẽs à reali, & rationis, esse terminatiuum obiectum, sed reale solum est motiuum; & pro hoc statu quiditas tãtùm rei sensibilis, *1.d.3 q.3.n.24.* absolutè loquendo de naturaliter motiuo, est ens finitum, absolutum, vel respectiuum, non habens pro termino Deum, *quodl.14.a.2. & 3.* non habet vnum obiectum, quod sit vniocum omni intelligibili, *1 d.3.q.3.n.8. & 2.d.24.n.6. & 7.*

Quod est obiectum proportionatum intellectus pro nunc?

CONCILIATIO II.

An ens rationis habet esse in intellectum, vel etiam in re.

Ar.1. prin. Ens rationis præcisè habet *esse* in intellectu considerante. At *q.9. Vniuers.* ait, Vniuersale pro secunda intentione esse in re. Respondetur, est in intellectu effectiuè, & in re subiectiuè, non inhærendo, sed denominando. Vide Mauritium, & Ioannem Anglicum *dicta q. 9.* Tromb. *in prin. Formalitatum.*

CONCILIATIO III.

II. *Contradictio an potest esse in anima.*

Ar.1. prin. includens contradictionem nullo modo potest esse in anima, vel intelligibile. Tamen *2.d.1.q.3. ad sextum pro prima opinione, n.14.* docet, quòd contradictoria simul apprehenduntur ab intellectu, alioquin non sciret esse contradictoria. Qua ratione probatur *2. de anima tex. 45.* quòd sensus communis nouit obiecta particularium sensuum, quia ea comparat. Respondetur, negat contradictionem esse vnum intelligibile, cui assentias: benè tamen est intelligibile apprehendendo, quia chymeram sic apprehendimus, & eius partes verè concipimus. Vide hîc Gadium, qui disputat cum Achillino, an Deus intelligat chymeram, & negatiuè resoluit.

CONCILIATIO IV.

An inhærentia relationis sit idem realiter ipsi.

Ar.3.§. Respondeo standum, n.15. ait, quòd inhærentia similitudinis eadem est ipsi realiter: & idem docet vniuersaliter de omni respectu inseparabili à suo fundamento *2.d.1.q.5.* Sed *4.d.12. q.11. con.1. n.6.* docet inhærentiam accidentis, vt abstrahit à respectiuo, & absoluto, esse respectum extrinsecus aduenientem, qui non resultat positis fundamento, & termino, sed præter hoc requiritur ad eum alia mutatio ex Scot. *4. d. 6. q.10.§. Contra istud, n. 3.* in quo distinguitur à respectu intrinsecus adueniente, vt ipse docet *4.d.13.q.1.§. Si ergo n.9. & 3.d.1.q.1.* ergo distinguitur realiter inhærentia à similitudine, alioquin esset respectus intrinsecus. Respondetur primò, Scotus non dat illam diuisionem respectus, nisi de eo, qui re distinguitur à fundamento; & sic inhærentia relationis non est respectus intrinsecus, nec extrinsecus aduoniens. Colligitur ex ipso *3.d.1.q.1.§. Ad illud in oppositum, n. 14.* Dices, est idem re cum respectu intrinseco, erit ergo intrinsecus. Negatur, quia inhærentia actionis idem est re cum respectu extrinseco, qualis est ipsa actio, tamen non est respectus extrinsecus; ad quod sufficit distinctio formalis. Dico secundò meliùs ad contradictionem, quòd Scotus non dicit inhærentiam vt sic esse respectum extrinsecùs aduenientem, sed posse reduci ad aliquod genus talis respectus; & forte, inquit, ad actionem, vel passionem, quia videtur quasi agere in subiectum, & subiectũ quasi ab ea pati: nec putat inconueniens, aliquid quod est determinati generis denominare plura genera, vt *creatum*, quod est, *Ad aliquid*, denominat omne aliud præter Deum. Ex quo sequitur, quòd non negat inhærẽtiam relationis esse respectum intrinsecus aduenientem, seu generis Ad aliquid, licèt reduci possit ad genus Actionis, vel Passionis, ratione assignata. Vnde quãdo *ibi.§. & si quæras,* negat inhærẽtiam esse respectum intrinsecus aduenientem; rationem assignat, quia nõ resultat necessariò positis extremis. Quod probat *con.3.* quia dari potest fundamentum, & terminus, scilicet accidens absolutum, & subiectum, sine inhærentia: ergo cùm secundùm eum *ibi con. secunda*, non possit poni relatio, quin inhæreat subiecto, & sic resultet necessariò positis extremis, non negat hanc esse respectum intrinsecus aduenientem: voluit ergo tantùm quòd inhærentia accidentis absoluti non est respectus intrinsecus, sed extrinsecus aduenicns: quod verum est; vel ad summum, quòd inhærentia vt sic habet se instar passionis, vel actionis, modo explicato: quia habet quandam similitudinem cum eis; nec quidquam resoluit, sed vtitur verbo *forte*: nulla ergo hîc est contradictio. Vnde Hierony. Gadius, qui explicans hunc passum, dicit quòd Scotus hîc dormiuit, graui sopore dormisse videtur, & solertis expositoris officium neglexisse.

Respectus intrinsecus & extrinsecus quomodo differunt.

An inhærentia accidentis sit respectus extrinsecus.

CONCILIATIO V.

An quæ separari nequeunt sint idẽ realiter.

Ar.3. eodem.§. Si quæras, n.16. ait, quæ separari nequeunt, esse idem realiter. Idem habet *2.d.1.q. 4.§. Ad quæst. n.21* Sed *3.d.2.q.1.a.1.* docet totum Physicum re distingui à partibus; quod tamen repugnat existere sine eis. Respondetur propter hoc nonnulli eum glossant, vt totum verè non distinguatur à partibus simul sumptis, de quo dixi *in Scholio 3. d. 2. q. 2.* Alij dicunt distingui partes à toto, quia non dependent essentialiter ab eo, sed non èconuerso, ex opposita ratione. Sed tenendo distingui, dicendum regulam illam, vt ipse Scotus eam explicat secundo loco citato, intelligi, quando alterum non dependet essentialiter ab altero, nec est simul natura cum eo, si est contradictio separari, sunt idem. Sic excluditur creatura, quæ nequit esse sine Deo, & correlatiuum, quod nequit esse sine correlatiuo, & totum quod essentialiter componitur ex partibus. Dices, ergo partes sunt realiter idem toti, quia non dependet essentialiter ab eo, nec separari possunt ab eo: multi id volunt. Sed verius est re distingui, si totum ab eis sic distinguitur, quia distinctio realis est relatio realis, & hæc non datur in vno extremo, quin detur in altero existẽti, modò sit creatum: quod addo vt excludam Deum, in quo non est relatio realis, correspõdens relationi reali creaturæ ad ipsum. Ad replicam ergo, cùm Scotus excipit à regula ista, quod dependet essentialiter ab alio, excipit consequenter terminum illius dependẽtiæ, si sit creatus, & existens. Quod totum non distinguitur à partibus vnitis, videtur sentire

Quando inseparabilitas infert identitatem.

Fortè secundum Scotum totum est idẽ suis partibus vnitis.

ſentire Scotus, non ſolùm hîc, *& loco citato ex ſecundo.* Sed 1.*d*.1.*q*.4.*a*.3.*n*.14.*&* 2.*d*.12.*q*.2.*n*.3. vbi dicit omne abſolutũ prius alio poſſe eſſe ſine eo, ſi non ſit idẽ ipſi realiter. *Et* 3.*Phyſ.q*.9. hanc partem aſſerit, *&* 8.*Met.q*.4.*n*.7. in idem inclinat.

CONCILIATIO VI.

An detur medium inter ſubſtantiam, & accidens.

Ar 3.*prin.n*.11. non eſt medium inter ſubſtantiam & accidens. Idem habet *quodl*.1.*a*.1.*& habet* Ariſt. *in Antepræd.& 7.Met.tex*.8.*&* 12. Sed 2.*d*.12.*q*.1.§.*Igitur videndũ n*.10.*& d*.16.§.*Rationes iſta n*.5. ait potentiam obiectiuam non eſſe ſubſtantiam, nec accidens. Reſpõdetur, hîc loquitur de ente reali exiſtenti, non de poſſibili, ſeu de *eſſe* obiectiuo. Adde potentiã obiectiuam, modò non ſumatur, prout abſtrahit ab inferioribus, eſſe ſubſtantiam, vel accidens in illo *eſſe*, quia nullum eſt *eſſe* obiectiuum præter tranſcendentia, quod non eſt ſubſtantia poſſibilis, vel accidens poſſibile.

CONCILIATIO VII.

An filius ſimul ſit intellectione cum Patre.

Ar.3.§.*In primo ergo intellectu n*.12. ait quòd Pater, & Filius ſunt ſimul in intellectu, quia ſcilicet ſunt ſimul natura ibi, §.*De primo, &* 5.*Met. tex*.20. Sed 1.*d*.1.*q*.2.*n*.8.*& d*.25.*n*.20. ait cauſam eſſe priùs natura cauſato: ergo idẽ de producente.

Prius natura variè ſumitur.

Reſpondetur priùs natura ſumitur propriè pro eo, quod poteſt eſſe ſine altero, & non èconuerſo, quomodo omne ſuperius prius eſt inferiori. 5. *Met.c.de Priori.* Secũdò ſumitur pro ordine cauſæ ad effectum ex Scot.1.*d*.28.*q*.3.§.*Hic ſecundo, n*.10. & Auic. *ibi* citato. Tertio minùs propriè, quando vna natura eſt perfectior altera, vel vna potentia præcedit aliam, & hoc modo impropriè Pater poteſt dici prior natura Filio, quia eſt à quo Filius; & ſic prioritas originis idem eſt cum prioritate naturæ.

CONCILIATIO VIII.

13. An hæc, *Pater generat,* ſit in primo modo per ſe.

Ar.3.§.*Reſpondeo aliqua n*.14. ait hanc eſſe formalem, & in primo modo per ſe, *Pater generat.* Sed 1.*d*.5.*q*.1.*ad* 2.*n*.10. ait idem eſſe, Patrem eſſe, & genuiſſe, *& quodl*.4.*fine*, ait, quòd relatio originis, vel perſonalis nõ prædicatur denominatiuè, vel formaliter de ſuppoſito. Reſpondetur primò, fortè ſumi hîc ly *Pater*, pro *Deus*: ita colligitur, vt videtur ex Sco. *quodl*.4. *fine.* Secundò, quòd generãs prædicatur denominatiuè eſſentialiter de Patre, ſuo modo, ſicut rationale de homine, quia eſt formale conſtitutiuum eius, & quando dicit idem eſſe Patrem eſſe, & genuiſſe, ita eſt re, ſed non ita iuxta modum noſtrum concipiendi.

CONCILIATIO IX.

An aliqua habitudo deſtruit id, cui aduenit.

Ar.2.*prin.* nulla habitudo etiam realis deſtruit id, cui aduenit. Sed 3.*d*.22.§.*Modò ad propoſitum,* tenet quòd mors deſtruit hominẽ, & ideò Chriſtus in triduo non fuit homo. Reſpondetur, ibi non dicit mortem cauſare deſtructionem, quia hoc conuenit effectiuè agenti, & paſſiuè materiæ, quæ appetit formam, ſicut fœmina virum 1. *Phyſ. tex*.81. & hac ratione eſt prima radix corruptionis, quia ſine ea nulla poteſt eſſe tranſmutatio, qua perdatur forma dans *eſſe* ſubſtantiale. Vide Scot. *ibi*.§.*Rationes n*.9.

CONCILIATIO X.

Virùm inhærentia inhæret.

Ar.3.§. *Reſpondeo, ſtandum eſt n*.17. ait, accidentia, ſeu inhærentia ſimilitudinis, non habent aliam inhærentiam, ſed ſe ipſa inhæret: & idẽ ait 4.*d*.12.*q*.3.*&* 2,*d*.1.*q*.7. Sed *q*.13.*Vniuerſ.ad quartum,* docet quòd modi ſignificandi grãmaticales cauſant falſitatem, quando ſunt circa idem ſignificatum: vt *albedo eſt alba,* licèt non quando ſunt circa diuerſa; ergo hæc eſt falſa *inhærentia inhæret, ſimilitudo eſt ſimilis.* Reſpondetur primò, in rigore ſermonis ita eſt. Secundò, non inconuenit in reſpectiuis illum modum ſignificandi non falſificare, maximè quando prædicatum eſt tranſcendens, vt hîc. Vide Maurit. dicta q.13. Videtur etiam non eſſe inconueniens inhærentiam inhærẽtiæ actualis aliquo modo formaliter diſtingui ab illa: quia illa fũdatur v.g. in albedine, & terminatur ad ſubiectum; hæc fundatur in inhærentia albedinis, & terminatur ad ipſam albedinem: ergo cùm termini, & fundamenta differunt, etiam illæ inhærentiæ aliquo modo different; nec abſurdum erit conſequenter admittere hîc proceſſum; quia diſtinctio non eſt realis in iſtis, qua exiſtente proceſſus non eſſet admittendus, ex Scot.2.*d*.1.*q*.4.§.*Ad iſtud reſpondeo, n*.24.

An inhærentia inhærentiæ differt ab ipſa.

CONCILIATIO XI.

Ar.3.§, *Ex hoc non eſt n*.16. ait vnam relationem fundari in alia; & idem ait *quodl*.6.*a*.2.*&* 2. *d*.1.*q*.4.*n*.24.*& paſſim.* Sed 1.*d*.3.*q*.5.§.*Quantùm ad iſtum n*.12.*&* 2.*d*.1.*q*.5.§.*Hoc ergo viſo*, ait omnem reſpectum fundari in abſoluto: & habetur in Auguſtino 7.*de Trin*.1. dicente quòd omnis eſſentia, quæ relatiuè dicitur, eſt aliquid excepto relatiuo: quem locum citat Sco. *quodl*.1.*a*.1.*prin.* & alibi paſſim. Reſpondetur in locis obiectis loquitur de fundamento vltimato, & hoc ſemper eſt abſolutum, & ſic etiam expone Auguſt. Ita colligitur *ex* 2.*loco obiecto.* 14.

An vna relatio fundetur in alia.

EX QVODLIBETO IV.

CONCILIATIO I.

Art.1.§.*Iuxta illud n*.4. ait, quòd relatio primæ perſonæ ad ſecundam, ſeu generatio eſt prima proprietas incõmunicabilis, & quòd conſtituit primam perſonam. Idem *habet* 1 *d*.5.*q*.2.*& d*.28.*q*.3. Sed 1.*d*.7.§.*Quia autem aliqua n*.22. ait quòd generatio requirit diſtinctionem ſuppoſitorum: ergo non conſtituit illa. Reſpondetur, hîc loquitur ſupponendo perſonam conſtitui per relationem, vt ipſe præmittit: in loco autem obiecto loquitur ſecundùm opinionem, quæ ponit quòd conſtituitur per abſolutum: quam putat probabilem, quamque fusè tractat 1.*d*.26.§.*Tertia opinio, n*.23. ſoluens argumenta contra eã.§.*Ad illa quæ n*.31.*& ſeq.* Secundò dico, quòd generatio requirit diſtinctionem ſuppoſitorum comitanter; cũ quo ſtat, quòd non præſupponat ea: nec Doctor dicit *prærequirit.* Quia tamen ibi ait, quòd ſuppoſitum requiritur ad potentiam propinquã agendi, prima ſolutio melior videtur. Vel dic quòd prærequiritur vt ſubiectum denominationis, quia actio generandi nequit denominare aliquid præcedens ſuppoſitum, & licèt vt forma conſtituens non ſupponat ſuppoſitum, poteſt illud ſupponere vt forma denominans, ſic actio conſtituit agens, & ſupponit illud, vt denominabile ab ea.

An paternitas ſit prima proprietas incommunicabilis.

Generatio an aliquo modo ſupponit ſuppoſitum Patris.

CONCILIATIO II.

Ar.2.§.*Contra iſtud n*.19. ait, nulla negatio eſt de ſe incommunicabilis, ſed per affirmationẽ, & idem docet 1.*d*.2.*q*.7.*n*.38.*& d*.28.*q*.2.*ad q.n*.10. 12.*&* 2.*d*.3.*q*.2.§.*Contra iſta n*.2. Sed .3*d*.1.*q*.1.*a*.3.§.*Ad tertiam n*.11.*& quodl*.19.*a*.3. docet quòd incommunicabilitas vt *quo*, quæ eſt negatio, non conuenit perſonæ creatæ per affirmatiuum, vel poſitiuũ: ergo contradictio. Reſpondetur, negatio ſimpliciter, quæ eſt repugnãtia, non conuenit niſi per poſitiuũ, & talis eſt incommunicabilitas perſonæ diuinæ: at incõmunicabilitas perſonæ creatæ eſt tantùm ſecundùm *quid* negatio, quatenus ſc. actu

15. *An negatio ſit de ſe incommunicabilis.*

Quæ negatio conuenit respectu positiui? actu non communicatur, cùm tamen communicari possit, & sic non conuenit per proprium positiuum. Colligitur ex Scot. *quodl.* 19. *ar.* 3. vide *ibi Scholium sextum, & septimum.* Sic non intelligi, non videri, non conueniunt iis, de quibus dicuntur ratione positiui. Dices, incommunicabilitas est communis tribus personis diuinis, & non per affirmationem communem, quia nihil commune positiuum habent, quod sit incommunicabile; vt benè tractat Scot. *d.* 23. *n.* 7. 8. ergo potest esse propria sine positiuo proprio. Respondetur, illa incommunicabilitas est tantùm communis per rationem, & nihil vetat aliquid positiuum aliquo modo commune abstrahi à personis, vt ibi Scotus admitit in fine. Sed negatio extra genus, vt ibi benè explicat, quia conuenit enti, & non enti, v.g. non homo, non petit aliquid positiuum ratione cuius conueniat alicui.

CONCILIATIO III.

An valet responsio per aptitudinem? *Ar.* 3. §. *Contra primam viam n.* 15. ait, *communiter responsio per aptitudinem est minùs efficax, nisi detur aliquid, per quod sit illa aptitudo: si enim quæratur quare lapis descendit, non sufficit dicere, quia aptus est, nisi assignetur ratio, scilicet quia grauis est.* Sed 2. *d.* 2. *q.* 10. §. *Tamen propter n.* 9. ex Phil. docet leuia moueri sursum, quia apta nata sunt. Respondetur, responsio per aptitudinem non est vltimata, quia restat adhuc inquirenda aptitudinis causa; & eatenus potest dici inefficax, quia relinquit ignorantiam causæ.

CONCILIATIO IV.

16. *An paternitas sola ratione differt à patre?* *Ar.* 2. §. *Præterea cùm dicis n.* 16. *Paternitas sola ratione differt à Patre.* Sed 1. *d.* 2. *q.* 7. §. *Sed hîc restat n* 4. docet fusè paternitatem, & essentiam distingui ex natura rei. & ibi n. 45. ait ex Aug. quòd pater est aliquid ad se, quia *omnis essentia, quæ relatiuè dicitur est aliquid excepto relatiuo* 7. *Trin. c.* 1. ergo cùm paternitas non dicatur relatiuè, nec essentiam includat, differt à parte rei à patre, cui vtrunque conuenit. Respondetur primò, hîc loqui de patre pro formali, & sic nulla est distinctio ex natura rei, nisi tantùm ratione connotati; sic album solam qualitatem significat, scilicet pro formali, ex Arist. *c. de substantia.* Secundò meliùs, hîc loquitur de paternitate, nõ secundùm se, sed vt in sensu D. Tho consideratur, vt proprietas, quia sub hac habitudine tantùm dicit relationem rationis ad constitutum.

CONCILIATIO V.

An detur indiuiduum generis. *Ar.* §. *Separata tamen relatione n.* 21. ait dari indiuiduum generis, vt hoc animal, hoc corpus, & idem habet 4. *d.* 8. *q.* 2. *con.* 9. *n.* 19. Sed 4. *d.* 11. *q.* 3. *ad quartum,* pro secundo *ar. n.* 54. ait, *non est aliquid indiuiduum sub genere corporis.* Respondetur in loco obiecto loquitur de corpore, quod est altera pars compositi, quod non est in genere, vt ibi dicit, nisi per reductionem: at hîc loquitur de corpore, quod est totum completum, quod est directè in genere, & immediatè descendit in hoc corpus.

EX QVODLIBETO V.

CONCILIATIO I.

An repugnat dari plura infinita realiter distincta? *Ar.* 1. *prin.* ait non posse dari plura infinita formaliter, realiter distincta; Sed 1. *d.* 26. ait personas esse formaliter infinitas, & realiter distinctas. Respondetur, esse realiter distinctas, secũdũ proprietates, quæ non sunt infinitæ formaliter; sunt autem infinitæ ratione essentiæ, quæ tantùm est vna; & sic non sunt plura formaliter infinita: sed vnum.

CONCILIATIO II.

17. *An infinitum sit à Deo producibile.* *Ar.* 1. *prin.* ait secundùm Philosophum non posse dari in actu infinitum, sed in potentia. Sed 3. *d.* 13. *q.* 4. *n.* 2. & 2. *d.* 2. *q.* 9. *n.* 21. cum Philosopho, 3. *Phys. tex.* 69. ponit regulam, quantum cõtingit esse in potentia tantum contingit esse in actu: ergo, datur actu infinitum. Respondetur, secundùm Philosophum, contingit quantum molis crescere per hoc, quòd partes ablatæ ab vno quanto addantur alteri, & sic tãtum est in actu, quantum est in potentia, sed non ita secundùm veritatem, & Theologos. Sed quoad veritatem huius rei Doctor nullibi ex professo, quod sciã, negat infinitum producibile esse, sed videtur problematicus 2. *Met. q.* 6. *n.* 2. & 3. *d.* 14. *q.* 3. §. *Sed hoc modo,* vbi ponit vt problema, quòd anima Christi infinitas habet species. vide Schol. nostrum dicta q. 6. *Quid Scot. sentit de possibilitate infiniti.*

CONCILIATIO III.

An hæc sit vera generatio actiua est spiratio actiua? *Ar.* 2. §. *Tertiò arguitur n.* 15. ait, quòd hæc non est vera, *generatio actiua est spiratio actiua*; ex quo sequitur quòd distinguuntur realiter. Idem habet 1. *d.* 13. §. *Quod autem intellectus nu.* 15. Sed 1. *d.* 2. *q.* 7. *n.* 34. & *d.* 20. *n.* 32. docet tantùm esse tres relationes originis realiter distinctas in Deo. Respondetur, hîc tantùm ait istam prædicationem non admittendã, quia neutrum extremum est infinitum; sed hæc benè admittitur, *spiratio est deitas*, & è conuerso; quia deitas est formaliter infinita. Dices, quæcunque sunt in Patre, sunt idem realiter, alioquin esset in eo compositio; sed in eo est generatio actiua, & spiratio actiua: ergo sunt idem realiter: ergo vnũ de altero verè dicitur. Respondetur esse idem ratione suppositi, in quo sunt, sed quando abstrahuntur à supposito, tollitur ratio identitatis, & sic non sunt idem; nec non idem, de quo vide Scot. 1. *d.* 5. *q.* 1. Vide etiã ipsum de abstractis, & eorum prædicatione, 1. *d.* 8. *q.* 3. & 3. *d.* 22. *n.* 21.

CONCILIATIO IV.

18. *Terminare dependentiã alicuius est perfectio.* *Ar.* 2. §. *Ex comparatione ar.* 9. ait, quòd terminare dependentiam alicuius dependentiæ, est perfectio. Sed 3. *d.* 1. *q.* 1. *ar.* 2. *n.* 4. docet, quòd personæ diuinæ non competit ratione perfectionis terminare dependentiam naturæ assumptæ. Respondetur, ibi ait contra D. Thom. id ei non conuenire ratione perfectionis, vel vt virtualiter continet personam creatam, sed quia est independens & omne tale potest terminare depẽdentiam alterius ad ipsum, vt natum est terminari: verum est, quòd tale independens, in se saltem, identicè est perfectio, sed hoc non sufficit, alioquin essentia personaliter terminaret.

CONCILIATIO V.

Paternitas est infinita, an vera propositio. *Ar.* 1. *in fine, & ar.* 2. *prin.* ait quòd hæc propriè non est vera, *paternitas est infinita*; & fundari hoc videtur in regula quam habet 1. *dist.* 5. *q.* 1. *Quando subiectũ est vltimatè abstractum, & prædicatum aptum tantùm formaliter prædicari, propositio non est vera, nisi in primo modo.* Sed *quodl.* 14. *a.* 2. §. *Hîc intelligendum, & in fine* dicit, quòd essentia diuina est primum motiuum naturale, quod tantùm naturaliter mouet suum intellectum. Et 1. *d.* 13. *n.* 23. & 2. *d.* 1. *q.* 1. *n.* 18. ait, quòd essentia diuina est obiectum intellectus, & voluntatis Dei & 4. *d.* 50. *q.* 3. *n.* 1. quòd essentia est ratio cognoscendi omnia beatis, & 1. *d.* 2. *q.* 7. *n.* 31. quod cõmunicatur ab vno supposito duobus modis, & 1. *d.* 28. *qu.* 1. quod determinatur immediatè per personam Patris, & adæquatè per

per tres simul; sed nullum horum prædicatorum est in primo modo:ergo.

Respondetur, *Mayron.1.d.5. q. 1. Viguerius. Paulus scriptor, Lychetus, Vvorilon, Tartaretus, & Bargius*, variis modis explicant, & limitant dictam regulam Scoti, disputantes an, & quomodo prædictæ propositiones sint veræ; & an hęc sit vera: *essentia diuina est vna, summa, infinita*, &c. Cum Bargio videntur omnes, in rigore logico non esse veras, quia vltimatè abstractum includit hanc particulam *per se primò*, & ideò hæc est falsa, *humanitas est risibilis, alba*, &c. conceduntur tamen bonæ sensu, & est, quòd essentia est res, quæ est vna, summa, &c. & sic prædicatum sumitur non formaliter, nec adiectiuè, sed substantiuè. Colligitur ex Scot.1.*d.5.q.1.§. Ad aliud dico, n.*10. vbi ait, *si pater* sumatur substantiuè, hæc est vera per identitatem, *essentia est pater*: si adiectiuè, erit falsa, quia significat ipsam proprietatē denominatiuè, & idem est ac dicere, *essentia refertur ad filiū, vel generat*: quā doctrinā habet Alen. quem ibi citat, & defendit Doctor.

De vltimatè abstractu nihil prædicatur nisi in primo modo &c exponitur.

Conciliatio VI.

19. *An plures sint infinitates in Deo.*

Ar.3.§. Ad vltimum n.25. intellectus est infinitus propria infinitate: & idem ait de attributis. Sed *q.3. Prol. & 1.d.2.q.2. & tract. de primo prin.c.4.* ait vnum esse infinitum. Respondetur, in Deo esse tantùm vnum infinitum reale, & radicale: cum quo stat plura esse formalia, realiter indistincta. Eodem modo tenendum est in Deo esse plures existentias absolutas, & relatiuas, idque secūdùm Scoti mētē 2 *d.3.q.1.§. Ad q. & q.3.§. Præterea & 3.d.14.q.3.§. Ad q.* quibus locis significat realitates formaliter distinctas habere etiā existētias similiter distinctas: de quo doctissimè tractat Pater Smisingus *tra.1.d.n.35.*

An sint plures existentiæ in Deo.

Conciliatio VII.

Ens an diuidatur primò in finitum, & infinitum.

Ar.3.§. Tertiò arguitur n.15. & ad argumentum principale diuidit ens primò in quantum, & non quantum. Sed alibi passim diuidit illud primò in alia membra. Respondetur, suprà quo. 1. conciliatione prima. Dices, Scotus 1.*d.8.q.3. §. Respondeo sicut n* 19. docet, quòd finitum, vel infinitum est passio disiuncta entis: ergo omne ens est finitum, vel infinitum: ergo nullum non quantum, vt asserit hîc Doctor. Respondetur, illam passionem conuenire enti quanto. Ita Scot. hîc in fine.

Conciliatio VIII.

Deus est mensura omniū rerum.

Ad argumentum principale, Deus, seu infinitum est mensura, qua omnia mensurantur per accessum, vel recessum ab eo. At 1.*d.7.q 3.§. At Auer.dico, n.25.* reiicit Auerroēm id dicentem. Respondetur, ille asserit primum motorem esse primam substantiam intra genus, quod est metrum cæterarum substantiarum. Hoc reiicit Scotus, quia non est in genere, non negat tamen esse mensuram extra genus.

EX QVODLIBETO VI.

Conciliatio I.

20. *Æqualitas melior inæqualitate.*

Ar.3.§. Ad inclinationem n.33. æqualitas est perfectionis, inæqualitas imperfectionis. Sed.1.*d.19.q.1. ad secundum*, oppositum ait. Respondetur, ibi ait inæqualitatem esse perfectiorem in creaturis, respectu alterius membri nobilioris, & hoc inter varias naturas: sed in eadē natura illimitata melior est æqualitas, quia sine ea alterum membrum ibi esset imperfectum.

Conciliatio II.

Ar.2.§. Secundò contradicitur n.29. ex absoluto, & respectiuo non fit per se vnū. Sed 3.*d.6.q.2. ad primū*, ait Christum esse per se vnum, qui tamen constat ex absoluto, & respectiuo, natura, & Verbo. Respondetur, non esse vnum per accidens metaphysicè, quia tale resultat ex rebus genere diuersis, & Verbum non est in genere 1.*d.8.q.3.* potest tamen dici vnum per accidēs logicè, quia hæc, *Christus est homo*, non est per se logicè, alioquin esset materia necessaria, vel prędicatum esset necessarius effectus subiecti. Præterea ad propositionem per se requiritur vt subiectum dicat vnum conceptū, & *Christus* dicit duo. Sed non est omnino per accidens, quia subiectum includit prædicatum. vide Scot. 3. *d.7. q.1.§. Quartò videndum n.7.* resolutiuè, quia vnio naturæ humanæ cum diuina est longè diuersa ab omni vnione Philosopho nota, vnum resultans ex ea non regulatur legibus aliarum vnionum, & sic non est vnum per se, nec per accidens metaphysicè, vel logicè, secundùm regulas Arist. est tamē verè per se vnū perseitate suppositi, quā perseitatem logici pagani non norunt.

An Christus sit per se vnū

Subiectū propositionis per se dicit vnū conceptum.

Conciliatio III.

Ar.1.§. Hæc conclusio, n.15. ait. *Dicimus Deum esse magnum, sapientem, bonum, &c. non tamen propter hoc oportet quòd illi ex natura rei conueniant hoc, vel illud, sine omni negatione, vel relatione rationis.* Sed 1.*d.8.q.4.n.10. & d.46.q* 3 fusè probat attributa ex natura rei distingui ab essentia, & inter se: ergo. Respondetur, vide Schol. sextum hîc.

An attributa in Deo sint ex natura rei distincta.

Conciliatio IV.

Ar.2.§. Iuxta istud patet n. 22. ait relationes originis demonstrari *propter quid*; pro quo exquisitas rationes adducit, 1.*d.2.q.7. à n.3.* Sed 2.*d.3.q.9.n.15. & quodl.14.ar.1.* Docet Trinitatem esse naturaliter incognoscibilem. Respondetur, hîc loquitur de demonstratione *propter quid* latè, per quam non generatur scientia distincta Dei, vel Trinitatis, sed confusa, & hoc, supposita fide Trinitatis, non aliter: habita enim fide Trinitatis demonstramus quasi à priori, per memoriam fœcundam gigni Filium, & per voluntatem fœcundam produci Spiritum sanctum.

Relationes originis in Diuinis dari an demonstretur.

Conciliatio V.

21. *An æternitas dicat perfectionem.*

Ar.1.§. Hæc conclusio n.15. ait æternitatem non dicere perfectionem; & quòd duratio maior nō auget perfectionem, docet 1.*d.2.q.2.n.25. & 2. d 1.q.3.n.20.* Sed 4.*d.49.q.6.§. Tertio dubio n.18.* ait æternitatem spectare ad beatitudinem, sine qua non esset quis perfectè beatus. Respondetur, duratio non dicit perfectionem intrinsecā, sed extrinsecā sic, vt ibi Doctor explicat, qui vno tantùm instanti frueretur Deo, ita beatus esset intensiuè, ac si per totam æternitatem frueretur.

Conciliatio VI.

An bonum sit passio cōmunis omnis entis.

Ar.1.§. De primo n 5. ait ex Phil. 5. *Met.tex.18.* quòd bonum, seu perfectum, est passio entis. Sed *quodl. 5. a. 1.* docet relationes originis non dicere bonitatem, vel perfectionem. Respondetur, bonum transcendentaliter, id est, carentiam defectus in proprio genere, conuenire omni enti, sed bonitas quantitatiua, seu virtutis, id est, secundùm quam aliquid excedit, vel exceditur, conuenit tantùm entitati quidditatiuæ, seu communicabili, non verò entitati personali,

personali, seu hypostaticæ. Ita Scot. *quodl. 5. in fi.* Sed de hoc variè sentiunt Scotistæ, nec potest paucis expediri. Theologica difficultas coëgit Scotum hanc distinctionem entis quanti, & nō quanti adinuenire, ne admitteret contra August. & veritatē, tres personas esse perfectiores vna.

Diuisio entis in quantum & non quātum, vnde orta?

Conciliatio VII.

An vna sit æqualitas in Diuinis.

Ar. 1. §. Est etiā aliud n. 4. & §. Vltimo in isto, n. 12. vna est æqualitas in Diuinis. Sed 1. *d. 31. §. Ad secundum, n. 7.* ait tot æqualitates esse, quot sunt perfectiones attributales. Respondetur vnam esse realiter, plures formaliter. Vide Scotum ibi.

Conciliatio VIII.

22.

An voluntas cùm elicit actum, ad se realiter referatur.

Ar. 1. pr. & a. 2. prin. ait tria requiri ad relationem realem: extrema realia, realiter distincta, existentia, & quod positis illis resultet. Idem habet 1. *d. 30. §. Ideò breuiter n. 10. & d. 31. §. Ad quæst.* & videtur haberi *ex 5. Met. c. Ad aliquid, & 3. Phys. 3.* sed 1. *d. 3. q. 7. §. Ad quæst. n. 20.* docet intellectum elicere in se intellectionem, & sic est mouens & motū. Si dicas quòd obiectum in se, vel in specie concurrit. Contrà quicquid sit de hoc, saltem voluntas se sola mouet se, eliciendo in se amorem ex Scot. 2. *d. 25. n. 2.* ergo refertur ad se realiter, & tamen non distinguitur à se realiter. Respondetur primò secundùm Scot. ibi *§. De balneo n. 21.* probabile est cognitionem effectiuè concurrere ad amorem. Secundò dici potest ex eodem ibi ad secundum, quādo voluntas se mouet, esse ibi relationem realem, non simpliciter, quæ scil. sit inter res distinctas, sed formaliter, vel fundamētaliter. Ita Mayron. 1. *d. 3. q.* 8. Tertiò dico, & colligitur ex Scot. 2. *Report. d. 25. ad quintum pro Godof.* quòd voluntas vt mota habet amorem, vt mouens non; & sic hæc relatio est inter distincta realiter. Vide Bargium 1. *d 3. q. 7. fol. 142. lit. K.* An autem productio amoris sit actio realis, difficultas est: de qua dixi *tract. de actib. moral. c. 1. m. 6.* Lychet. 2. *d. 25.* negat minùs benè relationem realem requirere extrema realiter distincta.

Conciliatio IX.

Æqualitas in Deo habet hæcceitatem.

Ar. 2. §. Ad secundum de illa n. 26. ait, quòd æqualitas in Deo habet hæcceitatem, per quā determinatur eius pluralitas, sed *quodl. 4. ar. 3. ad secundum*, ait, quicquid est in Deo, esse de se hoc. Respondetur, suprà *quodl. 4. con. vltima*, æqualitas non habet alias hæcceitates, præter ipsas relationes originis quæ sunt de se hæc.

Conciliatio X.

Similitudo in Diuinis est relatio realis.

Ar. 2. docet æqualitatem, & similitudinem esse relationes reales, & idem habet 1. *d. 31.* sed 1. *d. 30. §. Contra istud dicitur n. 7.* ait esse rationis, *si per impossibile*, inquit, *in personis diuinis essēt duo fundamenta, esset similitudo realis.* Respondetur, ad hominem arguit contra Henricum asserentem id, quod refertur, dependere ab eo, ad quod refertur: quod impugnat Scotus, quia personæ diuinæ sunt similes, & æquales sine dependentia; & quia Henricus diceret has esse relationes rationis; Scotus declinans tractare de hoc, accipit quod suo intēto sufficit, scil. si per impossibile essent duo fūdamēta, illa esset relatio realis, & sine dependentia. Vide Lychetum ibi.

EX QVODLIBETO VII.

Conciliatio I.

Ar. 1. §. Prima con. n. 5. hæc est necessaria, *Deus est omnipotens*, sed *q. 3. prol. §. Contra viā etiā n. 11.* dicit quòd est contingens, quia prædicatū dicit respectū ad extrà, qui est rationis tantùm 1. *d. 30. §. Ad secundā q. n. 14.* Respōdetur, est necessaria pro connotato, quod est ipsa Dei voluntas; secundò, licèt contingenter agat, est necessariò potens agere: nec est inconueniens admittere respectus necessarios ad extrà, quando termini sunt necessarij, quales sunt res in *esse* possibili: sed hoc est tātùm necessarium secundùm *quid*; & sic non est contra id, quod dicitur *q. 3. prol.* Hic tangitur an Deus necessariò amet creaturas in *esse* possibili, & affirmare videtur Scot. 3. *d. 32. pr. & quo. 16. a. 1. in fine.* fauet *quo. 8. a. 3. §. Ad secundum*, vbi ait respectum Dei ad *esse* possibile creaturæ, esse necessarium. Rada 1. *tom. Controu. 11. a. 2.* sed huius oppositum habere videtur 2. *d. 1. q. 1. ar. 2. n. 12. de quo quodl. 16. Dicam.*

23.

An hæc sit necessaria? Deus est omnipotēs.

Conciliatio II.

Ar. 2. §. Sed secundum n. 17. cum Auerroe. 9. *Met.* ait, ablata operatione rerum auferri earum essentias. Sed 4. *d. 48. q. 2.* docet motū cœli cessaturum post iudicium, perseuerabunt tamen cœli secundùm substantiam, vt ipse docet 4. *d. 43. q. 1. ad secundum*, cum Aug. Hiero. & Greg. quos ibi in Scholio citaui. Respondetur, hîc ponit hanc propositionem Auerroïs, explicans eā esse veram, si intelligatur de ablatione aptitudinali, vel virtuali operationis, non verò de actuali.

Ablata operatione desinit essentia.

Conciliatio III.

Ar. 2, §. Tertia con. n. 11. ait, quòd viator potest habere conceptum simplicem, & distinctum de Deo, continentem omnes veritates necessarias, quę ei cōueniunt. Sed *q. 3. prol. &* 1. *d. 3. q. 2. n. 17. & q. 3. n. 14.* docet non posse nos habere de Deo, nisi conceptûs confusos virtute phantasmatū, & intellectus agentis, causatos. Respondetur, hîc loquitur de viatore, non secundùm proprias vires, sed eleuato, vel specialiter adiuto, citra gloriam: quomodo fortè adiutus fuit Angelus in via, ad habendam distinctam notitiam diuinæ essentiæ. de quo Sco. 2. *d. 3. q 9.*

Potest viator habere notitiam distinctam Dei.

Conciliatio IV.

24.

Haberi potest pro hoc statu distincta Dei cognitio.

Ar. 2. §. Secunda con. n. 7. ait Paulum post raptum habuisse distinctam cognitionem diuinæ essentiæ, quia mansit species ex faciali visione Dei, quam habuit in raptu. Quod etiam ait 2. *d. 3. q. 9. &* 4. *d. 49. q. 12.* Sed alibi passim ait, non posse nos habere pro hoc statu nisi cognitionem confusam de Deo *q. & 3. prolog* Respondetur vt in conciliatione præcedenti.

Conciliatio V.

Ad primum argumentum in contrarium n. 33. ait quòd possibile, est obiectum omnipotentiæ. Idem habet 1. *d. 20. §. Quantùm ergo n. 7.* Sed 1. *dist. 43. §. Aliter dico n. 5.* dicit, *omnipotentia non habet obiectum, quod sit primò possibile*, sed hoc fit per intellectum. Respondetur, non est obiectum effectum ab omnipotentia, sed quasi præsuppositum in *esse* per intellectum dantem *esse* intelligibile, seu diminutum.

Possibile, seu causabile est obiectū omnipotentiæ.

CONCILIATIO VI.

Quædam necessaria secundùm Philosoph. sunt causata.

Loco iam citato ponit possibile esse obiectum omnipotentiæ:sed 1. *d.*8.*q.*5.§. *Contra istam n.6.* docet ad mentem Philosophi aliqua esse in se necessaria,& à Deo effecta. Respondetur ita est secundùm Philosophum,sed in eo errauit, sicut & in multis aliis.

CONCILIATIO VII.

An existentia sit modus intrinsecus Dei.

*Ar.*2. *con.secunda* §. *Ex hoc arguitur n.*8. ait quòd de Deo haberi potest cognitio distinctissima abstractiua:existentia non est de eius essentia, sed modus intrinsecus.Sed 1.*d.*2.*q.*2.§.*Ex his n.*4. tenet esse de quiditate Dei.Respondetur *quodl.*1. *conciliatione* 1.

CONCILIATIO VIII.

An prima pars continui produci potest à Deo.

*Ad primum argumentum contrarium, nu.*33. ait causabile esse obiectum omnipotentiæ: ergo potest omne causabile produci ab ea, & consequenter prima pars continui; sed hoc est contra ipsum 2. *d.*2. *q.*9. *n.* 22. *&* 25. quia omnis pars continui est diuisibilis in infinitum. Respondetur,produci potest in continuo,non seorsim,quia sic non est possibile, & per consequens nec obiectum omnipotentiæ.

CONCILIATIO IX.

Diuinitas est paternitas, an verū demonstrabile.

*Ar.*1.§.*Hic præmittenda n.*3.ait,omne necessarium,non euidens ex terminis potest demonstrari per verum euidens. Sed hæc secundùm eum 1.*d.* 5.*q.*1.*&* *d.*8.*q.*4. *Diuinitas est paternitas*, est verum necessarium, & tamen nec ex terminis euidens est, nec demonstrari potest per aliud euidens, quia extrema abstrahunt à medio, cùm prædicatio non sit formalis, sed identica, ex ipso *dicta q.* 1. Respondetur demonstrari per infinitatem,quia extrema non identificantur tantùm propter identitatem ad tertium, sicut paternitas est spiratio, sed etiam ratione infinitatis alterius extremi, nempe Deitatis. Ita Scot.1. *d.*8. *q.*4.*ad vlt.*Intellige hoc,supposita fide,qua seclusa,ignotum est an omnino sit paternitas in Deo.

CONCILIATIO X.

An hæc sit immediata: ens est verū

Contra idipsum, quia hæc, *ens est verum* est necessaria, sed non est immediata, nec per se nota, quia passio prædicatur de suo subiecto per medium, scilicet per *quod quid est* subiecti, ex Scot.1.*d.*2.*q.*2.*n.*2. Nec est mediata, quia passiones entis non habent ordinem ad ens,vt ipse habet 1.*d.*39 § *Quantùm ad primum.n.*15.Respondetur primò,esse immediatam,quia cùm ens non habeat definitionem, eius passiones ei immediatè conueniunt:sed quando subiectum est definibile, passio per eius definitionem demonstratur de eo, & sic intellige Scot.loco obiecto. Si admittatur ordo inter has passiones,saltem pro prima, non est inuenire medium. Vide aliam solutionem apud Lychetum hîc.

EX QVODLIBETO VIII.

CONCILIATIO I.

Tres personæ sunt vnum principium ad extrà.

A*R.*1.*prin.* tres personæ sunt vnum principium, & vnus creator, & causator. Idem habet 2.*d.*1.*q.*1. Sed 1.*d.*27.*q.*3.*n.*25. ait ex August.quòd Verbum est ars Patris, & colligitur ex illo Hebr. 1. *Per quem fecit & sæcula* : ergo est principium *quo*, & non *quod.* Respondetur,est ars, & scientia, & virtus Patris appropriatè, & Pater ipse est scientia, & ars verè, non minùs quàm Filius.

CONCILIATIO II.

*Ar.*2.§. *Ad tertiam probationem n.*14.ait,quòd terminus motus est aliquid absolutum: Sed 2. *d.* 2.*q.*5.*&* 3.*d.*1.*q.*1.§.*Ad illud n.*15.*&* 4.*d.*49.*q.*14. *n.*4.*&* *d.* 10.*q.*2.*n.*13. *&* *q.*4.*n.*10, ait dari ad *vbi*, & ad omnem relationem extrinsecus aduenientem.Respondetur,hîc loquitur de motu non vniuersaliter, sed de motu alterationis,cuius principium est forma absoluta,sicut & terminus. 26. *Terminus motus an absolutum.*

CONCILIATIO III.

Prius absolutum potest esse sine posteriori.

*Ar.*3.§. *Ad secundum n.*23.ait non repugnare poni prius absolutum sine posteriori. Ait idem 4.*d.*49. *q.*16.*n.*14. oppositum habet 2.*d.*1.*q.*5.*n.* 21. vbi habet,licèt creatura sit prior relatione ad Deum,tamen non potest poni sine illa relatione, & 4.*d.* 13.*q.*1.*ar.*3.*nu.*35. & expressiùs 1. *d.*3.*q.*5. *ad secundum pro opinione n.*13. vbi ait passionem esse inseparabilem à subiecto. Dices,ergo partes vnitæ possunt separari à toto, quia secundùm eum 3.*d.*2.*q.*2. distinguuntur realiter ab eo. Respondetur *quodl.*3. *conciliatione quinta* : an verò passio re distinguatur à subiecto,non est omnino certum in via Scoti, Vide Schol.*primum* 1.*Met.* *q.* 1. vbi varia eius loca circa hoc expendi.

CONCILIATIO IV.

An notitia Dei de contingentibus sit practica?

*Ar.*3. §. *Ad ista n.*23. ait quòd ars est notitia practica de faciendis. Sed 1. *d.*38 .*n.*2. ait, quòd notitia Dei de factibili est speculatiua. Respondetur primò, hîc loquitur de notitia factibilium creata.Secundò *q.*4.*prol.n.*36. problematicus est, an notitia Dei de contingentibus dicenda sit practica, necné: si ad rationem practicæ requiras, voluntatem,seu potentiam practicantem esse rectificabilem,vel aliunde dirigibilem practica erit, aliter non.

CONCILIATIO V.

An Deus habeat potentiā executiuam?

*Ar.*1.§. *Tertiò arguitur n.* 6. ait:*formalis ratio causandi in Deo,& proxima est intellectus,vel voluntas,vel aliquis actus huius, vel illius.* Vbi negat executiuam. Idem innuit 1. *d.* 37.§. *& secundùm hoc n.*4.*&* *q.*4.*prol.ar.*2.*ante sol.arg.*§. *Si verò alterum n.*40. *&* 4.*d.*1.*q.*1.§. *Ista ergo n.*18. *&* §.*Ideò dicen.*28.negat potentiam executiuam Angelo. Sed 1.*d.*38. *in fine* dubitat de potentia executiua in Deo, & *q.*4.*prol.ar.*2.*nu.*37. vt problema reliquisse videtur. Respondetur, Scotus non se resoluit firmiter in hac re ante hunc locum: ideò

ideò Mayron.1.*d*.43.*q*.5.*&* *d*.48.*q*.2. ponit executiuam in Deo: Viguerius, Paulus scriptor, & Bargius in locum prologi negant, sed in Angelo eam ponunt, propter articulum Parisiensem; & quia potest executio Angeli impediri, non impedita eius volitione. Idem est de anima separata: de homine certum est, quòd habet executiuam à voluntate distinctam, nempe potentias corporeas, imperio voluntatis subiectas.

Conciliatio VI.

27. *An notitia sit principium creandi?*

Ar.1.§. *Ad tertiam probationem*, *n*.13. ait, quòd notitia est principiũ formale producendi creaturas. Sed 2.*d*.25.§. *Dico igitur n*.19.*&* *ad primum pro opin. n*. 10. negat notitiam concurrere ad volitionem, & *q* 4.*prol*.*&* 1.*d*.38. docet, si intellectus causaret ad extrà, quòd nihil contingenter fieret. Respondetur, hîc non asserit, sed contra Henricum disputans respondit ei, si notitia, quàm ille vult esse rationem formalẽ producendi creaturam, non plus includat respectum ad eam, quàm vt hîc includitur in forma, quæ est principium agendi naturale, sequitur quòd non includitur in eius ratione talis respectus, sed quòd sequatur ad eam, sicut ad formam actiuam naturalem, v.g. ad calorem, sequitur respectus ad calefactum.

Conciliatio VII.

Essentia diuina per modum naturæ agit.

Ar. 1. §. *Contra n*.7. essentia diuina non est principium agendi, nisi per modum naturæ. Sed secundùm eum 1.*d*. 10. *&* 2.*d*.1.*q*.1. in productione Spiritus sancti essentia concurrit, tamen Spiritus liberè procedit, vt etiam ipse tenet, iisdem locis. Respondetur, sufficere voluntatem esse liberam, vt productio sit libera, esto essentia in *esse* obiecti per modum naturæ moueat, sic habitus naturaliter mouent; tamen actus eorum à voluntate eliciti liberè fiunt.

Conciliatio VIII.

An detur respectus proprius Verbi ad extrà?

Ar.3.*prin*. ait, quòd nullus respectus ad creaturam est proprius Verbi. Sed 3.*d*.1.*q*.1. secundùm eum Verbum dicit respectum ad naturam assumptam Respondetur, tantùm hîc dicit nullum respectum ad creaturam includi in constitutiuo Verbi: sed benè stat respectum proprium rationis conuenire vni personæ, non aliis, vt in exemplo: posset etiam intellectus diuinus comparare Verbum ad creaturas, vt productiuum earum, quo resultaret relatio rationis propria, seu comparatio passiua in eo.

Conciliatio IX.

28. *Quicquid est in persona diuina, est necesse esse.*

Ar.3.*prin*. ait, quicquid est in persona diuina, est necesse esse. Sed 1.*d*.2.*a*.7.§. *Secundò principaliter*, ait, quòd necessitas est simpliciter perfectionis: at proprietas personalis in Deo secundùm eum, *suprà quodl*.5. non dicit perfectionem. Respondetur, dicit perfectionem identicè infinitam, quod sufficit.

Conciliatio X.

Quod est ratio causandi, est ratio terminandi in Deo.

Ar.1. §. *Vltimò potest n*.7. ait id, quod est ratio formalis causandi, esse rationem formalem terminandi dependentiam causati. Sed essentia Dei terminat relationes creaturæ, *q*.1. *prol*.*n*.6. *&* *seq*.*&* 1.*d*.1.*q*.2.*n*.5. *&* *d*.30, *n*.10. at voluntas causat, vt hîc habetur *a*.3.§. *Arguitur*, *&* 2.*d*.1. *q*.1. & passim. Respondetur, non dicit essentiam vt condistinctam ab aliis in Deo, terminare relationes creaturæ, sed sufficit aliquid quod est idem essentiæ terminare, modò sit commune, quia terminare dependentiam creaturarum, sicut & eas causare, dicunt perfectionem, qua carent proprietates personales secundùm se consideratæ. Secundò dico, quòd essentia terminat vt radix, & fundamentum, quæ sunt in Deo, voluntas, vt potentia libera, & sic de aliis.

EX QVODLIBETO IX.

Conciliatio I.

AR.3.§. *Ad ista quinque n*.14. ait, quòd compositum est perfectius anima. Sed *ibidem*, & 3.*d*.22. *à n*.4. docet compositum dependere ab anima, & ideò Christus in triduo non fuit homo, quia caruit ea, vt ibi probat §. *Modò ad propositum*: sed quod est magis dependens, est imperfectius: ergo. Respondetur, ita est cæteris paribus: sed anima licèt sit minùs dependens, est entitas incompleta, & partialis, natura sua ordinata ad compositum. Vide Scot.7.*Met*.*tex*.7. vbi explicat secundùm Philosophum quomodo forma sit magis ens quàm compositum, sensu iam dicto, & quia est prior materia. *Compositum est perfectius forma.*

Conciliatio II.

Ar.2. *prin*. ait, quòd accidens abstractum est in tertio modo perseitatis. Sed *q*. 1. *post* 31. ait solam substantiam esse in tertio modo, idque ex *Arist*.1.*post tex*.9. Respondetur, conuenire hanc perseitatem accidenti, sed minùs propriè, vel per similitudinem, vt explicat in *illa q*.31.*in fine*. *Accidens abstractum est in tertio modo perseitatis*

Conciliatio III.

Ar.2. §. *Ex hoc patet n*.18. ait, quòd esse totius: v.g. humanum esse, est perfectio simpliciter. Sed 1. *d*.8. *q*.1. *n*.7. *&* 8. *&* *d*.2.*q*.7.*n*.39. *&* *quodl*.5.*ar*.2. definit perfectionem simpliciter ex Ansel. *in Monol*. 15. quòd est melior omni eo, quod est ei incompossibile: ergo cùm *esse* totius non sit melius *esse* increato sibi incompossibili, non est perfectio simpliciter. Respondetur, hîc non agit de perfectione simpliciter Theologicè, iuxta definitionem datam, sed de perfectione completa, quia comparat perfectionem animæ ad perfectionem totius, & hanc ait esse perfectionem simpliciter. 29. *Esse compositi est perfectio simpliciter.*

Conciliatio IV.

Ar.2.§. *Tertius intellectus n*.11. ait, quòd sensatio recipitur immediatè in organo cõposito ex anima, & determinata parte corporis. Idem habet 4.*d*.10.*q*.7.*&* *d*.43.*q*.2. *&* *d*.44.*q*.2. *&* *d*.49. *q*.14. Sed 1.*d*.3.*q*.7. *ad argumenta opin. n*.14. ait recipi in spiritu, vel anima. Respondetur primò, sumit animam, vt opponitur concausæ, scilicet obiecto, non verò vt opponitur composito, vel toti. Secundò dicitur non esse textum, sed additionem. Ita Bargius *ibi fol*. 138. sed non video cur *Sensatio recipitur in cõpositum.*

cur dubitet an sit textus, cùm omnes editiones vt textum ponant. Contra datam solutionem est, quòd *ibidem* dicit sensibilem speciem non esse in eodem subiecto cum sensatione; sed illa est in organo, seu composito: ergo sensatio non est in composito. Respondetur, vult speciem esse in aliqua parte corporis proportionata actioni obiecti, vt in pupilla, quæ est diaphana, sicut medium, & sensationem in toto organo, vel fortè species subiectatur in humore, vel spiritu, & sensatio in corpore solido, quod ibi vocat Scotus mixtum, nam ipsum phantasma, quod est perfectius ponit in humore, vel spiritu 2.*d.*11.§.*Sed de aliis n.6.* & hinc forsan facilè turbantur species, & phantasmata ratione subiecti mobilis, & inconstantis.

Species visibilis in quo recipiatur.

Conciliatio V.

30. *Ar.*3.§.*Per eandem n.*17. *&* 7.*Met.qu.*6. ait, quòd anima separata non est in perfecto *esse*, quódque dum vnitur, accipit perfectum *esse.* Sed *q.*4.*prol.*§.*Præterea ordo n.*22. dicit, *causa nihil accipit à causato.* Respondetur, vult hîc quòd accipit *esse* substantiæ à toto; quia ex se non est subsistens, saltem vltimatè; at non accipit *esse* essentiæ, vel existentiæ à causato, vt benè ipse 3.*d.* 6.*q.*1. contra Thomistas dicentes animam Christi accipere existentiam, & subsistentiam à Verbi persona. Colligitur hæc Solutio ex ipso 7. *Met.q.6.* Dici etiam potest, quòd accipit perfectius *esse*, quia concurrit ad *esse* totius, & participat illud, vt causa intrinseca; quod addo, vt excludam replicam, quæ fieri potest ex Scoto hîc, vbi ait, quòd non tantùm accipit hoc, quod est communicare *esse*: quod intellige eo modo, quo causa extrinseca, quæ non participat illud *esse*, secus est de intrinseca.

Causa aliquid accipit à causato.

Conciliatio VI.

*Ar.*2.§.*Tertio modo n.*4. ait quòd compositum ex materia, & forma est ens per se subsistens, & non ordinabile ad aliud. Sed 1.*d.*2.*par.*2.*q.*1. ponit rationem subsistētiæ in negatione communicabilitatis, vt *quo*, & vt *quod*, *&* 3. *d.*1.*q.*1. *& quodl.*19. in negatione actualis, & aptitudinalis dependentiæ. Sed ens per se subsistens non potest constitui per negationes. Respondetur, intelligit naturam completam; non includendo negationes illas, & licèt non repugnet sibi sic consideratæ communicari alteri, vt supposito, quia non est vltimatè solitaria, tamen repugnat ei informare aliud, quia sic non esset natura completa, sed pars.

Compositum ex materia & forma est ens per se subsistens, nō ordinabile ad aliud.

Conciliatio VII.

*Ar.*2.§.*Tertius intellectus, n.*11. ait proximum subiectum intellectionis carere materia. Sed *q.*15.*de anima* tenet in anima esse materiam. Respondetur, id absolutè, & secundùm propriam opinionem non asserit, sed iuxta fundamenta Philos. & D.Thomæ, quæ ipse non approbat; admittamus tamen id esse probabile, & defensibile, de quo egi *in commentario con.*3. vbi solui argumenta in contrarium. Sed quod hîc, ait, resolutiuè tenet, licèt oppositum loco obiecto, non reputet improbabile.

Anima habet materiam secundùm Philosophum & D. Thom. fundamenta.

EX QVODLIBETO X.

Conciliatio I.

31. AD argumenta in fine ait, quòd in corruptione Eucharistiæ fit noua substantia, proportionata accidentibus corruptiuis specierum, & immediatè actione diuina. Sed 4.*d.*12.*q. vlt.* ait, mediante causa naturali substantiam talem generari. Respondetur, quidam Scotistæ hoc ei imponunt, quod ibi nullo modo habet, imò ibi expressè habet, quòd actione Dei immediatè fit illa cōposita substātia, sed posita hac substantia actione Dei, agens naturale potest agere in illam, & sic videtur fieri nutritio ex speciebus consecratis: sed in hoc, vt videtur, intercedit miraculum, vt fides habeat meritum, quia oporteret calorem naturalem de nouo agere in substantiam à Deo creatam per notabile tempus, vt conuerteret eam in aliti naturam, nisi Deus specialiter concurreret, vt id subitò fieret. Alij cum D.Thom.4.*d.*12.*q.*4.*ar.*2. tenent in instanti, quo desinunt species, creari materiam, & actione agentis naturalis, eodem instanti formam ex ea educi. Non videtur Scotus alienus ab hoc modo *dicta q. vlt. ad* 3. licèt in corpore eum impugnet. Sed magnas habet difficultates, tenendo cum ipso 2. *d.*3.*q.*4.*n.*17. *&* 4.*d.*11.*q.*2. *ar.*1. *& d.*12.*q.*3. accidentia subiectari in composito.

Corrupta Eucharistia generatur substantia actione Dei.

Quomodo sit nutritio ex speciebus consecratis.

Conciliatio II.

*Ar.*1.§. *Ad illud de substantia n.*8. ait, quòd Deus potest conuertere substantiam in accidēs, & è contra, & §.*Secundo modo n.*3. ait, quodlibet in quodlibet conuerti posse. Idem habet 4.*d.*11. *q.*2.§.*Hac quæstio.* Sed 1.*d.*7.*q.*5.§. *Ad illa quæ n.* 10. ait ex Arist.1.*de Cœlo tex.*19. quòd substantia accipit *esse* necessarium: ergo nequit conuerti in aliud, quia sic non esset necessaria. Respondetur, hoc ait non ex se, sed ex Aristotele errante, in eo quòd posuerit Deum agere necessariò quodcunque immediatè agit.

Quodlibet conuerti posse in quodlibet.

Conciliatio III.

*Ar.*1.§. *Ad ista n.*5. creatio animæ non est opus miraculosum. Sed *q.*2.*prol.*§. *De octauo n.*11. ait ex Aug. miraculum esse opus arduum, & insolitum supra facultatem mirantis. Respondetur ex Scot.3. *d.*14.*q.*1.§. *Præterea quarto nu.*12. infusionem animæ, & alia, quæ de communi lege fiunt, non dici miraculosa: sunt tamen supra naturam.

Creatio animæ non est opus miraculosum.

EX QVODLIBETO XI.

Conciliatio I.

ART.1.*ad secundum n.*5. dependentia locati ad locum non est causati ad causam. Sed 32. *q.*13.*vniuers.* ait locum esse principium effectiuum generationis. Respondetur, eatenus esse effectiuum, seu conseruatiuum locati, quatenus habet qualitates ei conuenientes, sed hoc est loco per accidens, non per se. hîc loquitur de loco per se, ibi per accidens. Vide Scot.2.*d.*2.*q.* 6.§. *De secundo dico n.*10.

Dependentia locati ad locum est actiua.

Conciliatio II.

*Ar.*2. *ad tertium n.*9. quies mensuratur tempore imaginario. Sed 2.*d.*2.*q.*4.*n.*11. ait ex Phil. 4. *Phys tex.*118. mensurari tempore per se motum, & per accidens quietem, & addit hanc mēsurari per se eo modo, quo hoc cōuenire potest priuationi,

Quies mensuratur tempore imaginario.

priuationi; & loquitur cum Philosopho de tempore reali. Respondetur, hîc loquitur in casu, quo cessaret cœli motus, quod fiet post iudicium, ex ipso 4. *d.* 48. *q.* 2. & sic tempus erit omnino imaginarium, quia non distinguitur à motu, vt ibi habet §. *Contra secundam viam n.* 12. si tamen loquamur de tempore particulari, etiã existente motu cœli; quies tempore imaginario mensuratur, quia excludit motum realem.

Conciliatio III.

Ar. 3. *in fine*, ait quòd multiplicata forma, non ideò multiplicatur concretum, nisi supposita multiplicentur. Idem habet 3. *d.* 6. *q.* 1. *& d.* 8. *ad primum.* Sed 1. *d.* 12. *q.* 9. §. *Iuxta quæst. n.* 14. ait, quòd terminus numeralis additus substantiuo multiplicat formam, & ideò admittere non debes duos spiratores, sed benè duos spirantes: ergo si das duas naturas humanas in aliquo, erit duo homines: & sic videtur expressè docere Scot. 3. *d.* 1. *q.* 3. Respondetur, licèt ita dicant quidam Scotistæ, verius est secundùm eum non numerari concretum nisi numerato supposito: dicit enim 3. *d.* 6. *q.* 2. *ad vlt.* quòd Christus non dicitur duo, licèt habeat in se duas naturas: & ibi *q.* 1. *ad primum*, quòd Christus non est duo volentes, licèt habeat duas voluntates; & *d.* 8. *ad primum*, quòd ad plurificationem filiationum non sequitur plurificatio filiorum, quia ad plurificationem concreti requiritur tam formæ, quàm suppositi multiplicatio: quando ergo ait quòd terminus numeralis additus substantiuo multiplicat formam, verum est, sed non sufficit hoc ad multiplicationem concreti, nisi supposita multiplicentur, & ibi supponit illa esse multiplicata, & sic si admitteres duos spiratores, non tantùm duo supposita, sed etiam duas formas, vel potentias spiratiuas admitteres: duæ regulæ ergo secundùm ipsum tenendæ sunt. Prima, *terminus adiectiuus numeratur sola numeratione suppositorum, licèt forma sit vnica*; vt duo spirantes, tres creantes. Secunda, *terminus substantiuus non numeratur nisi numerato supposito, & forma*: ideò non valet, *Christus est duo entia, duo volitores, intellectores*, &c. Difficile tamẽ, fateor, est cum hoc concordare, quod habet 3. *d.* 1. *q.* 3. *ad primum*, nisi teneas fuisse problematicum. Vide ibi Lychet. Tartaret. Aretin. Fauent. & Ouandum.

Multiplicato abstracto non ideò multiplicatur concretum.

Terminus substantiuus non numeratur, nisi numerato supposito & forma.

Conciliatio IV.

33. *Ar.* 4. §. *Similiter n.* 13. ait, quòd respectus extrinsecus adueniens est, qui non necessariò resultat posito fundamento, & termino, & sex vltima Prædicamenta consistere in tali respectu: v.g. Actio, quæ est talis respectus, non resultat posito igne, & ligno, nisi fiat approximatio: hac etiam posita defectu concursus potest non sequi. Idem habet 4. *d.* 13. *q.* 1. *n.* 9. *& d.* 6. *q.* 10. *n.* 4. *& locis citatis conciliatione* 2. *ad quodl.* 8. Sed hîc *ar.* 4. *prin.* ait, posito corpore, & loco necessariò resultare *vbi.* Respondetur intelligit de corpore posito in loco: sed simpliciter existere possunt corpus, & locus sine resultantia *vbi.*

Respectus extrinsecus non resultat posito fundamẽto, & termino.

Conciliatio V.

Ar. 4. §. *Si dicitur n.* 12. ex absoluto, & respectiuo non fit per se vnum. Idem habet *quodl.* 6. *ar.* 2. §. *Secundò contradicitur.* Sed 1. *d.* 5. *q.* 2. §. *Respondeo vnitas n.* 15. *& d.* 26. *ad primum pro tertia via n.* 48. dicit personam diuinam constitui per se ex essentia, & relatione. Respondetur, vult non componi vnum per se ex absoluto, & respectiuo, quia sunt diuersi generis: de quo *in* 2. *d.* 12. *q.* 1. Sed benè stat vnum per se constitui ex illis seclusa omni compositione, & hoc locum tantùm habet in Deo, vbi hæc duo concurrunt sine vlla potentialitate, vel componibilitate, sed summa simplicitate, & identitate ad constituendam personam. Vide Scot. *citato loco* 1. d. 26. vbi benè ex Philosopho docet vnum per accidens Metaphysicè esse quod includit res genere diuersas, vt homo albus; logicè verò, quando subiectum non includit rationem inhærentiæ prædicati, quia ex talibus non fit conceptus vnus, in creatis autem omne per accidens logicè, & tale metaphysicè, sed in diuinis hæc est per accidens logicè, *Deitas est Paternitas*, quia subiectum, vt subiicitur, non includit rationem inhærentiæ prædicati, quia de eo non dicitur formaliter. Vide *conciliationem* 2. *ad quodl.* 6.

Ex absoluto & respectiuo non fit per se vnum.

Dices, suppositum creatum est per se vnum, quia per se ponitur in genere Substantiæ, & tamen ex Scot. 3. *d.* 1. *q.* 1. *ar.* 3. *& infrà quodl.* 19. *ar.* 3. constituitur ex natura, & duplici negatione: ergo multò magis vnum per se potest fieri ex absoluto, & respectiuo. Respondetur, vt includit illam negationem non esse per se vnum, nec in Prædicamento, sed vt est singulare.

Conciliatio VI.

Ar. 4. §. *Diceretur quod n.* 14. ait, quòd *vbi* est diuisibile per accidens, scil. ad diuisionem mobilis, & spatij & successiuum per se; quia acquiritur in tempore. Sed *ibidem* §. *De tertio intellectu*, ait *vbi* esse secundùm se diuisibile, cùm secundùm illud possit esse motus, & ideò tantùm conuenit corpori secundùm ipsum, 2. *d.* 2. *q.* 6 *ad argumenta n.* 17. Respondetur, sumendo *vbi* pro termino motus localis, quod est respectus secundùm se simplex, & tantùm per accidens diuisibile. Si autem sumatur in *fieri* pro coordinatione multorum *vbi*, sic est secundùm se diuisibile, quia cùm corpus mouetur de vno *vbi* in aliud, continuè acquirit, & perdit *vbi.* Hanc esse Scoti mentem patet, ex eo quod dicit *vbi* esse secundùm se diuisibile, quia secundùm illud potest esse motus; & quia 2. *d.* 2. *q.* 9. §. *Ad quæst. n.* 8. probat Angelum moueri posse continuè, quia inter quælibet duo *vbi*, sunt infinita *vbi*, per quæ potest transire, ita vt nullo illorum *vbi* sit, nisi indiuisibiliter.

34. *Vbi est per accidens diuisibile.*

Conciliatio VII.

Ar. 4. §. *Hîc dicitur n.* 14. ait, quòd relatio intrinsecus adueniens necessariò sequitur fundamentum, & terminum. Sed 2. *d.* 1 *q.* 4. fusè docet respectum, cuius fundamentum potest esse sine termino, vt similitudinem duorum alborum distingui realiter ab illis. Docet etiam 1. *d.* 30. §. *Respondeo igitur n.* 9. & passim relationes supponere extrema: ex quibus sequitur, secundùm ipsum, duo. Primum, quòd Deus potest relationem per se producere, & sic non necessariò sequitur ad extrema. Sequela patet, quia *quodl.* 7. *a.* 2. *con.* 1. *& d.* 17. *q.* 3. §. *Secunda via neg & 4. d.* 10. *q.* 2. *n.* 14. *& d.* 12. *q.* 1. §. *Contra, con.* & passim, docet

35. *Relatio intrinsecùs adueniens sequitur necessariò extrema.*

docet Deum posse omnem effectum immediatè sine causa secunda causare. Secundum, quod sequitur, est, extrema poni posse sine tali relatione, quia ait 2.*d*.1.*q*.5.§. *Ad quæst.illam n*.11.*&* 1.*d*.28.*q*.3.§. *Ad quæst.n*.8.*ex* 5.*Met.tex*.16. quod est prius alio posse poni sine illo, si non sunt idem realiter: de quo suprà *quodl*.3.*concil*.5.

Respondetur, argumentum maximè vrgere, quòd relatio re non distinguitur à fundamento, pro quo varia loca Scoti adduci possent, & hoc sustinendo, (quod mihi re ipsa magis arrideret) dici posset, cùm *dicta q*.4. oppositum probet, quòd nunc hanc, nunc illa partem sustinebat. Vide eum 1.*d*.17.*q*.3.§. *Hanc viam num*.7. vbi sustinere videtur relationem non distingui à fundamento, *&* 2.*d*.1.*q*.5. *ad secundum pro opin.num*.26.*&* 8.*Met*. vbi problematicus est, an Prædicamenta realiter distinguantur. De quo etiam disputat 5. *Met. q*.6. *à nu*.6. *& quodl*.18. *a*.3. §. *Concluditur tamen*, ait, quòd relatio extrinsecus aduenicns non est omnino eadem in re fundamento, insinuans per hoc relationem intrinsecam esse ei idem in re. Sed tenendo re distingui, dici potest quòd Deus potest immediatè causare omnem effectum absolutum, sed non effectum relatiuum, quia nequit ponere paternitatem in aliquo sine actione generatiua ipsius. Vide eum 2. *d*.12. *q*.2. *n*.3. vbi ait posse Deum ponere omne absolutum sine alio absoluto. Sed hæc solutio non potest applicari ad secundum, quod infertur, quia ibi agit de relatione creaturæ ad Deum, probans eam non distingui re à creatura, quia creatura est prior ipsa, & inseparabilis ab ea. Respondetur, pro nunc non posse separari, quia eadem actione fit, qua ipsa extrema, nec habet propriam causam, vt tenere videtur Scot. *hîc* §. *hîc dicitur*, *&* 1.*d*.17.*q*.3.§. *Quantùm ad istum n*.3. *&* 4.*d*.13.*q*.1.*ad* 5.*n*. 26. si enim haberet propriam causationem, non video quare non posset Deus ad eam denegare sum suum concursum. Adde extrema concurrere ad relationem per modum partium essentialium, licèt extrinsecè, & ideò sicut repugnat partes vnitas poni sine toto, vel è contrario, ita & extrema sine relatione, vel è conuerso. Hoc mihi non placet, quia si verè non habent aliam causationem passiuam, nisi extremorum, id est, qua extrema ponuntur in *esse*, non est quòd distinguantur re ab eis: si verò ipsa extrema habeant veram efficientiam circa relationem (vocetur resultatio, vel emanatio, non curo) qua illi tribuant *esse* in genere efficientis, videtur quòd Deus potest negare tali efficientiæ suum concursum, quia liber est ad extrà.

36. *Prius poni potest sine posteriori exponitur secùndùm Scotum.*

Dicendum puto vel regulam illam Scoti, quòd *prius potest poni sine posteriori, quando sunt re distincta*, positam esse iuxta sententiam tenentem relationem non distingui re à fundamento; & sic sibi non contradicit, quia ab illa sententia non est alienus: vel si teneatur omnino secundùm eum relationem re distingui à fundamento, consequenter ad regulam illam, cum Mayrone 1.*d*. 29. *q*. 18. tenendum posse poni extrema sine relatione: v.g. duo alba, sine similitudine formali: quo casu is, qui alium genuit, non esset pater formaliter paternitate distincta à fundamento, & ratione fundandi, sed tantum fundamentaliter; secundùm hoc, quod hîc dicit Doctor, & aliàs passim, relationem intrinsecùs aduenientem necessariò sequi extrema posita, verum est de lege ordinata, non quòd aliter fieri repugnet: sed hoc fusiorem exigit examinationem.

Conciliatio VIII.

Relatio habet propriam nouitatem, sitque propria actione.

Eodem ar.& §. docet quòd respectus intrinsecus non habet propriam nouitatem, vel acquisitionem: Sed 2.*d*.1.*q*.5.§. *Secunda ratio n*.23. docet, si relatio dependentiæ creaturæ ad Deum re distingueretur ab ea, ipsa haberet etiam relationem effectus ad causam ad Deum, & sic in infinitum: ergo cùm secundùm eum *ibid*.§. *Contra ista n*.4. relatio distinguitur à fundamento, cum hoc potest esse sine termino, vt paternitas creata; hęc dicit propriam dependentiā effectus ad Deum. Itm *q*.3.*prol.ad tertium pro q*.1.*n*.18. ait passionem, quæ est extra essentiam subiecti, realiter causari ab eo; & ideò attributa non causari ab essentia, quia sunt idem ipsi realiter. Respondetur, hæc probare, si teneamus relationem re distingui à fundamento, eam habere propriam nouitatem, & acquisitionem passiuam, distinctam ab acquisitione extremorum: vult ergo hîc, quòd non habet relatio intrinseca nouitatem immediatam, quia non producitur nisi aliquo absoluto priùs producto: & sic intellige loca adducta *concil.præced*. quæ videntur dicere, quòd relatio non fiat propria actione.

Relatio intrinseca non potest effici immediatè à Deo.

EX QVODLIBETO XII.

Conciliatio I.

37. *Idem non potest dependere ab aliquo pluribus dependentiis eiusdem rationis.*

A*R*.1.§. *De primo n*.2. ait, quòd idem non potest dependere ab aliquo pluribus dependentiis eiusdem rationis. Idem innuit 1 *d*.2. *q*.3.§. *Quantùm ad quartam viam n*.4. Sed 1.*d*.2. *q*.2.§. *Quantùm ad secundam n*.18.*& d*.1.*q*.1.§. *De quarto*. ait Deum esse efficientem, & finem creaturæ, idque vt videtur sub eadem ratione, quia ratio finis secundùm eum ibi, non addit nisi respectum rationis essentiæ, qui non potest esse verum obiectum fruibile: ergo essentia secundùm se est efficiens, & finis. Respondetur, ratio finis, & ratio efficientis distinguuntur formaliter, & sunt idem realiter. Deus est efficiens voluntate, & finis vt essentia, vel ens infinitum, & hæc formaliter distinguuntur. Hîc tantùm negat aliquid idem duplici causatione eiusdem generis referri ad vnum, & idem, nempe efficientis & conseruantis, quia hæc ad vnum genus causæ spectant.

Conciliatio II.

Res generanda habet primum esse, & vltimum non esse.

Ar.3.§. *Ad alium dico n*.15. res generata incipit per primum sui *esse*, scil. per *nunc est*; *& immediatè antè non fuit*: v.g. nunc ignis est, & immediatè antè non fuit: similiter desinit per primum *non esse*, id est, per *nunc non est*, *& immediatè anteà fuit*. Sed 2.*d*.2.*q*.9.§. *Ad aliud de secundo n*.31. docet ex Arist. 6. *Phys.tex*.52.55. non dari primum *mutatum esse* in motu, sed ante omne tale dari motum, & è conuerso. Respondetur, res raptim transiens, vt instans, & mutatio incipit per *primū esse*, & desinit per vltimum *esse*, vt hîc habet Scot. *art*. 3. Res permanens, vt Angelus,

Res raptim transiens incipit per primum & desinit per vltimum esse.

Res successiua quomodo incipit, & desinit.

Angelus, lapis, lignum incipit per primum *esse*, & desinit per primum *non esse*: res autem successiua incipit per primum *non esse*, & desinit per vltimum *non esse*. Vide *Scot. hîc ar.3. & loco citato 2.d.2.q.9.& 6.Phys. quæst.8.* vide etiam *hîc Scholium tertium & quartum.*

Conciliatio III.

Deus annihilare potest, & creare in tempore.

Ar.3.§. Hæc probatio n.14. ait quòd annihilatio (idem est de creatione) potest fieri in instanti, vel tempore. Sed 3. *d.* 4. *q.vn.* & aliàs ait Deum operari in instanti, & hoc non conuenire creaturæ, loquendo de opere ad extrà: ergo non potest Deus creare, vel annihilare in tempore. Respondetur, asserit Deum operari posse ad extrà in instanti, sed non negat ei agere in tempore.

Conciliatio IV.

38. *Esse rei in creari & conseruari est vnum, & idem.*

Ar. 1. §. Prima scilicet n. 3. ait quòd eadem est existentia rei in sua creatione, & conseruatione. Sed 2.*d.2.q.7.§. Sed hîc restat n.41.* & passim ait, vbi prædicantur contradictoria ex natura rei, ibi esse distinctioné ex natura rei; sed res pro instanti, quo creatur, necessariò est; at pro tempore sequenti contingenter, quia potest non esse, vel destrui: ergo. Respondetur quòd eadem est habitudo creaturæ, vt creatæ, & conseruatæ ad Deum; quia hæc non differt re ab ipsa creatura, vel eius existentia; nec verum est rem necessariò esse pro instanti, quo creatur, sed est absolutè tunc contingenter, licèt ex suppositione necessariò; & idem est de eadem re in *conseruari*, iuxta id. *omne quod est, quamdiu est, necesse est esse.* Quòd benè exponit Doctor 1.*d.*39 *§. Ad primum respondeo n.*19.

Conciliatio V.

Velle diuinum re, & ratione idem terminat habitudinem verã in creari, & conseruari.

Ar.1. prin. ait quòd *velle* diuinum re & ratione idem terminat habitudinem creaturæ, vt creatæ, & conseruatæ. Sed 1.*d.*45. docet quòd voluntas causare potest respectum rationis: ergo potest se comparare ad rem, dando ei *esse* post *non esse*, & vt dat ei *esse* post *esse* præhabitum; & sic secundùm varios respectus rationis terminat creaturam in *creari*, & *conseruari*. Respondetur ibi possunt esse tales respectus rationis; sed *velle* diuinum non terminat habitudinem secundùm illos respectus, sed secundùm suam entitatem, à qua dependet, non à respectu rationis.

EX QVODLIBETO XIII.

Conciliatio I.

An à concretis ad abstracta tenet cõsequentia?

AR. 2. *prin.* ait quòd à concretis per se primo modo ad abstracta tenet consequentia, & *q.1.& 16.vniuers.* ait regulam hanc tenere in accidentibus, non in substantiis. Sed 4.*d.49.q.2. ad 2.* facit hanc consequentiam, *Beatus est, qui habet quicquid vult, &c. ergo beatitudo est habitio illius obiecti*: vbi tenet consequentia à concretis, non per se primo modo. Respondetur *concreta* hîc sumi ita, vt prædicatio sit primo modo per se: quia *beatus* sumitur relatiuè, vt pater, filius; non verò pro persona in *esse* absoluto; quomodo Scot. *q.1. vniuers.* sumit hunc terminum *Logicus*, dum admittit hanc, *logicus est sciens: ergo logica scientia*: non enim sumit *logicum* pro homine, vel substantia, sed formaliter pro relatiuo. Ideò autem regula non tenet in substantiis, quia secundùm Scotum 1.*d.5.q.1.* in eis est tantùm vna concretio, scil. ad suppositum, & vna abstractio ab eodem; quâ positâ, nulla remanet ratio identitatis extremorum. Vide Gadium hîc, qui tenet aliquando regulam etiam in substantiis valere.

Conciliatio II.

Ar.1.con.prima n.3. ait cum Phil.9.*Met.tex.13.* quòd actus est prior potentia tempore, definitione, perfectione. Sed ait 4.*d.49.q.4.n.5.* ex Phil. *ibi tex.15.* quòd prius generatione est posterius perfectione: ergo si actus est prius tempore potentia, hæc erit perfectior. Respondetur, per actum intelligit id, ad quod aliud est ordinatum, vt cõstat ex Philosophi exemplis, *homo* & *sperma*. & sic patet quòd actus sit prior potentia definitione, & perfectione: sed quando dicit, quod est prior ea tempore, loquitur de ente in actu, comparato cum ente producibili: constat enim quòd sperma est imperfectius embrione, & hic homine, quia processus naturæ est imperfecti ad perfectum, & sic priora tempore, vel generatione sunt posteriora perfectione, intellige in eodem genere, seu ordine, alioquin accidens sequens ad substantia foret perfectius ipsa. Ita Scot. exponit dictos tex. Philosophi.

39. Actus est prior tempore, ratione, & perfectione, quàm potentia.

Conciliatio III.

Imaginatiua non discernit nec iudicat.

Ar.2.§. Circa secundum n. 8. ait quòd imaginatiua cognoscit rem non existentem, ac si existeret; vbi videtur retribuere vim discernendi, & iudicandi; quam tamen ei negat 1. *Met. q.4. n.12.& q 9. de anima.* Respondetur, eius cognitio est tantùm apprehensiua, si propriè loquamur, nec Scotus asserit hîc oppositum, sed tantùm tribuit ei cognitionem; nec ait esse iudicatiuam. Vide quæ dixi *in commentario ad dictam quæst. 9. annot. tertia ad tertium argumentum.*

Conciliatio IV.

Virtus, & vitium sunt ad aliquid.

Ar.1. con. prima §. Secundò probatur n.4. ait quòd virtus, & vitium sunt ad aliquid ex *Phil.7. Phys.*tex.17. Sed 3.*d.33.§. Ad quæst.n.12.* ad virtutem esse habitum in voluntate, habitus autem est qualitas. Respondetur, est habitus pro materiali, sed pro formali dicit respectum ad prudentiam. Ita expresse habet ipse 1.*d.17.q.3.§. Quantùm ad istum n.3.& §.Intelligendum est n.13.& 3.d.36.n.17.& quodl.18.ar.1.*

Conciliatio V.

Ar.2. prin. & §. Nunc tertiò n.16. ait quòd felicitas consistit in operatione, & 4. *d.49.q.1.4. & 5.* ponit eam in fruitione formaliter, non in visione. Sed 4.*d.49.q.1. ad secundum*, tenet eam esse in coniunctione ad obiectum beatificum, quę est relatio. Respondetur esse formaliter in fruitione, initiatiuè in visione, concomitanter in illa coniunctione.

40. Beatitudo consistit in operatione voluntatis.

Conci

Conciliatio VI.

Intuitiua notitia poni potest sine obiecto existenti.

*Ar.2.§.Ista distinctione n.*11, ait non posse poni intuitiuam sine præsentia obiecti; & loquitur de potentia Dei. Sed 1.*d.*10.*q.*9. ait quòd visio corporis Christi potest à Deo poni in oculo, etiamsi illud non existeret. Præterea secundùm ipsum ibi *q.5.& 1.d.1.q.4.n.14.& 2.d.1.q.4.n.21. & aliis locis citatis quodl.11.concil.septima*, potest poni prius sine posteriori: ergo & intuitio, quæ est quid absolutum secundùm ipsum *hîc, & dicta q.* 5. potest poni sine respectu ad obiectum præsens. Respondetur non posse poni cum relatione attingentiæ ad obiectum sine obiecto existenti; videtur tamen quòd qualitas notitiæ intuitiuæ poni potest sine eo. Ita Lychet.2. *d.*1. *q.*4.*ad vlt.pro Occam*; Tartaret.& Gadius *hîc,& fauet* Scot.4. *d.*10.*q.*5.§. *Etsi obiicias n.*4. vbi ait non oportere obiectum esse præsens propter terminationem, sed propter causationem: at Deus omnem causationem supplere potest. Idem absolutè tenent Vasq. Molina, Buridanus, & Hurtadus, quos citaui, *disp.*3.*sect.*11.*de anima*. Mayron.*in prol.*1.*q.*18.& alij. An verò illa visio, quæ poneretur in oculo corpore non existente, foret intuitiua, vel abstractiua, dubium est; verius videtur quòd foret abstractiua; nec est absurdum admittere sensationem externam abstractiuam, vt tenet Molina 1.*p.q.*55.*ar.*2.*d.*2.*m.*5. Buridanus 2. *de anima q.* 21. Rubius *quæst.* 13. de quo egi *disp.*2.*sect.*14.

Conciliatio VII.

41. *Tertius modus relatiuorum distinguitur ab aliis, quòd non est mutuus.*

Ar.2.in fine, ait quòd in duobus primis modis relatiuorum est relatio mutua, ita quòd in vtroque extremo est ratio fundandi, & ratio terminãdi relationem aliam; sed in tertio modo relatio est nõ mutua, ita quòd ratio fundãdi est in vno extremo, & ratio terminandi in alio. Idẽ habet *in* 1.*d.*30.*q.*2. *ad arg.& d.*35. Sed oppositum habet 5. *Met. q.*13. vbi ait hos modos distingui, quòd primus super quantitate, secundus super actiuo, & passiuo, tertius super rebus omnium generum fundatur. Respondetur, sumitur distinctio horum modorum extrinsecè, & fundamentaliter, vt in illa *q.*13. sed formaliter, vel quasi formaliter pro mutuo, & non mutuo referri. vel dic, si hæc distinctio non est formalis, vt esse non videtur, non esse inconueniens distingui ex duplici capite.

Conciliatio VIII.

Verbum diuinum non accipit esse per intellectionem.

Ar.3.§.Tertium scilicet, ait quodlibet obiectum accipere *esse* per cognitionem. Sed 1.*d.*27.§ *Neque obiectum*, tenet verbum non accipere *esse* per intellectionem. Respondetur, hîc ait quodlibet accipere *esse* rationis per intellectionem, sed ibi ait verbum non accipere suum *esse* reale per talem actum, quod verum est.

Conciliatio IX.

Ilias potest definiri.

*Ar.3.§.Ex his n.*24. ait quòd nihil prædicatur per se de eo, quod est contingens, vel non est per se vnum. Idem habet 3.*d.*7.*q.*3.*& d.*22.*ex* 5. *Met.tex.*54. sed *quodl.*12. ait quòd *Ilias* definitur sic: *est historia de bello Troiano*. Idem habetur 7. *Met.tex.*13. Respondetur secundùm Scot.4. *d.*1. *q.*2.§. *De primo n.*2. quòd definitio alia est nominis, nempe explicatio distincta eius, quod nomen importat. Alia est rei, & tantùm conuenit rei necessariæ, & quæ per se est vna. Ilias primo modo definitur, non secundo. Ita 7.*Met.tex.*13. Dices, Scot.2.*d.*3.*q.*6.§. *& cùm obiicis n.*10. dicit quòd hæc est per se, *superficies alba est alba*; tamen subiectum est vnum per accidens. Respondetur, ibi addit esse per se, quia subiectum includit prædicatum, sed non est absolutè per se, quia requiritur alia conditio, scilicet subiectum esse per se vnum.

Conciliatio X.

42. *Productio intellectionis est relatio, & actio.*

*Ar.3.§.Ad secundum potest dici, n.*28. ait quòd actus quo producitur intellectio, est actio de genere Actionis, quæ dici potest intelligificatio, id est, intellectionis effectio; & idem habet 1.*d.* 3.*q.*7. sed 4.*d.*13. *q.*1.§. *Ex dictis patet n.*12. ait respectum producentis ad productum esse relationem quarti Prædicamenti. Respondetur, vt ille respectus est transmutantis ad transmutatum, est actio de genere Actionis. Vide Scotum vltimo loco citato.

Conciliatio XI.

Intuitiua, & abstractiua differunt specie.

*Ar.2.§.Circa 2.n.*8. ait intuitiuam, & abstractiuam specie distingui. Idem ait 2.*d.*25.*& d.*3.*q.* 9. *&* 4.*d.*49.*q.*12.*&* 7. *Met.q.*5. sed 1.*d.*1.*q.*4.§. *Contra tertium art.* ait quòd diuersa approximatio non variat rationem formalem actus, & hîc tantùm est alia, & alia approximatio, scil. obiecti in se, & in sua specie. Respondetur, quòd hîc est aliud, & aliud causatiuum, quia ad intuitiuam requiritur ipsum reale obiectum præsens, ad abstractiuam sufficit eius species. An verò sustineri possit has scientias esse eiusdem speciei. Vide quæ dixi *disp.*3. *de anima sect.*11. *con.* 3.

EX QVODLIBETO XIV.

Conciliatio I.

Notitia Trinitatis an nobis naturalis.

AR. 1. §. *Post igitur nu.* 5. ait quòd notitia Trinitatis, quam quis accipit ab homine reuelante, est naturalis. Sed *q.*1.*prol.*§.*Tertiò arguitur n.*14. *&* §.*Ad q.n.*20. ait, quòd cognitio de Trinitate est supernaturalis. Respondetur, ex ipso 3. *d.* 23.§. *De primo n.*4. nos habere fidem acquisitam de reuelatis, quia viribus nostris credimus ea, sicut contenta in aliis historiis: sed vltrà, de eisdem habemus fidem infusam, & supernaturalem, quam nostris viribus habere nequimus: dici tamen potest hæc nobis naturalis, quatenus ad eam, vt ad perfectionem naturaliter inclinamur, non quòd naturæ viribus illam attingere possumus.

Conciliatio II.

43. *Fidei acquisitæ subesse potest falsum infusæ non.*

*Ar.1.§. Alia differentia n.*7. ait licèt fidei acquisitæ possit subesse falsum, tamen quando coniuncta est infusæ, non potest, quia hæc necessariò tendit determinatè in verum. Vide eum

cum 3.*d*.23.*n*.8. Sed 1.*d*.3.*q*.4.§. *Ista rationes n*.5. contra Henricum arguit, si ad actum concurrunt species creata, & exemplar increatum, (vt ipse voluit) non posse dari certitudinem in actu; ad quod etiam adducit id 1. *Post.c.* 21. *ex necessario & contingenti, non sequitur conclusio nisi contingens.* Respondetur, Henricus dixit repugnare certitudinem speciei creatæ, quia est in se mutabilis; ex quo benè infert Doctor, quòd non potest concurrere ad actum certum: at fidei acquisitæ non repugnat certitudo, & ideò concurrere potest ad actum certum, & infallibilem. Sed non concurrit cum infusa discursiuè, vt vna præmissa contingens cum altera necessaria, ad conclusionem: ideò illud de necessario, & contingenti hîc non habet locum; quod tamen contra Henricum valere videtur, quia per modum discursus videtur duo illa exemplaria posuisse ad certitudinem necessaria; quomodo vtraque fides ad vnum actum concurrunt. Vide *hîc Scholium tertium.*

Conciliatio. III.

Cognitio rerum in Verbo est intuitiua.

*Ar.*1.*prin.* ait quòd intuitiua est rei existentis, & præsentis in propria existentia: & idem ait 2.*d*.3.*q*.11.*n*.12. Sed 1.*d*.2.*q*.2.§. *Sed hîc restat n*.42. cognitio rerum in Verbo quã habent Beati, est intuitiua, & tamen non est rerum in propria existentia. Respondetur, ibi addit *in existentia actuali, & hoc, vel in se, vel in aliquo eminenter continente totam entitatem ipsius.*

Conciliatio IV.

Motio intellectus in Deo præcedit motionem voluntatis.

*Ar.*2.§. *Hîc intelligendum est, n*.14. ait quòd motio intellectus præcedit motionem voluntatis. Sed 1.*d* 1.*q*.1.§. *Quantùm ad istum n*.5. docet quòd Pater priùs origine quàm generet est perfectè beatus; beatus autem amore, maximè ex ipso 2. *d*.1. *q*.1. & 4.*d*.49. *q*.1. & 2. ergo hîc non sequitur motionem intellectus productiuam Filij. Respondetur, ex ipso hîc §. *Respondeo.* motionem intellectus essentialem præcedere essentialem motionem voluntatis, & notionalem motionem illius notionalem huius.

Conciliatio V.

44. *An futurum contingens ex decreto Dei absoluto habeat suam veritatẽ determinatam.*

*Ar.*2.§. *& si quæras n*.16. ait ideò Deum intelligere futurum contingens, quia voluntas eius determinauit illud fieri. Idem ait 1.*d*.39.§. *Viso de contingentia, n*.23. & *d*.4.§. *Primum istorum, nu*.13. Ex quo sequitur cùm Deus sit immutabilis, & omnia ab æterno voluerit, vt ipse habet 1.*d*.45. quòd prædestinati necessariò saluantur, & reprobi necessariò damnantur, & vniuersim, quòd nulli actus nostri sunt liberi, quia futuri sunt ex determinatione voluntatis Dei, quæ præuenit nostras, quæque nullo modo mutari potest. Sed ipse docet 1.*di*.40. prædestinatum posse saluari, & passim voluntatem nostram liberam esse. Respondetur, hîc tangitur inscrutabile mysterium concordiæ liberi arbitrij, cum gratia & diuina prouidentia, ac infallibili Dei scientia. Pro nunc potest dici, quòd non voluit Deus prædeterminare actiones nostras absoluto decreto, antequam præuidisset quid quis occasione essemus facturi: hac autem præuisione supposita, saluatur cum decreto Dei nostra libertas, quę difficillimè saluari potest posito decreto Dei absoluto de omni actu nostro. Vide varia loca eius, quæ ad hoc expendi 1.*d*. 39.*in Schol.ad* §. *Viso de contingentia.* vide etiam *Schol*.3.*ad c*.4.*de* 1.*princ.*

Conciliatio VI.

An potest quis se disponere ad fidem infusam ex naturalibus.

*Ar.*2.§. *Potest igitur viator n*.5. ait quòd potest quis ex naturalibus se disponere ad fidem infusam. Sed 1. *dist*.9.*qu*.2.*nu*.14. ait quòd nullus potest se disponere ad formam supernaturalem. Respondetur, vide *Scholium tertium hîc.*

Conciliatio VII.

Voluntas diuina continet essentiã.

*Ar.*7.§. *Nunc autem n*.17. ait quòd voluntas diuina continet essentiam in *esse* cognito. Sed *q*.3.*prol.* §. *ex dictis n*.7. ait essentiam continere virtualiter, & in *esse* cognito omnes passiones, & quasi passiones, & attributa. Respondetur, voluntas continet eam vnitiuè, adæquatè, identicè, & à posteriori, & sic causat eius notitiam in intellectu creato, quia ipsa non mouet naturaliter nisi suum intellectum; continetur autem ab ea, à priori, quia est quasi passio eius, fluens ab ea, non verò attributum propriè. vt habet Doctor 1.*d*.26.*n*.54. & *quodl*.1.

Conciliatio VIII.

*Ar.*2.§. *Hîc intelligendum n*.14. ait essentiam diuinam singulare esse primum intellectus diuini obiectum. Idem ait *q*.3.*prol.n*.12. & 1.*d*.3.*q*.2.§. *Tertiò dico n*.16. Sed 1.*d*.3.*q*.3.§. *Secundò sic nulla n*.3. ait quòd potentia non potest cognoscere aliquod obiectum sub ratione communiori, quàm sit ratio sui primi obiecti: at Deus cognoscit rationem entis vt sic, & omnia alia à se, vt ait Scot.1.*d*.39.§. *Circa ista n*.7. Respondetur, loquitur ibi de obiecto primo primitate prædicationis, vt patet per exemplũ, quod adducit de colorato, & lucido respectu visus: essentia autem diuina est obiectum primum, & adæquatum intellectus Dei, non prædicatione, sed virtuali continentia, vt habet Scot.*q*.3.*prol n*.22.§. *Ad tertiam quæstion.* nihil ergò intelligit nisi quod continetur virtualiter, vel eminenter in sua essentia, & sic dicitur omnia intelligere in se ipso ex Scot. *quodl*. 15. *art*. 2. & 4.*dist*. 16. *quæst*.2. 45. *Intelligit Deus aliquid communius suo primo obiecto.*

Conciliatio IX.

Obiectum adæquatum intellectus nost. est ens finitum.

Ar. 2. §. *Dico igitur n*.12. ait obiectum adæquatum intellectus creati esse ens finitum: Sed 1.*dist*.3.*q*.3.§. *Contra hoc arguitur, num*. 3. ait non repugnare intellectui nostro cognoscere Deum in particulari. Respondetur, non repugnat si eleuetur; sed suis viribus repugnat: ens finitum est obiectũ adæquatum proportionatum nostri intellectus, sed ens vt sic est eius obiectum adæquatum vt abstrahit à proportionato, & improportionato: ex Scot 2. *d*.3.*q* 3.§. *Ad secundum articulum n*.8.

Conci

Conciliatio X.

Continens aliquid quoad notitiam, cōtinet quoad entitatem.

Ar.3.prin. ait quòd nihil vt medium, vel ratio quæ continet aliquid quoad cognoscibilitatem, nisi etiam contineat quoad entitatem. Idem ait 1.*d.*3.*q.*2.*n.*8.& 2.*d.*3.*q.*9.§.*Contra secundam n.*5. Sed 1.*d.*3.*q.*3. *ar.*2.*n.*9. docet accidens continere notitiam substantiæ, idque secundùm Arist. 2. *de anima tex.* 11. vbi ait accidentia multum confere ad cognoscendum *quod quid est* rei: tamen accidens non continet entitatem substantiæ. Respondetur, nihil continet distinctam notitiam alicuius, nisi contineat illud secundùm entitatem, id tamen non requiritur ad continentiam notitiæ confusæ: & hanc tantùm habemus nunc de substantia per conceptum accidentis sensibilis, à quo abstrahitur conceptus vniuocus, communis sibi & substantiæ. Vide eum in loco obiecto: non loquitur de ratione cognoscendi *qua*, seu non cognita.

Conciliatio XI.

46. *Adam nouit distinctè abstractiuè Deū*

*Ar.*3.*prin.* ait quòd homo pro hoc statu nequit naturaliter cognoscere Deum distinctè. Idem ait 1.*d.*3.*q.*2.§. *Tertiò dico n.*16. Sed 2.*d.*3. *q.*9.*nu.*8. ait Adamum in statu innocentiæ habuisse talem notitiam de Deo: & idem ait de Angelo in via. Respōdetur, nec in statu integro vel peccati potuit haberi talis notitia distincta, concurrentibus causis merè naturalibus. Sed pro illo statu videtur Deus dedisse Adamo speciem, qua ipsum distinctè abstractiuè cognosceret. Pro eodem statu probabile est quòd conuersio ad phantasmata non fuit necessaria: de quo Scot.1.*d.*3.*q.*3.*n.*24.& 2.*d.*3.*q.*8.*ad* 1.& 1. *d.*3.*q.*6.*n.*19.& 4.*d.*45.*q.* de quo egi *in comment. q.*18. *de anima*, vbi de B. Virgine tenui quòd ei necessaria non fuit illa conuersio.

Conciliatio XII.

Notitia lapidis verbum est aliquando, non semper.

*Ar.*2.§. *Ad probationem maioris n.*19. ait, quòd notitia lapidis producta à lapide est verbum: sed producta à solo Deo non est Verbum, quia non nascitur tanquam proles. Sed 1.*d.*2.*q.*7. §. *Quòd autem omnia num.*28. ait, quòd diuersitas principiorum, seu causarum, non diuersificat effectus, & ideò animalia genita æquiuocè sunt eiusdem speciei cum genitis vniuocè, vt ibi exemplificat de vespis, & apibus. Respondetur, notitiam lapidis ab ipso causatam, & notitiam eiusdem à solo Deo effectam eiusdem esse speciei; sed illa habet respectum verbi, quo ista caret; sic Adam, & Abel eiusdem erant speciei, sed hîc habuit relationem filiationis naturalis, qua ille caruit. De visione beata, vel notitia rerum in Verbo, an sit Verbum controuertitur, etiam inter Scotistas: verius puto verbum esse, qua proles intellectus naturaliter ab eo genita quātùm est ex parte ipsius; esto voluntas Dei non naturaliter concurrat. Ita Scot.1.*d.*2 *q.*7.§. *Tertius art.n.*17.& *d.*27.*q.*3.§. *Aliter dicitur n.*15. de quo egi *disp.*3. *de anima sect.*3.

Conciliatio XIII.

47 *Ar.*2.§. *Dico igitur n.*12. ait, quod essentia diuina non potest esse motiua intellectus creati. Sed *q.*1.*prol.*§. *Aliter etiam posset n.*21. dicit quod est motiua intellectus ad notitiam supernaturalem. Respondetur, ibi vult quod possit mouere, sed non qua essentia, sed qua volens: quia nihil ad extrà causat naturaliter.

EX QVODLIBETO XV.

Conciliatio I.

Corpus non agit in spiritum.

AR. 1. §. *De secundo primi n.* 7. ait, quòd corpus non agit in spiritum: de quo 1.*d.*3. *q.*7.*ad primum pro Henr.n.*24. Sed 3.*d.*3.*q.*11.*ad primum*, ait quòd corpus agit speciem intelligibilem in intellectu Angeli, & 4.*d.*44.*q.*2. quòd ignis inferni cruciat spiritus. Respondetur, corpus non agit in spiritum, vt causa totalis, sed benè particulariter, ex Scoto secundo loco obiecto. Ad alterum locum, ignis inferni non vrit spiritus Physicè, sed detinendo eos localiter, formaliter (effectiuè à Deo detinetur) & intentionaliter immutando eorum intellectum. Vide eum *dicta qu.*2.§. *Ad quest.*& §. *De secundo.*

Conciliatio II.

Mater actiuè concurrit ad generationē.

*Ar.*1.§ *Sed hîc sunt duo n.*10. mater concurrit actiuè ad generationem, & hoc ex Phil.2.*de gen. animal.c.*1. Sed 3.*d.*4.*in calce*, ait magis standum esse Galeno hoc asserenti, quàm Aristoteli neganti. Respondetur, ibi explicat Aristotelem, quando negat matrem concurrere actiuè, intelligendum esse de actione principali: vel (inquit) stetur magis Galeno, quia Arist. videtur dubius, & esto constet quòd oppositum velit, reiiciendum esse putat.

Conciliatio III.

48. *Pater, & mater sunt causæ subordinatæ, non per accidens vnitæ.*

Ibidem ait Patrem & matrem esse causas subordinatas, ita quòd vna non dependeat ab altera, nec accipiat ab ea virtutem. Sed 3.*d.*4.*opinio est n.*3. ait ex 10.*Met.tex.*5. matrem, & fœminam esse eiusdem speciei: ergo non subordinantur, sicut nec duo calores, nec duo homines trahentes nauem. Respondetur, non sunt subordinatæ in agendo, & essendo, sicut creatura, & Deus, Sol, & homo, 2.*Phys.tex.*26. sed in agendo tantùm, quia pater est principalior, & mater minùs principalis; nec vna potest ita perfici, vt alterius concursum suppleat, & hoc sufficit ad subordinationem, esto ambæ sint eiusdem speciei. Per quod patet ad exempla. Ioannes Magistri 2.*Phys.q.*2. putat potentias patris, & matris specie distingui: quod mihi probabile est (esto ipsi sint eiusdem speciei) loquendo de virtute seminali, non verò de ipsa potentia principali, qua attingitur genitum; quia semen conuertitur in genitum, & sic nequit esse potentia principalis. De quo Scot.3. *d.*4.§. *Sed hîc dubium n.* 13.& 2.*d.*18. de quo dixi *disp.*1.*de animâ sect.*15. Vide eum 1. *d.*3.*q.*7.*n.*21. vbi explicat subordinationem causarum in essendo, & agendo.

Conciliatio IV.

Res spiritualis producit

*Ar.*1. §. *Si verò teneretur n.*18. ait rem spiritualem sine alia concausa efficere speciem intelligibilem.

Sed 2.*d*.3.*q*.11.§. *Ex iisdem n*.4. docet Angelum habere intellectum agentem, quo abstrahit species à rebus, & idem ait de anima separata 4. *d*. 45.§. *Ad quaest. nu*.12. Respondetur intellectum agentem esse necessarium, quoad species abstrahendas à sensibilibus, non à spiritualibus, quia res spiritualis non est minùs effectiua suae similitudinis, quàm res corporea: de quo dixi *commen. ad q*.22. Scoti *de anima, annotat*.4.

Conciliatio V.

49. *Potentiae distinguuntur per actus, & hi per obiecta.*

Ar.1.§. *Ostenditur n*.9. ait cum Arist.2. *de an. tex*. 33. quòd potentiae distinguuntur per actus, & hi per obiecta, vt per se principia. Sed *quodl*. 13. *ante finem*, ait hic esse verum tantùm quoad manifestationem. Respondetur, etiam ibi ait potentias distingui per actus à posteriori, & hos per obiecta à priori, intellige de actu generico, vt est *intelligere, velle*. Aduerte non semper, sed vt plurimum obiecta distingui per actus, vel potentias per obiecta, quia actus virtutum Theologicarum habent idem obiectum, ex Scot. 3.*d*.26.*n*. 18. §. *Duo igitur*: & intellectus & voluntas ex Scot.1.*d*.3.*q*.3.*n*.22.*&* 20.*de anima*: quando verò obiecta sunt diuersa, potentiae tales sunt, sed ex identitate obiecti non habetur potentias esse idem: & idem est de actibus. Ratio est, quia potentia, & actus, cùm sint entitatis absolutae; non possunt constitui in *esse*, nec distingui per respectus. Scot.1.*d*.6.*nu*.34.*&* 2.*d*.16.*ad* 2.*&* 1.*d* 3.*q*. 3. *ad* 1. Vide eum *q*. 20. *de anima*. vbi explicat quod dicitur, potentias distingui per obiecta, ostendens non sic haberi apud Philosophum; quando autem obiectum est indistinctum, distinctio potentiarum, & actuum aliunde petenda est, vt ex distinctione subiectorum, vt in fide, & charitate, & separabilitate, vt in charitate, & spe.

Conciliatio VI.

Deus nouit creaturas in sua tantùm essentia.

Ar.2.§. *Ad primum istorum n*.23. Deus cognoscit creaturas in essentia sua, non in ipsis. Sed *quodl. vlt. in fine*, ait Deum habere prouidentiam de omnibus creatis: ergo nouit eas in se ipsis, & quòd in se ipsis eas nouit docet 1.*d*.35. *num*.2.§. *Supposito*. Respondetur, nouit omnia in se ipso motiuè, sed alia à se nouit in ipsis terminatiuè, non verò motiuè, quia vilesceret eius intellectus.

Conciliatio VII.

50. *An eodem actu videt beatus essentiam, & creaturas.*

Ar.2. §. *Contra secundum nu*.21. innuit non esse eundem actum, quo beatus videt essentiam, & creaturas. Sed 1.*d*.1.*q*.3.§.*Modus ponendi n*.6. dicit contrarium. Respondetur, hîc nihil asserit de hoc. Vide *hìc in Scholio octauo solutionem*.

Conciliatio VIII.

Intellectus creatus potest simul cognoscere infinita

Ar. 2. *ante solut. arg*. tacitè admittit intellectum beati cognoscere infinita simul, & idem probabiliter sustinet 3.*d*.14.*q*.2.§.*Potest dici n*.18. Sed 1.*d*.2.*q*.2.§.*Ostenso opposito n*.3. probat Deũ infinitum, quia cognoscit infinita simul. Respondetur, non ex hoc praecisè, sed quia infinita cognoscit in se, ex se, & actiuè: intellectus creatus nequit ita cognoscere infinita; sed tantùm ait non repugnare fortè, quòd recipiat à Deo intellectionem infinitorum.

Conciliatio IX.

Vnius causae vnica est ratio causandi, in eodem ordine.

Ar.1.§ *Sed hîc sunt duo nu*.10. ait quòd pater, & mater sunt duae causae effectiuae generationis, habentes duas virtutes; & idem ait de intellectu, & obiecto, eiusve specie, respectu intellectionis. Sed 1. *d*. 13. §. *Praetereà* 3. *arguitur num*. 9. habet hanc maximam: *Vnius causa in vno ordine causandi est vna per se causandi ratio*. Respondetur, notando ex ipso 1.*d*.2.*q*.2. *num*.12.§. *Vbi notandum*, quòd causa per se dicitur illa, quae secundum propriam naturam, & non secundùm aliquid sibi accidens, causat, vt ignis ignem, & ideò aqua calefacta non per se, sed per accidens causat calorem, quando verò plures causae concurrunt, in qualibet ponenda est virtus seu ratio per se causandi vna in suo ordine, vt in exemplis; sed in causa totali complectente plures partiales, non oportet ponere vnicam rationem causandi, nisi secundùm vnitatem ordinis, & si concurrat vnitas, per accidens hoc accidit, sed vnitas ordinis est per se, ita in terminis Scotus 1.*d*. 3.*q*.7.*concurrat ergo nu*.22. exponendus est iuxta hoc, in loco obiecto, vbi illa ratio valet, quia probat contra Henricum distinctionem rationis in principio emanationis in Deo, non posse facere cum re ipsa, quae principium est, vnam per se rationem producendi, quia ens rationis nullam habet propriam virtutem, & omnino per accidens conuenit tali principio, & non ex natura ipsius, alioquin non esset ens rationis.

Quid causa per se, & per accidens?

EX QVODLIBETO XVI.

Conciliatio I.

51. *Perfectius est diligere necessariò, quã contingenter.*

Art.1.*prin*. perfectius est amare necessariò, quàm contingenter. Sed 1.*d*.8. *q*.5.§. *Istis rationibus n*.18.*&* *d*.1.*q*.2.*n*.21.*&* 2.*d*.1. *q*.1. docet Deum agere ad extrà contingenter: ergo hoc est perfectius. Respondetur, vbi terminus amoris, vel actionis potest esse necessarius, ibi perfectius est necessariò amare, & producere, vt in Deo ad intrà: secus est quando terminus nequit esse talis, vt ad extrà. Colligitur ex Scot.1. *d*.8.*q*. 5. *ad primum*.

Conciliatio II.

Potentia ponens differentiam inter aliqua duo, cognoscit vtrumque.

Ar.2.*prin.ait ex* 2.*de anima tex*.146. potentia ponens differentiam vnius obiecti ab alio, nouit vtrumque. Idem ait 1. *d*.8. *q*.3.§. Sed *intellectus n*.7.*&* *l.vniuers*.*q*.5. *&* *q*.9. *de anima*. Sed tenet 3.*d*.14.*q*.3.*ad* 4. quòd pro nunc singulare distinctè non cognoscimus. Idem ait 2.*d* 3. *q*.1.*num*.4. (sed ibi de cognitione sensus agit) *&* 7. *Met*.*q*.5. *num*. 15. *&* *qu*.22. *de anima*, & tamen intellectus ponit differentiam inter singulare, & vniuersale. Respondetur, sufficere cognitionem confusam ad ponendam differentiam; quia ponimus eam inter creata, & Deum, quem tantùm confusè cognoscere possumus, ex Scoto 1.*d*.3. *q*.2.§. *Quarto dico, n*.14.*&* *quodl*.14. *art*.3.

Conciliatio III.

Dans formã dat consequentia ad eam.

Ar.3.§.Ad propositum n.15. ait, qui dat formam,dat consequentia ad formam, sicut cœlo sphæricitatem,igni calorem,*ex 8. Phys.tex.32. & 2.Cœli tex.28.* Sed *2.d.24.q.10.§.Concedo quòd:* ait quòd grauia, & leuia habent suum malum à se effectiuè, non à generante, vel dante formam. Respondetur regulam intelligi de consequentibus formam necessariò, motus autem non sequitur sic grauia, & leuia, sed principium,scilicet grauitas, vel leuitas, quæ habentur à dante formam, sicut caliditas simul cum igne; nec intelligitur quòd consequentia sint effectiuè tantùm à dante formam, quia sufficit esse ab ipso composito per formam, vt dicitur dati mediatè à dante formam, quomodo calor est ab igne,& simul à datore formam, quod est exemplum Aristotelis.

Conciliatio IV.

52. *Posito priori absoluto potest non poni posterius.*

Ar.1.§.Istæ rationes n.4. posito priori absoluto,potest non poni posterius. Idem ait *2. d. 12. q.12.n.3.* Sed *2.d.2.q.9.n.37.* negat motum localem posse esse sine termino, quia de ratione eius est, quòd mobile sit partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem.* Respondetur,hæc non esse absoluta. Vide *quodl.11.concil. 7.& quodl.3.concil.5.* Mayron.*1.d.14.q.4.* limitat hanc regulam. Primò, quòd non habet locum, quando est essentialis dependentia inter aliqua, vt videtur esse inter motum & terminum; Secundò,quòd vnum non includatur in altero,& sic partes vnitæ non possunt esse sine toto. Tertiò,quando posterius est relatio,& prius extrema,de quo dixi *quodl.11.concil.7.* Vide Bassol. *4. d.48.q.1.* Occam *4.q.37.*

Conciliatio V.

Voluntatem non suspendere omnem volitionem.

Ar.1.§.Hìc dicitur nu.4. dicit, quòd voluntas non potest suspendere omnem volitionem,quia non illam,qua voluntariè suspendit. Idem ait *in reg.4.d.49.q.9.* Sed *2.d.7.n.24.§. Quantùm ad istum*, ait, quòd potest se suspendere ab omni volitione,& *1.d.1.q.4.ad 3.pro opin.* docet quòd voluntas etiam quoad ipsum Deum clarè visum, habet libertatem exercitij. Prætereà, quia ex his locis,& *2.d.42.ad 1.pro q.3. & 4.d.49.q. 10.§. Dico ergo n.10.* habetur secundùm ipsum dari omissionem puram. Respondetur,hìc non agit ex professo an voluntas possit suspendere actum sine actu,sed explicat,quomodo non necessitetur ad amandum vltimum finem, quia potest suspendere actum amoris per actum reflexum; an verò sine actu reflexo suspendere possit, hìc non examinat, quia de illo alio tantùm agit. Secundò,loquitur de voluntaria suspensione, ad quam requiritur actus, quia voluntarius secundùm ipsum *2.d.32. ad 2. & 4.d. 14.q.1. nu.11.* propriè dicitur quod est in potestate voluntatis actiuè, seu causatiuè, & sic includit actum. Tertiò, dici potest quòd problematicus fuit, an detur pura omissio. Quartò, quòd hìc loquitur regulariter, quia rarò, aut nunquam contingit actu præceptum omitti sine omni actu,quo directè, vel indirectè sit volita omissio. De quo dixi *de anima d.3.sec.16.*

Quid voluntarii propriè dictum.

Conciliatio VI.

Ar.1.in fine, ait licèt contingenter velit Deus omnia ad extra voluntate efficaci,tamen respectu creaturæ in *esse* possibili necessariò eum habere actum complacentiæ. Idem tenet *3. d.32. prin.* & fauet *1.d.8.q.5.n.16.* & *quodl.8.a.3.§.Ad secundum.* Sed *2. d.1. q.1. ar.2.* infert vt absurdum quòd Deus necessariò amaret creaturas, & loquitur de *esse* possibili,& *1. d. 39.§. Quantùm ad secundum n.22.& 3.d.37.§. Sed iste,* ait solum Deum amari necessariò à voluntate Dei. Respondetur, primo loco disputat contra Henricum dicentem emanationes requiri, vt rationes formales creandi, & quòd ideò practica sunt in Patre: ex quo infert quòd Verbum esset genitum de creatura, & quod Spiritus sanctus esset amor omnis amabilis, & sic creatura esset necessaria: vbi loquitur de creatura in ordine ad existentiam,quia idea practica non respicit possibiles. Aliis etiam duobus locis loquitur de amore efficaci, seu quoad existentiam, & sic verum est solum Deum necessariò ab eo amari Adde quòd non se resoluit, an Deus necessariò amet creaturas in *esse* possibili, licèt in affirmatiuam magis inclinet.

53. *Deus necessariò amat creaturas in esse possibili.*

Conciliatio VII.

Voluntas non potest velle malum, nec nolle bonum.

Ar.1.§.Secundò scilicet num.5. ait voluntatem non posse velle malum,neque nolle bonum. Sed *1.d.2.q.4.n.18.& q.2.6.q.1. n.13. & d.43.qu.2.* dicit de hoc constare. Respondetur, dubius mansit illis locis: sed posteà se resoluit hìc, & *4.d.49. qu.10. ad secundum art. & d.50.quæst.2. ad primum.*

Conciliatio VIII.

54. *Voluntas est essentialiter libera.*

Ar.2.§. Prætereà conditio nu. 8. ait libertatem esse intrinsecam voluntati, & *ar.3.§.Ad propositum num. 15.* quòd repugnat eam agere aliter quàm liberè. Idem habet *in Report.2. d.6.q.2.§. Primum istorum*, vbi ait libertatem esse differentiam constitutiuam voluntatis, & *1. d.1. q.7. §.Item potentia,* vbi vocat voluntatem per essentiam liberam. Sed *4.d.49.q.6.§. Dico ergo,* tenet quòd voluntas Dei præueniens humanam, necessitat eam, & hac ratione passim reiicit determinationem Physicam ad actus nostros *4. d.1.q. 1.ad vlt.& d.43.q.3.§.Tertia opin.n.11.* Respondetur, locis allegatis *in hac quæst.* agit de libertate essentiali, opposita naturalitati, quæ compatitur cum necessitate quam habet Deus amando se, & producendo Spiritum sanctum: non negat ergo, quin saltem per Deum necessitari possit voluntas ad actus aliquos, imò id habetur ex loco in contrarium adducto; & hìc *art. 1. §. De isto ar.* reliquit vt dubium, an voluntas creata beata per aliquid supernaturale necessitetur ad fruendum: ergo non ponit libertatem exercitij, vel contrarietatis esse de essentia eius: de quo dixi *disp. 2. de anima sec. 14.* Nec obstat quòd dicat *4.d. 29.* esse contradictionem, quòd voluntas cogatur, quia eam cogi est habere actum contra suum actum, seu oppositum suo actui simul,quod repugnat,quia idem simul nollet, & vellet. Ita ipse Scotus ibi rem explicat: Scotistæ tamen multi aliter eam explicant,

Prædeterminatio omnino reiicienda.

explicant, quos non sequor, sed veritatem. Vide *Bargium* 1.*d*.12.§. *Ista ratio de voluntate.*

EX QVODLIBETO XVII.

CONCILIATIO I.

Nemo meretur nisi liberè operans.

ART.1.§.*Potest dici num*.4. ait nihil esse meritorium, nisi sit in libera potestate operantis. Sed 4.*d*.6.*q*.6.§.*Hoc modo n*.2.ait in martyribus, dum actu patiuntur, absorberi vsum rationis acerbitate pœnarum, & idem habet 3. *d*. 15.§.*Quantùm ad* 2.*a*.*n*.18.& tamen certum est eos tunc mereri. Respondetur, vel non tolli eis totum rationis vsum, vel ibi manere saltem virtualem libertatem, qualem habent distracti in opere aliquo, ad quod liberè se determinarunt.

CONCILIATIO II.

55. *Ad meritum requiritur inclinatio charitatis, & virtualis intentio.*

Ar.2.*in fi*.& *quodl*.18.*a*.1.*in fine*, ait, quòd ad meritum requiritur inclinatio charitatis, nec sufficere hominem esse in gratia, & requiri saltem charitatem tenet 1.*d*.17.*q*.3.*à n*.6.& 2.*d*.7. *à n*.11.& 3.*d*.8.Sed 4.*d*.14.*q*.2.§.*Ad huius intellectum*, ait peccatorem per bona opera se ipsum posse ad gratiam disponere, & eam de congruo mereri. Respondetur meritum de congruo non esse simpliciter, sed secundùm *quid* meritum: neque Scotus vult quòd homo suis viribus possit se disponere ad gratiam, sed quòd non requiritur ad hoc habitus supernaturalis, vel fortè auxilium tam in intellectu, quàm in voluntate. Vide varia eius loca ad hoc, in Scholio ad locum obiectum: quibus adde ipsum *in Rep*.2.*d*.7.*q*.3.§. *Dicunt secundum*, vbi ait, quòd ad iustificationem Deus infundit gratiam gratis datam. Vide *quodl*.14.*concil*.8.& *Scholium* 3.*ibi*. Dices: Sco. 2. *d*.7.§. *Malitia tertio modo nu*.13. ait sufficere aliquem esse in gratia, vt opera eius bona sint meritoria, idque colligi videtur *ex Trid.ss.*6.*c*.16. ergo nõ requiritur inclinatio charitatis ad hoc. Respondetur, reputat vtramque partem probabilem: de quo 1.2.*q*.114.*à nu*.4.& hæc mihi magis placet, licèt altera pars sit communior, nempe requiri inclinationem illam, saltem virtualem charitatis.

CONCILIATIO III.

Voluntas facit ens rationis, sensus non.

Ar.2. *prin*. ait quòd intellectus, & voluntas sunt potentiæ collatiuæ. Sed *quodl*.1.*ar*.1.§.*Tertia ratio*.& 4.*d*.1.*q*.2.§. *Nec est* 3.*nu*.3. explicans ens rationis, ait fieri ex secunda consideratione intellectus. Respondetur, ita est frequentius, sed non negat fieri à voluntate, imò asserit hîc, & 3.*d*.26.*q*.2.*n*.23.& 4.*d*.16.*q*.2.*n*.7. An verò sensus communis causet ens rationis, necne, non conuenit inter Scotistas. Quidam affirmant, quia cognoscit differentiam obiectorum sensuum particularium, *ex quodl*.16.*concil*.2. Alij negant, & puto verius, si requiratur ad ens rationis cognitio reflexa; quia sensus non reflectit, nec componit, nec iudicat, si propriè loquamur, licèt comparatiuè apprehendat, vt quando imaginamur montem aureum: de quo dixi *q*. 8. *de anima, annotat*. 1.& *q*.9.*annotat*.3.

CONCILIATIO IV.

Art.3.§.& *cùm arguitur n*.8.ait quòd charitas est forma virtutum. Sed 1.*d*.17.*q*.13.§.*Intelligendum est autem*, *n*.12.& §.*Quantùm igitur ad illam n*.4.& 3.*d*.36 §. *De tertio art. nu*.21. docet dari virtutes morales sine charitate, & art. 4. idem ait de Theologicis. Respondetur, charitas est forma omnium aliarum virtutum quoad meritum, quia sine ipsa nemo mereri potest, 1. *Cor*. 13. sed in *esse* virtutis moralis constituuntur per conformitatem ad prudentiam. Vide Sco.1.*d*.17.*q*.3. 56. *Quomodo charitas est forma virtutum.*

CONCILIATIO V.

Ar.3.§.*Contra conclusionem nu*.10. ait, vnum & eundem actum elici posse ex fide infusa, & acquisita. Sed *quodl*.14.*art*. 1. ait, fidei infusæ non posse subesse falsum, acquisitæ sic: ergo. Respondetur, vide *conciliationem* 2. *quodl*.14. & *Scholium* 3.*ibi*. *Idem actus an fide infusa, & acquisita elici potest.*

CONCILIATIO VI.

Art.3.§.*Contra con. nu*. 10. supponit haberi posse fidem, & scientiam de eodem obiecto. Sed oppositum habet *q*.3.*prol*. §. *De possibilitate n*.25.& 3.*d*.24.§. *Ad quæstionem*. Respondetur, hîc non asserit, sed exemplum adducit, & in exemplis non requiritur veritas: si autem aliquando videatur admittere fidem, & scientiam de eodem, intelligit de habitu scientiæ, collato ad habitum, vel actum fidei, vel èconuerso; non verò de actu vtriusque. Vide *Scholia nostra* 3. *d*.24.§. *Ad quæst*.& *in sequentibus*. *Fides, & scientia non dantur simul de eodem.*

CONCILIATIO VII.

Art. 3. fusè probat amorem naturalem, & meritorium, seu charitatis esse eiusdem speciei, & idem vult *hîc* §. *Contra conclusionem nu*.10 de actu fidei infusæ, & acquisitæ, & 3.*d*. 23. §. *Ad quæst*.Sed 3.*dist*.26.§. *Respondeo tres n*.15. ait ad virtutem Theologicam requiri, quòd sit infusa, & ideò fidem, spem, & charitatem acquisitas non esse Theologicas: ergo eorum actus specie differunt, sicut virtus infusa, & acquisita, & de fide docet esse infusam 3. *d*. 23. §. *De secundo n*.6.& de spe *d*.26.§. *Ad qu*. & de charitate, *d*.27.§. *De tertio num*.19. & 1.*d*.17. *qu*.3.§. *Contra istam n*.18.34.38. Respondetur, ex citatis omnibus secundùm eum habitus infusi sunt absolutè, & secundùm substantiam supernaturales: sed actûs eorum tantùm secundùm modum videntur tales, & sic secundùm substantiam sunt eiusdem speciei cum naturalibus. Ita videtur sentire *in* 1.*d*.17.*q*.3.*ad* 3.*pro opin. Magistri n*.34. vbi ait, actus non esse propriè supernaturales, sicut habitus, sed posse sic dici ratione formæ, seu habitus concurrentis ad eam. Citatur pro eodem 4.*d*.14.*qu*.2.& 4.*d*.1.*qu*.5.§. *Contra istam nu*.4. ait nullam formam supernaturalem educi de potentia naturali subiecti, sed creari: actus autem charitatis educitur, & non creatur: ergo secundùm eum non est supernaturalis. Idem habent Alm.*ibi*.Gabr.3.*d* 27.*q*.1.& 4. *d*.14.*q*.1.*a*.2.*con*.5.vbi alios citat, cũ Occam Palud.4.*d*.14.*q*.1.Capr.1.*d*.17.*q*.1.*ar*.1. Caiet.1.2.*q*. 109. 57. *Actus habituum naturalium, & supernaturalium an differant specie.*

109.*ar*.4.*c*.14.Rada 1.*tom. Controu*.4. *ar*.1. Vide Scholium *quæst*.1.*prol*.§. *Ad quæst*. & Aretin. 3. *dist*.27.*art*.7.

EX QVODLIBETO XVIII.

Conciliatio I.

In actibus externis est propria malitia distincta ab interna.

ART.3.*prin*. ait actus malos externos habere propriam malitiam distinctam ab interna. Sed 2. *d*.42. 4.§. *Secundò dico*,ait peccatum non posse esse formaliter nisi in voluntate: ergo in aliis potentiis non est propria distincta malitia. Respondetur, catenus dici esse formaliter tantùm in voluntate, quia in aliis potentiis non est nisi dependenter ab ipsa, quæ immediatè est libera.

Conciliatio II.

58. *Conclusio habet propriam veritatem.*

Art.§.*Ad primum esto n*.14 ait, quòd alia est veritas conclusionis à veritate præmissarum, vel principij. Idem ait *quodl*.17. *a*.3. Sed 1.*d*.8 *q*.4. dicit quòd veritas conclusionis est quædam participatio veritatis, vel veritas partialis principij. Respondetur,ita est causaliter,vel virtualiter, sed formaliter habet conclusio propriam veritatem. Vide eum 6.*met*.*q*.1.& 1.*d*.1.*q*.3.*n*.2.

Conciliatio III.

Bonitas est respectus extrinsecus,non intrinsecus.

Art.3.§.*Istud autem n*.16.ait,quòd bonitas est respectus extrinsecus. Sed 1. *d*. 17. *q*. 3. §. *Quantùm ad istum n*. 3. ait, quòd est intrinsecus adueniens.Respondetur,ibi ait de virtute,quærens, an influat actiuè in bonitatem, & resoluit quòd non,quia hoc resultat posito actu, & dictamine recto;intellige fundamentaliter,quæ est vera dependentia realis actus voluntatis ad dictamen intellectus;sed quatenus elicitur liberè, seu cum potestate,non eliciendi,non est in eo relatio realis, sed tantùm rationis ad idem dictamen. Primò,quia *esse* morale vt sic, non est aliquid reale. Secundò, pura omissio secundùm Scotum esse potest bona, quæ tamen realis esse nequit. Tertiò,quia *esse* liberum in actu non est aliquid reale ei superadditum,quia sine mutatione reali potest actus necessarius fieri liber,& ècontra.Quartò, Scotus *hic ar*. 1. tenet probabiliter bonum esse tantùm negationem imperfectionis. Quintò, Scotus 2. *d*.16. *num*. 14. ait, verum non distingui re ab ente; & idem ait *quodl*. 13. *art*. 2. §. *Circa secundum*, ergo idem de bono: bonitas ergo est respectus extrinsecus,& rationis formaliter, habens tamen, vel supponens respectum realem actus ad dictamen. Vel dic breuiùs, quando dicit quòd est relatio intrinsecùs adueniens,vel realis, loquitur de actu nudè consideratо; & quando dicit quòd est extrinsecus, loquitur de eodem,vt libero, & secundùm omnes circumstantias, quæ, non omnes saltem ex natura rei,sed per habitudines rationis, eum afficiunt.

Conciliatio IV.

59. *Tristitia est voluntaria & inuoluntaria.*

Art. 1. §. *principale*, ait, quòd tristitia est in voluntate, & tamen non est voluntaria. Sed 4. *d*. 14. *quæst*. 2. *art*. 3. ait pœnitentiam, eiusque tristitiam esse voluntariam. Respondetur, esse voluntariam mediatè, quatenus voluntas voluntariè applicat eius causas, nempe apprehensionem mali existentis, & eius nolitionem;quibus positis, necessariò sequitur tristitia; quæ tamen simpliciter est libera. Ita Scotus *ibi num*.12. vide *eum* 3. *d*.15. §. *Vlteriùs de tristitia num*. 12. & *ibi Scholium*,vbi explicatur quomodo tristitia est passio: & hac ratione dici potest inuoluntaria,quia immediatè non est libera, nec actus elicitus voluntatis.

Conciliatio V.

Ar.3. §. *Respondeo,malitia num*. 18. ait peccatum esse priuationem rectitudinis actualis, non verò iustitiæ habitualis. Idem ait 2 *d*.37. *quæst*.1. §. *Concedo igitur num*. 6. Sed *ibidem* §. *Argumenta*,& 4. *d*.14. *quæst*.1. *num*.4. fatetur per peccatum auferri gratiam: ergo est eius priuatio. Respondetur,ita est,sed ex demerito, non ex natura rei, alioquin non posset tolli gratia nisi per peccatum,nec ècontra. Sicut non potest tolli visus nisi per cæcitatem, nec ècontra. Ita Scotus ibi, & 4.*d*.16.*q*.1.§. *Respondeo*, & *d*.14. *quæst*.1. *art*.2.& 3.& *d*.23. *ad tertium*: de quo in materia de peccatis, & gratia. *Peccatum & gratia tantùm demeritoriè opponuntur.*

Conciliatio VI.

Art. 1. §. *Nota quòd vltra num*. 8. ait quòd bonitas ex obiecto est prima bonitas moralis:& idem ait 2. *d*. 7. §. *Ad solutionem num*. 11. Sed 2. *d*. 40. §. *De secundo*, ait primam bonitatem sumi à conuenientia actus ad efficiens, & secundam ex obiecto. Respondetur, tantùm ibi vult primam conditionem ad bonitatem, sumi ab illa conuenientia ad efficiens, *à quo* (inquit) *actus dicitur moralis, quia liberè elicitus, & hoc est commune bono, & malo*. Loquitur ergo, non de bonitate prima in se, sed de aliquo prærequisito ad bonum & malum. Nec obstat quòd ibi dicat secundam conditionem sumi ab obiecto, quia loquitur de secunda conditione communi ad bonum, & malum: *Secunda conditio*, inquit, *est ex obiecto,quod si conueniens est, actus est bonus*. Si enim loqueretur de bonitate propriè sumpta ex obiecto, non adderet, *si est conueniens*, quia esset nugatio: vult ergo numerando libertatem, vt primam conditionem, secundam desumi ex obiecto; & hoc est dicere, supposita hac conditione generali,ad bonum,& malum, primam conditionem bonitatis sumi ab obiecto. *Prima bonitas moralis desumitur ab obiecto.*

Conciliatio VII.

Art.3. §. *Si dicas num*.15. ait quòd actus non manet aliquamdiu, sed raptim transit, hoc est, vt videtur, in instanti, & sic non mutatur de bono in malum. Sed 1. *d*.17. *qu*.3. §. *Quantùm ad istum*, ait quòd bonitas est conditio accidentalis actus: ergo ab eo separari potest. & 2.*d*.2.*qu*.4. §. *Si autem*,ait operationem nostram mensurari, quod est coëxistere posse in instanti,vel tempori nostro: ergo non transit raptim, vel instantaneè. Respondetur, hìc tantùm dubitatiuè loquitur, *non manet*, inquit, *aut si manet, communiter non mutatur de bono in malum*: sunt enim qui dicunt necessariò manere vltra instans;& qui tenent 60. *Actus regulariter non mutatur de bono in malum.*

tenent passim mutari de bono in malum: Doctor verò nihil resoluens de primo ad secundum docet, esto maneat, regulariter non mutari de bono in malum, vel ècontra. Ratio est, quia actu bono semper volo bonum, & nihil mali, & eo ipso, quo tendatur in malum, videtur esse alius actus; nec potest actus fieri malus, nisi directè, vel indirectè tendat in malum.

CONCILIATIO VIII.

Malitia alia priuatiua, alia cõtraria. *Ar.1.§.Contra, circumstantiæ n.7.* ait malitiam diuidi in priuatiuam, & contrariam. Idem habet 2.d. 7.§. *Qualibet istarum n.12.* Sed malum vniuersaliter ponit in priuatione 2. d.37. q.1.§. *Istæ questiones, & hic art.3.* Respondetur, intelligit per malitiam contrariam, appositionem malæ circumstantiæ, vt quando das eleemosynam ob malum finem; & priuatiuam carentiam circumstantiæ debitæ, vt quando das eleemosynam, non propter Deum, nec propter malum finem: quia ergo per actum positiuum dirigitur opus in malum finem, vocat malitiam in tali directione fundatam, contrariam, quia eius fundamentum est positiuum; sed pro formali omnem malitiam ponit in priuatione. Modum hunc loquendi sumit ex Boëtio in Prædicamentis *c.de* Qualitate. *Vasq.1.2.d.95.c.9.* frustrà ex hoc loco malè intellecto conatur trahere Doctorem in suam sententiam, quòd peccatum consistit in positiuo.

CONCILIATIO IX.

61. *An habitus virtutis requiratur ad actus bonos morales.* *Ar. 3. §. Ad aliud dico, quòd iustitia n. 15.* ait: quòd habitus, seu iustitia habitualis non requiritur ad actus bonos morales. Idem ait 3. d. 33. §. *Ad quæst. num.12. & 4. d. 14. qu.2. art.2. num.13. & 1. d.17. q.3. §. Ad argumenta pro quinta opinione nu.12.* Sed 2. d.41. num.2. ex Arist.2. *Ethic.1.* ait quòd habitus iustitiæ gignitur ex actibus iustis, non tamen iustè factis, hoc est, sine virtute factis: ergo non sunt actus boni sine habitu, alioquin iustè fierent. Respondetur, non fiunt iustè, iustitia desumpta ex habitu virtutis, id est, firmiter, & faciliter; sed benè iustitia accepta à recto, quod sufficit absolutè ad iustitiam moralem.

CONCILIATIO X.

Verum & falsum in intellectu, bonum, & malum in rebus. *Ar.3.§. Si dicas, n.15.* ait posse negari verum, & falsum esse in intellectu, bonum, & malum in rebus, & id ille asserit cum Philos. 6. *Met.tex.8.* in expositione illius textus. Respondetur, verum vniuersim sumptum non est in intellectu tantùm; sed veritas cognitionis tantùm in eo est, maximè compositionis, & diuisionis; & sic Scotus explicat Philos. loco obiecto. Dicitur autem bonum, & malum esse in rebus, verum, & falsum in intellectu, quia cùm intellectus intelligit, non appetit *esse* reale rei intellectæ intelligenti, sed contentus est eius similitudine, vel *esse* intentionali: at voluntas amando, appetit rem amatam, secundùm *esse* reale vniri amanti; v. g. qui appetit vinum, non satiatur eius specie, sed secundùm *esse* reale cupit illud habere: non est ergo sensus quòd bonum, & malum sint in rebus subiectiuè, ita quòd non sint in anima, vel actu; sed eatenus sunt in rebus, quatenus hæ mouent appetitum, non prout sunt in anima.

EX QVODLIBETO XIX.

CONCILIATIO I.

Art.1.§. Restat igitur 3.num.2. ait quòd vnio naturæ ad Verbum est relatio realis, non æquiparantiæ. Idem ait 3.d.1. q.1. num.3. relatio autem æquiparantiæ secundùm ipsum ibi habet habitudinem eiusdem rationis in vtroque extremo. Sed 4. d 11. q. 2. *ad primum*, ait quòd vnio denominat vtrunque extremum eodem modo, quia Verbum est vnitum naturæ, & è contra, & 3.d.7.q.2.§. *Sed tantùm n.3. & §. Ex his patet*: docet hanc esse veram, & eius conuersam, *homo factus est Deus*; & hoc ratione vnionis. Respondetur, licèt quoad aliqua vnio denominet vtrumque extremum eodem nomine, tamen non est relatio æquiparantiæ, quia non denominat eodem modo; est enim realis in natura, & in Verbo rationis tantùm. 62. *Vnio hypostatica est relatio realis disquiparantiæ.*

CONCILIATIO II.

Ar.2.§. Et istarum n.6. ait perfectionem vniuersi consistere in ordine, ex 12. *Met.tex.52.* Sed 2.d.3.q.7.ad 6. & 3. d.22. ait ex *Met.tex.* 11. in indiuiduis non esse ordinem prioris, & posterioris. Respondetur non esse in eis prius, vel posterius essentialiter; sed benè indiuidualiter, vel accidentaliter. *Perfectio vniuersi consistit in ordine.*

CONCILIATIO III.

Ar.2.§. Et cùm additur num.11. ait quòd ens æquiuocè conuenit entitati quiditatiuæ, & hypostaticæ. Sed 1.d.26.ad 2.pro sententia communi, & 2.via num.48. & d.23. in fine, ait conceptum communem abstrahi posse à constitutiuis personarum, qui sit eis vniuocus. Respondetur, non admittit abstrahi posse ab eis conceptum vniuocum positiuum, sed quasi negatiuum, ens tamen ad constitutiua personarum, est vniuocum prædicatum, & dicitur de eisdem nominatiuè, vel identicè, sicut dicitur de vltimis differentiis, & suis passionibus: de quo Scotus 1.d.3.q.3.§. *Ad quæst. n.6.* differt vniuocum prædicatum, ab vniuocè prædicari, quòd hoc includitur in subiecto, illud non: vt habet Scotus 1.d.8.q.3.nu.14. & 3.d.7. num.5. *Ens est æquiuocum ad essentialia, & notionalia.*

CONCILIATIO IV.

Ar.2.§. Nec tamen intelligo num.14. & ar.3 §. Potest igitur dici nu.18. tenet personam constitui per negationem, & idem habet 3.d.1.q.1 a.3. & 1. d.23.n.5. & aliàs passim. Sed 1.d.26.§. *Alia est opinio communis n. 4.* docet personas diuinas constitui per relationes, & defendit ibidē §. *Tertia opinio nu. 23.* constitui per absoluta incommunicabilia. Respondetur, hìc loquitur de persona creata. Dices, quare increata non sic constituitur per negationes? Respondetur, contra fidem sequeretur non esse tres personas realiter distinctas, neque vllam productionem ad intrà, quia solùm esset essentia. Dices secundò Scot. 3. d. 1. q.1. 63 *Persona constituitur per negationes.*

q.1. *art.* 3. inclinat, quòd persona creata sit aliquid positiuum, & fauet 1.*d.*5.*q.*2.*§. Tertia difficultas n.*16. vbi ait suppositum subsistere per formam. Respondetur, non reputat illam partem improbabilem.

CONCILIATIO V.

Non est negandum aliquid esse possibile, si non ostenditur impossibile.

*Ar.*3.*§. Potest dici quòd non est n.*22. ait quòd quodlibet ponendum est possibile esse, cuius non patet ratio impossibilitatis. Sed 1.*d.*2.*q.*7.*ad secundum pro q.*6.*n.*10. docet filium non esse possibile, in quo tamen nulla patet ratio impossibilitatis. Respondetur, non est possibile, id est, terminus potentiæ actiuæ, quo sensu possibile est obiectum omnipotentiæ, ex Sco.1.*d.*2.*q.*3.*§. De septimo n.*6. *&* *d.*42. *& quodl.* 7. Sed potest dici possibile, vt hoc dicit terminum potentiæ productiuæ, non causatiuæ & sic non differt à necessario: non enim hîc sumitur possibile, vt opponitur necessario 1.*poster.tex.*6.

CONCILIATIO VI.

Non est aptitudo ad formas supernaturales

*Ar.*3.*§. Ad propositum loquendo n.*19. ait quòd ad formam supernaturalem non est aptitudo, seu inclinatio naturalis. Sed q.1, *prol.§. Ad quæst.n.* 21. ait intellectum nostrum naturaliter inclinari ad notitiam supernaturalem, & *ad* 1. *pro opin.* quòd potentiæ passiuæ naturali non necessariò correspondet actiua naturalis, & 4. *d.*49. *q.*10. *§. Respondeo*, ait quòd voluntas appetitu naturali necessariò, & summè appetit beatitudinem in particulari. Respondetur, hîc tantùm dicit, quòd non est aptitudo propriè ad formas supernaturales; non negat ergo ad eas aptitudinem: sed tantùm illam propriam, & strictè sumptam, quæ est ad perfectiones eiusdem ordinis, naturæ debitas. Alij exponunt, quòd negat tantùm aptitudinem actiuam. Sed non placet, tum quia secundùm ipsum 2. *d.* 18. naturalitas sumitur penes principium passiuum, tum etiam, quia ad actus supernaturales habemus incompletam actiuitatem. Vide quæ dixi de hoc *disp.* 4. *sect.*1. *de anima.*

CONCILIATIO VII.

64. *Natura inclinatur naturaliter ad suum & ad alienum suppositum.*

Ibidem ait, quòd natura assumpta habet inclinationem naturalem ad suum suppositum: & idem admittit 3.*d.*1.*q.*2. *ad* 3. Sed locis iam citatis, ponit inclinationem naturalem ad omnem formam supernaturalem, cuius subiectum est capax: ergo contradictio. Præterea sequitur, quòd est violenter in Verbo, quia inclinatio naturalis est ipsa res inclinata; vt ipse docet 2. *d.*6.*q.*2. *&* 4.*d.*49.*q.*10. Respondetur primò, stat aliquid habere inclinationem naturalem ad plura incompossibilia, & tunc sub nullo eorum est violenter; colligitur ex Scot. 1.*d.*1.*q.*1 *ad vl.* vbi ait tot esse appetitus materiæ, quot sunt formæ. Secundò dico, quòd inclinatur naturaliter appetitu magis proprio ad suum suppositum: sed cum hoc stat, quòd etiam naturaliter inclinetur, & si non ita propriè ad suppositum diuinum, à quo perficitur, & dignificatur; ad alias autem formas supernaturales magis propriè inclinamur, quàm ad vnionem hypostaticam, quatenus naturalem existendi modum non excludunt, vt facit hæc vnio.

CONCILIATIO VIII.

*Ar.*1.*prin.* Verbi personalitas est independens. Idem ait 3.*d.*1.*q.*1. ergo est perfecta. Sed 1.*d.*1.*q.*2. *ad primum & secundum, & quodl.* 5. ait relationes originis nullam dicere perfectionem. Respondetur, ita est formaliter, sed identicè, & negatiuè sunt perfectæ, quia sunt ipsa essentia, & nullius imperfectionis capaces. Similiter sunt independentes. *Personalitas diuina est independens, & perfecta.*

CONCILIATIO IX.

*Ar.*3.*§. Ad propositum, n.*19. ait quòd negatio actualis dependentiæ complet rationem personæ. Sed 3.*d.*1.*q.*1.*art.*3. id tribuit negationi aptitudinalis dependentiæ. Respondetur, tantum vult vtramque requiri, & vnam ab alia compleri. 65. *Negatio actualis dependentia complet personam.*

CONCILIATIO X.

Ibidem ait negationem non conuenire alicui, nisi per aliquid positiuum, quod sit ratio illius negationis. Idem ait 3.*d.*1.*q.*1.*&* 1.*d.*28. *q.*2.*n.*12. *&* *d.*2.*q.*7.*n.*38.*&* 2.*d.*3.*q.*2. Sed 1. *d.*36.*§. Respondeo quòd tripliciter n.*13. ait, quòd negatio inest, non per aliquod positiuum, sed per solam absentiam causæ, quomodo negatio albedinis inest superficiei. Respondetur, id verum est de negatione, quæ non est repugnantia: sed hæc semper requirit positiuum. Vide eum hic, *&* 2. *d.*3. *q.*2. *Negatio semper conuenit ratione alicuius positiui.*

EX QVODLIBETO XX.

CONCILIATIO I.

A*R.*1.*prin.* ait, quòd oratio non prodest nisi existenti in gratia, *& quodl.* 17. quòd oratio non dilecti non placet. Sed 2 *d.* 28.*&* 4.*d.*14. *q.*2.*§. Ad huius intellectum n.* 14. ait, quòd opera peccatoris faciunt ad salutem. Respondetur, opera peccatoris per gratiam, non gratum facientem, adiuti, dispositiuè faciunt ad salutem. Sed sine gratia gratum faciente nulla sunt meritoria. *Oratio non prodest non existenti in gratia.*

CONCILIATIO II.

*Ar.*2.*§. Tertia applicatio num.* 16. ait temporalia posse recipi pro celebratione missæ, & prædicatione. Sed 4. *d.*25.*§. Tertia pœna*, tenet esse simoniam dare temporale pro spirituali, vel è contra: & idem ait *hîc ar.*3.*prin.* & ideò 4.*d.*5.*q.* 2. *ad* 3. negat Baptismum accipiendum esse ab eo, qui non vult illud dare sine pretio. Respondetur, & hîc & locis in contrariũ adductis, tãtùm vult eum, qui se exercet in spiritualibus in vtilitatem aliorum posse ab eis recipere debitam sustentationem, idque ex iustitia, sine vlla venditione, vel commensuratione pretij ad laborem intrinsecè requisitum ad opera spiritualia, quia talis labor ab ipsis non distinguitur. Sed stipendium sustentationis consideratur in ordine ad personam, quatenus sustentatione indiget, quam non potest acquirere, dum aliis in spiritualibus seruit, & ideò ex iustitia debetur saltem ratione conditionis necessariæ ad talem 66. *Labor & fatigatio in spiritualibus an vendi possunt.*

talem obligationem. Labor autem extraordinarius vel accidentarius ad opera ſpiritualia: v.g. ſi ad ſuſcipiendum confeſſionem alicuius, vel ad celebrandum vna, vel altera leuca conficienda eſſet, rectè vendi poteſt laboris exceſſus. Ita communis. D.Tho.4.*d.*25.*q.*3.*a.*2.*q.*2.*& quodl.*8. *art.* 11. Soto. 9. *de Iuſt. quæſt.*6. *art.*1. Dur.4. *d.*25.*quæſt.*3.*n.*10. Pal.*q.*5. Syl.*verb.Simonia q.* 5. Gab.*lec.*28.*in can.* Suar.*tom.*1. *de relig.l.*4.*de Simon.c.*21. Dices, Scotus *vlt.loco cit.* ait, poſſe emi actum baptizationis, ſi ſacerdos nolit aliter baptizare, modò non intendas emere, inquantùm eſt ſacramentale, ſed laborem ſacerdotis, *ſicut conducuntur ſacerdotes*, inquit, *ad celebrandum*: ergo vult laborem intrinſecè, & neceſſariò requiſitum in ſpirituali opere emi poſſe. Reſpondetur, non loquitur de venditione laboris propriè dicta, ſed de ſuſtentatione iure debita, quia ſubiungit, *oportet vnumquemque de ſuo labore, taliter qualiter victitare.*

Conciliatio III.

67. *Ar.*2.§.*Cui autem n.*18. præceptum de honorandis parentibus eſſe de Iure naturæ. Sed 3.*d.*37. §.*Ad q.n.*5. ait præcepta ſecundæ tabulæ non eſſe de Iure naturæ. Reſpondetur ex ipſo ibi, præceptum Iuris naturæ ſtrictè loquendo, eſſe principium practicum ex terminis notum, vel concluſionem neceſſariò ex eo deductam: largo modo tamen de Iure naturæ dicuntur, quæ ſunt conſona Iuri naturæ: ſic diuiſio rerum ſuppoſito lapſu, conſona eſt huic principio, *pacificè eſt viuendum.* Ita Scotus 4. *d.*17. *q.*1. *& d.*26. *q.*1. in præceptis autem ſecundæ tabulæ plerumque non eſt ſtrictè Iuris naturæ obligatio, quia affirmatiua non continent bonitatem euidenter neceſſariam ad vltimum finem; nec negatiua maliriam ab eodem neceſſariò auertentem; & ideò poteſt Deus in his diſpenſare. Vide Scholium, quod ibi poſui. Dixi *plerumque*, quia mendacium fortè eſt contra præceptum ſecundæ tabulæ, & tamen diſpenſari nequit per Deum, quia id eſſet contra intrinſecam eius perfectionem: perderet enim dignitatem infallibilis teſtis, & nihil eſſet ita certum, quia ab eo dictum, quin poſſet eſſe falſum. Vide Scotum 3.*d.*38.§. *Aliter dicitur n.*6.*& ibi Scholium noſtrum.*

Honorare parentes, præceptũ naturæ.

Conciliatio IV.

*Ar.*2.§.*Contra pater n.* 18. ait quòd applicatio ſacrificij pro aliquo, debet fieri cum conditione, *ſi Deo placet.* Sed 4.*d.*30.*q.*2. *ar.* 2. ait quòd votum non debet fieri cum conditione, *ſi Deo placuerit*, vel *niſi Deus aliter diſpoſuerit*, quia nemo debet offerre aliquid Deo, velit, nolit. Reſpondetur, ita eſt de voto, quia ſupponitur eſſe gratum Deo, quia de maiori bono, & ad ipſum immediatè dirigitur: at valor ſacrificij applicatur ſæpè alicui, de quo dubitari poteſt, an ipſi, an potiùs aliis debeatur: & ideò vtiliter illa conditio ponitur; & addendum eſſet (quod hîc etiam habet Doctor) *ſi non poſſum vel debeo applicare iſti, applico illi, vel illis, pro quibus ſcis me teneri, vel debere offerre, & in illo gradu, quo obligor.*

Applicatio valoris ſacrificij rectè fit cũ conditione, ſi Deo placet.

Conciliatio V.

68. *Ar.*3.§.*Si autem teneatur n.*26. ait quòd obligatus dicere miſſam pro aliquo, non ſatisfacit, ſi ſimul pro ipſo, & alio eam dicat. Sed hîc *ar.*2.§. *Sed contra pater*, ait quòd ſacerdos poteſt applicare miſſam ſimul pro parentibus, benefactoribus, Principibus, &c. Reſpondetur, verum eſt quando liberè celebrat, & ſine obligatione celebrandi determinatè, pro aliquo, vel aliquibus, & ſic ſe explicat Doctor, loco in contrarium adducto.

Obligatus celebrare pro vno, non ſatis facit celebrãdo pro pluribus.

EX QVODLIBETO XXI.

Conciliatio I.

ART.1.§. *Cauſa autem n.*9. ait quòd bona fortuna eſt ſine ratione natura, quam definitionem habet Ariſt. *libello de bona fortuna.* Sed *ibidem* §.*Qualis autem cauſa n.*3. cum Ariſtot. 2. *Phyſ.text.* 52. ait cauſam eius eſſe voluntatem: ergo non natura. Reſpondetur, ab Ariſtotele dicitur impetus naturæ, quo aliqui neſcientes impelluntur ad bonum; quidquid ipſe per hoc ſenſerit. Theologi illam impulſionem Deo tribuunt, cui nullus effectus eſt fortuitus; dicitur autem natura, quia ſine rationis diſcurſu, vel præuiſione euenit; eſt enim effectus voluntatis, non intentus, quia non præuiſus, vt quando fodiens terram, vt plantet, inuenit theſaurum: & ſic reducitur ad agens à propoſito, vt habet Ariſt. 11. *Metaph. text.* 7. ſicut caſus ad agens naturale, vt quando tripoda cadendo ſtetit. 2. *Phyſ.text.*6. Vide Scotum 11. *Met.text.*7.*&* 12.*text.*12.

Bona fortuna eſt ſine ratione natura.

Caſus & fortuna differunt.

Conciliatio II.

69. *Ar.*1.§.*Qualis autem n.*3. ait quòd fortuna eſt ipſa voluntas, vt ei aliquid euenit præter intentum. Sed 12.*Met.*12. ait quòd fortuna eſt intellectus agens præter intentionem, & caſus, natura agens præter intentionem. Quod etiam docet *Ariſt.*2.*Phyſ.text.*52. Reſpondetur, per intellectum intelligit à propoſito, vt diſtinguitur contra naturam, non verò aliquid diſtinctum à voluntate, & ſic paſſim ſumit Ariſt. intellectum, vt Scot. oſtendit 1.*d.*2.*q.*7.§. *Reſpondeo quòd n.* 33. *&* 2.*d.*25.*n.*23.§. *Dices, Philoſophus, &* 4.*d.*49. *q.*4. Vide ipſum 9. *Met. q.*14. *pro eodem* (inquit Scotus *dicto* §. *Dices, Philoſophus*) *ſumit Ariſt. maximè in libris Ethic. intellectum, artem, propoſitum, electionem, appetitum*: quia ſingula ſignificant agens à propoſito, vt diſtinguitur contra agens naturale.

Fortuna eſt voluntatis, non intellectus.

Conciliatio III.

*Ar.*1.§. *Alia eſt diuiſio n.*5. ait, quòd nullus eſt benè fortunatus, quia ſemel ſibi benè accidit fortuitè, quia vna hirundo non facit ver, nec vna dies hominem fœlicem, 1. *Ethic.*9. ſed 2.*d.*5.*q.*1. *ad* 2.*n.*41. ait quòd vnum meritum intenſum valet centum millia remiſſa: ergo vnum magnum bonum fortuitò eueniens valet multa parua ſic euenientia. Reſpondetur, licèt talis poſſit dici quodam ſenſu æquiualenter benè fortunatus, propriè tamen talis non eſt, niſi ei vt in plurimùm benè fortuitò ſuccedat, quia licèt ſemel ei benè eueniat, poteſt cum hoc ſtare, quòd ſemel, aut bis malè eueniat: & ſi de facto non malè eueniat, hoc per accidens eſt, & non quia ſemel ei benè fortuitò euenit. Vel dic in ſenſu Ariſtotelis

Cui ſemel benè fortuitò accidit, non eſt benè fortunatus.

talem non censeri benè fortunatum:in re parùm referr. loquatis sic, vel sic:sed verius est talem non esse simpliciter benè fortunatum, quia potest sæpiùs malum fortuitò ei euenire.

Conciliatio IV.

70. *Anima immortalitas non demonstratur.* Paulò ante finem, ait quòd ratio naturalis attingit mortalitatē animæ.Sed 4.*d*.43.*q*.2.§ *Potest dici n.* 6. tenet immortalitatem animæ non demonstrari. Respondetur, hîc tantùm ait ratione naturali attingi, quòd anima est immediatè à Deo,quia est immortalis, nec inde sequitur naturaliter demonstrari esse immortalem;sed sufficit quòd suadetur multis rationibus naturaliter: de quo ipse videri potest loco citato. Vide circa hoc quæ dixi *disp.1.de anima sec.* 13. vbi *sec.* 12. de mente Aristotelis: creari autem à Deo, quia immortalis est, probatur secundùm viam Arist. quia omne æternum est necesse 1. *de Cœlo text.* 138.*&* 9. *Met. tex.* 19. & omne tale immediatè est à Deo,quia quod facit mediatè est nouum, 2. *Phys. tex.* 74.*&* 6. *de substantia orbis c.* 2. *&* 8. *Phys.text.*8.15.

Conciliatio V.

Omne nouum habet causā efficientem. *Art.*1.§. *Tertia conclusio n.*4.ait ex Platone nihil esse ortum,cuius non præcessit legitima causa:& idem ait Aug.3.*Ciu.*9. *Cicero* (inquit) *concedit nihil fieri, si causa efficiens non præcedat.* Sed 2.*d*.37.*q*.2.§.*Propter igitur n.*9.docet peccatum non habere causam efficientem. Respondetur, peccatum pro materiali est effectus positiuus, & sic habet causam efficientem: pro formali est priuatio rectitudinis debitæ in esse, vt habet Scotus 2. *d* 37. *q*.2. §. *Concedo n.6.* & sic non habet efficientem, sed deficientem, nempe voluntatem creatam. Si teneatur dari peccatum omissionis puræ,vt videtur tenere Scotus 4.*d*.49. *q*. 10. nullam omnino habet causam efficientem, quia materiale non habet,sed consistit præcisè in defectu.

Conciliatio VI.

Deus habet specialem prouidentiam de homine. In fine ait,in Deo esse duas prouidentias,vnam vniuersalem,qua regit omnia,alteram specialem, qua prouidet cuilibet homini, secundùm merita aliqua;propria,vel aliena.Sed *quodl.*15.*a*.2.§.*Ad primum istorum,* ait Deum non scire res in ipsis, sed in sua essentia:ergo non potest eis prouidere in particulari. Respondetur *suprà quodl.*15. *concil.quinta.*

Conciliatio VII.

71. *An Deus causa bonæ fortunæ sit secundùm Arist.* §. *Dicendum quòd si n.*13. ait secundùm Aristotelem Deum esse causam immediatā boni effectus fortuiti. Sed §. *Sed quomodo hoc n.*14. ait Aristot.8.*Phys.text.*8 *&* 15. tenere nihil de nouo fieri immediatè à Deo, quia foret in hoc mutabilis. Respondetur,ipse Scotus conciliat cum sibi.quia non tenuit, nihil nouum fieri ab agente primo immediatè, nisi concurrentibus his duobus. Primum, quòd effectus sit alterius rationis, quia ipse posuit Intelligentiam causare partes motus, qui sunt eiusdem rationis. Secundùm, quòd nulla esset diuersitas in causis mediis actiuis,vel passiuis, quia posuit ipse animam intellectiuam immediatè fieri à Deo, sed concurrente dispositione varia causæ passiuæ:iuxta hos, si alterum horum deficeret, posset Deus in via Aristotelis aliquid imm. diatè agere de nouo, & sic esse causa boni effectus fortuiti, sicut est causa animæ, licèt omnia agat necessariò, quia vnum impellit,in quo est aliqua bona dispositio ad aliquid faciendum, ex quo ei euenit bonum;& aliū non, quia caret tali. Sed contrà, quia voluntas vnius eodem modo planè disposita cum voluntate alterius posset à Deo ad bonam fortunam dirigi.Respondetur,ita est verè, sed non ad mentem Aristotelis. Dices, ipse 7. Mor. ad Eudemium 18.vt refert *D. Thom.tex.* 2.*q*.9.*a*.4. tenet primum motum voluntatis esse ab extrinseco:ergo immediatè à Deo,& sine causa media diuersa. Respondetur, poneret ille suum impetum, vix nobis intelligibilem. Sed non est quòd eum saluare conemur à contradictione, cùm de fortuna errasse constet,ait enim, 2.*Mag. mor.* 8. bonam fortunam non esse à Deo,quia est iustus, & iniquissimi homines quandoque sunt benè fortunati,& loco iam citato duas esse fortunas; vnam quæ fit impetu numinis,quam vocat diuinam;alteram sine illo impetu, cuius causa est natura;& hac potest quis esse benè fortunatus, non à numine,sed à constellatione.Veritas fidei est,vt hîc concludit Scotus,omnia quæ fiunt à natura, fortuna, vel casu, in Dei prouidentiam reducenda esse, cui nihil fortuitò, vel casu euenit, de quo, Aug.2.*Ciuit.*9. *Aristoteles de fortuna errauit.*

Conciliatio VIII.

*Ar.*1.§. *Est ergo bona n.* 8. ait ex Arist. illum impetum esse in anima. Sed §. *Respondeo si Aristot.n.*10 ait esse in corpore,quia est dispositio sequens determinatam complexionem. Respondetur,non vult inhæsiuè esse in anima nobiliori secundùm Aristotelem, quia secundùm eum, cui plus est intellectus, minus est fortunæ: est ergo aliqua dispositio sequens determinatam complexionem corporis, non meliorem (vt opinor secundùm Aristotelem)quia sic meliùs intelligens esset fortunatior, quod est contra ipsum:si est ergo aliquid in anima, ponitur à Deo necessariò, consequenter ad complexionem secundùm Aristotelem;& conuenit animæ non secundùm entitatem, sed quia agitur à nobiliori impellente. Iam dixi non esse curandum quid senserit Aristoteles in hoc, quia errasse constat. Vide multa de impulsu in supplemento nostro *de anima disp.*4.*sect.vlt*, 72. *Impetus fortunarum an in anima,vel in corpore secundùm Arist.*



GVIDI BARTOLVCCII ASSISIATIS

Ordinis Minorum Conuentualium opuſculum

DE DVCENTIS QVADRAGINTA TRIBVS CONTRADICTIONIBVS, QVÆ in Scoti operibus apparere videntur, quarum ſingulis ſuas adhibet ſolutiones.

I.



Cotvs *in prima quæſtione prologi, reſpondendo ad quæſitum*, dicit intellectum eſſe paſſiuum naturaliter ad quamlibet cognitionem, etiam Dei, & quòd in hoc non eſt aliquod miraculum, nec aliqua ſupernaturalitas. Huius oppoſitum habet *in 19. quæſt. quodl.* quòd ad formam ſupernaturalem non eſt habitudo naturalis.

Solutio; dicendum eſt, quòd iſta forma comparata ad paſſiuum non eſt ſupernaturalis; comparata verò ad agens, à quo recipit, tunc forma, ſiue cognitio dicitur eſſe ſupernaturalis.

Dicas iterum, intellectum paſſiuum ad duo poſſe comparari. Primò ad actum quem recipit, & ſic nulla eſt ſupernaturalitas. Secundo modo ad agens, à quo recipit, & tunc omnis cognitio, quæ non poteſt cauſari ab agente, & phantaſmate, eſt ſibi ſupernaturalis.

Vel dicas, quòd ad formam ſupernaturalem non eſt aptitudo naturalis actiua, eſt tamen aptitudo naturalis paſſiua: ſic autem quòd eſt talis paſſiua, vel ſic, quòd non eſt aptitudo naturalis, ſed benè potentia naturalis; differt enim potentia, & aptitudo.

Vel dicas, quòd licet ad formam ſupernaturalem non ſit aptitudo naturalis, eſt tamen ad eam potentia obedientialis.

II.

Scotus *in prima quæſtione prologi* dicit, quòd intellectus poſſibilis non eſt aptus natus moueri ab intellectu agente, & à phantaſmatibus, Huius oppoſitum habet *in 3. d. q. 1.*

Solutio, dicas quòd id, quod hîc habet Doctor, habet veritatem de motione mediata, & non de immediata; nihil enim aliud volebat Doctor *in prima q prologi*, niſi quòd pro ſtatu iſto oportet habere recurſum ad phantaſmata, & ideò dicendum eſt quòd phantaſmata mouent intellectum poſſibilem cauſando in eo partialiter tantùm ſpeciem intelligibilem.

III.

Scotus *in 1. q. prologi reſpondendo ad quæſtionem* dicit, quòd eſſentia diuina eſt motiua noſtri intellectus. Huius oppoſitum habet *in 14. quæſt, quodlibetali art. 2.* vbi dicit quòd eſſentia diuina non poteſt eſſe obiectum motiuum intellectus creati.

Solutio, dicas quòd Scotus in 14. q. quodl. vult quòd eſſentia non ſit motiuum obiectum intellectus creati naturale, ita quòd naturaliter eum poſſit mouere, ſicut naturaliter mouet intellectum diuinum, & hoc eſt verum, in prima verò q. prologi vult quòd poſſit mouere liberè, & contingenter, & debet intelligi non eſſentia purè, ſed eſſentia volens, ſeu eſſentia cum voluntate.

Scotus

IV.

Scotus *in* 1. *q. prologi soluendo primum argumentum*, attribuit actiuitatem, & intellectionem intellectui agenti; huius oppositum communiter tenetur in via Scoti.

Dicas, quòd intellectus agens causat intellectionem mediatè, partialiter tamen, in quantum partialiter causat speciem intelligibilem.

V.

Scotus *in* 1.*q.prologi*, dicit quòd ens non continet virtualiter suam passionem. Huius oppositum habet *in eadem quæstione paulò inferius*, & inquit quòd eam continet virtualiter.

Solutio. Dicas, quòd si ens aliquam passionem virtualiter contineat, non est dicendum ens virtualiter continere passionem suorum inferiorum, sed concedit Scotus ens virtualiter continere tantùm passionem suam, & non aliam: & cum dicitur, subiectum virtualiter continet suam passionem; loquitur de subiecto, vt est species specialissima, & non de quocunque alio subiecto.

VI.

Scotus *in* 1.*q.prologi*, dicit, quòd termini communissimi sunt nobis primò noti. Huius oppositum habet *in* 1.*d*.3. *q*.1. vbi dicit speciem specialissimam esse primum notum.

Solutio. Duplex est cognitio, confusa, & distincta. Termini communissimi sunt vtique nobis primò noti notitia distincta, species verò specialissima est nobis primò nota notitia confusa. Nota quòd prima principia nobis dicuntur naturaliter nota, id est, terminis cognitis, non possumus illis non assentire, & naturaliter inclinamur ad eis assentiendum, & non debet intelligi quòd sint nobis naturaliter nota, id est, quòd eorum cognitio sit nobis insita à natura.

VII.

Scotus dicit *in* 2. *q. prologi*, quòd solus Deus potest hominem docere; sed huius oppositum habet *in* 2. *d*.11. vbi dicit, quòd Angelus potest veriùs hominem docere, quàm faciat homo.

Solutio. Ita debet intelligi, quòd Angelus non potest hominem docere immediatè, sicut facit Deus, quia Angelus non potest hominem docere circa ea, quæ sunt fidei, nisi priùs ipse Angelus ab eodem doceatur.

VIII.

Scotus *in* 2. *q. prologi soluendo tertium argumentum principale*, dicit quòd multi sunt actus, de quibus ignoramus an sint peccata mortalia, vel non. Huius oppositum *in* 4. *d*.30. *in corpore quæsiti*.

Solutio. Dicas quòd Scotus, *in* 2.*q. prologi* ita intendit, dato quòd tales actus sint dubij, ex hoc tamen non est dubia via salutis, & sic sufficiebat in eadem quæstione Scotum docere, quomodo Theologia sit sufficienter tradita, etiam concesso quòd illi actus sunt dubij; non tamen intelligit Scotus affirmare illos actus esse dubios, sed tantùm vult habere viam salutis, non esse dubiam, & sic ista doctrina est sufficienter tradita; sed vtrùm sint isti actus dubij? Dicas quòd non, vt habet Scotus *in quarto*, quoniam de quocunque actu peritus Theologus satis iudicabit an sit contra legem dictum, aut factum, aut concupitum, & sic iudicabit an sit peccatum, vel non, vt patet in definitione peccati.

IX.

Scotus dicit *in* 3. *q. prologi*, quòd subiectum nullibi veriùs cognoscit, quàm in illa scientia, in qua est subiectum. Huius oppositum habet *in* 2. *dist.primi quæst*.2.*& in quæst. collaterali de subiecto, in qua quærit de subalternatione scientiæ*.

Solutio. Dicas primò, quòd hoc dictum Scoti habet veritatem, comparando scientiã particularem ad aliam particularem, vt est in proposito; sed non habet veritatem, comparando scientiam particularem ad scientiam communem, ad quam stat resolutio omnium scientiarum particularium.

X.

Scotus *in tertia q.Prologi*, dicit quòd perfectissimus conceptus, quem naturaliter possumus habere de Deo, est conceptus entis infiniti. Huius oppositum habet *in octaua distinct. primi quæst*.1.

Solutio. Dicas quòd Scotus ibi tantùm comparat bonum ad alios conceptus attributales, & non ad infinitatem, quæ non est attributum.

XI.

Scotus *in tertia, q. prologi* inquit quòd illud primum notum neutram habet conditionem: & *ibidem paulò pòst* dicit quòd habet primam conditionem.

Solutio. Dicas quòd quando Scotus dicit *in tertia, q.prologi*, primum notum neutram habere conditionem, loquitur de primo noto, quod nullo pacto est demonstrabile; & dum dicit *paulò inferius* habere primam conditionem, loquitur de eo, quod est primò notum in scientia.

XII.

Scotus *in secunda, q.prologi* dicit quòd finis supernaturalis non includitur in ratione hominis. Huius oppositum habet *in prima quæst. prologi*.

Solutio. Dicas quòd hîc Doctor loquitur de cognitione naturali possibili in præsenti statu, & in tali cognitione quantumcunque perfecta non includitur finis supernaturalis.

XIII.

Scotus *in tertia, q. prologi* dicit quòd ista, *Deus est trinus, & vnus*, est speculatiua. Huius oppositum habet *in* 4.*q. prologi*, vbi dicit quòd est practica.

Solutio. Dicas quòd Doctor loquitur in respectiuo sermone, comparat enim istam, *Deus est trinus*, ad istam, *Deus creat*.

XIV.

Scotus *circa finem q. tertiæ*, dicit quòd ad propositionem per se notam sufficit habere confusè notitiam terminorum. Huius oppositum habet *in* 2. *distin.primi*: vbi dicit quòd requiritur notitia distincta terminorum.

Solutio. Dicas quòd in scientiis specialibus, & subalternis sufficit confusa notitia terminorum; sed in scientia vniuersali, vt est Metaphysica, requiritur distincta notitia terminorum.

XV.

Scotus *in quarta, q. prologi*, dicit quòd *practicum*, & *speculatiuum* non sunt differentiæ essentiales; & tamen in fine illius quæstionis dicit oppositum, vbi sic dicit, quòd sunt differentiæ essentiales.

Solutio. Dicas quòd dictum Doctoris debet exponi, id est, circumscribentes nobis vltimas differentias essentiales, vel dicuntur essentiales, quia sunt prædicata secundi modi, necessariò

sequentes

ſequentes eſſentiam ; Doctor tamen in fine huius quæſtionis loquitur in reſpectiuo ſermone.

XVI.

Scotus *in ſecundo, diſt. prima, quæſtione 6. & in 3.d.13.& in 4.d.49.q.5.* dicit quòd infimum indiuiduum ſpeciei nobilius, & perfectius eſt ſupremo indiuiduo ignobilioris ſpeciei. Huius oppoſitum habet *in 3. diſt. 24. ſoluendo quintum principale.*

Solutio. Dicas veritatem dicta Scoti habere in naturalibus,& in moralibus. Vel dicas regulam Scoti non eſſe veram in ſuſcipientibus magis & minus. Vel dicas, quòd in verbis Scoti nulla eſt contradictio,quoniam etſi lumen fidei abſolutè,& in ſua quiditate ſit perfectius lumine naturali, non tamen poteſt cauſare actum ita perfectum,ſicut naturale; quia lumen ſcientiale naturale habet potentiam,& obiecta valde proportionata,ſed non ſic lumen fidei, & ideò dicendum eſt quòd cætera non ſunt paria, ex hoc prouenit effectus.

XVII.

Scotus *in 17.diſt.primi q.2.* dicit habitum requiri propter ſubſtantiam actus. Huius oppoſitum paulò antè dixerat.

Solutio. Dicas quòd aliud eſt conſiderare in actu intentionē, quæ eſt modus intrinſecus,& aliud eſt cōſiderare conditionē actualē moralē. Primum & ſecundum ſcilicet ſubſtantia actus, & modus intrinſecus,non poſſunt fieri à diuerſis,cùm ſecundum ratione ſui non ſit factibile; ſed primum & ſecundum, id eſt, ſubſtantia actus, & conditio moralis benè poſſunt fieri à diuerſis. Contrà,Scotus *in d.17.primi ſent. q.2. in principio primæ columnæ,* dicit quòd habitus non habet aliquam rationem principij actiui, niſi inquantùm habet rationem principij actiui,reſpectu ſubſtantiæ actus. Dicas, quòd Scotus ibi modicum antè dixit actum moralem pro formali eſſe quandam relationem, & ſic non poteſt habere ſui acquiri, ſed ſolum ratione fundamenti, quoniam ad eam non eſt motus,& ſic intendit Scotus,quòd ſcilicet habitus eſt tantùm principium quantùm ad ſubſtantiam actus,id eſt,quantùm ad fundamentum,& non quantùm ad ſuam formalitatem.

XVIII.

Scotus *in ſecundo, ſent.d. 41.* dicit quòd actus moralis requirit rationem rectam, & habitum virtutis: Huius oppoſitum habet *in 1 d.17. q.2. & in 2.d.7.& 42.& in 3.d.33. & in 4. d. 14.q.2. & diſt.18.*

Solutio. Dicas quòd actus moralis dicitur dupliciter.Primò ab habitu,& recto dictamine ſimul.Secundò, dicitur à ſolo dictamine, quoniam rectum dictamen eſt eſſentiale ipſi actui morali, & habitus tantùm eſt,vt ille actus intenſiùs, & faciliùs eliciatur. Dicas ergo quòd Scotus *in primo d. 17. & etiam in 14.ſecundi,* loquitur de actu morali primo modo,ſed non ſecundo modo.

XIX.

Scotus *in 4. q. prologi*, dicit quòd pecuniæ dum ſunt in phantaſmate,tunc voluntas poteſt elicere velle date liberaliter. Huius oppoſitum habet *in 3.d.1.q.6.*

Solutio. Dicas quòd Scotus loquitur ſecundùm opinionem Henrici. Vel dicas quòd Scotus loquitur communiter. Vel dicas quòd pro ſtatu iſto pecuniæ non poſſunt eſſe præſentes in intellectu,niſi priùs fuerint præſentes in virtute phantaſtica.Vel dicas quòd per phantaſma Doctor intellexerit earum repreſentatiuum.

XX.

Scotus *in 4.q.prologi* dicit quòd cauſa nullum *eſſe* capit à cauſato. Huius oppoſitum habet *in quodlibeto quæſt.9.& in 2.Metaphyſica q.6.*

Solutio.Dicas quòd cauſa à cauſato capit entitatem,ſeu denominationem reſpectiuam. Secundò dicas quòd illud dictum. *Cauſa nihil capit à cauſato*, habet veritatem de cauſa extrinſeca, ſed non de intrinſeca. Tertiò dicas quòd cauſa extrinſeca capit à cauſato tantùm *eſſe* ſubſiſtentiæ, de quo loquitur Scotus in dictis locis, ſed non capit ab eo, aliquid de *eſſe* eſſentiæ,nec exiſtentiæ.

XXI.

Scotus *in 4.q. prologi in principio*, vult dari multos actus indifferentes,qui non ſunt praxes, nec ſpeculatiui. Huius oppoſitum habet *in eadem quæſtione.*

Solutio. Dicas quòd dictum Scoti intelligitur de actibus elicitis ſecundùm dictamen rationis, & nota, quòd actus humanus capitur tripliciter. Primò, vt diſtinguitur contra actum beſtialem, & ſic fricare barbam, & ſimiles actus,qui ſecundùm Doctorem ſunt indifferentes,vt patet *in d. 4. ſecundi*, dicuntur actus humani. Alio modo capitur actus humanus pro actu,qui eſt in poteſtate noſtra, elicitus ſecundùm rectam rationem, & tales ſunt praxes ſi ſunt alterius potentiæ, quàm intellectus. Alio modo capitur actus humanus pro ſpeculatione non directiua in praxim.

XXII.

Scotus *in primo diſt.1.q.4.* dicit quòd ſi actus fruitionis eliceretur circa vnam perſonam, & non circa aliam, quòd ille actus non eſſet rectus. Huius oppoſitum habet *in eadem quæſtione.*

Solutio. Dicas quòd poſſumus frui vna perſona non fruendo alia actualiter, ſed non habitualiter.

XXIII.

Scotus *in 4.q.prologi.& in 36.d.6.* tenet quòd non requiritur, notitiam practicam & praxim eſſe in eodem ſubiecto. Huius oppoſitum habet *in 1.d.38.*

Solutio. Dicas quòd Scotus protulit illam propoſitionem ſecundùm communem viam, quæ ſic tenebat.

XXIV.

Sotus *in 4.q prologi*, videtur ponere animam ſenſitiuam eſſe formaliter in homine. Huius oppoſitum habet *in 2.d.15.*

Solutio. Dicas quòd Scotus loquitur exemplariter,non autem ad mentem propriam.

XXV.

Scotus *in 4.q.prolog. in ſolutione principalium argumentorum* innuit quòd actus voluntatis eſt imperfectior actu intellectus. Huius oppoſitum habet *in 4.diſt. 49. quæſt. tertia*, & ſæpe in ſua doctrina.

Solutio.Dicas quòd Scotus dum dicit actum intellectus nobiliorem eſſe actu voluntatis reſpondet ex propoſitionibus conceſſis a ſic arguentibus, & tenentibus partem oppoſitam.

XXVI.

Scotus *circa finem quæſt 4.prologi,reſpondendo ad*

ad argumenta pro opinione, inquit quòd practicum,& speculatiuum sunt differentiæ essentiales. Huius oppositum habet *in eadem quæstione, in artic. secundo secundæ quæst. illius quartæ, q. principalis.*

Solutio. Dicas quòd Scotus loquitur in respectiuo sermone, & vult dicere quòd respectu actuum,& habituum sunt differētiæ essentiales, id est, non ita accidentales sicut sunt respectu intellectus, quoniam in intellectu sunt accidentia communia, & separabilia.

XXVII.

Scotus *in quarta quæst. prologi, circa finem, & in primo, dist.* 17.*q. secunda*, *& in* 2.*d.*7. vult circunstantiam obiecti esse primam circunstantiam actus moralis: sed huius oppositum habet *in* 18.*q. quodl.* vbi vult circunstantiam finis esse primam.

Solutio. Dicas quòd circunstātia finis, vt distinguitur contra circunstantiam obiecti, est prima primitate perfectionis, sed circunstantia obiecti est prima primitate naturæ, seu generationis.

XXVIII.

Scotus *in primo*, *d.*1. *q.*1. dicit quòd accidit quòd coniungatur in eodem ratio primi effectiui,& ratio finis. Huius oppositum habet *in* 2. *d.*2 *q.*1.

Solutio. Dicas dupliciter. Primò, quòd Doctor benè concedit quòd ratio primi effectiui concludit rationem vltimi finis; sed quòd primum effectiuum non dicitur quietare vltimatè, inquantùm primum effectiuum, quia vt sic, tantùm efficit: sed dicitur quietare inquantùm est obiectum perfectissimum,& ratio perfectissima terminandi actum potentiæ natæ quietare in tali obiecto. Secundò dicas, quod hoc non accidit ex natura rei, quia ex natura rei de necessitate coniunguntur in eodem ratio finis, & ratio primi effectiui.

XXIX.

Scotus *in tertio dist. prima, quæst. quinta*, inquit quòd vbicunque est ratio formalis terminandi, terminat. Huius oppositum habet *in primo, dist. prima, q. secunda*, vbi dicit quòd creatura potest frui vna persona, non fruendo aliis: si igitur essentia est ratio terminandi, igitur essentia est ratio quoquoque fruendi, siue terminandi,& cùm fruitio, & essentia est in tribus, igitur non poterimus frui essentia non fruendo personis.

Solutio. Dicas quòd non est simile, quia essentia, vt est obiectum *quo*, & *quod* fruitionis, sibi accidit esse in suppositis, ita quòd, per possibile, aut impossibile, si non esset in suppositis, adhuc esset tale obiectum; sed vt sit ratio formalis terminandi illam vnionem, non sibi accidit esse in suppositis, imò necessariò vt sic, esset in suppositis, & tunc tantùm esset ratio, siue terminus *quo*, & suppositum esset *quod*, & ita patet dissimilitudo. Secundò dicas quòd non est simile de actu actionis, vel fruitionis immanente,& de vnione illa quasi transeunte.

XXX.

Scotus *in* 8.*q.*4.*& in* 2.*d.*2.*q.*8.*& d.*6. *q.*2.*& d.*7.*&* 12.*q.*1. *& d.* 29.30. 34. *eiusdem* 2.*& in* 3. *d* 23. 33. *& in* 4 *d.* 49. *q.*9. habet quòd in cuius potestate est agere, in eius potestate est modus agendi. Huius oppositum habet *in* 1. *dist.* 1. *quæst.*2.

XXXI.

Insurgit pulchrum dubium, an beatitudo viæ, credita tamen,& beatitudo patriæ, sint eiusdem speciei.

Scotus *in* 4 *d*,49 *q.*5. licèt videatur circa hoc esse problematicus, tamen declinat ad hanc partem, scilicet quòd sint distinctæ specie, & dicit quòd ista pars, scilicet quòd differant specie, est probabilior,& dicit dato quòd sit eadem potentia & idem obiectum, tamen sola diuersa approximatio facit actus specie distinctos, & quòd differant specie expressè habet Doctor *in* 2.*d.*26.*&* 2.*Metaph.*3. sed expressiùs, & clariùs,& magis affirmatiuè, & determinatiuè tenet quòd differant specie, & ibi valde egregiè docet quomodo stante identitate potentiæ & obiecti, sola diuersa approximatio facit differre specie,& ita est tenendum in via Scoti, quòd differant specie.

Sed dices cōtrà. Scotus *in* 1.*d.*3.*q.*7. dicit quòd intellectio distincta, & confusa albi sunt eiusdem rationis.

Dicas primò, quòd sunt eiusdem rationis obiectiualis, sed non eiusdem rationis simpliciter.

Secundò dicas, quòd Scotus *in* 1.*d.*3. *q.*7. arguit ad hominem.

XXXII.

Scotus *in* 2.*d.*4.*&* 5.*q.*1. vult quòd voluntas Beati velit actum beatificum immutabiliter. Huius oppositum habet *in* 1.*d.*1.*q.*4.

Solutio. Dicas quòd Scotus ibi arguit ad hominem. Secundò, quòd ibi loquitur communiter. Tertiò quòd loquitur, scilicet isto sensu, id est, quòd ille actus nunquam interrumpitur. Quartò dicas, quòd loquitur in respectiuo sermone, quia comparat ibi actum beatificum ad actum meritorium in via,& respectu illius potest dici ille actus beatificus immobilis, seu quòd voluntas immobiliter vult illum.

XXXIII.

Scotus dicit quòd voluntas eleuata non necessariò fruitur obiecto beatifico, quantùm sit ex parte sua: sed huius oppositum videtur habere *in* 4 *d* 49.*q* 7.

Solutio. Dicas voluntatem supernaturaliter eleuatam velle immutabiliter frui fine vltimo, siue obiecto beatifico, potest dupliciter intelligi. Vno modo ex parte voluntatis, & sic semper manens libera liberè fruitur obiecto beatifico. Alio modo potest considerari voluntas ex parte obiecti beatifici, & sic voluntas necessariò fruitur. Contrà Scotus *in* 4.*d.*49.*q.*7. dicit quòd non in est potestate animæ videre,& nō gaudere; ergo non est in potestate eius quòd videat, & non fruatur. Dicas quòd delectatio non est fruitio, sed passio quædam sequens visionem, & sic absolutè potest visio separati à gaudio, sine contradictione. Dices, ergo videret, & non gauderet. Dicas quòd hoc est verum, sed hoc non est in potestate sua, sed Diuina, quæ causat visionem,& non gaudium.

XXXIV.

Scotus *in* 1.*d.*1 *q.*5. dicit quòd peccator peccans fruitur seipso. Huius oppositum habet *in eadem q.*2, *illius primæ distinctionis*, vbi dicit quòd fruitur actu suo, vt obiecto.

Solutio. Dicas quòd ille actus potest comparari ad duo. Primo ad obiectum,& sic peccator fruitur actu, & non obiecto. Secundò potest comparari ad subiectum, scilicet ad peccatorem,

& sic

& sic fruitur subiecto, scilicet ipsomet peccatore, & non actu. Secundò dicas quòd quando Doctor dicit quòd pecator fruitur actu peccandi, loquitur impropriè de fruitione, quæ est amore inhærere alicui rei propter se ipsum.

XXXV.

Scotus *in* 1.*d*.2.*q*.2. dicit definitum, & definitionem dicere alium, & alium conceptum. Huius oppositum habet *in* 8.*d.primi*,*q*.2.

Solutio. Dicas definitionem, & definitum posse dupliciter accipi. Primò, pro terminis, siue pro conceptibus, & hoc modo definitio, & definitum differunt realiter prout definitio, & definitum accipiuntur pro conceptibus, seu notitiis existentibus in mente. Secundò, possunt accipi pro conceptibus signatis, & sic tantùm distinguuntur ex natura rei. Dices, Scotus *in* 8.*d*. 1.*q*.2.*&* *in* 1.*quodl.a*.1. dicit quòd definitio, & definitū dicunt eundem conceptum, & ita videtur repugnare his, quę hîc dicūtur, scil. quòd definitio, & definitū sūt alterius, & alterius cōceptus.

Solutio. Dicas, definitionem posse accipi dupliciter. Primò, tātùm pro ipsis partibus definiētibus simul sumptis, & sic partes definitionis distinguūtur ex natura rei à definito, loquēdo de definitione Metaphysica, capiendo definitionē pro quiditate resultante ex partibus definientibus, hoc modo definitio est idē omnino ex parte rei cum definito. Alio modo sumitur definitio pro definitione Physica, & sic accepta distinguitur realiter à definito, quia totū Physicū distinguitur realiter à partibus. Vel dicas, definitionē, & definitū dicere vnū conceptū realiter, non autem formaliter.

XXXVI.

Scotus *in vna q. Collaterali*,3.*q.prolog.* inquit quòd ad propositionem per se notā sufficit confusa notitia terminorum. Huius oppositū habet *in* 1.*d*.2.*q*.2.*&* *d*.3.*q*.2.*&* *in* 3.*d*.24.

Solutio. Dicas Doctorem intelligere in scientiis specialibus nempe, quòd ex conceptu confuso terminorum fiunt propositiones per se notæ, vt in Physica, & Geometria, sed non in Metaphysica, quia cùm sit scientia, ad quā stat resolutio aliarum, requiritur quòd nemini sint distinctè cogniti.

XXXVII.

Scotus *in primo*, *dist*.2.*q*.2. reprehendit istam distinctionem, videlicet, quòd sit aliqua propositio per se nota in se, vel in nobis: tamen paulò pòst eam acceptat *in eadem quæstione*.

Solutio. Dicas, propositionem esse per se notam, scilicet in se, & in nobis, posse dupliciter intelligi. Primò, aliquæ sunt propositiones per se notæ ex solo conceptu confuso terminorū, vt ista, *linea est lōgitudo*, sed non omnes, quia non illa, scilicet, *linea est species quantitatis continuæ*, & huius differentia est, quia ex conceptu confuso terminorum primæ potest euidenter sciri veritas secundæ: vnde istæ non sunt per se notæ: *homo est substantia*; *Homo est corpus*, quia possunt probari per aliam priorem propositionē, scilicet quòd animal. Vnde propositio mediata, & confusa potest esse per se nota in scientia subalternata. Aliquæ sunt propositiones per se notæ ex terminis distinctè conceptis, vt ista propositio: *Deus est trinus, & vnus*, in nobis est vtique per se nota ex terminis confusè conceptis, sed intellectui beatifico hæc propositio est per se nota ex terminis distinctè conceptis, quod patet, nam cuius termini distinctè concipiuntur, & illud distinctè concipitur: sed termini istius propositionis, *Deus est trinus*, & *vnus*, distinctè concipiuntur ab intellectu beatifico: ergo hæc propositio est per se nota ex terminis distinctè conceptis intellectui beatifico.

XXXVIII.

Scotus *in* 1.*d*.2.*q*.1. dicit quòd compositum est corruptibile per incompossibile positiuum, vel priuatiuum; sed huius oppositum habet *in* 2.*d*. 19.*in* 3.*d*.2. *in* 4.*d*.44.*q*.1. *&* *d*.49. in materia de dotibus corporum.

Solutio. Dicas dictum Doctoris habere veritatem in cōpositis, & non in simplicibus siue spiritualibus. Dices, Scotus *in* 2.*d*.14.*q*.1. dicit quòd cōpositū ex materia & forma dato quòd nō habeat cōtrariū vincens, est tamē corruptibile ab extrinseco, eò quòd habet materiā, qua res potest esse, & nō esse, & patet 7. Metaphysicę, & idē habet *in* 2.*d*.19.*&* *in* 3.*d*.20. *&* *in* 4.*d*.44.*q*. 1.*&* *d*.49. in materia de dotibus corporum Beatorū; ergo tale incorruptibile, & ab extrinseco potest desinere esse, & non tātùm per incōpossibile positiuū, vel priuatiuū. Secundò, Angelus & Anima possunt non esse, & non per incōpossibile positiuum, vel priuatiuū; ergo nō possunt desinere esse ab intrinseco. Tertiò, materia prima potest nō esse, & tamē non per incōpossibile positiuū, vel priuatiuū: ergo nō est corruptibilis ab intrinseco, vel ab extrinseco, vt dicit Doctor.

Dicas ad primam rationem, quòd Scotus per incōpossibile intellexit formā oppositā, seu disparatā incōpossibilē in eadē parte materiæ, & ideò cōpositū nō habēs contrariū vincēs adhuc est corruptibile per incōpossibīle, s. ex forma incōpossibili in eadē parte materiæ; & tale est incōpossibile positiuū. Incōpossibile priuatiuū est tenebrę respectu lucis, & sic dicas quòd cōpositū tale nō habēs cōtrariū vincēs, corrūpitur ratione appetitus materiæ appetentis aliā formā incōpossibilē formę, quā habet. Ad secūdā dicas, negādo Angelum esse corruptibilē, & similiter de anima. Ad tertiā, neges materiā in via Philosophi posse desinere esse.

XXXIX.

Scotus *in* 1.*q.quodlibetali*, vult vitam intellectiuā esse de formali ratione essentiæ diuinæ, & clariùs *in dist*.35.*Repor*. Huius oppositū videtur habere *in primo*, *dist*.16. vbi dicit intellectualitatem esse modum intrinsecum essentiæ Diuinæ.

Solutio. Dicas quòd ista se habent per ordinem. Primò essentiæ, & essentialia, Secundò, modi intrinseci. Tertio, attributa: erat ergo intentio Doctoris probare intellectualitatē non esse attributū, & vt hoc faceret, sibi sufficiebat eam remouere à tertio loco, & collocare eā in priore loco, & ideò dixit ipsā esse modū intrinsecū, vt ex hoc excludat eā ab attributis non tamē eius præseferebat opinio intellectualitatē esse modū intrinsecū, quoniam paulò antè cōparauit intellectualitatem rationali; sed manifestum est rationale nō esse modū intrinsecū ipsi homini, sed esse de formali ratione eiusdem; ita pariter dicendum est de intellectualitate.

XL.

Scotus *in* 1.*d* 2.*q*.3. videtur velle quòd finitas sit passio. Huius oppositū habet *in* 5.*q.quodl.*

Solutio. Dicas quòd Scotus *in* 1.*Sent.d*.2.*q*.3. accipit passionē pro omni eo, quòd est extra quiditatem, & necessariò insequitur quiditatem, & sic modi intrinseci possunt appellari passiones.

XLI.

Scotus *in* 2.*d*.1.*q*.2. videtur concedere infinitum in actu posse dari. Huius oppositum habet

in 2.*dist*.1.*q*.3. *&* 2.*Met*.*q*.6. vbi vult quòd tale infinitum sit impossibile,etiam Theologicè loquendo; secundùm autem Philosophum hoc est clarum esse impossibile,& tamen præsens ratio est ad Philosophum; ergo in duplici via supponit vnum falsum.

Solutio. Dicas quòd hæc est tantùm leuis quædam persuasio. Secundò dicas, quòd hoc non colligitur ex litera Doctoris, sed, vt patet, signatur extrà.

Contrà, Scotus *in* 3.*Sent*.*dist*.13. *q*.1. ponit regulam quandam Aristotelis, quæ desumitur ex 3.Pys. t. com. 69. *Quantum contingit esse in potentia,tantum contingit esse in actu*, Tunc sic, contingit dari numerum infinitum in potentia; ergo contingit dari infinitum in actu: similiter contingit dari lineam infinitam in potentia; ergo infinitum in actu, & sic erit possibile infinitum in actu. Dicas, veram esse propositionem Aristotelis & Auerroïs, quòd non datur infinitum in actu, sed in potentia tantùm,vt habetur 3.*Phys*.*tex*.*comment*.58.*&* 63.& cùm dicunt quantùm contingit esse in actu, respondet Auerroës 3. *Phys*. *com*. 68. quòd illa propositio non tenet in numeris, & ratio eius est,quia numerus causatur ex diuisione cōtinui; continuum autem est diuisibile in infinitum; ergo semper dabilis est aliquis numerus maior in potentia,quàm ipse sit in actu.

Scotus *in* 3.*Sent*.*dist*.13.*q*.1. dicit cum Auerroë, quòd illa propositio habet veritatem in quantitate continua tantùm.sed duo emergunt dubia;Primum,si linea tanta erit in actu,quanta in potentia, & est infinita in potentia, ergo erit infinita in actu. Secundùm dubium, Aristoteles 1. *lib*.*de Generatione animalium capite* 1. negat dari infinitum in potentia in numeris,& arguit; Si genita ex putri materia generarent, & illa genita generarent alia, & illa alia, & sic esset processus in infinitum, quod natura abhorret. Respondeas, & dicas, lineam aliquam esse infinitam in potentia, potest dupliciter intelligi. Primò, in argumento. Secundò,in indiuisibilitate. Primo modo non est infinita in potentia, sed benè secundo modo, quia est continua, & continuum est diuisibile in infinitum in partes inexistentes, & potentiales. Ad secundùm dicas, quòd Aristoteles non intendit negare infinitum in potentia in indiuiduis, neque in numeris, quantum statuit *in* 3. *Phys*. *t*. *con*.63.infinitum est,cuius quantumcunque accipientibus semper restat aliquid extrà sumere, & sic Scotus ponit *in* 5.*qu*.*quod*.& tamen Aristoteles *in lib*. 1. *de Generatione animalium capite* 1. videtur negare infinitum in potentia. Dicas quòd Aristoteles loquitur de illis speciebus tanta imperfectione imperfectis, quòd non sunt iudicandæ esse de perfectione vniuersi, vt patet de musilionibus,& papilionibus.

XLII.

Scotus *in* 1. *dist*.2. *q*.2. dicit quòd est maius cogitabile in re,quàm sit in intellectu. Huius oppositum habet *in* 4. *dist*.1. *q*.1. vbi dicit quòd res habent verius *esse* in mente diuina, quàm in se.Secundò dicit quòd domus habet verius *esse* in mente artificis, quàm extra.

Solutio. Dicas ad primum, quòd verum est quòd res in mente diuina habent verius *esse* simpliciter, sed non verius *esse* tale, quia tunc Deus esset formaliter lapis.Ad secundum etiam concedit Doctor quòd simpliciter domus habet verius *esse* in mente artificis, quàm extrà, quia hæc fit ab illa, tamen domus extrà habet verius *esse*, quàm domus in intellectu cuiuscunque: sed de substantia negat Doctor quòd in intellectu creato habeat verius *esse* quàm in se; nec loquendo de *esse* simpliciter,nec de *esse* tali,vtrumque *esse* substantiæ,scilicet *esse* simpliciter, & *esse* tale est verius in se, quàm in intellectu; hîc verò in proposito loquitur de summo, quod necessariò est substantia; vel si vis quòd propositio Doctoris sit vniuersaliter vera, distingue de duplici *esse*, scilicet de *esse* tali, & de *esse* simpliciter tale;vel exponas illud,scilicet,quod est in re est perfectius cogitabile,quā per illud quod est tantùm in intellectu,si ly *perfectius* determinet ly *cogitabile*, id est, quòd ipsum sit perfectius cogitabile: sic est falsum, quia rosa non existens est ita perfectum cogitabile, sicut rosa existens. Si verò determinet intellectionem,sic est verum,& sensus est,quòd perfectiori modo intelligitur existens, quàm non existens.

XLIII.

Scotus *in* 4.*dist*.49.*q*.16. tenet quòd duo corpora possunt esse in eodem loco, sed non ambo replebunt locum. Huius oppositum habet *in* 4. *dist*. 7. *q*. *vlt*. vbi vult quòd ambo replebunt locum.

Solutio. Dicas cum Scoto *in* 10.*q*.4.quod duo corpora possunt esse in eodem loco formaliter,sed non effectiuè.

XLIV.

Scotus *in* 1. *dist*. 2. *q*. 3. vult quòd voluntas recta,& libera conformatur voluntati naturali. Huius oppositum habet *in* 2.*dist*.6.*q*.2.*&* *in* 4. *d*.40 *q*.11.*&* *in* 2.*d*.36.*&* *in* 3.*d*.33.vbi vult quòd voluntas recta in multis debet discordare à voluntate naturali, vt etiam patet *in* 2. *dist*.36. *&* *in* 3.*dist*.13.*q*.2.*&* *in* 4.*dist*.50.*q*.50.

Solutio. Dicas propositionem Doctoris habere veritatem de voluntate recta per essentiam,cuiusmodi est voluntas Dei,quæ est regula omnis rectitudinis voluntatis creatæ.

XLV.

Scotus *in* 2.*parte*.2.*dist*.1.ponit productiones diuinas distingui pænes principia formalia.Huius oppositum habet *in dist*. 13. *primi*, vbi dicit quòd seipsis distinguuntur.

Solutio. Dicas quòd si benè videris literam Doctoris *in dist*.26 ex ea colligere poteris solutionem ad istam difficultatem, seu apparentem contradictionem, & ibi videre poteris Doctorem concedere conceptum communem, sed non aliquam realitatem. Vel dicas quòd quando Doctor dicit quòd productiones non tantùm distinguuntur per principia formalia, quæ tantùm erant distincta ratione,vt volebat Henricus, sed etiam vult quòd distinguantur seipsis contra Henricum, ex natura rei, quia quæcunque habent *esse* præter opus intellectus, distinguuntur ex natura rei; sed productiones diuinæ habent *esse* præter opus intellectus: igitur distinguuntur ex natura rei. Dicas quòd quando Scotus ponit productiones diuinas distingui penes principia formalia, loquitur ad hominem; & quando oppositum dicit *in dist*. 13. *primi*, dicas quòd ipse loquitur secundùm propriam opinionem.

Scotus

XLVI.

Scotus *in primo, dist.2. par.1. quæst.4.illius 2. partis*, dicit quòd diuersitas actus non variat speciem, & tamen *in 1.dist.27.& 14.& 15.quodl.* vult quòd si intellectus meus, & lapis causant notitiam lapidis, illa notitia dicitur verbum, & tamen si Deus miraculosè causaret illam notitiam, non esset verbum ex diuersitate ortum; ergo alius, & alius ortus variabit speciem, quod est contra determinata à Doctore *in secundo, dist.1.*

Solutio. Dicas quòd illa notitia sic, & sic causata est eiusdem speciei; sed quòd sit verbum, vel non, non variat speciem notitiæ, quoniam verbum pro formali nihil est, nisi quidam respectus, qui licèt varietur, non tamen variat speciem absolutam illius notitiæ, licèt variet alium, & alium respectum. Sed contrà, Scotus *in 3. dist. 27.* in fine, volens probare charitatem acquisitam non esse eiusdem rationis cum infusa, sic probat; quæcunque natura non potest esse ab aliquo efficiente eiusdem speciei cum efficiente alterius, non est eiusdem speciei cum illa, similiter *in 4.dist.49.q.6. & in 2. Met. q.5. & in 2.dist.1.q.6.* vult Scotus intellectiones intellectus nostri, & Angelici de eodem obiecto differre specie potentiarum effectiuarum illarum intellectionum. Dicas quòd quando est vnus effectus, qui indifferenter potest produci à duobus efficientibus specie distinctis, tunc causa effectiua non variat speciem, vt patet de productis per propagationem, & per putrefactionem; si verò sit vnus effectus, qui tantùm sit natus produci ab vno efficiente, & non ab alio, vt charitas infusa, quæ tantùm potest produci à Deo, & non ab actibus nostris, tunc causa efficiens est distinctiua effectus, & effectus alterius causæ, nunquam erit eiusdem rationis cum effectu huius causæ. Ad secundum, dicas quòd licèt à causis essentialiter ordinatis, quarum est vniuoca, & altera æquiuoca possit esse effectus vnius rationis, tamen quando causæ effectiuæ proximæ eiusdem ordinis ad effectum, causant aliqua inquantùm ipsæ causæ sunt distinctæ, maximè si vtraque sit vniuoca effectui, siue vniuocatione completa, siue diminuta, non potest à causis talibus distinctis esse effectus eiusdem rationis.

XLVII.

Scotus *in 2. dist. 1. quæst.6.* vult quòd forma quantò est perfectior, tantò magis multiplicatur. Huius oppositum habet in vniuersalibus *quæst. 29.* vbi dicit quòd vno existente perfecto, sunt multa imperfecta per recessum ab illo secundùm diuersum gradum, & ponit exemplum de rationali, quo existente sunt multa irrationalia. Huius oppositum habet *in 2. dist. 1. quæst. 6.* vbi dicit quod quantò forma est nobilior, tantò distinguitur in plures gradus nobilitatis; sicut sunt plures formæ mixti, quàm elementares, & plures formæ animati, quàm inanimati, & fortè plura animalia, quàm plantæ; igitur plura erunt differentia specie in natura intellectuali, quàm inintellectuali, hoc non potest esse nisi Angelus, & anima differant specie.

Solutio. Dicas quòd Scotus in secundo loquitur de contentis sub genere remoto, in Vniuersalibus verò loquitur de contentis sub genere infimo. Dicas etiam quòd in secundo loquitur de gradibus entium substantialium, quæ sunt de perfectione vniuersi, & in Logica loquitur de speciebus animalis tantùm.

XLVIII.

Scotus *in 2.Met. quæst vlt.* & Antonius Andreas *ibidem*, & Canonicus 1. *Phys.q* 4. tenent contra D. Thomam, quòd infinitum cognoscitur à nobis sub ratione infiniti. Huius oppositum habet Scotus *in 1.dist.3.q.1.*

Solutio. Dicas quòd Scotus ibi loquitur de infinito in actu; in primo verò sent. dist. 3. loquitur de infinito in potentia, nec etiam Scotus negat in eadem 3. dist. primi, imò vult quod Deus simul cognoscat illas infinitas partes, & ita cognoscit infinitum sub ratione infini, & ita non intelligit tale infinitum ea ratione, qua est infinitum in potentia, & cùm dicit Antonius Andreas, & Ioannes Canonicus contra Diuum Thomam, quòd infinitum à nobis cognoscitur sub ratione infiniti, intelligunt ipsi de infinito in potentia.

XLIX.

Scotus *in primo, dist.3. q.3.* dicit quòd repugnat cognoscere Deum in particulari. Huius oppositum habet *in prima q. prologi, & in 14.q. quodlibetali.*

Solutio. Dicas quòd non repugnat ex parte intellectus cognoscere Deum in particulari, ideò sibi non repugnat recipere talem cognitionem, & hoc est, quod *ibidem* dicit, quòd obiectum adæquatum est ens inquantū ens, ad quod naturaliter inclinatur ex natura potentię, non est tamen eius obiectum adæquatum, ad quod possit intellectus ex suis causis naturalibus. Contra Scotus hoc in loco eiusdem distinctionis videtur velle quòd intellectus via effectuum possit cognoscere Deum in particulari. Dicas, quòd triplex conceptus est in Deo, vnus est communis sibi, & sensibilibus. Secundus est sibi proprius, & particularis; habitus tamen ex communibus. Tertius est proprius habitus ex propriis. Tunc dicas quòd possumus cognoscere Deum in particulari quantùm ad primum & secundum conceptum, sed non quantùm ad tertium. Dicas tertiò, quòd non repugnat intellectui cognoscere Deum in particulari, quantùm est ex parte sui, dummodò Deus se faciat præsentem in ratione obiecti.

L.

Scotus *in 3.dist.primi, quæst.3.* dicit quòd potentia non potest conoscere aliquod obiectum sub ratione communiori, quàm sit ratio formalis sui primi obiecti. Huius oppositum habet *in 14. quæst. quodlibet.* vbi dicit quòd essentia diuina est obiectum intellectus diuini, & tamen Deus non tantùm intelligit essentiam suam, sed etiam intelligit alia à se.

Solutio. Dicas quòd Deus tantùm intelligit alia in essentia sua præcisè, & non in genere proprio, vt habet Doctor *in 15.quæst. & in 4. distinct. 16. quæst. 2.* Contra dicit Scotus quòd quicquid cognoscitur ab aliqua potentia, vel est eius obiectum primum, vel continetur sub eius obiecto primo. Dicas quòd cùm Doctor accepit ens esse obiectum adæquatum nostri intellectus in ratione motiui, seu terminatiui, non accepit ipsum ens tantùm pro con

conceptu entis communi omni enti, sed accipit prout includitur in omni ente, siue vt comprehendit omne ens, & hoc modo conceptus entis etsi non contineatur sub communiori, cùm sit communissimus, tamen dicitur aliquo modo contineri, cùm ponatur esse de numero entium intelligibilium.

L I.

Scotus *in primo, dist.* 3. *q.* 3. dicit quòd materia prima & vltima forma sunt primò diuersa. Huius oppositum habet *in* 2. *dist.* 12. *q. prima, & in* 8. *dist. primi, q.* 2. vbi dicit quòd ens prædicatur quiditatiuè de materia & forma, quod non esset si essent primò diuersa; etiam anima est vltima forma, & tamen non est simpliciter simplex, quia definitur, & est ens scibile, de quo passiones demonstrantur; sed ista non possunt competere rei; simplici etiam materia definitur ab Aristotele *primo Phys. com.* 82. *&* 5. *Met.* 2. *&* 4. *tex. &* 7. *Met.* 22. *&* 7. *Met.* 8. definit ipsam materiam primam, quod non contingeret, si esset simpliciter simplex.

Solutio. Dicas, ad tollendam istam contradictionem, multos esse modos dicendi. Primus est, qui dicit quòd materia, & forma sunt primò diuersa obiectiuè, eo pacto, quo duæ differentiæ sunt primò diuersæ. Secundus modus dicit quòd sunt primò diuersa quantùm ad suos vltimos conceptus, seu quantùm ad sua vltima constituentia; sed hoc nihil est, quia similiter dicerem quòd homo, & equus sunt primò diuersa. Tertius modus dicit quòd sunt primò diuersa in realitate specifica, quia non possunt esse eiusdem speciei, sed non in conceptu quiditatiuo. Quidam dicit quòd sunt primò diuersa subiectiuè, sed non obiectiuè; quidam verò dicit quòd sunt primò diuersa in realitate, sed non in conceptu; quidam dicit quòd sunt primò diuersa Physicè, sic quòd nihil actualitatis formalis includitur in materia, & etiam nihil potentialitatis essentialis includitur in forma, sed non sunt prima diuersa Metaphysicè. Vnde aduerte, quòd vltimus actus Physicus non est vltimus actus Metaphysicus, qui est vltima differentia; actus verò Physicus est ille, qui vltimatè aduenit; est enim materia prima & vltima forma simpliciter simplex Physicè, ita quòd non est composita ex re, & re, sed non sunt simpliciter simplicia Metaphysicè, & hoc habet veritatem tantùm de materia prima & vltima forma, sed non de materiis, & formis intermediis.

L I I.

Scotus *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 2. dicit quòd species specialissima est primum cognitum. Huius oppositum habet circa finem tertiæ quæstionis eiusdem distinctionis, vbi dicit quòd intentiones vniuersales sunt illæ, quæ primò occurrunt.

Solutio. Dupliciter poteris respondere. Primò, ex opinione Vigerij, & hoc tripliciter. Primò, quòd verum est comparando tales intentiones vniuersales ad singularia, posito quòd singulare non cognoscatur per se pro isto statu. Secundò, quòd habet veritatem de his, quæ ex accidentibus communibus concipiuntur à nobis. Tertiò, quòd habet intelligi in cognitione confusa. Secundò, poteris respondere ex opinione Bargij, & dicere quòd vniuersaliora sunt notiora, vt sunt quædam tota; sic enim docuit Scotus *in dist.* 3. *quæst.* 2. *primi*, quòd vniuersale, vt totum, est prius nobis notum cognitione confusa; & vt pars est prius nobis notum cognitione distincta. Poteris etiam dicere quòd Doctor *in* 3. *distinct. primi quæst.* 3. respondeat ex concessis ab homine.

L I I I.

Scotus *in* 2. *distinct.* 3. *quæst.* 10. *& in* 2. *dist.* 6. *quæst.* 2. *& in* 3. *dist.* 15. 17. 33. *& in primo, dist.* 1. *quæst.* 15. dicit quòd quælibet potentia cognitiua habet suam appetitiuam sibi correspondentem. Huius oppositum habet Scotus *in primo, dist.* 3. *in fine*, in quibus locis habet quòd cuicunque appetitiuæ correspondet sua cognitiua, & è contra, & tamen hîc, vt vides, dicit oppositum.

Solutio. Dicas, quòd illa propositio esset vera, tenendo quòd pro statu isto singulare per se non cognoscatur, & tunc dicendum est quòd voluntas appetit singulare, quod tamen non intelligitur ab intellectu. Sed quomodo fertur in cognitum? Dicitur quòd sat est quòd sit cognitum sensui; sed primus modus dicendi verior est.

L I V.

Scotus *in primo, dist.* 5. dicit quòd omnis respectus fundatur super absolutum. Huius oppositum habet *in* 3. *quæst. quodl. art.* 3. *& quæst.* 6. *art.* 2. *& in primo, dist.* 19. *& in* 2. *dist.* 1. *q.* 4. *&* 5. *& in* 4. *dist.* 6. *quæst.* 2. *& dist.* 12. *prima, & in* 5. *Metaph.* in materia de relationibus dicit quòd proportionabilitas fundatur super proportione, & ita relatio fundatur in relatione, & ita non omnis respectus habet fundamentum absolutum.

Solutio. Dicas quòd Doctor loquitur de fundamento, aut proximo, aut saltem remoto, seu de fundamento vltimato.

L V.

Scotus *in primo, dist.* 3. *q.* 5. dicit quòd absolutum priùs materialiter potest terminare causationem, quàm respectus; hoc non videtur esse verum, quia tunc relatio esset in aliquo priori, in quo non esset terminus, quia causa quando causat, est prior natura effectu; tum, quia relatio causæ ad effectum est simul natura cum relatione effectus ad causam.

Solutio. Huic rationi duæ dantur responsiones. Prima est Lycheti, qui dicit quòd cùm dicitur, causatio est relatio, falsum est: nam quando causa causat, nihil aliud facit, nisi quia effectum, quem habet in virtute, ponit in *esse*. Nec est intelligendum quòd quando causa causat, quòd sit aliqua relatio inter ipsam & causatum prior natura causato, sed tantùm absolutum in causa ponit effectum absolutè, quo posito oritur relatio causati ad causatum, & è conuerso, & quando communiter dicitur, quòd generatio terminatur ad genitum, si accipiatur generatio formaliter, illa terminatur ad genitum, & est posterior tali absoluto: si accipiatur vt est prior genito, tunc generatio formaliter nihil est in se aliud à causa generante.

Aliter respondet Bargius, qui dicit quòd generatio, actio & alia capiuntur dupliciter. Vno modo, vt sunt de genere Actionis. Alio modo vt sunt in genere Actionis. Primo modo sunt relationes intrinsecùs aduenientes, & sequuntur absolutum in effectum. Secundo, sunt relationes extrinsecùs aduenientes,

& præ-

& præcedunt absolutum in effectu. Contrà, absolutū in effectu præcedit relationem eiusdē ad suā causam, vel est causatū, vel incausatū. Dicas, quòd est causatum fundamentaliter, & si iterum instes, in Deo est vera generatio, & tamen non priùs terminatur ad absolutum quàm ad relatiuum: ergo propositio Doctoris videtur falsa. Dicas quòd loquitur Doctor de eo, quod terminat causationem, persona verò diuina non potest terminare causationem.

L V I.

Scotus *in primo, dist.* 3. negat figmenta habere genus, & differentiam. Huius oppositum habet *in* 11. *q.* Prædicamentorum, vbi vult quòd entia rationis, figmenta, negationes, & priuationes habeant inter se superioritatem, & inferioritatem; similiter genera, & differentias, & species.

Solutio. Dicas quòd Scotus in Logica loquitur communiter. Secundò, quòd etiam in illa quæstione videtur hoc dicere, tamen non expresè hoc ponit. Tertiò, & fortè meliùs, dicas cum Antonio Andrea 4. *Met. q.* 2. quòd negatio habet distinctam formalitatem ab affirmatione, sic quòd habet distinctam formalitatem, eo modo, quo est ibi formalitas; ita etiam dicas quòd entia rationis, figmenta, negationes, & priuationes, eo modo, quo sunt, sic proportionabiliter habent genera, & differentias; sed ex hoc non sequitur, quòd simpliciter habeant genera & differentias.

L V I I.

Scotus *in* 1. *dist. q.* 6. dicit quòd vniuersalitas est prima conditio obiecti, inquantùm præcedit actum intelligendi. Huius oppositum habet *in* 1. *dist.* 3. *q.* 5. *& in Met. q.* 6. vbi dicit quòd natura est ratio formalis, & singularitas est conditio agentis.

Solutio. Dicas quòd aliud est agere per modum potentiæ, & aliud est agere per modum obiecti. Primo modo semper requiritur singularitas, vt conditio agentis; sed secundo, scilicet per modum obiecti, singularitas est etiam conditio necessariò requisita in actione reali, seu materiali; sed non in actione spirituali, seu intentionali.

L V I I I.

Scotus *in* 3. *d.* 1. *q.* 1. *&* 6. *&* 8. vult quòd species intelligibilis causetur ab intellectu, & à phantasmate. Huius oppositum habet *in quæstione* 7. *eiusdem* 3. *dist.* vbi dicit quòd ratio naturæ est ratio gignendi, & paulùm infrà, in istamet responsione, dicit quòd obiectum non est totalis causa speciei intelligibilis; sed tantùm partialis; ergo ab obiecto, & non à phantasmate causatur.

Solutio. Dicas quòd natura est ratio formalis causandi remota, & phantasma est ratio formalis causandi propinqua. Vel dicas quòd Doctor indifferenter locutus fuit, capiendo vnum pro alio, tamen ab intellectu separato obiectum est causa immediata, vt patet *in* 2. *dist.* 3. *q.* 2. & nota, quòd dum obiectum est causa, tunc imprimit speciem sui in intellectu; sed dum phantasma est causa, tunc non imprimit in intellectu speciem sui, sed speciem obiecti; & ideò species intelligibilis genita à phantasmate non repræsentat phantasma, sed ipsum obiectum; à quocunque ergo causetur, semper est repræsentatiua obiecti; etiamsi causaretur à Deo, sine concursu causarum secundarum.

L I X.

Scotus *in primo, dist.* 3. *in vltimo, quæst.* 6. dicit quòd intellectus contingenter coniungitur potentiis inferioribus; sed paulò antè in illa quæstione dixerat oppositum, vbi dicit quòd non intelligimus vniuersale, nisi per virtutem phantasticam eius phantasiemur singulare: ergo videtur quòd connexio intellectus cum potentiis inferioribus sit necessaria, & non contingens.

Solutio. Dicas quòd verum est est pro statu isto: in dist. verò tertia, quæst. 6. loquitur Scotus in ratione potentiæ.

L X.

Scotus *in* 3. *dist. primi, q.* 6. dicit, suppositum est suppositum per duas negationes. Huius oppositum habet in præcedenti distinctione, vbi dicit quòd suppositum natum est subsistere per formam.

Solutio. Dicas quòd Scotus per suppositum intellexit singulare. Secundò dicas quòd per suppositum intellexit compositum. Tertiò dicas quòd intellexit suppositum, & tunc per ly *formam* non intellexit rationem formalem suppositi, sed aliquid necessariò præexactum rationi formali ipsius suppositi, quæ ratio formalis est duplex negatio.

Sed instabis quòd suppositum in via Scoti non sit tale per duas negationes, quia *in* 19. *quæst. quodlib.* dicit quòd natura singularis, & suppositum sunt idem realiter. Ad hoc respondetur tripliciter. Primò, quòd ibi Scotus non comparat rationem suppositalem ad naturam singularem, sed differentiam singularitatis ad naturam absolutè sumptam. Sed hæc responsio non est ad mentem Scoti. Secundò dicitur, quòd ratio suppositalis est eadem negatiuè, sed non est eadem affirmatiuè, quia non dicit aliam realitatem, vt dicit auctor Formalitatum de modo intrinseco respectu illius, cuius est modus. Etiam Doctor non dicit quòd natura, & ratio suppositi sunt idem, sed natura & suppositum; quia suppositum est quid aggregatum ex positiuo, & negatiuo. Tertiò meliùs dicitur quòd Scotus comparat naturam substantialem ad accidentalem, & dicit quòd substantialis non suppositatur in supposito extrinseco, sicut facit accidentalis, & ideò cùm dicit, natura substantialis, & suppositum sunt idem, loquitur in respectiuo sermone: non sic natura accidentalis, & tunc natura & suppositum sunt idem, cùm suppositum naturæ accidentalis sit extrinsecum, & ideò dictum Doctoris est verum in respectiuo sermone.

L X I.

Scotus inquit *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 1. quòd volitio non est causa delectationis; sed huius oppositum habet *in* 3. *dist.* 15. *& in* 4. *dist.* 14. *qu.* 1. *& dist.* 44. *quæst.* 2. *& dist.* 46. *quæst.* 4. *& in* 2. *d.* 33.

Solutio. Dicas quòd Doctor *in* 1. *sent. d.* 3. *q.* 7. loquitur secundùm tenentes quòd velle, & delectatio sunt idem realiter. Secundò dicas quòd hæc non est litera Doctoris, sed tātùm est vnū extrà. Tertiò dicas quòd Doctor *in* 3. *d.* 16. loquitur respectu doloris, qui est in carne, & delectationis sibi correspōdētis, obiectū cōueniēs, &

& disconueniens sunt causæ totales sine aliquo actu ex parte potentiæ; sed respectu tristitiæ, quæ est in anima, dicit quòd ad tristitiam requiritur obiectum disconueniens cum *velle*, & & ad gaudium oppositum requiritur obiectum conueniens cum *velle*.

LXII.

Scotus *in 3.d.1.q.7.* dicit quòd sensatio recipitur in spiritu. Huius oppositum habet *in 2. dist.8. in 4.d.10.q.7. & d.43.q.2. & d.44.q.2. & d.49.q.14. & in 1.d.vltima, & in quodlibeto q.9.* vbi vult quod recipiatur in composito.

Solutio. Dicas quòd etsi sensationes recipiantur in organo, id est, in toto composito, & non in anima, nec in carne, species tamen ipsæ sensibiles recipiuntur non in toto composito, sed in parte materiali ipsius organi, & dum dicit sensationes esse in spiritu, dicas verum esse similitudinariè; nam sicuti similitudo lapidis est in anima, ita pariter dicendum est similitudines sensationum esse in spiritu.

LXIII.

Scotus *in 1. d.3.q.7.* vult hominem esse partialem causam in generatione hominis: similiter asinum in generatione asini. Huius oppositum tenent ferè omnes Scotistæ, præsertim Antonius Andreas *in 5.Met.q.1.* & Parisienses *2.Physic.q.2.ar.2.dubio primo.*

Solutio. Dicas quòd Scotus *in q.7.d.3.primi, & in duobus primis locis, videlicet in prædicta distinctione, & in columna præcedenti*, loquitur de causa totali, vt complectitur totum genus causæ, & sic est verum quod Sol, & pater sunt causæ partiales; homo verò & equus sunt causæ particulares, id est, determinatæ ad illum effectum, non sic autem Sol, qui concurrit cum multis causis secundis ad multos effectus producendos.

LXIV.

Scotus *in primo dist. 4. q. 2.* dicit quòd hæc propositio est formalis, scilicet *Pater est Deus.* Huius oppositum habet *in primo dist.26. & in quolib. q.6.art.2.* vbi vult quòd hæc propositio, *Pater est Deus*, sit verior ista, *homo est animal*, sed non formaliter, quia non est formalis.

Solutio; Dicas quòd Scotus *in dist.4.q.2.* appellat eam propositionem formalem in respectiuo sermone, scilicet respectu huius, *Deus est Pater*, & non vult quòd absolutè sit formalis. Vnum tamen scias quòd hæc, *Pater est Deus*, & similes, sunt formales, tenendo quòd personæ constituantur per relationes, quia vt ibi docet Scotus, tunc pater est ens per accidens, logicè loquendo, si tamen teneamus quòd personæ diuinæ constituantur per absoluta, tunc istæ propositiones, *Pater est Deus*, & *Filius est Deus*, & *Spiritus sanctus est Deus*, sunt verè formales.

LXV.

Scotus *in 1. d.5.q.1.* dicit quòd in substantia est tantùm abstractio in supposito propriæ naturæ. Huius oppositum habet *in 3.dist.7.q.1.* vbi concedit plures abstractiones in substantia.

Solutio. Dicas quòd in substantia est tantùm vna abstractio, scilicet à supposito, quia etsi sint multæ abstractiones in substantia, omnes tamẽ sunt à supposito, & ita vnica est abstractio scilicet à supposito, quæ tantum est in substantia, & habet multos gradus, & sic debet intelligi, quòd sit tantùm vna abstractio, id est, solùm abstractio à supposito, & non à subiecto, nec à fundamento, & dum concedit Scotus plures esse abstractiones in substantia, glossa, id est, illa abstractio à supposito habet multos gradus.

LXVI.

Scotus *in primo dist.5. q.2.* dicit quòd Pater est Pater suo actu generatiuo. Huius oppositum habet *in primo dist.13. & 27. & in 4.dist.6.quæst. 10. & d.13.q.prima, & in quodl.q.4.* vbi expressè vult quòd Pater non sit pater suo actu generatiuo, sed eo, quòd habet genitum secum coëxistentem, & idem habet *in 3.dist.8. & in quarta quæst. quodl.* sic dicit; *Pater non est pater eo quod generat, sed quia habet genitum secum coëxistentem, sed habere genitum coëxistentem videtur differre ab eo, quod est generare, quia in animalibus decidens semen habet actum generationis, sed non habet genitum secum, & per consequens tunc non est pater, sed postea.* Hæc Scotus in quodl. & in quarto, in locis prædictis, dicit quòd generare, siue genuisse non est fundamentum paternitatis, sed potentia generatiua est eius fundamentum, & hoc propter duas rationes, quas facit *in quarto dist.13. q.1.* Prima est, quia non sunt quando actio, & passio insunt. Secunda, quia insunt quando actio, & passio non insunt.

Solutio. Dicas, quòd Doctor noluit habere quòd pater esset pater sua actione, id est, actu suo generandi, quia hoc est falsum, sed tantùm voluit dicere quod pater nullam aliam operationem habet, per quam postea dicatur pater formaliter, præter istam, quia nil aliud facit pater nisi decidere semen.

LXVII.

Scotus *in primo, distinct. quinta q.2.* dicit quòd persona est simpliciter simplex. Huius oppositum habet *in 8. & 26. distinctionibus primi*, & sæpissimè in doctrina sua.

Solutio. Dicas quòd Scotus noluit hîc intelligere, quòd sit simplex, id est, non resolubilis in multos conceptus, sed tantùm quòd est simplex, id est, non composita, ideò quando Doctor dicit quòd persona est simpliciter simplex, debet exponi *simpliciter simplex*, id est, summè simplex.

LXVIII.

Scotus *in primo, dist. quinta q.2.* dicit quòd nulla natura creata habet prius *esse* naturaliter, quàm in supposito, cuius oppositum habet *in quarto, dist.45.q.3.* Contrà, natura est naturaliter prior singularitate; ergo & ratione suppositali, quæ sequitur naturam singularizatam. Secundò, talis natura est prior natura negatione fundata in illa. Antecedens est Scoti *in secundo dist. 3. q.1.* Tertiò, natura assumpta à Christo nunquam fuit in supposito. Quartò, data veritate huius propositionis, quæcunque natura creata esset inassumptibilis à Verbo, & à quacunque alia persona diuina. Huius oppositum habet Scotus *in 3.d.2.q.1.*

Solutio. Dicas quòd natura creata non habet verum *esse* existentiæ in vltima actualitate, nisi in singulari, quia vt prior singularitate, etiã vt habens verum *esse* existentiæ, est contrahibilis per hæcceitatem existentem propria existentia; sed natura diuina, vt priùs natura supposito, habet verum *esse* in vltima actualitate, & etiam natura creata non habet *esse* vltimum actuale, & incommunicabile, quod *esse* nata est habere, cùm sit diuisibilis, nisi actu habeat negationem

gationem duplicis communicabilitatis; natura autem diuina, etiam in supposito diuino, nullo modo actuatur. Vel dicas vt dicit Doctor, quòd naturæ diuinæ in illo priori considerataæ, conuenit quòd sit per se, ita quòd sibi repugnet esse in supposito alieno, sed non sic repugnat naturæ creatæ, nisi vt habet *esse* in proprio supposito.

LXIX.

Scotus *in 1.d.5.q.2.* dicit quòd nulla entitas est simpliciter perfectior termino formali. Huius oppositum habet *in 7. Metaph.q.6.* vbi vult compositum esse perfectius forma.

Solutio. Dicas quòd argumentum procedit de termino formali partiali, & Doctor *in 1.d. 5.q.2.* intelligit de termino formali totali, qui est ipsa natura. Sed dices contrà, ens quod includit naturam, & differentiam indiuidualem simul, adhuc est perfectius ipsa natura. Dicas quòd Scotus *in 1.d.5.q.vnica* non comparat naturam ad totum, quod includit naturam, & differentiam; sed comparat naturam ad quodcunque aliud concurrens cum ea ad generationem.

LXX.

Scotus *in 1.d.16.& in 1.q.quolibet.* vult quòd *intelligere* præcedat *dicere*. Huius oppositum habet *in quolibetis q. 14. art.2.* vbi dicit quòd obiectum diuinum ordine quodam naturali mouet intellectum diuinum, primò ad intellectionem actualem sui; secundò, mouet ipsum ad actualem notitiam genitam sui, & paulò post dicit; hanc sequitur actio voluntatis, & ista est duplex, scilicet ad *amare* simplex, & etiam ad amorem procedentem; ergo secundùm Scotum iste est ordo, primò *intelligere* essentiale; secundò, generale; tertiò, volitio essentialis; quartò spirare; ergo notionale præcedit essentiale ad intrà, quod est contra determinata.

Solutio; Dicas quòd Scotus assignat duas origines completas, vnam ad intrà, & aliam ad extrà. Totus ordo originis ad intrà præcedit totum ordinem originis ad extrà; sufficiebat ergo Doctori habere quòd volitio essentialis, & Spiritus sanctus præcedebant notitiam lapidis, nuc intendebat dicere de processione eorum, quæ sunt ad intrà inter se, sed quòd omnia ad intrà, id est, quæ sunt in primo ordine originis præcedunt omnia, quæ sunt in secundo ordine originis, quæ in respectiuo sermone dicuntur ad extrà.

LXXI.

Scotus *in 1.dist.7.* dicit quòd calor separatus potest agere, sicut & coniunctus. Huius oppositum habet *in 4.d.10.q.9.*

Solutio. Dicas quòd dictum Doctoris debet intelligi, vt separatus à substantia; quoniam si separaretur à quantitate, tunc non posset videri, quoniam tunc non esset in loco.

LXXII.

Inquit Scotus, quòd actio requirit distinctionem aliquorum in natura, sed *velle & intelligere* sunt actiones; igitur ambo requirunt distinctionem in natura, scilicet in essentia.

Solutio. Dicas quòd *velle*, & *intelligere* non sunt actiones, sed operationes, vt patet *in 13. quæst. quodl.* Sed dices, Doctor videtur sibi esse contrarius, nam *in 1. sent. d.7. qu. vnica.* dicit quòd actio requirit distinctionem suppositorum, & *in dist.28.quæst.vlt.primi; & in quodlib. quæst.4. & etiam in 1. dist.5. quæst. 2.* vult quòd generatio constituat primum suppositum, & non præsupponat illud, & *in 4. quæst. quodlib.* dicit quòd est primum incommunicabile, quod adueniat essentiæ, nihil aliud, nisi essentiam, & essentialia præsupponens. Dicas quòd illa actio præsupponit non iam constitutum, cùm ipsum constituat; sed præsupponit ipsum denominatiuè; quia nihil præcedens suppositum potest denominare illa actio, sed primum, quod denominat, est ipsum suppositum.

LXXIII.

Scotus *in primo, dist.7. qu. 1. & in quarto, d. 12.quæst.2.* dicit quòd ignis est prior secundùm causalitatem calore. Huius oppositum habet *in secundo, d.1.qu.1.ar.3.* vbi dicit quòd ignire præsupponit calefacere; ergo calor est prior secundùm causalitatem.

Solutio. Dicas quòd Scotus comparat ignem, & calorem ad suos effectus, vt patet *in dist. vbi suprà citata.* In quarto verò comparat ignem, & calorem inter se, & hoc modo ignis est prior calore.

LXXIV.

Scotus *in primo, dist.7.* dicit quòd forma est principium agendi inquantum hæc. Huius oppositum habet *in primo Metaph.q.6.*

Solutio. Dicas, quòd si ly, *inquantum*, significat rationem formalem, falsum est dictum Scoti; si verò significat conditionem aliquam necessariò requisitam, verum est.

LXXV.

Scotus *in 7.dist.1.* negat vnam relationem distingui ab alia penes terminum. Huius oppositum habet *in secundo, dist.1.q.4.& 5.*

Solutio. Dicas quòd Scotus in septima dist. primi, tantum vult habere quòd vna relatio non distinguitur ab alia penes terminum, & quo ad hoc solum negat quòd penes terminum vna relatio non distinguitur ab alia; sed non negat absolutè quantùm ad alios modos distinctionis. Vel dicas quòd relatio per suam propriam differentiam distinguitur, & differt à quacunque alia relatione, quæ non sit eiusdem generis cum illa, per fundamentum, & per terminum non distinguitur, nisi originaliter. Et aduerte quòd tres sunt modi distinctionis relatiuorum. Primus est per suam differentiam. Secundus modus est penes fundamentum. Tertius est penes terminum.

LXXVI.

Scotus *in 7. dist. primi*, habet quòd relatio diuina distinguitur ab alia penes principium productiuum. Huius oppositum habet *in primo dist.. 3.*

Solutio. Dicas quòd Scotus *in d.13.primi*, vult quòd diuersitas principiorum non distinguit formaliter, & extrinsecè, sed non negat, quin distinguat effectiuè, vel quasi effectiuè.

LXXVII.

Scotus *in 7.dist.primi*, & clariùs *in secundo distinct. 1. q.6.* habet quòd quantò est forma nobilior, tantò in plures gradus nobilitatis distinguitur. Huius oppositum habet in Vniuersalibus, q.18.

Solutio. Dicas quòd Scotus in secundo loquitur de contentis sub eodem genere remoto, & in Vniuersalibus loquitur de contentis sub eodem genere infimo. Vnde dicas quòd Scotus in secundo loquitur de gradibus entium substantialium, inquantùm sunt de perfectione vniuersi, & in Logica loquitur de speciebus animalis

malis præcisè. Vel dicas quòd in Vniuersalibus non loquitur assertiuè, sed topicè.

LXXVIII.

Scotus *in primo, dist.* 28. *& in secundo, dist.* 3. *quæst.* 2. dicit quòd negatio non inest alicui per aliquod positiuum. Huius oppositum habet *in* 3. *dist. primi, q.* 1. *& in Quodlib. q.* 19.

Solutio. Dicas duplicem esse negationem; vnam simpliciter; & hæc importat tres negationes scilicet aptitudinalem, potentialem, & actualem; & hæc non potest inesse, nisi per aliquod positiuum; alteram dicas esse negationem secundùm *quid*, quæ tamen importat duas ex illis tribus, vt est negatio suppositiua; potest inesse, & necessariò inest sine aliquo positiuo.

LXXIX.

Scotus *in* 7. *Metaph. q.* 1. *& in secundo, dist.* 25. *& in tertio, dist.* 13. *& in quarto, dist.* 12. *q.* 1. *&* 3. *& in primo, dist.* 8. *q.* 2. vult substantiam continere accidentia in genere causæ efficientis. Huius oppositum habet *in tertio, dist.* 1. *q.* 1.

Solutio. Dicas quòd Scotus in tertio non facit mentionem de habitudine causæ efficientis, quia ibi tantum volebat facere mentionem de habitudine, quæ est similis habitudini Verbi ad naturam; & quia habitudo substantiæ in ratione efficientis non est illi similis, ideò eam non enumerauit; quia non faciebat ibi ad propositum; & dum dicit Scotus, quòd substantia continet accidentia virtualiter, expone tu, scilicet quòd sua entitas est ratio formalis continendi illud aliud. Vel aliter dicas quòd substantia virtualiter continet accidentia, ita debet exponi modo perfectiori.

LXXX.

Scotus *in* 8. *dist. primi, q.* 2. facit differentiam inter compositum ex re, & re, & inter compositum ex realitate, & realitate. Huius oppositum habet *in quarto, dist.* 46. *soluendo primum argumentum*, vbi habet ista verba. *Nec oportet exponere res per realitates, & formalitates, quia similis est distinctio rei, & rei, sicut realitatis, & realitatis, vel formalitatis, & formalitatis.*

Solutio. Dicas quòd est eadem distinctio rei, & rei, sicut realitatis, & realitatis, capiendo *rem* simpliciter, & non secundùm *quid*, & sic eam capit Scotus ibi, vbi sic dicit; ad primum extendit duas res ad dualitatem secundùm *quid*.

LXXXI.

Scotus *in primo Sent. dist.* 8. *q.* 3. dicit quòd idea est *esse* cognitum, id est, quòd creaturæ habent tantum *esse* quiditatiuum, siue in *esse* quiditatiuo, & limitato habent ideam, & quod perfectio simpliciter in creatura, vt natura talis limitata in *esse* quiditatiuo, habet ideam, sed non inquantùm est perfectio simpliciter; contra in via Scoti idea est esse cognitum rei; sed sapientia nostra, vt est perfectio simpliciter, habet *esse* cognitum; ergo habet ideam.

Solutio. Dicas quòd Scotus *in* 8. *dist. primi, quæst.* 3. loquitur ad hominem. Illi qui sunt illius opinionis, vt patet *in* 35. *distinct. primi*, dicebant quòd idea est ratio cognoscendi ipsi Deo, (quòd tamen negat Scotus) & ideò isti sic habent dicere quòd sapientia nostra vt natura in tali gradu limitato, non habeat ibi aliquod formale sibi correspondens, & tamen necessariò, si debet cognosci, vult ideam; sed inquantùm est perfectio simpliciter, habet ibi aliquod formale sibi correspondens, per quod à Deo potest cognosci, & ideò vt sic non requirit ideam.

LXXXII.

Scotus *in* 8. *dist. primi. q.* 3. appellat intellectum, & voluntatem attributa, & *in* 26. *dist. primi*, dicit non esse attributa.

Solutio. Dicas quòd Scotus appellat intellectum, & voluntatem attributa largo modo.

LXXXIII.

Scotus *in prima quæst. Quodlib.* dicit quòd si essentia diuina definiretur, quòd vita intellectualis non esset extra eius rationem, & *in primo Report. dist.* 35. dicit quòd si essentia diuina definiretur, vita intellectualis esset intra eius rationem.

Solutio. Dicas quòd ista se habent per ordinem. Primò sunt prædicata essentialia Dei; secundò modi intrinseci; tertiò attributa. Intentio Doctoris *in* 26. *dist. Report.* erat probare intellectualitatem non esse attributum, & hoc vt faceret, sufficiebat ipsum remouere à tertio loco, & collocare ipsum in secundo loco; & ideò dixit ipsam esse modum intrinsecum, non tamen intendebat eo loco intellectualitatem esse modum intrinsecum, quoniam ibidem in littera immediatè præcedenti comparauit intellectualitatem rationali; sed manifestum est quòd *rationale* non est modus intrinsecus homini, sed est de formali ratione hominis.

LXXXIV.

Scotus *in octaua dist. primi, quæst.* 4. dicit quòd magis necessarium non debet tolli propter hoc, quòd tollatur minus necessarium, sed benè è contra, minus necessarium tollitur, si tollatur magis necessarium. Huius oppositum habet *in secundo, dist.* 1. *q.* 1. vbi vult quòd etiamsi negaretur productio ad intrà per impossibile, non ex hoc debet negari productio ad extrà.

Solutio; Dicas quòd hoc ideò est, quia tota potentia causatiua ita remaneret in vna persona, sicut nunc est in tribus; & ideò minor est necessitas secundæ productionis, scilicet ad extrà ad productionem ad intrà, quàm sit productionis ad extrà ad suam causam. Vel dicas quòd Doctor intelligit, quando inter magis necessarium, & minùs necessarium est talis ordo, quòd ab intrinseca ratione repugnat minùs necessarium poni, magis necessario non posito, sed sic non est, vt ibidem docet Doctor de productione ad intrà, & de productione ad extrà.

LXXXV.

Scotus *in primo, dist.* 2. *par.* 1. *quæst.* 2. *& alibi sæpe* dicit principium formaliter differre à conclusione in demonstratione. Huius oppositum habet *in primo, dist.* 8. *quæst.* 4. vbi dicit quòd inter causam, & causatum est distinctio realis; igitur inter principium, & conclusionem.

Solutio; Dicas quòd non est simile, quoniam inter causam, & causatum est distinctio realis, sed non inter principium & conclusionem; quia inter ea est tantùm distinctio ex natura rei, seu formalis.

LXXXVI.

Scotus *in secundo, dist.* 3. *qu.* 10. ponit quòd possit esse vna species causata à Deo, quæ distinctè

stinctè repræsentabit essentiam diuinam, & tamen non erit infinita, & tamen repræsentabit vnum infinitum.

Solutio. Dicas quòd Scotus procedit Topicè, non autem assertiuè. Vel dicas quòd etsi posset esse causata à Deo vna species, quæ distinctè repræsentabit essentiam diuinam, quæ non sit infinita, poterit tamen repræsentare vnum infinitum finitè; sed notabis. Scotus oppositum habet *in tertio,dist.*14.*quæst.*2. vbi vult quòd anima Christi potest recipere infinitas visiones,& non solùm hoc,sed quòd actiuè potest se habere ad illas infinitas visiones. Dicas quòd omnes illi modi sunt Topici,& probabiliter dicti. Vel dicas quòd anima Christi possit vtique habitualiter videre infinita, non autem actualiter.

LXXXVII.

Scotus *in 6.quæst.Vniuersalium,& dist.26.primi*, videtur attribuere perfectionem secundis intentionibus. Huius oppositum habet *in* 1. *dist.*8. *q.*4. vbi dicit quòd secundæ intentiones nullam dicunt perfectionem.

Solutio. Dicas quòd Scotus *in* 8. *dist. primi, quæst.*4.loquitur de perfectione reali,non autem de perfectione rationis, quam attribuit secundis intentionibus,iuxta gradum suæ entitatis.

LXXXVIII.

Scotus *in* 1. *dist.*8.*q.*4. dicit quòd ordo causarum non est simpliciter necessarius. Huius oppositum habet *in* 1.*d.*2.*q.*1. *& in* 4.*d.*12.*q* 1. *&* 7.*Metaph.q.*2.

Solutio.Dicas quòd Scotus *in* 8.*dist.primi,q.*4.loquitur Theologicè, & *in* 4. *dist.*12. *quæst.*1. *&* 7. *Met. quæst.* 1. loquitur secundùm Philosophos.

LXXXIX.

Scotus *in* 9. *dist. primi*, dicit quòd generatio diuina est perfecta, Huius oppositum habet *in* 5.*quæst.Quodl.*& sæpe in doctrina sua.

Solutio. Dicas quòd generatio dicitur perfecta,non quòd aliquam perfectionem dicat; sed pro quanto excludit omnem imperfectionem.

LXXXX.

Scotus *in primo,dist.*12. vult quòd productio Spiritus sancti præcedat *velle* essentiale. Huius oppositum habet *in secunda, dist. primi, parte* 2. *q.*4.*& dist.*6.*& in Quodl.q.*1.

Solutio. Dicas quòd non negat Scotus *velle* absolutè præcedere spirationem; sed tantùm negat quòd præcedat vt ratio formalis talis productionis, vt dicebat Henricus. Sed contrà arguit Thom. Anglicus, contra Doctorem,in hoc quod dicit quòd voluntas non vt sub actu volendi est sufficiens principium, & primò arguit sic: Voluntas nuda vt non sub actu, non est infinita; ergo. Secundò, voluntas vt sub actu, est perfectior quàm sine illo actu; ergo si sine illo actu est sufficiens principium, sequitur quòd voluntas non requireretur tantùm secundùm totam actualitatem ad sic producendum. Tertiò, non producit creaturam, nisi quia volens; ergo maior perfectio sequeretur ad productionem creaturarum, quàm ad productionem Spiritus sancti.Dicas ad primum, quòd antecedens est falsum. Ad secundum, neges quod assumitur, loquendo de sua perfectione quiditatiua, & formali, sub qua ponitur tale principium sufficiens. Ad tertium, dicas quòd Pater generat Filium volens; sed non sic intelligendo, quòd volens sit formale principium; ita dicas quòd volens spirat, non tamen ly *velle* est formale principium; & concedas quòd longè plura præsupponuntur in productione ad extrà, quàm in productione ad intrà.

LXXXXI.

Scotus *in* 13.*dist.primi,distinct.*17.*quæst.*2.habet hanc maximam, quam habet Auerroës *in* 5.*Physic.tex.comment.*37.*&* 38. quòd vnius causæ in vno ordine causandi est vna per se ratio causandi. Huius oppositum habet *in* 1. *dist.*3. *quæst.*7. *&* 8. de intellectu, & obiecto, quæ integrant vnam causam totalem, *& in* 3. *dist.*4. *& in Quodlibet. distinct.* 15. de patre, & matre, quæ integrant vnam causam totalem, & tamen in ipsis non est per se vna ratio causandi.

Solutio. Dicas primò quòd non est inconueniens ex potentia,& obiecto,quòd fiat vnum per accidens; sed non est inconueniens quòd ratio obiecti, seu ratio potentiæ de se sit ens per accidens. Secundò dicas quòd & illo verbo Doctoris, scilicet in eodem ordine benè ponderato, solutam habebis instantiam, quoniam causæ vtique possunt esse eiusdem generis, sed non eiusdem ordinis; illæ enim causæ sunt eiusdem ordinis, quæ sunt in eodem genere, & eiusdem speciei,& dicuntur alterius ordinis, quæ sunt in eodem genere essentialiter subordinatæ secundùm prius & posterius, & sunt alterius speciei.

LXXXXII.

Scotus *in primo dist.*12. dicit quòd productiones diuinæ seipsis formaliter distinguuntur, Huius oppositum habet *in* 26.*dist.*1. vbi ponit productiones distingui penes principia formalia.

Solutio. Dicas quòd Doctor intelligit originaliter, & principiatiuè, & non formaliter. Sed dices contrà, quoniam Doctor *in primo, dist.*13. *quæst. vnica*, impugnat Henricum, qui tenebat quòd distinguuntur penes principia formalia elicitiua. Dicas quòd Henricus volebat productiones distingui per principia formalia elicitiua, quæ tantùm erant distincta ratione. Doctor hoc impugnat, & dicit esse impossibile quòd aliqua sint distincta realiter per aliqua, quæ tantùm sint distincta ratione. Contrà, Scotus, vt dictum est *in* 13. *dist. primi, quæst. vnica*, dicit quòd seipsis distinguuntur. Huius oppositum habet inferiùs *dist.* 20. Dicas quòd productiones diuinæ distinguuntur se totis,quantùm ex natura rei,sed non in conceptu; conueniunt enim in conceptu communi illis, licèt in nulla realitate conueniant, vt patet de Deo, & de creaturis, quæ in nulla realitate conueniunt, & tamen vniuocè in conceptu conueniunt, ita quòd Deus & creatura distinguuntur se totis realiter, & ex natura rei, sed non conceptibiliter.

LXXXXIII.

Scotus *in primo, distinct.* 13. dicit quòd persona formaliter includit essentiam. Huius oppositum dicit *in primo, dist.*4. *q.* 2. & clariùs *in primo, dist.* 26. vbi dicit quòd hæc propositio, *Pater est Deus*, non est formalis, sed tantùm identica.

Solutio.

Solutio. Dicas quòd Doctor sic intelligit, quòd essentia in istis prædicationibus est terminus formalis, & personam includit formaliter vt terminum suum formalem, sed non formaliter, id est quiditatiuè, ita quòd essentia de persona formaliter prædicetur. Vel dicas quòd *formaliter* in distinct.14. vnica. capitur pro necessario requisito ad *esse* personæ, sicut si diceretur, homo risibilis includit formaliter animal, itaquòd *formaliter* exponatur *necessariò.*

LXXXXIV.

Scotus *in tertio, dist.14. quæst prima, & in primo, dist.3. quæst.7. & in quarto, dist.6. quæst.10. & dist. 49. quæst. 11. & dist. 50. quæst. vltima,* expressè docet quòd habitus solùm datur potentiæ in ratione actiui, & non in ratione passiui. Hoc idem habet *in prima quæst. prologi.* Huius oppositum habet *in primo, di.17. quæst.2.* vbi dicit quòd habitus detur etiam potentiæ in ratione passiui.

Solutio. Dicas quòd Scotus *in primo Sent. dist.17. quæst.2.* loquitur Topicè, & probabiliter. Sed dices contrà, Scotus *in secundo, dist.11.* dicit quòd lignum siccum est magis dispositum, vt recipiat calorem, quàm habitus detur potentiæ in ratione passiui. Dicas quòd Scotus *in 17. dist. primi, quæst.2.* loquitur de habitu consuetudinali, qui in ligno non reperitur, quoniam talis, vt superiùs dictum est à Doctore, est tantùm in viuentibus. Secundò dicas, quòd siccitas non facit potentiam passiuam esse magis dispositam, sed tantùm remouet impedimentum. Vnde aliud est potentiam passiuam disponi, aliud est quòd ab ea remoneatur impedimentum, prima tamen responsio est est melior.

LXXXXV.

Sccotus *in primo, dist.3. q.6. & dist.17 qu.2. & in secundo, dist.11. & in tertio, dist.23.25.* habet quòd habitus est repræsentatiuus. Huius oppositum dicit *in tertio, dist.14. qu.1. & in secundo, dist.3. quæst. 11. & in secundo, dist.9. & in tertio, dist.31.*

Solutio. Dicas quòd habitus simpliciter, & absolutè non est repræsentatiuus, sed solùm aliquo modo, pro quanto habitus virtualiter partialiter continet actum, qui actus verè obiectum repræsentat. Vel dicas quòd Scotus *in 17. distinct. primi, q.2.* loquitur communiter, & non propriè.

LXXXXVI.

Scotus *in 17. dist.1. q.2. & in secundo, dist. q.2. & in tertio, dist.33. & in quarto. dist.14. quæst.2. & in Quodlib. q.15.* dicit quòd voluntas potest operari iusta, & iustè sine iustitia, & moraliter sine habitu morali. Huius oppositum habet *in secundo, dist.41.* & citat super hoc vnam auctoritatem Arist.2. *Ethic.cap.1.* sic dicentis, *Habitus iustitia generatur ex operibus iustis, non tamen iustè factis.*

Solutio. Dicas quòd actus iustus, & quilibet actus moralis, dicitur moralis dupliciter, scilicet à dictamine rationis, & ab habitu. Scotus *in secundo, dist.41.* & Aristoteles intelligunt quòd tales actus non sunt iustè facti, iustitia ab habitu, sed non negant quin sint iusti iustitia accepta à dictamine rationis.

LXXXXVII.

Scotus *in 16. dist. primi, quæst. 2.* dicit quòd prudentia non est simpliciter necessaria ad actum moralem; & tamen paulò ante dixit quòd sit simpliciter necessaria.

Solutio. Dicas quòd iste habitus natus est esse conformis prudentiæ, si inesset; vnde necessariò, vt iste habitus sit virtus, vult conformitatem aptitudinalem, & non actualem; sed ad dictamen rationis vult necessariò conformitatem actualem, & cùm dicit Doctor quòd prudentia est causa actus moralis, non intelligit quo ad substantiam, nec quo ad intentionem actus; sed solùm quo ad hoc, quod est conformatiua actus.

LXXXXVIII.

Scotus *in primo, dist.17. q.1. & 2.* videtur attribuere actiuitatem instrumento. Huius oppositum habet *in quarto, dist.1. soluendo principalia argumenta, & dist.6. quæst.5. eiusdem quarti*, & clariùs hoc habet *in quarto, dist.6. quæst.5.* vnde in via Scoti habentur istæ propositiones. Prima, *Instrumentum tantum est causa, sicut effectus prior dicitur causa respectu effectus posterioris.* Secunda, *Instrumentum non habet causalitatem propriè dictam.* Tertia, *Instrumentum non habet aliquam virtutem, nec in facto esse, nec in fieri, vt per talem virtutem sit propriè causa.* Quarta, *Non est simpliciter actiuum, sed solùm secundùm quid, eo modo, quo effectus prior dicitur causa respectu posteriorum.* Sed dices, huius oppositum habet Doctor *in 17. dist. primæ quæst. secundæ*, vbi vult lenitatem esse ab instrumento, & hoc etiam videtur manifestum apud sensum, quoniam securi quiescente, habet propriam formam, & etiam eam non habet ab agente.

Solutio. Dicas quòd duplex est ratio agendi instrumento: quædam partialis, vt acuties, siue motio seorsum accepta; & totalis ratio agendi est acuties simul cum illa motione; illa enim duo integrant vnam totalem formalem rationem agendi in securi, & cùm dicit Doctor in quarto, quòd cæpit suam rationem agendi in illa motione, verum est completiue, non autem totaliter. Et nota quòd distinguendum est de instrumento, quia primò sumitur propriè in artificialibus, & inde deriuatur ad aliud, sicut dolabra. Secundò, in naturalibus minùs propriè; sicut aliqui dicunt quòd forma caliditatis in igne est instrumentum. Tertiò, in moralibus, & hoc modo qualitates vocantur instrumenta, sicut potentiæ dicuntur instrumenta, quibus anima operatur, & habitus, & hoc minus propriè. Quarto modo in supernaturalibus, sicut Sacramenta dicuntur instrumenta gratiæ, & ignis Purgatorij, atque Inferni, instrumentum diuinæ iustitiæ. Dicunt aliqui quòd omnis causa instrumentalis habet duplicem causalitatem; vnam ratione naturæ suæ; aliam in quantum instrumentum. Exemplum primæ, dolabra habet formam acutiem, & duritiem, & respectu istorum non est causa instrumentalis. Exemplum secundæ, quando artifex impellit dolabram, & ex illo impulsu facit arcam, secundùm hoc instrumentalis dicitur agens. Contrà, si dolabra esset actiua naturaliter, & esset sufficienter approximata, ageret per se ipsam. Secundò, acuties est figura,

gura, & figura non dicit nisi ordinem partium in toto, sed nulla forma respectiua potest esse actiua; igitur nec dolabra potest esse forma actiua. Ideò dicas quòd instrumentum in artificialibus nullam habet causalitatem, sed immediatè causatur ab agente, vt patet de agente inducendo caliditatem in aquam. Sed dices, causa instrumentalis est verè causa quando aliquid causat. Dicas, quòd verè est instrumentum. & quando dicitur quòd est verè causa. Dicas quòd causa instrumentalis deficit à vera causa, sic quòd dependeat effectus ab instrumento. Sed dices, inpulsatione campanæ, chorda agit immediatè ad campanam. Dicas quòd chorda non est causa sonationis campanæ, sed sufficit contingere chordam, & virtus extenditur ad totum, vnde causalitas sonationis campanæ est ab agente, est etiam à chorda, vt ab instrumento ab agente moto.

LXXXXIX.

Scotus *in* 1. *dist.* 17. *quæst. prima, & secunda, soluendo argumentum pro opinione*, dicit quòd non potest esse actus meritorius sine charitate. Huius oppositum habet in determinatione illius quæsiti, & *in* 3. *d.* 1. *q.* 4. vbi dicit quòd gratia absolutè non requiritur neque ad actum meritorium, nec ad fruitionem.

Solutio. Dicas quòd Doctor *in* 3. *& in corpore quæsiti, dist.* 17. *q.* 2. loquitur de potentia Dei absoluta, & vt potentia recipiat, & non vt agat, & sic se glossat Scotus *in dist.* 13. In primo verò sent. dist. 17. q. 1. & 2. loquitur de potentia ordinata, & vt potentia non solùm recipiat, sed & vt agat.

C.

Scotus *in primo, dist.* 13. *& in secundo, dist.* 33. *& in tertio, dist.* 15. *& in quarto, dist.* 14. *q.* 1. *& dist.* 44. *quæst.* 2. *&* 46. *dist. q.* 4. dicit quòd delectatio & tristitia non causantur à nobis immediatè, sed tantùm mediatè, & tantùm mediatè, & non immediatè sunt in potestate nostra, ita quòd posito actu non possumus non tristari, vel lætari; in primo verò *distinct.* 17. *quæst. prima, & secunda*, dicit quòd talis delectatio sit immediatè in potestate nostra, etiam cùm actus naturaliter sit productiuus delectationis, necessariò actus perfectior producet perfectiorem delectationem, & ita videtur falsum id, quod Scotus dicit in primo, videlicet, quòd potest esse quòd stante maiori conatu in actu possit esse minor delectatio.

Solutio. Dicas, & pro responsione, & solutione confugiendum est ad id, quod habet Scotus *in primo, dist. prima, quæst.* 3. *& in quarto dist.* 49. *quæst.* 7. vbi valde expressè determinat quòd delectatio est realiter distincta ab operatione, & est effectus realiter ab operatione distinctus, quia si esset idem realiter, non posset esse minor delectatio in minori actu: hoc stante potest Deus concurrere ad operationem, non concurrendo ad delectationem, & ideò poterant esse actus sine tristitia, & delectatione consequentibus, &, vt ibi videbitur, poterit esse maximus conatus in actu cum minima delectatione.

CI.

Scotus *in primo*, *dist.* 17. *q. prima, & secunda*, damnat fugientes, siue recurrentes ad agens vniuersale, & tamen ipse recurrit & refugit ad ipsum *in* 2. *dist.* 18. in productione animæ sensitiuæ.

Solutio. Dicas quòd Scotus in primo dist. 17. quæst. prima, vtique damnat confugientes, & recurrentes ad agens vniuersale per modum naturæ, in 2. verò Sententiarum dicit recurrendum, & confugiendum esse ad agens vniuersale, quod dicitur agere per modum voluntatis, & libertatis. Vel dicas quòd Scotus in 1. dist. 17. quæst. 1. vtique damnat illos, qui confugiunt ad agens vniuersale creatum, cuiusmodi sunt intelligentiæ, quæ dicuntur esse agentia vniuersalia secundùm causalitatem, non tamen reprehendit illos, qui recurrunt ad agens vniuersale increatum, quod est metrum & mensura omnium, vt Deus.

CII.

Scotus *in primo*, *distinct.* 19. *quæst.* 2. dicit quòd homo primò intelligit, & quòd non intelligit per animam. Huius oppositum habet *in quarto, dist.* 43. *q.* 2. *& in q.* 9. *quodlibetali.*

Solutio. Dicas quòd Scotus in primo, dist. 20. q. 2. dum dicit hominem primò intelligere, & non intelligere per animam, respondet Henrico ex propositionibus ab eo concessis. Secundò potes dicere quòd Scotus loquitur dubitatiuè, quia vtitur hac dictione, fortè. Tertiò poteris dicere quòd Scotus loquatur exemplariter.

CIII.

Scotus *in primo, dist.* 28. *& in* 2. *distin.* 3. *quæst.* 2. *& in qu.* 4. dicit quòd nulla negatio est de se incommunicabilis. Huius oppositum habet *in* 1. *dist.* 23. *& in tertio, distinct.* 1. *quæst.* 1. *& in* 19. *quodlib.*

Solutio. Dicas quòd persona diuina personatur per tres negationes, quæ faciunt vnam negationem simpliciter, & persona creata personatur per duas, quæ faciunt vnam negationem secundùm *quid*. Tunc dicas quòd negatio simpliciter non potest inesse nisi per aliquod positiuum; sed negatio secundùm quid benè potest inesse sine aliquo positiuo correspondente. Sed dubitabis, an incommunicabile sit vniuocum personæ diuinæ, & personæ creatæ? Respondet Scotus *in* 3. *dist.* 1. *qu.* 1. quòd incommunicabile quod negat incommunicationem actualem & aptitudinalem, est conceptus vniuocus ipsis, quia negatio est vniuoca multis, quando idem affirmatum negatur; sed negatio communicabilitatis, quæ includit repugnantiam ad communicari, non est vniuoca. Sed dubitabis, an persona dicatur vniuocè de tribus personis diuinis. Respondet Franciscus de Mayronis *dist.* 24. *quæst. vnica*, quòd sic. & ratio hæc est, quia persona secundùm idem nomen & secundùm eandem rationem prædicatur de persona creata, & increata. Secundò, omnis intellectus certus de vno, & dubius de duobus, habet vnum conceptum, de quo est certus, distinctum ab eo, de quo est dubius; sed aliquis potest esse certus quòd in passione aliqua persona patiebatur, dubitando etiam vtrùm persona creata, vel increata patiebatur, sicut aliquis infidelis; igitur persona vniuocè prædicatur de

persona

persona creata,& increata. Secundò,sicuti sunt duo homines Socrates & Plato, ita & persona diuina, & persona creata sunt duæ personæ; sed homo vniuocè prædicatur de Socrate & Platone: igitur,& persona vniuocè prædicatur de persona diuina, & de persona creata.

C I V.

Scotus *in primo, dist.2. par.2. quæst.1. & dist. 26.* vult conceptum communem vniuocum dare vltimis constitutiuis diuinarum personarum. Huius oppositum habet *in 1.dist.24.q.vnica.*

Solutio. Dicas cum Vigerio,concedit conceptum communem vniuocum, sed non vniuocè, & in *quid* dictum, sicut est conceptus albi respectu hominis, & equi. Sed dices, Scotus *in locis citatis* concedit dari conceptum vniuocum vniuocè dictum in *quid*: igitur responsio Vigerij non tollit dubitationem.Dicas duplicem esse conceptum; quidā est conceptus vniuocè realis; quidam verò est conceptus quiditatiuus rationis, stante hac distinctione, dicas quòd secundùm Scotum datur conceptus vniuocus vniuocè dictus in *quid*, rationis, non aûtem realis; vel dicas quòd datur conceptus vniuocus quiditatiuus vniuocatione Logica, non autem vniuocatione Physica.

C V.

Scotus *in secundo, dist. 3. quæst. 5. & 6.* dicit quòd negatio simpliciter non potest inesse nisi per aliquod positiuum. Huius oppositum habet *in 1. dist. 23.* vbi Scotus concedit negationem aliquam posse inesse pluribus sine positiuo communi; sed non sine positiuo absolutè.

Solutio. Dicas quòd si benè ponderetur litera Scoti, clarè patet quòd Scotus concedit negationem aliquam posse inesse pluribus sine positiuo communi, sed non sine positiuo absolutè, quia inest mediante positiuo proprio, & ita per aliquid positiuum inest. Sed dubitabis, an vltimis differentiis sit aliquid eis commune? Videtur quòd non,quia vltima constitutiua sunt primò diuersa; sed vltimæ differentiæ sunt vltima constitutiua; igitur sunt primò diuersa; igitur non potest aliquid eis esse commune.Dicas quòd licèt vltimæ differentiæ in creaturis sunt primò diuersæ,tamen eis quasi denominatiuè conuenit secundùm vnam rationem ratio primæ diuersitatis, quod non est aliud, nisi non habere quiditatiuè aliquid commune, sed tantùm aliquid consequens quiditatem : & dum dicis, vltimas differentias primò esse diuersas, igitur nullum habent conceptum communem. Dicas, concedendo vltimas differentias esse primò diuersas in realitate, non tamen in conceptu.

C V I.

Scotus *in primo, dist.23.* concedit ab indiuiduls posse abstrahi alium conceptum à conceptu speciei.Huius oppositum habet *7.Met.q.17. & in primo, dist.3. quæst. 3. & in secundo, dist.3. quæst.6.& in quarto,dist.11.q.3.*

Solutio. Dicas, dubitationem hanc variè à Scotistis solui. Vigerius dicit talem conceptum esse positiuum, non tamen vniuocè dici de ipsis indiuiduis,sed tantùm denominatiuè,& non in *quid*. Lychetus dicit quòd talis conceptus dicitur quasi proprius, quia non dicit quiditatem, Franciscus de Mayronis *in primo, dist.23. quæst.3.* dicit quòd ab indiuiduis potest abstrahi aliquid commune,nam, inquit ipse,ista consequentia valet: Paternitas, filiatio, & spiratio passiua sunt tres relationes: ergo ratio relationis in eis numeratur, & per consequens est eis communis vniuocè.& confirmatur,quia eadem ratio definitiua relationis conuenit Paternitati in quantū relatio est, quæ etiam conuenit filiationi, in quantum relatio est, scilicet esse ad aliud; ergo relatio est eis communis; igitur ab indiuiduis potest abstrahi aliquis conceptus communis. Sed dices, vtrùm diuinis attributis sit aliquid commune vniuocum? Dicas quòd sic, quia omnibus conuenit vnum,& vna ratio definitiua eiusdem, quod est *perfectio simpliciter*, quia sapientia & iustitia quælibet est perfectio simpliciter, nam quælibet est melior ipsa quàm non ipsa.. Sed dices à simpliciter simplicibus non potest abstrahi aliquis conceptus communis; sed attributa sunt simpliciter simplicia; igitur ab attributis non potest abstrahi aliquis conceptus communis. Dicas, quòd à simpliciter simplicibus vtique non potest abstrahi aliquis conceptus quiditatiuus,sed benè potest abstrahi conceptus transcendens, qui dicitur de eis ad modum differentiæ subalternantis de subalterna, talis est perfectio simpliciter.

C.V I I.

Scotus *in quodl.quæst.4.& in 1.d.28.q.3.& in 4.dist.13.quæst.1.* dicit quòd totus ordo originis stat in vno signo naturæ, & tamen dicit oppositum *in 1.dist.26.q.vnica.*

Solutio. Dicas quòd Scotus *in 1. dist.26. qu, vnica*, dicit arguendo, sed inferiùs, quando respondebit ad argumenta, dicet & confirmabit sententiam suam *in 4. q. quodl.* & in aliis locis citatis. Huius oppositum dicit Franciscus de Mayronis *in 1. dist.13.quæst.2.* vbi vult quòd sicut in vno instanti temporis potest esse totus ordo natuæ, ita è conuerso in vno instanti naturæ potest esse totus ordo temporis, & etiam in vno instanti originis potest esse totus ordo naturæ, & temporis. & hoc probat quadrupliciter, Primò, in omnibus signis durationis hominis substantia præcedit natura sua accidentia, & tamen illi signo naturæ coëxistunt omnia signa durationis. Secundò,in illo priori signo in quo Pater producit Filium in diuinis, Pater constituitur ex essentia,& relatione: essentia autem ordine naturæ præintelligitur præcedere proprietatem. Tertiò, in illo priori signo, quo Sol producit radium, quia ab eo gignitur, est compositum ex materia,& forma, inter quæ est ordo naturæ. Quartò, quia in illo signo rationis, quo intellectus concipit vniuersale ante particulare, ipsum vniuersale constat ex genere, & differentia,quæ inter se essentialiter, & naturaliter ordinantur. & concludendo dicit quòd inter illa signa est ordo retrogradus: igitur apertè vides in hoc Franciscum de Mayronis aduersari Scoto. Tamen si benè ponderabis verba Doctoris *in 4. q.quodl.* agnosces sententiam Francisci de Mayronis non esse contrariam Scoto, quoniam Scotus ibidem non dicit quòd totus ordo naturæ non possit esse in vno signo originis, sed dicit quòd ordo originis non necessariò præexigit ordinem naturæ.

C V I I I.

Scotus *in 1. d. 26.* habet pro inconuenienti relationem fundari in relatione,& tamen huius oppositum

oppositum dicit *in q.3. & 6. quodl. & in 1. d.1. q.4.& 5.& d.19. q.1.& in 4.d.6. q.2. & dist. 12. q. 1.* vbi vult proportionabilitatem fundari in proportione.

Solutio. Dicas quòd Scotus non negat absolutè relationem fundari in relatione;sed negat de istis duabus,videlicet de inæqualitate,& æqualitate. Vult enim Doctor *in 1.d.16.q. vnica*, æqualitatem non posse fundari in inæqualitate.

CIX.

Scotus *in 1. dist.26.*dicit quòd motus specificatur à termino formali. Huius oppositum habet *in 1.d.2.parte 2.q.3.& in 3.d.14.q. prima*, & Antonius Andreas,7.*Metaph.q.*8.& Trombetta *in* 10.*Metaph. q.2.* tenent quòd idem terminus potest acquiri per diuersos motus, vt idem *vbi* potest acquiri per motum circularem,& per motum rectum,& tamen sunt motus incompatabiles,vt dicit Aristoteles *in 7.Physic. tex.21.* ergo videtur quòd à termino non fiat specificatio motus.

Solutio, Dicas quòd isti motus sunt locales, & tantum differunt specie accidentali, Scotus autem *in 1.d.26.q.vnica*,loquitur de differentia e ssentiali specifica.

CX.

Scotus *in 1.d.26.*dicit quòd hæc non est formalis,nec per se, *Pater est Deus*;huius oppositum habet *in 1.d. 4. q.2.* vbi dicit quòd hæc est formalis, *Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt Deus.*

Solutio, Dicas quòd Scotus *in d.4. q.12.* loquitur secundùm opinionem tenentem quòd personæ constituantur per absoluta. Vel dicas quòd Scotus ibi comparat ad inuicem istas duas propositiones,videlicet *Pater est Deus*, & hanc,*Deus est Pater*, & dicit hanc, *Deus est Pater*,non esse formalem,sed benè hanc, *Pater est Deus*; Dicas er go quòd Scotus dixit eam esse formalem non simpliciter, sed in respectiuo sermone.

CXI.

Scotus *in 26. d. 1. circa finem*, dicit intellectualitatem in Deo esse modum intrinsecum. Huius oppositum habet *in quodl. q. 1. & in 1. Report. d. 35.* vbi dicit quòd si essentia diuina definiretur,tunc intellectualitas esset de formali ratione definitiua eius.

Solutio. Dicas quòd intellectualitas potest capi dupliciter. Primò, vt est actus primus, & sic est de formali ratione;secundo modo, vt est quædam habilitas,& sic potest dici modus intrinsecus,vel meliùs aptitudo quædam.

CXII.

Scotus *in 1.distin.3.quæst.7.& d.27.*vult quòd notitia distincta, & confusa de eodem obiecto, sint eiusdem speciei. Huius tamen oppositum habet *in 2.dist.26. & in 4. dist. 49. q. 5.& in 3. d.3.& 2.Metaph.q.3.*

Solutio; Dicas quòd sunt eiusdem rationis obiectiualis, sed non eiusdem rationis simpliciter.

CXIII.

Scotus *in 1. d. 27.* habet pro inconueniente quòd idem sit actiuum, & passiuum respectu eiusdem:huius tamen oppositum dicit *in 2. d.2 q.10.& d. 25.*

Solutio;Dicas quòd Scotus *in 27. d. 1.* arguit ad hominem.Secundò dicas quòd Scotus *in 27 d. 1.* habet pro inconuenienti quòd idem sit tantùm actiuum respectu alicuius actus, & quòd etiam sit tantùm passiuum respectu alterius actus eiusdem rationis.

CXIV.

Scotus *in 1.d.27.*ponit habitum in memoria. Huius oppositum habet *in 1.d.3.q.6.& d.17.q.2. & in 2.d.11.& 23.& 25.*vbi vult habitum nullo pacto esse repræsentatiuum.

Solutio;Dicas quòd Scotus *in 27.d.1.*loquitur secundùm opinionem tenentē quòd habitus sit repræsentatiuus. Secundo dicas quòd habitus dicitur pertinere ad memoriam, non quòd sit repræsentatiuus, sed quia facilitat potentiam, hic modus dicendi videtur tutior.

CXV.

Scotus *in 1.dist.3.q.vltima, & in 2. d. 17. & in 3.d.17.& 26.* dicit quòd intellectus, & memoria sunt vna potentia tantùm. Huius oppositum habet *in 3. d. 23.* vbi dicit quòd tres sunt potentiæ animæ.

Solutio; Dicas quòd absolutè tantùm sunt duæ potentiæ, tamen inquantùm sunt partes imaginis,sic dicuntur tres, quoniam intellectus sub ratione memoriæ constituit primam partem imaginis, & sub ratione intellectus, seu intelligentiæ constituit secundam : tamen in se est eadem potentia, quæ pro duabus accipitur, quoniam intellectus diuersimodè consideratus constituit duas partes imaginis.

CXVI.

Scotus *in 1.d.28.q.2. in fine*,dicit quòd natura creata est limitata ad vnum suppositum. Huius oppositum habet *in quodlib.quæst.2.& in 2. d.3. quæst.7.*

Solutio; Dicas quòd quando Scotus dicit *in 1.sent.distin. 27. quæst.2.* quòd natura creata est limitata ad vnum suppositum,non intelligit de natura in se, sed de natura hac singulari, ita quòd omnis natura creata de se communicabilis est,

CXVII.

Scotus *in 6.quodl.* vult quòd æqualitas,& similitudo sint relationes reales. Huius oppositum dicit *in 1.d.31.*

Solutio;Dicas quòd Scotus *in 31. d.1.* arguit ad hominem,& contra Henricum, qui volebat quòd essent relationes rationis.

CXVIII.

Scotus *in 1.d.30.q.2.& dist.35.& in quodlib. q.13.& in Prædicamentis, quæstione illa, in qua quærit, an relatiua sint simul natura*, tenet quòd tertius modus relatiuorum distinguatur à duobus primis modis per *referri mutuo*,& *non mutuò*. Huius oppositum habet *in 5.Met. q.13.* & Antonius Andreas. *5. Metaph.quæst.16.* vbi tenent quòd distinguantur penes sua fundamenta; vbi dicunt quòd tertius modus non distinguitur à duobus primis penes *mutuò*, & *non mutuò referri*, sed per sua fundamenta; quia primus modus fundatur super rem de genere Quantitatis, & secundus super rem de genere actionis, vel passionis, seu super principia actiua, & passiua; tertius verò super rem cuiuscunque generis, & super res diuersorum generum.

Solutio;Dicas quòd distinctio istorū modorū potest duobus modis inquiri. Vno modo effectiuè, & extrinsecè,& isto modo distinguūtur per fundamenta

damenta, quibus applicantur; secundo modo distinguuntur intrinsecè,& formaliter; siue per aliquid habens se loco istius formalitatis intrinsecè; & sic tertius modus distinguitur à duobus primis per *mutuò*, & *non mutuò referri*, & sic soluta est contradictio.

CXIX.

Scotus *in 1. dist. 26. & 28. q. 3. & dist. 35. &* 43. habet quòd relatiuum non debet definiri per suum correlatiuum, sed per fundamentum sui correlatiui. Huius oppositum habet in Vniuersalibus *q. 15. & in Prædicamentis, q. 25.* vbi dicit quòd relatiuum debet dofiniri per suum correlatiuum, vbi citat Porphyrium *in capite de Specie*, vbi dicit quod necesse est in vtrorumque rationibus vtrisque vti. & Aristoteles *in Prædicamentis capite Ad aliquid*, dicit quòd si quis definitè nouerit vnum relatiuorum, definitè noscet & reliquum. & idem *in 6. Topic.* dicit quòd duplum non potest sine dimidio definiri, & quæcumque per se, & ad aliquid dicuntur.

Solutio. Dicas, si vis soluere hoc argumentum confuge ad solutionem, quam habet Scotus in sua Logica, vbi habet *in quæst. 25. Prædicamentorum,* hoc argumentum, Id quod ponitur in definitione est prius, & notius, verum est de definitione, quæ tantùm datur per essentialia, sicut est definitio substantiæ, vel ad minus alicuius absoluti non respectiui. Quia enim respectiua mutuò dependent, ideò mutuò se definiunt, licèt neutrum sit prius altero; absolutum autem potest cognosci in se per essentialia, & notiora; ideò in sua definitione alia poni non debent; illud autem quod per se, secundùm quod est; dependet ad aliud, sine illo cognosci non potest; sicut dicitur in Prædicamentis *in cap. de Relatiuis*, & ideò ponitur correlatiuum non vt notius, sed quia sine eo definitum cognosci non potest.

Ad illam auctoritatem Porphyrij respondet Tartaretus *in cap. de Specie*, & glossat illam sic; relatiuum debet definiri per suum correlatiuum, id est, per suum fundamentum sui correlatiui, quod est prius, & notius & in Prædicamentis respondet quòd illæ auctoritates, videlicet Aristotelis, & Porphyrij, de rigore sermonis sunt falsæ, & dicit quòd relatiuum benè refertur ad correlatiuum, sed non terminatur ad illud, sed ad eius fundamentum. Præterea Tartaretus glossat auctoritatem Aristotelis, vbi dicit sic, si quis definitè cognouerit vnum relatiuum, faciliter poterit cognoscere & reliquum: docet ibidem Tartaretus quòd quis poterit definitè cognoscere vnum relatiuum per suum fundamentum, & per fundamentum sui correlatiui absque hoc quòd cognoscat suum relatiuum. Ad contradictionem dicas quòd cùm Doctor dicit, relatiuum debere definiri per suum fundamentum, intelligit de definitione data per prius, & per notius, & non de definitione absolutè.

CXX.

Scotus *in 8. dist. 1. quæst. 4.* dicit quòd in via Philosophorum Intelligentiæ secundæ sunt in se formaliter necessariæ. Huius oppositum dicit *in 1. dist. 3.* vbi dicit quòd tale sic dependens non est ex se necessarium.

Solutio. Dicas quòd Scotus *in 3. dist. 1. q. 2.* tantùm negat quòd illud tale non erit formaliter necessarium ex se, id est, à se, sed non negat quin in se sit formaliter necessarium.

CXXI.

Scotus *in 3. q. Prologi, & in 15. q. quodlibetali, & in 4. dist. 16. q. 2.* dicit quòd Deus cognouit res in essentia. Huius oppositum habet *in primo, dist. 35.*

Solutio; Dicas quòd Scotus *in 35. dist. 1. q. vnica*, arguit ad hominem, quoniam, vt visum fuit *in 3. q. Prologi*, Henricus volebat quòd Deus intelligeret passionem lineæ per lineam, quod impugnauit Scotus, quia tunc intellectus diuinus vilesceret, si moueretur à linea, vt eius passionem perciperet, & ita secundùm Henricum, non solùm intellectio determinatur ad res in proprio genere, sed etiam mouetur ab eis; & ita argumentum Doctoris *in d. 35. q. vnica* est ad hominem.

CXXII.

Scotus *in primo, dist. 30. q. 1. & d. 35.* dicit quòd terminus relationis est quid absolutum; & tamen oppositum habet *in quodlib. q. 3. art. 3. & 9. art. 2. & in 1. d. 19. & in 2. d. 1. q. 4. & 5. & in 4. d. 6. q. 2. art. finali,* vbi vult quòd proportionabilitas fundatur super proportione: ergo relatio terminari potest ad aliud, quàm ad absolutum.

Solutio. Dicas, respondendo dupliciter. Primò, quòd relatio tunc habet vices absoluti, sicut paternitas, quando ad aliud refertur. Secundò dicas, quòd Doctor loquitur de fundamento vltimo, siue sit immediatum, siue mediatum, sed primus modus magis sapit veritatē.

CXXIII.

Scotus *in 1. d. 35. q. 1.* dicit quòd tertius modus relatiuorum differt à duobus primis per *mutuò*, & *non mutuò referri*; hoc idem habet *in d. 30. & in quodlibetis q. 13. & in Prædicamentis capite de Relatiuis*, & hoc habet etiam Aristoteles *in 5. Met. t. c. 20.* Huius oppositum habet Scotus *in 5 Metaph. q. 13.* vbi habet hæc verba formalia: *Iam ergo patet quòd iste modus distinguitur à secundo non per mutuam dependentiam, vel non mutuam, sed per fundamenta alia, & alia.*

Solutio. Dicas quòd ista distinctio potest duobus modis intelligi. Vno modo extrinsecè, & effectiuè; & isto modo distinguuntur per fundamenta, quibus applicantur. Alio modo intrinsecè, & formaliter, siue per aliquid se habens loco istius formalitatis intrinsecè, & sic distinguuntur per mutuò, & non mutuò.

CXXIV.

Scotus *in 1. dist. 35. q. 1.* dicit quòd intellectio nostra mensuratur ab obiecto; hoc enim videtur falsum. Nam cùm intellectio nostra terminatur ad aliquod vilius se, vt ad quantitatem, vel ad relationem, vel ens rationis, vel ad priuatiuum, siue non ens, quomodo tunc potest talis intellectio mensurari à suo obiecto?

Solutio. Dicas duplicem esse mensuram, scilicet perfectionis, & quantitatiuam, stante hac distinctione, dicas quòd omnis scientia mensuratur à subiecto mensura quantatiua, sed non mensura perfectionis; & ita ab obiecto dicitur communis, vel particularis. Sed instabis, probando quòd etiam ab obiecto scientia dicatur perfecta, vel imperfecta; quia dicimus Logicam esse imperfectā, quia est de tali obiecto; & similiter dicimus Theologiam esse perfectā, quia est de tali obiecto. Dicas scientiā perfectiorem, & imperfectiorem dici tribus modis. Vno modo, ratione suæ vltimæ differētiæ

nobi-

nobis ignotæ,& hoc est à priori intrinsecè formaliter. Secundò, à priori extrinsecè, & effectiuè, & sic dicitur perfecta, & imperfecta ab obiecto motiuo. Tertio modo, à priori, vt à causa sine qua non, & sic dicitur talis à priori ab obiecto terminatiuo. Vel dicas, quando dicitur quòd scientia mensuratur ab obiecto mensura perfectionis, quòd hoc est verum de mensura innotescentiæ, quia perfectio scientiæ nobis innotescit per suum obiectum. Sed adhuc instabilis, si scientia à priori dicitur esse ab obiecto motiuo effectiuè perfecta, ergo Logica erit nobilior Mathematica, quod est falsum. consequentiam deduces sic, & capies scientiam de specie fundata in homine, manifestum est quòd hæc scientia habet nobilius obiectum motiuū, quàm Mathematica: ergo erit perfectior ea. Dicas, ad hoc quòd vna scientia sit alia perfectior, non sufficit quòd habeat obiectum perfectius; sed quòd illa perfectio scientiæ non repugnet: modò repugnat Logicæ habere tantam perfectionem sicut habet Mathematica: & si quæreretur quare hoc sibi repugnat? Dicas, quia hoc est hoc, & illud est illud. Vel dicas eam perfectionem Logicæ repugnare per suam vltimam differentiam. & si quæratur, cur vltima differentia est talis: Dicas, quia hoc est hoc, & illud est illud; & talis modus respondendi sumitur ab Aristotele 8. *Metaph text. com. vlt.* Dicere etiam poteris scientiam dici perfectam, & imperfectam ab obiecto denominatione extrinseca, seu denominatione, seu mensura innotescentiæ.

Sed adhuc quis posset dubitare, si Logica non mensuratur à suo obiecto mensura perfectionis, à quo ergo mensuratur? Dicas quòd mensuratur à perfectissima specie sui generis, scilicet à Metaphysica, vel à Theologia mensurabitur per accessum, & recessum ad illam. Quòd autem species imperfectionis à perfectiori specie mensurari debeant, docet Aristoteles 10. *Met. cap.* 2. licèt talis imperfectio nobis innoscat per suum obiectum, & ita denominatione à suo obiecto debet mensurari. & nota, quòd quando obiectum est perfectius scientia, tunc se habet ad scientiam secundùm triplicem respectum videlicet primò vt effectiuum; secundò vt mensuratiuum; tertiò vt terminatiuum. Primus respectus est mutuus de secundo modo relatiuorum; secundus est non mutuus de tertio modo relatiuorum.

CXXV.

Scotus *in* 2 *d.* 35. dicit quòd Idea est respectu omnium possibilium, tamen *in* 1. *d.* 39. habet quòd tantùm est respectu necessariorum.

Solutio. Dicas quòd Scotus hoc non dicit ex propria animi sententia, sed solùm hoc dicit contra D. Bonau. quòd ideæ non possunt repræsentare complexiones contingentes, quia ideæ præcedunt actum diuinæ voluntatis, & non illæ complexiones contingentes hunc præcedunt.

CXXVI.

Scotus *in* 1. *d.* 35. dicit quòd in tertio signo exurgit relatio effectus ad causam, & è contra. Huius oppositum habet *in* 2. *d.* 1. *q.* 4. *&* 5. vbi vult respectum effectus ad causam esse in tertio signo, & respectum causæ ad effectum esse in quarto signo.

Solutio; Dicas quòd Scotus *in secundo* loquitur vniuersaliter ex parte effectus; ideo ly *primò* non debet exponi, id est, *prius*, sed *primò*, id est, *vniuersaliter*, quia in causa aliquando nullus est respectus: imò si sit relatio, dato quòd illæ duæ relationes sint simul natura, tamen vna est prior origine alia, videlicet relatio causæ ad effectum.

CXXVII.

Scotus *in prima*, *q.* 36. dicit quòd obiecta secundaria producuntur in *esse* intelligibili. Huius oppositum habet *in* 2. *d.* 1. *q.* 1. vbi dicit quod ista obiecta nunquam habuerunt *esse* in memoria, sed tantùm ab intelligentia producuntur primò in *esse* intellecto.

Solutio, pro responsione nota quòd Deus circa primum obiectum, id est, essentiam diuinam priùs operatur, quàm producat; sed circa obiecta secundaria priùs producit, quàm operetur. quo notato, Dicas quòd obiecta secundaria fuerunt in memoria diuina, sed in secundo instanti naturæ, scilicet post productionem personarum. Secundò dicas quòd obiecta secundaria non fuerunt in memoria diuina in priori instanti naturæ.

Verùm quia de singulis dubitare non est inutile, idcirco mouentur hîc aliquæ difficultates breui stilo, & methodo. Prima hæc est: Cùm res habeant *esse* in Deo, quot modis res in Deo *esse* habere dicuntur? Dicas tripliciter. Primò, eminēter; secūdò, virtualitèr; tertiò, exēplariter.

Si quæratur quid horum est perfectius: Dicas, quòd omnes modi sunt æquè perfecti identicè, non autem formaliter; nam hoc modo esse exemplariter est modus perfectior, quia cùm sit vltimus, alios duos includit: præsupponit enim eminentiam in Deitate, & virtutem in potestate, & non è contra.

Si quæratur, vbi res habet verius *esse* in se, vel in Deo? Dicas, quòd in Deo simpliciter; sed in se habet verius *esse* tale.

Si quæratur an imperfecta habeant propriam ideam in Deo? Dicas, quòd imperfecta pro formali non habent ideam in mente diuina, sed benè ratione connotati.

Si quæratur, malum habétne ideam in Deo? Dicas quòd malum ratione sui non habet ideā, sed habet ideam tantùm ratione boni sibi oppositi. & hoc debet intelligi de malo culpæ; malum autem pœnæ habet propriam ideam, saltem ratione connotati, & etiam ratione sui, cùm pæna formaliter, & ratione sui sit ens positiuum.

Si quæratur, an omnia viuant in Deo: Dicas quòd omnia illa, quæ habent ideam, viuunt in Deo. hinc excluduntur omnes priuationes, & malum pœnæ.

Si quæratur, an aliquid perfectius alio viuat in Deo? Dicas quòd sic, quia idea hominis est perfectior idea muscæ. Vorrillon verò dicit quòd ideæ nullam dicunt perfectionem, & ideò vnum non habet ideā alio perfectiorē, sed benè principaliorē. Hinc dicimus quòd alia ratione cōditus est homo, alia ratione cōditus est equus.

CXXVIII.

Scotus *in* 3. *q. prologi* dicit quòd Deus tātùm est Theologus, quia ea, quæ cognouit, tantù in essentia cognoscit, vt patet 15. *q. Quodlib. & in* 4. *d.* 16 *q.* 2. Huius oppositum habet *in* 36. *d.* 1. *q. vnica*, vbi dicit quòd Deus est Metaphysicus.

Solutio. Dicas quòd Scotus ibi appellat Deū metaph. in respectiuo sermone, ita quòd nō Logicus, & ratio est, quia illud est ens rationis Logicum

cum, cui repugnat efficiens reale; sed res cognitæ à Deo sic se habent, quòd eis non repugnat, quòd per potentiam diuinam habeant verum *esse reale*.

CXXIX.

Scotus, *d. in* 37. *q. vnica primi*, dicit quòd impossibile nullam habet proportionem ad intellectum diuinum, hoc videtur pati difficultatem, nam si hoc esset verum, quomodo nunc cognoscitur impossibile à Deo?

Solutio; Dicas quòd impossibile cognoscitur non absoluta intellectione, sed tantùm intellectione per accidens, & collatiua, & ideò dicitur esse improportionatum tantùm, quantùm ad intellectionem absolutam, & non inquantùm ad aliam.

CXXX.

Scotus *in* 3. *q. prologi* contra Henricum, dicit quòd Deus non intelligit passionem lineæ, virtute lineæ, sed omnia per essentiam diuinam. Huius oppositum habet *in* 38. *d.* 1. vbi dicit quòd intelligit conclusionem immediatè.

Solutio. Ita dictum Scoti debet interpretari, id est, non merito principij illius conclusionis, quia omnia intelligit merito essentiæ.

CXXXI.

Scotus *in* 2. *d. prima, quæst.* 2. vult quòd in primo signo sit potentia Logica, in secundo signo sit res in *esse* cognito, in tertio signo sit potentia obiectiua: & *in* 1. *d.* 36. dicit quòd in primo signo est non repugnantia, & in secundo est potentia Logica, & in tertio est potentia obiectiua; ergo Scotus voluit semper potentiam Logicam præcedere potentiam obiectiuam, & potentiam obiectiuam præcedere potentiam realem, & ita potentia Logica præcedit obiectiuam, & realem Huius oppositum dicit *in* 1. *d.* 39. vbi vult potentiam Logicam sequi potentiam realem.

Solutio. Dicas quòd comparatio debet fieri vniformiter; potentia enim Logica tantùm reperitur in complexis, potentia autem realis reperitur tam in incomplexis, quàm in complexis; & cùm incomplexa præcedant complexa, ideò potentia realis præcedit potentiam Logicam, inquantùm potentia realis reperitur in incomplexis, in quibus non est potentia Logica; etiam potentia realis posset dari, nullo intellectu stante, & nulla propositione stante, non autem potentia Logica, & ideò realis præcedit Logicam: vel dicas, quòd potentia Logica sequitur realem non respectu effectus, quem iam habet, sed respectu effectus, quem non habet; potest tamen habere loco illius, quem habet.

CXXXII.

Scotus *in* 1. *d* 35. dicit quòd intelligere lapidem est perfectio simpliciter. Huius oppositum habet *in* 1. *d.* 46.

Solutio. Dicas multipliciter. Primò, quòd Scotus *in* 35. *d.* 1. quando dixit intelligere lapidem esse perfectionem simpliciter, arguebat ad hominem. Secundò, quòd illud erat verum quoad absolutum, & non quoad connotatum. Tertiò, quòd erat verum in sensu diuiso, non autem composito. Quartò, quòd Scotus ibi loquebatur de perfectione extrinseca, & non intrinseca. Quintò, quòd dictum Scoti verum est terminatiuè, & obiectiuè; sed non subiectiuè. Sextò, quòd verum est præexigitiuè, & non formaliter. Septimò, quòd verum est complexiuè. & nota quòd si Deus, per impossibile, non intelligeret lapidem, non propter hoc esset imperfectus, quia nulla eius perfectio à creatura dependet.

CXXXIII.

Scotus, *in* 1. *d.* 42. *& in quodlibetis*, *q.* 7. dicit quòd *possibile* est obiectum omnipotentiæ. Huius oppositum habet *in* 1. *d.* 8. *q.* 4. vbi dicit quòd stat, quòd aliquid sit in se formaliter necessarium; & tamen est effectum ab alio.

Solutio. Dicas dupliciter. Primò, quòd Scotus tenuit illud secundùm Philosophos, & non in via sua, imò in via Scoti implicat contradictionem, aliquid esse in se necessarium, & effectiuè esse ab alio. Secundò, dicas quòd Scotus per *ens possibile* intelligit ens causabile.

CXXXIV.

Scotus *in primo*, *dist.* 43. dicit quòd causare contingenter est medium ad probandum omnipotentiam in Deo. Huius oppositum habet *in primo, d.* 1. *q.* 1. & clariùs *in primo, d.* 8. *q.* 4. vbi dicit quòd nulla contingentia potest esse, nisi prima causa contingenter causet.

Solutio. Dicas quòd Scotus *in* 43. *d. primi*, loquitur secundùm id quod dixerunt Philosophi; & *in* 8. *d. primi* loquitur secundùm id quod debuerunt dicere.

CXXXV.

Scotus *in primo. d.* 20. *& d.* 42. *& in* 2. *q. quodlibetali*, dicit quòd *possibile* est obiectum omnipotentiæ. Huius oppositum habet *in* 1. *d.* 43. vbi dicit quòd non est obiectum omnipotentiæ.

Solutio. Dicas, obiectum esse duplex. Primum dicitur obiectum effectum à potentia; alterum est obiectum præsuppositum, circa quod versatur potentia. Primò *possibile* est obiectum intellectus diuini: secundò autem est obiectum omnipotentiæ; sicut secundùm opinionem tenentium quòd *vniuersale* reale causetur ab intellectu agente, tunc *vniuersale* est obiectum intellectus agentis primo modo, & secundo est obiectum intellectus possibilis.

CXXXVI.

Scotus *in* 4. *distinct.* 49. *q.* 5. dicit Deum esse finem naturalem hominis. Huius oppositum habet *in* 1. *quæst. prologi.*

Solutio. Dicas quòd vtique Scotus dicit Deum esse finem naturalem hominis, non tamen est naturaliter attingibilis.

CXXXVII.

Scotus *in prima quæst. prologi*, dicit quòd intellectus habet naturalem inclinationem ad omne ens, & naturaliter cognoscit omne ens.

Solutio. Dicas quòd etsi intellectus habeat naturalem inclinationem ad omne ens, non tamen ad omne potest naturaliter pertingere.

CXXXVIII.

Scotus dicit *in prima quæst. prologi*, quòd omni agenti per cognitionem necessaria est distincta cognitio sui finis; igitur distinctè cognosces finem agnoscit quoque finem sub ratione finis.

Solutio. Dicas quòd Scotus per *distinctam cognitionem* intelligit cognitionem certam.

CXXXIX.

Scotus *in prima quæst. prologi*, *& dist.* 13. 1. *quæst.* 1. *& in quodlibetis quæst.* 14. dicit quòd non possumus cognoscere Trinitatem personarum in diuinis naturaliter, quoniam Deum distinctè cognoscere non valemus pro statu isto. Huius oppositum habet *quæstio* 6. *quodlibetali*,

quodlibetali ar.2. vbi dicit quòd de Deo possunt fieri demonstrationes *propter quid* ad probandam productionem Verbi à Patre, & Spiritus sancti à Patre, & à Filio.

Solutio. Dicas demonstrationem *propter quid* duplicem esse. Vna est, quæ fit ex puris naturalibus, & hæc generat scientiam, vt habet Aristoteles 1. *Poster. text. com.* 5. Altera quæ est ex reuelatis, & hæc generat sapientiam, quæ est cognitio altissimarum causarum. Sed instabis, demonstratio *propter quid* facit scire distinctè, sed de Deo, & de diuinis productionibus fiunt à nobis demonstrationes *propter quid*; ergo demonstrantur illa distinctè, quod est contra omnes doctores. Dicas quòd demonstratio *propter quid* sumpta ex naturalibus, & naturaliter acquisitis facit scire distinctè; demonstratio verò quæ est ex principiis reuelatis, non facit scire distinctè, quoniam generat fidem.

CXL.

Scotus *in primo sent. dist. 30. & in 3. d. 8.* dicit quòd in qualibet relatione reperitur fundamentum, & terminus, & habet Aristoteles *in capite de. Ad aliquid*, quòd si quis definitè nouerit vnum relatiuorum, definitè nouerit & relinquum; hoc stante, dices, in relatione causati ad primam causam sunt ista duo, scilicet fundamentum, & terminus; igitur cognito vno, cognoscitur & reliquum.

Solutio. Dicas relatiua esse duplicia: quædam rationis; quædam verò realia; siue quædam mutua, quædam non mutua. Rationes ergo superiùs adductæ veræ sunt de relatione reali: modò inter causatum & primam causam non est relatio realis, nisi ex parte causati, non autem ex parte primæ causæ; licèt ergo cognoscatur causatum distinctè, non tamen pro statu isto cognosci potest prima causa distinctè.

CXLI.

Scotus *in prima, q. prologi* dicit quòd quilibet effectus dependet à qualibet per se causa essentialiter; igitur agnoscens dependentiam effectus ad causam naturaliter, potest etiam naturaliter cognoscere primam causam.

Solutio. Dicas quòd pro statu isto nemo distinctè agnoscit dependentiam effectus ad primam causam. Secundò dicas quòd ratio procedit de fine, qui est causa finalis, qui non est beatificatiuus; non autem procedit de fine attingibili per operationem.

CXLII.

Scotus *in prima, q. prologi*, dicit quòd licèt mens sit eadem sibi, non tamen pro statu isto est proportionabilis sibi in ratione obiecti intelligibilis, hoc enim videtur repugnare ponere animam perfectè præsentem intellectui, & non posse cognosci ab illo, cùm ad cognitionem nihil aliud requiratur, nisi præsentia obiecti, vel in se, vel in specie intelligibili; hoc enim facit perfectam memoriam, vt patet à Scoto *in d. 2. part. 2. q. 3. & d. 3. q. 7.* primi. Si ergo anima est in se præsens proprio intellectui; poterit in eo causare speciem intelligibilem. Huius oppositum habet *in 1. quæst. prologi*, vbi dicit quòd anima pro statu isto non cognoscit se intuitiuè.

Solutio. Dicas quòd etsi anima sit intellectui proprio perfectè præsens, cùm sint idem realiter, non tamen est præsens in ratione obiecti intelligibilis; & ratio est, quia Deus statuit intellectum nostrum nihil pro statu isto posse naturaliter intelligere, nisi sensibilia in se, vel essentialiter, vel virtualiter inclusa in sensibilibus; non tamen sibi repugnat quin separata à corpore perfectè intelligat, nec vt in corpore absolutè, quia vt in corpore glorioso perfectè intelligit se.

CXLIII.

Scotus *in 1. quæst. prologi*, videtur concedere, *respondendo ad Auerroëm*, quòd si intellectus haberet ens, inquantùm ens, pro obiecto adæquato, naturaliter posset in quodcunque ens; & sic naturaliter posset cognoscere vltimum finem. Huius oppositum habet *in Quodlib. q. 14. & in secundo, d. 3. q. 9.* vbi dicit, quòd si intellectus haberet pro obiecto adæquato ens inquantum ens, naturaliter posset in quodcunque ens; & sic naturaliter posset cognoscere vltimum finem, quod est impossibile; & tamen concedit ipse, quòd ens inquantum ens, est obiectum adæquatum intellectus nostri, & sic ex natura intellectus, vt patet *in d. 3. q. 3. & d. 1. primi*; ergo ex puris naturalibus potest cognoscere Deum sub ratione Deitatis.

Solutio; Dicas quòd ista stant simul, quòd intellectus habeat ens inquantùm ens, pro obiecto adæquato, & quòd naturaliter non cognoscat quodlibet contentum sub ente; quia ad cognitionem obiecti non tantùm requiritur potentia, sed etiam requiritur præsentia obiecti, vel in se, vel in aliquo repræsentatiuo; & etiam requiritur quòd tale obiectum concurrat actiuè ad cognitionem illam; cùm ergo dicitur, intellectus habet ens inquantùm ens, pro obiecto sibi adæquato, ergo potest naturaliter cognoscere ens, inquantùm ens; neges hanc consequentiam. Si iterum dicatur, Scotus *in prima quæstione prologi*, dicit quòd cui naturaliter nota est aliqua potentia, ei naturaliter notum est obiectum illius potentiæ; cùm ergo intellectus separatus naturaliter cognoscat seipsum sub ratione propria, & distinctissima; ergo naturaliter notum erit ei ens inquantùm ens, cùm sit eius obiectum adæquatum; Dicas quòd ista propositio debet sic intelligi, quòd si alicui nota est aliqua potentia sub ratione distincta, & sub illa ratione, qua respicit obiectum adæquatum, ei notum erit tale obiectum; licèt ergo intellectus separatus cognoscat seipsum sub ratione distinctissima, non tamen sub illa ratione, qua respicit ens inquantùm ens, sub ratione adæquata.

CXLIV.

Scotus *in prima q. prologi*, dicit quòd intellectus est sufficiens principium producendi cognitionem sui, nisi impediatur; modò pro statu isto intellectus impeditur exire in cognitionem sui sub ratione propria, quia pro statu isto natum est tantùm moueri à sensibilibus. Huius oppositum videtur habere *in eadem quæstione prologi*, vbi dicit, quòd Adam potuerit distinctè cognoscere naturam suam in statu naturæ, & hoc naturaliter; igitur finem illius naturæ, sed finis naturæ humanæ est Deus; ergo Adam potuit naturaliter cognoscere Deum.

Solutio; Dicas, posito quòd Adam potuerit distinctè cognoscere naturam suam absolutè, non tamen sequitur quòd naturaliter potuerit illam cognoscere sub illa ratione, qua ordinatur ad vltimum finem. Vel dicas, quòd aliud est cognoscere naturaliter

naturaliter Deum esse vltimum finem;& aliud est ipsum Deum cognoscere in se: licet ergo Angelus non possit cognoscere naturaliter vltimum finem distinctè,& in se, puta Deum sub ratione Deitatis, vt habet Scotus *in Quodlib. q.14.* fortè tamen potest naturaliter cognoscere ipsum Deum, vt clarè visum, esse vltimum finem; & fortè etiam hoc potuit cognoscere Adam naturaliter; non tamen Angelus, nec Adam potuerunt Deum naturaliter in se cognoscere,& distinctè:nec intuitiuè, nec abstractiuè.

CXLV.

Scotus *in prima quæst. prologi* vult quòd ens, inquantùm ens,sit subiectum Metaphysicæ:hoc etiam vult *in 3.d.q.2 primi, & in sua Metaph.* si hoc esset verum, igitur intellectus posset naturliter cognoscere quodlibet contentum sub ente, quia perfectus Metaphysicus perfectè cognoscit subiectum Metaphysicæ; ergo perfectè cognoscit ens inquantùm ens. Huius oppositum habet *in prima quæst.prologi*,vbi dicit quòd licèt ens,inquantum ens,sit obiectum adæquatum intellectus nostri, non tamen potest cognoscere, etiam intellectus separatus,naturaliter ens, inquantum ens, obiectum esse adæquatum potentiæ; & tamen dicit in 1. qaæst. Metaph. quòd ens inquantùm ens, est subiectum adæquatum Metaphysicæ: ergo est obiectum adæquatum intellectus;igitur si naturaliter potest cognoscere ens inquantùm ens,ergo naturaliter potest cognoscere quodlibet contentum sub ente; sed Deus continetur sub ente;ergo cognoscit Deum naturaliter.

Solutio.Dicas quòd eo modo,quo quis est perfectus Metaphysicus,eo modo cognoscit subiectum Metaphysicæ:& cùm perfectus Metaphysicus versetur præcipuè in cognitione valde vniuersalium,ideò Metaphysicus cognoscit ens inquantum ens, demonstrando de ipso passiones vniuersales,siue incomplexas, vt *vnum, bonum,verum,res*,&c.siue disiunctas, vt *actus, vel potentia,finitum,vel infinitum*; *vnum, vel multa*: concedas igitur quòd perfectus Metaphysicus cognoscit ens inquantùm ens, esse subiectum Metaphysicæ,non tamen quodlibet contentum sub ente:& dum dicis,quod est subiectum adæquatum Metaphysicæ, est obiectum adæquatum intellectus;Dicas quòd hoc non est verum quo ad omnia; est enim verum quo ad hoc, quòd sicut subiectum Metaphysicæ est commune omni enti reali, & prædicatur in *quid* de illis,vel saltem est prædicatum vniuocum; sic & obiectum intellectus, sed non est verum quantùm ad hoc, quòd sicut quodlibet ens inquantùm ens, est obiectum intellectus, quòd similiter quodlibet ens sit subiectum Metaphysicæ.

CXLVI.

Scotus *in prima quæst. prologi* dicit quòd proprietas primæ naturæ ad extrà est causare contingenter,& ad oppositum huius dicit quòd effectus magis ducunt in errorem.Huius oppositum habet *in q.2.d.2.primi*,vbi probat per effectum primum agere contingenter. Hoc idem habet *d.8.q.vlt. & d. 39.* vbi dicit quòd aliquæ illarum rationum non possunt solui à Philosophis,& præcipuè illa, quæ accipitur *d.2. & 39. primi*,quæ procedit ab effectu.

Solutio;Dicas primò quòd illa ratio probat primum agere contingenter;supponendo quòd sit ordo essentialis inter causam primam, & secundam;& ideò si negatur ordo essentialis inter primam,& secundam causam, per effectum contingenter non posset probari primum agere contingenter. Dicas secundò, quòd si teneatur voluntatem creatam totalem esse causam sui actus, non concurrente prima causa,tunc ratio Doctoris *d. 2.* non probaret Deum agere contingenter; supponit ergo in illa ratione voluntatem creatam dependere à primo ente tam in *esse*,& *conseruari*,quàm etiam in agendo;& quòd voluntas creata non sit totalis causa sui actus per remotionem primæ causæ. Dicas tertiò quòd Doctor *in prima,quæst. prologi*, non dicit absolutè,quòd effectus deducit in errorem, sed hoc tantùm dicit secundùm opinionem Philosophorum;& si dicatur, Philosophi supponunt ordinem essentialem causarum; ergo per rationem Doctoris *d. 2.primi* possumus cognoscere primum agere contingenter per effectum; & sic videtur posse concludi quòd via naturali possumus cognoscere hanc proprietatem de primo ente. Dicas, quòd si illa ratio Doctoris *dist. 2.* concludit contra Philosophos, oportet concedere nos per effectum posse cognoscere *demonstratione quia* primum agere contingenter;& in hoc sibi non contradicit,quia *in prima quæst.prologi*, videtur tantùm loqui secundùm opinionem Philosophorum, & in *d.2.* absolutè loquitur contra Philosophos.

CXLVII.

Scotus *in secundo,d.1.q.1.& d.8.primi,q.4. & d.39.* contradicit Philosophis, & probat contra eos, quòd Deus ad extrà agit contingenter, & hoc ex effectibus,seu ex causis secundis. Huius oppositum dicit *in prima quæst. prologi*, vbi dicit quòd ex effectibus probaretur quòd agit necessariò.

Solutio; Dicas quòd Scotus in illis locis probat non quòd senserunt Philosophi, sed quod naturaliter in via veritatis esset tenendum. In prima vero quæstione prologi recitat non esse tenendum,sed quod de facto tenuerũt.

CXLVIII.

Scotus dicit quòd Metaphysicus debet considerare omnia in vniuersali; huius oppositum habet multi Scotistæ,nempe Viguerius,& Bargius, qui tenent Metaphysicum debere in particulari omnia considerare, cuius oppositum tenet Doctor *in primo Metaph.q.9.*

Solutio;Dicas quòd Scotus *in Metaph.*insequitur communem opinionem, etiam quamuis ibi ad illam partem declinet, non tamen illud expresè multum ponit,sed quod in particulari consideret.Adduco multa loca Scoti; & prima auctoritas est *in 3.quæst.prologi in fine illius quæstionis collateralis*, vbi ait quòd Geometer ex terminis confusè cognitis format sibi propositiones per se notas, nec probatur per eanden notam à Metaphysico, sed ipse Metaphysicus eandem perfectiùs cognoscit: ecce quomodo Metaphysicus considerat in particulari. Secunda est *in primo, dist.2.q.4.* vbi ait quòd Metaphysicus considerat ad quod genus pertineat linea, & quòd considerat istam, *linea est species quantitatis distincta contra corpus, & superficiem*; sed hoc non faceret, nisi in particu-

particulari consideraret. Tertia est *in secundo, distinct.* 3. *quæst.* 1. vbi dicit quòd equinitas in se non est vniuersalis, nec particularis, nec vna, nec plures: & sic exprimitur per definitionem; & sic consideratur à Metaphysico.

CXLIX.

Scotus *in prima quæst. prologi* videtur exponere Aristotelem 2. *Physicor.* vbi dicit, quòd natura est principium motus & quietis, & quòd ista natura dicitur de principio actiuo intrinseco. Huius oppositum habet *in secundo, dist.* 18. vbi exponit dictum Aristotelis sic, quòd natura, quæ est principium motus, & quietis, dicitur de principio passiuo, quod scilicet habet naturalem inclinationem ad motum, & quietem, vt patet de graui, quod naturaliter inclinatur ad motum, & ad quietem respectu centri.

Solutio; Dicas quòd quamuis natura sic definita ab Aristotele dicatur de principio passiuo; non negat tamen quin etiam possit dici de principio actiuo. Vel dicas, quòd Doctor *in prima quæst. prologi*, non intendit exponere Aristotelem, sed intendit tantùm loqui de principio actiuo naturali intrinseco quodcũque sit illud; sicut dicimus quòd grauia non tantùm dicuntur entia naturalia, quia habent naturalem inclinationem ad motum, & quietem; sed quia habent principium etiam intrinsecum sui motus, & quietis.

C L.

Scotus *in quarto, distin.* 49. subtiliter probat quòd homo ex puris naturalibus non potest attingere fœlicitatem, ad quam ordinatur. Huius oppositum habet *in prima quæst. prologi*, vbi dicit quòd illa fœlicitas eminenter potest naturaliter recipi.

Solutio; Dicas quòd in materia de Beatitudine loquitur de principio actiuo naturali; in prima verò quæstione prologi loquitur de principio passiuo naturali; & cùm dicit, naturaliter potest recipi, id est, est perfectio, ad quam ipsa anima est in potentia naturali receptiua.

C L I.

Scotus *in resolutione tertij argumenti principalis* dicit quòd multi actus sunt, de quibus ignoramus an sint peccata mortalia, velne. Huius oppositum habet *in quarto, distin.* 39. *quæst.* 1. *in corpore quæsiti*, vbi dicit quòd nullus actus est perplexus in lege diuina, etiam quocunque actu proprio posito; tamen non manet aliquod peccatum mortale, per quod fit perplexus; ergo cognosci debet quodlibet peccatum mortale.

Solutio; Dicas, quòd Scotus non affirmat quòd tales actus sint dubij; sed dato quod sint dubij, ex hoc tamen non sequitur quòd sit dubia via salutis; & sic, quoniam non est dubia via salutis, ideò hæc doctrina est sufficienter tradita, & hoc est, quod intendit, quòd hæc doctrina sit sufficienter tradita.

C L I I.

Scotus tenet *in* 3. *q. prol. art.* 2. quòd subiectum continet virtualiter suam passionem, & est conditio subiecti; Contra Scotum arguit Gregorius de Arimino *in* 4. *quæst. prologi*, inquit; vult Scotus quòd subiectum sit causa effectiua passionis; ergo passio erit alia res à subiecto, & sic subiectum continebit passionem distinctam realiter à subiecto, quod est inconueniens.

Solutio. Dicas quòd subiectum dicitur esse causa effectiua subiecti pullulatiua non cum motu, & mutatione. Vel dicas duplicem esse causam effectiuam, quædam est Physicalis, quæ agit per motum, & mutationem, & talis producit effectum realiter distinctum; quædam est Metaphysicalis, quæ abstrahit à motu, & mutatione, & talis non est necesse quòd habeat effectum realiter distinctum, cuius *non esse* aliquando præcesserit. Vel dicas, quòd subiectum dicitur causa effectiua passionis, accipiendo effectiuam pro pullulatiua: & illud, quod pullulat ab alio, non est necesse realiter distingui ab illo.

Arguit Gregorius Ariminensis sic, Linea recta est diuisibilis in duo media; illa diuisibilitas est propria passio lineæ rectæ, tunc sic; vel habet illam diuisibilitatem actu, vel potentia: non primò, quia tunc Deus posset facere lineam sine diuisibilitate; non secundò, quia quando linea diuideretur, causaret diuisionem in se ipsa, quod esset absurdum.

Dicas quòd ratio nullius est vigoris, quia diuisibilitas non est aliqua res positiua, sed est tantùm negatio vnionis partium, & dato quòd sit alia res. Dicas, quòd est alia res respectiua, non absoluta. Cùm dicitur, ergo Deus potest facere lineam sine diuisibilitate; negatur consequentia, quoniam Deus non potest facere absolutum sine relatione, quæ de necessitate consurgit ex natura extremorum, sicut non potest facere duo alba sine similitudine, & tamen similitudo est realiter distincta ab illis, sic in linea recta consurgit aptitudo ad diuidi. Similiter non sequitur, linea recta est in potentia diuisibilis; ergo causat diuisionem actu in se; negatur consequentia; nam homo est aptus natus beatificari, & tamen non causat actum beatificum in se.

Secundò arguit Gregorius ad idem, aut talis diuisio recipitur in linea antequam sit diuisa, aut pòst, aut simul.

Dicas primò, quod quantitas est diuisibilis, linea autem est diuisibilis, sed non primò, sic talis diuisio in nullo recipitur, quia talis diuisio nihil est in se; ergo non oportet quærere in quo recipiatur diuisio. Secundò dicas, quòd esse diuisum ab alio dicit quendam respectum, ita quòd sunt duo respectus fundati in duabus partibus, ita quòd vnus fundatur in parte *A*, & terminatur ad partem *B*, & è contra; & cum dicit Gregorius, quòd passio est alia res, secundùm Scotum; Dicas quòd est alia res formaliter, non autem realiter. Vel dicas quòd est alia realitas passio à subiecto, sed non alia res: & cùm dicit Gregorius quòd esse annihilabile est passio communis omni creaturæ; ergo si passio est alia res à subiecto, potest Deus facere creaturam absque eo, quòd sit annihilabilis. Dicas quòd quando Doctor loquitur de passione, quæ est alia res à subiecto, loquitur de illa, quæ est res, cuiusmodi est visibilitas, annihilabilitas enim nihil est, quia talis relatio terminatur ad nihil.

Tertiò arguit Gregorius; Nulla creatura continet aliquam rem virtualiter; ergo nec subiectum passionem, quia causa secunda non potest producere aliam rem, quin & illa causetur etiam à Deo partialiter.

Dicas quòd non loquitur ad propositum, quia

Scotus loquitur de continentia virtuali in *esse* cognito; & Gregorius loquitur de continentia virtuali in esse reali.

Quartò arguit Gregorius; Si subiectum continet passionem effectiuè; ergo Deus posset facere passionem sine subiecto, quia potest supplere causalitatem cuiuscunque causæ secundæ.

Dicas quòd subiectum in respectu passionis dupliciter consideratur. Vno modo, vt causa effectiua eius. Alio modo, vt habet necessariam habitudinem ad subiectum, tanquam ad receptiuum; tunc dicas quòd benè Deus posset supplere causalitatem cuiuscunque causæ secundæ, tamen remaneret illa habitudo subiecti ad passionem, quæ semper manet, posito subiecto.

Quintò arguit Gregorius; Sphæricitas est passio de cœlo, & astris demonstrabilis, *secundo cœli, tex. commen. 22. & 48.* & tamen cœlum non est causa effectiua suæ sphæricitatis, cùm illa sit æterna, & res æternæ, secundùm Aristotelem non habeant causam agentem.

Dicas quòd subiectum non est propria causa, & dato quòd sit propria causa; adhuc non sequitur quòd æternum non habeat propriam causam effectiuam, nam causa duplex est; Vna est causa, quæ producit effectum per motum, vel per mutationem, & hæc non est alicuius æterni. Alia est, quæ producit effectum non per motum, & mutationem, & hæc potest esse alicuius æterni. Et aduerte, quòd semper Gregorius supponit quòd Scotus teneat passionem aliam rem esse à subiecto, quod est falsum, & quòd subiectum sit propriè causa effectiua, quod nunquam cogitauit Scotus.

Sextò, Alphonsus Toletanus *in prologo, quæst. 6.* arguit similiter contra Scotum sic; si passio contineretur virtualiter in subiecto, tunc imperfectius contineret perfectius, sed hoc est falsum; ergo & quod dicit Scotus.

Dicas, quòd ratio Alphonsi nihil concludit, nam non valet, materia est informabilis à forma; ergo forma est eius passio: sicut non valet, forma est informata materia; ergo materia est eius passio: & sic non sequitur, imperfectius continet perfectius; & si dicatur, passio est prædicatum, quod est perfectius subiecto, quia prædicatum habet rationem formæ.

Dicas, quòd passio, vt prædicatum, est perfectior subiecto, si autem consideratur in se, vt pullulat à principiis subiecti, & vt subiectum continet virtualiter passionem, sic passio non est perfectior subiecto, & sic nihil concludit contra Scotum.

Septimò, Guillielmus Occham arguit contra Scotum, & probat quòd notitia subiecti non contineat virtualiter notitiam passionis, & est argumentum Gregorij de Arimino; omnis notitia primò continens virtualiter aliam notitiam, continet primò omnem aliam notitiam, sine qua causaliter illa haberi non potest; sed notitia subiecti non sic continet notitiam passionis, quia esse informabile est passio materiæ; esse beatificabile est passio rationalis creaturæ; esse risibile est passio hominis; istæ sunt passiones connotatiuæ, & connotant res distinctas à subiecto, vt esse informabile continet formam distinctam à materia, esse beatificabile connotat beatitudinem, vt rem distinctam à rationali creatura; esse risibile continet actum ridendi.

Dicas, quòd subiectum non continet notitiam passionis, vt causa totalis, ita vt nulla alia causa concurrat, sed sic continet partialiter, ita quòd eius causalitas partialis à nullo possit suppleri, nisi fortè à Deo. Similiter quando est aliqua pasśio connotatiua, quæ dicit relationem, cuiusmodi est risibilitas, & huiusmodi non potest haberi, nisi præcognoscantur fundamentum & terminus. Non vult ergo Doctor quòd obiectum sic contineat virtualiter notitiam alterius, quòd nihil aliud concurrat ab illo, sed sic habet determinatam causalitatem respectu illius; & primò, quòd à nullo potest suppleri nisi fortè à Deo, & sic fuit ratio Gregorij.

Octauò arguit etiam Gregorius sic, quia si subiectum virtualiter continet pasśionem, aut notitia intuitiua subiecti continet notitiam intuitiuam pasśionis, & hoc non, quia per notitiam intuitiuam vnius rei, non potest haberi notitia intuitiua alterius rei, nec notitia intuitiua vnius rei continet notitiam abstractiuam alterius rei, & hoc non; tum, quia notitia abstractiua non potest esse prima, nec per consequens primò continere; tum, quia multò minùs per abstractiuam vnius rei, potest haberi intuitiua alterius, quàm per intuitiuam, & secundum non est posśibile, aut intuitiua vnius continet abstractiuam alterius; & hoc non, quia vel abstractiuam communem confusam; & hoc non, quia talis etiam ab alio poterit causari, vel propriam, & distinctam, & hoc non, quia nulla talis potest haberi nisi præhabita intuitiua eiusdem rei, aut quia abstractiua vnius continet abstractiuam alterius, & hoc non propter causas iam dictas.

Dicas, quòd notitia intuitiua subiecti continet notitiam pasśionis, & cum dicitur, notitia intuitiua vnius rei non causat notitiam intuitiuam alterius rei. Dicas, quando vna res seorsum est ab alia, sed non quando sunt vna res, sicut subiectum, & passio; & licet subiectū priùs causet notitiam sui, & immediatè, tamen mediatè vna cum intellectu causat notitiam passionis intuitiuam, ita dicendum est de notitia abstractiua, quòd subiecti notitia abstractiua partialiter causat notitiam passionis, & cum dicitur, notitia intuitiua sui non potest causare notitiam abstractiuam alterius, hoc est falsum, quia notitia intuitiua alicuius rei potest partialiter causare notitiam intuitiuam sui, & abstractiuam alterius, vt essentia Angeli in suo intellectu potest causare notitiam sui abstractiuam, & notitiam intuitiuam, & sic soluitur ratio Gregorij.

Nonò, similiter arguit Gregorius, quòd notitia subiecti non contineat virtualiter notitiam passionis, & id duobus exemplis manifestat; primum posse causare calorem in corpore illuminabili, & calefactibili, est passio corporis radiosi; secundum esse purgatiuum choleræ est passio rheubarbari; & addit quòd quælibet harum est immediata, scilicet, omne radiosum est calefactiuum, & omne rheubarbarum est purgatiuum choleræ: & tamen notitia corporis radiosi non continet primò notitiam passionis, quia non continet primò notitiam colorum. similiter notitia rheubarbari non continet primò notitiam choleræ; ergo nec passionem illius.

Dicas,

Dicas, quòd passio subiecti consideratur dupliciter, primò, vt est quid absolutum, vt purgatiuum choleræ, notitia ipsius passionis non dependet à notitia choleræ: si autem passio dicit relationem, tunc non potest haberi cognitio passionis, nisi cognoscatur fundamentum, & terminus, attamen subiectum habet determinatam continentiam, quæ à nullo suppleri potest, præterquam à Deo. Similiter & si cognitio choleræ requiratur ad cognitionem passionis rheubarbari non ex hoc, quòd rheubarbarum contineat virtualiter cognitionem choleræ; sed solùm sequitur quòd non præhabita notitia choleræ, non potest immediatè habere notitiam rheubarbari perfectam, & sic subiectum erit causa partialis suæ passionis, & non totalis, cum prærequiratur notitia choleræ; & sic dicendum ad secundum exemplum, & hoc requiritur inter passiones, quæ includunt relationem: & cùm dicitur, rheubarbarum est purgatiuum choleræ, & corpus radiosum est calefactiuum, sunt propositiones immediatæ; respondeas negando exemplum, vel dicas duplicem esse propositionem immediatam: quædam est immediata per experientiam, quædam verò simpliciter: hæc erit immediata; ignis est calefactiuus, quia notum est per experientiam, quòd semper ignis calefacit apposito combustibili, sed non sequitur, sunt notæ per sensum, vel per experientiam, & immediatè; ergo sunt simpliciter & absolutè immediatæ; negatur ista consequentia, quia quo ad sensum aliquid prædicatum est immediatum de aliquo subiecto, quod simpliciter tamen inhæret illi subiecto, per rationem formalem illius subiecti.

CLIII.

Scotus *in 3. quæst. prologi*, dicit quòd subiectum continet virtualiter, partialiter notitiam passionis. huius oppositum habet in eadem quæstione, vbi dicit quòd subiectum virtualiter totaliter continet notitiam passionis.

Solutio; Dicas quòd contineri virtualiter totaliter contingit dupliciter. Vno modo, quòd totaliter contineat notitiam passionis, & sic non intellexit Scotus. Alio modo quòd contineat habitudinem necessariam passionis ad subiectum; & sic intellexit quòd subiectum continet virtualiter, totaliter, & adæquatè passionem, id est, notitiam necessariæ habitudinis ad effectum.

CLIV.

Scotus dicit quòd Theologia nostra est de his, de quibus est Theologia in se; ergo idem subiectum erit in hac, & in illa.

Solutio; Dicas quòd nostra Theologia est de his, de quibus est illa in se; sed non de tot, de quot est Theologia in se, sed tantùm de his, quæ nobis expediunt pro fœlicitate.

CLV.

Scotus dicit quòd Deus sub ratione infiniti est subiectum in Theologia nostra. Huius oppositum habet *in tertia quæst. Vniuersalium*, vbi dicit quòd de subiecto præsupponitur *quid*, & *quia*; ens verò infinitum quæritur in tertia quæstione prologi; igitur non potest esse subiectum.

Solutio; Dicas quòd quæritur non vt demonstrabile de Deo, sed vt est ratio formalis. Et nota quòd Theologia nostra non habet propriè subiectum pro formali, quia non habet primam conditionem, scilicet contineri virtualiter. Sed tantùm habet obiectum primò notum ens infinitum.

CLVI.

Scotus *in eadem quæstione* dicit quòd visio Beatorum essentiæ diuinæ non est Theologia, sed notitia incomplexa. Contrà notitia complexa est perfectior notitia incomplexa; ergo Theologia nostra, quæ est notitia complexa, est perfectior visione Beatorum, quod est falsum.

Solutio; Dicas quòd comparatio debet fieri in vniuoco, non autem in æquiuoco, sic ab incomplexo ad incomplexum, non autem ab incomplexo ad complexum. Similiter dicitur quòd Beati habent ambas notitias, scilicet complexas, & incomplexas, & visio beatifica ambas includit; nec Scotus dicit quòd illa visio beatifica sit totalis incomplexa, sed illa quæ est incomplexa, non est Theologia; similiter illa visio est intuitiua; huiusmodi non est Theologia, quam habet Theologus.

CLVII.

Scotus dicit idem esse subiectum Theologiæ nostræ, & articulorum fidei; sed articuli fidei non sunt de ente infinito; igitur Deus sub ratione entis infiniti non poterit esse subiectum Theologiæ nostræ.

Solutio; Dicas quòd articuli fidei sunt de ente infinito præsuppositiuè, sed non primò, quia omnes præsupponunt ens infinitum. Insuper dicas, quòd Scotus non tenet ens infinitum esse subiectum Theologiæ nostræ; quoniam vult quòd idem sit subiectum Theologiæ nostræ & in se, tamen est primò notum nobis per quid primæ veritates Theologiæ nostræ demonstrātur de subiecto, scilicet ens infinitum, quod non dicitur subiectum, sed tantùm primò notum nobis. Sed dices de subiecto præsupponitur *quid, & quia*, sed ens infinitum non præsupponitur; ergo ens infinitum non est subiectum; Dicas quòd de subiecto, si non præsupponitur quid rei, præsupponitur tamen quid nominis. Sed dices, magis notum est Deum esse, quàm infinitum esse; ergo ens infinitum non est subiectum; Dicas quòd etsi sit magis notum, non tamen primò notum, de quo dicantur veritates, & cognoscantur, & demonstrentur in Theologia, sicut ens infinitum. Et cùm dicunt aliqui, quòd idem est dicere, Deus sub ratione Deitatis, & sub ratione entis infiniti; est subiectum in Theologia, quia secundùm Scotum, infinitas est modus intrinsecus, qui non dicit alium conceptum à Deitate; Dicas quòd etsi pro materiali non dicat alium conceptum, dicit tamen pro formali, & si non affirmatiuè, & positiuè, saltem negatiuè.

CLVIII.

Scotus *quæst. 4. prologi* dicit quòd Theologia in se, vt perficit intellectum, potest esse de omnibus scibilibus, quia scibilia sunt infinita. Probatur antecedens, quia scientia de homine, & homo, vt est in genere Substantiæ, est alterius speciei ab homine; nam scientia est in genere Qualitatis; si ergo scientia de homine est alia à scientia de homine, & cùm scientia scientiæ de homine sit alia; ergo erit alia species; & cùm sciētia scientiæ sit quoddam scibile, habet aliam scientiam alterius speciei ab ea; ergo, vt sic, proceditur in infinitum.

Solutio.

Solutio; Dicas quòd in actibus intellectus est processus in infinitum; non tamen omnes illi actus differunt;sed ad argumentum negatur similitudo inter hominem & scientiam suam; & inter scientiam suam, & scientiam scientiæ: quoniam obiectum scientiæ de homine est substantia,& obiectum scientiæ est qualitas, & sic in omnibus inferioribus, & sic sunt eiusdem generis,& non differunt sicut duo principia.

Dices, in numeris & figuris est processus in infinitum, quia per appositionem vnius numeri variatur species numeri,sed quocunque numero dato possum apponere vnam vnitatem, sic & in figuris, quia per appositionem vnius anguli, variatur figura secundùm speciem;sed quocunque angulo posito, possum apponere angulum; ergo est processus in infinitum. Dicas quòd isti numeri, & figuræ variati non differunt specie essentiali, sed tantùm accidentali, & sic non est processus in infinitum in numeris, & figuris in entitate, & perfectione, quoniam totus ille processus in infinitum recedit à minima qualitate; sic igitur dicitur quòd numeri, & tales figuræ non differunt specie essentiali,sicut bicubitum, & tricubitum, quæ non differunt,nisi specie accidentali.

CLIX.

Scotus *in 4.quæst.collaterali prologi,vbi quærit, an Theologia sit scientia in se*, distinguit scientiam,vt definitur ab Aristotele *6.Ethicor.cap.*4. à scientia,quæ definitur ab Aristotele 1. *Poster.* arguendo contra Thomam Anglicum, Philosophus *6. Ethic.cap.*7. se remittit ad conditiones positas in primo Posteriorum de scientia; & ibi expresse dicit quòd scientia est necessariorum, & eorum, quæ non contingunt aliter se habere; ergo non est bona talis distinctio.

Solutio; Dicas quoad illam partem scilicet in Ethicis, vbi dicitur,scientia est habitus conclusionis per demonstrationem acquisitus, quo vnum scimus, non distinguitur à scientia declarata in 1.Poster. sed distinguitur quo ad omnia, quæ notantur in Ethicis de scientia, vt continet scilicet opinionem,& suspicionem.

CLX.

Scotus *in eadem quæst.* 4. *prologi*, dicit quòd notitia contingentium, vt habetur in Theologia,magis assimulatur intellectui principiorum, quàm scientiæ conclusionum.

Arguit contra Thomas Anglicus,si sic se haberet Theologia contingentium, vt intellectus principiorum,de ratione intellectus principiorum esset posse generare scientiam veram; ergo ex contingentibus possumus demonstrare propositiones veras necessarias, quod est falsum. Præterea habitus principiorum est magis necessarius, quàm sit habitus scientificus, *primo Posteriorum*; ergo Theologia contingentium est magis necessaria, quàm sit Theologia necessariorum,quod est falsum.

Solutio; Dicas quòd Scotus non vult quòd Theologia contingentium sit omnino similis notitiæ intellectus principiorum,sed quòd magis sit similis illi,quàm scientia conclusionum, nam sicut notitia principiorum cognoscitur ex terminis,ita notitia contingentium habetur ex notitia extremorum. Similiter sicut habitui principiorum repugnat demonstrari, ita & contingentibus, & quo ad hoc currit similitudo,sed non quo ad omnia.

CLXI.

Scotus dicit notitiam contingentium esse habitum intellectus. Huius oppositum habet Aristoteles *in 8.Ethic.siue in 6.*vbi quinque habitus intellectuales enumerat;talis habitus contingentium, siue notitia non est sapientia, quæ est æternorum; nec opinio, nec prudentia,nec ars,nec fides;quia euacuatur in Beatis; ergo restat quòd sit scientia,quod negat Scotus.

Solutio;Dicas quòd Aristoteles tantùm enumerauit habitus naturaliter acquisibiles, non autem omnes enumerauit, sic hunc habitum contingentium non agnouit.

CLXII.

Scotus *in responsione ad primum argumentum ratione tertia in 3. q.prologi*, dicit quòd subiectum alicuius scientiæ perfectiori modo cognoscitur in illa scientia, in qua est subiectum, quam in alia, in qua non est subiectum; & superiùs dixit quòd linea est subiectum in Geometria,& tamen *in 2. q. prologi,& 2. dist.primi*, dicit *q.* 2. quòd Metaphysicus perfectiori modo cognoscit lineam, quàm Geometra, quoniam Geometra non cognoscit distinctè lineam, ad quod genus pertineat,Metaphysicus verò sic.

Solutio;Dicas quòd subiectum est notius in scientia,cuius est subiectum, quàm in scientia, cuius non est subiectum,comparando scientiam particularem ad particularem,non scientiã particularem comparando ad vniuersalem,ad quam stat vltima resolutio; sic Metaphysica est scientia communis,ideò potest perfectiori modo cognoscere lineam,quàm Geometra.

CLXIII.

Scotus dicit quòd perfectissimus conceptus, quem naturaliter possumus habere de Deo, est conceptus entis infiniti. Huius oppositum habet *in primo,dist.8.quæst.2.* vbi dicit quòd perfectissimus conceptus, qui possit haberi de Deo, est conceptus boni.

Solutio; Dicas quòd Scotus in 4. q. prologi comparat omnes conceptus, tum attributales, tum modales, inter quos est perfectior conceptus entis infiniti; in dist. verò 8. q. 2. comparat tantùm conceptus attributales, inter quos perfectior est conceptus boni.

CLXIV.

Scotus *in 4.q.prologi*, dicit subiectum Theologiæ nostræ,scilicet ens infinitum, nullam habere conditionem subiecti; in fine tamen literæ dicit quòd habet primam conditionem, sed non secundam.

Solutio;Dicas, quòd tale subiectum scientiæ primum notum continere primam conditionem stat dupliciter. Vno modo respectu nostri, & sic nullam continet conditionem; alio modo in se consideratum, & sic continet primam conditionem. Vel dicas quòd in fine literæ loquitur de vero subiecto Theologiæ in se, hîc autem loquitur de illo primo noto,scilicet infinito,quod neutram habet conditionem.

CLXV.

Scotus *in 3. solut. tertij arg.* 1. *q. lateralis* 3. *prolog.* dicit quòd finis supernaturalis non includitur in ratione hominis. Huius oppositum habet *in 1. quæst. prolog.* dicens quòd si perfectissimè cognoscitur anima, cognoscitur sua

ſua ordinabilitas in beatitudinem ſupernaturalem.

Solutio; Dicas quòd Scotus *in 3. ſol. tertij arg. primæ q. lateralis 3. prolog.* loquitur de cognitione naturali non tamen poſſibili in hoc ſtatu, in quo non poſſumus naturaliter cognoſcere talem finem ſupernaturalem includi in ratione hominis; in prima verò q. prol. loquitur de cognitione perfecta animæ, quæ tantùm habetur in alio ſtatu, aut per reuelationem.

CLXVI.

Scotus dicit *in 3. q. prol.* quòd iſta propoſitio, *Deus eſt trinus*, eſt ſpeculatiua. Huius oppoſitum habet *in 4. q. prolog.*

Solutio; Dicas quòd Scotus non loquitur abſolutè, ſed comparatiuè, ſcilicet in reſpectu ad hanc, *Deus creat*: prima enim eſt magis ſpeculatiua, quàm ſit iſta, *Deus creat.*

CLXVII.

Scotus *in 3. q. prolog.* dicit quòd ad propoſitionem per ſe notam ſufficit notitia confuſa terminorum. Huius oppoſitum habet *in 2. diſt. primi, in principio.*

Solutio; Dicas quòd notitia confuſa terminorum ſufficit in ſcientiis ſubalternis, & non particularibus, & in ſcientia vniuerſali, vt Metaphyſica requiritur diſtincta cognitio terminorum.

CLXVIII.

Scotus *in 3. q. prologi*, concludit quòd perſonæ ſunt quaſi partes. Huius oppoſitum habet *in diſt. 5. q. 5. primi*, quòd in Deo non eſt pars, nec quaſi pars, cùm dicat imperfectionem.

Solutio; Dicas quòd Scotus *in 5. diſt. qu. 2.* loquitur de parte componente; & hoc modo perſona non eſt compoſita, nec componens, nec quaſi componens; in tertia verò q. prologi loquitur de quaſi parte ſubiectiua, & hæc non dicit imperfectionem.

CLXIX.

Scotus *in 4. q. prolog. circa finem artic.* dicit quòd practicum, & ſpeculatiuum non ſunt differentiæ eſſentiales, ſed paſſiones. Huius oppoſitum habet in fine prædictæ quæſtionis, vbi dicit, *practicum*, & *ſpeculatiuum* eſſe differentias eſſentiales.

Solutio; Dicas quòd non ſunt verè eſſentiales, ſed circumſcribentes vltimas differentias.

CLXX.

Scotus dicit, quod pecuniæ vt ſunt in phantaſmate, tunc voluntas poteſt elicere, vel dare liberaliter contra tertiam viam ratione tertia. Huius oppoſitum habet inferiùs *diſt. 3. primi, q. 6.* vbi dicit quòd dum ſunt in phantaſmate, non poſſunt mouere intellectum, ſed vt ſunt in ſpecie intelligibili.

Solutio; Dicas quòd Scotus *in 4. q. prologi*, loquitur ſecundùm opinionem Henrici, *in 3. diſt.* loquitur ſecundùm opinionem propriam. Vel dicas quòd phantaſma dupliciter conſideratur. Vno modo propriè; alio modo pro repræſentatiuo quodam. In 4. quæſt. prologi ſumitur ſecundo modo, in 3. autem diſt. q. 6. ſumitur primo modo.

CLXXI.

Scotus *in q. 4. prologi ad tertiam viam ratione quarta*, dicit quòd cauſa nullum *eſſe* capit à cauſato. Huius oppoſitum habet *in 7. Metaph. q. 6. & in Quodlib. quæſt. 9.* vbi dicit quòd forma capit aliquid à compoſito.

Solutio; Dicas quòd cauſa extrinſeca non capit aliquid à cauſato, ſed benè cauſa intrinſeca. Vel dicas, cauſam intrinſecam capere aliquid à cauſato ſtat dupliciter; vel *eſſe* ſubſiſtentiæ, vel *eſſe* eſſentiæ; cauſa igitur capit *eſſe* ſubſiſtentiæ à compoſito, non autem *eſſe* eſſentiæ.

CLXXII.

Scotus *in 4. q. prologi*, contra concluſionem Commentatoris tribus viis habet pro inconuenienti quòd detur aliquis actus, qui non ſit nec practicus, nec ſpeculatiuus. Huius oppoſitum habet *in principio eiuſdem quæſt.* vbi numerat multos actus ſenſitiuos, & vegetatiuos, qui vt procedunt ab operatione intellectus, non ſunt practici, nec etiam ſpeculatini.

Solutio; Dicas quòd Scotus loquitur de actibus, qui ſunt in noſtra poteſtate, qui ſunt practici, vel ſpeculatiui, actus autem ſenſitiui, & cogitatiui non ſunt in noſtra poteſtate. Sed dices velle furari, & furari non ſunt praxis, & tamen ſunt in noſtra poteſtate, vt dicit Scotus. Dicas quòd actus huiuſmodi ſunt in triplici differentia: vel ſunt beſtiales, vt fricare barbam; & huiuſmodi ſunt indifferentes. Alij ſunt eliciti, & ſunt in noſtra poteſtate, ſecundùm rectam rationem, & tales ſunt praxis, quia ſunt alterius potentiæ, quàm intellectus. Alij ſunt in ſpeculatione non directiua in praxim; primi ſunt indifferentes; ſecundi ſunt practici; tertij ſpeculatiui.

CLXXIII.

Scotus arguens contra tertiam viam ponentem quòd volitio non eſt propria praxis, niſi in ordine ad actum imperatum, tenet quòd electio recta eſt ab habitu virtutis, ſiue actus virtutis eſt ab habitu virtutis. Huius oppoſitum habet *in 1. diſt. 14. & in 4. diſt. 15. q. 2.* vbi dicit quòd non eſt de ratione actus moralis quòd ſit generatus ab habitu virtutis.

Solutio; Dicas quòd Scotus non negat quin poſſit eſſe actus virtutis, & electio recta nullo habitu præſuppoſito, & ſic intelligit in di. 15. & in 4. di. 14. q. 2. In quarta verò quæſt. prologi vult quòd non poſſit aliquis facilè, & perfectè agere virtuosè, & faciliter virtuosè operari niſi ab habitu virtutis.

CLXXIV.

Scotus *in ſecundo artic. quæſt. quartæ prologi*, quærit, an Theologia contingentium ſit practica, dicit quòd cognitio practica, & praxis non ſunt eiuſdem ſuppoſiti: idem tenet *in 3. diſt. 36.* Huius oppoſitum habet *in diſtin. 38. primi*, ſcilicet quòd cognitio practica, & praxis ſunt eiuſdem ſuppoſiti.

Solutio; Dicas quòd Scotus *in 1. q. 4. prologi. & in 3. diſtin. 36.* dum dicit quòd cognitio practica, & praxis non ſunt eiuſdem ſuppoſiti, loquitur ad mentem propriam; in diſtin. verò 38. primi loquitur ſecundùm communem opinionem.

CLXXV.

Scotus reſpondens ad quartum argumentum primæ quæſtionis, dicit quòd ſenſitiua hominis, ex quo ordinatur ad intellectiuam, ſit nobilior ſenſitiua bruti, quo in loco videtur velle ponere ſenſitiuam animam formaliter in homine. Huius oppoſitum habet *in 2. diſt. 15.*

Solutio;

Solutio;Dicas quòd Scotus in prima quæst. prologi loquitur tantùm exemplariter; in secundo verò Sentent.distin.15. tenet quòd sensitiua realiter distinguatur ab intellectiua.

CLXXVI.

Scotus *in solutione secundæ quæst.prologi*, *soluendo tertiam rationem opinionis*, determinat quòd distinctio sumatur à fine, vt finis distinguitur contra obiectum, non accipitur bonitas actus moralis. Hoc idem dicit *in* 10.*q.Quodlib.* vbi vult quòd actus bonus primò dicatur à prima circunstantia obiecti. Huius oppositum habet *in eadem quæst.* 10. *Quodlib.* vbi dicit quòd prima bonitas dicitur esse prima circunstantia finis, & actus bonus non competit alicui, nisi in ordine ad viam.

Solutio;Dicas quòd prima bonitas est prima circunstantia obiecti bonitate naturæ, & generationis, & est prima circunstantia finis primitate perfectionis. Vel dicas quòd cùm Scotus dicit quòd prima bonitas moralis actus est à fine, verum est inter circunstantias se tenentes ex parte differentiarum;& dum dicit quòd prima bonitas moralis est à circunstantia obiecti, dicas quòd verum est materialiter.

CLXXVII.

Scotus *in* 1.*q.primæ dist.*1.ponit quandam diuisionem de fruitione, quæ fruitio triplex est; alia est ordinata;alia inordinata;alia in communi. Contra Scotum arguit Alphonsus Toletanus,qui citat in hoc Landulfum *q.5. huius dist.* & arguit sic:

Nullum superius condiuiditur cum suis inferioribus, vt animal non diuiditur in rationale,& irrationale, & in animal in communi, vt fruitio in communi, est communis ad fruitionem ordinatam,& inordinatam;ergo. Secundò arguit sic:

Omnis fruitio posita in effectu est vel ordinata,vel inordinata; ergo non ponitur tertium membrum.

Tertiò fruitio in communi dicatur per se de fruitione ordinata, & inordinata; ergo similiter ordinata fruitio, & inordinata sunt extrema contradictionis;ergo non datur medium.

Solutio; Dicas quòd fruitio in communi non est alia fruitio à fruitione ordinata, & à fruitione inordinata, & non ponitur in numerum cum illis,quasi sit vna tertia fruitio;sed est communis & indifferens, vt superius ad sua inferiora: vt animal consideratur in communi indifferens, & etiam consideratur, vt est rationale, vel irrationale; ita fruitio in communi positiuè neque est ordinata, neque inordinata, sed bene permissiuè potest esse ordinata, & inordinata. Vel dicas,quod permittit secum vtrumque, nō ponitur in numerum;sed fruitio in communi permittit secum fruitionem ordinatam,& fruitionem ordinatam; ergo non ponitur in numerum. Exemplum, animal diuiditur in rationale, & in irrationale, & tamen non sunt tria animalia,sed duo tantùm animalia; ita pariter dicas de fruitione in communi, quæ diuiditur in fruitionem ordinatam, & in fruitionem inordinatam.

Scotus posita opinione Auicennæ dicentis alio à Deo fruendùm esse;arguit contra ipsum, & probat quòd intellectus noster, cùm sit potentia fruens, non quietatur nisi in perfectissimo ente, cùm ens in communi sit obiectum intellectus nostri, secundùm Auicennam; ergo non potest quietari, nisi in perfectissimo ente; huiusmodi est Deus; ergo non potest quietari, nisi in Deo.

Contra Scotum arguit Occham, & Gabriel Biel, dicentes quòd Scotus vult probare rationibus naturalibus quòd est fruendum Deo clarè viso, sed hoc est falsum, quia hoc est tantùm creditum.

Dicas,quòd istæ rationes Doctoris prædictæ valent contra Auicennam dicentem ens in cōmuni esse obiectum intellectus nostri naturale; hoc supposito, rationes Doctoris sunt naturales, & contra Auicennam; secundùm veritatem sunt tantùm creditæ, quia non est naturaliter notum tale ens(vt ponit Auicenna)esse sic obiectum naturale intellectus coniuncti, ideò sunt creditæ.

Insuper Suessanus arguit contra Scotum *in secundo Metaph.* & adducit alias duas rationes Scoti *in quarto*, *distinct.* 49. *quæst.* 8. vbi dicit quòd ens est obiectum adæquatum intellectus nostri; ergo non quietatur,nisi in perfectissimo ente. Similiter dicit quòd intellectus potest intuitiuè cognoscere,quia si potest sensus,ergo & intellectus,& arguit sic:

Ens est obiectum intellectus, vt causatum à quiditate naturali per phantasmata repræsentata; semper enim conceptus entis est causatus à quiditate naturali;ergo ens,vt ens, non est obiectum intellectus nostri.

Dicas,quòd iste non rectè habet Scotum,non enim dicit Scotus quòd pro statu isto possit naturali ratione probari intellectum humanum non posse beatificari, nisi in cognitione intuitiua summè intellectuali; sed dicit quòd loquendo de intellectu,ex natura intellectus potest naturali ratione demonstrari ipsum non posse beatificari. nisi in tali cognitione intuitiua summi boni;& sic intelligit Scotus ex natura potentiæ, & hoc patet à Scoto in prima quæst. prologi.

Ad secundum,falsum est quòd non possit intellectus ex natura potentiæ intuitiuè videre intelligibilia,id est,substantias abstractas, licèt in hoc statu non possit.

Insuper arguit Suessanus contra Scotum,qui tenet quòd non possit naturaliter demonstrari animæ immortalitas;ergo nec posse beatificari, cùm mortalitas repugnet fœlicitati.

Dicas, quòd pro statu isto non potest probari naturaliter immortalitas animæ,tamen sublata imperfectione huius status quo ad cognitionem,potest probari naturaliter, & sic intellexit Scotus. & cùm dicitur secundùm Scotum,mortalitas repugnat fœlicitati; dicas quòd vtique mortalitas repugnat fœlicitati virtualiter, non autem formaliter, quia Christus fuit beatus, & mortalis, posset enim quis esse perfectè beatus tantùm per instans,durante beatitudine satiandi.

CLXXVIII.

Scotus *in* 1.*dist.primi*,arguendo contra Thomam dicit quòd accidit quòd in eodem coniungatur ratio primi efficientis, & primi finis, nec quietat inquantùm primum effectiuum. Huius oppositum habet *in dist.2.qu.1.primi*, vbi probat illum esse infiniti vigoris,quia est infinitum infinitorum obiectorum;ergo sibi non accidit ratio effectiui primi.

Solutio

Solutio; Dicas quòd primo effectiuo ex natura rei non accidit quòd coniungatur ratio primi efficientis,& primi finis; sed accidit ad oppositum Auicennæ,quia secundùm Auicennam, secunda Intelligentia est effectiua tertiæ, non tamen est finis eius ex natura rei. Vel dicas quòd primum effectiuum non dicitur quietari, vt effectiuum,sed vt finis tantùm quietat.

CLXXIX.

Scotus *in tertio articulo distinctionis primæ,q. 1. primi*, dicit quòd voluntas, sicut potest absolutè velle, & non velle, ita velle sic, & non velle sic.Huius oppositum habet *in quæst.2.dist. primi*,vbi dicit quòd in potestate voluntatis est frui, vel non frui, non tamen est in sua potestate frui sic,vel non frui sic.

Solutio; Dicas quòd Scotus in prima q.dist. primi, loquitur de fruitione in communi, in secunda autem quæstione eiusdem dist.loquitur de fruitione ordinata, & de fruitione viatoris, & non de fruitione comprehensoris.

CLXXX.

Scotus *in solutione quintæ q.principalis*, vult quòd non sit in potestate intellectus firmiùs, vel minùs firmiter assentire vero, sed voluntatis. Huius oppositum habet *dist.3.huius primi,q. 2.* vbi ait quòd maior conatus intellectus facit perfectiorem actum & assensum, & minor conatus intellectus facit minorem assensum.

Solutio;Dicas quòd intellectus, stante obiecto æqualiter disposito, non magis, nec minùs assentit; sed quando intellectus est magis, vel minùs dispositus, stante eodem obiecto, tunc magis,vel minùs assentit,& sic intellexit Scotus *in 3.dist.huius primi.*

Scotus *in secunda quæstione primæ distinctionis artic. primo*, dicit quòd sit possibile viatorem frui essentia,non fruendo persona, quia potest concipi essentia, non concipiendo personam, quia relatio non est de conceptu essentiæ diuinæ;ergo potest concipi essentia,non concipiendo personam.

Contra arguit Occham,*dist.1.q.15.* sic, Quæ sunt idem realiter, vnum non potest concipi sine alio;sed persona, & essentia sunt idem realiter; ergo non potest concipi essentia non concipiendo personam.

Dicas quòd etsi essentia,& persona sint idem realiter, distinguuntur tamen ex natura rei; & hinc est quòd vnum poterit concipi, non concipiendo aliud; & sic dicas ad alia eius argumenta,quæ circa idem tendunt.

In eodem articulo Scotus dicit quòd viator potest frui vna persona non fruendo alia, quia potest concipere personam Patris, non concipiendo personam Filij, nec personam Spiritus sancti. Contra arguit Occham ibidem.

Personæ sunt relatiuæ vt Pater, & Filius, & vnum relatiuum non potest concipi sine alio; igitur non potest frui vna persona, non fruendo alia,quia relatiua sunt simul natura, & cognito vno cognoscitur & reliquum.

Dicas ad Occham, quòd eius ratio non concludit;quia dato etiam,vt ipse dicit,quòd vnum relatiuum non potest concipi sine alio, & distinctè intelligi, tamen Pater non refertur ad Spiritum sanctum, nec Filius; ergo poterit intelligi Pater, & Filius, non intellecto Spiritu sancto. Vel dicas quòd relatiuum non est de conceptu formali, & quiditatiuo sui correlatiui, vt patet non est de conceptu formali filij. Tertiò dicas quòd non potest perfectè concipi vnum relatiuum, non concepto correlatiuo, propter dependentiam vnius ad alterum. Quartò dicas; concedendo quòd non potest percipi vna persona relatiua, & hoc perfectè non concepta alia persona sibi correlatiua. Quintò dicas, etsi non potest concipi vnum relatiuum, non concipiendo suum correlatiuum, potest tamen frui vno relatiuo, non fruendo alio correlatiuo; exemplum, intellectus non potest intelligere dominum perfectè,nisi intelligat seruum,& potest quis diligere dominum, non diligendo seruum; & hoc est ex libertate voluntatis, quia voluntas est libera ad contrarios actus.

Contra adhuc arguit Occham sic; Quilibet obligatur ad fruendum illo, quod est summè diligendum; sed quælibet persona est summè diligenda sicut essentia diuina; ergo quilibet tenetur diligere quamlibet personam, sicut essentiam diuinam, aliter esset malum, & irrationabile.

Dicas duplicem esse fruitionem, quædam est actualis,quædam habitualis. Loquendo semper de fruitione ordinata primo modo potest frui vna persona, non fruendo alia, non autem secundo modo; & tunc malum, & irrationabile esset,quando non frueretur personis nec actualiter,nec habitualiter, & hac responsione solue etiam argumentum Ochæ, quod dicit, æqualis ratio diligibilitatis est in qualibet persona;ergo sicut teneor diligere vnam personam, teneor etiam diligere aliam.

Dicas,quòd verum est habitualiter, non autem actualiter; & si dicas, habet Christus in Ioan.cap.14. *Ego & pater vnum sumus.* Et Christus etiam dicebat; *Philippe, qui videt me,videt & patrem meum*; Dicas, quod Christus loquebatur sic; Ego & Pater vnum sumus identicè, & essentialiter ratione diuinæ essentiæ,non tamen ratione personarum;& sic potest quis frui persona Patris, non fruendo persona Filij; & dum Christus loquebatur ad Philippum, loquebatur de possibili, non autem de facto, & secundùm leges positas,quia lex posita est & de facto, quòd in patria videns Patrem, videat & Filium.

Scotus *in 2.art.quæst.primæ,dist.primi*, recitat opinionē Henrici,& tenet quòd est possibile de potentia Dei absoluta comprehensorem frui essentia, non fruendo persona, & soluit argumenta Henrici. Tho. de Argentina *eadem dist, q.3.* improbat Scotum eisdem argumentis Henrici,& quia soluuntur à Scoto,ideo non est opus illa adducere.

CLXXXI.

Scotus *in eodem secundo artic. in fine probationis duarum rationum*, antequam respondeat ad argumentum Henrici, dicit quòd actus cognoscit obiectum ipsius beati, & habet pro obiecto primario essentiam, à qua essentialiter dependet, relationes verò diuinæ sunt tanquam obiectum secundarium; potest enim esse obiecti primarij absque hoc quòd sit obiecti secundarij, vel primò erit obiecti primarij, secundò secundarij.

Arguit Occham contra Scotū, si idem actus nunc non terminatus ad personam postea terminatur,ergo mutatur,ergo erit mutatio vel in

persona, vel in actu, & talis mutatio est acquisitiua, vel acquiritur nouum absolutum, & hoc falsum, vel noua relatio, & hoc per nouum actum, & sic non manet idem actus.

Solutio; Dicas quòd non est aliqua noua mutatio, sed noua terminatio, quia talis visio non priùs terminabatur ad personam, nunc autem terminatur; & sic persona priùs non erat visa, modò est visa, & sic noua relatio rationis; nec secundùm hanc dicitur mutari, sicut Deus nunc amatur, qui priùs non amabatur ab aliquo, nec dicitur mutari: & cùm dicitur, talis noua terminatio est per nouum actum; negatur, quia per actum nouum possum videre sex obiecta, & plura, si præsententur, & tamen non per nouum actum, sed per eundem, quo videntur sex obiecta: sic videns essentiam sine personis per eundem actum videbit personas, si ei præsententur.

Scotus in eodem articulo in prima ratione contra Henricum, dicit quòd Pater priùs origine est perfectè beatus, quàm generet Filium, & in illo priori habet obiectum perfectè beatificans, id est, essentiam diuinam, non communicatam tribus, sed præcisè in vna persona. Contra Scotum arguit Aureolus.

Pater priùs origine, quàm generet, est perfectè beatus; ergo in illo priori videt essentiam communicatam tribus, aliquin ex productione Filij, & Spiritus sancti, acquireret visionem essentiæ vt in tribus, & ex consequenti imperfectionem intrinsecam ex persona producta, quod est inconueniens.

Dicas, negando quod in illo priori habeat essentiam communicatam tribus; & ad probationem negatur, nam quòd Pater videat essentiam, est perfectio; sed quòd videat in tribus, vt sic, scilicet vt in tribus, non est perfectio, neque imperfectio.

Insuper arguit Aureolus contra Scotum, tenentem contra Henricum, quòd essentia est obiectum primarium, personæ verò sunt obiectum secundarium; nam dicit Augustinus: *Res quibus fruendum est sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus*; ergo personæ non sunt obiectum secundarium, cùm sint obiectum fruitionis, & tale est obiectum primarium.

Dicas, quòd personæ sunt obiectum quasi secundarium, non propriè secundarium, res verò aliæ visæ sunt propriè obiectum secundarium, personæ sunt extra rationem formalem obiecti beatifici; ratio enim obiecti beatifici non est propriè personalitas, sed essentia.

CLXXXII.

Scotus probans contra Henricum dicit quòd essentia sine personis possit esse ratio formalis terminandi fruitionem. Oppositum habet *in 3. Sent dist. 1. qu. 5.* volens probare quòd essentia non sit ratio formalis illius incarnationis, vtitur hac ratione; In quocunque supposito est ratio formalis terminandi, ipsum terminat; ergo si essentia est ratio formalis terminandi, cùm sit in tribus suppositis; ergo tria supposita istam vnionem terminabunt, quod est absurdum, sic à simili, si essentia est ratio formalis terminandi fruitionem, cùm sit in tribus, illa tria supposita terminabunt, & sic non possumus frui essentia non fruendo personis, nec vna persona sine alia.

Solutio; Dicas quòd non est simile, quia essentia, vt est obiectum *quo*, & *quod* fruitionis accidit sibi esse in suppositis, ita quòd si, per impossibile, vel possibile, non esset in suppositis, adhuc esset obiectum tale, sed vt sic ratio formalis terminandi illam vnionem non sibi accidit esse in suppositis, imò necessariò, vt sic esset in suppositis, & tunc essentia esset tantùm terminus *quo*, & suppositum *quod*, & sic non est similitudo hîc, & ibi.

CLXXXIII.

Scotus *in tertio articulo huius quæstionis*, vbi dicit quòd voluntas comprehensoris potest frui, & non frui, sed non sic, vel sic frui. Huius oppositum habet Scotus *in 8. dist. primi, q. 4. in 2. distinct. 2. q. 8. dist. 4. & in quarto, distin. 49. quæst. 9.* habet quòd in cuius potestate est agere, in eius potestate est modus agendi; similiter in cuius potestate non est agere, nec etiam est modus agendi.

Solutio; Dicas quòd modus agendi duplex est. Alius se tenet ex parte agentis cùm agens habeat facultatem non per obiectum & motum in obiecto, vt proiicere lapidem propè, vel longè. Alius est modus agendi se tenens ex parte obiecti, qui modus est tantùm in obiecto, vt obiectum est comestibile, & amatum, non habet potestatem agens comedendi obiectum tale saporosè, sed tantùm sicut est; ideò habet potestatem, sed non sic, & sic Scotus habet veritatem in quarta quæst. prologi de modo agendi secundo modo; in tertio, & quarto habet veritatem primo modo. Vel dicas, quòd duplex est modus agendi, vel duplex est modus actus. Quidam modus compossibilis actui; exemplum, diligere Petrum Paulum, ibi est actus, etiam modus agendi compossibilis, quia possum diligere Petrum Paulum propter se. Talis est modus agendi compossibilis actui. Alius est modus incompossibilis actui, vt quòd voluntas diuina diligat Socratem propter se, talis modus est incompossibilis dilectioni diuinæ, quia diuina voluntas non potest errare; cùm ergo dicitur, *in cuius potestate est agere, in eius potestate est modus agendi*; Dicas quòd verum est de modo agendi, qui se tenet ex parte agentis, nego de modo agendi, qui se tenet ex parte obiecti, quia hoc esset ex obiecto diuino volente se ostendere, putà essentiam, & non personas.

CLXXXIV.

Scotus vult *in 2. quæst. q. 1. primi, artic. primo, in principio*, quòd essentia, quæ relatiuè dicitur, sit aliquid, excepto relatiuo, ita quòd velit quòd absolutè includat omnem relationem realem. Huius oppositum tenet *in 1. dist. 19. quæst. 1. & quæst. 6. Quodlibet.* quòd æqualitas fundetur in qualitate & similitudo in qualitate, tamen secundùm Philosophum tenet *5. Metaph. cap. Ad aliquid*, quòd vna paternitas est similis alteri, & æqualis secundùm magnitudinem; & sic paternitas erit immediatum fundamentum similitudinis realis æqualitatis, & quòd relatio fundatur in relatione tantùm, igitur non in absoluto.

Solutio; Dicas quòd omnis relatio de necessitate fundatur in aliquo absoluto, & hoc potest esse dupliciter; vno modo immediatè, & sic non semper relatio fundatur in absoluto, vt patet de similitudine, & æqualitate; alio modo mediatè, & hoc modo intelligit Scotus *in 1 dist. 1. quæst. 2.*

Scotus

CLXXXV.

Scotus *in secundo articulo distinctionis primæ, q.2.primi, in prima ratione contra Henricum*, dicit quòd Pater priùs origine est beatus, antequam generet Filium; sed videtur sequi quòd Pater posterius origine generet Filium. Huius oppositum videtur sequi ex eius dictis, quia ipse *in secundo Sentent.dist.1. q.1. & in Quodlib.q.8.* vult quòd prius origine dicatur Pater respectu eius, quod est à se, & pòst origine respectu eius, qui est ab alio; sic igitur posteriùs origine generat Filium; ergo ab alio habet quòd generet Filium, quod est falsum.

Solutio; Dicas quòd Pater priùs origine est beatus, & in ipso priori est Pater, & producit Filium, & in eo quòd producit, est prior Filio producto, in illo priori est perfectè beatus, & habet *esse* à se, & Filius posterius origine est productus, & habet *esse* productum ab alio; & sic verum dicit Scotus.

Contrà; Scotus vult quòd quamuis priùs origine Pater producat creaturam, & Filius posterius origine; non sequitur tamen quòd in aliquo instanti sit creatura posita in *esse* à Patre, in quo non sit posita in *esse* à Filio, sed quia hoc tantùm habet Pater à semetipso, & Filius à Patre, vt dicit Scotus 2.*dist.primi, q.1.& in Quodlib.q.8.* si ergo priùs origine dicatur, in quo posterius non est, sequitur quòd creatura siue in *esse* cognito, siue in *esse* realis existentiæ, aut in aliquo instanti sit à Patre producta, in quo non sit producta à Filio, & si posterius origine est producta à Filio; ergo erit bis producta; similiter de Spiritu sancto, qui est productus à Patre in aliquo priori, in quo non producitur à Filio, sed posteriùs origine à Filio, sequitur idem quod supra.

Dicas quòd alio modo Pater comparatur ad Filium, vt producit ipsum, & alio modo ad creaturam, vt producit ipsam: simpliciter enim Pater ratione principij formalis producti, & producentis, qua Filius constituitur in *esse*, sic inquantùm producit, est prior Filio producto, & Filius est posterior; & dato per impossibile, quòd Pater non producat à semetipso, & non haberet *esse* à se, tamen inquantùm produceret, esset prior Filio producto; non autem sic consideratur, vt comparatur ad creaturam, & Spiritum sanctum, quia cum eadem ratio formalis producendi creaturam, & Spiritum sanctum sit in Filio; sic Filius est prior origine Spiritu sancto, & creatura.

CLXXXVI.

Scotus *in 3.Senten.dist.27.* dicit quòd ex puris naturalibus potest quæcunque voluntas, saltem in statu naturæ institutæ, diligere Deum super omnia. Huius oppositum habet *in secundo, distin. 28. in fine*, vbi habet ista verba: *Quæcunque voluntas actum huius præcepti exequitur, licèt informis, disponit se ad gratiam gratificantem, cui oblata, vel resistit, & peccabit mortaliter, vel consentit, & iustificabitur.* Ibi Scotus videtur velle duo. Primum, quòd voluntas existens in peccato mortali potest diligere Deum super omnia, cuius oppositum habet *in tertio, distinct. 13.* vbi vult quòd fruitio ordinata necessariò præsupponit gratiam, & si resistit, peccat mortaliter, nempe quando Deus homini offert suam gratiam: si non resistit, consequitur gratiam à Deo sibi collatam; ergo homo non potest ex puris naturalibus Deum diligere.

Solutio; Dicas quòd Scotus in secundo loquitur, citando vnam opinionem, & non secundùm propriam mentem. Secundò, potes dicere quòd Scotus velit hoc esse, quia Deus liberaliter offert gratiam, & non quòd ex natura liberi arbitrij in se sibi repugnet, quin ex suis naturalibus possit Deum diligere. Si quis autem vellet in via Scoti tenere oppositum, dicat, intellectus tantùm hoc potest ex natura potentiæ, & non vt ligatus.

Sed dicas, si teneor diligere eum super omnia; ergo magis teneor diligere id, quod est magis ad honorem Dei, sed magis est ad honorem Dei quòd saluentur centum homines, quàm ego solus; ergo videtur quòd magis debeam illos homines appetere saluare, quàm me; sed hoc est falsum, vt patet *in 3.dist.29.* vbi Doctor dicit, quòd post Deum quis debet se diligere super omnia.

Dicas quòd ex ordine charitatis in multis casibus, quorum vnus est in proposito, magis teneor diligere id, quod minus est ad gloriam Dei; non est ergo vera illa propositio, vbi cætera non sunt paria.

Sed adhuc dices, quòd videatur magis homo se debere diligere quàm Deum; ergo non Deum super omnia. Probatur consequentia per Aristotelem *9. Ethic.* vbi dicit quòd amicabilia, quæ sunt ad alterum, præsupponunt amicabilia ad se, & *nono Ethic.cap.9.* dicit quòd homo est magis sibi amicus.

Dicas quòd omnia dicta Philosophi sunt vera, comparando hominem ad alia post Deum; vnde dicit Petrus Cameracensis, quòd creatura rationalis appetitu naturali tendit in suam conseruationem tanquam in finem vltimum sui appetitus naturalis, sed appetitu rationali, & libero creatura rationalis potest, & debet tendere in aliud, quàm in seipsam, tanquam in finem suum, scilicet in Deum.

CLXXXVII.

Scotus *in 5.quæst. prologi*, dicit quòd electio recta, siue actus virtutis, quod idem est, est ab habitu virtutis, quia expressè dicit *in dist.17.primi*, quòd potest esse habitus virtutis, & electio recta, licèt non sit generata ab habitu virtutis. Huius oppositum habet *in 4.dist.14.q.2.* vbi dicit quòd non est de ratione actus moralis quòd sit generatus ab habitu virtutis, nec quòd sit generatiuus virtutis.

Solutio; Dicas quod Scotus non negat esse electionem rectam, nullo habitu virtutis præsupposito, sed aliquis non dicitur propriè, virtuosè agere, & perfectè, nisi agat secundùm habitum virtutis, cùm habitus faciat promptè, faciliter, & expeditè operari.

CLXXXVIII.

Scotus *in 4.quæst.prologi, & in secundo, dist.2.* in materia de æuo, & *dist. 3.* in materia de cognitione Angelorum; *& in tertio, dist.14.* dicit discursum esse in Angelis. Huius oppositum habet *in 2.dist.1.quæst.6.* vbi dicit Angelos non discurrere.

Solutio; Dicas quòd Scotus *in 2.dist.1.q.6.* loquitur in respectiuo sermone. Secundò dicas quòd Scotus loquitur ad hominem.

CLXXXIX.

Scotus *in prima, dist. primi, quæst.2.* concedit

quòd cognitio intuitiua est existentis, inquantùm existẽtis,& hoc idem vult *in dist.3. & dist. 8.quæst.penult.primi, & in secundo, distinct.5. & in quarto, distin.10. & 49. quæst.12. & in Quodlib.* sed circa dictum Scoti oritur maxima difficultas; nam ipse *in prima dist.primi,quæst.1.& quæst. 2.* vult quòd intellectus frui possit essentia, non fruendo personis; hoc enim videtur esse falsum. Ratio hæc est, quæcunque dicunt tantùm vnam existentiam,impossibile est videre vnum, non videndo aliud; sed persona diuina, & essentia tantùm dicunt vnam existentiam;ergo est impossibile videre essentiam,non videndo personam.

Solutio; Dicas quòd licèt essentia, & persona vnam tantùm dicant existentiam realiter, non tamen formaliter; imò ex quo sunt distinctæ formalitates ex natura rei,etiam dicunt distinctas existentias ex natura rei;& nullum sequitur inconueniens apud Doctorem, quòd in Deo sint plures existentiæ ex natura rei formaliter distinctæ; esset tamen valde inconueniens ponere plures existentias in Deo ex natura rei realiter distinctas.

CLXXXX.

Scotus *in primo, distin.1. quæst. 2.* dicit quòd non oportet in essentia distinctè concepta personam distinctè concipi. Huius tamen oppositum videtur velle *in eadem dist. quæst. 2,* vbi dicit; & etiam in pluribus locis, quòd cognitio intuitiua est tantùm existentis, vt existens est, & vt præsens in sua existentia, quia essentia diuina non existit nisi in personis;ergo non potest videri sine personis; nam quæ præcisè dicunt vnam existentiam, impossibile est videre vnum, non videndo aliud; sed essentia, & persona dicunt præcisè vnam existentiam; ergo impossibile est videre essentiam, non videndo personam.

Solutio; Dicas quòd licèt non sit visio nisi existentis, in quantùm existens,& non est existens, nisi in persona, non sequitur, non est existens,nisi quantùm in persona, scilicet quòd ratio terminandi visionem sit ipsa persona, in qua essentia existit. Vel dicas quòd aliud est loqui de existentia, & aliud de incommunicabili existentia; cognitio intuitiua benè terminatur necessariò ad existens, vt existens est, essentia autem diuina,vt prior personis,est verè existens propria existentia; sed non est necesse quòd cognitio intuitiua terminetur ad incommunicabile subsistens.

CLXXXXI.

Scotus *in primo, distin.1. quæst. 2,* dicit quòd frui possumus essentia non fruendo personis; hoc enim videtur esse falsum; quia dicit ipse quòd personæ sunt idem realiter essentiæ,tunc sic; Quando aliqua sunt idem realiter, impossibile est vnum concipi, alio non concepto:sed essentia, & persona sunt idem realiter; ergo non potest concipi essentia, non concipiendo personam.

Solutio;Dicas negando maiorem, nam subiectum & propria passio sunt idem realiter, & tamen subiectum potest præcognosci quòd sit, non simul cognita passione; ita pariter dicendum est de essentia & personis, quæ licèt idem sint realiter cum essentia, & habitualiter frui non possumus essentia, quin fruamur etiam & personis; actualiter tamen frui possumus essentia sine personis, quia essentia diuina est ens absolutum,personæ verò sunt ens respectiuum, & absolutum est prius respectiuo; igitur frui possumus essentia, non fruendo personis, quæ sunt respectiua.

CLXXXXII.

Scotus *in primo,dist.1.quæst.2.* dicit quòd peccator non potest referre actum peccati in Deum, quia fruitur illo; hoc idem videtur velle *in quæst.5. distinct.prima primi,* vbi quærit, an peccator fruatur. Oppositum habet *in eadem quæst.* vbi dicit quòd peccator non fruitur actu peccandi.

Solutio; Dicas quòd Scotus *in illa quæst. 2.* non videtur assertiuè loqui. Secundò dicas, quòd quando Doctor dicit quòd peccator fruitur actu peccandi, loquitur impropriè de fruitione,quæ est amore inhærere alicui propter se: sed quia peccator elicit actum peccandi nullo modo referibilẽ à tali potentia ad obiectum verè fruibile, ideò peccator dicitur frui illo. Vel dicas duplicem esse fruitionem,quædam est ordinata, & hac fruitione peccator non potest frui seipso;quædam est inordinata, & hac fruitione peccator fruitur seipso.

CLXXXXIII.

Scotus *in primo Sentent.q.1,* dicit quòd causa secunda non causat, nisi inquantùm mouetur à prima. Huius oppositum habet *in primo, dist. 1. quæst. 1.* vbi vult expresè quòd secunda causa in agendo nihil penitus recipiat à prima; & tamen impossibile est aliquid moueri ab alio, nisi saltem motum recipiat, si tantùm localiter mouetur.

Solutio; Dicas quòd causam secundam moueri à prima in agendo, potest dupliciter intelligi. Primò, quòd in se moueatur; secundò, quòd nihil potest agere respectu effectus, siue mouere, nisi prima causa simul agat, vel moueat ad eundem effectum; & isto secundo modo verum est dictum Doctoris, sed vt sic nihil recipit in se. Vel dicas quòd causam secundam moueri à prima in agendo, non intelligitur propriè moueri, sed intelligitur moueri ex hoc, quòd dicit ordinem inferiorem ad primam causam, ita quòd impossibile est ipsam agere,prima non agente.

CLXXXXIV.

Scotus *in primo, dist. 2. quæst. 1.* dicit quòd causa secunda agit in virtute primæ: & per consequens cùm secunda agat contingenter, sequitur quòd etiam prima contingenter agat. Hoc non videtur esse verum, quia ex quo prima causa priùs agit, quàm secunda; aut ergo in illo priori attingit effectum secundæ causæ, aut non: si primò, ergo cum secunda causa in illo priori nihil agit, & si in aliquo signo posteriori agit ad illum effectum, sequitur quòd idem erit bis productum:si secundò,ergo prima causa nihil agit,quia agere ad effectum est attingere illum.

Solutio; Dicas quòd prima causa non agit in aliquo priori, sed simul cum secunda causa, & si dicatur, *in libris de Causis* dicitur quòd prima causa priùs agit, quàm secunda. Dicas quòd sic debet intelligi *prius*, id est, perfectiùs.

CLXXXXV.

Scotus *in 1. dist. 2. q.1.* dicit intellectum esse potentiam actiuam. Huius oppositum habet paulò

paulò infrà *prædictæ distinctionis*, *parte* 2. vbi dicit quòd productum in *esse* simpliciter ab intellectu diuino non est in ipso intellectu; ergo intellectus non est potentia actiua. Similiter expresè vult *in secundo*, *dist*. 19. de locutione Angelorum, quòd intellectus vnius Angeli potest causare actum intelligendi in intellectu alterius Angeli; & similiter speciem intelligibilem. Patet etiam de intellectu diuino, qui in actu suo producit obiecta secundaria in *esse* secundùm *quid*, & tamen illa obiecta secundaria non sunt formaliter in intellectu diuino.

Solutio; Dicas quòd Scotus non habet pro inconuenienti eandem potentiam respectu diuersorum terminorum diuersimodè appellari, nam si terminus productus sit extrà, ipsa dicitur productiua; vt enim intellectus producit aliquid, quod verè recipitur in materia extrinseca, potest dici potentia factiua respectu illius; vt verò producit aliquid, quod non recipitur formaliter in ipso intellectu, nec in aliqua materia extrinseca, sed illud productum erit in se subsistens; tunc dicitur potentia productiua; vt verò producit aliquid, vel quasi producit, quod tantùm est in ipso formaliter dicitur potentia operatiua, tunc factiua.

CLXXXXVI.

Scotus *in Quodlib. quæst*. 13. vult quòd operatio beatifica includat de necessitate relationem realem terminatam ad obiectum, vt existens est. Huius oppositum habet in eadem quæstione, vbi dicit, quòd actus beatificus intellectus diuini nullam relationem includat terminatam ad ipsam essentiam, quæ est obiectum beatificum, & non tantùm relationem realem, sed nec etiam relationem rationis; & tamen *in primo*, *dist*. 2. q. 1. concludit quòd verè vnitur, & coniungitur obiecto optimo.

Solutio; Dicas quòd quando est vnio inter aliqua naturaliter distincta, & habentia *esse* realis existentiæ includunt relationem realem, & quando est inter extrema habentia *esse* secundùm *quid*, vel saltem vnum illorum, tunc non est necesse quòd includant relationem realem, vt patet de cognitione abstractiua, quæ vnitur obiecto habenti *esse* tantùm secundùm quid; & hoc modo intellexit Scotus *in Quodlibet. quæst*. 13. quando verò est inter extrema sic realiter eadem, quòd vnum illorum vnitiuè est in alio, tunc ibi nulla est relatio, nec realis, nec rationis; & sic actus beatificus intellectus diuini nullam relationem includit ad essentiam, vt obiectum beatificum, vt exponit Scotus *in Quodlib. quæst*. 13. Quando verò dicit *in primo*, *q*. 1. *dist*. 1. quòd intellectus beatificus verè vnitur, & coniungitur obiecto optimo, debet intelligi vnio potentiæ ad obiectum pro vnione fundamentali, scilicet quòd ipsa potentia per operationem absolutam verè attingit optimum obiectum, & hoc vult Scotus expresè *in* 4. *dist*. 10. *&* 49. *& in Quodlib*. *q*. 13.

CLXXXXVII.

Scotus *in primo*, *dist*. 39. *&* 40. *& in Quodlib. quæst*. 14. dicit quòd voluntas diuina priùs vult, & determinat de quocunque causabili illud fore, quàm intellectus cognoscat illud; ergo circumscripta cognitione alicuius contingentis, adhuc voluntas diuina poterit illud producere. Huius oppositum habet *in* 2. *dist. primi*, *q*. 1. vbi dicit quòd ipsi autem *velle* alicuius propter finem præintelligitur *intelligere* illud; ergo ante primum signum, in quo intelligitur causatus, siue volens *A*, necessariò præintelligitur intelligens *A*, & ita sine hoc non potest purè efficere.

Solutio; Dicas quòd dictum Scoti intelligitur de cognitione simplicium propositionis contingentis. Tales enim cognitiones simplicium præcedunt determinationem diuinæ voluntatis; vel dicas & meliùs, quòd etsi voluntas possit determinare aliquod futurum contingens esse ante cognitionem illius, tamen facta tali determinatione, statim intellectus intelligit illam determinationem, & ita voluntas non potest ad extrà illud ponere in *esse*, quod determinauit, nisi intellectus priùs intelligat, & ita ad sui *esse* ad extrà necessariò præcedit *intelligere* circa illud.

Dubitatio. Angelus multa causat, quæ tamen non potest causare, nisi intellectione præuia; & tamen non sequitur quòd sua intellectio sit sibi eadem realiter. Dicas quòd in causando non est inconueniens agens secundum dependere ab alio distincto ab eo realiter, vt patet de Angelo, & de vna intellectione; est tamen inconueniens de primo efficiente; & ideò neganda est similitudo, scilicet quòd sicuti Angelus, & sua intellectio sunt distincta realiter, ita *velle*, & *intelligere* Sed dices, prima causa non potest sine secunda; ergo videtur ab ea dependere. Neges consequentiam, quia in ordine, prima causa nullo modo dependet à secunda, nec vt à causa effectiua, nec vt à causa *sine qua non*, vt sit prima causa, & agat omnino independenter.

CLXXXXVIII.

Scotus *in primo*, *dist*. 2. *quæst*. 1. dicit quòd *intelligere* primi effectiui, ex quo est actu infinitorum intelligibilium, sit infinitæ perfectionis. Huius oppositum habet *in tertio*, *distin*. 14. *quæst*. 2. vbi dicit quòd ex perfectione sua necessariò est aliorum, & per consequens infinitorum.

Solutio; Dicas quòd quando Scotus dicit *in tertio*, quòd ex perfectione talis actus de necessitate est aliorum obiectorum; sic debet intelligi quòd ille actus, etiam per possibile, vel impossibile, circumscripto omni alio intelligibili à se, nullam imperfectionem includit, imò summam perfectionem, cùm *intelligere* primi, quod est optimum ens, sit penitus idem cum ipso primo, & ex tali perfectione sequitur quòd sit omnium intelligibilium. In primo verò Sent. dist. 2. q. 1. probat perfectionem primi intelligere tantùm à posteriori.

CLXXXIX.

Scotus *in primo*, *distinct*. 2. *quæst*. 3. dicit quòd omnis actus, qui non est idem obiecto, est naturaliter posterior ipso obiecto; & dicit quòd actus ad obiectum habet duplicem dependentiam, scilicet effectibilitatis, & terminabilitatis. Prima est accidentalis, quia potest suppleri; secunda est essentialis, & nullo pacto potest suppleri, & ita saltem ratione istius actus semper erit posterior. Huius oppositum habet Scotus *in primo*, *prima quæst. prologi*, vbi dicit quòd actus intelligendi, vt à causis prioribus tantùm dependet ab intellectu agente, & possibili.

Solutio; Dicas quòd Scotus *in prima quæst*. *pro*

prologi, tantùm loquebatur de causis actus, se tenentibus ex parte potentiæ, & non loquebatur de eius causis omnibus, & simpliciter.

C C.

Scotus *in 2. dist. primi, quæst.* 3. dicit quòd voluntas recta libera conformatur voluntati naturali. Huius oppositum habet *in secundo, dist. 6. q. 2. & in quarto*, in materia de pœnitentia, & *in quarto, dist.* 49. *q.* 11. vult quòd voluntas recta in multis debet discordare à voluntate naturali, vt etiam patet *in secundo, dist.* 36. *& in tertio, dist.* 13. *q.* 2. *& in quarto, dist.* 50. *q.* 5.

Solutio; Dicas quòd propositio Doctoris habet veritatem de voluntate recta per essentiam: huiusmodi est voluntas Dei, quæ est regula omnis rectitudinis voluntatis creatæ.

C C I.

Scotus *in 1. dist. 2. qu.* 3. dicit quòd indiuidua eiusdem speciei possunt in infinitum multiplicari. Huius oppositum habet *in 2. dist. 1. quæst.* 3. vbi vult infinita indiuidua non posse dari: & Franciscus de Mayronis *in 1. dist.* 44. *dist.* 10. per istam maximam probat quòd infinita multitudo in actu potest dari, quia nunquam impossibilitas sumitur ex parte Dei, vt etiam docet Scotus *in 1. distin.* 42. si ergo dicit Franciscus; Possibilitas est ex parte naturæ, quod in infinitum sit multiplicabilis, Deus in infinitum poterit eam multiplicare.

Solutio; Respondent Parisienses, & dicunt quòd Scotus in secundo est problematicus, & Franciscus de Mayronis *dist.* 3. *qu.* 4. *primi*, dicit quòd natura de se est multiplicabilis in infinitum, sed Deus eam determinat, & talis determinatio est ab extrinseco; vel dicas quòd natura ex se est multiplicabilis in infinitum, & Deus posset hoc facere; sed impedimentum est ab extrinseco, scilicet quòd infinitum non est dabile in multitudine in actu, & ita impedimentum non est ex parte Dei, nec ex parte naturæ, sed aliunde, quia scilicet repugnat tale infinitum dari.

C C II.

Scotus *in 1. dist. 2. qu.* 7. dicit quòd Filius est terminus productionis, siue generationis, & hoc modo potest dici possibilis; huius oppositum habet *in eadem dist. & quæst. citatis*, vbi dicit quòd quælibet persona diuina ex se est formaliter necesse esse.

Solutio; Dicas quòd quando Scotus dicit quòd Filius est possibilis, accipit ibi *possibile*, prout opponitur *impossibili*, non autem prout conuertitur cum *contingenti*.

C C I I I.

Scotus *in primo, dist. 2. qu.* 7. dicit quòd actus primus est prior origine actu secundo, puta, quòd memoria productiua in Patre est prior origine ipsa productione. Huius oppositum habet *in* 28. *dist.* 1. *quæst. vlt. &* 4. *quæst. Quodlibetali*, vbi vult quòd Pater constituatur in *esse* personali per paternitatem; & ideò dicit quòd idem est Patrem constitui in *esse* personali per paternitatem, sicut & per generationem actiuam, cùm sint penitus idem; si ergo principium productiuum, siue generatiuum est prius origine generatione; ergo suppositum habēs illud principium, quo verè generat, erit prius origine ipsa generatione: ergo Pater, qui est suppositum generans per tale principium erit prior origine ipsa generatione actiua, & sic constitutum essentialiter erit prius origine constitutiuo essentialiter, quod non est intelligibile.

Solutio; Dicas quòd quando Scotus dicit productiuum in Diuinis prius esse natura productione, & per consequens ex argumento illato Patrem prius esse origine productione debet intelligi dictum Scoti de productione passiua, non autem de productione actiua; nam Pater, inquantùm Pater, in Diuinis est prior origine Filio, & similiter Pater, inquantùm generans, est prior origine genito. Secundò dicas, quòd benè principium productiuum est prius origine productione actiua, qua constituitur Pater in *esse* personali, & cùm dicitur, Pater generat Filium, vt habet tale principium productiuum; verum est, dum autem infers; ergo Pater est prior origine productione actiua, hoc falsum est. Sed fortasse instabis sic, generatio actiua necessariò præsupponit principium productiuum, & suppositum producens secundùm illud principium. Dicas quòd generatio actiua benè præsupponit principium productiuum, scilicet memoriam fœcundam, non tamen præsupponit suppositum producens; & hoc est, quod habet Scotus *in Quodlib. quæst.* 4. vbi dicit quòd actio necessariò præsupponit esse simpliciter, non autem esse incommunicabile, præcipuè quando suppositum incommunicabile constituitur in tali *esse* per huiusmodi actionem; sic est in proposito de generatione in Diuinis; ipsa enim generatio verè præsupponit esse simpliciter, scilicet memoriam fœcundam, sed non præsupponit suppositum incommunicabile, quia per illam generationem tale suppositum constituitur in *esse*.

C C I V.

Scotus *in 1. dist. 2. q.* 7. dicit quòd generatio actiua non præsupponit suppositum generans. Huius suppositum habet *in 7. dist. primi*, vbi dicit quòd gerundiuum constructum cum potentia notat actum, vt egredientem ab eodem supposito, cui attribuitur potentia; cùm ergo memoria fœcunda sit potentia generandi ipsi Patri, vt in pluribus locis concedit Scotus; ergo generare est actus egrediens à supposito habente talem potentiam generandi; ergo præsupponit suppositum, quod est contra Scotum.

Solutio; Dicas, quod actum generationis egredi à supposito potest dupliciter intelligi. Primo modo, quòd verè sit à supposito; secundo modo, quòd egrediatur à principio productiuo, vt actu existente in supposito. Primo modo non egreditur à Patre, sed benè secundo modo, quia memoria fœcunda, à qua immediatè pullulat generatio actiua, constituens Patrem in *esse* personali, primò inest Patri, & per Patrem inest Filio. Sed notabis, si à memoria fœcunda immediatè pullulat generatio actiua, ergo in eodem instanti erit Filius, & per consequens Pater, vt prior origine non producit Filium, imò nec diceretur generare formaliter. Dicas quòd illa generatio pullulat à memoria fœcunda, vt posterior origine, & in eodem instanti originis constituit Patrem in *esse* personali, sed in eodem instanti originis, quo constituit Patrem, non habet productum, sed in alio instanti posteriori originis, & sic Pater formaliter generat, vt prior origine, & dicitur generare formaliter per generationem actiuam constituentem ipsum in *esse* personali; & hoc

hoc modo dictum Scoti *in d.7.primi*, debet intelligi de actu egrediente à supposito.

C C V.

Scotus *in primo*, *d.* 2. *q.* 1. dicit quòd differentia idearum concluditur ex creaturis; contra ideæ præcedunt creaturas; ergo ante ipsas sunt distinctæ.

Solutio; Dicas quòd differentia idearum capitur à creaturis arguitiuè, & à posteriori.

C C V I.

Scotus *in primo*, *d.* 2. *q.* 2. dicit quòd duplex est distinctio rerum, scilicet naturarum, & suppositorum; ideò nota, quòd in creaturis distinctio naturarum, & suppositorum semper se concomitantur, sed non in Deo, vbi est distinctio suppositorum sine distinctione naturarum, etiam in Christo est distinctio naturarum sine distinctione suppositorum; in intellectu verò dicit Scotus duplicem esse distinctionem, scilicet ex natura rei, seu formalis, & distinctio rationis, quæ est ratione diuersorum modorum. Huius oppositum dicit paulò superiùs, nempe quòd distinctio ista obiectorum, seu formalis præcedit omnem actum intellectus, *& in d.* 2. *q.* 2. dicit quòd est in intellectu.

Solutio; Dicas quòd talis distinctio dicitur esse in intellectu, quia non concernit existentiam realem, nec est manifesta ex existentia reali, sed per *esse* in intellectu potissimè cognoscitur, quia quando intellectus aliquam rem intelligit, & in ea discernit plures formalitates, vel realitates, tunc concluduntur illæ formalitates esse formaliter distinctæ.

C C V.

Scotus *in primo sentent. d.* 2. *q.* 2. dicit quòd inter distinctiones, quæ præcedunt intellectionem, distinctio formalis est minima: ex hoc videtur negare distinctionem ex natura rei.

Solutio. Dicas primò, quòd Doctor loquitur de distinctione inter duo obiecta, quorum neutrum includit aliud in sua ratione formali, qualis est inter essentiam, & relationem. Sed dices, distinctio inter modum, & rem cuius est modus, videtur minor, cùm tantùm distinguantur formaliter negatiuè. Dicas quòd Scotus *in primo*, *d.* 2. *q.* 2. vult probare distinctionem veram inter mediam, & pure rationis, & ita indifferenter loquitur de distinctione formali, & ex natura rei, & cùm dixit ipsam esse minimam, eam tantùm comparauit ad distinctionem realem.

C C V I.

Scotus *in* 3. *d.* 2. *q.* 2. *art.* 2. dicit quòd totum per accidens sit magis vnum, quàm totum aggregatione: ergo videtur dicere aliquam entitatem aliam à partibus. Huius oppositum habet *in* 2. *d.* 12. *q.* 1. vbi dicit quòd ens per accidens est præcisè suæ partes, & non dicit aliam entitatem à partibus.

Solutio. Dicas quòd ens per accidens non habet magis vnum eo, quod dicit tertiam entitatem aliam à partibus; sed quia in toto per accidens vna pars informat aliam, quod non contingit in toto per aggregationem.

C C V I I.

Scotus *in* 1. *d.* 2. *q* 7. dicit quòd inferius sit idem formaliter superiori, sed non è contra. Hoc idem habent *in d.* 8. *q.* 3. *primi*, vbi dicit quòd includens est idem formaliter incluso. Hoc idē habet *in* 1. *d.* 26. *& in* 1. *Repor. d.* 35. *&* 33. *q.* 2. vbi habet ista verba formalia. Vnde *homo est animal formaliter, quia quiditatiuè includit animal.* Huius oppositum videtur habere *in* 1. *quodlib. art.* 1. *part.* 2. *ratione* 2. vbi videtur velle quòd constitutum sit de formali ratione constitutiui; sed hoc expresse habet *in* 4. *d.* 12. *q.* 1. *&* 7. *Metaph. q.* 1. vbi dicit quòd illud non est idem formaliter alicui, quod non est de formali illius, quia esse idem formaliter alicui est esse dè essentia eius.

Solutio; Pro responsione nota, quòd *esse idem formaliter* est valde æquiuocum, & habet tres acceptiones. Vno modo idem est, quòd includere aliud in sua ratione formali. Secundo modo idem est quòd esse de formali ratione alterius. Tertio modo idem est, quòd dicere eandem formalitatem. Tum dicas quòd inferius est idem formaliter superiori primo modo, id est, prout includit aliud in sua ratione formali, & non è contra, & est identitas formalis non mutua. Secundò dicas, quòd superius est idem formaliter inferiori directè reposito sub eo secundo modo, vt idem est, quod esse de formali ratione alterius, & non è contra: & sic est etiam formalis identitas non mutua. Tertiò dicas, quòd superius, & inferius sunt distincta formaliter mutuò, quia dicunt aliam, & aliam formalitatem, quia sicut in composito Physico totum per se dicit aliam rem à partibus realiter distinctam, ita in composito Metaphysico totum dicit aliam formalitatem à formalitate partium: aliter non esset vnum pro se, & ita in isto sensu homo, & animal distinguuntur formaliter.

C C V I I I.

Scotus *in* 2. *d.* 14. vult quòd omnes materiæ sint eiusdem rationis, loquendo de materiis, quæ insunt rei; nam dicit ibi contra communem opinionem quòd si in cælo materia, esset simpliciter eiusdem rationis cum materia istorum inferiorum; si ergo omnes materiæ sunt eiusdem rationis; ergo & formæ receptæ, per dictum Doctoris, cuius oppositum habet *in* 1. *d.* 2. *q.* 7. vbi dicit quòd formæ eiusdem speciei non possunt esse à materiis eiusdem speciei; nam ignis generatur ex aëre corrupto: & similiter ex terra corrupta.

Solutio. Dicas quòd Scotus *in* 2. *d.* 14. loquitur de materia prima, denudata ab omni forma, in primo verò *d.* 2. *q.* 7. loquitur de materia secunda, quæ est in vltima dispositione ad recipiendam formam specificam: sicut dicimus quòd materia animæ receptiua est corpus organicum humanum, & materia formæ receptiua asini erit tale corpus organicum; & quia huiusmodi materiæ sunt alterius rationis, sequitur quòd forma hominis, & forma asini sint alterius rationis; & quia omnia corpora humana sunt eiusdem rationis, sequitur quòd omnes animæ intellectiuæ sint eiusdem rationis.

C C I X.

Scotus *in* 1. *d.* 2. *q.* 4. dicit in quodam argumento, quòd multiplicato eo, quod est de essentia alicuius, multiplicatur ipsa essentia. Huius oppositum habet in pluribus locis, & omnes Theologi, quippe qui dicunt essentiam esse implurificabilem.

Solutio; Dicas quòd dictum Scoti ita debet intelligi, quòd multiplicato illo, secundùm quòd sunt idem, vel realiter, vel essentialiter, multiplicatur essentia; & sic quia personæ sunt præcisè idem ratione essentiæ, ideò non loquitur

quòd multiplicatis personis, multiplicetur essentia.

CCX.

Scotus arguendo contra Henricũ, dicit quòd creaturæ imitantur hanc essentiam, aut hanc essentiam, siue nudam, & siue existentem, & sic per creaturam posset cognosci essentia diuina, & in particulari. Huius oppositum habet *d.* 3. *q.*1.*primi*, vbi dicit quòd creaturæ non imitantur essentiam, nisi imperfectè.

Solutio; Dicas nullam esse contradictionem in verbis Scoti. Habet enim Henricus concedere quòd creaturæ imitentur essentiam perfectè, siue conceptum Dei in se, & in particulari; patet; quia non tantùm imitantur Deum secundùm aliquod attributum, sed etiam secundùm *esse* Dei, quòd præsupponitur omni attributo, & quia vult quòd de Deo non possit haberi aliquis conceptus quiditatiuus à conceptu Deitatis, ideò Henricus debet concedere quòd per creaturas possit cognosci conceptus Deitatis in se, cùm ipse creaturæ non possint imitari Deum secundùm alium conceptum quiditatiuum inferiorem, siue imperfectiorem; sed Scotus ponit Deum posse cognosci secundùm alium conceptum quiditatiuum, puta secundùm conceptum entis realis; & secundùm talem conceptum ipsæ creaturæ imitantur essentiam, & sic per illa potest naturaliter cognosci in conceptu imperfecto, quiditatiuè tamen.

CCXI.

Scotus *in* 1.*q.prologi*, dicit quòd via naturali non possumus peruenire ad conceptus proprios ipsius. Huius oppositum habet *in* 3.*d.q.*1.*primi*.

Solutio; Dicas quòd Scotus *in* 3.*d.q.*1.*primi* loquitur de conceptu complexo proprio sumpto à sensibilibus, vt puta cognoscimus quòd aliquid est summum ens, & summum bonum, & huiusmodi; in prima verò q prologi loquitur de proprietatibus incomplexis, quæ non sunt communes sensibili, & insensibili; & illas via naturali ignoramus. Via namque naturali cognoscimus aliquod ens esse summum bonum, summum verum, &c. ignoramus tamen naturaliter quid sit illud ens in se, & in particulari.

CCXII.

Scotus *in* 1. *d.*3. *q.*2. dicit quòd primum cognitum primitate originis non est magis vniuersale, sed simpliciter minùs vniuersale. Huius oppositum habet *in* 2. *Metaph. q. vltima*, vbi dicit quòd magis vniuersale est primum cognitum primitate originis.

Solutio. Dicas quòd Scotus *in d.*3.*q.*2.*primi* loquitur simpliciter, quia in ordine confusè concipiendi prius origine cognoscitur totum, quàm partes, & quia in ordine vtpote concipiendi est species specialissima, cuius singulare fortiùs mouet sensum, ideò priùs simpliciter cognitum primitate originis est species specialissima; & hoc debet intelligi tantùm quando singulari illius speciei est perfectè præsens, & optimè dispositum, respectu potentiæ sensitiuæ, quæ etiam sit benè disposita. in 2. verò Met.*q.vlt.* loquitur Scotus communiter; nam hoc modo priùs origine concipitur magis vniuersale, quàm minùs vniuersale, & hoc est, quia communiter singulare magis vniuersalis priùs, & fortiùs sentitur, quàm singulare minùs vniuersalis.

CCXIII.

Scotus *in* 1.*sent.d.*26. dicit personam constitui per relationes positiuas. Huius oppositum tenet *in quodl.q.*19. *a.*2. vbi dicit quòd persona per solam negationem ponitur in *esse*, nam persona est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia.

Solutio. Dicas quòd duplex est persona: creata, & increata. Quando Scotus dicit personam constitui per relationes positiuas, verum est de personis diuinis, & increatis: cùm verò asserit personam constitui per solam negationem, verum est de personis creatis.

CCXIV.

Scotus *in q.*34.*Vniuersalium* collocat risibile in genere Qualitatis, & sic homo, & risibilitas distinguuntur realiter. Huius oppositum habet *in* 2.*sent.d.*5. vbi dicit quòd risibilitas est de prædicamento substantiæ, quia identificatur realiter homini.

Solutio. Dicas quòd risibilitas potest accipi duobus modis Primò, pro quadam facilitate ad ridendum, sicut sunt quidam, qui de omni minima re prorumpunt in risum, & tunc dicimus, iste est valde risibilis. Secundò potest accipi pro inclinatione quadam ad ridendum, & naturali aptitudine. Primo modo sumpta est qualitas de secunda specie Qualitatis, & hoc modo intellexit Scotus *in q.* 34. Vniuersalium. Secundo modo intellexit *in* 2.*sent.d.*5.

CCXV.

Scotus *in* 3. *d. q.*3. dicit quòd materia prima est simpliciter simplex, & similiter vltima forma. Hoc videtur repugnare dictis suis, quia illud est simpliciter simplex, quod non est resolubile in priores conceptus quiditatiuos, vt ipse dicit *in d.*3.*q.*2.*& alibi*; sed materia prima resoluitur in ens quiditatiuè, quia ens prædicatur in *quid* de ea, vt patet per ipsum *in d.*3. *q.*3. *primi*: ergo non erit simpliciter simplex.

Solutio. Dicas quòd aliquid esse simpliciter simplex potest intelligi dupliciter. Vno modo, quòd non sit compositum realiter ex re, & re, siue quòd non includat realiter aliquid potentialis, & aliquid actualitatis; & sic materia prima dicitur simpliciter simplex. Alio modo aliquid dicitur simpliciter simplex, quod non est compositum ex conceptu determinabili, & conceptu determinatiuo, & sic materia prima non est simpliciter simplex, quia resoluitur in conceptu entis quiditatiuè.

CCXVI.

Scotus *in* 1.*sent.d.*3. *q.*3. dicit quòd materia prima, & forma vltima sunt primò diuersa. Huius oppositum vult ipse pluribus in locis expressè, nempe quòd illa dicantur primò diuersa, quæ in nullo conceptu quiditatiue conueniunt, & ex alia parte concedit *in d.*3.*q.*3.*primi*, quòd materia prima, & forma vltima conueniunt in conceptu entis quiditatiui.

Solutio. Dicas quòd non vult Scotus quòd materia prima & forma sint simpliciter, & absolutè primò diuersa, scilicet in nullo prædicato dicto in *quid* conuenientia, quod si ipse vellet, vtique sibi contradiceret; sed dicuntur primò diuersa, quantùm ad *esse* actuale formale, & potentiale subiectum; sic intelligendo, quòd nec materia prima includit quiditatiuè aliquid actualitatis formalis, nec forma vltima includit quiditatiuè aliquid potentialitatis subiectiuæ respectu formæ substantialis: & in hoc dicũtur primò diuersa. Vel dicas quòd materia,

& forma,

& forma, sunt primò diuersa Physicè, non autē Metaphysicè. Vel dicas quòd materia & forma sunt primò diuersa in realitate, non autem in conceptu.

CCXVII.

Scotus *in 1.d.3.q.3.* dicit quòd ens sub ratione communissima est primum obiectum intellectus creati ex natura potentiæ in ratione motiui, sequitur quòd Deus cùm sit perfectissimè intelligibile naturale possit mouere intellectum creati; cuius oppositum habet *in quodl. q. 14.*

Solutio, Dicas quòd quando Doctor dicit quòd ens sub ratione communissima est adæquatum obiectum intellectus creati, in ratione motiui, accipit ibi *ens*, vt communissimum ad esse ens limitatum, siue creatum, non autem vt comprehendit sub se ens illimitatum, vt expressè patet ex Doctore *in quodl.q.14.* & sic non sequitur quòd Deus sit naturaliter cognoscibilis ab intellectu creato. Vel dicas quòd non debemus ponere ens limitatum, vt primum obiectū adæquatum intellectus creati, & hoc simpliciter in ratione motiui, quia hoc modo oporteret ponere quòd quodlibet in quo saluatur ratio talis entis, esset per se motiuum intellectus creati, quod inter omnia habemus assignare aliquod obiectum primum potentiæ, vel primitate communitatis essentialis, vel primitate virtualis in se, vel in suis inferioribus, quia non inuenimus alium sic primum respectu omnium per se intelligibilium sicut ens, imò dicimus quòd est primum obiectum motiuum intellectus creati, & hoc vel in se vel in suis inferioribus.

CCXVIII.

Scotus *in 1.sent.d.3.q.1.& 2.* dicit quòd relatiuum non definitur per suum correlatiuum. Huius oppositum habet *in 15. q. Vniuersalium soluendo vltimum argumentum.*

Solutio; Dicas quòd Scotus in decimaquinta quæst. Vniuersalium loquitur secundum communem opinionem.

CCXIX.

Scotus *in 4.d.1.& q.1.& q.4.vel 5.& d.12.& alibi,* vult quòd agens in virtute alterius dicat rationem propriam agendi. Huius oppositum videtur habere *in 1.d.3.q.4.* vbi dicit quòd obiecta secundaria mouent intellectum creatum ad euidentem notitiam conformitatis eorum; si hoc est verum, sequitur quòd aliquid in se formaliter includant, quo possint mouere, licèt in virtute alterius moueant, sed hoc non videtur possibile, quia entitas absoluta, non potest esse ab aliquo habente tantùm *esse* secundùm quid.

Solutio; Dicas quòd Scotus sibi non contradicit, ideò sustinendo dictum eius, dicendum est quòd ex hoc dicuntur mouere virtute intellectus diuini, non quòd in se aliquo modo moueant; sed quia totum suum *esse* habent ab actu intellectus diuini, & quia ex se non possunt causare euidentem notitiam conformitatis eorum, sed solus intellectus diuinus mediante actu suo, & quia talia obiecta virtualiter continētur in intellectu diuino, ob id dicimus illa in virtute intellectus diuini mouere, quia tota virtus mouendi est ab intellectu diuino mediante actu suo.

CCXX.

Scotus *in 1.sent.d.3.q.7.* dicit contra D.Thomam quòd intellectio esset effectus æquiuocus, si species esset causa totalis; ergo similiter quando est partialis: oppositum habet *in eadem dist. & quæst.* vbi dicit, quòd species intelligibilis assimilatur intellectioni formaliter, id est, vniuocè; ergo intellectio erit effectus vniuocus; igitur non erit effectus æquiuocus, vt ipse dicebat contra Diuum Thomam.

Solutio. Dicas quòd tam intellectus, quàm species dicuntur causæ simpliciter æquiuocæ respectu intellectionis; dicitur tamen quod ipsa assimilatur formaliter intellectioni ex hoc, quia est causa magis proxima, & magis specificatiua intellectionis; nam vna intellectio dicitur propriè distingui specie ab alia intellectione, quia est ab obiecto tali specie distincto ab alio; intellectus verò dicitur magis assimilari virtualiter, quia est causa magis remota, tum etiam quia non propriè specificat intellectionem, nec propriè dicitur talis intellectio, quia talis intellectus, sed quia talis obiecti.

CCXXI.

Scotus *in 1.d.8 q.3.* dicit quòd intellectus actu suo non potest causare nisi relationem rationis. Huius oppositum habet *in 1.d.3.q.4.& d.36.* vbi dicit, quòd intellectus diuinus actu suo producit omne ens in *esse* cognito; & tamen illud *esse* cognitum non est sola relatio rationis, vt habet ipse *in 1.d.35. & 36. & in 2. d.3. & 18.* vbi vult expressè etiam *in d. 43.* quòd intellectus diuinus actu suo producit quodlibet ens in *esse* possibile, & tamen illud ens possibile non est sola relatio rationis, imò est ens quidditatiuum.

Solutio; Dicas quòd actus intellectus diuini potest dupliciter considerari. Vno modo vt tantùm respicit obiectum in se. Alio modo, vt respicit obiectum inquantùm cognitum, & hoc secundo modo non potest causare nisi relationem rationis, quia obiectum inquantùm cognitum dicitur tantùm habere *esse* diminutum, & vt sic in ipso tantùm sunt nata causare entia rationis. & hoc modo intellexit Scotus *in d. 4. q.31.* Primo verò modo intelligit Scotus in omnibus aliis locis suprà citatis.

CCXXII.

Scotus *in 1.d.8 q.3.* dicit quòd intellectus diuinus cognoscit creaturas ab æterno; hoc enim videtur falsum, quia non fuerunt existentes in propria existentia. Secundò dicit quòd intellectus diuinus cognoscit intentiones secundas causatas in creaturis: hoc fieri non posse videtur, cùm in se nec existant, quia existentia est entis realis; nec fundentur in aliqua re existente, inquantum existēte, sed in re cognita, vel comparata in quantum huiusmodi. Tertiò dicit Scotus quòd intellectus diuinus cognoscit relationes rationis causatas ab ipso ab æterno; hoc parit difficultatem, nam si cognoscit relationes rationis, vel cognoscit illas abstractiuè, vel intuitiuè; sed neutro modo, quia non sunt existentia: ergo intellectus diuinus non cognoscit relationes rationis.

Solutio. Dicas intellectum diuinum posse cognoscere intuitiuè, conuenit tripliciter, & hoc actu recto. Primò, vt obiectum primarium in se formaliter existens virtute propria suo modo mouens, siue quasi mouens; & sic cognoscit intuitiuè essentiam suam. Secundò, tanquam obiectum non primarium, nec eminenter contentum in essentia diuina, nec etiam sua ratione formali aliquo modo mouens intellectum diuinum ad cognitionem sui: vt proprietates hypostaticæ, & relationes diuinæ ad intra cognoscuntur virtute essentiæ intuitiuè, & non dicuntur eminenter contineri in illa propter perfectam identitatem illarum realem cum essentia diuina. Tertiò, tanquam obiectum secundarium

darium eminētēr contentum in essentia diuina, quia ipsa est perfectissima ratio cognoscendi omnem creaturam maximè in *esse* quiditatiuo, licèt existentia earum, cùm sit merè contingens, sequatur determinationem diuinæ voluntatis, dicatur sic cognosci, & ostenditur ab essentia diuina, & hoc post determinationem diuinæ voluntatis; & sic cognitio intuitiua terminatur ad aliquod existens in propria existentia, aut ad aliquod, quod licèt non sit existens in propria existentia, tamen eminenter secundùm suam totam entitatem continetur in alio verè existente, quod erit causa talis cognitionis, & sic creaturæ quiditatiuè cognoscuntur ab intellectu diuino ab æterno, & hoc virtute essentiæ eminenter continentis illas. CCXXIV.

Scotus *in* 1. *q. Vniuersalium* dicit quòd arguere à concretis ad abstracta vltima abstractione non valet argumentum, nec tenet consequentia. Huius oppositum videtur habere *in* 1. *d.* 8. *q.* 3. vbi videtur concedere quòd ista possit esse vera: *humanitas est animalitas*: quia humanitas vt humanitas, non excludit illa quæ sunt de ratione eius quiditatiua; cùm ergo animalitas sit de quiditate hominis, ista erit vera: *humanitas est animalitas.*

Solutio, Dicas quòd non dicit Doctor quòd illud quod est de quiditate alicuius, possit prædicari de eo vltimata abstractione; sed si prædicaretur, & prædicatio esset vera, non posset esse vera, nisi in primo modo dicendi per se; nullo enim modo posset esse vera prædicatione identica, quia vnũ extremũ non includeret aliud per realem identitatem, & sic contradictio nulla.

CCXXV.

Scotus *in* 4. *q. Vniuersalium*, ex propria sententia tenet syllogismum subiectum adæquatum esse in Logica. Huius oppositum habet *in* 2. *q. libri Priorum*, vbi dicit quòd Syllogismus non est subiectum in tota Logica, quia non est commune ad omnia in Logica considerata, quia non ad definitionem, neque diuisionem, neque enthymema, neque inductionem.

Solutio. Dicas quòd quando Scotus *in* 2. *q. Priorum* negat Syllogismum subiectum adæquatum esse in Logica, quia non est commune ad omnia in Logica considerata, verum est quã-tùm ad communitatem prædicationis; & dum dicit *in* 4. *q. Vniuersalium* syllogismum subiectum adæquatum in tota Logica, quia est communis omnibus in Logica consideratis, verum est quantùm ad communitatem considerationis, & applicationis. CCXXVI.

Scotus *in dist.* 3. *q.* 1. contra Thomam, dicit quòd negatio non potest inesse alicui, nisi per aliquam affirmationem. Huius oppositum habet *in* 23. *q. vnica, primi*, vbi dicit quòd negatio potest esse communis pluribus, & negatio eiusdem rationis, & tamen non inest illis pluribus per aliquam affirmationem communem illis, siue per aliquid positiuum commune illis.

Solutio. Dicas quòd Scotus *in* 3. *d. q.* 1. *primi*, dicit quòd negatio non prædicatur de aliquo, nisi præsupponat aliquam affirmationem in illo, sicut *non lapis* non conuenit homini, nisi propter aliquam affirmationem, siue propter aliquam realitatem positiuam existentem in homine, cui affirmat repugnatio lapidis, & sic dicit *in* 23. *d. q. vnica*, 1. quòd illa negatio communis non potest competere inferiori, nisi per aliquid positiuum, vel affirmationem in illo; & non est necesse quòd competat sibi per aliquid positiuum commune inferioribus. Secundo dicit quòd negatio eiusdem rationis dicitur, quæ repugnat affirmationi vnius rationis; nam affirmatio lapidis repugnat animali; ergo negatio opposita illi competit animali. CCXXVII.

Scotus *in* 1. *d.* 25. *q. vnica* dicit quòd paternitas, & filiatio in creaturis ex natura rei conueniunt in aliqua realitate, puta relationis, & per aliquid ex natura rei. Huius oppositum videtur habere *in eadem distinctione*, & *quæstione citatis*, vbi dicit quòd in Diuinis non est aliqua relatio, quæ ex natura rei sit contrahibilis.

Solutio; Dicas quòd non est simile in creaturis, & in Diuinis, quia in Diuinis paternitas, vt paternitas, est in vltima actualitate; nec enim ibi est aliqua relatio, quæ ex natura rei sit contrahibilis, ideò ab illis tantùm potest abstrahi conceptus communis dictus in *quid*: non quòd ex natura rei detur aliquod commune in *quid*, sed dicitur ille conceptus in *quid* ex hoc, quia est abstractus à realitatibus quiditatiuis.

CCXXVIII.

Scotus *in* 1. *d.* 26. *q. vnica*, dicit quòd non potest esse terminus formalis generationis. Huius oppositum habet *in eadem distinctione*, & *quæstione citatis*, vbi dicit quòd relatio potest esse terminus alicuius relationis, & simpliciter negat de relatione intrinsecùs adueniente, & tamen filiatio est relatio intrinsecùs adueniens.

Solutio; Dicas quòd Scotus *in* 5. *d.* 1. *q.* 1. loquitur tantùm de relatione, quæ de necessitate oritur positis fundamento, & termino: filiatio autem in Diuinis non oritur ex natura extremorum, quia ipsa constituit filium; vult ergo dicere Doctor quòd relationi vt relatio est, repugnat esse terminum formalem alicuius productionis, licèt alicui in particulari repugnet.

CCXXIX.

Scotus *in d.* 2. 1. vult quòd prima causa ex hoc, quòd continet virtualiter causalitatem secundarum causarum, dicatur perfectior. Huius oppositum habet *in* 25. 1. *q vnica*, vbi dicit quòd causalitas, quæ cõtinet formaliter est perfectior.

Solutio; Dicas quòd aliqua est continentia virtualis, quæ est perfectior formali, sicut causa æquiuoca dicitur perfectior ex hoc, quòd continet effectum virtualiter, quã si contineret formaliter; & similiter dicitur causa prima perfectior ex hoc, quòd virtualiter continet caliditatem Solis, quam si illam haberet formaliter. Aliqua verò est continentia formalis, quæ dicitur perfectior continentia virtuali, nam perfectior est in Deo habere sapientiam formaliter, quàm habere virtualiter, & hoc modo loquitur Scotus *in d.* 26. *q. vnica.* CCXXX.

Scotus *in* 1. *d.* 23. dicit quòd ab vltimis distinctiuis non potest abstrahi conceptus realis dictus in *quid*. Huius oppositum habet *in* 26. *d. q. vnica primi*, vbi dicit quòd generatio siue actiua, siue passiua, & spiratio passiua sunt vltima distinctiua; igitur ab eis potest abstrahi aliquis conceptus dictus in *quid*.

Solutio, Dicas quod Scotus *in d.* 26. *q. vnica suprà citatis* non asserit quòd ab vltimis distinctiuis, scilicet generatione, & spiratione passiua, possit abstrahi conceptus dictus in *quid*, quia non declinant ad hanc partem, quòd huiusmodi relationes sint vltimo distinctiuæ, & constitutiuæ;

tiuæ. Vel dicas quòd Scotus non dicit hoc absolutè, quòd non possit abstrahi conceptus communis dictus in *quid*, tamen non sit potentialis ad conceptum contractiuum. CCXXXI.

Scotus *in 3.d.1.* dicit quòd ens prædicatur in *quid* de Deo, & de decem Prædicamentis. Huius oppositum habet in eadem distinct. vbi vult expresse, quòd ens non prædicatur in *quid* de vltimis differentiis.

Solutio. Dicas quòd ens alio, & alio modo prædicatur in *quid* de Deo, & de vltimis differentiis, licèt de decem Prædicamentis alio modo prædicetur in *quid*; nam de Deo, & de vltimis differentiis prædicatur in *quid*, vt dicit conceptum non acceptum à realitate perfectibili ab alio; sed vt prædicatur de decem Prædicamentis, sic prædicatum dicit conceptum abstractum à realitate verè perfectibili ab alia realitate. Vel dicas quòd de vltimis differentiis ens prædicatur in *quid*, vt dicit conceptum non acceptum à realitate perfectibili ab alio. Dum verò videtur negare quòd ens non prædicetur in *quid* de vltimis differentiis; dicas quòd verum est, vt dicit conceptum acceptum à realitate perfectibili.

CCXXXII.

Scotus *in 1.d.23.& d.25.* dicit quòd persona, quæ prædicatur de tribus personis in Diuinis dicat conceptum positiuum, non speciei, sed magis alicuius proprij. Huius oppositum habet *in 23.d.* vbi vult quòd huiusmodi conceptus abstractus ab vltimis distinctiuis, vel sit conceptus simpliciter negatiuus, vel positiuus denominatiuus non dictus in *quid*.

Solutio. Dicas quòd persona non prædicatur in *quid* de vltimis distinctiuis, vt est propriè superioris de inferiori, ita vt superius sit in potentia ad inferius, ita quòd sit acceptum à realitate perfectibili, & sic non dicit conceptum in *quid*: vt verò talis conceptus non accipitur à realitate perfectibili ab alio, & hoc modo prædicatur in *quid*. Vel dicas quòd persona dicit conceptum in *quid* impropriè, non autem propriè. CCXXXIII.

Scotus *in 3.q.1.* dicit quòd ens prædicatur in *quid* de Deo. Huius oppositum videtur habere *in d.26.q.1.primi.*

Solutio. Dicas quòd quando Scotus dicit quòd ens prædicatur in *quid* de Deo, verū est impropriè; dū verò dicit quòd non, verum est propriè.

CCXXXIV.

Scotus *in 1.d.3.q.vlt.in solutione vltimi argumenti, & d.17.* dicit quòd intellectus potest esse principiū formale habitus, cuius oppositū videtur habere *in 27.d.1.q.vnica.* vbi dicit quòd intellectio nō potest esse productiua alicuius termini.

Solutio; Dicas quòd intellectio non est actio de genere Actionis productiui, & hoc est quod suprà dicebat Scotus *in d.3.q. præallegata*, non autem negat, quin ista sit principium formale habitus. CCXXXV.

Scotus *in 1.d.3.* facit differentiam inter personam diuinam, & creatam, quia diuina dicit aliquod positiuum, creata verò non. Huius oppositum videtur habere *in 1.d.26.* vbi dicit quòd suppositum, vel ratio suppositalis non dicitur actus in creatura.

Solutio; Dicas quòd licèt Scotus asserat personam diuinam constitui per positiuum, & creatam non, illud dicit non ad intentionem propriam, sed secundùm opinionem aliorum.

CCXXXVI.

Scotus *in 19.q.1. & in Quodl.q.6. & d.32.1.* ponit similitudinem in diuinis, & æqualitates esse reales. Huius oppositum videtur habere *in d.30.q.vnica.*

Solutio; Dicas quòd Scotus *in 30.d.q. vnica, primi*, sibi non contradicit, quia ibi vult exemplum ponere, quòd si per impossibile essent ibi duæ magnitudines realiter distinctæ, vna non ordinaretur ad aliam realiter, & nō negat quòd ibi non sit similitudo realis. Vel dicas quòd quando Scotus videtur dicere & negare similitudinem, & æqualitatem esse reales in Diuinis, loquitur secundùm opinionem Henrici.

CCXXXVII.

Scotus *in 35.d.1.q.vnica* dicit quòd intellectus diuinus poterit postea cognoscere lapidem in se. Huius oppositum videtur habere *in Quodl. q.15.a.vlt.* vbi dicit sic, *Illud quod cognoscitur per aliud, benè potest immediatè cognosci, sed non sic illud quod præcisè cognoscitur in illo: sicut intellectus diuinus præcisè cognoscit creaturam in essentia diuina, & non per illam creaturam, vt obiectum immediatum, quia tunc intellectio eius vilesceret.*

Solutio. Dicas quòd intellectus diuinus non cognoscit lapidem, nisi præcisè in essentia sua, hoc posito, adhuc Scotus sibi non contradicit, quia *in 35.d.q.vnica*, 1. accipit lapidem posse in se cognosci, vt præcisè distinguitur contra hoc, quod est cognosci præcisè per essentiam, vt actu comparatam ad ipsum lapidem, quasi talis comparatio sit ratio cognoscendi ipsum lapidem. in Quodl. verò accipit prout ipse lapis cognoscitur absolutè in essentia cognita, & non præcisè in essentia, inquantùm comparatur ad ipsum lapidem. Vel dicas quòd lapidem cognosci in se potest dupliciter intelligi. Primò, vt in se est præsens intellectui diuino, & sic lapis in se non potest cognosci, quia tunc intellectus diuinus vilesceret. Secundò, vt tantùm est præsens in essentia diuina, & hoc modo lapis potest cognosci in se. CCXXXVIII.

Scotus *in d.35.q. vnica* dicit quòd cognitio lapidis in Deo est vna operatio per se. Huius oppositum videtur habere *in d. 2. q. penult. & d.27.q.vlt.* vbi dicit quòd ens absolutum, & ens rationis dicantur tantùm vnum per accidens. Vult etiam quòd omnis respectus ad extrà sit tantùm ens rationis; cùm ergo cognitio lapidis dicat respectum ad ipsum lapidem, non erit vna operatio per se, sed tantùm quidam respectus.

Solutio; Dicas quòd ipsa cognitio diuina lapidis est vna operatio per se. Et quòd terminetur ad lapidem, dicas quòd terminari ad lapidem non dicit aliquem respectum rationis, imò prior est intellectio lapidis, quàm sit respectus rationis; dum verò Scotus dicit cognitionem lapidis in Deo esse vnam operationem per se, dicas quòd hoc verum est simpliciter, & absolutè, quia absolutum prius est respectiuo, & intellectio lapidis est quid absolutum; propterea cognitio ipsius lapidis in Deo est vna operatio per se; dum verò Scotus videtur dicere cognitionē lapidis esse quid respectiuum, dicas quòd hoc verum est denominatione extrinseca.

CCXXXIX.

Scotus *in 1.d.35. q. vnica* dicit quòd intellectio diuina est mensura omnium aliorum in se intelligibilium, & sic sequitur quòd omnia alia præcisè referuntur ad intellectionem diuinā, & ipsa

ipsa terminabit relationem istam sub relatione mere absoluti. Huius oppositum videtur habere *in* 4.*d*.25.vbi dicit quòd non requiratur præsétia obiecti propter terminationé intellectionis, licèt requiratur propter causationé, & sic licèt creatura etiam ab æterno nudú *esse* habeat, tamé poterit terminare actum intellectus diuini; ergo obiectum, vt terminat intellectionem, est mensura ipsius; igitur vt sic terminat, habet rationem mensuræ, & non ipsa intellectio diuina.

Solutio; Dicas quòd intellectio diuina ideò dicitur mensura omnis obiecti alterius à seipsa, quia omnia tali actu intelligendi producuntur in *esse* cognito, tum, quia huiusmodi obiecta nó súťt in memoria diuina ex natura rei, sed tãtùm per actum intellectus diuini; tum, quia totum eorum *esse* possibile est ab actu intellectus diuini, & per consequens est mensura omnium illorum. CCXL.

Scotus *in* 1. *d*.33. *q. vnica*, dicit quòd relatio non potest cognosci, nisi termino præcognito, & expressè dicit *in prologo, q. penultima*, quòd cognitio relationis dependet à cognitione terminorum. Hoc autem habet *in quodl. q*.14. stante hoc sequitur quòd cognitio relationis, quã cognoscit intellectus diuinus, & quo terminatur ad creaturã, non poterit cognosci sine creatura, & sic dependebit à creatura. Huius oppositum habet *in prologo, q. penultima, & in quodl*.15.

Solutio, Dicas quòd licèt cognitio relationis dependeat à fundaméto & termino, sicut in *esse*, ita & in *cognosci*, talis tamen cognitio poterit causari ab aliquo virtualiter continente terminum, & fundamentum secundùm totam entitaté: ipsa tamen cognitio nó poterit haberi nisi præcognitis fundamento, & termino. Quamuis enim intellectus diuinus possit verè causare cognitionem paternitatis, non tamen poterit distinctè cognoscere paternitaté, nisi præcognoscat terminú, & fundamentum; quia cognoscere paternitatem in se, & non cognoscere esse ad aliquid, est non cognoscere paternitatem: sic dico in proposito, quamuis cognitio illius relationis sit tantùm à Deo, tamen ipsa non potest distinctè cognosci, nisi præcognita ipsa creatura, ad quam terminatur: continet enim virtualiter secundùm entitatem omnem creaturam, in quocunque *esse*, siue reale, siue secundùm *quid*. Vel dicas quòd etsi cognitio relationis, quam cognoscit intellectus diuinus ex quo terminatur ad creaturam distinctè non possit cognosci, nisi præcognita ipsa creatura, non tamen sequitur quòd intellectus diuinus dependeat à creatura, quia intellectus diuinus tum in *esse reali*, tùm in *esse* cognito, continet ipsam creaturã triplici continétia, scilicet virtuali, formali, & eminentiali; & sic Scotus sibi non contradicit, & dú dicit Scotus, quòd cognitio relationis depédet à cognitione terminorum, verú est quando termini virtualiter non continentur in aliquo; exépli gratia, relatio, quæ est inter patré, & filiú, pendet à cognitione terminorum, quia filiatio virtualiter non continetur in paternitate, & propterea cognitio paternitatis dependet à cognitione filiationis. CCXLI.

Scotus *in* 1. *sent. d*.25. *q. vnica*, dicit quòd *esse* cognitú lapidis, vt causabilis est ratio æterna in méte diuina, id est, quòd tale *esse* cognitú necessariò præcedit illud *esse* cognitú, an sit *esse* quiditatiuú rei, & tunc tale *esse* erit vnú per accidens, & sic de illo nihil per se potest prædicari, & sic omnes propositiones de qũditate erũt per accidens, & nullæ erunt in primo modo dicendi per se; cuius oppositum habet *in* 36. *&* 43. *d*.1.

Solutio. Dicas quòd tale *esse*, quod dicitur ab æterno *esse* quiditatiuum, est *esse* possibile, quòd *esse* possibile fundatur in *esse* cognito; intellectus enim diuinus priùs producit rem in *esse* cognito, & post in *esse* possibili. Vnde Doctor *in d*.43. probat quòd possibilitas rerum primò est ab actu intellectus diuini. Vel dicas quòd quando Scotus dicit *in* 39. *d*.1. *siue* 36. arguendo contra D. Bonauenturam, quòd idea est tantùm necessariorum; & *in* 35. *d*. 1. *q. vnica*, dum dicit ideam esse respectu possibilis creabilis, loquitur ad mētem propriam; dum autem dicit ideam esse tantùm necessariorum, loquitur contra D. Bonauenturam; Vel dicas formaliter quòd quando Scotus dicit quòd *esse* cognitum lapidis est ratio æterna in mente diuina, id est, quod tale *esse* cognitum, necessariò præcedit quid sit illud esse cognitum, & sic de illo nihil potest prædicari, & sic omnes propositiones de quiditate erunt per accidens, & nulla erit in primo modo dicendi per se. Dicas quòd aliquæ propositiones possunt dici per accidens, & per se: per se, prout sunt rationes æternæ in mente diuina, & prout eminenter continétur in mente diuina, & tunc illæ propositiones sunt in primo modo dicédi per se; dicũtur per accidens, prout transeũt super esse possibile, & sic cóciliatur Scotus. CCXLII.

Scotus *in d*. 38. *q. vnica* dicit quòd si intellectus prædeterminaret, tunc voluntas necessariò conformaretur illi. Huius oppositum videtur habere *in q. de Theologia, an sit practica*, vbi dicit quòd ad hoc quòd cognitio necessariorum dicatur practica, tria requiruntur. Primò quod sit prior praxi eliciendi; secundò, quòd sit conformis, siue cóformatiua, siue directiua; tertiò, quòd respiciat voluntaté regulabilé, & determinabilé. hoc vltimú videtur negate, quia videtur importare imperfectioné, q̃ sit determinabilis aliunde, & hoc dicit, quòd de necessitate cóformaretur.

Solutio; Dicas quòd Scotus *in q. de Theologia* loquitur de his, quæ tãtùm sunt ad intrà, & quæ sunt simpliciter necessaria, *in d. verò* 38. *q. vnica* loquitur de factibilibus, & túc esset incóueniés, quòd diuina volútas determinaretur necessariò ab intellectu diuino respectu factibiliú, quia túc necessitate produceretur illa. CCXLIII.

Scotus *in d*. 36. *q. vnica*, dicit ad hoc quòd intellectus producat aliquid, necesse est intellectum illud priùs intelligere. Huius oppositum habet *in d*. 39. vbi dicit quòd contingens inquantùm huiusmodi, non sit præcognitum antequam voluntas determinet, imò ipsa priùs determinat, & postea intelligitur.

Solutio; dicas quòd aliud est producere aliquid tantùm secũdùm *esse* secundùm quid, & aliud est producere secúdùm *esse* simpliciter. Primo modo nullú est inconueniens; secundò modo vtique esset incóueniens intellectum diuinum omnino independenté, & in essendo, & in causádo, producere aliquid secúdùm vere *esse* simpliciter, & reale, & nó præintelligere illud. & dicitur independens in agendo, quia hoc nó est inconueniés de agente omnino indepédente, vt de sole, quòd producat nó intelligendo, tunc enim dirigetur ad finem ab alio cognoscente, & amante finem.

Laus Deo, Deiparæ Virgini, & Patri Francisco Ordinis fundatori, & Antonio eiusdem Patris sectatori maximo.

INDEX



INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc Tomo continentur.

Primus numerus ad paginam, secundus ad numerum marginalem remittit.

A D

A E

A G

Index rerum

Index rerum.

Esse

Index rerum.

E V

E X

F E

F I

Fides

F O

F R

F V

G E

Generatio

I V

L A

Index rerum.

P H

P L

P O

P R

Præde

P V

Q V

R A

R V

S A

S C

S E

S I

Similitudo

Index rerum.

FINIS.

ERRATA

Pag.2.col.1.l.5.leg.*diuersimodè.* 3.col.1. l. 6. leg. *post.* 6. col. 1. l. 4. adde *sit.* 9. l. 13. del. *aliquod.* 40. l. 6. leg. *singula.* & l. 23. leg. *actus.* 43. col. 2. l. 32. leg. *author.* 63. col. 2. l.35.leg. *sit.* 125. l. 17. leg. *deficit.* 260.l.35.leg. *non esse.* 273. col.2. l.19. leg. *camino.* 293. col.1. l.4. leg. *instanti* 317.col.4.l 25. leg *vnitatem.* 238.col.2.l 14.adde *in.* 356.col. 1.l.34.post *praula* adde *prior.* 368.co.1.l.26.leg.*siue.* ibid.l 38. leg.*siue.* 374.co.1.leg.*quod* ibid. l.33.adde *quàm.* 356.col.1.l.3. leg.*quod.* ibid.l.9. leg. *quod.* ibid.col.2.l.14.& 25.leg.*quod.*